SANCTI BONAVENTURAE

BREVILOQUIUM.

SANCTI BONAVENTURAE

ORD. MIN. EPISC. CARD. ET ECCL. DOCTORIS SERAPH.

BREVILOQUIUM

ADJECTIS

ILLUSTRATIONIBUS EX ALIIS OPERIBUS EJUSDEM S. DOCT. DEPROMPTIS

TABULIS AD SINGULA CAPITA

ET APPENDICIBUS

OPERA ET STUDIO

P. ANTONII MARIAE A VICETIA

REF. PROV. VENETAE LECT. THEOL. ET MINISTRI PROVINCIALIS.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

EDITIO ALTERA

AB AUCTORE RECOGNITA.

4687

FRIBURGI BRISGOVIAE

SUMPTIBUS HERDER.

MDCCCLXXXI.

EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT ARGENTORATI ET MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

„Theologiam scholasticam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi hujus facultatis professores . . . excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt."

S. P. Leo XIII in *Epist. Encycl. Aeterni Patris,* 4 augusti 1879.

„Disputamus, non ut melius credamus, sed ut fidem illibatam servemus, dum, ipsa cognita, errores cavemus, et cavendo in unitate persistimus."

S. Bonav. *4. dist. 10. p. 2. a. 2. q. 1 ad 1 lat.*

Reverendissimo in Christo Patri

Fr. Bernardino a Portu Romatino

totius Ordinis Minorum Generali Ministro.

Altera Seraphici nostri Doctoris S. Bonaventurae Breviloquii illustrati editio, in Germania quamprimum proditura, jure velut suo coram Te, Reverendissime Pater, Tuo inscribenda Nomini, se sistit. A Te enim, omnium primus, munus suscepi, ut Breviloquium nostris in scholis traderem; Te hortatore, huic operi manum admovi, ipsumque ad optatum finem deduxi; Teque demum auctore ac sub Tuis auspiciis, sex ante annos, faustissima recurrente sexta centenaria die a pretioso sancti Doctoris obitu, Venetiis primo in lucem prodiit.

Quae cum ita sint, etiam si nihil aliud accederet, hoc Opus Tibi nuncupandum esse nemo in dubium vertere posset. Huc tamen praecipua quaedam et peculiaris ratio accedit, mei scilicet officii erga Te, animique beneficiorum memoris, quibus me a die, qua adhuc adolescentem sub Tuo magisterio in theologicis disciplinis imbuendum excepisti, ad haec usque tempora paterna Tua benevolentia cumulare nunquam destitit.

Ea igitur, qua polles, benignitate, Reverendissime Pater, hoc Opus, qualecumque sit, in significationem aliquam grati mei animi, atque in testimonium summae observantiae, qua erga Te afficior, quaeso, ne accipere dedigneris.

Quod si in votis mihi cesserit, reliquum nihil erit quod exoptem, nisi ut Tuis pedibus obvolutus, sacram dexteram venerabundus Tibi exosculer, et seraphicam benedictionem a Te humillime efflagitem.

Paternitatis Tuae Reverendissimae

Rubini in Istria, e Conventu S. P. N. Francisci,
pridie idus julii an. MDCCCLXXX in festo Ser. Doct. S. Bonaventurae.

Humillimus, Obsequentissimus, Addictissimus in Christo Filius

Fr. Antonius Maria a Vicetia

Minister Provincialis Franciscanorum Reformatorum Provinciae S. Antonii Venetiarum.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino

Strictioris Observantiae

Sancti Patris Nostri Francisci

jam S. Theologiae Lector, Venetae Provinciae Ex-Minister

Ex-Procurator Reformatorum

totius Ordinis Minorum Minister Generalis et humilis in Domino Servus.

DECRETUM.

Ut animi studium et literarius cultus erga Seraphicum Doctorem Nostrum S. Bonaventuram magis magisque, potissimum in Ordine Nostro, augeatur et foveatur, libentissime facultatem facimus R. P. Antonio Mariae a Vicetia, Lectori Theologo, ac moderno Ministro Nostrae Reformatae Provinciae S. Antonii Venetiarum, quatenus *S. Bonaventurae Breviloquium, adjectis illustrationibus etc.,* typis iterum edere, servandis servatis, cum salutaris obedientiae merito, possit ac valeat.

Dat. Romae, ex Aracoeli, die 12 maji an. 1878.

Fr. Bernardinus Minister Generalis.

(L. S.)

De mandato P. S. Rmae
Fr. Saturninus a Modiona
Secr. Gener. Strict. Observ.

Praefatio primae editioni praemissa.

Ad Lectorem.

Quanti in Ecclesia Dei doctrina Seraphici Doctoris S. Bonaventurae semper habita fuerit, nemo ignorare potest, qui ecclesiasticam historiam vix a limine salutaverit. Quotquot enim de ea scripserunt, in eo toti fuerunt, ut nostrum Doctorem summis laudibus celebrarent, eumque inter principes ex Scholasticis unanimi judicio accensuerunt.

Ex quibus, praestantissimus Cancellarius Parisiensis Joannes Gerson, inter cetera, in ejus laudem haec habet: „Si quaeratur a me, quis inter ceteros Doctores plus videatur idoneus? Respondeo sine praejudicio, quod Dominus Bonaventura: quoniam in dicendo solidus est et securus, pius et justus et devotus. Praeterea recedit a curiositate quantum potest, non immiscens positiones extraneas, vel doctrinas saeculares dialecticas, aut physicas, terminis theologicis adumbratas, more multorum: sed dum studet illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem et religiositatem affectus. Unde factum, ut ab indevotis Scholasticis, quorum, proh dolor! major est numerus, ipse minus extiterit frequentatus: cum tamen nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior, atque suavior pro Theologis sit doctrina. Quanto denique diligentius in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tanto facta est amplius confusa garrulitas mea.“ [1]

Rursus: *„Ignem veni mittere in terram,* dicebat Christus, *et quid volo, nisi ut ardeat?* In dextera nempe Dei est ignea lex, cujus eloquium ignitum est vehementer, cujus oculi sunt sicut flamma ignis, cujus praeco Joannes dictus est lucerna ardens instar Eliae. Considerans ista noster Eustachius Dominus Bonaventura, voluit esse Doctor ardens, sciens, quoniam lucere parum est, et saepe vanum, saepe noxium: quoniam scientia inflat, et daemonium facit: quid enim daemon interpretatur, nisi sciens, sed absque caritate? Sortitus est idcirco, secundum laudem vitae pariter et doctrinae, nomen ipse Bonaventura, ut antonomastice Doctor Seraphicus nominetur etc. Docet ignem suum cum lumine; unde mirum, imo miserum et miserabile videtur, ne dicamus damnabile, quo pacto praelatae sunt doctrinae quaedam aliae, sub specie subtilitatis plus inquietantes quasi cynifes aegyptiae, quam sabbatum mentis incendio terrae Gessen afferentes.“

„Secutus est Doctor iste, se testante, doctrinam communem et solidam, quae Parisiis vigebat maxime tempore suo. Unde et allegat ad confirmationem doctrinae suae Parisienses Articulos, quos per G. Parisiensem, de consilio et assensu Magistrorum omnium, dicit fuisse damnatos et excommunicatos, vivente et consentiente fratre Alexandro de Ales, cujus doctrina quantae sit ubertatis, dici satis nequit: de qua fertur respondisse sanctus Thomas, dum inquireretur, quis esset optimus modus studendi Theologiam, respondit exercere se in uno Doctore praecipue. Dum ultra peteretur, quis esset talis Doctor: Alexander de Ales, inquit. Testor me ita legisse pridem in Tractatu quodam de Visione beata contra Joannem XXII. Testantur scripta ejusdem S. Thomae, maxime secunda secundae, quam intimum sibi fecerat et familiarem illum, quem laudabat, Doctorem Alexandrum. Et ecce, proh dolor! Doctores isti duo, Ales et Bonaventura, videntur quasi sepulti cum illis, quorum est memor amplius, praesertim in cordis amore. Extolluntur alii quidam, quorum sint utinam nomina in libro vitae, non enim studiosis invidemus. Sed multae aliquos ipsorum literae fecerunt sub nomine subtilitatis insanire cum sequacibus ipsorum . . . Sint alii Doctores, qui dicantur Cherubici: Bonaventura autem verissimo nomine Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat affectum, et erudit intellectum, reducit et unit ad Deum per amorem excitativum; dum alii multi solum divaricant et dispergunt intellectum per praecisiones, prioritates et posterioritates, per signa et contingentia, cum tamen unum sit necessarium.“ [2]

Et iterum: „Nescio, si praecipuus inter omnes numerandus sit Eustachius: ita enim nomen istud suum vulgatum Bonaventura videor posse tradere. Ille enim singulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium salva, videtur idoneus et securissimus ad illuminandum intellectum, et ad inflammandum affectum.“ [3]

---

[1] *De Examinat. Doctrinar.* [2] Ibi in Epistola missa Lugd. ad quemdam Minoritam, an. 1426.
[3] Part. 2. tit. de legendis libris a Religiosis.

Et alibi eum amatorem pacis et concordiae inter Doctores laudat his verbis: „Qualis fuit inter ceteros conditionis Dominus Bonaventura, qui studuit de variis opinionibus semper elicere illud, quod verum apparebat, et cum sobrietate magna dimittere illud, quod nimium vel parum videbatur.“ [1]

Tanti viri judicio subscribit doctissimus Joannes Trithemius Ordinis S. Benedicti Abbas Spanhemiensis, qui de Bonaventura ait: „Scripsit multa et profunda et devotissima Opuscula, quibus ardentia verba proferens, non minus affectum legentis in Christi amore accendit, quam intellectum doctrinis sanctis illuminat: omnes enim sui temporis Doctores utilitate Operum facile praecellit, si spiritum divini amoris et christianae devotionis in eo loquentem attendas. Profundus est, non verbosus; subtilis, non curiosus; disertus, non vacuus; flammantia, non inflantia verba proferens. Unde et securius legitur, facilius ab amante intelligitur, utilius frequentatur, dulcius et fructuosius retinetur. Multi doctrinam proferunt, devotionem praedicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque. Bonaventura autem et multos superavit et paucos, dum ejus doctrina devotionem, devotio instruit doctrinam. Si ergo et doctus vis esse et devotus, illius Opusculis esto intentus.“ [2]

Neque silentio praetereundum putamus amplissimum elogium, quo eamdem doctrinam magnificavit Joannes Baptista de Judicibus, Ord. Praedic. Theologus, et Episcopus Vintimiliensis, qui in Processu pro canonizatione sancti Doctoris haec scripta in ejus laudem reliquit: „Doctrina beati Bonaventurae quantum ad principium fuit excellens, quia magis fuit a Deo per infusionem, ut per processum et annales authenticos probatur, quam humano studio, aut naturali ingenio acquisita; et ideo quoad principium excelluit, quia quodam modo supra naturam hominis fuit, juxta illud Jacobi primo: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo.* Unde rogatus a socio et collega suo carissimo B. Thoma, in quibus potissime libris studeret, ostendisse dicitur Crucifixum et Bibliam, dicens ab his se haurire quae aut praedicaret, aut legeret, aut scriberet. Excelluit proinde quoad modum quo scripsit. Nam si diligenter libros ejus inspicias, et modum dictantis attendas, dices universam illam doctrinam totam redolere sanctitatem. Ita enim scribebat, ut gustare, quae scriberet, videretur. Unde vere potest dici illius sapientia, sapida scientia, quia ipse scribendo gustabat, et eadem legentibus, etiam si carnales sint, saporem generat sanctitatis et spiritualis suavitatis, cibique divini. Nemo enim adeo est voluptatum illecebris illaqueatus, quin, si diligenter et attente libros ejus legat, aliquando et saepius compungatur, et a carnis desideriis ad superna suspiret. Ego, Pater Sancte *(Sixtum IV alloquitur)*, aeque in illius libris sum versatus, sicut in libris B. Thomae, ut arbitror Vestra Sanctitas non ignorat, quae me ab ineunte mea novit adolescentia, et qualia mea fuerint studia, explorata satis habuit. Consideravi itaque attente in eis esse, quod non facile in multis invenias. Nam ceteri, qui naturales res et speculabilia scribunt, subtiliter quidem in illa physiceque pertractant. Hic vero non in ethicis modo, aut divinis libris, sed in rebus subtilissimis, etiam naturalibus, quamdam semper mentis contemplationem, et raptum in Deum animum saporemque supernarum rerum ostendit, ut sive speculabilia doceat, sive de moribus disserat, et ipse ad devotionem legentes invitet. Docet itaque illuminando intellectum, et affectum ad spiritualia inflammando, non mordax, non detrahens, sed totus suavis et benignus, ea quidem facilitate, ut judicare non possis, an exponendo subtilior, an facilior, an clarior, an perspicacior, an sive doctis, sive insipientibus accommodatior, an disserendo subtilia apertior, an moralia docendo speculabilior fuerit. In quo genere mihi doctrina ejus maxime inter ceteras videtur excellere . . .

Quoad finem quoque excellens illius probatur esse doctrina. Finis enim doctrinae ejus est proximorum utilitas, ad quam totus in suis libris fertur. Non enim aut inani populorum favore, aut ostentatione jactantiae, aut placendi studio, aut gratia captandae gloriae dictavit, aut edidit, quae habentur; sed ut ad beate sancteque vivendum legentes attraheret, ut recte inspicientibus universa doctrina ejus ad utilitatem fidelium ordinata esse videatur.“ [3]

Nostri tamen instituti quum non sit singulorum judicia referre, plura legere cupientem ad *Prodromum* Operum S. Doctoris a cl. P. Benedicto Bonellio a Cavalesio, Reformatae Provinciae Tridentinae alumno, conscriptum, ac Bassani an. MDCCLXVII impressum remittimus, qui ibidem, per undecim distincta capitulos, judicia in laudem ejusdem Seraphici Doctoris a pluribus praeclarisque viris prolata collegit.

Sat igitur superque nobis erit laudes recensere, quibus a Summis Pontificibus Bonaventurae doctrina commendari meruit. Ex his primus audiatur Clemens IV, qui in nostro Doctore nedum „eminentiam scientiae“ [4] laudavit, sed et „delectatus fuit mirifice doctrina ejusdem Bonaventurae, quia copiose, quia solide, quia ad rem scripsit, atque in omnibus suis Operibus et intellectum illuminat, et voluntatem inflammat“ [5].

---

[1] Part. 4. de Concordia Metaphysicae cum Logica.

[2] De scriptor. ecclesiast. c. 464, apud Fabric. Bibl. Eccles. p. 113.

[3] In *Prodromo ad Op. S. Bonaventurae* p. Bonelli, col. 100. 101.

[4] In Literis Apostolicis pro ejus promotione ad Archiep. Eboracens. apud Wadding. *Annal. ad ann. 1265, n. 14.*

[5] Wadding, *ibid. ad ann. 1268, n. 87.*

Sixtus IV in Bulla Canonizationis haec habet: „Exsulta hodie, et lauda habitatio Sion, id est, Christiana Religio, in qua, tamquam in monte Sion, per veram fidem habitat verus Deus, quoniam magnus in medio tui Sanctus. Quoniam *in medio Ecclesiae suae aperuit os ejus, et implevit illum Dominus spiritu sapientiae et intellectus,* et stola gloriae induit eum, et coronavit ad portas paradisi, in qua una cum angelis gloria et felicitate laetatur. Laetemur itaque et exsultemus; quia caelestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura de nobis, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, illuminavit doctrinis, et miraculis confirmavit. Quem Deus dedit cunctis populis in gloriam et honorem, cujus memoria in benedictione est, ea namque de divinis rebus scripsit, ut in eo Spiritus sanctus locutus videatur. Ita pie, religiose et sancte vixit, ut scriptis vita congrueret, et quod scribebat, doceret exemplo; in quo morum virtus, et signorum claritas ita comperta est, ut congruentibus maximis meritis ac miraculis, verae sanctitatis testimonium a militante Ecclesia debeatur eidem. Nam cum in flore virente juventutis, humanis abjectis illecebris, divino se addixisset servitio, Religionem beati Francisci (quae per ardua tendit) ingressus, tantum sedula lectione, et assidua oratione profecit, ut cum Sapiente merito dicere posset: *Optavi, et datus est mihi sensus.* Illuminatus enim ab eo; qui illuminat omnem sensum, qui lux, via et veritas est et vita, paucorum annorum spatio incredibilem est scientiam consecutus. Nec talentum sibi a Domino creditum sudario alligavit, aut terrae infodit, sed ut sapientissimus dispensator in communem utilitatem convertit. In celebri enim Parisiensi gymnasio cathedram rexit, ubi abscondita Scripturarum enucleans, non solum viva voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum, tum in sacris literis, tum in majoribus scientiis, monimenta reliquit, quae essent omni tempore posteris profutura“ [1].

Amplioribus tamen praeconiis Bonaventurae doctrinam extulit Sixtus V in Apostolicis Literis, quibus „eundem praecipuis et primariis Doctoribus, qui theologicae facultatis magisterio Ecclesiam illustrarunt, accensendum decrevit“ [2]. „Ad hanc vero,“ ita Summus Pontifex, „eximiam vitae sanctitatem Vir Dei magnam praestantis doctrinae laudem adjunxit, Deo ita disponente, ut ad ejus gloriam, et Ecclesiae utilitatem, non solum exemplo, sed verbo et eruditione magnopere proficeret. Itaque cum in sacrarum literarum studio, sanctorum Patrum lectione, et Scholasticae Theologiae disciplina, Alexandro de Ales magistro, insigni illius aetatis Theologo, diligentissime versaretur, brevi temporis spatio, excellentis ingenii assiduo labore, et, quod caput est, gratia Spiritus sancti, qui vas aureum in honorem electum omni ex parte formabat, tantos progressus fecit, et ad tantam doctrinae perfectionem pervenit, ut Doctoris et Magistri insignibus in celeberrimo Parisiensi gymnasio solemni more decoratus, sacram Theologiam ibidem professus sit. Tantam vero laudem in interpretandi munere, et universae Theologiae scientia est consecutus, ut viri doctissimi ejus doctrinam et eruditionem admirarentur. Et quidem multiplices sancti Viri lucubrationes, et praeclara scripta, quae adhuc magna Ecclesiae utilitate, et non mediocri Dei beneficio exstant, quaeque et nostrae, et superiorum aetatum viri eruditi multo cum fructu semper legerunt, et magnopere comprobarunt, quantus ille in Theologia fuerit, satis declarant. Ea enim divini ingenii sui monumenta posteris reliquit, quibus perdifficiles, et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, vi et ordine, enucleate et dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium inflammantur. Fuit enim in sancto Bonaventura id praecipuum et singulare, ut non solum argumentandi subtilitate, docendi facilitate, definiendi solertia praestaret, sed divina quadam animos permovendi vi excelleret: sic enim scribendo, cum summa eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut lectorem docendo moveat, et in intimos animi recessus illabatur, ac denique seraphicis quibusdam aculeis cor compungat, et mira devotionis dulcedine perfundat: quam sane gratiam in ejus ore et calamo diffusam admirans praedecessor noster Sixtus IV Pontifex, illud dicere non dubitavit: *Spiritum sanctum in eo locutum videri.*“

Et inferius: „Hac nostra perpetuo valitura Constitutione doctrinam ipsius S. Bonaventurae a supradictis praedecessoribus nostris Clemente IV, Gregorio X et Sixto IV laudatam, in Concilio Lugdunensi maxime spectatam, in Florentino etiam ad res difficiles explicandas adhibitam, gravissimorum Virorum auctoritate testatam et commendatam, et eximio Ecclesiae Doctore dignam, nos quoque plurimum in Domino laudamus et commendamus“ [3].

Licet porro in omnibus Bonaventurae libris singularis doctrinae praestantia eluceat, prae ceteris tamen, sapientum omnium judicio, duo Opuscula eminent, *Breviloquium* nempe, et *Itinerarium mentis in Deum;* scholasticae primum, mysticae alterum Theologiae exemplar celeberrimum. Siquidem de iis praecitatus Gerson scribere haud dubitavit: „Sicut apud Grammaticos Donatus de partibus orationis, et apud Logicos

[1] Apud Wadding, *ibid. ad ann. 1482.*

[2] In Officio, Lect. VI. [3] Apud Wadd., *ibid.*

Summulae Petri Hispani traduntur ab initio novis discipulis ad memoriter recolendum; sic apud Theologos discipulos *Breviloquium Bonaventurae*, quod incipit: *Flecto genua mea*, videretur salubriter imponendum, juncto *Itinerario* suo *mentis in Deum*, quod incipit: *In principio primum principium*. Itaque laus omnis inferior est his duobus Opusculis, quorum vim agnoscere etiam sola credulitate non parvus est profectus“ [1].

Et alibi: „Cujus Opuscula duo tanta sunt arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil, *Breviloquium* noto et *Itinerarium*, in quibus processum est duabus viis cognoscendi Deum. Primus namque horum duorum Tractatuum procedit a primo principio, quod Deus est, usque ad alias veritates sub Deo creditas et habitas. Alius e contra progreditur a creaturis ad Creatorem per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus. Qui licet sint difficiliores et rariores, debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam Theologia talis mystica proprie est Christianorum . . . Confiteor itaque et ego in insipientia mea, . . . quod a triginta annis et amplius circa volui habere familiares mihi praedictos Tractatulos, saepe legendo, saepe ruminando, etiam usque ad verba, nedum sententias. Et ecce hac aetate, hoc otio, velut ad votum, vix perveni ad initium gustus eorumdem“ [2].

Ex hisce duobus autem *Breviloquium*, ut ex ipso nomine patet, Theologiam universam summatim perstringit. Verum de ratione hujus admirabilis libri ipse audiatur Seraphicus, qui in Prooemio his verbis eam patefacit: „Quia haec doctrina tam in scriptis Sanctorum, quam etiam Doctorum, sic diffuse tradita est, ut ab accedentibus ad Scripturam sacram audiendam non possit per longa tempora videri, nec audiri, propter quod etiam novi theologi frequenter ipsam Scripturam sacram exhorrent tamquam incertam et inordinatam, et tamquam silvam opacam; rogatus a sociis, ut de paupertaticula scientiolae nostrae aliquid breve in summa dicerem de veritate Theologiae, eorumque precibus devictus, assensi *Breviloquium* quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis opportuna ad tenendum breviter tangerentur, addens simul cum hoc rationem aliquam ad intelligendum, secundum quod occurrebat pro tempore. Quia vero Theologia sermo est de Deo et de primo principio, utpote quia ipsa, tamquam scientia et doctrina altissima, omnia resolvit in Deum, tamquam in principium primum et summum; ideo in assignatione rationum in omnibus, quae in hoc toto opusculo vel tractatulo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem veritatem sacrae Scripturae esse a Deo, et de Deo, et secundum Deum, et propter Deum, ut merito ista scientia appareat una esse et ordinata, et Theologia non immerito nuncupata“ [3].

Quae quidem Seraphici Doctoris verba perpendens cl. P. Bernardinus a Portu Romatino, quinque abhinc annis [4] Minister Generalis totius Ordinis Minorum a Summo Pontifice Pio IX renuntiatus, cum adhuc, qua Minister, Provinciam Reformatam Venetam regeret, *Breviloquium* novitiis theologis explanandum tradidit, talesque retulit fructus, ut jam et per alias Ordinis Provincias, laudabili aemulatione, studium Seraphici Doctoris late divulgatum sit.

Ad majorem tamen discipulorum profectum, experientiâ teste, visum nobis fuit quamplurimum conferre, si obscura quaedam, vel nimium contracta, in quibus lector passim offendit, ab ipso Bonaventura illustrarentur, et copiosius exponerentur. Huic scopo ejus doctrinam, per plures dispersam libros, suis locis vel transcripsimus, vel saltem fideliter citavimus, ut ad copiosissimum fontem suo quisque lubitu eam haurire valeret.

Utilissimum praeterea duximus, si iis quoque, qui vel acri ingenio minime praestant, vel etiam multis distracti curis, in libris sancti Doctoris sedulo ac serio evolvendis dare operam nequeunt, mirabilis ac prorsus singularis *Breviloquii* ordo ac nexus primo, ut ita dicam, intuitu pateret. Ad quod assequendum nihil magis prodesse arbitrati sumus, quam si in totidem Tabulas, non modo singulae partes, in quas integer liber dispertitur, imo etiam quodlibet caput distribueretur; quod quidem quantum tironibus ipsis contulerit, ut et ordinate et facilius doctrinam memoriae mandarent mandatamque tenacius retinerent, nos ipsi experti sumus. Ad quas tamen Tabulas perficiendas, quo mentis conatu ac industria opus fuerit, nemini persuasum fore putamus, qui ad id operis animum non intenderit. Ad haec, summam brevissimam singulis capitibus praemisimus, ut theses in ipsis contentae distinctius discernerentur. Et demum, ne quid ad studiosorum utilitatem desideraretur, suis locis tum auctoritates Conciliorum et Romanorum Pontificum ad dogmata contra errores confirmanda retulimus, tum etiam quaestiones adiaphoras, ad ipsa dogmata spectantes, indicavimus.

Si quid igitur, quod quam exiguum sit minime nos latet, commendatione dignum hoc in opere invenietur, quod pro modulo tenuitatis nostrae, auspicatissimam nacti occasionem, qua sextus a pretiosissimo S. Doctoris obitu annus centenarius recurrit, ad majorem Dei gloriam, ad nostri in scholastica palaestra Ducis doctrinae incrementum, et ad Ordinis nostri alumnorum profectum elucubrandum suscepimus, benigno excipiatur favore, ita ut, si non opus, saltem probetur intentio.

[1] Tract. de Examinat. Doctrin. part. I. [2] Ibid. in Epist. de libris legendis a Religiosis.
[3] § 7 in fine. [4] Prima editio an. 1874 prodiit.

Faxit Deus, ut, quod erat in votis Summo Pontifici Sixto V[1], Franciscanus Ordo hujus eximii Doctoris Theologiam aliquando amplectatur; „haberemus utique optimum studii theologici ducem, qui et mentem simul illustraret, et inflammaret voluntatem“ [2].

Interim nobis liceat ad Ordinis nostri studiosam juventutem verba convertere eamque adhortari, ut nocturna diurnaque manu „vere seraphicam Bonaventurae doctrinam“ evolvat, „quae dignitatem, splendorem, amplitudinem, salutares fructus uberrimasque utilitates Reipublicae Christianae est allatura. Quandoquidem per eam discent Artium Lectores ad Theologiam easdem reducere, Poëtae sacra pangere, a visibilibus Philosophi ad invisibilia conscendere, morum Magistri probatiora et tutiora sectari; Theologi quoque solidiora tradere, orthodoxa Polemici dogmata propugnare, veram Mystici viam ad sapientiam tenere, Ascetae divina contemplari, Historici ad coaevos recurrere, sacrarum Litterarum Interpretes ad penitiora earum sensa pervadere, sancti Evangelii Praecones animarum lucra quaerere absque vanis verborum phaleris, nec umbras falsae gloriae consectari. Edocebuntur Confessarii suo munere sancte perfungi, Minoriticae Regulae Expositores exegesi omnium optimae insistere, Apologistae sua, posito supercilio, ac ea qua decet modestia tueri, Superiores rite praeesse, Inferiores prompte obtemperare, Juniores salubriorem disciplinam amplecti, Provectiores ad perfectiora contendere, ac quotquot institutionem cupiunt mentis et cordis, indivulse adhaerere Doctori Seraphico, qui nedum intellectum illuminet, sed et affectum inflammet“ [3].

Ceterum in hac editione tertiam Tubingensem a cl. Doctore Hefele, modo Rottemburgensi Episcopo, an. MDCCCLXI publici juris factam plerumque sumus secuti, cui tamen varias adjecimus lectiones, quas nos ipsi ex vetustissima Breviloquii editione an. MCCCCLXXXIV sine loco impressionis in hunc usum collegimus.

Elenchus tum Codicum Monacensium, tum editionum veterum ad tertiam Tubingensem editionem curandam collatarum.

A — Cod. Monac. 22273 sive Windberg. 73., membr. Saec. XIII. 4. min. fol. 1—40.
B — Cod. Monac. 16067 sive San-Nicolit. 67., membr. Saec. XIV. 4. min. fol. 1—54.
C — Cod. Monac. 9659 sive Oberaltac. 159., membr. Saec. XIV. 4. min. fol. 23—74.
D — Cod. Monac. 2633 sive Aldersbac. 103., membr. Saec. XIV. 8. fol. 1—49.
E — Cod. Monac. 2649 sive Aldersbac. 119., membr. Saec. XV. 8. fol. 74—145.
F — Cod. Monac. 2694 sive Aldersbac. 164., membr. Saec. XIV. 4. fol. 1—94[b].
G — Cod. Monac. 14827 sive Rat. S. Emmeram. 1. [b]., nov. sign. 827, membr. Saec. XIV. 8. fol. 221—275.
H — Cod. Monac. 13102 sive Rat. civ. 102, olim Prüflingensis, membr. Saec. XIV. (an. 1384) 4. fol. 111—166.
K — Cod. Monac. 18652 sive Tegerns. 652, chart. Saec. XV. 4. fol. 23—149[b].

Signa editionum veterum.

ed. Arg. — editio Argentoratensis s. Eggestcyn, s. l. et a. fol.
ed. Arg. 1479 — ed. Argent. Martini Flach.
ed. Aug. — Augustana Antonii Sorg, s. l. et a. fol.
ed. Nor. — Norimbergensis s. Sensenschmid, 1472, fol.
ed. Ven. — Veneta anni 1477 impensis Joannis de Colonia etc. 4.
ed. Rom. — Romana anni 1596 ex typographia Vaticana, fol.

[1] „Ut seraphici Doctoris eruditio ad multorum utilitatem latius diffundatur, et ex ejus libris et operibus eruditi et studiosi viri copiosiores suavioresque in dies fructus capiant . . . in hac alma Urbe nostra in hac Basilica Ss. XII Apostolorum S. Bonaventurae nomine collegium instituimus, in quo ex hujus praecipue eximii devotique Doctoris operibus et commentariis sacra Theologia publice explicetur.“ Sixtus V in Bulla *Triumphantis Ecclesiae*, 14 martii 1588. — „In hujusmodi collegio, tamquam uberrimo divinae legis seminario, sacrae Theologiae seraphici eximii Doctoris S. Bonaventurae tantum studiis insistere, et operam suam navare, atque in quatuor sententiarum libris ejusdem S. Bonaventurae, quem inter praecipuos S. Ecclesiae Doctores adscribendum et ornandum per specialem nostram Constitutionem declaravimus, continue proficere studeant.“ Idem Pontifex in Constitut. *Ineffabilis*, 18 decembris 1588. — „Unus enim ipse Sanctus, ob singularem doctrinam ac sententiarum dignitatem, quibus pleni sunt ejus libri, abunde sufficiet, ut ex ejus lectione librorum in summum quisque theologum possit evadere.“ Cardinalis Alexander de Monte-Alto, in *Constit. Colleg. S. Bonav. de Urbe, n. 8,* ab eodem S. Pontifice die 13 aprilis 1589 approbatis.

[2] P. Alexand. de Burgo, Min. Conv. Episc. Catan. *Instit. Theolog. Syntagm. diss. 2. cap. 1. pag. 109—110.*

[3] P. Bened. a Cavalesio, *in Epistola Dedicat. Prodromi ad Opera S. Bonav.*

Praefatio Auctoris secundae editioni.

Septimus vix inchoatur annus, ex quo *Breviloquium Seraphici Doctoris S. Bonaventurae, adjectis illustrationibus ex aliis operibus ejusdem S. Doctoris depromptis, tabulis et appendicibus,* Venetiis ex typographaeo Aemiliano editum primo fuit. Quo autem favore, statim ac in lucem prodiit, non modo in Italia, verum etiam extra ejus fines, fuerit exceptum, tum epistolae gratulatoriae, sive ab Episcopis, sive ab aliis scientiâ vel dignitate praestantissimis viris ad Auctorem datae, tum etiam elogia in ephemeridibus passim vulgata [1], tum potissimum rapida editionis absolutio, satis superque testantur. Quum proinde nec ullum prostaret amplius venale exemplar, et altera a multis expeteretur editio, ad eam adornandam manum admovere non detrectavimus; nullique pepercimus curae, ut ipsa et locupletior evaderet, et usui scholae magis magisque accommodaretur [2]. Hinc iterum ac tertio opera theologica S. Doctoris perlustravimus, ut novas ex iis illustrationes in priori editione vel omissas, vel tantum citatas, depromeremus, suis locis inserendas. Praeterea ex recentioribus pontificiis documentis ea, quae magis ad rem nobis videbantur, retulimus; et nonnullas quoque appendices vel elucidavimus, vel etiam ex integro adjecimus. Ad haec, praeter indicem rerum, quem edito copiosiorem dabimus, duos alios ad majorem studiosorum utilitatem addidimus, in quorum primo sacrae Scripturae, in altero operum S. Doctoris loca, ex quibus citationes depromuntur, fideliter indicantur. Quae cum ita sint, Theodoreti verba usurpare nobis liceat: „Laborem suscepimus lectoribus, ut arbitramur, haud inutilem: quamobrem eos, qui sine labore laborum nostrorum fructum sunt percepturi, rogatos volumus, ut nobis pro laboribus nostris orationes ac preces impertiant suas“ [3].

Haec autem altera editio jam imprimi coeperat, cum S. P. Leo XIII, quem Deus ad Ecclesiae de-

---

[1] Quum nimium esset ea ex integro referre, eorum citationes, quae nobis innotescunt, recensere sufficiat. Sunt autem: *Civiltà Cattolica,* quae Florentiae editur, ser. IX, vol. II, pag. 594; vol. III, pagg. 324. 592; — *Voce della Verità,* Romae, mense julii an. 1874 passim; — *Memorie per gli Atti dell' Accademia dell' Immacolata,* Romae, an. 1874, pagg. 329—330 in nota; — *Il Papato,* Romae, an. I, vol. IV, pag. 199 et alibi passim; — *Scuola Cattolica,* Mediolani, an. II, vol. IV, pag. 30; — *Veneto Cattolico,* Venetiis, an. VIII, n. 80, 11 aprilis, et n. 150, 9 julii 1874; — *Unità Cattolica,* Augustae Taurinorum, n. 77, 1 aprilis 1874; — *Opuscoli religiosi, letterarii e morali,* Mutinae, ser. III, tom. X, pagg. 140—143; — *Foglietto di Vicenza,* Vicetiae, an. V, n. 16, 19 aprilis, et n. 29, 19 julii an. 1874; — *Riposo domenicale,* Veronae, an. III, n. 12, 11 februarii, et n. 34, 29 aprilis 1874; — *Vessillo Cattolico,* Mantuae, an. III, n. 144, 16 julii 1874; — *Eco di S. Francesco,* Neapoli, an. II, pagg. 345—346; — *Eco del Litorale, Goritiae,* n. 51, 24 junii 1880; *Journal de Florence,* Florentiae, an. IV, n. 178, 7 août, et n. 181, 11 août 1874; — *Salzburger Kirchenblatt,* Salisburgi, 6 augusti 1874, et 18 novembris 1880; — *Litterarischer Handweiser,* Monasterii in Vestphalia, an. XIII, n. 153, 26 junii 1874; — Jeiler, *Der hl. Bonaventura etc. in seinem Leben und Wirken etc.,* 1874, Paderborn, pag. 28; — P. Gaudentius, *Beiträge zur Kirchengeschichte des XVI und XVII Jahrhunderts etc.,* 1880, Bozen, vol. I, pag. 37 in nota.

[2] Ad augendum fovendumque Bonaventurianae doctrinae studium, quod, Deo favente, nunc effervet, et praecipue in usum studiosae juventutis nostri Ordinis, confratre ac in theologicis disciplinis nostro olim discipulo opem nobis sedulo ferente, **Lexicon Bonaventurianum** confecimus, quod hoc eodem anno Venetiis ex typis item Aemilianis ita inscriptum prodiit: *Lexicon Bonaventurianum philosophico-theologicum, in quo termini theologici, distinctiones et effata praecipua Scholasticorum a Seraphico Doctore declarantur, opera et studio PP. Antonii Mariae a Vicetia, Ministri Provinc., et Joannis a Rubino, Lect. Theol. Minorum Reformat. Provinciae Venetae lucubratum. Venetiis, ex typographia Aemiliana, MDCCCLXXX,* 8°. magn. pag. 340.

[3] *Epist. dedicat. Exposit. Cantic. Canticorum.*

cus et tutamen diu incolumem servet, ad philosophiam scholasticam ubique instaurandam sub die IV augusti anni proxime elapsi MDCCCLXXIX celeberrimam Epistolam Encyclicam *Aeterni Patris* ad Episcopos universos catholici orbis dedit. Gravissimum hoc documentum, in quo a supremo fidei morumque Magistro Doctores scholastici amplissimis praeconiis commendantur, magnum cedere in honorem etiam Seraphici nostri Doctoris, atque tot tantisque Summorum Pontificum judiciis in commendationem Bonaventurianae doctrinae veluti cumulum accessisse, omnibus perspicuum esse debet. Siquidem neminem latet Seraphicum nostrum Doctorem S. Bonaventuram, una cum S. Thoma Aquinate, cum quo (S. P. Sixto V testante) „tam multa virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorum conjunctio intercessit“ [1], ex Apostolicae Sedis oraculo, inter Scholasticos Doctores principatum obtinere. „Hi enim, ut ait idem Pontifex, sunt duae olivae et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae luce totam Ecclesiam collustrant; hi singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duae stellae exorientes, ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis prodierunt, quae sanctae Ecclesiae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores et pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili et bene culto solo quotidie per Dei gratiam fecundae et fructuosae plantae procreantur, hoc est viri doctrinae et sanctitate praestantes, qui Petri naviculae tot fluctibus agitatae, et Romano Pontifici, ejus clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem et fidelem operam navant. Hi duo Sancti, cum essent coaevi iisdemque studiis dediti, condiscipuli, simul magistri, pari ratione a Gregorio decimo summo Pontifice, cum ambo ad Concilium evocarentur, honorati, et in hujus vitae peregrinatione fraterna caritate, spirituali familiaritate, sanctorum laborum societate valde conjuncti fuerunt; et denique pari gressu ad caelestem patriam commigrantes, pariter felices et gloriosi illa sempiterna beatitudine perfruuntur, ubi eodem caritatis affectu, ut pie credimus, pro nobis in hac lacrymarum valle laborantibus orant divinamque opem implorant, ut merito Sixtus IV hos duos Sanctos persimiles et quasi geminos in Christo fratres agnoscens, statuerit sanctum Bonaventuram consimili venerationis et honoris praerogativa atque S. Thomam decorandum esse“ [2].

Quod quidem praeclarissimum elogium Leo XIII in praecitata Epistola Encyclica ratum habuit ac expresse confirmavit sequentibus verbis: „Mediae aetatis Doctores, quos Scholasticos vocant, magnae molis opus aggressi sunt, nimirum segetes doctrinae fecundas et uberes, amplissimis sanctorum Patrum voluminibus diffusas, diligenter congerere, congestasque uno velut loco condere, in posterorum usum et commoditatem. Quae autem scholasticae disciplinae sit origo, indoles et excellentia, juvat hîc, Venerabiles Fratres, verbis sapientissimi viri, Praedecessoris Nostri, Sixti V fusius aperire. — Divino Illius munere, qui solus dat spiritum scientiae et sapientiae et intellectus, quique Ecclesiam suam per saeculorum aetates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis praesidiis instruit, inventa est a majoribus nostris sapientissimis viris Theologia scholastica, quam duo potissimum gloriosi Doctores, angelicus S. Thomas et seraphicus S. Bonaventura, clarissimi hujus facultatis professores, . . . excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus et vigiliis excoluerunt atque ornarunt eamque optime dispositam multisque modis praeclare explicatam posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiae cognitio et exercitatio, quae ab uberrimis divinarum Litterarum, summorum Pontificum, sanctorum Patrum et Conciliorum fontibus dimanat, semper certe maximum Ecclesiae adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas ipsas vere et sane intelligendas et interpretandas, sive ad Patres securius et utilius perlegendos et explicandos, sive ad varios errores et haereses detegendas et refellendas: his vero novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, et homines blasphemi, superbi, seductores proficiunt in pejus, errantes et alios in errorem mittentes, sanae catholicae fidei dogmatibus confirmandis et haeresibus confutandis pernecessaria est. — Quae verba quamvis Theologiam scholasticam dumtaxat complecti videantur, tamen esse quoque de philosophia ejusque laudibus accipienda perspicitur. Siquidem praeclarae dotes, quae Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosam, nimirum, ut idem Pontifex addit, — apta illa et inter se nexa rerum et causarum cohaerentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illae dilucidae de-

[1] *Litter. Decret. 14 martii 1588.* [2] Idem *ibid.*

finitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et acutissimae disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, haereticorum mendacia multis praestigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta patefiunt et denudantur, — praeclarae, inquimus, et mirabiles istae dotes unice a recto usu repetendae sunt ejus philosophiae, quam magistri scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt. Praeterea cum illud sit scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, profecto Theologia, in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem philosophiam adhibuissent."

Ceterum benevolum lectorem verbis Seraphici nostri Doctoris obsecramus, „ut si quid aliquid in hoc opusculo invenerit approbatione dignum, agat gratias Deo largitori bonorum. In aliis vero locis, ut invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et communia dicere concupivit" [1].

---

[1] *2. dist. 44. a. 3. q. 2 ad 6.*

INDEX I

CAPITULORUM.

pag.

Praefatio primae editioni praemissa v

Praefatio auctoris secundae editioni x

Prooemium.

§ 1. De ortu, progressu et statu sacrae Scripturae . . . 1
§ 2. De latitudine sacrae Scripturae 5
§ 3. De longitudine sacrae Scripturae 8
§ 4. De sublimitate sacrae Scripturae 11
§ 5. De profunditate sacrae Scripturae 12
§ 6. De modo procedendi ipsius sacrae Scripturae . . . 18
§ 7. De modo exponendi sacram Scripturam 21
Prooemium in tabulas distributum 26

Prima pars,

in qua de Trinitate Dei agitur.

Cap. I. De illis septem, de quibus est Theologia in summa 33
Cap. II. Quid tenendum de Trinitate personarum et unitate essentiae 39
Cap. III. De istius fidei intelligentia sana 53
Cap. IV. De istius fidei expressione catholica 60
Cap. V. De unitate divinae naturae in multiformitate apparitionum 68
Cap. VI. De unitate divinae naturae in multiplicitate appropriatorum 72
Cap. VII. De omnipotentia Dei 75
Cap. VIII. De Dei sapientia, praedestinatione et praescientia 78
Cap. IX. De voluntate Dei et providentia 90
Pars prima in tabulas distributa 102

Secunda pars,

in qua de creatura mundi agitur.

Cap. I. De productione mundi totalis 109
Cap. II. De natura corporali, quantum ad fieri 114
Cap. III. De natura corporali, quantum ad esse . . . 120
Cap. IV. De natura corporali, quantum ad operari et influere 121
Cap. V. De modo describendi praedicta in sacra Scriptura 124
Cap. VI. De productione supernorum spirituum . . . 128
Cap. VII. De apostasia daemonum 131
Cap. VIII. De confirmatione bonorum angelorum . . . 139
Cap. IX. De productione hominis, quantum ad spiritum 147
Cap. X. De productione hominis, quantum ad corpus . 161
Cap. XI. De productione hominis, quantum ad totum conjunctum 165
Cap. XII. De completione et ordinatione totius mundi consummati 175
Pars secunda in tabulas distributa 181

Tertia pars,

in qua de corruptela peccati igitur.

Cap. I. De origine mali in communi 190
Cap. II. De primorum parentum tentatione 195
Cap. III. De primorum parentum transgressione . . . 198
Cap. IV. De primorum parentum punitione 200
Cap. V. De originalis peccati corruptione 203
Cap. VI. De originalis peccati transfusione 208
Cap. VII. De originalis peccati curatione 213
Cap. VIII. De origine peccatorum actualium 218
Cap. IX. De origine et distinctione capitalium peccatorum 225
Cap. X. De origine et qualitate poenalium peccatorum . 229
Cap. XI. De origine peccatorum finalium, quae sunt peccata in Spiritum sanctum 233
Pars tertia in tabulas distributa 238

Quarta pars,

in qua de incarnatione Verbi agitur.

pag.

Cap. I. De ratione, qua decuit Verbum Dei incarnari . 243
Cap. II. De incarnatione Verbi, quantum ad unionem naturarum 249
Cap. III. De incarnatione, quantum ad modum 257
Cap. IV. De incarnatione, quantum ad plenitudinem temporum 263
Cap. V. De plenitudine gratiae Christi, quantum ad charismata in affectu 269
Cap. VI. De plenitudine sapientiae Christi in intellectu 275
Cap. VII. De plenitudine meriti Christi in effectu . . . 278
Cap. VIII. De passione Christi, in quantum ad statum patientis 282
Cap. IX. De passione Christi, quantum ad modum patiendi 288
Cap. X. De passione Christi, quantum ad exitum passionis 297
Pars quarta in tabulas distributa 304

Quinta pars,

in qua de gratia Spiritus sancti agitur.

Cap. I. De gratia, in quantum est donum divinitus datum 309
Cap. II. De gratia, in quantum juvat ad bonum meritorium 315
Cap. III. De gratia, in quantum est remedium peccati . 329
Cap. IV. De ramificatione gratiae in habitus virtutum . 339
Cap. V. De ramificatione gratiae in habitus donorum . . 356
Cap. VI. De ramificatione gratiae in habitus beatitudinum, et per consequens fructuum et sensuum . . 372
Cap. VII. De exercitio gratiae respectu credendorum . 383
Cap. VIII. De exercitio gratiae respectu diligendorum . 398
Cap. IX. De exercitio gratiae respectu agendorum, praeceptorum et consiliorum 412
Cap. X. De exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum 434
Pars quinta in tabulas distributa 445

Sexta pars,

in qua de medicina sacramentali agitur.

Cap. I. De sacramentorum origine 452
Cap. II. De sacramentorum variatione 456
Cap. III. De sacramentorum numero et distinctione . . 463
Cap. IV. De sacramentorum institutione 467
Cap. V. De sacramentorum dispensatione 475
Cap. VI. De sacramentorum iteratione 483
Cap. VII. De integritate baptismi 486
Cap. VIII. De integritate confirmationis 501
Cap. IX. De integritate eucharistiae 505
Cap. X. De integritate poenitentiae 531
Cap. XI. De integritate unctionis extremae 553
Cap. XII. De integritate ordinis 557
Cap. XIII. De integritate matrimonii 575
Pars sexta in tabulas distributa 605

Septima pars,

in qua tractatur de statu finalis judicii.

Cap. I. De judicio in communi 614
Cap. II. De antecedentibus ad judicium, cujusmodi est poena purgatoria 620
Cap. III. De antecedentibus ad judicium, cujusmodi sunt suffragia ecclesiastica 625
Cap. IV. De concomitantibus judicium, sicut est conflagratio ignium 629
Cap. V. De concomitantibus judicium, sicut est resurrectio corporum 633
Cap. VI. De consequentibus ad judicium, scilicet de igne infernali 640
Cap. VII. De consequentibus ad judicium, scilicet gloria paradisi 649
Pars septima in tabulas distributa 671
Gradus scalares perfectionis in spiritu rationali ex Breviloquio deprompti 676
Tabula generalissima totius Theologiae ex Breviloquio deprompta 677

SANCTI BONAVENTURAE

ORD. MIN. EP. CARD. ET ECCL. DOCT. SERAPH.

BREVILOQUIUM.

Breviloquium, quod ex eo appellatur, quia summatim ac breviter Theologiae instituta ac praecepta exponit, in prooemium et tractatum dividitur. Prooemium sacrae Scripturae ortum, progressum, statum, latitudinem, longitudinem, sublimitatem, profunditatem, procedendi eamque interpretandi modum demonstrat. Tractatus vero septem partibus continetur: prima est de Deo trino et uno: secunda de creatura mundi: tertia de corruptela peccati: quarta de Incarnatione Verbi: quinta de gratia Spiritus Sancti: sexta de Sacramentorum disciplina: septima denique de statu finalis iudicii. Materia primae partis tractatur a Magistro in I libro sententiarum: secundae et tertiae in II: quartae in III: quintae partim in II, et partim in III: sextae vero et septimae in IV.

(Edit. Rom.)

PROOEMIUM. [a]

a) Prologus, Edit.an.1484.

§ 1. De ortu, progressu et statu sacrae Scripturae.

(Sacra Scriptura oritur ex divina revelatione — secundum influentiam Trinitatis. — Ejus notitia non habetur nisi mediante fide in Christum: — ejus progressus non est coarctatus ad leges aliarum scientiarum: dat homini viatori notitiam rerum sufficientem ad salutem: — procedit secundum exigentiam humanae capacitatis: — ejus fructus est aeterna felicitas; — et hoc fine est perscrutanda, — ad Patrem luminum cum mera fide accedendo.)

Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum [b]*; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (Ephes. 3, 14—19).* Magnus Doctor gentium et praedicator veritatis, divino repletus spiritu, tamquam vas electum et sanctificatum, in hoc verbo aperit sacrae Scripturae, quae *Theologia* dicitur, *ortum, progressum* et *statum;* insinuans *ortum* Scripturae attendi secundum influentiam beatissimae Trinitatis, progressum autem secundum exigentiam humanae capacitatis, *statum* vero, sive fructum, secundum superabundantiam superplenissimae felicitatis.

b) Profunditas ibid.

Ortus namque non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem (I), quae fluit *a Patre luminum (Jacob. 1, 17)* [c], *ex quo omnis paternitas in caelo*

c) Lucis, ibid.

(I) Idipsum adstruitur a Concilio Vaticano, *const. dogm. de fide cath. cap. 2,* sequentibus verbis: „Eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (Rom. 1, 20)*: attamen placuisse eius sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo *(Hebr. 1, 1—2)*: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Huic

et in terra nominatur (Ephes. 3, 15), a quo per Filium ejus Jesum Christum manat in nos Spiritus sanctus; et per Spiritum sanctum dividentem et distribuentem dona singulis, sicut vult *(1. Cor. 12, 11),* datur fides *(Ibid. 9),* et per fidem habitat Christus in cordibus nostris *(Ibid. 3, 17).* Haec est notitia Jesu Christi, ex qua [d] originaliter manat firmitas et intelligentia totius Scripturae sacrae [e]. Unde et [f] impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tamquam [g] totius Scripturae lucernam et januam et etiam fundamentum [1]. Est enim ipsa [h] fides omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu peregrinamur a Domino, et fundamentum stabiliens, et lucerna dirigens, et ianua introducens; secundum cujus etiam [i] mensuram necesse [j] est mensurari sapientiam nobis divinitus datam, ne quis sapiat *plus quam oportet sapere, sed* [k] *ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei (Rom. 12, 3).* Mediante igitur hac fide, datur nobis notitia sacrae Scripturae, secundum influentiam beatissimae Trinitatis [2] [l] (II), juxta quod expresse insinuat Apostolus in prima parte auctoritatis prius inductae.

Progressus autem sacrae Scripturae non est coarctatus ad leges ratiocinationum [m], definitionum et divisionum, juxta morem aliarum scientiarum, et non est coarctatus ad partem universitatis; sed potius, cum secundum lumen supernaturale procedat, ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ei ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam quasi in quadam summa, in qua [n] attenditur *latitudo;* describit decursum, in quo attenditur *longitudo;* describit excellentiam finaliter salvandorum, in quo attenditur *sublimitas;* describit miseriam damnandorum [o], in quo *profunditas* consistit, non solum ipsius universi, verum etiam divini judicii. Et sic describit totum [p] universum, quantum tamen [q] expedit de ipso habere homini [r] notitiam ad salutem, secundum ipsius latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum [s] [3]. Ipsa etiam habet in suo progressu [t] haec quatuor, secundum quod posterius declarabitur, quia sic exigebat conditio capacitatis humanae, quae magna et multa nata est magnifice et multipliciter [u] capere, tamquam speculum quoddam nobilissimum, in quo nata est describi, non solum naturaliter, verum etiam supernaturaliter, rerum universitas mundanarum, ut sic progressus sacrae Scripturae attendatur secundum exigentiam capacitatis humanae.

Status vero, sive fructus, sacrae [v] Scripturae non est quicumque, sed plenitudo aeternae felicitatis [4]. Nam haec est scriptura, in qua verba sunt vitae aeternae [5], quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam, in qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter [x] omnia desideria nostra implebuntur. Quibus impletis, vere tunc sciemus supereminentem scientiae caritatem, et ita impleti erimus in omnem plenitudinem Dei [6]. Ad quam quidem plenitudinem conatur nos divina

d) Ex quo, ibid.
e) Sacrae Scripturae, et infra, fidem Christi ABC DEFHK et editt. Arg. Nor. Ven. Transpositiones ejusmodi in codicibus Monac. et in editionibus istis saepissime reperies.
f) Etiam, ed. an. 1484.
g) Ad fidem codd. Monac. ipsius post tamquam delevi et ante januam addidi etc. Ipsius legitur in ed. an. 1484.
h) Etiam in ipsa, ed. 1484.
i) Etiam omitt. ibid.
j) Etiam, ibid.
k) Codices Monac. omittunt sapiat post sed. * Ita et in ed. 1484
l) Trinitatis beatae BCE FHK, et edd. Nor. Arg. et ed. 1484.
m) Et ante definitionum om. ABCDE FHK et editt. Nor. Arg. et an. 1484.
n) Ita ed. an. 1484. In Tubing. in quo.
o) Damnandorum ABCD HK et editt. Nor. et 1484: damnatorum edit. Rom.
p) Totum om. ed. 1484.
q) Ex ed. 1484.
r) Ex ead. ed. 1484.
s) Profundum ABDEF HK, profunditatem editt. Rom. Ven. et 1484.
t) Processu et infra lin. 18. processus ABCDE FHK et editt. Arg. Nor. Cfr. infra § 4 Not. a.
u) Magistraliter ed. 1484.
v) Sacrae, om. ibid.
x) Utiliter, ibid.

divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; si quidem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (1. Cor. 2, 9).*

(II) Idem Concilium Vaticanum, *ibidem, can. 4,* definivit: „Si quis sacrae Scripturae libros . . . divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.“

introducere Scriptura, iuxta praedictae [y] sententiae Apostolicae veritatem. Hoc igitur fine, hac etiam [z] intentione sacra Scriptura perscrutanda est et docenda et etiam audienda [1]. Et ut ad istum fructum et terminum recto perveniamus progressu, per viam recti itineris Scripturarum, inchoandum est ab exordio, hoc est, ut cum mera [aa] fide ad Patrem luminum accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per Filium suum in Spiritu sancto det nobis veram notitiam Jesu Christi, et cum notitia amorem ejus [bb]; ut sic ipsum cognoscentes et amantes [cc], et tamquam in fide solidati et in caritate radicati, possimus ipsius Scripturae noscere [dd] latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum [ee], et per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam et excessivum [ff] amorem beatissimae Trinitatis, quo Sanctorum desideria tendunt [gg], in quo est status et complementum omnis veri et boni.

y) Praedictam ibid.

z) Etiam om, ABDEG et editt. Arg Aug. Nor.

aa) Mera vel vera, ed. 1484.

bb) Ita codd. Monac. et ed. Nor. ipsius ed. Rom. et 1484.

cc) Et ante tanquam om. ACDFH.

dd) Ita codd. Monac. et editt. Arg. Nor. Alii: scripturae sacrae nosse. Ed. 1484. Scripturae nosse.

ee) Ita codd. Monac. et ed. Nor. Alii: profunditatem.

ff) Post notitiam om. et excellentissimum ACD EFGHK ed. 1484, et excellentissimum.

gg) Tendunt desideria; ed. 1484.

Ad § 1.

[1] „Haec profunda mysteria in Scriptura nullus intelligit nisi per Christum crucifixum et suscitatum, et gentibus per Spiritum sanctum divulgatum; quia de ipso sunt Scripturae, et propter ipsum, et ideo ab eo explicantur.“ *Expos. in cap. 24 Lucae.* „Unde a Christo incipiendum est, ut veniatur ad sapientiam christianam. Cujus probatio est: Quia *nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius (Matth. 11, 27).* Sicut ergo species ducit in cognitionem objecti, ita Verbum, seu Filius, qui est species Patris, ducit in Patris cognitionem. Unde signantissime dicebat Philippus (*Jo. 14, 8*): *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Alia ratio est, quia ab illo incipiendum est, a quo duo maximi inceperunt, Moyses divinae sapientiae inchoator, Joannes divinae sapientiae terminator. Moyses dixit: *In principio creavit Deus caelum et terram (Gen. 1, 1),* id est, in Filio, secundum Augustinum. Joannes vero intonuit (1, 1—3): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt.* Si ergo ad notitiam Creatoris perveniri non potest nisi per id, quod factum est, necesse est, ut ante omnia verbum verax praecedat te. Tertia ratio est, quia in Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi (Coloss. 2, 3).* Ergo Christus est medium omnium scientiarum.“ *Serm. 1. in Hexaëm. in princ.* „Debemus ergo abire ad Christum per incendium compassionis, per exercitium actionis, per documentum eruditionis. Cant. 1, 8: *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, et abi.* Egredere de mundo, et vade ad Deum. Egredere de insipida scientia, et vade ad sapidam scientiam, id est, ad sacram Scripturam, quae proprie sapientia, quasi sapida scientia, nuncupatur.“ *Comment. in Apoc.* cap. 10, n. 705. Supplem. vol. II.

[2] „Est autem omnis Scriptura cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei, liber scriptus foris et intus; unde Psalmus (44, 1): *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* Cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus sanctus. Pater enim loquitur per verbum seu linguam: sed qui complet, et memoriae commendat, est calamus scribae. Scriptura ergo est os Dei. Unde Isaias (31, 1): *Vae qui descenditis in Aegyptum,* scilicet ad saeculares scientias, et os Domini non interrogastis, scilicet sacram Scripturam. Non enim debet ad scientias alias descendere, ut sciat certitudinem, nisi habeat testimonium in monte, scilicet Christi, Heliae, Moysi, hoc est novi testamenti, prophetarum et legis. Item est lingua; unde *(Cant. 4, 11. Ps. 118, 103): Mel et lac sub lingua ejus. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Haec lingua cibos saporat. Unde Scriptura comparatur panibus, qui habent saporem, et reficiunt. Item est calamus Dei, et hoc est Spiritus sanctus; quia sicut scribens potest praesentialiter scribere praeterita, praesentia, futura. Unde est liber scriptus foris, quia habet pulchras historias, et docet rerum proprietates. Scriptus est intus, quia habet mysteria et intelligentias diversas.“ *In Hexaëm. serm. 12,* circ. fin.

[3] „*Ingredere in medio rotarum, quae sunt subtus Cherubim, et imple manus tuas prunis igneis, quae sunt inter Cherubim, et effunde super civitatem (Ezech. 10, 1).* Scripturarum sanctarum pelagus et abyssus etiam se ingerit investigatoribus suis, videlicet primo, sub forma veritatis indubitanter irradiantis: secundo, sub forma caritatis indefectibiliter inflammantis et inebriantis: tertio, sub forma aequitatis irreprehensibiliter judicantis. Cujus ratio est, quoniam in Scriptura traduntur perfecte, primo veritatis documenta, secundo caritatis praecepta, tertio aequitatis judicia. Propter primum vocantur singulariter Scripturae veritatis: Danielis 10, 11: *Annunciabo tibi, quod expressum est in scriptura veritatis.* Propter secundum dicitur Matthaei 22, 40, quod *in duobus mandatis* caritatis *universa lex pendet et prophetae.* Et 1. Timoth. 1, 5 dicitur, quod finis praecepti est caritas. Propter tertium Apoc. 20, 12, quod judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum. Et ad Romanos 2, 12: *Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Et in Scriptura sacra occurrit Christus ut speculum divinae veritatis. Est enim candor lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, prout habetur Sapientiae 7, 26. Ut ferculum divinae bonitatis et felicitatis, juxta illud Psal. (22, 5): *Parasti in conspectu meo mensam, impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians quam praeclarus est!* Ut solium, sive praetorium divinae aequitatis, sive severitatis. Unde Apoc. 4, 5. dicitur, quod *de throno procedebant fulgura et voces et tonitrua.* Ut sic

secundum triplicem vim animae, scilicet rationalem, concupiscibilem et irascibilem, et secundum triplex ejus appetibile, scilicet verum, deliciosum et arduum, in Scriptura sacra proponatur, primo splendor veritatis illuminans rationalem, secundo calor bonitatis satians concupiscibilem, tertio rigor aequitatis sanctae tumorem humilians et sancto zelo erigens vim irascibilem. Et sic triplicis ordinis Hierarchiae supremae, primo splendor Cherubicus, secundo ardor Seraphicus, tertio Thronorum judicialis rigor in Scripturis refulget animo deiformiter. Propter quod in verbo Ezechielis praemisso a principio *vir indutus lineis* a sedente super Cherubim, sicut apocalypsi mysteriali, est tria praefata edoctus. Quoniam sub ingressu medii orbicularis est edoctus perscrutari scientialem sinum, sive sapientiale medium veritatis, in quo consistit christianae sapientiae certitudo. Sub amplexu acervi carbuncularis edoctus est apprehendere morale caritatis praeceptum, et igniculum, in quo consistit christianae legis et gratiae plenitudo. Sub effluxu autem incendii universalis edoctus est explicare universale Dei judicium, in quo consistit divinae justitiae rectitudo. Sicut enim in rotarum medio notatur veritatis inventio; sic in carbonum acervo designatur caritatis accensio, et in civitatis incendio aequitatis effusio. Et in his tribus comprehenditur totalis materia Scripturarum sanctarum, quarum forma specialiter describitur sub figura rotarum: finis vero in triplici actu, scilicet intrandi, implendi et effundendi: causa vero principalis efficiens non solum in praecipiente istos actus, sed in sedente super Cherubim: efficiens vero ministerialis in ipsis Cherubim, per quos designantur Angeli et Prophetae, seu Apostoli Dei sapientia pleni." *De Sac. Script. mater.* §§ 1—5. Supplem. vol. I.

[4] „*Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem (Apoc. 5, 1).* Consideranti mihi Scripturarum sanctarum pelagus infinitum, et impermeabilem abyssum, occurrit liber Joanni ostensus caelitus, secundum quod in verbo proposito, quod scriptum est Apocalypsis quinto, ipse se inspexisse testatur . . . In verbo proposito Scripturarum sanctarum dignitas et excellentia convenienter, quoad sui causam quodruplicem, commendatur. Exprimitur enim in eo perfecte fons Scripturarum sanctarum, sive fontalis ortus et origo; materialis status et conditio; formalis processus, sive progressus, et ordo; finalis fructus et intentio. Ad contemplandam autem Scripturae sacrae fontalem originem innuitur Joanni a *dextera* Dei esse *scriptus;* pro eo quod *in dextera* ejus est visus. Continet enim singulariter divina manus opera propria; quapropter singulariter dicitur esse *in dextera* ejus. Ad intuendum vero materiae suae universalem statum et conditionem, ostenditur *liber scriptus intus et foris,* tamquam omnium interiorum et exteriorum universaliter contentivus. Ad sciendum autem formalem ejus processum et ordinem, monstratur *septem sigillis signatus.* Ad colligendum vero ejus finalem fructum ac finalem intentionem, proponitur non solum ut visus, sed etiam a *dextera sedentis super thronum* plenarie habitus et possessus et profectus. Ex quibus expresse colligitur, quod ejus causa efficiens est dextera Dei, quae non est aliud quam divina virtus et sapientia. Materialis est universalis status rerum omnium interiorum et exteriorum. Formalis vero non est aliud quam mysteriorum divinorum multiformitas figuralis et symbolica. Finalis autem est Dei visio, seu contemplatio possessoria et saporosa; et haec non est aliud quam deiformitas consummata. Est igitur altissima origine; unde est omnis sapientiae et scientiae fontale principium. Latissima capacitate suae materiae; unde est universale, seu integrale totum, veritatis salubris comprehensivum. Formosissima in suo processu et ordine, propter quod est omnis sapientiae exemplar et speculum. Utilissima in suo fructu et fine, et ratione ejus fructuositatis est omnis scientiae finale complementum. Ipsa enim est principium omnis scientiae, et comprehensiva omnis scientiae, et forma et exemplar omnis scientiae, et finis omnis scientiae. Commendatur ergo hic Scriptura ex parte principii, a quo exiit; quia exiit a Deo, tamquam ab Opifice summae ingeniositatis, ut artificium mirificum: tamquam a Largitore summae liberalitatis, ut donum munificum: tamquam a Pugile summae strenuitatis, ut armamentum, seu bellum fortissimum: tamquam ab Imperatore summae auctoritatis, ut edictum imperialissimum: tamquam a Doctore summae sapientiae et veritatis, ut dogma certissimum: tamquam a Pontifice summae sanctitatis et pietatis, ut remedium saluberrimum: tamquam a Judice summae aequitatis, ut judicium rectissimum. Propter tria priora convenienter dicitur esse a Dei *dextera;* opifices enim, largitores et pugiles manu sua operantur. Propter quatuor subsequentia, ab eo qui *sedet super thronum;* nam sedere in cathedra est imperatorum, doctorum, pontificum et judicum. Propter primum excedit operatione et fabricatura omnia humana artificia. Propter secundum excedit pretiositate et exuberantia omnia humana dona. Propter tertium excedit impugnationum et defensionum efficacia omnia humana bella et arma, et omnia bellandi ingenia et exercitia. Propter quartum excedit suarum legum auctoritate omnes alias leges et mandata. Propter quintum excedit sua claritate et certitudine omnes scientias, et scibilia dogmata. Propter sextum excedit sua sinceritate et utilitate omnia humana remedia et medicamenta. Propter septimum excedit sua aequitate omnia humana judicia." *Tract. de S. Script. dign. et excell.* §§ 1—6. Supplem. Vol. II.

[5] „*Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (Luc. 8, 10),* id est, intelligentiam Scripturae, quae regnum Dei dicitur, secundum illud *(Matth. 21, 43): Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Dicitur autem Scriptura regnum Dei, quia ipsum praedicat et ostendit et promittit, et obedientem ipsi ad regnum Dei perducit, secundum illud: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis (Jo. 5, 39—40)".* *Expos. in Luc. cap. 8, v. 10.*

[6] Quomodo sacra Scriptura intellectum et affectum reficiat, et anima in ea quasi in paradiso delectetur, legatur *sermo 17 in Hexaëm.*

[7] „Cum praedicationis officium ex regulari professione Ordini *(Seraphico)* annexum sit, et etiam confessionis, quae notitiam requirunt sacrae Scripturae, quae subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis sacrae Scripturae habere studium et magistros. Haec enim scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem, sed etiam ad propriam

instructionem, ut servus Dei sciat seipsum bene regere, et virtutes a vitiis discernere, et notitiam Dei et futurorum praemiorum clarius intelligere, et in omnibus cautius et fructuosius conversari. Nam et Apostolus *(2. Tim. 3, 15—17)* hortatur Timotheum ad lectionis studium, et Sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione Scripturarum frequenter commendatur. Veritas enim fidei, et vitae sanctitas non aliunde, quam ex Scripturarum fonte hauritur, sine quibus impossibile est quemquam salvari. Haereticorum etiam versutiis, qui in Scripturis sanctis occasionem erroris per falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem investigationem diligentius obviare, et fideles contra illorum fraudes et latentes decipulas praemunire. Unde Hieronymus: „Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ex vitae merito Ecclesiam Christi aedificat, tantum nocet, si destruentibus non resistat.“ Unde Apostolus *(Tit. 1, 9)* dicit: *Potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere etc.“ Determ. quaest. circa Reg. S. Franc. q. 3.*

APPENDIX.

Licet omnes Catholici Theologi divinam inspirationem venerentur, diversimode tamen quoad ejus naturam, modum et extensionem sentiunt.

Siquidem nonnulli omnia, non solum res et sententias, imo etiam singula S. Scripturae verba usque ad minimos apices a Spiritu sancto dictata fuisse dicunt. „Subjectum sanctarum Scripturarum, ait S. Doctor *(Princip. S. Scripturae in init.)*, est subjectum increatum, agens increatum, finis increatus, forma, quae est modus agendi, est stylus Spiritus sancti, stylus inspiratus *(2. Petr. 1, 21): Calamus scribae velociter scribentis (Ps. 44, 2).*“ Verum huic sententiae, quae usque ad saeculum sextumdecimum communis inter Theologos fuit, cuique plura Ss. Patrum loca, teste Calmeto *(Diss. de Inspirat. ad II. Petr. art. 2)*, suffragantur, multa opponi possunt; scilicet, primo, *consueta divinae providentiae ratio,* quae prout in necessariis non deest, ita neque in superfluis abundat; superfluum autem videtur ipsa verba ubique suggerere, ad quae seligenda naturalis scriptoris facultas sufficit. Secundo, *styli varietas,* quae in diversis scriptoribus hagiographis apparet. Tertio, *diversa ratio,* qua eadem res a sacris scriptoribus narratur. Quarto, *major minorve difficultas,* quam in opere suo concinnando expertos se esse ipsi hagiographi scriptores professi sunt, ut ex. gr. auctor *II. lib. Machab. 2, 27.* fatetur his verbis: „Qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus.“

Alii ad inspirationem sufficere putant, si Spiritus sanctus eam scriptoribus assistentiam praebeat, qua in scribendo ab omni errore fiant immunes. Imo nec defuere, qui dicerent satis esse, si Spiritus sanctus nihil falsi in aliquo libro contineri testetur, etsi liber ille humana plane industria, sine ullo Spiritus sancti afflatu, exaratus fuerit. Academiae Lovaniensis et Duacensis has theses, a Lessio et Hamelio S. J. Theologis an. 1586 propositas, damnarunt: „1. Ut aliquid sit Scriptura sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu sancto: 2. Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu sancto ipsi scriptori inspiratae: 3. Liber aliquis (qualis forte est liber secundus Machabaeorum) humana industria, sine assistentia Spiritus sancti, scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra.“ Censuram tamen duarum priorum propositionum, quas alii etiam celebres Theologi propugnarunt, orbis catholicus non acceptavit. Porro inter has sententias media via incedendum esse omnino videtur, praesertim post Concilium Vaticanum, in quo *sess. III. cap. 2.* haec leguntur: „Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii *(Tridentini)* decreto recensentur, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.“

§ 2. De latitudine sacrae Scripturae.

(Sacra Scriptura dividitur in vetus et novum Testamentum, — inter quae est mira conformitas. — Ratio hujus divisionis. — Eorum differentia est timor et amor. — Scriptura est similis fluvio latissimo, qui quo longius percurrit, magis dilatatur.)

Hujus sacrae Scripturae fine concupito et intento, et principio credito simul et invocato, videndus est progressus, quantum ad ipsius *latitudinem, longitudinem, sublimitatem* [a] et *profundum* [b], secundum viam et ordinem Apostolici documenti. Consistit autem ipsius *latitudo* in multitudine suarum partium; *longitudo* vero in descriptione tem-

a) Altitudinem, ed. 1484.

b) Profunditatem, ibid. Cfr. supra § 1. Not. 5.

porum et aetatum; *altitudo* in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum; *profunditas* in multitudine mysticorum sensuum et intelligentiarum.

Si igitur velimus latitudinem sacrae Scripturae speculari, prima fronte occurrit nobis sacra [c] Scriptura secanda in duo testamenta, scilicet in [d] vetus et novum. Vetus autem occurrit cum [e] multitudine librorum; habet enim libros legales, historiales [f], sapientiales et prophetales [g]; ita quod primi sunt quinque, secundi decem, tertii quinque, quarti sunt [h] sex, ac per hoc in universo viginti sex. Novum similiter testamentum habet libros his correspondentes, secundum quadruplicem formam. Nam legalibus correspondent libri evangelici; historialibus actus apostolici; sapientialibus epistolae Apostolorum, et maxime Pauli; prophetalibus correspondet [i] liber Apocalypsis (I); ut sic mira [j] sit conformitas inter vetus et novum testamentum, non solum in continentia sensuum, verum etiam in quadriformitate partium. In cujus figuram et consignationem [k] praevidit [l] Ezechiel rotam quatuor facierum [1], et rotam in medio rotae [2], quia vetus est in novo [3], et e converso *(Ezech. 1—15, seqq.)*. Nam [m] in libris legalibus et evangelicis est facies leonis, propter excellentiam auctoritatis; in historialibus est facies bovis, propter exempla [n] virtutis; in sapientialibus est facies hominis, propter prudentiam sagacem; in libris prophetalibus [o] est facies aquilae, propter intelligentiam perspicacem.

c) Sacra omitt ABDE GHK. d) Ex ed. 1484. e) In, ibid. f) Sapientiales antepon. ibid. g) Prophetiales ibid. h) Sunt omitt. ibid. i) Prophetialibus liber, ibid. j) Sic mira om. ibid. k) Consignificationem ibid. l) Ita, ibid. m) Et ibid. n) Excellentiam ibid. o) Prophetialibus ibid.

Recte autem sacra Scriptura dividitur in vetus et novum testamentum, et non in theoricam et practicam, sicut philosophia; quia cum sacra [p] Scriptura fundetur proprie super cognitionem fidei, quae virtus est et fundamentum morum et justitiae et totius rectae vitae, non potest in ea sequestrari notitia rerum, sive credendorum, a notitia morum. Secus autem est de philosophia, quae non tantum de veritate morum, verum etiam agit de vero nuda speculatione considerato. Quoniam igitur Scriptura sacra est notitia movens ad bonum, et revocans a malo, et hoc est per timorem et amorem; ideo dividitur in duo testamenta, quorum brevis differentia est timor et amor [4]. Et quia quadrupliciter potest quis [q] moveri ad bonum et revocari a malo, scilicet per praecepta potentissimae majestatis, vel per documenta sapientissimae veritatis, vel per exempla et beneficia innocentissimae bonitatis, vel ex his [r] omnibus in unum collectis; ideo tam

p) Sacra omitt. ibid. — Hic et in multis aliis locis om. AB CDEFGHK, et editt. Nor. Ven. q) Aliquis ed. 1484. r) His om. A BCDEFGHK.

(I) . . . „Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti. Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Osea, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit; anathema sit.“ *Concil. Trident. sess. IV.* — „Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.“ *Conc. Vatic. Const. dogm. de fide cath. II. can. 4.*

in novo quam in veteri testamento sunt quadriformiter traditi libri continentes sacram Scripturam, secundum correspondentiam ad quatuor praemissa [5]. Nam libri legales movent per praecepta majestatis omnipotentissimae [6], historiales per exemplum bonitatis innocentissimae, sapientiales per documenta veritatis providentissimae [s], prophetales [t] movent ex omnium praedictorum aggregatione, sicut in eis manifestissime apparet [u]; unde ipsi sunt quasi rememorativi totius legalis sapientiae et doctrinae. Est igitur Scriptura sacra similis fluvio latissimo [7], qui ex concursu aquarum multarum aggregatur magis ac magis, secundum quod longius decurrit. Nam cum primo in Scriptura essent libri legales, postea [v] supervenit aqua sapientiae historialium librorum, tertio vero superadvenit doctrina sapientissimi Salomonis, post hoc etiam doctrina sanctorum Prophetarum, et tandem doctrina Evangelica revelata, per os carnis Christi prolata, per Evangelistas conscripta, per sanctos Apostolos divulgata; additis etiam documentis, quae Spiritus sanctus super eos veniens docuit nos per eos [8] (II), ut sic, omnem veritatem per Spiritum sanctum juxta divinum promissum edocti *(Jo. 16, 13)*, omnis veritatis salutaris doctrinam Ecclesiae Christi darent (III), et sacram Scripturam consummando [x] veritatis notitiam dilatarent.

s) Ita BDEF GHK. Alii: prudentissimae seu sapientissimae.

t) Prophetiales ed. 1484.

u) Ita editt. Rom. et 1484; omnes codd. Monach. manifeste in eis apparet.

v) Post AB CDEFGHK.

x) Conservando ed. 1484.

(II) Haec *documenta*, sacris Scripturis *addita, quae Spiritus sanctus, super eos veniens, docuit nos per Apostolos,* sunt divinae Traditiones, vivae vocis oraculo ad nos usque productae, quae alteram remotam fidei regulam constituunt, ac una cum sacra Scriptura, quae est alia regula remota fidei, dant *omnis veritatis salutaris doctrinam Ecclesiae Christi,* scilicet totam revelationem complent et consummant. Has Traditiones Protestantes primi, et post eos Rationalistae rejecerunt. Eos autem contra primos vindicavit Concilium Tridentinum in sessione superius citata; contra secundos Concilium Vaticanum, *sess. III. cap.* 2, his verbis: „Haec supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt."

(III) Quae hic loci S. D. paucis perstringit verbis, mirifice declarantur a Conc. Vaticano, in *Constit. dogm. de fide cath. cap. 3,* ubi haec leguntur: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia, sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. Quoniam vero *sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. 11, 6),* et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes *(Is. 11, 12)*, et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint *(1. Tim. 2, 4)*; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum *(1. Petr. 2, 9)*, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui, ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine (Col. 1, 12),* tantam ne negligamus salutem, sed *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum (Hebr. 12, 2), teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (Hebr. 10, 23).*"

Ad § 2.

[1] De quatuor faciebus Scripturarum fuse agit S. D. in *sermon. 13, in Hexaëm.*

[2] „Sicut enim centrum est medium ad certam notitiam sumendam de sphaera, vel circulo, et quanto aliqua sunt propinquiora centro, tanto citius et evidentius possunt certificari per centrum; sic Christus est tamquam centrum in medio Scripturarum: et circa ipsum immediate existit rota angelicae Hierarchiae, et postea rota contemplativae et finalis Ecclesiae; et rota Ecclesiae, quae est de gentibus, et post hoc Synagogae." *Tract. de S. Script. Myster.* § 11, Supplem. vol. I. Est quippe „Christus in medio praelatorum, in medio contemplativorum, in medio evangelistarum, in medio justorum, in medio beatorum. Nam omnes isti recipiunt influentiam a Christo, sicut extrema a medio. Omnis enim virtus consistit in medio, quia omnis virtus est ab ipso." *In Apoc. cap. 4, v. 6 n. 286,* Suppl. vol. II. „Novum testamentum continetur in veteri sicut rota in rota. Nihil enim est aliud novum testamentum quam vetus spiritualiter expositum." *In Princip. Script.* De his ampliora habentur in *Tract. de S. Script. Myster.* a § 22, usque ad finem opusculi.

[3] „Lex nova est in vetere sicut rota in rota... secundum implicationem quamdam: quia quod in lege nova est explicite, in veteri lege erat implicite." *3. Dist. 25, a. 2. q. 1. ad 1.*

[4] „Assignatur differentia inter legem mosaicam et evangelicam in hunc modum: quia lex Moysi dicitur lex figurae, lex poenae, lex litteralis, lex occidens, lex timoris, lex servitutis, lex oneris. Lex autem evangelica dicitur lex veritatis, lex gratiae, lex spiritualis, lex vivificans, lex amoris, lex libertatis, lex facilitatis. In lege quippe evangelica quatuor conditiones nobilissimae sunt adjectae, scilicet documenta instruentia, promissa incitantia, sacramenta adjuvantia et consilia perficientia." *Centil. p. 3, sect. 32.*

[5] „Novum Testamentum, et maxime quatuor Evangelia, quatuor qualitatibus secundum Hieronymum contexuntur: quae sunt praecepta, mandata, testimonia et exempla. Praecepta sunt ad declinandum a malis: mandata ad faciendum bona: testimonia ad credendum vera: exempla ad imitandum et explendum honesta. Timor incutitur praeceptis, fides roboratur testimoniis, spes erigitur exemplis, caritas consummatur mandatis." *Centil. loc. cit.*

[6] „Sunt specialiter in Scriptura quatuor genera praeceptorum; scilicet, quaedam caeremonialia, ut: *Non arabis in bove et asino (Deut. 22, 10).* Quaedam sacramentalia, ut de vitula rufa, et aliis sacrificiis, et circumcisione. Quaedam judicialia, ut oculum pro oculo, dentem pro dente. Quaedam moralia, ut decem praecepta Decalogi." *Centil. loc. cit.*

[7] „Sacra Scriptura comparatur *flumini*, quoniam sicut flumen est clarum aspectu; sic sacra Scriptura est clarissima propter evidentiam historiae: profundum situ; sic sacra Scriptura est profundissima propter eminentiam intelligentiae: foecundum fructu; sic sacra Scriptura est foecundissima propter excellentiam sapientiae." *Comm. in Apoc. cap. 8, v. 10,* n, 571, Supplem. vol. 11. — „Flumen sacrae Scripturae est, cujus ortus Sapientia increata; Ecclesiastici 24, 40: *Ego sapientia effudi flumina*; cujus cursus Sapientia inspirata; Ecclesiastici 47, 16: *Impletus es quasi flumen sapientia;* cujus fructus Sapientia incarnata, in proposito: *Ostendit mihi fluvium aquae vivae.*" *Ibid. cap. 22, v. 1. n. 1665.* — „Est autem iste fluvius voluptuosissimus propter dulcores suavissimarum delectationum: luminosissimus propter fulgores limpidissimarum speculationum: ignitissimus propter fervores ardentissimarum inflammationum: impetuosissimus propter vigores sublimissimarum elevationum. Et hinc est, quod in Scriptura dicitur: Fluvius voluptatis, fluvius veritatis, fluvius caritatis, seu igneus, et fluvius rapidus. E contra, fluvius mundanae scientiae est fluvius torridus, exsiccans flumina gratiarum: fluvius turbidus, obfuscans splendores intellectuum: fluvius tepidus, tepefaciens amores affectuum: fluvius turgidus, tumefaciens expressiones affatuum." *Princ. Sac. Script.,* ubi de his comparationibus S. D. fuse pertractat.

[8] „Multa Apostoli tradiderunt, quae tamen non sunt scripta. Unde Apostolus (*2. Thess. 2, 14*) laudabat eos, qui tenebant suas traditiones, et Ecclesia servavit fideliter quae ab Apostolis accepit." *3. Dist. 9. a. 1. q. 2. ad 6.*

§ 3. De longitudine sacrae Scripturae.

(Sacra Scriptura describit mundum a principio usque ad finem, — per tria decurrentem tempora, scilicet naturae, legis et gratiae, — in quibus septem distinguuntur aetates, — correspondentes vitae minoris mundi, seu hominis.)

Habet etiam haec sacra Scriptura longitudinem, quae consistit in descriptione tam temporum, quam aetatum, a principio scilicet mundi usque ad diem judicii. Describit enim [a] per tria tempora mundum decurrere, scilicet per tempus legis naturae, legis scriptae et legis gratiae. Et in his tribus temporibus septem distinguit aetates [1]; quarum prima est ab Adam usque ad Nöe, secunda a Nöe usque ad Abraham, tertia ab Abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis [b], quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi [2], septima decurrit cum sexta, quae incipit a quiete Christi in sepulchro usque ad resur-

a) Autem pro enim ABCD EFGHK et editt. Arg. Aug. Nor.

b) Babylonis om. utroque ACDEFGHK et editt. Arg. Aug. Nor.

rectionem universalem [3], quando incipiet resurrectionis octava [4]. Et sic Scriptura est longissima, quia in tractando [c] incipit a mundi et temporis exordio in principio Genesis, et pervenit usque ad finem mundi et temporis, scilicet in fine Apocalypsis. Recte autem [d] universum tempus, quod decurrit secundum triplicem legem, scilicet [e] inditam interius [f], datam exterius, et desuper infusam, decurrit per septem aetates, et consummatur in fine sextae, ut sic mundi decursus respondeat mundi exordio [g], et [h] majoris mundi decursus correspondeat decursui vitae minoris mundi, scilicet hominis, propter quem etiam factus est. Nam prima aetas mundi, in qua facta est ipsius mundi formatio, casus daemonum et confirmatio Angelorum, recte respondet primae diei, in qua facta est lux, et distincta [i] a tenebris. Secunda, in qua per arcam et diluvium salvati sunt boni et deleti mali, respondet secundae diei, in qua per firmamentum facta est distinctio aquarum ab aquis. Tertia, in qua vocatus est Abraham, et inchoata synagoga, quae fructificare et generare debebat prolem ad Dei cultum, correspondet diei tertiae, in qua apparuit terra, et protulit herbam virentem. Quarta, in qua viguit regnum et sacerdotium, quia David rex ampliavit cultum divinum, correspondet quartae diei, in qua facta est formatio luminarium et stellarum. Quinta, in qua transmigrantes inter populos multos versati sunt et tribulati, correspondet diei quintae, in qua facta est formatio piscium ex aquis. Sexta aetas, in qua natus est Christus in effigie hominis, qui vere est imago Dei, correspondet sextae diei, in qua formatus est homo primus. Septima, in qua [j] est quies animarum non habens finem, correspondet septimae diei, in qua requievit Deus ab omni opere, quod patrarat. Et sic distinguuntur hae septem aetates propter [k] insignia facta, quae fuerunt in earum exordiis, ratione quorum correspondent diebus formationis mundi [5]. Vocatur autem prima aetas *infantia,* quia sicut infantia tota oblivione deletur; sic illa prima aetas per diluvium est consumpta. Secunda *pueritia,* sicut enim in pueritia loqui incipimus; sic in secunda aetate facta est distinctio linguarum. Tertia dicitur *adolescentia,* quia sicut vis generativa tunc incipit in actum suum exire; sic tunc vocatus est Abraham, et data est ei circumcisio, et facta est ei promissio de semine [l]. Quarta dicitur *juventus,* quia sicut in juventute floret hominis aetas; sic in [m] quarta aetate sub regibus floruit Synagoga. Quinta dicitur [n] *senectus,* quia sicut in senectute vires minuuntur, et decidit pulchritudo; sic et [o] in transmigratione factum est de Judaeorum sacerdotio. Sexta aetas dicitur *senium,* quia sicut illa est, quae copulatur cum morte, habens tamen magnam lucem sapientiae; sic sexta aetas mundi terminatur cum die judicii, et in ea viget sapientia per doctrinam Christi. Sic igitur totus ille [p] mundus ordinatissimo decursu a Scriptura describitur procedere a principio usque ad finem [6], ad modum cujusdam pulcherrimi carminis ordinati [7], ubi potest quis speculari, secundum decursum temporis, varietatem et multiplicem aequitatem [q], ordinem, rectitudinem et pulchritudinem [r] multorum divinorum judiciorum, procedentium a sapientia Dei gubernante mundum. Unde sicut nullus potest videre pulchritudinem carminis, nisi aspectus ejus feratur super totum versum; sic nullus videt pulchritudinem ordinis [s] et regiminis universi, nisi eam totam speculetur. Et quia nullus homo tam longaevus est, quod totam possit videre oculis carnis suae, nec futura potest per se praevidere, providit nobis Spiritus sanctus librum Scripturae sacrae, cujus longitudo commetitur se decursui regiminis universi.

c) In tractando om. ed. 1484.

d) Enim ibid.

e) Scilicet om. ibid.

f) Interius et postea desuper om. A CDEFGHK et editt. Arg. Aug. Nor. et 1484.

g) Omnes codd. Monach. om. mundi ante exordio, et etiam ante factus est.

h) Mundi decursus respondeat mundi exordio, et om. ed. 1484.

i) Ita omnes cod. Monach. et editt. Arg. et Nor et 1484, divisa ed. Rom.

j) Quae est quies ABCD FGHK.

k) Per ed. 1484.

l) Ei ante promissio om. ABEG HK.

m) In om. AB CDEFGHK et editt Arg. Aug. Nor.

n) Dicitur om. ABDEF GHK et editt. Arg. Nor.

o) Et om. ed. 1484.

p) Iste ABE FGHK et editt. Arg. Aug.

q) Ita in ed. 1484. In aliis multiplicitatem et aequitatem.

r) Pulchritudinem vel multitudinem, ed. 1484.

s) Ita ed. 1484. In aliis ordinationis.

Ad § 3.

[1] „Septenarius magnum mysterium habet. Omnis autem proportio et proportionalitas est secundum rationem ternarii et quaternarii, quia necesse est, ubi est proportionalitas, ut sit in quatuor terminis, vel secundum rem, vel secundum rationem. Unde Augustinus *(lib. 1. de musica, c. 12)* ostendit, proportionem ascendere usque ad quatuor, quae ex partibus quaternarii generatur. Iste autem septenarius, sive in mundo sensibili, sive in mundo minori, ortum habet a mundo archetypo, ubi sunt rationes causales secundum rationem septenarii. Deus enim habet rationem triformis causae, originantis, exemplantis, finientis, nec potest esse pluribus modis. Unde Apostolus: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (Rom. 11, 36)*. Ratio autem causandi est secundum quatuor, sublimitatem potentiae, profunditatem sapientiae, latitudinem benevolentiae, longitudinem aeternitatis. *Ut possitis,* inquit Apostolus, *comprehendere cum omnibus sanctis etc. (Ephes. 3, 18)*. Potentia creat, sapientia gubernat, benevolentia perficit, aeternitas conservat. Iste numerus universitatis in mundo, in homine, in Deo, est mysterialis. Secundum hunc numerum facit Deus currere mundum istum; et Scriptura, quae explicat decursum mundi, secundum hunc numerum tradi debuit explicative. Distinguit ergo Scriptura tempora originalia, figuralia, gratiosa, seu salutifera. Tempora originalia consistunt in primis septem diebus. Figuralia, ab initio mundi usque ad Christum. Ubi novum tempus incipit, licet Salomon dicat: *Nihil novum sub sole (Eccles. 1, 10)*, verum est secundum naturam, sed hoc est super naturam, et post, sunt tempora gratiosa. A temporibus originalibus incepit Moyses; et ita debuit facere, quia Scriptura debuit facere seminaria, tamquam terra germinans; et post arbores figurarum; et postea fructum: ponuntur ergo septem dies, ut tempore originali. Primus dies lucis formatae: secundus dies aquae divisae: tertius dies terrae foecundatae: quartus lucis sidereae: quintus motivae vitae: sextus humanae formae: septimus quietis primae. Septem autem sunt tempora figuralia: tempus naturae conditae, purgandae culpae, gentis electae, legis statutae, regalis gloriae, vocis propheticae, quietis mediae. In novo Testamento similiter sunt septem tempora gratiosa: tempus collatae gratiae, baptismi in sanguine, normae fidei catholicae, normae legis justitiae, sublimis cathedrae, clarae doctrinae, pacis postremae.“ *Serm. 16, in Hexaëm. in princip.*

[2] Quomodo singulae aetates sibi invicem correspondeant, et quare Deus ordinaverit mundum per sex aetates, et sextam aetatem per septem ecclesiastica tempora, S. Doctor lucide demonstrat in cit. *serm. 16 in Hexaëm.*

[3] „Septima aetas currit cum sexta, scilicet requies animarum post Christi passionem.“ *Serm. 16 in Hexaëm. in princ.*

[4] „Ad has sequitur octava aetas, scilicet resurrectio mortuorum, de qua Psalmista ait: *Mane astabo tibi, et videbo (Ps. 5, 5)*. Et est reditus ad primum, quia post septimam diem regressus est ad primum.“ *Ibid. loc. cit.*

[5] „Dicuntur aetates, non quia fuerint aequalis spatii, sed quia in qualibet aliquid novum et aliqua renovatio facta est.“ *4. Dist. 40, dub. 3.* Vide *serm. 15, in Hexaëm. circa med.;* et inferius *part. IV cap. IV, n. 5.*

[6] „Ordo Scripturae consimilis est ordini naturae in germinatione terrae. Ibi enim est primo fixio radicum. Secundo productio viridantium foliorum. Tertio pullulatio vernantium florum. Quarto plenitudo reficientium fructuum. Sic in Scriptura primo est fixio radicalium virtutum, ut in Patriarchis, qui sunt quasi radices omnium, quae dicuntur in Scriptura. Unde in electione eorum est plantatio prima; sed postea in institutione praeceptorum et sacrificiorum est productio viridantium foliorum: *Vitis frondosa Israël (Ose. 10, 1)*. Postea in manifestatione visionum prophetarum est pullulatio florum. Postmodum in diffusione charismatum spiritualium est plenitudo reficientium fructuum. Unde primo fuit unus Patriarcha sicut radix, scilicet Abraham, postea alter, ut Isaac, postea Iacob; et iste duodecim Patriarchas generavit, et ab illis duodecim tribus. Post hanc plantationem secuta est lex, ut productio viridantium foliorum, quae umbram habebat *(Hebr. 10, 1)*. Et quia non semper debet durare folium, sed venire flos; ideo subsecuta est prophetia cum odore et pulchritudine. Et quia oportuit, quod caeli rorarent *(Isa. 45, 8)*, ideo quarto subsecutus est fructus in Christo: quia Christus fructus est legis, et consummatio. De primo dicit Pater ad Sapientiam incarnatam: *In electis meis mitte radices; et radicavi in populo honorificato (Eccles. 24, 13, 16)*. Haec est productio ligni, quod est ad vescendum suave *(Gen. 2, 9)*. De secunda productione foliorum dicitur: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et valles nemorosae (Num. 24, 5—6)*, quae sunt scilicet mysteria sacrae Scripturae. Quis potest cogitare amoenitatem mysteriorum sacrae Scripturae, de quibus dicitur: *Sedebat unusquisque sub ficu sua, et sub vite sua (3. Reg. 4, 25)?* Unde pulchra est arbor, sed sterilis; pulchra serpentis erectio, et umbra; sed arbor crucis est fructuosa. Tertia est productio Prophetarum, pullulatione florum, de quibus dicitur: *Flores apparuerunt in terra nostra, et vox turturis audita est (Cant. 2, 12)*. Flores apparuerunt, quando ille dixit: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isa. 11, 1)*. Sed vox turturis audita est, quando dictum est: *Quomodo sedet sola civitas etc. (Thren. 1, 1)*. Turtur gemitum habet pro cantu. Quarto, plenitudo reficientium fructuum; unde legitur: *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis (Isa. 4, 2)*. Et hoc fuit, quando illa dixit: *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui (Luc. 1, 42)*. Terra fructificat primo herbam, secundo spicam, tertio granum. Hoc est tempus ante legem, sub lege, post legem. Hunc ordinem sequitur Scriptura.“ *Serm. 14 in Hexaëm. in princip.*

[7] „Omnia sunt bona in se, sed valde bona in ordine. Et quia ubi est ordo, ibi magis et minus bonum; ideo quaedam corruptibilia, quaedam incorruptibilia: primum est in rebus non tantum secundum plus et minus, sed secundum oppositionem et similitudinem; ideo comparatur mundus pulcherrimo carmini.“ *Expos. in Eccles. cap. 3, v. 15.*

§ 4. De sublimitate sacrae Scripturae.

(Sacra Scriptura est alta ex descriptione hierarchiae ecclesiasticae; — altior ex descriptione angelicae; — altissima ex descriptione divinae: — philosophicam cognitionem sibi substernit, et in suo cacumine tangit caelum; — et hoc totum per unum hierarcham Jesum Christum; ac propterea est etiam venustissima.)

Habet nihilominus Scriptura sacra in suo processu [a] sublimitatem, quae consistit in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, quae sunt hierarchia ecclesiastica, angelica et divina, seu subcaelestis [b], caelestis et supercaelestis; ita quod primam describit patenter, secundam aliquantulum magis occulte, et [c] tertiam adhuc magis occulte. Ex descriptione ecclesiasticae hierarchiae est alta, ex descriptione angelicae altior, ex descriptione divinae altissima; ita ut possimus dicere illud [d] prophetae: *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam (Psalm. 138, 6).* Et hoc quidem satis recte. Nam cum res habeant esse in materia vel natura [e], habeant etiam esse in anima per notitiam [f] acquisitam, habeant etiam esse in ea per gratiam, habeant etiam esse in ea per gloriam, et habeant etiam esse in arte aeterna; philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura, seu in anima, secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam; sed Theologia, tanquam scientia super [g] fidem fundata et per Spiritum sanctum revelata, agit et de eis, quae spectant ad gratiam et gloriam, et etiam ad sapientiam aeternam [1]. Unde ipsa substernens [h] sibi philosophicam cognitionem [2], et assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum, quasi scalam erigit, quae in sui infimo tangit terram, et [i] in suo cacumine tangit caelum, et hoc totum per illum unum hierarcham [j] Jesum Christum [3], qui non tantum ratione [k] naturae humanae assumptae est hierarcha in ecclesiastica hierarchia, verum etiam in angelica, et est [l] media persona in illa supercaelesti hierarchia beatissimae [m] Trinitatis [4]; ita quod per ipsum [n] a summo capite Deo descendit unctionis gratia, non solum in barbam, verum etiam in oram vestimenti, quia non tantum in Hierusalem supernam, verum etiam usque in Ecclesiam militantem. Est enim pulchritudo magna in machina mundana, sed longe major in Ecclesia [o] pulchritudine sanctorum charismatum adornata, maxima autem in Hierusalem superna, supermaxima autem in illa Trinitate summa et beatissima [p]. Ideo ipsa Scriptura sacra [q] non tantum habet altissimam materiam, per quam delectat et [r] per quam in altum levat intelligentiam mentis, verum etiam ipsa est venustissima, et miro quodam modo intellectum nostrum [s] delectat; et sic magis ac magis delectando adsuefacit ad divinorum spectaculorum contuitus et anagogias.

a) Cfr. supra, § 1. Not. t.
b) Sub caelestis, om. ed. 1484.
c) Et om. ibid.
d) Id ibid.
e) Vel natura om. ABCDE GHK, et ed. 1484.
f) Scientiam ed. 1484.
g) Supra, ibid.
h) Subjiciens ACDFG.
i) Sed ed. 1484.
j) Hierarchitum ibid. Sic et infra.
k) Ratione om. ibid.
l) Est om. ibid.
m) Divinissimae, ibid.
n) Ipsam ibid.
o) Ecclesiastica, ibid.
p) Summa et beatissima Trinitate, ibid.
q) Sacra om ibid. Sic et infra passim.
r) Et om. ibid.
s) Meum, ibid.

Ad § 4.

[1] *„Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni (Apoc. 22, 1)* . . . Si quae sunt nobilitates degeneres, ut antiphrastice loquar, in mundanis scientiis, non collectim, sed sparsim reperiuntur in singulis. Nam metaphysicam inquiunt mundi sapientes esse scientiarum suarum nobilissimam propter universalitatem subjecti; nam est de ente, secundum quod ens, id est, de ente secundum omnem entis differentiam, quae est substantia, et accidens: idem, et diversum: actus, et potentia: unum, et multa. Ens enim primum in prima philosophia subjectum esse non potest, quia a Philosopho primo ens primum inquiritur. De subjecto autem in scientia praecognoscendum est, et quid est, quod dicitur per nomen, et quia est; et nullo modo debet inquiri, ut Philosophus dicit. Scientiam mathematicam dicunt esse nobilissimam propter certitudinem modi: scientiam de anima propter nobilitatem subjecti: et moralem propter utilitatem finis, qui est beatitudo creata, id est,

misera, quam dicit ille esse actum perfectum secundum virtutem. Sed omnium nobilitates causarum aggregantur in divina scientia. Nam in quantum est progressio quaedam, et scaturigo fontis aeterni, habet ex efficiente nobilissimo auctoritatem inviolabilem: et hoc notatur cum dicitur *procedere de sede Dei et Agni.* In quantum vero est fluvius aquae vivae, habet ex subjecto nobilissimo profunditatem imperscrutabilem. In quantum vero ostensus, revelatus et inspiratus, habet ex nobilissimo modo processum inconfutabilem. In quantum splendidus, habet certitudinem infallibilem. In quantum crystallinus, pulchritudinem incontaminabilem. In quantum lignum vitae, afferens fructus duodecim, habet ex fine nobilissimo fructum desiderabilem. In quantum in medio plateae Hierusalem, habet amplitudinem incoarctabilem." *Princ. S. Scrip. in princ.* Cfr. etiam infra *part. II. cap. V. n. 4.*

[2] Vide Opusculum *de Reductione artium ad Theologiam;* et inferius *part. I. cap. I. n. 4.*

[3] „Est enim sacra Scriptura per Verbum increatum edita et instituta: per Verbum inspiratum recitata: per Verbum incarnatum consummata: per Verbum authenticatum promulgata. Dicitur enim Verbum Dei, Verbum Verbi incarnati: Verbum veritatis et sapientiae: Verbum virtutis et potentiae: Verbum vitae et Verbum gratiae". *Princ. S. Scr. in princ.* „Igitur si vis intueri veritatem christianae Sapientiae, ingredere in medio rotarum, quod quidem medium est Christus Jesus, qui Jo. 8, 12 de se ipso dicit: *Ego sum lux mundi.* Et cap. 14, 6: *Ego sum via, veritas et vita.* Unde non sine causa Apostolus 1. Cor. 2, 2: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. In ipso* enim *sunt omnes thesauri sapientiae,* prout idem dicit ad Coloss. 2, 3. Est enim fons sapientiae Verbum Dei in excelsis, prout habetur 1, 5 Ecclesiastici." *De S. Script. mater. § 6.* Supplem. vol. I. Cfr. *Tract. de S. Script. myster.* Supplem. vol. I.

[4] „Christus fuit medium septiforme. Medium essentiae, quod est de consideratione Metaphysici: medium naturae, quod est de consideratione Physici: medium distantiae, quod est de consideratione Mathematici: medium doctrinae, quod est de consideratione Dialectici: medium modestiae, quod est de consideratione Ethici: medium justitiae, quod est de consideratione Politici: medium concordiae, quod est de consideratione Theologi. Medium essentiae est Christus origine primarium: medium naturae, virtuali connexione pervalidum: medium distantiae, centrali infinitate profundum: medium doctrinae, rationabili manifestatione clarissimum: medium modestiae, discreta electione praecipuum: medium justitiae, judiciali severitate praecelsum: medium concordiae, perfecta conciliatione pacatum. Primum medium essentiae est Christus aeterna generatione: medium naturae in Incarnatione: medium distantiae in Passione: medium doctrinae in Resurrectione: medium modestiae in Ascensione: medium justitiae in judicii examine: medium concordiae in sempiterna beatitudine. De isto ligno benedicto, Domino Jesu Christo, est tota Scriptura sub ratione medii septiformis. Nam de Deo, seu Verbo incarnando, est vetus testamentum, de Deo incarnato totum novum testamentum; ita quod in veteri testamento Verbum Dei erat medium naturarum uniendarum, scilicet divinae et humanae, in novo est medium naturarum jam unitarum. Sed quoniam in unoquoque prius quod carnale est, deinde quod spirituale (*1. Cor. 15, 46*); ideo vetus testamentum praemittitur." *Princip. Sac. Script. quasi in fine.* Vide *serm. 1. in Hexaëm.* ubi copiose S. D. declarat, qua ratione Christus sit medium septiforme.

§ 5. De profunditate sacrae Scripturae.

(Sacra Scriptura, praeter intelligentiam literalem, habet triplicem sensum, allegoricum nempe, tropologicum et anagogicum; — quae multiplicitas sensuum competit ipsius subjecto, — auditori, — origini — et fini.)

Habet postremo ipsa sacra Scriptura profunditatem, quae consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum. Nam, praeter *literalem sensum,* habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicet [a] *allegorice, moraliter* et *anagogice* [1]. Est autem *allegoria,* quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est [2]. *Tropologia,* sive moralitas, est, quando per id, quod factum est, datur intelligi aliud [b], quod faciendum est [3]. *Anagogia,* quasi sursum ductio, est, quando datur intelligi illud [c], quod desiderandum est, scilicet aeterna felicitas beatorum [4].

Recte autem hic triplex sensus debet esse in sacra Scriptura, praeter intelligentiam literalem [5], quia sic competit ipsius Scripturae subjecto, ipsius [d] auditori, seu discipulo [e], ipsius origini, ipsius etiam fini. *Subjecto,* inquam, competit; quia ipsa est doctrina, quae est de Deo, de Christo, de operibus reparationis, et de credibili. Subjectum enim illius, quo ad substantiam Deus, quo ad veritatem Christus, quo ad operationem reparationis opus [6], quo ad omnia haec est ipsum credibile. Deus autem est trinus et unus: in essentia unus, in personis trinus. Ideo Scriptura, quae est de ipso, habet in unitate literae triformitatem intelligentiae [7]. Christus etiam, cum sit unum Verbum,

a) Scilicet om ed. 1484.
b) Id ibid.
c) Illud om. ibid.
d) Omnes Codd. Monac.; ipsi
e) Et ed. 1484.

omnia per ipsum facta dicuntur *(Jo. 1, 3)*, et in ipso relucent; ita quod ejus sapientia est multiformis et una. Opera reparationis cum sint multa, omnia ad Christi oblationem principaliter [f] habent aspectum [8]. Credibile autem [g], ut credibile, diversimode relucet secundum diversum statum credentium. Ideo propter conformitatem ad omnia praemissa sacra Scriptura in una litera multiformem parit intelligentiam. Competit etiam hoc *auditori;* quia nullus est conveniens [h] ejus auditor, nisi humilis [9], mundus [10], fidelis [11], et studiosus [12]. Ideo sub cortice literae apertae occultatur mystica et profunda intelligentia [13] ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate, in humilitate literae latente, et superbi comprimantur, et immundi repellantur, et fraudulenti declinentur, et negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinae istius non est unius generis, sed cujuslibet, omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire (I); ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat, et omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat, et omnem intellectum sibi diligenter intendentem multitudine radiositatis suae illuminet pariter et accendat [14]. Competit etiam *principio,* a quo est; quia est a Deo per Christum et Spiritum sanctum [15], loquentem per ora Prophetarum [16] et aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt [i]. Quoniam autem Deus non tantum loquitur per verba, verum etiam per facta, quia ipsius dicere facere est, et ipsius facere dicere [j], et omnia creata tanquam Dei effectus innuunt suam causam; ideo in Scriptura divinitus tradita non tantum debent significare verba, verum etiam facta. Christus etiam doctor, licet esset humilis in carne, altus tamen erat in [k] deitate; ideo decebat ipsum et ejus doctrinam habere humilitatem in sermone cum profunditate sententiae, ut, sicut Christus fuit panniculis involutus *(Luc. 2, 7)*, ita sapientia Dei in Scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur [l]. Spiritus etiam sanctus diversimode illustrabat, et revelationes faciebat in cordibus Prophetarum, et [m] ipsum etiam nullus latere potest intellectus, qui missus erat omnem docere veritatem; ideo competebat ejus doctrinae, ut in uno sermone multiplices laterent intelligentiae. Competit nihilominus ipsi *fini;* quia [n] Scriptura data est, ut per ipsam [o] dirigatur homo in cognoscendis et agendis, ut tandem perveniat ad optata. Et quia omnes creaturae ad hoc factae sunt, ut serviant homini tendenti ad supernam patriam; ideo Scriptura

f) Principalem ABDEF GHK et editt. Nor. Aug. et 1484.
g) Autem om. ABDEFGHK et ed. Arg.
h) Conveniens est, ed. 1484.
i) Sumpserunt ACDFG.
j) Et ipsius facere dicere om. ABCDE FGHK.
k) In om. hic et supra in carne, ed. 1484.
l) Involvatur, ibid.
m) Ita, ibid.
n) Quia per ipsum ibid.
o) Codd. Monac. eam.

(I) Recte *aliqua* tantum oportere, ut salvandi sciant de sacra Scriptura, docet S. Doctor, quod est contra figmenta Protestantium et Jansenistarum, qui omnibus indiscriminatim fidelibus lectionem sacrae Scripturae extendunt. Haec figmenta Clemens XI et Pius VI damnarunt, primus in Const. *Unigenitus* an. 1713, alter in Bulla *Auctorem fidei* an. 1794, censuris confodiendo propositiones 79—85 Quesnelli, et 67 Synodi Pistoriensis. Quae sunt: „79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere, et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacrae Scripturae — 80. Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus — 81. Obscuritas sancti verbi Dei non est laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione — 82. Dies dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere — 83. Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione sacrorum Librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natae sunt haereses — 84. Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare — 85. Interdicere Christianos lectionem sacrae Scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.“ — 67. „Doctrina perhibens a lectione sacrarum Scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subjungens ultro se prodere obscurationem, quae ex hujusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis, *falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnello damnata.*“

assumit ipsarum creaturarum species diversas [17], ut sic per ipsas [p] doceat nos sapientiam dirigentem nos [q] ad aeterna. Et quia homo non dirigitur ad aeterna, nisi cognitiva agnoscat [r] verum credendum, et operativa faciat bonum operandum, et affectiva suspiret ad Deum videndum et amandum et perfruendum; hinc est, quod Scriptura sacra per Spiritum sanctum data assumit librum creaturae, referendo in finem secundum triplicem modum intelligentiae, ut sic per tropologiam habeamus notitiam agendorum moraliter [s], per allegoriam [t] credendorum veraciter, per anagogiam desiderandorum delectabiliter [18], ut sic purgati per virtuosam operationem, illuminati per radiosam fidem et perfecti per ardentissimam caritatem, perveniamus tandem ad bravium felicitatis aeternae (II).

p) Codd. Monac. et editt. Arg. Aug. Nor. per illas.

q) Nos om. ed. 1484.

r) Cognoscat, ibid.

s) Virtualiter ibid.

t) Insuper per allegoriam, ibid.

(II) Silentio praeterire hic loci non possumus societates biblicas, quae, ut ait S. P. Gregorius XVI. in sua Encyclica 13 Maji an. 1844, „inter praecipuas machinationes, quibus nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis connituntur, haud ultimum tenent locum“. Hae in Anglia primum institutae tempore Pii VI, ac longe hinc lateque diffusae, facto velut agmine, in id conspirant, „ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus qnibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero eosque inter christianos juxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, prosequitur idem Pontifex, quod suo jam tempore lamentabatur Hieronymus *(ep. ad Paulin. § 7)* et garrulae anui, et deliro seni, et sophistae verboso, et universis, si modo legere norint, cujusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum: imo quod longe absurdissimum peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab ejusmodi intelligentiae communione excludunt. „Porro“ ipsarum societatum parum aut nihil omnino interest, si homines biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paulatim ad liberum de Scripturarum sensu judicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia catholica custoditas ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.“

Ad § 5.

[1] „Sacra Scriptura est ille fluvius, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, et fidelis animae, et militantis Ecclesiae; qui inde dividitur in quatuor capita, scilicet rivos historiarum, anagogiarum, allegoriarum et tropologiarum. Rivi historiarum retrahunt animam a terrestribus: rivi anagogiarum refovent animam in caelestibus: rivi allegoriarum dirigunt animam in credendis, seu credibilibus: rivi tropologiarum ordinant animam in agendis, seu agibilibus, ita ut verissime dictum sit per Ecclesiasticum (39, 27): *Benedictio illius*, scilicet sacrae Scripturae, *quasi fluvius inundabit.*“ *Princ. Sac. Scriptur. vers. med.*

[2] „Triplex refulget intelligentia in Scripturis. Prima docet quid credendum, quantum ad fidem: secunda docet quid expectandum, quantum ad spem: tertia docet quid operandum, quantum ad caritatem, quae operatur magna, si est, ut dicit Gregorius *(hom. 30 in Joan.)*. Unde et Joannes: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit (14, 23)*. Refulgentia quantum ad fidem est *allegoria*, quae bifurcata est, secundum juncturam capitis et corporis. Allegoria spectans ad caput Christum, fertur ad ipsum natum, passum et mortuum. Allegoria spectans ad corpus, fertur ad Ecclesiam, secundum statum primitivum, mediativum et finitivum. Nam et his modis tribus commendat sponsus sponsam in Canticis: *Quae est ista*, inquit, *quae ascendit quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol (Cant. 6, 9)? Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et universi etc. (Cant. 3, 6)? Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, et innixa super dilectum suum (Cant. 8, 5)?* Insuper de Christo capite dicit Paulus: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari, et omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra, petra autem erat Christus (1. Cor. 10, 1—4)*. De allegoria pertinente ad corpus Christi mysticum dicit idem: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo testamenta (Galat. 4, 22—24)*. Non oportuit, ut amplius explanaret, quia per illam intelliguntur duo populi.“ *Serm. 2. in Hexaëm. post med.*

[3] „Juxta intelligentiam, quae declarat quid agendum per caritatem, sumitur *Tropologia*. Est autem Tropologia duplex: una, quae spectat ad activam, scilicet, quae docet quid agendum: alia spectat ad contemplativam, quae docet quomodo contemplandum, quomodo anima feratur in Deum; nec tamen est anagogia, quia anagogia est sursum actio animae in Deum. Sed Tropologia contemplativa facit, quod feratur, et docet modum ferendi. Haec sapientia est velata superbis, qui nequeunt Scripturas intelligere, quarum mysteria intelligi non possunt, nisi sciantur volumina decursu-

um universi, et dispositio ejus per antitheta. Vide pulcherrimam sapientiam in mysteriis, et plus quam primo modo. Si enim laudo sponsam, quod verax est et pulchra, non afficitur animus: sed dum dicit Scriptura: *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia* (*Cant. 1, 9*), commendat castam et honestam, et dat causam castitatis, quia propter amorem sponsi ... Igitur pulcherrimae sunt genae tuae, quae sunt prominentes, in quibus primitus apparet pulchritudo. Collum, per quod vox emittitur, veritas est. Monilia, quae ornant pectus, et stringunt, discretio est; quia si quis dicat veritatem, non quando debet, vel ut non debet, vel ubi non debet, non sunt servatae circumstantiae verum loquendi. Haec sapientia surgit ex multis mysteriis, sicut ex multis speculis fiunt multiplicationes radiorum et ignium. Haec sunt specula mulierum, ex quibus fit labrum aeneum (*Exod. 30, 18*): haec est Scriptura, ut *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformemur, a claritate* in claritatem (*2. Cor. 3, 8*), *tamquam a Domini spiritu*, a claritate allegoriae in claritatem anagogiae et tropologiae. Haec sapientia tribuitur secundum mensuram fidei (*Rom. 12, 3*), quia secundum gradus captivationum intellectualium est gradus effusionum spiritualium et sapientialium. Hujus sapientiae Paulus se profitetur professorem, quando dicit: In Evangelio positus sum praedicator et magister gentium (*1. Tim. 2, 7*). Moyses autem posuit figuras nubilosas, et ideo habuit faciem cornutam (*Exod. 24*), sed Apostolus revelatam.“ *Serm. 2, in Hexaëm. l. c.*

[4] „Juxta intelligentiam, quae declarat quid est expectandum per spem, sumitur *Anagogia*. Est autem duplex Anagogia, scilicet caelestis et supercaelestis. Anagogia caelestis, ut quando dictum est Abrahae: *Suspice caelum, et numera stellas, si potes* (*Gen. 15, 5*), id est caelestes intelligentias. *Numquid nosti ordinem caeli, aut rationem ejus pones in terra* (*Job 38, 33*)? Anagogia supercaelestis est, quando Abraham tres vidit, et unum adoravit (*Gen. 18, 2*). Est etiam in duobus Angelis missis ad subversionem Sodomorum. Hi Angeli sunt Filius et Spiritus sanctus, qui mittuntur. Pater autem non mittitur; et hinc est, quod solum duo Angeli nominantur, eo quod Pater nusquam missus legitur. Quia vero apparuit, ut docet Hugo, hinc est, quod in visione Abrahae dicitur: *Tres vidit etc.*“ *Sermon. 2, in Hexaëm. l. c.*

[5] „Una Scriptura multis modis potest exponi; unus tamen est litteralis principalis intellectus.“ *4. dist. 21, p. 1, dub. 1.*

[6] *Itiner. ment. in Deum, cap. 4, n. 4—7,* infra *part. II. cap. V. n. 5.*

[7] *„Ecce descripsi eam tibi tripliciter,* ait Sapiens (*Prov. 22, 20*). Cum omnis scientia debeat gerere Trinitatis insigne, praecipue illa scientia, quae in sacra Scriptura docetur, debet in se praesentare vestigium Trinitatis. Propter hoc sapiens eam tibi tripliciter descripsisse dicit, propter triplicem ipsius intellectum spiritualem, moralem scilicet, allegoricum et anagogicum. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui hierarchico, scilicet purgationi, illuminationi et perfectioni. Purgatio autem ad pacem ducit, illuminatio ad veritatem, perfectio ad caritatem. Quibus perfecte adeptis, anima beatificatur, et secundum hoc quod circa haec versatur, suscipit meriti incrementum. In horum igitur trium cognitione dependet scientia totius Theologiae, et meritum vitae aeternae.“ *Incend. amor. cap. 1, n. 1.*

[8] „Verbum Dei in veteri testamento humanandum praefigurabatur, praemonstrabatur, promittebatur, praedocebatur, et prophetabatur. Praesagiebatur figuris, praemonstrabatur exemplis, promittebatur patribus, praedocebatur sapientialibus documentis, prophetabatur oraculis. Idcirco vetus testamentum quadripartitum est in libros legales, historiales, vel exemplares, prophetales, sapientiales. Praefigurabatur autem Verbum Dei incarnandum, seu humanandum, in legalibus figuris remotis, remotioribus, remotissimis. In Genesi quidem figuris remotissimis praesagiebatur ortus, occasus, triumphus, cultus. Ortus in ligno vitae plantato in medio paradisi, id est, verbo Dei divinae et humanae naturis inserto, in medio militantis Ecclesiae, secundum Glossam. Occasus passionis in Abel: triumphus resurrectionis in Noë: cultus pietatis in Abraham ... In Exodo vero figuris remotioribus praefigurabatur Verbum humanandum nasciturum, in Moyse natum occultandum propter Pharaonem (sic Christus propter Herodem), revelandum ad populi captivati liberationem, populi captivantis interemptionem, liberati instructionem per legem, ut exercitatus in lege veteri assuefieret ad legem Evangelii. Varietas sacrificiorum libri Levitici, secundum Origenem (*in cap. 3, Levit. hom. 3*), unum verum sacrificium offerendum in fine temporum praemonstrabat, scilicet Christum, qui est sacerdos et hostia. Liber vero Numerorum ordinem et connexionem membrorum corporis Christi mystici subtilitate mirabili praefigurabat, et ordinem ecclesiasticae Hierarchiae proficiscentis in via, et pervenientis ad patriam. In Deuteronomio, quod est denua legis repetitio, ad memoriam reducuntur beneficia Dei omnipotentis, ut altius infigatur memoriae incarnatio Verbi, quae est beneficium beneficiorum, ubi de semine Judae prophetam suscitandum commemorat, sicut Jacob in suis benedictionibus commemorat. Josue Christum et re praesignat et nomine, praecipue quantum ad distributionem terrae, quam funiculo distributionis distributurus est Christus, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum. Multitudo judicum sibi invicem succedentium unum verum judicem praesagiebat Christum, potissime quantum ad triumphum resurrectionis. Nam Samson, maximus judicum, primo clausus et obsessus a Philistaeis, qui nocte media, victis hostibus, portas confregit, figurat Christum, qui nocte media, cum descendisset in infernum, liberatis patribus, portas inferni confregit; cujus etiam incontaminata mater et virgo significabatur in vellere Gedeonis. Copula maritalis Booz Israëlitae et Ruth alienigenae signat conjunctionem Christi et Ecclesiae de gentibus, quam discalceatus ille contempserat. Liber Regum illum significat, in cujus femore scriptum erat: *Rex regum, et dominus dominantium* (*Apoc. 19, 16*). Qui cum sit rex et sacerdos, in primo libro praesignatur ut evacuaturus sacerdotium legale in depositione, seu extinctione Heli, et substituturus sacerdotium novum in substitutione Samuelis, qui non fuit de stirpe Aaron, translaturus etiam regnum ab Israël in reprobatione Saulis, et confirmatione David. In libro secundo promittitur Christus de semine Davidico nasciturus. In tertio libro,

in figura pacifici Salomonis, praefiguratur Christus, qui *est pax nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. 2, 14)*; cujus etiam corporis mystici typus fuit materiale templum Salomonis. In quarto libro Regum praefiguratur Christus ut evacuaturus omnem gentilitatis ritum in interemptione pseudoprophetarum per Eliam, et ut suscitaturus mortuos in Elisaeo, ut confecturus Eucharistiae sacramentum in pane subcinericio, ut ascensurus in caelum in translatione Eliae in curru igneo. In libro Paralipomenon, in confirmationem repetitur in primo translatio sacerdotii, in secundo translatio regni. Liber Esdrae et Nehemiae Christum praefigurant quantum ad fervorem zeli, quo Christus inardescebat ad reaedificationem templi veri, quod sumus nos. In libro Job praemonstrabatur Christus ut exemplar summae patientiae: in Thobia, ut exemplar summae modestiae: in Judith, ut exemplar summae pudicitiae: in Esther, ut exemplar summae clementiae: in Machabaeis, summae constantiae. Libri sapientiales Christum redolent ut doctorem universalem, sicut liber Ecclesiasticus: ut doctorem specialem ad virtutis initiationem, in Proverbiis: ad contemptum vanitatis, in Ecclesiaste: ad gustum suavitatis, et exemplum caritatis, in Canticis: ad speculamina veritatis, in Sapientia. In Prophetis Christus praenunciabatur et postulabatur. Postulabatur quidem per orationis instantiam in prophetia psalmi David. Praenunciabat Isaias incarnationis mysterium: Hieremias, appropriate loquendo, passionis remedium: Ezechiel resurrectionis trophaeum: Daniel retributionis judicium. Duodecim Prophetae, in angustia unius voluminis coarctati, Christum praesagierunt, sicut ipsum duodecim Apostoli praedicaverunt, ut numerus testium esset non tantum sufficiens, sed abundans." *Princip. Sac. Script. in fine.* Vide etiam inferius *part. IV. cap. IV. n. 3.*

[9] „Ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cujus sanguinem purgamur a sordibus vitiorum, primum quidem lectorem invito, ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine caritate, intelligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata." *Itiner. ment. in Deum, in Prolog.* „Scito autem, quod in concordia arcana Scripturarum divinarum nemo potest intrare, nisi per crucis stultitiam. Nam in summa crucis stultitia resurgit et assurgit in summa sapientia." *De Sac. Script. mater. § 21.* Supplem. vol. 1.

[10] „Efficitur spiritus noster hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Jerusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes in Apocalypsi sua *(21, 27)*. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes theologicas, et per oblectationes spiritualium sensuum, et suspensiones excessuum, efficitur spiritus noster hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus et perfectus." *Itiner. ment. in Deum, c. 4. n. 5.*

[11] „*Sentite de Domino in bonitate: Sentite,* scilicet recte aestimando; *de Domino in bonitate,* id est, bene, non male, ut haeretici. Monet autem ad bene sentiendum, et sensu exteriori pie divinas Scripturas legendo, et sensu interiori pie intelligendo. Unde Glossa: Scripturam pie legite, et intelligite: pie scilicet, devote approbando, et exequendo quod intelligitis; et non redarguendo, vel contemnendo, quod non intelligitis." *Expos. in cap. 1. v. 1. Sap. post init.* „Debet esse fidelis in assensu per captivationem intellectus. . . . *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (2. Cor. 10, 5).* Et hoc quidem fit per veram fidem, sine qua impossibile est documenta Scripturae evangelicae intelligere." *Prooem. in Ev. S. Luc.*

[12] „Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quae ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit *vir desideriorum (Dan. 9, 23).* Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, quae rugire facit a gemitu cordis, et per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime et intentissime se convertit." *Itin. ment. in Prolog.* Vide inferius ad § 7, not. 5.

[13] Cfr. *serm. 14, in Hexaëm.* relatum inferius *part. IV. cap. IV. nn. 3. 4.*, et *Tract. de S. Script. myst. §§ 56—67.* Vol. 1, Suppl.

[14] „Impossibile namque est, ut dicit Dionysius, aliter nobis lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum; ideo theologia poëticis sacris informationibus usa est, ut ex rerum visibilium similitudinibus allegoricae locutiones et mystici intellectus transumptiones formentur, et sic sensibilibus et visibilibus spiritualia et invisibilia coaptentur." *De Eccl. Hier. p. 1. cap. 1.* Vide etiam *De Donis Spir. Sancti; de scientia, cap. 4;* et inferius *part. V. cap. V. n. 40.*

[15] „Habet Scriptura multos intellectus, quia talis debet esse vox Dei, ut sit sublimis. Ceterae scientiae sunt contentae sub uno sensu, sed in hac est multiformis. Et in hac signant voces et res: in aliis autem solae voces, quia unaquaeque doctrina determinatur per signa sibi convenientia. Unde literae et voces sunt signa intellectuum. Et quia intellectus proportionati et determinati sunt; ideo, nomine semel posito, non est utendum aequivoce. Deus autem causa est et animarum, et vocum formatarum ab anima, et rerum, quarum sunt voces. Ideo primus sensus literalis; deinde, quia res significant, sunt tres sensus. Deus enim manifestat se in qualibet creatura tripliciter, secundum substantiam et operationem et virtutem. Et omnis creatura repraesentat eum, qui est Trinitas, et qualiter pervenitur ad Deum. Et quia per fidem, spem et caritatem pervenitur ad Deum; ideo omnis creatura insinuat quid credendum, quid expectandum, quid operandum. Et secundum hoc est triplex intelligentia spiritualis: allegorica, quid credendum: anagogica, quid expectandum: tropologica, quid operandum: caritas facit operari. Intelligentia literalis est quasi facies naturalis, scilicet hominis. Aliae sunt facies mysticae. Per leonem, qui habet magnificentiam, Allegoria, sive quid credendum. Per faciem bovis, qui trahit aratrum, et sulcat terram ad fructificandum, Tropologia, sive moralis. Per aquilam, quae in altum volat, Anagogia. Prima facies, scilicet literalis, aperta est. Secunda, Allegoria magnificentiae in altum elevatae. Tertia, Tropologia est fructuosa. Quarta, irreverberatis oculis solem intuetur. Hae quatuor sunt quasi visio maris propter spiritualium intelligentiarum primitivam originationem, profundissimam altitudinem et profluentissimam multiformitatem. Unde sicut tres personae in una essentia, sic tres intelligentiae in una superficie litterae. . . . In

sensu autem anagogico quatuor sunt facies, scilicet aeterna Dei Trinitas, exemplaris sapientia, angelica sublimitas, Ecclesia triumphans. Quando ergo Scriptura loquitur de illis, hoc pertinet ad anagogiam. In allegorico sensu sunt quatuor, scilicet humanitas assumpta, quantum ad nativitatem et passionem, quae sunt principales allegoriae. Secunda est Mater Dei Maria, quia mira dicuntur de ipsa in Scripturis, quia in omnibus Scripturis refertur relatione ad Filium. Et quod dicunt aliqui, quare ita pauca dicuntur de beata Virgine? nihil est: quia multa dicuntur de ea, quia ubique de ipsa, et plus dicitur de ipsa, quam si unus tractatus fieret. Tertia est Ecclesia militans, vel mater Ecclesia, quae miras laudes habet in Scriptura. Quarta est sacra Scriptura, quae de se multa dicit, ut patet de rotis, patet de micis, patet de mensa, patet de candelabro, patet de Cherubim. In sensu tropologico similiter quatuor facies sunt. Prima est spiritualis gratia et virtus et omnis intellectus influentia. Secunda, spiritualis vita, ut activa et contemplativa, et omnis modus vivendi. Tertia, spiritualis cathedra, ut magistralis, praelationis, pontificalis. Quarta, spiritualis pugna, quomodo sit pugnandum contra daemones, mundum et carnem. Istae sunt quatuor facies, quadruplicatae in quolibet sensu. Ponamus exemplum in uno vestigio de omnibus his, in sole scilicet, per quem aliquando Trinitas, aliquando sapientia exemplaris, aliquando angelica dispositio, aliquando Ecclesia triumphans signatur. De Trinitate dicitur *(Eccl. 42, 16): Sol illuminans per omnia respicit, et gloria Domini plenum est opus ejus.* Sol habet substantiam, splendorem et calorem. Sic Deus habet principium originans, Patrem; splendorem, Filium; calorem, Spiritum sanctum. Idem sol in caelo quantum ad substantiam, idem in oculo quantum ad lumen, idem in corpore quantum ad calorem. . . . De secunda anagogia, id est, de exemplari sapientia, dicitur (*Sap. 7, 29*): *Est enim speciosior sole, et super omnem stellarum dispositionem etc.* Est enim speciosa sapientia, quia lux; sed speciosior sole, quia sol intra se radium suum generare non potest. Sol autem aeternus intra se radium generat pulcherrimum. . . . Tertia anagogia, quia per solem intelligitur angelica sublimitas: *Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans (Eccl. 43, 4),* quia radius divinus, unus idemque triformiter susceptus, tres hierarchias facit. Quarta anagogia est de Ecclesia triumphante, quae etiam intelligitur per solem. Unde (*Abac. 3, 11*): *Sol et luna steterunt in habitaculo suo,* quando anima et corpus glorificantur; et tunc vadunt *in lucem sagittarum* multarum, propter subitas operationes suas in virtute Dei fulgida et subita. In allegoria similiter per solem intelligitur Christus: *Oritur sol, et occidit* (Eccl. 1, 5—6). Oritur in nativitate, occidit in morte. *Gyrans per meridiem* in ascensione; *flectitur ad aquilonem* in judicio. De primo: *Orietur enim vobis timentibus nomen meum sol justitiae (Malach. 4, 2).* De secundo dicitur: *Occidit ei sol in meridie (Amos 8, 9).* In meridie sol occidit Judaeis. Quando enim Christus fuit in majori sua virtute, scilicet post resurrectionem et ascensionem, Judaei fuerunt excaecati. De judicio dicit Jacobus *(1, 11): Exortus est sol cum ardore, et cecidit flos, et foenum aruit.* Secunda allegoria de beata Maria dicitur in Psalmis (*Ps. 18, 6*): *In sole posuit tabernaculum suum.* Unde est *pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata (Cant. 6, 9).* Unde est vas luminis susceptivum, sicut sol, vas admirabile, opus excelsi Dei de caelo. Tertia allegoria de Ecclesia dicitur in Ecclesiastico (*26, 21*): *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonae species in ornamentum domus suae.* Haec mulier, vel domus, est Ecclesia; mulier, quia activa; domus Dei, quia contemplativa. Mulier enim ista est Martha, quae Christum recipit (*Luc. 10, 41*), et multipliciter occupatur. Quarta allegoria est de sacra Scriptura, de qua dicitur (*Gen. 1, 16*): *Fecit Deus duo luminaria magna, luminare minus, ut praeesset nocti,* scilicet vetus testamentum, et *luminare majus, ut praeesset diei,* scilicet novum testamentum. Sicut luna lumen habet a sole, sic vetus a novo. Quando ergo sol stat in oriente, et luna opposita sibi in occidente, cum dicat Josue (10, 12): *Sol ne movearis contra Gabaon, et luna contra vallem Ailon;* tunc vetus testamentum illuminatur, aliter intelligi non potest nisi per novum. In tropologia similiter intelliguntur quatuor facies. Primo, Spiritus sancti gratia, ut habetur (*Esth. 11, 11*): *Sol ortus est, et humiles exaltati sunt,* scilicet quando Deus per gratiam habitat in nobis. Unde, sicut sol continue illuminat, sic anima continue debet recipere illuminationes a gratia Spiritus sancti. Secundo, per solem intelligitur spiritualis vita. Unde dicitur (*Eccl. 27, 12*): *Homo sanctus in sapientia manet ut sol, nam stultus ut luna mutatur. . . .* Tertio intelligitur spiritualis cathedra, sive doctrinae, sive praelationis, sive judiciaria. Unde dicitur (*Ps. 88, 38*): *Justitia ejus sicut sol in conspectu meo semper, et sicut luna perfecta.* Praelatus est sicut sol quantum ad documenta veritatis, luna quantum ad exemplar virtutis: vel sol sapientiae, luna scientiae: vel sol in quantum judicat, luna in quantum miseretur. Quarto, per solem intelligitur spiritualis pugna. De quo: *Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum (Matth. 24, 29).* Quando pugna erit inter Christum et antichristum, inter doctrinam veritatis et falsitatis, tunc sol erit *sicut saccus cilicinus (Apoc. 6, 12),* et ars doctorum veritatis, vel praelatus secundum veritatem obscurabitur per errorem. Alii autem stabunt fortissimi, etsi videantur obscuri quantum ad reputationem. Hae sunt quatuor facies animalium, et duodecim lumina, ad quae reducuntur omnia, quae in Scriptura continentur.“ *Serm. 13. in Hexaëm.*

[16] „Prophetia non habet pro principali objecto et motivo ea, quae propheta praenuntiat, sed solum habet pro objecto materiali, circa quod ipsa prophetia versatur. Unde propheta non assentit ei, quod praenuntiat, propter se, sed propter veritatem ipsum illuminantem et erudientem. . . . Non est simile de fide et prophetia, quia fides in suo objecto cui assentit, requirit aliquid, quod habeat rationem motivi; sed prophetia nihil tale requirit in prophetato, sed totam rationem suae cognitionis sumit ab inspirante, ideo non sequitur, quod si prophetia est de aliquo, de illo debeat esse fides, sicut de objecto.“ *3. dist. 24. a. 1. q. 2. ad 5.*

[17] „Subserviunt ei omnia artificia, et ad sui manifestationem assumit omnia artificiorum genera, tam in laneis, lineis, pellibus, quam in lignis, metallis, lapidibus; tam in vasis aureis, argenteis, et etiam nauticis, quam in aliis instrumentis; tam in domibus, quam in templis, et aliis aedificiis; tam in imaginibus, quam in aliis picturis, et caelaturis. Haec est enim arca Noë, et Moysi tabernaculum

Domini, turris et civitas David, thronus Salomonis, et caenaculum grande stratum. Haec est vestis Aaron, in qua descriptus erat orbis terrarum, et parentum magnalia in quatuor lapidum ordinibus erant sculpta. Haec tunica Christi inconsutilis desuper contexta per totum. Haec magni Eliae pallium, in cujus receptione Elisaeus duplici Eliae repletus est spiritu. Haec psalterium regis David cum omnibus tubis et citharis. Unde non potuit nisi a dextera summi opificis exire. Ad haec potest adjici illud Isaiae 48, 13: *Manus mea fundavit terram, et dextera mea mensa est caelos.* Per terram enim et caelum, quae sunt extrema mundi, universum orbem significare intendit. Unde potest dici de ea illud Proverb. 8, 27: *Quando praeparabat caelos, aderam.*" *De sac. Script. dign. et excell. § 7.* Supplem. vol. II. Cfr. *Serm. 17 in Hexaëm.*

[18] Plura exempla videri possunt in *serm. 13, in Hexaëm. in fine.*

§ 6. De modo procedendi ipsius sacrae Scripturae.

(Modus procedendi sacrae Scripturae communis est unus, nempe authenticus, — sub quo multi reponuntur; — et quare: — nihil in sacra Scriptura est falsum, superfluum vel diminutum.)

In tanta igitur multiformitate sapientiae, quae in ipsius sacrae Scripturae continetur latitudine, longitudine, altitudine et profundo, unus est communis modus procedendi, videlicet authenticus [a)], intra quem continetur modus narrativus, praeceptorius, prohibitivus, exhortativus, praedictivus, comminatorius, promissivus, deprecatorius et laudativus [b)]. Et omnes hi modi sub uno modo authentico reponuntur; et hoc quidem [c)] satis recte [1]. Quia enim haec [d)] doctrina est, ut boni fiamus et salvemur, et hoc non fit per nudam considerationem, sed potius per inclinationem voluntatis; ideo Scriptura divina eo modo debuit tradi, quo [e)] magis possemus inclinari. Et quia magis movetur affectus ad exempla, quam ad argumenta, magis ad promissiones, quam ad ratiocinationes, magis per devotiones, quam per definitiones; ideo Scriptura ista non debuit habere modum definitivum [f)], divisivum et collectivum, ad probandum passiones aliquas de subjecto, ad modum aliarum scientiarum, sed oportuit, quod haberet modos proprios secundum varias inclinationes animorum, diversimode animos inclinantes, ut [g)] si quis non movetur per praecepta et prohibita, saltem moveatur per exempla narrata; si quis non per haec movetur [h)], moveatur per beneficia sibi ostensa; si quis nec per haec movetur, moveatur per monitiones sagaces, per promissiones veraces, per comminationes terribiles, ut sic saltem excitetur ad devotionem et Dei laudem, in qua percipiat [i)] gratiam, per quam dirigatur circa opera virtuosa. Quoniam igitur hi modi narrativi non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt; ideo ne Scriptura ista tanquam dubia vacillaret, ac per hoc minus moveret, loco certitudinis rationis [j)] providit Deus huic Scripturae certitudinem auctoritatis, quae adeo magna est, quod omnem perspicacitatem [k)] humani ingenii superexcellit [2]. Et quia non est certa auctoritas ejus, qui potest fallere vel [l)] falli, nullus autem sit [m)], qui falli non possit et fallere nesciat, nisi Deus et Spiritus sanctus; hinc est, quod ad hoc, quod Scriptura sacra modo sibi debito esset perfectae auctoritatis, vel [n)] authentica [o)], non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam [3]. Ideo nihil in ipsa contemnendum tanquam inutile [4], nihil respuendum tanquam falsum [5], nihil repudiandum tanquam [p)] iniquum [6], pro eo quod Spiritus sanctus ejus auctor perfectissimus nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum [7], et propterea caelum et terra transibunt, verba Scripturae sacrae non praeteribunt, quin impleantur, *donec* enim *caelum et terra transeat, jota* [q)] *unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant (Matth. 24, 35),*

a) Ita recte in ed. 1484.
b) Praeceptorius, prohibitorius, exhortatorius, praedictorius . . . promissorius, . . et laudatorius. Ita in ed. 1484.
c) Quidem om. ed. 1484.
d) Haec om. ibid.
e) Ita ibid. In aliis repetitur modo.
f) Et ed. 1484.
g) Uti ibid.
h) Movetur per haec ibid.
i) Percipiet ibid.
j) Minus rationis loco certitudinis moveret ibid.
k) Ita ABC DEF: perspicuitatem ed. Rom. et 1484.
l) Ita omnes codd. Monac.; et ed. Rom.
m) Sit om. ABCDEG. Est ed. 1484.
n) Ita in ed. 1484. In aliis: perfecte authentica.
o) Quae additur ed. 1484.
p) Respuendum tamquam irritum vel iniquum, ibid.
q) Enim ed. 1484.

Salvatore testante. *Qui ergo solverit* ea, quae Scriptura docet, *et docuerit sic homines, hic* [r] *minimus vocabitur in regno caelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum (Ibid. 5, 18—19)* (I).

r) Hic om. ABDFGHK, et ed. 1484.

(I) Ad rem Concilium Tridentinum: „Ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat; etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent.“ *Sess. IV. Decr. de edit. et usu sac. lib.* Hoc autem decretum Concilium Vaticanum renovavit et declaravit his verbis: „Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari.“ *Constit. dogm. de fide cath., cap. 2.*

Ad § 6.

[1] „Modum tractandi, quo sacra Scriptura contexitur, reprehendunt indocti, secundum Rabanum. Procedit enim narrando, praecipiendo, prohibendo, comminando, promittendo; qui modus potius ad legem pertinet, quam ad artem, quae procedit per modum quaestionis, responsionis, oppositionis, solutionis, nunc diffiniens, nunc dividens, nunc arguens, nunc concludens. Erroris primi (*Vide not. 4. hujus §*) et tertii destructio est, quia Scriptura sacra est de Deo, tamquam de subjecto nobilissimo et arduissimo, unde Theologia dicitur. Destruitur etiam per hoc, quod omne genus veritatis et sapientiae in Scriptura sacra reperire contingit, secundum Augustinum (*lib. 2, de Doct. chr. c. 41, in fin.*). Ait enim sic: Quidquid homo extra sacram Scripturam didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quis invenerit omnia, quae utiliter alibi didicerit, multo abundantius ibi inveniet ea, quae nusquam omnino alibi, sed illarum tantummodo scripturarum mirabili altitudine, et mirabili humilitate discuntur. Idem etiam ait, quod in ipsa omnis philosophia reperitur, logica, physica, ethica (*Aug. 2. epist. 3. non procul a fine*). Isidorus etiam (*Etym. lib. 2. c. 24*) de libris exemplificat, in quibus specialiter praedicta tractantur, dicens: In his tribus generibus philosophiae, logicae, physicae, ethicae, etiam eloquia divina consistunt. Nam aut de natura disputari solet, ut in Genesi et Ecclesiaste; aut quantum ad rerum naturalium generationem et corruptionem et alterationem; aut de moribus, ut in Proverbiis, et in omnibus sapientialibus libris; aut de logica, pro qua nostri Theologiam sibi vindicant, ut in Canticis et Evangeliis. Cassiodorus super Psalmos *(95 et 144 in fin.)* ad veritates in speciali descendit, ostendens ex quibus locis Scripturarum sacrarum philosophi veritates libris suis insertas acceperunt, nunc de Topicis Aristotelis, nunc de Geometria Euclidis, nunc de aliis philosophis faciens mentionem. Unde in libro de sacrae Scripturae institutione (*in prol. post med.*) sic dicit: Constat quidem in origine spiritalis sapientiae, scilicet Scripturae sacrae, aut disciplinarum, aut artium liberalium initia, seu indicia fuisse seminata; quae postea doctores saecularium literarum ad suas literas prudentissime transtulerunt. Quod apto loco in expositione psalterii fortasse probabimus. Recte ergo dicitur in Ecclesiastico (*19, 18*): *In omni sapientia dispositio legis.* Et non immerito, quia in dispositione Angelorum data est. De libro Job sic dicit Hieronymus (*Ep. 103, ad Paulin.*), quod hic liber omnes leges dialecticae, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Cujus verbi Cassiodorus, ubi prius, faciens mentionem, sic ait: Si ita est, imo, quia aliter esse non potest, quod tanti viri probat auctoritas, ubi sunt, qui dicunt artem dialecticam a Scripturis sanctissimis non coepisse? Contra istos loquitur Basilius (*in hexaëm. hom. 3 post med.*): Nullus argumentationem illorum, qui de caelo disputant, disputationi spiritualium velit conferre sermonum. Quantum enim caste viventium mulierum pulchritudo meretriciae formositati praeponitur, tantum noster sermo dignoscitur praelatus esse illorum doctrinae. Unde in libro Sapientiae (*7, 26*) dicitur: *Candor est lucis aeternae etc.*“ *Princ. sacr. Script. circ. med.*

[2] Igitur „nihil recipiendum est, quod ab ecclesiasticorum magistrorum et approbatorum theologorum traditione dissonat, nec revocandum in dubium, quod ab eis universaliter cum testimoniis sanctorum Patrum fuerit rationabiliter definitum; quia, veritate reperta, qui curiose per supervacuam subtilitatem altius perscrutando fodere nititur profunda Scripturarum, quasi novi aliquid reperturus, quod ab aliis non fuerit inventum, vanitatem diligens, mendacium quaerit.“ *De profect. Relig. l. 2. c. 72.*

[3] „Ad illud quod objicitur, quod habitus cognoscendi debet conformari ipsi cognoscibili, dicendum quod istud habet veritatem, quando habitus cognoscendi pendet ab ipso cognoscibili secundum exigentiam in proprio genere, sicut est scientia acquisita secundum causas et rationes

inferiores. Sed de eo genere cognitionis, quod non pendet ab ipsa re cognita, non est necesse quod conformetur ipsi cognoscibili secundum exigentiam sui in se, sed secundum exigentiam sui in causa. Et talis est cognitio fidei et prophetiae et cujuslibet revelationis divinae, quae non pendet ab eo quod creditur, vel quod revelatur, sed ab illo lumine, per quod ad hoc cognoscendum illuminatur. Et quia illud lumen certum est etiam de re contingente; hinc est, quod cum habitus fidei conformetur ei, a quo dependet, non potest falsificari, nec vacillare propter contingentiam crediti." *3. dist. 24. a. 1. q. 1. ad 2.* Verum de revelatione uberius agetur *cap. 1. part. 1.*

[4] „Sunt, qui insipientiam in sacram Scripturam impingunt, secundum quod insinuat Apostolus: *Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt* (*1. Cor. 1, 22*). Impingunt autem insipientiam rei, verbi et modi. Rei, quoniam de rebus humilibus videtur agere, utpote de jugulatione pecorum, de lepra domorum vel vestium, de contextione genealogiarum, et quibusdam aliis, quae parum, aut nihil ad sapientiam animi, vel bonitatem conferre videntur, cum tam ars, quam virtus, consistant circa arduum et difficile. Talem se fuisse confitetur Augustinus ante suam plenam conversionem ad Christum, dicens: Itaque institui animum intendere in Scripturas sacras, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, et velatam mysteriis. Et non eram ego talis, ut intrare possem in eam, aut cervicem inclinare ad ejus gressus. Non enim, sicut modo loquor, ita sensi, cum attendi ad illam Scripturam. Sed visa est mihi indigna, quam dignitati Tullianae compararem, tumor enim meus refugiebat modum illius, et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat, quae cresceret cum parvulis, sed ego dedignabar esse parvulus (*lib. 3. Confess. c. 5*). Simplicitatis et insipientiae verbi lex divina frequenter arguitur, sed ab illis, qui post quarundam literarum saecularium verbosam, potius quam fructuosam eloquentiam ad sacram Scripturam recenter accedunt, secundum quod de seipso beatus Hieronymus scribit ad Eustochium, dicens: Itaque miser ego lecturus Tullium, jejunabam, et post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum conversus, Prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus: et quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis...."

... Contra secundos Scripturarum arguentes de simplicitate dicendi et defectu eloquentiae, loquitur Augustinus (*lib. 4. de doct. chr. c. 6*): Ubi literarum sacrarum auctores intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes, qui recte intelligunt, quod illi loquuntur, simul intelligere non aliter eos loqui debuisse. Sicut enim est quaedam eloquentia, quae magis aetatem juvenilem decet, est quae senilem, nec jam dicenda est eloquentia, si personae non congruat eloquentis; ita est quaedam, quae viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa. Et paulo infra: Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes et ornamenta eloquentiae, de quibus inflantur isti, qui linguam suam auctorum nostrorum linguae non magnitudine, sed rumore praeponunt, in literis divinis ostendere."

... Quartus defectus, quem errantes in Scripturam solent impingere, est superfluitas. Dicunt enim, quod genealogias superfluas texit, et historias productas ponit, et multa inutiliter repetit. Hunc errorem tangit et reprobat Rabanus (*in Gen. c. 171, 181*), dicens: Verba quaedam de arcanis legis sunt, in quibus erraverunt multi. Haec autem sunt historiae et narrationes, quae repetuntur in lege, et rememoratio generationum filiorum Noë. Et subjungit in fine capitis: Sed scito, quod cujuscumque rei rationem non advertis in lege, res illa causam habet fortem, secundum quod dixerunt sapientes, non est aliquid frustra in nobis, id est, in sapientia tradita nobis; quod si frustra est, ex nobis est, id est, ex defectu scientiae nostrae. Nam injustis sacra Scriptura videtur injusta, insipientibus stulta, obscoenis immunda, vanis superflua. Sic e contra, sapientibus videtur omnis sapientiae contentiva. Propter quod Gregorius (*lib. 6. Mor. c. 9*) comparat eam mannae. Quod vero aliena sit a Scriptura superfluitas omnis, manifestum est testimonio Salvatoris, cum dicit: *Amen quippe dico vobis, jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant etc.* (*Matth. 5, 18*). Non solum ergo minima litera jota superfluit, sed nec litera minor apex, qui literarum ambiguitatem distinguit: quanto magis nulla Scripturae sacrae syllaba, vel dictio, vel sententia superfluere potest. Propter quod de libris illis, qui maxime videntur narrare superflua, dicit Hieronymus (*ep. ad Paulin. 103*): In Levitico singula sacrificia, imo singulae syllabae, et vestes Aaron, et totus ordo Leviticus spirant caelestia sacramenta. Numeri vero nonne totius arithmeticae mysteria continent? Liber Paralipomenon tantus est, quod sine eo scientiam Scripturarum si quis voluerit sibi arrogare, seipsum irrideat. Per singula quoque nomina juncturasque verborum, et praetermissae in libris Regum narrantur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones. Unde Cassiodorus (*de div. lect. c. 16*): In Scripturis sanctis nimietas non arguitur, sed magis importunitas crebra laudatur. Et merito, quia quanto notitia rerum salutarium plus discitur, tanto amplius credentibus atque operantibus aeterna vita praestatur. Praeterita sine falsitate describuntur. Praesentia, plus quam videantur, ostenduntur. Futura quasi perfecta narrantur. Ubique in eis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura." *Princip. sac. Script. post med.*

[5] „Haereticus judicaretur, qui pertinaciter negaret, quae in sacra Scriptura scribuntur.... Quia enim sacra Scriptura est edita ab ipsa veritate increata, et a Spiritu sancto, qui contradiceret sacrae Scripturae, contradiceret ei, cui fides assentit propter se, videlicet ipsi summae veritati." *3. dist. 24. a. 1. q. 2. ad 4.*

[6] „Solent in Scripturam sacram quatuor genera defectuum homines infelices impingere, scilicet injustitiae, insipientiae, inhonestatis et superfluitatis. De primo errore fuerunt quidam professores veteris testamenti, secundum quod in Ezechiele scriptum est: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt: et non est aequa via Domini* (*18, 2*). Hujus erroris ex lege divina sumebatur occasio, Deo dicente in Exodo: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis et zelotes, visitans iniquitatem patrum in*

filios usque in tertiam et quartam generationem (20, 5). Propter haec et similia quidam legem Mosaicam opinantur injustam, et a Deo bono et justo minime datam fuisse mentiuntur, ut Marcionistae et Cerdoniani, secundum quod recitat Damascenus (*lib. de haer.*). . . . Legis autem justitia, tam in novo, quam in veteri testamento commendatur. In Ecclesiastico quippe scriptum est: *Legem mandavit Moyses in praeceptis justitiarum (24, 33).* Et in libro Sapientiae (*6, 5*) nominatur lex justitiae. De ipsa etiam dicit Apostolus: *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (Rom. 7, 12).* Legis etiam divinae justitia velut a populi ore probatur per humanarum rerum justitiam, quae a divina lege derivatur, secundum quod aperte docet Origenes (*l. Num. c. 27*).

. . . Tertium genus maculae, quod in sacram Scripturam impingunt, est inhonestas, secundum quod patet per Augustinum (*l. 22. c. 2. contr. Faustum*). Dicebat enim Faustus, quod Hebraeorum scriptores, tamquam lepram, aut scabiem, abominanda et turpissima praecepta, scilicet verbis Dei, commiscebant in lege. Et est erroris hujus occasio, quod tam de corporalibus immunditiis, quam spiritualibus, mentio fit in lege divina. Hunc errorem tangit Radulphus, nobilis expositor super Leviticum (*l. 13. c. 4. prope fin.*), ubi de praedictis immunditiis diffuse tractatur, sic inquiens: Multi, cum in Scripturis talia reperiunt, abominantur, avertunt auditum, et pene, si audiunt, legem divinam, quod in ea talia scripta sint, reprehendere nituntur. Contra quos idem alibi (*in Lev. l. 14. c. 6. prope med.*) invehitur: Nos temeraria praesumptione arguimus lucem, quae nos ipsos nobis ostendit: arguimus verbum Dei, quod sine suo vitio vitia nostra reprehendit. Quid agis humana superbia? Tantae sunt sordes tuae, in has faeces devoluta es, ut sermo Dei, qui curam tui suscepit, non aliter tibi subvenire posset, nisi in stercora tua quodammodo manus mitteret, et ut tibi sordes detrahat, si dici fas est, ipse contraheret. Sicut tamen radius solis incontaminatus cloacas penetrat; sic stylus Spiritus sancti attingit ubique propter sui munditiam, et nihil inquinatum incurrit in illum. Et subdit: Scriptura sacra quasi tibi potio temperata est. Si ejus amaritudo palatum tuum contristat, quid accusas medicum? Et paulo post: Deus enim, magnus medicus, magnum suscepit aegrotum, universum genus humanum. Huic languido, quia diversi sunt mores, variae aegritudines, varias etiam in verbo suo temperavit confectiones. Quod non prodest tibi, prodest alteri. Neque enim tuum tantummodo in Scriptura sacra agitur negotium. Omnium est ibi salus reposita. Si igitur sentis te talem non esse, qualem Scriptura describit, gratias age Deo, qui a talibus te servavit. Aliis tamen adhuc languentibus ne velis subtrahi medicinam. Omnia ergo, quae in volumine legis invenis, comede, secundum quod in Ezechiele (*3, 1*) scriptum est. Nil ducas spernendum, nil aestimes abjiciendum, ex hoc enim quod sacra Scriptura detestando narrat enormia, non solum non vituperari, verum etiam extolli meretur secundum Augustinum, qui de speculo et luce idem ponit ad exemplum (*l. 2. c. 60, 61. cont. Faust.*), sic dicens: Peccatum Lot, cui perhibitum est, antequam peccaret, justitiae testimonium, non modo non decolorat divinitatem Dei, vel Scripturae illius veritatem; verum etiam laudandum diligendumque commendat, quod tamquam speculi fidelis nitor admotarum sibi personarum, non solum quae pulchra, atque integra, sed etiam quae deformia sint, atque vitiosa indicat. Et mox: Numquid cujusquam membra distorta depravant lucem, quae cuncta demonstrat? Sic nec cujuspiam malefacta malam Scripturam faciunt, qua prodente, legentibus innotescunt. Verumtamen non semper, cum turpium facit mentionem, verbis utitur manifeste turpibus; sed juxta periphrasim loqui consuevit, quae figura circuitu et circumlocutione verborum foeditatem evitat, secundum Isidorum (*Etym. l. 1. c. 20 de Tropis*). Unde et Rabanus sic ait: Loquela Hebraea vocata fuit loquela sanctitatis; illud autem non putes, quod fuerit propter electionem nostram, sed recte vocatum fuit hoc linguagium. In ipso namque non invenies nomen unum proprium fornicationis, nec invenies nomen impositum alicui membro, quod turpe est nominare; sed loquitur de eis per verba transumpta et accommodata. Merito ergo vocatur lex disciplinae in Ecclesiastico (*45, 6*), ac sanctissima et gravissima in Machabaeis (*2. 6, 28*)". *Princip. sac. Script. circa med.*

[7] „Dupliciter contingit loqui de objecto fidei. Nam uno modo potest dici objectum fidei, circa quod ipsa fides versatur, tamquam circa illud, quod credit esse verum, sive illi assentiat propter se, sive propter aliud. Et hoc modo non tantummodo est circa verum increatum, verum etiam circa verum creatum, quia fides non tantum credit ipsi divinae veritati in se, sed etiam his, quae sibi ab ea dictantur, quae sunt multa vera creata. Si autem loquamur de objecto fidei secundum propriam acceptionem, prout dicitur objectum, quod habet rationem motivi, sic objectum fidei est verum increatum. Et sicut contingit intelligere in visu, quod lucidum dupliciter movet visum, vel prout est abstractum, vel prout est terrenae materiae incorporatum; sic ipsa divina veritas dupliciter movet ipsum intellectum per fidem illuminatum, vel per se, sicut in articulis spectantibus ad ipsum Deum secundum divinitatem; vel ut est unita creaturae, sicut in illis articulis respicientibus ipsum Deum in sua humanitate assumpta; vel in operatione ab ipso creata, sicut in creatione, reparatione et glorificatione. Concedendum ergo est, quod objectum fidei proprium, secundum quod habet rationem motivi, est verum increatum." *3. dist. 24. a. 1. q. 2.*

§ 7. De modo exponendi sacram Scripturam.

(Abscondita sunt manifestanda per Scripturam magis patentem; — ad quod valde confert Bibliae literam memoriae commendare. — Non ubique est requirenda allegoria, — nec omnia mystice sunt exponenda. — Attendatur ad triplicem S. Augustini regulam. — Veritas theologica, seu ipsius sacrae Scripturae, per verba explicita praenoscatur; — ad quam addiscendam Seraphicus Doctor BREVILOQUIUM conscripsit. — Ratio hujus operis.)

Quemadmodum autem [a] Scriptura haec specialem [b] habet modum procedendi, sic juxta suum procedendi modum speciali suo modo debet intelligi et exponi. Cum enim

a) Autem om. in ed. 1484.

b) Spiritualem ibid.; sic et inferius spirituali.

ipsa sub una litera multiplicem tegat intelligentiam, expositor debet abscondita producere in lucem, et illam eductam manifestare per aliam Scripturam magis patentem. Sicut si exponerem [c] illud Psalmi: *Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi (Psalm. 34, 2),* et [d] velim explicare, quae sint [e] arma divina, dicam, quod ejus veritas et bona voluntas; et quod ita sit, probatur per Scripturam apertam, nam et scribitur [f] alibi: *Scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos (Psalm. 5, 13);* et iterum: *Scuto circumdabit te veritas ejus (Psalm. 90, 5).* Ad quod non potest quis de facili pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et literam Bibliae commendet memoriae [1], alioquin in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens [2]. Unde sicut qui dedignatur prima addiscere [g] elementa, ex quibus dictio integratur, nunquam potest noscere [h] nec dictionum significatum, nec rectam legem constructionum; sic qui literam sacrae Scripturae spernit, ad spirituales ejus intelligentias nunquam assurget [3]. Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda. Propter quod notandum est [i], quod Scriptura sacra quatuor habet partes. Una est [j], in qua secundum literam agit de mundanis naturis, et per illas significat reparationem nostram, sicut apparet in descriptione formationis mundi. Alia est, in qua agit de actibus et processibus illius populi Israëlitici, et per illos significat reparationem generis humani. Tertia est, in qua nudis verbis significat et exprimit ea, quae pertinent ad nostram salutem, quantum ad fidem vel mores. Quarta est, in qua praenuntiat nostrae salutis mysterium, partim verbis nudis, partim aenigmaticis et obscuris; et propterea Scriptura in his locis variis non est uniformiter exponenda.

c) Exponeret ibid.
d) Si addit. ibid.
e) Sunt ibid.
f) Describit pro et scribitur, ibid.
g) Ita Codd. Monac. et ed. 1484; edi-scere ed. Rom.
h) Noscere B DEFGHK, cognoscere ed. Rom.; nosse ed. 1484.
i) Est om. A CDFGHK.
j) Est om. ed. 1484.

Debet autem expositor dirigi in expositione sacrae Scripturae secundum triplicem regulam, quae trahi potest de verbis beati Augustini *(de doctr. christ. l. 3. c. 10 seqq.).* Prima est haec: ubicumque in hac Scriptura prima verborum significatio significat res creationis, sive singulares actus [k] humanae conversationis, ibidem res significatae per verba primo significantur, deinde nostrae reparationis mysteria. Ubi vero prima significatio verborum exprimit fidem sive caritatem, ibi nulla est allegoria quaerenda.

k) Singulas res ibid.

Secunda regula est ista [l]: ubi verba hujus Scripturae significant res creationis aut conversationis [m] populi Israëlitici, ibi quaerat ex alio Scripturae loco, quid [n] quaelibet res significet, et deinde significationem suam eliciat per verba nude significantia fidei veritatem, vel morum etiam [o] honestatem; utpote [p] si dicatur: *Oves pariunt gemellos fetus (Cantic. 4, 2),* ostendat [q] quod oves significant ibi homines, et geminus fetus geminam caritatem.

l) Illa ibid.
m) Conversionis ibid.
n) Quidquid ibid.
o) Etiam om. ibid.
p) Ut ibid.
q) Ostendit ibid.

Tertia regula est ista: quando aliqua Scriptura habet aliquem intellectum literalem et spiritualem, debet discutere [r] expositor, utrum illa attributio conveniat historico an [s] spirituali significato, si forte utrique non poterit [t] convenire [4]. Si autem [u] utrique competit, tunc literaliter et spiritualiter debet affirmari [5]. Si vero altero modo tantum, tunc spiritualiter solum debet intelligi: sicut sabbatum legis esse perpetuum, sacerdotium aeternum, possessionem terrae aeternam, et pactum circumcisionis esse aeternum, quae omnia ad spirituale significatum referenda sunt.

r) Excutere ibid.
s) Aut ibid.
t) Potest ibid.
u) Et si ibid.

Ad hoc autem, quod per sacrarum Scripturarum silvam quis secure incidendo et exponendo incedat, opus est, ut prius noverit ipsius sacrae Scripturae veritatem per verba explicita, videlicet, ut attendat, quomodo Scriptura describat initium, progressum

et consummationem duplicis corporis, quasi ex opposito se respicientium; bonorum scilicet, qui hic se humiliant, ut exaltentur sempiternaliter in futuro, et malorum, qui hic se exaltant, ut aeternaliter deprimantur [v]. Unde ipsa agit de toto universo, quantum ad summum et imum, primum et ultimum, et quantum ad decursum intermedium, sub forma cujusdam crucis intelligibilis, in qua describi habet et quodammodo videri lumine mentis tota machina universi, ad quam quidem intelligendam oportet nosse rerum principium, scilicet Deum [x], ipsarum rerum creationem, lapsum, redemptionem per sanguinem Jesu Christi, reformationem per gratiam, curationem per sacramenta, et tandem retributionem per poenam et gloriam sempiternam.

Et quia haec doctrina tam in scriptis Sanctorum, quam etiam [y] Doctorum, sic diffuse tradita est, ut ab accedentibus ad Scripturam sacram audiendam non possit per longa tempora videri nec audiri, propter quod etiam [z] novi theologi frequenter ipsam Scripturam sacram exhorrent tanquam [aa] incertam et inordinatam [bb] et tanquam silvam opacam; rogatus a sociis, ut de paupertaticula [cc] scientiolae [dd] nostrae aliquid breve in summa dicerem de veritate Theologiae eorumque precibus devictus, assensi *breviloquium* quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis opportuna ad [ee] tenendum breviter tangerentur [ff], addens simul cum hoc rationem aliquam ad intelligendum (I), secundum quod occurrebat pro tempore [6]. Quia vero Theologia [gg] sermo est de Deo et de primo principio, utpote quia ipsa, tanquam scientia et doctrina altissima, omnia resolvit in Deum, tanquam in principium primum et summum; ideo in assignatione rationum in omnibus, quae in hoc toto opusculo [hh] vel tractatulo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem veritatem sacrae Scripturae esse a Deo, et de Deo, et secundum Deum, et propter Deum [ii], ut merito ista scientia appareat una esse et ordinata, et Theologia non immerito nuncupata. Si quid igitur imperfectum, vel obscurum, vel superfluum, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi et brevitati temporis et pauperculae scientiae concedatur; si quid [jj] vero rectum [kk], soli Deo honor et gloria referatur.

Ut autem sequentia clarius elucescant, titulos particulares [ll] capitulorum praemittere curavi *) ad faciliorem memoriam et lucidiorem contuitum dicendorum, quae septem partitionibus [7] et septuaginta duobus capitulis distinguuntur.

v) Et .. deprimuntur ibid.

x) Scilicet et infra Jesu Christi om. ABCDEFG HK.

y) Etiam om. ed. 1484.

z) Etiam om. ibid.

aa) Quandam ante silvam add. ABCDE FGHK, et in ed. 1484.

bb) Tanquam incertam et inordinatam om. in ed. 1484.

cc) Ita plures Codd. Krabb. Alii: Paupere portiuncula. Ed. 1484. paupercula.

dd) Scientiae ed. 1484.

ee) Ad om. ibid.

ff) Tangentur, ibid.

gg) Theologicus ibid. male.

hh) In toto hoc opusculo om. ibid.

ii) Et propter Deum om. ibid.

jj) Quod ibid.

kk) Ibi fuerit addit. ibid.

ll) Speciales ibid.

*) Titulos hos singulis capitulis superposuimus.

(I) Quum S. D. de usu rationis ad veritates fidei illustrandas, contra quem usum nostra praesertim aetate tot errores irrepserunt, aliquid hic loci innuat, juverit per integrum referre, quae *de fide et ratione* Concilium Vaticanum, *sess. III. cap. 4,* definivit. „Perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus *(Rom. 1, 20)*, quia gentibus Deum, *per ea, quae facta sunt (Jo. 1, 17)*, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est, pronuntiat (*1. Cor. 2, 7—8, 10*): *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit .... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et ipse Unigenitus confitetur Patri (*Matth. 11, 25*), quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis.

„Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum

e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita *peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (*2. Cor. 5, 6—7*).

„Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus (*Concil. Lat. V. Bulla Apostolici Regiminis*). Porro Ecclesiae, quae una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur *per philosophiam et inanem fallaciam* (*Coloss. 2, 8*). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

„Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat, aut despicit; fatetur imo eas, quemadmodum a Deo scientiarum domino (*1. Reg. 2, 3*) profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

„Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia.“ (*Vincent. Lirin.* Common. n. 28.)

Ad § 7.

[1] „Oportet operari in sacra Scriptura, et exercitari intellectum. Sed multos inveni exercitantes corpus, paucos ingenium. Haec exercitatio est spiritus ad pietatem. Unde in Proverbiis dicitur: *Per agrum hominis pigri transivi et per vineam, et ecce totum repleverant urticae et spinae* (*14, 32*). Hoc fit, quando homo habet bonam dispositionem, et non exercet eam, sed crescunt ibi urticae malignitatis, spinae cupiditatis. Maceria lapidum virtutum destruitur propter dissipationem cogitationum. Et hinc dicitur in Proverbiis: *Praepara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum* (*24, 27*).“ *Serm. 19. in Hexaëm. prope init.*

[2] „Modus studendi debet habere quatuor conditiones, scilicet ordinem, assiduitatem, complacentiam, commensurationem .... Est ergo ordo, ut prius studeat homo in Scriptura sacra quantum ad literalem sensum, post in originalibus, et ista subjiciat sacrae Scripturae: similiter in scriptis magistrorum, et in scripturis philosophorum, sed transeundo et furando, quasi ibi non permanendum. Quid lucrata fuit Rachel, quod furata fuit idola? Tantum fuit lucrata, quod mentita fuit, et simulavit infirmitatem, et abscondit ea subter stramenta cameli, et sedit desuper: sic quando quaterni philosophorum absconduntur. Aquae enim nostrae non debent descendere ad mare mortuum, sed in suam primam originem. Secundo oportet habere assiduitatem. Impedimentum enim maximum lectio vagabunda, quasi placens modo hoc, modo illud legere, modo aliud facere. Vagatio exterior signum est vagationis animae; et ideo talis non potest proficere, quia non figitur in memoria, sicut ponit exemplum Gregorius: Quando homo vidit faciem hominis semel, non ita perfecte postea cognoscet. Sic de sacra Scriptura, quia primo faciem obscuram habet, postea, quando frequenter videtur, efficitur familiaris. Tertio oportet habere complacentiam. Sicut enim Deus proportionavit gustum et cibum, quia cibus dat saporem gustui, qui habet vim discretivam, et ex his duobus cibus incorporatur; sic primo oportet sumere Scripturam, postea masticare, deinde incorporare. Ad quid homo bibet aquam turbidam? *Quid tibi in via Aegypti, ut bibas*

aquam turbidam (*Jerem. 2, 18*)? sed bibe aquam salutarem sapientiae ... Quartum est commensuratio, vel non plus sapere, quam oportet (*Rom. 12, 3*). Unde ait Sapiens: *Mel invenisti? comede quod tibi sufficit, ne forte satiatus evomas illud* (*Prov. 25, 16*). Ne plus te extendas, quam ingenium tuum potest ascendere, nec infra maneas. Videtur in designationibus hujus, ut dicit Dionysius (*de eccl. hier. c. 6*), quod Seraphim mediis volabant alis, ut nec sistat homo infra quam potest, nec ascendat supra illud, quod potest ... Qui autem vult in hoc studio proficere, oportet, quod habeat sanctitatem, ut possit studere ad habendam vitam timoratam, impollutam, religiosam, aedificatoriam. Primo, haec est vita Sanctorum timorata, ut in his, quae agit, semper timeat ... quia in omnibus potest esse peccatum: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (*Job 9, 28*). Optimum signum est timor, et pessimum est audacia, quia talis nunquam corrigitur. Secundo, vita impolluta, quod totum faciat propter amorem Dei, non propter amorem alicujus rei; quia omnis amor suspectus est, nisi verbi Dei ... Tertio, quod sit vita religiosa, clausa sicut maceria vineae: sic oportet, quod homo faciat sibi restrictivum linguae et sensuum ceterorum. Sane *si quis putat se religiosum esse, non refraenans linguam suam etc.* (*Jac. 1, 26*). *Sepi aures tuas spinis* (*Eccl. 28, 28*). Vita nostra non debet esse data loquelis, sed lacrymis. Quarto, quod sit vita aedificatoria proximi, ut sit paratus omnes aedificare, et doleat, si quis ex ipso scandalizatur; et debet cavere damna alterius." *Serm. 19. in Hexaëm. prope finem.* Verum de his modis studendi fusius S. D. agit in *Tract. de Studio divinarum Literarum a § 21. ad 48:* Supp. vol. I.

[3] Studere debet Christi discipulus in sacra Scriptura, sicut pueri primo addiscunt a, b, c, etc. et postea syllabicare, et postea legere, et postea quid significet pars. Similiter in sacra Scriptura saepe primo quis debet studere in textu, et ipsum habere in promptu, et intelligere quod dicitur per nomen, non solum sicut Judaeus, qui semper tendit ad literalem sensum. Tota Scriptura est quasi una cithara. Et sicuti chorda per se non facit harmoniam, sed cum aliis, similiter unus locus Scripturae dependet ab alio, imo unum locum respiciunt mille loca. Notandum, quod quando Christus fecit miraculum de conversione aquae in vinum (*Jo. 2, 1—11*), non statim dixit: fiat vinum, vel fecit de nihilo; sed voluit, ut ministri implerent hydrias aqua, ut dicit Gregorius ad literam (*hom. 6. in Ezech.*). Quare sic fecit, ratio non potest reddi. Sed secundum spiritualem intelligentiam reddi potest ratio, quia Spiritus sanctus non dat spiritualem intelligentiam, nisi homo impleat hydrias, secundum capacitatem suam, aqua, scilicet notitia literalis sensus; et inde esse potest, quod Deus convertit aquam sensus literalis in vinum spiritualis intelligentiae. Propter hoc Paulus fuit altus, quia ipse didicerat legem ad pedes Gamalielis (*Act. 22, 3*). Unde qui Scripturam habet, potens est cum eloquiis, et etiam in venusto sermone. Unde beatus Bernardus parum sciebat, sed quia in Scriptura multum studuit, ideo locutus est elegantissime." *Serm. 19. in Hexaëm. circa med.*

[4] „Si quidem in superficiali circumferentia Scripturarum steteris, occurrent tibi multa divisibilium composita et multiformia, variabilia et transitoria, sensibilia et exterius apparentia et effusa; particularia, propria aut privata bona, seu commoda, et ex aliis quam a Creatore deducta; inconnexa et separata, irregularia et incommensurata. Si vero Christum ingressus, te fixeris, occurret tibi in omnibus unum bonum, simplicissimum, invariabile et aeternum, arcanum et intimum et intellectualissimum, universalissimum, communissimum, omnium finis et principium, omnium connexivum, regulativum et commensurativum." *De S. Script. Mater. § 8.* Supplem. vol. I.

[5] „Circa divinam Scripturam meditari, exponere et intelligere multifarie, prout expedire credimus, possumus, dummodo non sit contra fidem et contra bonos mores." *Medit. Vitae Christi, in Proëm.*

[6] „*Vade* igitur, ne pigreris tu Clerice, tu Religiose, tu curam animarum habens, qui debes alios instruere, *et accipe librum apertum de manu Angeli,* id est, sacram Scripturam addisce, quae est aperta, et mundo manifesta, virtute Christi. Ante enim adventum Domini Scriptura sacra clausa erat et mundo velata; sed per Christum certe fuit aperta, et mundo revelata. Ipse enim revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est (*Dan. 2, 22*). Sed quid est? Certe multi sunt adhuc, quibus signatus est liber iste. Nam multi sunt hodie indiscreti et ignorantes, qui errores seminant, indiscrete solvunt et ligant; et sic caeci caecis ducatum praestant, et propter haec in foveam cadunt praecipitantes subditos et seipsos. Unde de his dicitur: *Viam sapientiae nescierunt; et quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam* (*Baruch 3, 23 ac 28*). *Vade ergo, et accipe librum apertum de manu Angeli,* ne merito de negligentia valeas reprehendi." *Comment. in Apoc. cap. 10. v. 8. n. 702—703.* Supplem. vol. II.

[7] „Admirabile materiale subjectum, et principale objectum hujus Scripturae, seu per Scripturam menti nostrae repraesentatum, Deus est, secundum quod est a nobis apprehensibilis, seu discernibilis, seu visibilis. Unde rationes, secundum quas est a nobis apprehensibilis, visiones Dei dici possunt, seu Dei illuminationes; et illae possunt apprehendi sub septem. Est enim a nobis apprehensibilis secundum rationem: primo, summi principii et creatoris: secundo, gubernatoris: tertio, pontificis et redemptoris: quarto, magistri et illuminatoris: quinto, inhabitantis seu justificantis domini seu sponsi: sexto, summi judicis et retributoris: septimo, summi boni beatificantis. Cum enim Deus non sit a nobis apprehensibilis nisi per suos effectus, septem autem sunt principales effectus, scilicet opus creationis, gubernationis, redemptionis et illuminationis, sanctificationis, judicii et beatificationis; ideo sub istis septem rationibus debet a nobis potissime apprehendi, et in Scripturis principalissime repraesentari." *De Sac. Script. Myster. § 51.* Supplem. vol. I.

Prooemium in

§ 1. DE ORTU, PROGRESSU

Sacrae Scripturae
- *Ortus* — attenditur secundum *influentiam Trinitatis*, scil. est per revelationem
- *Progressus* — attenditur secundum *exigentiam humanae capacitatis*, scil. per
- *Status*, seu *Fructus* — attenditur secundum *superabundantiam felicitatis*, scil. ejus

§ 2. DE LATITUDINE

Sac. Scriptura
- materialiter — dividitur in Testamentum
  - *vetus*, in quo sunt libri . .
    - *legales*
    - *historiales*
    - *sapientiales*
    - *prophetales.*
  - *novum*, in quo respondent
    - legalibus . . .
    - historialibus .
    - sapientialibus
    - prophetalibus
- formaliter — revocat a malo et movet ad bonum . . . . . .
  - specialiter .
    - in veteri
    - in novo
  - communiter, in utrisque

tabulas distributum.

ET STATU S. SCRIPTURAE.

fluentem in nobis { a Patre luminum / per Filium ejus Jesum Christum / Spiritum sanctum.

verba { plana / mystica } describit { universi continentiam / decursum temporum / excellentiam salvandorum / miseriam damnandorum.

finis est { ut credamus / ut vitam aeternam possideamus / ut sciamus supereminentem scientiae caritatem Christi / ut impleamur in omnem plenitudinem Dei.

SACRAE SCRIPTURAE.

. . . *Evangelia* — in quibus est facies leonis, propter *excellentiam auctoritatis*
. . . *Actus apostolici* — — in quibus est facies bovis, propter *exempla virtutis*
. . . *Epistolae Apostolorum* — in quibus est facies hominis, propter *prudentiam sagacem*
. . . *Apocalypsis* — — in qua est facies aquilae, propter *intelligentiam perspicacem.*

. . . per *timorem*
. . . per *amorem.*

. . . in libris { legalibus — per *praecepta majestatis omnipotentissimae* / historialibus — per *exempla bonitatis innocentissimae* / sapientialibus — per *documenta veritatis providentissimae* / prophetalibus — per *omnia praedicta aggregata.*

§ 3. DE LONGITUDINE

- Sacra Scriptura describit mundi decursum per tempus
  - legis *naturae* — quod continet
    - primam aetatem, respondentem (*Ab Adam usque ad Noë*)
    - secundam aetatem, respondentem (*A Noë usque ad Abraham*)
  - legis *scriptae* — quod continet
    - tertiam aetatem, respondentem (*Ab Abraham usque ad David*)
    - quartam aetatem, respondentem (*A David usque ad transmigra-*
    - quintam aetatem, respondentem (*A transmigratione ad Christum*)
  - legis *gratiae* — quod continet
    - sextam aetatem, respondentem (*A Christo usque ad finem mundi*)
    - septimam aetatem
      - decurrentem (*A morte*
      - respondentem
      - praecedentem

§ 4. DE SUBLIMITATE

- Sacra Scriptura est
  - sublimis, ratione materiae, quia
    - substernit sibi philosophicam cogni-
    - agit de
      - gratia in descriptione . . .
      - gloria „ „ „ . . .
      - sapientia aeterna „ . . . .
    - tangit
      - in sui infimo — terram
      - in suo cacumine — caelum.
  - venustissima, ratione medii, quia omnia describit per unum Jesum

SACRAE SCRIPTURAE.

. . . ratione ejus { principii ab hominis formatione . . primae diei creationis
finis cum diluvio . . . . . primae aetati *infantiae.*

. . . ratione { arcae et diluvii . . . . . secundae diei creationis
distinctionis linguarum . . . . . secundae aetati *pueritiae.*

. . . ratione { inchoationis Synagogae . . . . . tertiae diei creationis
promissionis de semine . . . . . tertiae aetati *adolescentiae.*

. . . ratione regni et sacerdotii . . . . . { quartae diei creationis
quartae aetati *juventutis.*
tionem Babylonicam)

. . . ratione { tribulationis . . . . . quintae diei creationis
squalloris sacerdotii . . . . . quintae aetati *senectutis.*

. . . ratione { Christi in ea nati . . . . . sextae diei creationis
conjunctionis cum die judicii . . . . . { sextae aetati *senii.*
sapientiae per doctrinam Christi . . . . }

. . . cum sexta
Christi usque ad resurrectionem universalem)

. . . ratione ejus principii . . . . . { septimae diei creationis
septimae aetati *quietis animarum post mortem.*

. . . ratione ejus finis . . . . . octavam aetatem *resurrectionis.*

SACRAE SCRIPTURAE.

ionem.

ierarchiae *ecclesiasticae,* patenter, ex qua est alta
ierarchiae *angelicae,* occulte, „ „ „ altior
ierarchiae *divinae,* magis occulte „ „ „ altissima.

Christum { qui est ratione { humanitatis — *hierarcha* { in ecclesiastica
in angelica
divinitatis — *media persona* in divina.
a quo descendit unctionis gratia { in Jerusalem supernam
in Ecclesiam militantem.

§ 5. DE PROFUNDITATE

In sacra Scriptura est, in unitate literae, sensus
- *allegoricus*
- *tropologicus*
- *anagogicus*

qui competit ejus
- *subjecto*, quod est . . .
  - quoad substantiam
  - quoad veritatem . .
  - quoad operationem
  - quoad omnia haec
- *auditori*, qui debet esse . .
  - *humilis*
  - *mundus*
  - *fidelis*
  - *studiosus* .
- *principio, a quo est*, sc.
  - a Deo — loquente
  - per Christum . . .
  - per Spiritum s. .
- *fini*, seu *gloriae*, ad quam ut perveniamus

§ 6. DE MODO PROCEDENDI

Sacra Scriptura, quia ad nostram salutem ordinata,
- quoad *intellectum*, ut eum certissimum
- quoad *voluntatem*, ut eam inclinet ad

§ 7. DE MODO EXPONENDI

Expositor sacrae Scripturae debet
- literam Bibliae memoriae mandare
- attendere ad quatuor sacrae Scripturae partes
- dirigi secundum triplicem S. Augustini regulam.
- praenosse ipsius sacrae Scripturae veritatem, scil.

SACRAE SCRIPTURAE.

. . . *Deus* { unus in essentia / trinus in personis.

. . . *Christus,* cujus sapientia { una / multiformis.

. . . *reparationis opus,* in quo { multa sunt / omnia ad Christum principaliter referuntur.

. . . *ipsum credibile* { in se — idem / relate ad credentes — diversimode relucens.

{ per verba / per facta.

{ humilem in carne / altum in deitate.

loquentem { per ora prophetarum / per ora aliorum.

{ purgati per virtuosam operationem . . . per tropologiam datur *notitia agendorum moraliter*
{ illuminati per radiosam fidem . . . . . per allegoriam datur *notitia credendorum veraciter*
{ perfecti per ardentissimam caritatem . . per anagogiam datur *notitia desiderandorum delectabiliter.*

IPSIUS SACRAE SCRIPTURAE.

reddat — procedit per auctoritatem divinam, ... scil. modo *authentico.*

bonum aeternum — procedit {
- per exempla . . . . . „ modo *narrativo*
- per praecepta . . . . . „ modo *praeceptivo*
- per prohibitiones . . . . „ modo *prohibitivo*
- per monitiones sagaces . „ modo *exhortativo*
- per praedictiones . . . . „ modo *praedictivo*
- per comminationes . . . „ modo *comminatorio*
- per promissiones . . . . „ modo *promissivo*
- per orationes . . . . . „ modo *deprecatorio*
- per laudationes Dei . . „ modo *laudativo.*

SACRAM SCRIPTURAM.

hominum {
- initium, sc. . . { principium, quod est Deus / creationem.
- progressum, sc. { lapsum / redemptionem per Christum / reformationem per gratiam / curationem per sacramenta.
- consummationem, seu retributionem per sempiternam { poenam / gloriam.

TABULA GENERALIS

PROOEMII

IN QUA DE SACRA SCRIPTURA AGITUR.

- **Sacra Scriptura, spectata**
  - **in se, scilicet**
    - **in sua causa**
      - efficiente — oritur ex divina revelatione, secundum influentiam Trinitatis
      - formali — procedit secundum exigentiam humanae capacitatis
      - finali — tendit ad plenitudinem aeternae felicitatis.
    - **in suis proprietatibus, scil. in sua**
      - **latitudine**
        - materialiter — dividitur in Testamentum
          - vetus
          - novum.
        - formaliter
          - revocat a malo
          - movet ad bonum.
      - **longitudine** — describit mundi decursum per tempus legis
        - naturae
        - scriptae
        - gratiae.
      - **sublimitate**
        - substernit sibi philosophicam cognitionem.
        - agit de
          - gratia
          - gloria
          - sapientia aeterna.
        - omnia describit per unum Jesum Christum.
      - **profunditate** — est in ea
        - unitas literae
        - multiplex sensus
          - allegoricus
          - tropologicus
          - anagogicus

          qui competit ejus
          - subjecto
          - auditori
          - principio
          - fini.
    - **in suo modo procedendi** — ordinatur ad nostram salutem
      - reddendo intellectum certissimum
      - inclinando voluntatem ad bonum aeternum.
  - **in sua interpretatione** — oportet ut expositor . . . . . .
    - commendet memoriae textum
    - attendat ad quatuor ejus partes
    - dirigatur secundum triplicem regulam S. Augustini
    - praenoscat hominum
      - initium
      - progressum
      - consummationem.

I. PARS,

IN QUA DE TRINITATE DEI AGITUR.

CAPUT I.

De illis septem, de quibus est Theologia in summa.

(Theologia quid sit. — Agit de Deo principio primo, ut effectivo, refectivo et perfectivo: — Est scientia perfecta, — sapientia perfecta, — eminenter speculativa et practica, — una.)

In principio intelligendum est, quod sacra doctrina, scilicet [a] Theologia, quae principaliter agit de primo principio, scilicet de [b] Deo trino et uno, de septem agit in universo; scilicet de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de Incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, de medicina sacramentali, et [c] de statu finalis judicii [1].

Ratio autem ad intelligentiam [d] hujus veritatis [e] haec est [2]: quia cum sacra Scriptura, sive Theologia, sit scientia, dans sufficientem notitiam de primo principio, secundum statum viae, secundum quod necessarium [f] est [g] ad salutem [3], et Deus non tantum sit rerum primum [h] principium et exemplar [i] effectivum in creatione, sed etiam refectivum in redemptione, et perfectivum in retributione; ideo non tantum agit de Deo creatore, sed etiam [j] de creatore et creatura. Et quia creatura rationalis, quae est quodammodo finis omnium, non stetit, sed suo casu indiguit reparari; ideo agit de corruptela peccati, medico, sanitate et medicina [k], et tandem de curatione perfecta, quae erit [l] in gloria, impiis projectis in poenam. Et [m] ideo ipsa sola est scientia perfecta (I), quoniam [n] incipit a primo, quod est primum principium (II), et pervenit ad ultimum, quod est praemium aeternum: incipit a summo, quod est Deus altissimus creator omnium, et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium. Ipsa etiam sola est sapientia perfecta [4], quae incipit a causa summa, ut est principium causatorum [o], ubi terminatur cognitio philosophica [5] (III), et transit per eam, ut est remedium peccatorum; et reducit

a) Videlicet AEHK.
b) De om. A BCDGHK.
c) Et om. ed. 1484.
d) Ad intelligentiam om. ABCEFG.
e) Hujus veritatis ad intelligentiam praedictorum; ita in ed. 1484.
f) Juxta quod expedit ad salutem AB EHK.
g) Est necesse ed. 1484.
h) Ita in ed. 1484.
i) Et add. ibid.
j) Etiam om. ibid.
k) Et medicina, medico, ibid.
l) Est ibid.
m) Et ex ed. 1484.
n) Quae ibid.
o) Creaturarum ibid.

(I) Contra hanc doctrinam est error proscriptus a Pio IX in *Syllabo*, n. 5: „Divina revelatio est imperfecta et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat."

(II) His verbis error profligatur Georgii Hermesii „qui audacter a regio, quem universa traditio et Ss. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite stravere, deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam molitur in dubio positivo tamquam basi omnis theologicae inquisitionis, et in principio quod statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem" (*Gregorius XVI, Brev. 26. sept. 1835*).

(III) Haec verba ad rem faciunt contra rationalismum moderatum, seu contra „recentem illam ac praeposteram philosophandi rationem, ut ait S. P. Pius IX in Literis sub die 21. decembris an. 1863 datis ad Archiep. Monacensem et Frisingensem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subjectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi in-

in eam, ut est praemium meritorum et finis desideriorum [6] (IV). Et in hac cognitione est sapor perfectus, vita et salus animarum [7]; et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum [8]. Ex his patet, quod licet Theologia sit de tot et tam variis, est tamen scientia una, cujus subjectum [9], ut a quo omnia, est Deus; ut per quod omnia, Christus; ut ad quod omnia, opus reparationis [p]; ut circa quod omnia, unicum caritatis vinculum, quo caelestia et terrestria connectuntur [10]; ut de quo omnia in libris canonicis comprehensa, credibile, ut credibile; ut de quo omnia in libris expositorum, credibile, ut [q] intelligibile [11] *). Secundum Augustinum [r]: Quod credimus, debemus auctoritati; quod intelligimus, rationi *(Lib. de util. cred. c. 11)* [12].

p) Reparatorium ABCD FGHK, et edit. 1484.

q) Et edit. 1484.

r) Quia add. ibid.

*) „Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. *Est* enim *fides*, testante Apostolo *(Hebr. 11, 1), sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiae accommodata“ *(Conc. Vatic. de fide, cap. 3).* Merito igitur idem Concilium *ibid. can. 3* definivit: „Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit“. Et *can. 6*: „Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso, in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit“.

telligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt, ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda aut demonstranda“. Cujus quidem pseudophilosophiae inanitas et fallacia ex eo etiam evincitur, quod „scientiarum progressus et felix exitus in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendet ab intima erga veritates revelatas adhaesione, quas catholica docet Ecclesia, . . . quam veritatem viri catholici, scientiis excolendis et evolvendis dediti, semper tenuerunt ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi, potuerunt ipsi sapientes ac vere catholici viri scientias easdem tuto excolere, explanare easque utiles certasque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum, eas quoque veritates investigando, quas propriis viribus et facultatibus assequi potest, non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae, suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a syrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus et commentationibus animadvertunt posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelata fuere“ *(Ibid.)*. Huc etiam referuntur errores in cit. *Syllabo,* nn. 8. 9 damnati: „Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.“ — „Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae, seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.“ Et Conc. Vaticanum, *in Const. de fide catholica, cap. 4. can. 1* definivit: „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.“ Et *can. 2:* „Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.“

(IV) Huic doctrinae adversantur errores in eodem *Syllabo* nn. 6, 40 proscripti, qui sunt: „Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.“ — „Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.“

AD CAPUT 1.

[1] *„Profunda fluviorum scrutatus est, et abscondita produxit in lucem* (*Job 28, 11*). Verbum istud sumptum ex Job, diligenter consideratum, aperit nobis viam ad cognoscendum quadruplex genus causae in Libro Sententiarum (*seu universae Theologiae*), scilicet materialis, formalis, efficientis et finalis. Causa namque materialis invenitur in nomine *fluviorum*. Causa formalis in perscrutatione profundorum. Causa finalis in revelatione absconditorum. Causa vero efficiens intelligitur in supposito duorum verborum, scilicet *scrutatus est, et produxit in lucem*. . . . Propter quod notandum, quod juxta quadruplicem proprietatem fluvii materialis, quadruplex est fluvius spiritualis.... Considero namque fluvium materialem quoad durationem, et invenio perennitatem; nam, sicut dicit Isidorus (*lib. 13 Etym. c. 20*), fluvius est perennis fluxus. Considero quantum ad extensionem, et invenio spatiositatem; in hoc enim distinguitur fluvius a rivulo. Considero quantum ad motum, et invenio circulationem; sicut enim dicit Ecclesiastes (*1, 7*): *Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur etc.* Considero effectum, et invenio emundationem; nam fluvius propter aquarum abundantiam mundat terras, per quas currit, ita quod non inquinantur. Et quoniam omnes transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt, ex hac quadruplici conditione metaphora quadruplex in spiritualibus fluviis invenitur, sicut colligere possumus ex Scripturis. Primo, propter perennitatem dicitur fluvius personarum emanatio, quoniam illa emanatio sola est sine principio, sine fine. De hoc fluvio Daniel (*7, 9—10*): *Antiquus dierum sedit, et fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus. Antiquus iste dierum* est Pater aeternus, cujus antiquitas est aeternitas. Iste *antiquus sedit*, quia non solum est in eo aeternitas, sed etiam immutabilitas. *A facie* illius antiqui *egrediebatur fluvius igneus rapidusque*, id est, de sublimitate divinitatis ejus procedebat plenitudo amoris et plenitudo virtutis. Plenitudo virtutis in Filium; ideo *fluvius* erat *rapidus:* plenitudo amoris in Spiritum sanctum; ideo *fluvius* erat *igneus*. Secundo, propter spatiositatem dicitur fluvius rerum mundanarum productio, ob quam causam non tantum fluvius, sed mare a Propheta dicitur iste mundus: *Hoc mare magnum et spatiosum etc.* (*Ps. 103, 25*). . . . Tertio, propter circulationem dicitur fluvius Filii Dei incarnatio. Quoniam sicut in circulo ultimum conjungitur principio, sic in incarnatione supremum conjungitur imo et primum postremo, ut Filius Dei aeternus homini condito die sexta. De hoc fluvio in Ecclesiastico (*24, 41*): *Ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquaeductus exivi de paradiso*. Dioryx interpretatur generationis medicamentum, et est ibi figurativus sermo, ut conversim intelligatur, id est, generatio medicamenti. Incarnatio enim Filii Dei nihil aliud fuit quam generatio medicamenti: *Vere enim languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit* (*Is. 53, 4*). Recte igitur Filii incarnatio fluvii dioryx dicitur: et ipse vere de se dicit: *Ego quasi fluvii dioryx,* id est, medicinalis fluvius, *et sicut aquaeductus exivi de paradiso*. Natura aquae hujus est, quod tantum ascendit, quantum descendit: talis fuit exitus incarnationis, secundum quod dicitur in Psalmo (*18, 7*): *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*. Et Joannes (*16, 28*): *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem:* et ita fecit circulum. De hoc etiam fluvio, quantum ad egressum ejus ex matre, potest exponi illud, quod dicit Esther in somnio Mardochaei (*Esth. 10, 6*): *Parvus rivulus crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est.* Quis, obsecro, est *parvus rivulus* iste, nisi humillima Virgo? Haec *crevit in fluvium*, cum generavit Christum, qui non solum fluvius per abundantiam gratiae, sed etiam lux sapientiae et sol justitiae dicitur, secundum quod Joannes de ipso dicit (*1, 9*): *Erat lux vera etc.* Quarto, propter emundationem dicitur fluvius sacramentorum dispensatio, quae sine sui pollutione mundat nos a coinquinationibus peccatorum. De hoc fluvio in Apocalypsi (*22, 1*): *Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* Sacramentorum dispensatio dicitur *fluvius splendidus tamquam crystallus*, propter claritatem et nitorem, quem relinquit in animabus, quae in hoc flumine depurantur. Dicitur etiam *fluvius aquae vivae*, propter efficaciam gratiae, quae vivificat animam. Hinc etiam procedit *de sede Dei et Agni*, nam sacramentalis gratia procedit a Deo tamquam ab auctore et efficiente, a Christo tamquam a mediatore et a promerente. Propter quod dicuntur omnia sacramenta efficaciam habere a passione Christi, ut testatur Augustinus (*tr. 15. in Jo.*): De latere Christi dormientis fluxerunt sacramenta, dum inde fluxit sanguis et aqua .... Cum igitur quatuor sint fluvii, quatuor sunt fluviorum profunda praedictis fluviis correspondentia. Profundum aeternae emanationis est sublimitas esse divini, de quo potest intelligi illud: *Alta profunditas, quis inveniet eam?* (*Eccle. 7, 25.*) Vere profunditas alta et altitudo profunda, ita ut exclamet Apostolus et dicat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus?* (*Rom. 11, 33.*) Vere judicia incomprehensibilia, quia profunda, *judicia* enim *Dei abyssus multa* (*Ps. 35, 7*), et: *Profundum abyssi quis dimensus est?* (*Eccli. 1, 2.*) Haec profunditas innuitur in Job (*11, 7—8*): *Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior caelo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces?* Quasi dicat: Ex te non potes. Ideo consulit Apostolus (*Ephes. 3, 17—18*): *In caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere etc.* . . . Sublimitas divini esse consistit in duobus, scilicet in nobilissimis emanationibus, quae sunt generatio et processio; in nobilissimis conditionibus, quae sunt summa sapientia, omnipotentia et perfecta voluntas. . . . Profundum creationis est vanitas esse creati. Creatura enim quanto magis evanescit, tanto magis in profundum tendit, sive evanescat per culpam, sive per poenam. Propter hoc dicitur per Prophetam in Psalmo (*68, 2*) in persona hominis, qui evanuit per culpam: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Et rursus orans Propheta, ne evanescat per poenam, dicit (*Ib. 16*): *Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum etc.* . . . Vanitas esse creati in duobus consistit, videlicet in mutatione de non esse in esse, et rursum in reversione in non esse. Et quamvis nulla crea-

tura omnino cedat in non ens per naturam, verumtamen, sicut dicit Augustinus (*Conf. c. 16*), peccator tendit ad non esse per culpam. . . . Profundum incarnationis est meritum humilitatis Christi, quod tantum fuit, ut vere possit dici profundum, quasi non habens terminum, nec fundum. De quo potest intelligi illud Jonae (*2, 4*): *Projecisti me in profundum,* in corde maris, *et flumen circumdedit me.* Hoc potest dici de Christo, qui tantum humiliatus est, ut vere possit dici projectus et abjectus: *Et vidimus eum, et non erat ei aspectus, et desideravimus eum despectum et novissimum virorum etc.* (*Is. 53, 2. 3*). Vere igitur dicit se projectum, sed ubi? in profundum maris et fluminis. Nam passio Christi comparatur mari propter poenalitatis amaritudinem, flumini propter caritatis dulcedinem. Dulcissimum enim Cor Jesu Christi tanta circa nos afficiebatur teneritudine amoris, ut non videretur ei grave pro nobis sustinere extremum et acerbissimum genus mortis. . . . Meritum Christi in duobus consistit, scilicet in passione, per quam nos redemit, et in actione, per quam nos informavit, quae consistit in operibus virtutum, donorum et praeceptorum ... Profundum sacramentalis dispensationis est efficacia perfecti medicamenti. Tanta enim est efficacia medicinae sacramentalis, quod humanam mentem excedit, ut vere profundum possit dici de hoc: *Posuisti profundum maris viam tuam, ut transirent liberati* (*Is. 51, 10*). Profundum istud, in quo Aegyptii demerguntur, et filii liberati transeunt et salvantur, est efficacia sacramentorum, in quibus destruuntur opera tenebrarum, et conferuntur arma lucis et dona gratiarum, per quae homo transfertur de potestate tenebrarum in regnum filii caritatis Dei. Haec efficacia sacramentorum est profundum maris, in quantum primo liberat a culpa, et introducit in amaritudinem poenitentiae: fluminis, in quantum liberat a miseria, et introducit in dulcedinem gratiae. Quod optime praefiguratum fuit in filiis Israël, quibus exeuntibus ex Aegypto divisa est aqua, et transierunt per medium sicci maris, sicut dicitur (*Josue 4, 22—23*): Et introeuntibus in terram promissionis, *per arentem alveum transivit Israël Jordanem istum, siccante Domino Deo nostro aquas ejus etc.* . . . . Efficacia perfecti medicamenti in duobus consistit, scilicet in sanatione a varietate infirmitatum deprimentium, et in liberatione ab universitate miseriarum aggravantium . . . Ex perscrutatione autem quatuor profundorum elicitur finis, scilicet revelatio quatuor absconditorum. Primum est magnitudo divinae substantiae. De qua: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator* (*Is. 45, 15*). Vere magnitudo divinae substantiae abscondita, secundum illud Job (*26, 14*): *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, magnitudinem tonitrui ejus quis poterit intueri?* Certe nullus potest intueri, nisi ille, cum quo sapientia Dei inhabitat. Pro hoc petebat ille Sapientiae amator (*Sap. 9, 10*): *Mitte illam de caelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae.* Hoc absconditum Magister repletus sapientia de supernis per primi Libri perscrutationem produxit in lucem. Nam visis et intellectis nobilissimis emanationibus et nobilissimis proprietatibus, innotescit nobis viatoribus, secundum quod possibile est, divinae substantiae magnitudo. Secundum absconditum est ordo divinae sapientiae. De quo Job (*28, 12—21*): *Ubi invenitur sapientia, et quis est locus intelligentiae? Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque caeli latet.* Vere abscondita, quia, sicut dicitur ibidem (*28, 18*): *Sapientia trahitur de occultis;* ita quod si cognosci optatur, indiget perscrutatione profunditatis, non in se, sed in operibus, in quibus ipsa relucet. Unde dicitur in Ecclesiastico (*1, 8—10*), quod *unus est altissimus Creator,* qui *effudit illam super omnia opera sua,* Hoc ergo absconditum manifestat Magister in perscrutatione secundi. Nam, viso ordine bonorum et malorum, patet nobis, quomodo *ab aeterno* sapientia Dei *ordinata* est, *et ex antiquis, antequam terra fieret* (*Prov. 8, 23*). Tertium absconditum est fortitudo divinae potentiae, de qua Habacuc (*3, 4*): *Cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Legitur de Christo pendente in cruce, ubi latuit fortitudo virtutis sub pallio infirmitatis. Et hoc est sacramentum absconditum a saeculis, de quo ad Ephesios (*3, 8—9*): *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo.* Hoc est sacramentum absconditum, sacrum secretum, quo Deus fortis, ut hostem vinceret, indutus est armis nostrae infirmitatis, quod est inauditum a saeculis. In perscrutatione tamen tertii Libri, ubi ostenditur quod Christus in sua infirmitate vicit contrariam potestatem, manifestatur fortitudo divinae potentiae. Si enim vicit per infirmitatem, quid fecisset, si pugnasset per virtutem? Et si infirmum Dei fortius est hominibus, brachium Dei quis poterit infirmare? Vere igitur patet inenarrabilis ejus fortitudo, cujus est tam fortis infirmitas. Quartum absconditum est dulcedo divinae misericordiae. De quo Psalmus (*30, 20*): *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Vere abscondita et reservata timentibus dulcedo misericordiae. Quia, sicut dicitur in Psalmo (*102, 17; 146, 11*): *Misericordia Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* Haec dulcedo manifestatur in perscrutatione quarti Libri. Nam, viso, qualiter Deus dimittit peccata in praesenti, et qualia nostris vulneribus adhibet medicamina, et qualia in futuro dat praemia, nobis dulcedo divinae misericordiae aperitur. — Horum igitur absconditorum propalatio est finis Libri generalis, ad quem perduci et perducere volens Magister Sententiarum, perscrutatus est profunda fluviorum, praevia gratia Spiritus sancti. Ille enim est praecipuus perscrutator secretorum et profundorum, secundum quod dicitur ab Apostolo (*1. Cor. 2, 10*): *Spiritus omnia perscrutatur, etiam profunda Dei*[4]. *Prooem. in lib. 1. Sent.*

[2] *„Parati omni poscenti reddere rationem de ea, quae in vobis est, fide et spe* (*1. Petr. 3, 15*). Cum ergo multi sint, qui fidem nostram impugnant, utique rationem de ea poscunt, utile et congruum videtur per rationes eam astruere, et modo inquisitorio, et ratiocinando procedere . . . Modus procedendi perscrutatorius atque inquisitivus, convenit huic doctrinae, quippe qui initiantes ad fidem promovet, infirmos fovet, perfectosque consolidat . . . Cum enim finis imponat necessitatem his, quae sunt ad finem, quia, sicut dicit Philosophus (*Aristot. 1. de par. an. c. 5. Alex.*): Serra est dentata, quia est ad secandum; sic iste liber, quia est ad promotionem fidei, habet modum inquisitivum. Modus enim ratiocinativus, sive inquisitivus, valet ad fidei promotionem, et hoc tripliciter secundum tria genera homi-

num. Quidam enim sunt fidei adversarii; quidam sunt in fide infirmi; quidam vero perfecti. Modus inquisitivus valet primo ad confundendos adversarios. Unde Augustinus (*1. de Trin. c. 2*): Adversus garrulos ratiocinatores, elatiores magis quam capaciores, rationibus catholicis, et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei est utendum. Secundo valet ad fovendum infirmos. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent rationes ad fidei probabilitatem deficere, et ad oppositum abundare, nullus persisteret. Tertio valet ad delectandum perfectos. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus (*l. 5. de Consid. post init.*): Nihil libentius intelligimus, quam quod jam fide credimus." *1. Sent. q. 2. in Prooem.*

[3] „Etsi homo merito primi peccati excaecatus sit, et factus ignorans tam in cognitione universitatis propter ipsum creatae, quam in cognitione viae salutis suae; plus tamen excaecatus est in secundo, quam in primo. Nam ad cognitionem naturalium rerum multum potest proficere proprio studio atque ingenio, sed in cognitione modi perveniendi ad vitam per se ipsum plus deficit quam proficit, nisi divinae revelationis instructione dirigatur; et propterea magis data est nobis Scriptura divinitus et per Spiritum sanctum revelata in cognitione fidei et morum, quam in cognitione rerum naturalium." *2. dist. 23. dub. 3.* — „Theologus ... considerat, quod mundus creatus a Deo, sicut a principio, reducitur in Deum sicuti in finem. Licet enim agat Theologus de operibus conditionis, principaliter agit tamen de operibus reconciliationis. Agit ergo Theologus de salute animae, quomodo inchoatur in fide, promovetur in virtutibus, consummatur in dotibus." *Serm. 1. in Hexaëm. in fin.* Vide *part. II. cap. V. n. 6.*

[4] „Quia Deus summe suavis et bonus est et omnia, quae ab ipso fluunt, sapida sunt et bona; ideo cum intellectus coeperit in agnitione veri dilatari, statim etiam gustus animae, hoc est interior affectus, incipit quodam spirituali sapore in cognitis delectari. Et sic quod in solo intellectu fuerat scientia, accedente sapore affectus, dicitur sapientia, id est, sapida scientia; scientia est ex cognitione veri, sapientia ex adjuncto amore boni." *De profectu Relig. l. 11. c. 72. in princip.* — „Sapientia quadrupliciter consuevit accipi tam a philosophis, quam a Sanctis, videlicet communiter, et minus communiter, et proprie, et magis proprie. Communiter accipiendo sapientiam, sic sapientia dicit cognitionem rerum generalem, secundum quod definit eam Augustinus (*l. 14. de Trin. c. 1.*), et Philosophus (*1. Met. in prooem.*), quod sapientia est cognitio rerum divinarum et humanarum. Et Philosophus in prima philosophia dicit, quod sapiens est, qui omnia novit, secundum quod convenit. Alio modo dicitur sapientia minus communiter, et sic sapientia dicit cognitionem non quamcumque, sed cognitionem sublimem, videlicet cognitionem rerum aeternarum: et sic accipit eam Apostolus (*1. Cor. 12, 8*): *Alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae,* secundum quod exponit Augustinus, dicens, quod sapientia est cognitio aeternorum, scientia vero est cognitio creatorum. Et sic etiam dicit Philosophus, quod sapientia est cognitio causarum altissimarum. Tertio modo accipitur sapientia proprie, et sic nominat cognitionem Dei secundum pietatem; et haec quidem cognitio est, quae attenditur in cultu latriae, quem exhibemus Deo per fidem, spem et caritatem, secundum quem modum accipit Augustinus (*de Civitate Dei l. 14. c. 1. in princ.*), exponens illud Job (*28, 28.*): Ecce pietas ipsa est sapientia, dicens ibidem, quod pietas et sapientia idem est quod theosebia, et theosebia idem est quod cultus divinus, qui consistit in tribus virtutibus, secundum quod ipse dicit in principio *Enchirid. ad Laurentium.* Quarto modo dicitur sapientia magis proprie, et sic nominat cognitionem Dei experimentalem. Et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando divinam suavitatem." *3. dist. 35. a. 1. q. 1.*

[5] „Ratio in inquirendo dupliciter potest procedere, aut prout est adjuta radio fidei; et sic procedit aspiciendo ad causas superiores: aut prout judicio proprio relicta est; et sic procedit respiciendo ad naturas et causas inferiores, acquirit enim scientiam per viam sensus et experientiae. Primo modo ratiocinantur doctores catholici et fideles circa ea, quae sunt fidei ... Secundo modo ratiocinandi processerunt philosophi." *2. dist. 30. a. 1. q. 1.* — „Frequenter ratio ad sensibilia conversa judicat esse vera, quae sunt falsa, et esse bona, quae sunt mala, et e converso. Unde nonnulla videntur sibi irrationabilia, quae sunt valde rationabilia, sicut patet, quia nonnulla videntur irrationabilia philosophis, quae tamen videntur valde rationabilia Christianis, ut omnino continere, et omnino mendicare, et similia. Et quantum praecellit judicium viri judicium pueri, tantum praecellit judicium viri christiani judicium unius philosophi, et judicium rationis sursum conversae, judicium rationis ad inferiora depressae." *3. dist. 23. a. 1. q. 1. ad 4.* — Attamen „cum verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis et errorum confutationes, non deviat a puritate in his aliquando studens; maxime cum multae sint conclusiones fidei, quae sine his terminari non possunt." *Epist. ad Magist. innomin.* circa finem.

[6] „Unus Deus est creator, sanctificator, praemiator, quia omne, quod ab ipso emanat, aut est natura, aut gratia, aut gloria. Et sic Pater et Filius et Spiritus sanctus unus creator per naturam, unus sanctificator per gratiam, unus praemiator per gloriam. Primum autem est ex tempore, secundum in tempore, tertium post omne tempus. Primum est in initio temporis, secundum in decursu, ultimum in consummatione. Est etiam creatio animae in decursu temporis, quia *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Io. 5, 17*), ait Salvator. Praemiatio etiam fit in medio temporis, vel sanctificatio animarum; sed post fiet perfecta." *In Hexaëm. serm. 8 post med.*

[7] „Theologia est scientia affectiva; et hujus cognitio est gratia speculationis, sed principaliter ut ipsa boni fiamus." — „Ad intelligentiam praedictorum notandum est, quod perfectibilis est intellectus noster a scientia. Hunc autem contingit considerare tripliciter, scilicet in se, vel prout extenditur ad affectum, vel prout extenditur ad opus. Extenditur autem intellectus per modum dictantis et regulantis; et quia secundum hunc triplicem statum errare potest, habet triplicem habitum directivum. Nam

si consideremus intellectum in se, sic est proprie speculativus, et perficitur ab habitu, qui est contemplationis gratia, quae dicitur speculativa scientia. Si autem consideremus ipsum, ut natum extendi ad opus, sic perficitur ab habitu, qui est ut boni fiamus; et haec est scientia practica, sive moralis. Si autem medio modo consideretur ut natus extendi ad affectum, sic perficitur ab habitu medio inter pure speculativum et practicum, qui complectitur utrumque, et hic habitus dicitur sapientia, quia simul dicit cognitionem et affectum: *Sapientia enim doctrinae est secundum nomen ejus* (*Eccli. 6, 23*). Unde hic est contemplationis gratia, et ut boni fiamus, principaliter tamen ut boni fiamus. Talis est cognitio tradita in hoc Libro. Nam cognitio haec juvat fidem, et fides sic est in intellectu, ut, quantum est de sui ratione, nata sit movere affectum. Et hoc patet, nam haec cognitio: Christus pro nobis mortuus est, et consimiles, nisi sit homo peccator et durus, movet ad amorem et devotionem. Non sic ista: Circulus vincit diametrum." *1. Sent. q. 3. in Prooem.*

[8] „Finis igitur doctrinae evangelicae est superintellectualis, et superaffectualis expressio, et proclamatio divinarum laudum; ad quam requiritur superineffabilis caritatis et amicitiae gustus, et superhumanitatis reverentialis cultus, et superuniversalis divinae veritatis et sapientiae respectus. Oportet enim divinam bonitatem et sanctitatem, et beatissimam Trinitatem gustare, et omnem divinam majestatem adorare, quantum ad auctoritatem suae summae praesidentiae, secundum quam vere dicitur *Dominus;* et quantum ad regnum suae summae providentiae, secundum quam vere dicitur *Deus;* et quantum ad efficaciam et virtutem suae summae potentiae, secundum quam vere dicitur *Omnipotens.* Et etiam oportet universalitatem divinae veritatis circumspicere in omnibus praeteritis, praesentibus, et futuris; ut sic vere possit cognosci *qui erat, et qui est, et qui venturus est (Apoc. 1, 8).* Sine isto triplici trinario non potest dici laudari perfecte, nec anima perfecte beatificari." *De Doctrin. Evang.* n. 14. vol. II. Supplem.

[9] „Subjectum in aliqua scientia, vel doctrina, tripliciter potest accipi. Uno modo dicitur subjectum in scientia, ad quod omnia reducuntur sicut ad principium radicale. Secundo modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum integrale. Tertio modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum universale. Exemplum hujus manifeste patet in grammatica. Nam subjectum primo modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad primum elementale, vel radicale, est litera .... Subjectum, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum integrale, est oratio congrua et perfecta. Subjectum vero, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum universale, est vox literata, articulata, ordinabilis ad significandum aliquid in se, vel in alio." *In Prooem. 1. Sent. q. 1.*

[10] „Apostolus (*Rom. 13, 10*) expresse dicit, quod caritas est consummatio praecepti et *plenitudo legis.* Augustinus etiam dicit in Enchiridio (*c. 121*), quod omnia praecepta divina referuntur ad caritatem. Et in libro de doctrina christiana *(I. c. 35. 37)* ostendit, quod ad caritatis mandatum commendandum ordinatur tota Scriptura: et ita caritas non tantummodo est finis bonae voluntatis, sed etiam totius sacrae Scripturae et cognitionis secundum pietatem. Licet autem Deus, vel beatitudo, sive Christus, possit dici finis bonae voluntatis, maluit tamen Magister dicere, quod caritas sit finis, pro eo quod completa ratio finiendi competit ipsi caritati. Cum enim dupliciter dicatur finis, videlicet finis, in quo quiescitur, et finis, quo quiescitur; et finis, quo quiescitur, dicitur dupliciter, vel simpliciter, vel ut nunc; quolibet istorum modorum caritas est finis bonae voluntatis. Nam caritas increata, quae Deus est, de qua dicitur per Joannem *(1. 4, 8): Deus caritas est,* est finis, in quo quiescitur. Caritas vero creata et consummata, utpote caritas patriae, est finis, quo quiescitur simpliciter in Deo. Caritas vero inchoata, utpote caritas viae, est finis, quo quiescitur in Deo ut nunc. Sicut enim locatum non quiescit in loco nisi mediante pondere, sic anima in Deo non habet quietari, qui est ejus locus et finis ultimus, nisi mediante dilectione, quae habet considerare bonum sub ratione boni. Bonum autem sub ratione boni simul tenet rationem finis et amabilis; et propterea intentio finis potissime attribuitur caritati." — „Caritas continuat voluntatem nostram ipsi Deo ut principio moventi, et conformat ut regulae dirigenti, et jungit ut fini quietanti; et ideo, sicut ipse Deus habet rationem efficientis, in quantum movet, et formalis, in quantum dirigit, et finalis, in quantum quietat; sic et ipsa caritas respectu operis rationem habet istius triplicis causae ... Et sic patet, quod etsi caritas sit principium boni operis, nihilominus potest esse finis secundum diversas comparationes. Et per hoc patet ..., quare caritas dicitur radix et forma virtutum et finis, hoc enim dicitur secundum diversas comparationes nostrae voluntatis ad divinam voluntatem; dicitur etiam super hoc *vinculum perfectionis (Coloss. 3, 14)* in comparatione ad proximos, qui nobis vinculo caritatis junguntur." *2. dist. 38. a. 1. q. 2. concl. et ad 6.*

[11] „Alio modo est credibile objectum veritatis, alio modo scientiae. Credibile enim, secundum quod habet in se rationem primae veritatis, cui fides assentit propter se, et super omnia, pertinet ad habitum fidei. Secundum vero quod super rationem veritatis addit rationem auctoritatis, pertinet ad doctrinam sacrae Scripturae. De qua dicit Augustinus, quod major est ejus auctoritas, quam humani ingenii perspicacitas *(lib. 2. sup. gen. ad lit. cap. 5. in fin.).* Sed secundum quod supra rationem veritatis et auctoritatis addit rationem probabilitatis, pertinet ad considerationem praesentis libri, in quo ponuntur rationes probantes fidem nostram; et sic patet quo modo differenter est fides de credibili, et libri de canone sacrae Scripturae, et praesens Scriptura." *In Prooem. in lib. 1. Sent. q. 1. ad 5 et 6.* — „Non tantum testimonium Apostolorum, sed varia testimonia Spiritus sancti in multis, in quibus sunt duodecim rationes firmitatis fidei, quae sunt duodecim fundamenta, per concursum diversorum testimoniorum Spiritus sancti, fidem formavit inconcussam .... Consurgit autem haec firmitas ex quatuor ... ex testificantium notitia certa, ex testificantium fama praeclara, ex testificantium concordia plena, et ex testificantium sententia firma ... Prima certitudo invenitur in mentibus angelicis; secunda in mentibus propheticis; tertia in mentibus apostolicis ... Hae tres visiones, seu certitudines, concurrentes, angelicae, propheticae, apostolicae, dant certitudinem fidei et Scripturae ... Secunda firmitas est ex testificantium fama praeclara. Haec in tribus consistit, in praeclaritate meritorum, miraculorum et martyriorum ... Ter-

tia firmitas fidei est ex testificantium concordia plena, quae est in tribus, in eloquiis Scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum . . . Quarta ratio firmitatis fidei est ex testificantium sententia firma, quae firmitas habetur ex hoc, quod consentit rationi, quia ratio non potest contradicere fidei. Iudicium enim rationis illustratae est, quod de Deo summe est sentiendum et altissime." *Serm. 9. in Hexaëm.* Haec in synopsim redacta, vide per extensum inferius, *part. V. cap. VII. n. 21.* — „Quod objicitur, quod credibile est super rationem, verum est super rationem, quantum ad scientiam acquisitam per rationem evidentem, sed non supra rationem elevatam per fidem, et per donum scientiae et intellectus. Fides enim elevat ad assentiendum, scientia et intellectus elevant ad ea, quae credita sunt, intelligendum. Quod objicitur, quod non convenit fini, quia evacuatur meritum, dicendum quod quando assentitur propter se rationi, tunc aufertur locus fidei, quia in anima hominis dominatur violentia rationis. Sed quando fides non assentit propter rationem, sed propter amorem ejus, cui assentit, desiderat habere rationes; tunc non evacuat ratio humana meritum, sed auget solatium." *In Prooem. in l. 1. Sent. q. 2. ad 5 et 6.* — „Etsi ea, quae sunt fidei, sunt supra nostrum intellectum per se nudum, non tamen sunt supra intellectum gratia fidei illustratum. Unde quaerere illa et credere et indagare usque ad illud, ad quod se extendit lumen fidei, non est se extendere ad majora; et sic omnis disputatio sobria ipsorum articulorum. Si autem excedat, nisi sit a Deo, sic est reprehensibilis." *Expos. in Eccles. c. 7. v. 1.* Cfr. superius *Prooem. § 6. n. 7.*

[12] „Intelligere dicitur dupliciter . . . Uno modo intelligere dicitur large nosse quid est, quod dicitur per nomen: et illud intelligere semper praecedit assensum fidei, nec aliquid creditur, quin isto modo prius intelligatur. Alio modo intelligere, hoc est ratione praevia cogitare. Juxta quod dicit Augustinus *(de util. cred. c. 11):* Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, debemus auctoritati. Et de isto intelligit Augustinus *(in Ps. 118. serm. 18),* cum dicit, quod quaedam sunt, quae prius creduntur, et postea intelliguntur, sicut sunt articuli fidei, qui sunt supra rationem; quaedam sunt, quae non prius creduntur, quam intelligantur, sicut sunt antecedentia ad fidem, et ea, quae sunt de dictamine juris naturalis, sicut Deum esse, Deum esse bonum; quaedam sunt, quae creduntur et nunquam intelliguntur, quia non possunt ratione probari, sicut est historia humana gesta percurrens. Nemo enim potest probare per rationem, quod Abraham genuit Isaac, sed solum per auctoritatem. Et sic patet, quod intelligere aliquando praecedit fidem, aliquando sequitur, secundum istum modum accipiendi, quamvis secundum primum semper praecedat." *3. dist. 24. dub. 3.* Cfr. inferius *part. V. cap. 7. n. 16.*

CAPUT II.

Quid tenendum de Trinitate personarum et unitate essentiae.

(In unitate naturae sunt tres personae. — Trinitas personarum non excludit pluralitatem divinarum perfectionum, — imo eas includit.)

Primo igitur de Trinitate Dei sunt tria consideranda, scilicet qualiter unitas [1] substantiae et naturae simul stet cum pluralitate personarum [2]: secundo, qualiter cum pluralitate apparitionum: tertio, qualiter cum pluralitate appropriatorum.

De pluralitate ergo [a)] personarum in unitate naturae [3] hoc dictat recta fides esse tenendum [b)], quod in unitate naturae (I) sunt tres [4] personae [5] (II), scilicet Pater et Filius (III) et Spiritus sanctus [6] (IV). Quarum prima [7] a nulla est, secunda [8] est a sola prima [9],

a) Ergo om. ed. 1484.

b) Scilicet om. ABCFG HK et ed. 1484.

(I) Contra unitatem divinae naturae peccarunt per defectum Athei: per excessum Idololatrae, seu rectius Polytheistae; Tritheistae etiam saec. VI., duce Joanne Philopono; et Manichaei, qui duo summa principia, bonum et malum, esse autumarunt. — Contra omnes istos in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano definitum fuit: „Credo in unum Deum."

(II) Trinitatem personarum omnium primi impugnarunt Praxeas, Noëtus et Sabellius saec. III., quorum asseclae et Patropassiani appellati sunt. Eos confutarunt S. Dionysius Alexandrinus et Tertullianus: damnarunt Conc. Alexandrinum an. 320, Mediolanense an. 347, et Sirmiense an. 351, ubi anathemate percussus fuit Photinus ejusdem haeresis instaurator. His adhaeserunt saec. XVI. Sociniani, qui, duce Michaële Serveto, ac post ejus supplicium Laelio et Fausto Socinis, unicam in Deo personam agnoscentes, individuam denegarunt Trinitatem, dicti propterea Unitarii, vel etiam Trinitarii et Antitrinitarii — Contra hos in omnibus fidei catholicae professionibus Ss. Trinitas credenda proponitur.

(III) Arius Ecclesiae Alexandrinae presbyter saec. IV. negavit Filium esse Patri ὁμοούσιον, id est, consubstantialem; unde Filium ex non exstantibus factum esse, et tempus fuisse quando non erat, et proinde non proprie, sed participatione tantum Deum esse effutiebat. Processu autem temporis in tres sectas error Arianorum divisus est. Prior Anomoeorum, ducibus Aëtio et Eunomio, qui Filium dissimilem *(anomoeon)* Patri esse blasphemabant; secunda Semiarianorum cum Basilio Ancyrano, qui Filium similem quidem substantiae

per generationem [10], tertia [11] vero est a prima [12] et secunda [13] (V), per spirationem [14] sive processionem [15]; ita quod Trinitas personarum non excludit ab essentia divina [16] summam unitatem [17] (VI) [c], simplicitatem [18] (VII), immensitatem [19] [d], aeternitatem [20], incommutabilitatem [21], necessitatem [22] et etiam primitatem [23]; quin potius includit summam foecunditatem [24], caritatem [25], liberalitatem [26], aequalitatem [27], germanitatem [28], conformitatem [29] et inseparabilitatem [30], quae omnia sana fides intelligit esse in beata Trinitate [31].

c) Summam add. ed. 1484.

d) Et add. ibid.

Ratio autem hujus veritatis haec est: quia fides, cum sit principium cultus Dei (VIII), et fundamentum ejus, *quae secundum pietatem est (Tit. 1, 1),* doctrinae, dictat

Patris, seu ὁμοιούσιον, non vero consubstantialem, id est, ὁμοούσιον, admittebant; tertia Acaciorum, qui Filium Patri similem in omnibus, praeterquam in substantia, autumabant. Omnium primus contra eos calamum strinxit S. Athanasius, quem secuti sunt SS. Basilius Caesar., Hilarius Pictav., Eusebius Vercell., aliique quamplures. Porro Arius damnatus primo fuit in Conc. Alexandrino an. 320, solemnius vero in Conc. Oecum. Nicaeno I an. 325. Alia quoque Concilia, praeter memorata, indicta fuere contra Arii fautores, ut Sardicense an. 347, duo Romana an. 368 et 370, et Aquilejense an. 381. — Contra hos in Symbolo Nicaeno credere profitemur: „In Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula, consubstantialem Patri."

(IV) Spiritus sancti divinitatem impugnare ausus est Macedonius Patriarcha Constantinopolitanus saec. IV, quem Ss. Athanasius et Basilius strenue refutarunt, et Conc. Oecum. Cpolitanum I. an. 381 anathemate percussit. — Sed contra in Symbolo Nicaeno-Cpolitano: „Credo in Spiritum sanctum Dominum, vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas."

(V) Photiani Spiritum sanctum a solo Patre procedere contendunt. Haec haeresis exagitata primo fuit a Ss. Basilio Patriarcha Cptano et Nicolao I Magno, Rom. Pont., ac deinde a N. Seraphico Doctore; proscripta vero in Conciliis Oecum. Cptano IV an. 869, Lugdunensi II an. 1274, et Florentino an. 1439. Schisma autem a Photio initiatum, et a Michaële Cerulario an. 1043 instauratum, adhuc miserrime perdurat. — Sed contra in Symbolo Nicaeno-Cptano: „Credo in Spiritum sanctum . . . qui ex Patre Filioque procedit." — In Conc. Lugdun. II. definitum fuit: „Credimus et Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedentem." Et in Florentino: „Definimus . . . quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit." Vide *n. 13. huj. capitis.*

(VI) Synodo Pistoriensi, „si non pravo animo, imprudentius certe," ut ait Pius VI in Const. *Auctorem fidei,* nonnulla de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio exciderunt, „quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant." Si quidem, „dum posteaquam rite praemisit Deum in suo esse unum et simplicissimum permanere, continuo subjungens ipsum Deum in tribus personis distingui, perperam discedit a communi et probata in christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinct*is* dicitur, non in tribus personis distinct*us*: cujus formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam."

(VII) Divina simplicitas negabatur ab Anthropomorphitis, qui Deum corporeum esse censebant. Impugnatur etiam a Pantheistis, qui Deum aut idem esse cum universo, aut saltem ex eo etiam coalescere contendunt. — Sed in Conc. Oecum. Lateran. IV, cap. *Firmiter*, definitum fuit, quod in Deo sit „Una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino." Quibus verbis errores etiam refutantur Gilberti Porretani, et Abbatis Joachimi, quorum prior realem distinctionem inter divinam essentiam et attributa, et inter attributa a se invicem; alter, ut videtur, inter divinam naturam divinasque personas invexerant. De primo cfr. S. D. 1. *dist. 27. p. 1. a. 1. q. 4.* Contra secundum habetur professio fidei Concilii Rhemensis an. 1148 a B. Eugenio III celebrati, in qua ita legitur: „Cum de tribus personis loquimur, Patre et Filio et Spiritu sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. Et e converso, cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas confitemur . . . Credimus et confitemur solum Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum, aeternum esse; nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, vel aliud hujusmodi, adesse Deo, quae sint ab aeterno, et non sint Deus."

(VIII) Ad rem contra Rationalistas, quos Concilium Vaticanum *de revelat. can. 2.* damnavit his verbis: „Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit."

de Deo esse sentiendum altissime[32] et piissime[33]. Non autem sentiret altissime, si non crederet, quod Deus posset se summe communicare: non sentiret piissime, si crederet, quod posset et nollet[34]; et ideo, ut altissime et piissime sentiat, dicit, Deum se summe communicare, aeternaliter habendo dilectum[35] et condilectum[36], ac per hoc Deum unum et trinum[37]. Huic autem fidei, in quantum dictat de Deo piissime sentiendum esse, attestatur tota sacra Scriptura, quae dicitur doctrina secundum pietatem; quia Deum fatetur habere prolem[38], quam summe diligit, Verbum sibi coaequale[39], quod ab aeterno genuit[40], in quo cuncta disposuit, per quod cuncta produxit et gubernat[41], per quod etiam carnem factum pro summa benignitate hominem redemit pretiosissimo [e] ejus sanguine, redemptumque cibavit; per quod etiam in fine mundi summam misericordiam impertiendo [f], ab omni miseria liberabit; ut per Christum omnes electi sint [g] filii summi Patris, in quo erit omnis pietatis consummatio, et Dei ad nos, et e converso. In quantum autem fides [h] dictat de Deo sentiendum altissime, non tantum attestatur ei sacra Scriptura, verum etiam omnis creatura[42] (IX), juxta quod dicit Augustinus *(Lib. 15. de Trinit. c. 4)*: „Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas praedicat esse Deum, sed omnis, quae nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se praestantissimum conditorem, qui nobis mentem rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu praedita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, potentia impotentibus, justa injustis, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris praeferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione praeponimus, oportet, ut eum et summe vivere, et cuncta sentire atque intelligere, et mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur.“ Ecce in his duodecim includuntur altissimae nobilitates essentiae [i] divinae[43]. Sed post, ut ipse ostendit, haec duodecim reducuntur ad tria, scilicet ad aeternitatem, sapientiam et beatitudinem; et haec tria ad unum, scilicet ad sapientiam, in qua includuntur mens generans, verbum nascens [j], et amor utrumque nectens, in quibus fides dictat beatissimam consistere Trinitatem[44]. Et quoniam summa sapientia ponit Trinitatem, ponit etiam [k] nihilominus omnes prius habitas nobilissimas conditiones, videlicet unitatem, simplicitatem et ceteras sequentes; necesse est omnes praedictas nobilitates divini esse simul stare cum beatissima [l] Trinitate.

e) Pretioso ibid.

f) Pertiendo ibid.

g) Ita recte ibid. In ceteris editt. et sunt.

h) Fides om. ibid.

i) Esse divini AB. Et statim: quae tamen possunt ad tria reduci, scilicet etc. AB. — Esse divini, quae tamen reducuntur ad tria etc. ed. 1484.

j) Proles ed. 1484.

k) Etiam om. ibid.

l) Nobilissima ibid.

(IX) His verbis Traditionalistae refutantur, qui Dei existentiam, aliasque veritates ordinis naturalis absque lumine revelationis, propriis nempe naturae viribus, hominem cognoscere posse negant. Animadvertendum tamen est Traditionalismum in rigidum et in mitigatum distingui. Qui cum De Bonald rigido adhaerent, contendunt sermonem necessarium esse ad intelligendum, sermonem autem ab humana institutione obtineri minime posse. Ex quibus praemissis pronum est ipsis denegare homini destituto exteriori magisterio quamlibet intellectualem cognitionem. E contra Traditionalistae mitigati, ducibus Ventura et Bonnetty, docent humanam rationem, absque lumine revelationis, nullam assequi posse notitiam rerum spiritualium et moralium tantum. Porro ob oculos hic habendus est *can. 1. de revel. Conc. Vatic.:* „Si quis dixerit: Deum unum et verum Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine cognosci non posse; anathema sit“.

Ad Caput II.

[1] „Cum unum multo completius sit in Deo, quam in creaturis, multo formalius ibi dicitur positive. Et rursus, cum omnis unitas ad primam unitatem reducatur, et non est reductio habitus ad privationem, necesse est quod unum in Deo aliquid ponat. Et propterea dicendum, quod est loqui de hoc nomine *Unus* in creaturis, vel quantum ad rem intellectam, vel quantum ad rationem intelligendi. Si enim loquamur quantum ad rationem intelligendi, sic dico, quod dicitur privative; unde et ratio ejus assignatur per privationem divisionis, sive multitudinis; et hoc est, quia unum est primum, et prima non habent intelligi a nobis, et notificari nisi per posteriora; et inde est, quod privative dicitur unum: unitas autem in substantia, quantitate et qualitate, quia habet aliquid prius, per quod possit intelligi, dicitur positive, ut identitas, aequalitas, similitudo, et eorum opposita privative. Si autem loquamur quantum ad rem intellectam, sic unum habet respectum ad materiam, et habet respectum ad formam. Ratione respectus ad materiam, est in se indivisum, tamen potentia divisibile; et quia potentia materialis se habet per modum privationis, similiter et unum. Ratione respectus ad formam, quae dat esse distinctum et limitatum, sic dicit positionem. Quoniam igitur in Deo est unum omnino secundum formam, in creaturis attenditur et secundum formam et secundum materiam; hinc est, quod solum in Deo positive, in creaturis vero aliquando accipitur positive, aliquando privative, secundum rem." *1. dist. 24. a. 1. q. 1.*

[2] „Cum dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludimus." — „Notandum, quod in divinis recipimus unitatem, non singularitatem, nec solitudinem, quia singularitas excludit communicabilitatem, et solitudo excludit pluralitatem; et nos ponimus unam essentiam in pluribus: ideo hoc non recipimus. Similiter notandum ex parte pluralitatis, quod recipimus ista quatuor, alietatem, pluralitatem, discretionem atque distinctionem; sed haec quatuor e contrario non recipimus, scilicet diversitatem, multiplicitatem, divisionem et separationem. Ratio autem hujus est, quia separatio supponit divisionem, divisio multiplicitatem, multiplicitas diversitatem, diversitas autem ponit formae vel naturae distinctionem. Et quia in divinis est naturae omnimoda unitas; ideo cum non recipiatur diversitas, nec aliquod istorum quatuor. E contra, discretio supponit distinctionem, distinctio pluralitatem, pluralitas alietatem. Alietas autem non tantum attenditur quantum ad formam, sed etiam quantum ad suppositum; et quia sunt plures hypostases, ideo praedicta quatuor in divinis recipiuntur. Distinctio autem nominum praedictorum haec est; nam de primis quatuor, alietas et pluralitas important distinctionem a parte rei, sed distinctio et discretio per comparationem ad nostram cognitionem; sed alietas per modum substantiae, pluralitas per modum quantitatis, quamvis non sit ibi vere quantitas. Distinctio autem et discretio differunt, quia discretio dicitur in comparatione ad visum, sed distinctio in comparatione ad tactum. Alia autem quatuor differunt sic, quia diversitas attenditur secundum substantiam, multiplicitas quantum ad veram quantitatem, divisio quantum ad positionem, sive ad discontinuationem, sed separatio quantum ad ubi. Vel aliter, diversitas quantum ad principium intrinsecum, multiplicitas quantum ad numerum, divisio quantum ad terminum, separatio vero attenditur quantum ad medium interjectum." *Ibid. in expos. text.*

[3] „Impossibile est plures Deos esse, et si recte accipiatur significatum hujus nominis, Deus, non solum est impossibile, sed etiam non intelligibile. Deus enim dicit simpliciter summum, et in re, et in opinione cogitantis. Quia in re; ideo omnia ab ipso, et in ipso, et ad ipsum; et in ipso omnino est status: ideo impossibile est intelligere, salvo hoc intellectu, quod aliquid sibi parificetur aliud ab ipso. Item nihil majus Deo cogitari potest, nec etiam aequale, quia summum in opinione; ideo impossibile et non intelligibile est ponere plures Deos." *1. dist. 2. a. 1. q. 1.*

[4] „In divinis aliquo modo est numerus, aliquo modo non. Nam secundum quod dicit distinctionem personalem secundum originem, sic dicendum est numerum esse in divinis; secundum autem quod aggregationem et divisionem substantialem dicit, non est ponendus numerus in divinis." *1. dist. 24. a. 2. q. 1.*

[5] „Utrum sit ponere in Deo personarum pluralitatem. Et quod sic, ostenditur supponendo de Deo quatuor. Primum est, quod in ipso sit summa beatitudo. Secundum est, summa perfectio. Tertium est, summa simplicitas. Quartum est, summa primitas. Ex prima suppositione arguitur sic: Ibi est summa beatitudo; sed ubicumque est summa beatitudo, est summa bonitas, summa caritas, et summa jucunditas. Sed si est summa bonitas, cum bonitatis summae sit se communicare, et hoc est maxime in producendo ex se aequalem, et dando esse suum; ergo etc. Si summa caritas, cum caritas non sit amor privatus, sed ad alterum; ergo requirit pluralitatem. Item, si summa jucunditas, cum nullius boni sine socio sit jucunda possessio; ergo ad summam jucunditatem requiritur societas, et ita pluralitas. Ex secunda suppositione arguitur sic: Ibi est summa perfectio; sed perfectionis est producere talem, qualis ipse est in natura; ergo necesse est ibi esse multiplicationem; sed hoc non potest esse secundum aliam essentiam; ergo oportet, quod sit secundum aliam personam, sive suppositum. Ex tertia suppositione arguitur sic: Ibi est summa simplicitas; sed simplicitatis est, quod aliqua natura sit in pluribus, ut patet in universali; sed ex defectu simplicitatis est, quod numeretur in illis; ergo si in Deo est simplicitas in nihilo deficiens, est in pluribus non numerata essentia; ergo etc. Ex quarta suppositione arguitur sic: Ibi est summa primitas; sed quanto aliquid est prius, tanto foecundius est, et aliorum principium; ergo sicut essentia divina, quia prima, est principium aliarum essentiarum; sic persona Patris, cum sit prima, quia a nullo est principio, habet foecunditatem respectu personarum; sed foecunditas in Deo respectu Dei non potest esse nisi actui conjuncta; ergo necesse est plures esse personas." *1. dist. 2. a. 1. q. 2. fundam.*

[6] „Omnipotens Deus Pater, Filius, Spiritus sanctus unus est Deus, nam in unitate naturae numerali est realis

pluralitas personarum, quarum prima, scilicet Pater, a nullo est producta, nec producibilis; nec genita, nec generabilis; nec spirata, nec spirabilis; nec creata, nec creabilis. Secunda persona, scilicet Filius, est genita a Patre naturali productione, naturali foecunditate intellectus per memoriam. Tertia persona, scilicet Spiritus sanctus, est spirata a Patre et Filio, non genita, nec creata, sicut nec secunda persona est creata, nec spirata." *Declar. Termin. Theol.* — Alibi S. D. hoc mysterium in sole mirifice adumbrat his verbis: „Sol aeternus, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Pater scilicet summe vigens, Filius summe fulgens, Spiritus sanctus summe calens. Pater, lux ingentissima: Filius, splendor pulcherrimus et fulgentissimus, Spiritus sanctus amor ardentissimus. Sicut iste sol cuncta vivificat, cuncta illustrat, cuncta calefacit; et sicut ista tria, vigor, splendor, calor, sunt unus sol, et tamen habent distinctionem, nec sunt tres soles; sic Pater, Filius, Spiritus sanctus, sunt unus Deus. Et sicut vigor est splendens et calens in isto sole visibili, splendor est vigens et calens, calor vigens et splendens; sic Pater est in seipso et in Filio et in Spiritu sancto; et Filius est in Patre et in se et in Spiritu sancto; et Spiritus sanctus est in Patre et in Filio et in seipso secundum rationem circumincessionis, quae notat identitatem cum distinctione." *Serm. 24. in Hexaëm.* in princip.

[7] „Cum inter personas divinas sit ratio producentis et producti, inter eas ordo originis est ponendus." — „Triplex est ordo, scilicet secundum positionem, secundum antecessionem et secundum originem. Ordo secundum positionem dicitur aliquorum, quorum unum est superius, aliud inferius. Et hoc potest esse dupliciter, vel in loco, vel in dignitate: et hic ordo non cadit in divinis. . . . Ordo vero secundum antecessionem dicitur esse eorum, quorum unum prius est, alterum vero posterius; et hoc dicitur dupliciter, aut quia antecedit duratione, sive tempore, aut prius naturali intelligentia, sive cognitione: et hic ordo non est in divinis, sicut probat ratio tertia, quia hic ordo tollit aequalitatem et simultatem, quorum utrumque perfecte est in divinis. Ordo autem secundum originem, sive secundum emanationem, est producentis ad productum: et iste ordo est in divinis, quia ibi est ordo principii et principiati, sive producentis et producti. . . . Ad illud quod objicitur: Ubi est ordo, ibi dependentia; dicendum quod ordo importat habitudinem; et quia habitudo in creaturis, ratione imperfectionis, dicit dependentiam; ideo in creaturis importat dependentiam, in divinis autem solum ponit comparationem et connexionem, et nullam dependentiam et inclinationem." *1. dist. 20. a. 2. q. 1.*

[8] „Divinae personae habent ordinem naturae, non quod altera sit posterior altera, sed quod altera ex altera; vel ordinem naturae, id est naturalis originis." *1. dist. 20. a. 2. q. 2.*

[9] „Ab Omnipotente detrahere maximum posse est impossibile; sed Deus Pater est omnipotens, cujus maximum posse est generare Filium; ergo detrahere ei posse generare Filium est impossibile. Sed in aeternis potentia est conjuncta actui; ergo pari ratione impossibile est auferre actum generationis; ergo impossibile est non generare. Sed impossibile non esse, et necesse esse convertuntur; ergo necesse est generare." *1. dist. 6. a. 1. q. 1. fund. 3.*

[10] „Generatio est productio substantifica per modum naturae." *Decl. Term. Theol.* — „Generare de sui propria ratione est similem sibi in substantia et natura producere. Sibi vero similem in natura producere tripliciter est. Aut per impressionem suae similitudinis in alio; et sic generatur character a sigillo, lumen a luminoso, species ab objecto. Alio modo per eductionem speciei consimilis ab alio; et sic generatur elementum ab elemento. Tertio modo per productionem similis de simili, sive de seipso; et sic generatur animatum ab animato: et iste tertius modus est perfectior. Unde non reperitur nisi in substantiis habentibus formam nobilem, quae est vita. Et iste modus generationis est secundum nascentiam, et est in Deo et creaturis, sed differenter, quia producere alium ex seipso potest esse dupliciter, vel ex se toto, vel ex parte sui. Ex se toto non potest producere nisi ille, cujus essentia potest esse in pluribus una et tota. Nam si non potest esse in pluribus una et tota, si generans dat totam suam substantiam generato, tunc substantia tota transit in generatum, et generans perdit substantiam totam generando, quod esse non potest. Ideo adhuc necesse est, quod talem habeat substantiam, quae una et tota sit in pluribus; talis autem substantia non est nisi substantia habens summam simplicitatem; haec autem est sola divina essentia, in qua propter summam simplicitatem suppositum non addit ad essentiam, unde nec ipsam coarctat, nec limitat, nec formam multiplicat. Et ideo in eo potest esse generatio communicans eandem substantiam totam: et talis generatio est omnimodae perfectionis, et in solo Deo reperitur, ratione jam dicta. Alio modo contingit aliquem ex se producere quantum ad partem sui. Sic pater naturalis generat filium, partem substantiae transmittendo et descindendo. Et haec generatio necessario est cum transmutatione, quia enim pars decisa non habet actum totius, necesse est quod per mutationem acquirat; sed quod acquirit quod non habet, variatur; ideo haec generatio est mutatio, et habet variationem conjunctam. Est etiam cum corruptione adnexa; quia enim aliqua pars generantis deperditur, generans est, a quo potest fieri ablatio, et ita corruptio. Est etiam cum conversione adjuncta; quia enim fit deperditio, necesse est, quod per nutrimentum fiat restauratio. Et ideo generatio in creatura et perfectionis et imperfectionis est, perfectionis a parte virtutis producentis, imperfectionis a parte subjecti divisibilis; et ideo est in solis animatis, quae habent formam perfectionis, id est animam et ipsum, scilicet corpus, defectibile et restaurabile. Generatio vero in divinis est omnimodae perfectionis, quod enim non est ex parte, ideo est, quia habet actu speciem. Et ideo nec ibi est in natura imperfectio, nec variatio, quia nihil novum acquiritur; nec corruptio, quia nihil adimitur; nec nutritio, quia nihil restituitur." *1. dist. 9. a. 1. q. 1.* Cfr. quoque *1. dist. 7. a. 1. qq. 1. 3. 4.*

[11] „Secundum rationem intelligendi prior est emanatio Verbi, tum quia Verbum est Spiritus sancti principium, tum etiam quia Verbum procedit per modum naturae, sed Spiritus sanctus per modum liberalis voluntatis; tum etiam quia intelligimus emanationes in personis per emanationes repertas in imagine. In imagine autem constat, quod cognitio et intelligentia praecedit amorem et voluntatem; non tamen volo dicere, quod in divinis sit emanatio naturâ

posterior emanatione, sicut reperimus in imagine creata." *1. dist. 12. a. 1. q. 4.*

[12] „Spiritus sanctus procedit prius a Patre quam a Filio, auctoritate, non tempore, vel causalitate, vel origine." — „Prius dicitur multipliciter. Dicitur enim prius duratione, prius causalitate, prius origine, prius auctoritate. Et primis duobus modis prius nullo modo cadit in Deo, quia prius duratione contrarium est aeternitati, prius causalitate contrarium est essentiae unitati. Sed prius origine, quo alter ex altero, et prius auctoritate, quo alter accipit ab altero, cadit ibi. Sed prius origine cadit respectu producentis et producti, cum alter oritur ex altero; cum vero unum oritur a duobus, non cadit ibi *prius* origine, quia tunc ambo sunt unum originale principium; tamen cadit ibi *prius* auctoritate, quia quamvis Pater et Filius sint unum in producendo, tamen hoc accipit Filius a Patre. Si ergo quaeritur, utrum per prius procedat Spiritus sanctus a Patre, quam a Filio; si intelligatur duratione, falsum est; similiter si prius causalitate. Si autem prius auctoritate, ut prius idem sit quod principalius, veritatem habet." *1. dist. 12. a. 1. q. 1.* — „Spiritus sanctus non plenius procedit a Patre quam a Filio, neque immediatius." — „Spiritus sanctus dicitur procedere a Patre principaliter et per se. Principaliter, quia auctoritas est in Patre, per se, quia non tantum mediante Filio, sed etiam immediate. Non tamen plenius procedit a Patre, nec perfectius, quia plenius ponit gradum perfectionis, ponit etiam compositionem substantiae in producto, quorum neutrum est in divinis. Unde si ponatur haec, quod illud, quod procedit ab aliquo principalius, etiam plenius procedit, aut si non plenius, neque principalius, simpliciter est neganda." — „Productio Spiritus sancti est mediata simul et immediata. Mediata, in quantum est a Filio, et Filius a Patre; sed immediata, in quantum ipse Spiritus sanctus ab ipso Patre spiratur ... Et hunc modum oportuit esse in Deo propter summam germanitatem. Si enim tantum mediata esset processio Spiritus sancti, ut tantum esset a Filio, non esset summa germanitas Spiritus sancti cum Patre. Similiter, si omnino immediata, ut esset a Patre tantum, non esset summa germanitas cum Filio." *1. dist. 12. a. 1. qq. 2—3.*

[13] „Fidei veritas est, quod Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. Ad intelligentiam autem controversiae Latinorum et Graecorum, et originem ejus, notandum est quod circa processionem Spiritus sancti de Filio est duo considerare, scilicet articuli cognitionem, et ejusdem cogniti professionem. In primo orta est differentia, in secundo controversia. Cognitio autem hujus articuli fundamentum habet a Scriptura, profectum vel incrementum a ratione, sed conservationem a revelatione. In Scripturae auctoritate Graeci et Latini conveniunt, quae dicit Spiritum sanctum esse Filii, et mitti a Filio; sed in ratione et revelatione differunt. In ratione quidem intelligendi, nam cum Scriptura dicat Spiritum sanctum procedere, Graeci ad intelligendum usi sunt alio modo et alia similitudine processionis, alio modo Latini. Nam cum processio dicatur in creaturis motus localis ab uno in alium, et dicatur motus causalis unius ex alio, Graeci intellexerunt processionem primo modo, ab uno in alium, Latini vero secundo modo. Et in hoc melius intellexerunt Latini quam Graeci, quia comparaverunt processionem aeternam processioni magis spirituali, et ideo magis simili comparaverunt, et sic melius. Similiter Scriptura dicit*) Spiritum sanctum per spirationem procedere. Sed cum duplex sit spiratio, scilicet flatus exterioris, et amoris interioris, Graeci comparant Spiritum spirationi flatus exterioris, sed Latini spirationi interioris amoris; et ideo Latini melius, quia spiritualiori et similiori similitudini aptaverunt. Similiter cum Scriptura dicat**) Spiritum sanctum procedere ut nexum et communionem, et duplex possit esse nexus, vel sicut medium jungens alteri, vel sicut extremum, in quo conjunguntur; Graeci comparaverunt primo modo, Latini secundo modo, et ideo spiritualiori et similiori, quia ille nexus magis habet similitudinem personae. Quia ergo differentiam habuerunt in ratione, et Latini spiritualius et convenientius comparaverunt; ideo ex ratione sua sunt elevati, et per hoc ad intelligentiam Scripturae dispositi; et ideo manifesta revelatione edocti sunt de Spiritus sancti processione. Graeci vero, quia similitudines differentes et minus proprias aptabant, ideo sunt sua ratione depressi, et non valentes intelligere Spiritum a Verbo procedere, nec in alium ab aeterno procedere, arctaverunt Scripturam ad intelligendum de processione temporali; et ideo sibi viam revelationis clauserunt. Haec est ergo ratio diversitatis in hujus articuli cognitione. — Controversia vero venit ex hujus articuli professione. Professio vero articuli venit ab Ecclesia Latinorum ex triplici causa, videlicet ex fidei veritate, ex periculi necessitate, ex Ecclesiae auctoritate. Fides dictabat hoc, et periculi necessitas imminebat, ne forte aliqui hoc negarent, in quod periculum inciderunt Graeci, et Ecclesiae auctoritas aderat; et ideo sine mora exprimi debebat. Negatio vero hujus articuli venit ex triplici causa, scilicet ex ignorantia, ex superbia et pertinacia. Ex ignorantia, quia nec Scripturam intellexerunt, nec habuerunt congruam rationem, nec apertam revelationem. Ex superbia, quia cum reputarent se sciolos, et vocati non fuerunt, noluerunt profiteri quod non erat per eos inventum. Ex pertinacia, ne convincerentur, et irrationabiliter moveri viderentur, invenerunt pro se rationes contra veritatem. Et ideo suam sententiam defendere ausi sunt, et auctoritati Ecclesiae Romanae obviare; et ideo facti sunt haeretici, quia negant fidei veritatem, et schismatici, quia recesserunt ab Ecclesiae unitate. Sed quia mos est haereticorum et schismaticorum, cum se non possunt rationibus communire, adversam partem accusare; ideo nos accusant et redarguunt, tamquam curiosos, et tamquam excommunicatos et schismaticos. Curiosos, quia sine hujus articuli professione salus erat. Quare ergo intromiserunt se Latini hoc perquirere, quod non fuit necessarium? Sed ad hoc patet responsio. Opportunum fuit propter periculum, in quod ipsi inciderunt. Similiter dicunt nos excommunicatos, quia Symbola corrupimus, in quibus per sanctos Patres sub excommunicationis poena hoc erat prohibitum. Et ad hoc patet responsio per praedicta, quia non corrupimus, sed perficimus; nec sententia lata est contra perficientes, sed contra corrumpentes. Vel potest dici, sicut dicit Anselmus *(lib. de proc. Sp. s.)*, quod novum

*) Forte implicite, sed explicite nusquam. *Not. Ed. Rom.*

**) Neque hoc expresse. *It.*

edidimus, quod quidem facere potuimus, quia Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum ponere, nec arctare potuit, nec ei praejudicare, nec ligare eam ad aliquid *). Similiter dicunt nos schismaticos, quia a nobis incipit divisio. Cum enim hoc vellemus asserere, noluimus eos vocare. Et ad hoc responderi potest pro Latinis, quod eos vocare non fuit opportunum, quia Ecclesia sine eis hoc poterat, et quia erat laboriosum propter distantiam, erat infructuosum propter insipientiam, quia jam non erat in Graecis sapientia tanta, sicut fuerat, immo ad Latinos transierat. Erat nihilominus periculosum, quia quod pro certo habendum erat, periculum erat ducere in dubium. Et sic patet, quod frivolae sunt earum accusationes ... Ad illud quod objicitur, quod non reperitur in Scriptura, dicendum quod si verba non reperiantur, reperitur tamen sensus ... Tamen argumentum non valet. Non reperitur in Scriptura; ergo non est verum. Quia Scripturae mos est quaedam tacere propter insinuandam humilitatem. Unde Dominus volens nos erudire ad humilitatem, omne quod suum est, Patri attribuit, sicut in Joanne *(7, 16): Mea doctrina non est mea.* Similiter dicitur *(Jo. 15, 26): Qui a Patre procedit,* loquens de Spiritu sancto; et tamen ipse subjungit *(Jo. 16, 15): Omnia, quae Pater habet, mea sunt.* Et ideo argumentum non valet." *1. dist. 11. a. 1. q. 1. concl. et ad 5.*

[14] „Spiratio est productio substantifica per modum voluntatis." *Decl. Term. Theol.* — „Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, in quantum sunt unum in foecunditate voluntatis. Una autem est in Patre et Filio voluntas, quia Pater et Filius sunt una substantia. Si ergo est in eis voluntatis foecunditas, una est foecunditas in eis. Voluntatis autem foecunditas est in Patre et Filio, quia uterque Deus improcessibilis. Sicut enim superius dictum fuit *(dist. 2)* de numero personarum, et infra *(dist. 28)* melius patebit, cum agetur de innascibilitate *(vide inferius cap. seq.)*, quae idem est in Patre, primitas et primum et principium sunt idem, et ratio primitatis est ratio principiandi, sive foecunditatis. Quoniam ergo Pater prior est in omni emanatione, scilicet processione et generatione, quia nec generatur, nec procedit; hinc est, quod utroque modo est principium. Quia vero Filius prior est emanatione processionis, non generationis, quia generatur, tamen est inspirabilis; hinc est, quod est principium spirandi, non generandi. Quia vero Spiritus sanctus neutro modo se habet, neutro modo est principium. Inde est ergo, quod, quamvis Spiritus sanctus a duobus procedat, quia tamen procedit, non ut sunt differentes, sed ut est in eis una foecunditas voluntatis, patet quod Spiritus sanctus procedit ab eis, in quantum sunt unum." *1. dist. 11. a. 1. q. 2.*

[15] „Processio est spiratio passiva. Spiratio est spiratio activa." *Decl. Term. Theol.* — „In divinis verissime est origo, ergo et productio; sed omni productioni activae respondet productio passiva; sed productio passiva est processio; ergo a primo ad ultimum in divinis vere et proprie est processio ... Ad completam rationem processionis ista duo requiruntur, quod sit ab alio, et in alium tendat; sed amor, qui est Spiritus sanctus, non procedit a Patre, in quantum amat se, nec a Filio, in quantum amat se, sed in quantum unus amat alterum, quia nexus est; ergo Spiritus sanctus est amor, quo amans tendit in alium, et ista duo complectuntur rationem processionis perfectae; ergo processio est in divinis ... Processio in creaturis dicit respectum ad principium a quo, ut radius dicitur procedere a sole, sicut flos ab arbore: et quod dicit motum, hoc accidit ei. Et similiter ratione nominis dicit respectum ad terminum ad quem: et quod dicit elongationem, hoc accidit ei. Quoniam ergo in divinis uterque respectus reperitur, nam persona procedens respectum habet ad principium a quo, ut amor procedens ab amante respectum habet ad amatum, amor scilicet ille, qui est nexus et caritas; ideo vere et proprie et perfecte ratio processionis invenitur in divinis." *1. dist. 13. a. 1. q. 1.* — „Quemadmodum Spiritus sanctus non est Filius, sic Spiritus sancti processio non est generatio." — „Sicut Pater dicitur ingenitus, quia ab eo removetur omnis generatio, quia nec generatur, nec est a generato; similiter e converso processio proprie de eo dicitur, in quo est omnino ratio procedendi: et talis est Spiritus sanctus, quia procedit, et est a procedente; non sic autem Filius; ideo Spiritui sancto attribuitur. Aliter potest dici, quod completa ratio processionis consistit in comparatione ad principium a quo, et ad terminum ad quem; et quia Spiritus in sua emanatione, quia nexus est, utrumque respicit, Filius alterum; ideo completissima ratio hujus nominis reperitur in Spiritu sancto, quamvis aliquo modo reperiatur in Filio; et ideo Spiritui sancto appropriatur." *1. dist. 13. a. 1. q. 2. ad 4.* „Recipitur a Patribus orthodoxis haec sententia: Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, quod quidem principium dicit unitatem communis notionis in comparatione ad essentiae et vis spirativae unitatem." — „Tametsi concedatur, quod Pater atque Filius sint unum principium Spiritus sancti, non tamen illud est concedendum, quod Pater et Filius sint unus spirator." *1. dist. 29. a. 2. qq. 1. 2.*

[16] „Quamvis divina essentia sit unum quid simplicissimum, tamen est pelagus substantiae infinitum ... ideo multis modis intelligimus Deum, et diversis nominibus exprimimus, et secundum quod per illos modos intelligimus, plura enuntiamus, ita quod Deo aliquid attribuimus secundum unum modum, quod non secundum alium; et vere quidem, quia omnia in Deo habent veram existentiam." *1. dist. 45. a. 2. q. 1.*

[17] „Essentia divina est summe una, id est, nullo modo divisibilis in plures essentias." *Decl. Term. Theol.*

[18] „Essentia divina ... est summe simplex, id est, non composita ex multis rebus distinctis a se invicem re, nec componibilis cum rebus a se re distinctis; sed quidquid est in ea, propter sui infinitatem, est una res cum ea."

*) „Etsi autem Graeci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen tenentur in symbolo pronuntiare." Ita Benedictus XIV in Bulla *Etsi pastoralis* dat. die 26 maji 1742, qui ibidem haec subdit notatu digna: „Contraria tamen consuetudo ab Albanensibus graeci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus aliisque quibuscumque in Ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam a graecis presbyteris aliarum quarumcumque regionum commorantibus in Italia ejusque insulis adjacentibus, si ab Ordinariis locorum, vel ob suspicionem haeresis, vel ob scandalum, vel ob aliam justam causam requisiti fuerint, particulam illam *filioque* in symbolo pronuntiari praecipimus ac mandamus".

Decl. Term. Theol. — „Ad hoc quod principia aliquid constituant, oportet quod principia sint differentia, sint dependentia, sint imperfecta, sint etiam difformia. Si enim essent omnino conformia et perfecta, non possent aliquid constituere, quia ex duobus entibus actu nihil fit. Quia ergo differentia, ideo sunt composita, quasi cum aliis posita. Quia dependentia, ideo infirma. Quia imperfecta, ideo obscura. Quia dissimilia, ideo disparia. Deus autem non potest esse ex differentibus et diversis, quia est vita per essentiam. Non potest esse ex infirmis, quia virtus per essentiam. Non potest esse ex imperfectis et obscuris, quia lux est. Similiter non potest esse ex disparibus et dissimilibus, quia spiritus per essentiam. Summa ergo actualitas, summa potestas, summa claritas, summa spiritualitas non permittunt in Deo esse aliquam compositionem. Unde ex his quatuor conditionibus quatuor rationes eliciuntur probantes Deum simplicissimum.“ *1. dist. 8. p. 2. dub. 6.*

[19] „Essentia divina . . . est immensa, id est, ipsa per seipsam est praesens omni rei, et persona per ipsam operatur in omni re, et manu tenet et intelligit omnia. *Decl. Term. Theol.* — „Deus, cum ab alio non conservetur, neque mensurabilis sit, loco non ambitur: est tamen in omni loco, quia per praesentiam suam supplet loci indigentiam.“ — „Triplex est conditio, secundum quam comparatur locatum ad locum. Una, secundum quam locatum excellitur; et haec est proprietas salvationis, si enim locatum indiget loco, et locus complet ejus indigentiam, et conservat naturam: et secundum hanc proprietatem sola corporalia sunt in loco, non autem spiritualia, quia non recipiunt influentiam a loco corporeo. Alia est proprietas, secundum quam locatum aequatur et proportionatur loco; et haec est proprietas commensurationis: et secundum hanc conditionem proprie corporalia sunt in loco, quia illa sunt commensurabilia, unde circumscribuntur; spiritualia autem minus proprie, nam non sunt commensurabilia respectu partium, sunt tamen diffinibilia respectu totius. Tertia est conditio, secundum quam locatum excedit locum, videlicet quod per sui praesentiam replet et supplet indigentiam loci, locus enim sine locato privatus est et indigens, sicut concavitas oculi sine organo. Quoniam ergo Deus ad nullam creaturam comparatur, nec secundum rationem inferioritatis, nec aequalitatis, sed superioritatis et excellentiae, Deus non est in loco quantum ad primam et secundam proprietatem, sed solum quantum ad tertiam, scilicet quod per praesentiam supplet loci indigentiam. Nam locatum per praesentiam replet distantiae vacuitatem, Deus autem per praesentiam replet vacuitatem essentiae, et illa quidem sine hac esse non potest.“ *1. dist. 37. p. 1. a. 1. q. 2.* — „Soli Deo proprie et singulariter convenit esse ubique, et nihil aliud a Deo ubique esse potest.“ — „Esse ubique, sicut dicunt Sancti, convenit soli Deo proprie et singulariter, ita quod nulli convenit alii, nec intelligi potest convenire, si recte intelligatur. Nam Deus dicitur esse ubique, ita quod ex parte Dei intelligitur identitas et totalitas, ex parte loci pluralitas et universalitas. Per conditionem identitatis excluditur universale, quod quamvis sit in omnibus singularibus, tamen secundum aliud et aliud suppositum, et ita numeratum. Per conditionem totalitatis excluditur numerus, nam quamvis numerus sit ubique, tamen secundum aliam et aliam partem. Per conditionem pluralitatis a parte loci excluditur spiritus creatus, qui quamvis sit in pluribus partibus corporis, non tamen in omnibus nisi ut unitis. Per conditionem universalitatis excluditur corpus Christi sub sacramento, quod quamvis sit in pluribus, non tamen est in omnibus, nec esse potest, quia hoc solum convenit ei sub sacramento.“ *Ibid. a. 2. q. 1.* — „Esse ubique convenit Deo aeternaliter, prout dicit praesentialitatem divinae immensitatis, per quam est praesens omni ei, quod est, sive sibi, sive alii: temporaliter vero, prout connotat locum creatum, sive rem.“ — „Esse ubique dupliciter potest accipi de Deo, sicut et esse semper. Uno enim modo *semper* importat divinam immensitatem secundum durationem; et sic idem est quod aeternitas, et convenit Deo aeternaliter. Alio modo connotat simultatem temporis; et sic convenit ei a principio temporis. Sic esse ubique uno modo importat praesentialitatem divinae immensitatis, per quam est praesens omni ei, quod est, sive sibi, sive alii: et sic idem est esse ubique, quod Deum esse immensum; et sic convenit Deo aeternaliter . . . Alio modo, prout connotat locum creatum, sive rem: et sic convenit ei ab initio rerum et locorum propter connotatum, et convenit semper, et adhuc est proprium, quia convenit soli et semper, uno modo, licet non aeternaliter, sicut etiam est in demonstrativis.“ *Ibid. q. 2.*

[20] „Essentia divina . . . est aeterna, id est, non incoepit, nec desinit, simul et semel omnes perfectiones indivisibiliter continet.“ *Ibid.* — „Aeternum est, quod principio caret. Et licet de suo nomine non dicat nisi privationem initii durationis, per appropriationem tamen dicit privationem omnis principii.“ *1. dist. 31. p. 2. a. 1. q. 3.* Cfr. etiam *Centiloq. p. 3. s. 7.*

[21] „Essentia divina . . . est incommutabilis, id est, nec substantialiter, nec accidentaliter mutabilis, nec generabilis, nec corruptibilis, nec aliquo modo perfectibilis, vel defectibilis.“ *Decl. Term. Theol.* — „Immutabilitas dicitur per privationem mutabilitatis. Mutatio autem dicitur tripliciter. Uno modo ab ente in ens; et haec est mutatio secundum accidens, et dicitur variatio. Alio modo ab ente simpliciter in ens potentiâ, sive secundum quid; et haec est mutatio secundum formam, et dicitur corruptio. Alio modo est mutatio ab ente in simpliciter non ens; et haec est secundum totam rei substantiam, et dicitur versio. Secundum hoc intelligendum est, quod immutabilitas dicitur tripliciter. Uno modo invariabilitas, alio modo incorruptibilitas, et tertio modo invertibilitas. Si ergo immutabilitas dicatur invariabilitas, sic dico quod in nulla omnino est creatura, neque per naturam, neque per gratiam; nam omne creatum aut est accidens, aut habet accidens, et ita variabile. Sic accepta immutabilitas proprie proprium ipsius Dei est. Si autem dicatur immutabilitas incorruptibilitas, sic dico quod in aliquibus est creaturis, in quibusdam per naturam, ut puta in simplicibus, in quibusdam per gratiam, ut puta in glorificatis corporibus. Nec sic est proprie proprium divinae essentiae. Si vero tertio modo dicatur immutabilitas, sic omnibus creaturis inest per gratiam, nulli autem per naturam, nisi soli Deo. Invertibile enim per naturam est, quod ex seipso habet, ut possit stare; hoc autem est, in quo nulla est vanitas, vel varietas, et in quo omnino nulla est essentiae mutatio, nec ad esse, nec ad non esse; et hoc est solum aeternum; ideo haec

invertibilitas est in solo Deo, et est proprie proprium ejus. Invertibilitas autem per gratiam inest omnibus vel pluribus creaturis, quia Deus sua gratuita bonitate cetera continet, ne in nihil cedant: et loquor de creaturis, quae dicunt quid completum, et per se existens. Concedendum ergo quod immutabilitas, prout privat variationem secundum accidens, quantum ad naturam et potentiam, solius Dei est. Similiter ut privat mutationem in non esse secundum actum et potentiam, quantum est de natura, solius Dei est, licet per gratiam conveniat multis creaturis." *1. dist. 8. p. 1. a. 2. q. 2.* — „Sicut dicit Boëtius *(de cons. philos. met. 9. l. 3)*, Deus, stabilis manens, dat cuncta moveri; unde divina essentia est immutabilis. Non enim mutatur loco, quia ubique est; non tempore, quia aeternitas simul est; non forma, quia purus actus est. Unde mutationem secundum formam tollit simplicitas, secundum tempus tollit aeternitas, secundum locum tollit immensitas. Et ideo in Deo est summa stabilitas; et inde omnis motus causalitas, quia sicut probat Augustinus *(l. 8. de gen. ad litt. c. 21)*, et vult Philosophus *(Arist. 7. phys. cont. c. 1)*: Omnis motus procedit ab immobili, ut cum movetur manus, stat cubitus, et movetur cubitus stante humero: quia ergo Dei sapientia est stabilis, ideo omnia movet." *Ibid. q. 1.*

[22] „Essentia divina est necessaria, id est, ipsa non potest non esse, nec aliquid ab eo deficere, et omnis sua actio est ipsa essentia, et necessaria, licet terminus actionis divinae ad extra non sit necessarius." *Decl. Term. Theol.* — Hanc porro necessitatem minime tollere in Deo, imo „et in Christo et in Angelis et in hominibus beatis" libertatem arbitrii, sic S. D. evincit. „Cum duplex sit necessitas, videlicet coactionis et immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati arbitrii, necessitas vero immutabilitatis non, pro eo quod arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc, ut possit velle ejus oppositum, sed quia omne, quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit se velle illud; et ideo in actu volendi seipsum movet, et sibi dominatur: et pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud." *2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 2.*

[23] „Essentia divina . . . est prima, id est, radix et fundamentum emanationum et personalium proprietatum, et omnino prima entitas inter omnia entia, et in divinis, et in creaturis." *Ibid.* Vide superius ad n. 12.

[24] „Id est memoria perfecta ad producendum personam utramque. Nam memoria, quam dicunt intellectivam, naturam Dei dicit cum intellectu, quae foecunda est respectu Verbi. Sed memoria, quam dicunt spirativam, naturam Dei dicit cum voluntate, quae est foecunda respectu Spiritus sancti." *Ibid.* Vide superius n. 14.

[25] „Id est una numero voluntas in tribus personis, et per consequens eadem volitio et volitum idem." *Ibid.* — „Caritas, secundum quod est finis, in quo quiescimus, convenit toti Trinitati." *2. dist. 38. a. 1. q. 2. ad 1.*

[26] „Id est communicabilitas suae essentiae, et omnis infinitae perfectionis in deitate ipsis personis, et suae bonitatis et influentiae in creaturis omnibus, et rebus productis." *Decl. Term. Theol.* — „Per modum liberalitatis emanare est dupliciter, aut sicut volitum, aut sicut ratio volendi: sive aut sicut datum, aut sicut ratio donandi. Primo modo emanant creaturae, quae sunt extra; secundo modo emanat tertia in Trinitate persona, quia ratio volendi et donandi est intrinseca perfectissimae voluntati." *1. dist. 10. a. 1. q. 1. ad 1.*

[27] „Id est perfectio Patris non est major, nec minor perfectione Filii, similiter et Spiritus sancti; nec Filius est perfectionis majoris, vel minoris, quam Pater et Spiritus sanctus. Idem dicendum de Spiritu sancto respectu Patris et Filii; nec est deitas alia in Filio et Spiritu sancto, quam in Patre, nec e converso; nec est potestas alia in Patre, quam in Filio et Spiritu sancto, nec major, nec minor. Nec est duratio, sive aeternitas, major vel minor in Patre, quam in Filio et Spiritu sancto." *Decl. Term. Theol.* — „Aequale et inaequale est propria passio consequens quantitatem. Quantitas autem dicitur dupliciter, proprie, scilicet quantitas molis, et translative quantitas virtutis. Et quia illa est propria passio quantitatis, aequalitas consequitur utramque quantitatem. Ergo ubi est ponere quantitatem virtutis, ibi est ponere aequalitatem vel inaequalitatem. Haec autem quantitas virtutis ponitur in spiritualibus, et summe reperitur in divinis, quia haec quantitas non repugnat simplicitati, sed consonat; similiter nec aequalitas consequens istam quantitatem. Et quia altera pars contradictionis completior attribuenda est Deo, et aequalitas praeit inaequalitatem; ideo ponenda est aequalitas in divinis." *1. dist. 19. p. 1. a. 1. q. 1.* Vide etiam *ibid. qq. 2—4 et dist. 20. a. 1. qq. 1. 2.*

[28] „Id est naturae et essentiae summa unitas, scilicet numeralis, in tribus personis; similiter et talis unitas est in omni perfectione essentiali in tribus personis, non autem in omni proprietate notionali." *Decl. Term. Theol.*

[29] „Id est essentialium proprietatum summa unitas et identitas et nulla diversitas: voluntatis concordia, nulla discordia, si saltem debet dici concordia: operationum ad creaturas indivisibilitas, et omnium effectuum similis producibilitas." *Ibid.*

[30] „Id est personarum simultas in existendo, et utique praesentiam exhibendo, et omnia operando." *Ibid.* — „In divinis est summa et perfecta circumincessio, . . . qua dicitur quod unus est in alio, et e converso; et hoc proprie et perfecte in solo Deo est, quia circumincessio in essendo ponit distinctionem simul et unitatem. Et quoniam in solo Deo est unitas cum distinctione, ita quod distinctio est inconfusa, et unitas indistincta; hinc est, quod in solo Deo est circumincessio perfecta. Et patet ratio hujus, quia ratio circumincessionis est perfecta unitas essentiae cum distinctione personarum; et quoniam hoc proprium est solius Dei, ideo et circumincessio talis." *1. dist. 19. p. 1. a. 1. q. 4.*

[31] Qua ratione ex divina essentia perfectiones divinae deducantur, profundissime ac limpidissime S. D. demonstrat his verbis: „Volens igitur contemplari Dei invisibilia, quoad essentiae unitatem, primo designat aspectum in ipsum esse, ut videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse; quia ipsum est purissimum, non occurrit nisi in plena fuga non esse, sicut et nihil in plena fuga esse. Sicut igitur omnino nihil, nihil habet de esse, nec de ejus conditionibus; sic e contra ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum aestimationem nostram. Cum autem non esse privatio sit essendi, non

cadit in intellectum nisi per esse: esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur ut non ens, aut ut ens in potentia, aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentia non nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis; esse igitur est quod primo cadit in intellectu, et illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia; nec esse analogum, quia minime habet de actu, eo quod minime est; restat igitur, quod illud esse est esse divinum. Mira igitur est caecitas intellectus, qui non considerat illud quod prius videt, et sine quo nihil potest cognoscere . . . Vide igitur ipsum purissimum esse, si potes, et occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari, ut ab alio acceptum, ac per hoc necessario cogitatur ut omnimode primum, quod nec de nihilo, nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se, nec a se? Occurret etiam tibi, ut carens omnino non esse; ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed aeternum. Occurret etiam tibi, ut nullo modo in se habens, nisi quod est ipsum esse; ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam, ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse; ac per hoc ut summe actualissimum. Occurret, ut nihil habens defectibilitatis; ac per hoc ut perfectissimum. Occurret postremo, ut nihil habens diversificationis; ac per hoc ut summe unum. Esse igitur, quod est esse purum et esse absolutum, est esse primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum et summe unum. Et sunt haec ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari horum oppositum, et unum horum necessario infert aliud. Nam quia simpliciter est esse, ideo simpliciter primum; quia simpliciter primum, ideo non est ab alio factum, nec a seipso potuit: ergo aeternum. Item, quia primum et aeternum, ideo non ex aliis; ergo simplicissimum. Item, quia primum, aeternum et simplicissimum, ideo nihil est in eo possibilitatis cum actu permixtum; et ideo actualissimum. Quia primum, aeternum, simplicissimum, actualissimum; ideo perfectissimum. Tali omnino nihil deficit, nec aliqua potest fieri additio. Quia primum, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum; ideo summe unum. Quod enim per omnimodam superabundantiam dicitur, dicitur respectu omnium. Quod etiam simpliciter per superabundantiam dicitur, impossibile est ut conveniat nisi uni soli. Unde si Deus nominat esse primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum; impossibile est ipsum cogitari non esse, nec esse nisi unum solum. *Audi* igitur, *Israël: Deus tuus, Deus unus est (Deut. 6, 4)*. Si haec vides in pura mentis simplicitate, aliqualiter perfunderis aeternae lucis illustratione. Sed habes unde subleveris in admirationem. Nam ipsum esse est purum et novissimum, est aeternum et praesentissimum, est simplicissimum et maximum, est actualissimum et immutabilissimum, est perfectissimum et immensum, est summe unum, et tamen omnimodum. Si haec pura mente miraris, majore luce perfunderis, dum ulterius vides, quia ideo est novissimum, quia primum. Quia est primum, *omnia operatur propter seipsum (Prov. 16, 4);* et ideo necesse est, quod sit finis ultimus, initium et consummatio, α et ω (*Apoc. 22, 13*). Ideo est praesentissimum, quia aeternum. Quia enim aeternum, non finitur ab alio, nec deficit a seipso, nec decurrit ab uno in aliud; ergo nec habet praeteritum, nec futurum, sed esse praesens tantum. Ideo maximum, quia simplicissimum. Quia est simplicissimum in essentia, ideo maximum in virtute, quia virtus quanto plus est unita, tanto plus est infinita. Ideo immutabilissimum, quia actualissimum. Quia enim actualissimum est, ideo est actus purus. Et quod tale est, nihil novi acquirit, nihil habitum perdit, ac per hoc non potest mutari. Ideo immensum, quia perfectissimum. Quia enim perfectissimum, ideo nihil potest cogitari ultra ipsum melius, nobilius, nec dignius, ac per hoc nihil majus, et omne tale est immensum. Ideo omnimodum, quia summe unum; ideo est omnis multitudinis universale principium. Ac per hoc ipsum est universalis omnium causa efficiens, exemplans et terminans, sicut causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. Est igitur omnimodum, non sicut omnium essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima et universalissima et sufficientissima causa, cujus virtus, quia summe unita in essentia, ideo summe infinitissima et multiplicissima in efficacia. Rursus revertentes dicamus, quia igitur esse purissimum et absolutum, quod est simpliciter esse, est primarium et novissimum; ideo est omnium origo et finis consummans. Quia aeternum et praesentissimum, ideo omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens earum centrum et circumferentia. Quia simplicissimum et maximum, ideo totum intra omnia et totum extra omnia, ac per hoc est sphaera intelligibilis, cujus centrum est ubique et circumferentia nusquam. Quia actualissimum et immutabilissimum; ideo, stabile manens, moveri dat universa. Quia perfectissimum et immensum; ideo est intra omnia, non inclusum; extra omnia, non exclusum; supra omnia, non elatum; infra omnia, non prostratum. Quia vero est summe unum et omnimodum; ideo est omnia in omnibus, quamvis omnia sint multa, et ipsum non sit nisi unum: et hoc quia per simplicissimam unitatem, serenissimam veritatem et sincerissimam bonitatem est in eo omnis virtuositas, omnis exemplaritas et omnis communicabilitas; ac per hoc *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. 11, 36)*. Et hoc quia omnipotens, omniscius et omnimode bonum, quod perfecte videre est beatum, sicut dictum est Moysi *(Exod. 33, 19)*: *Ego ostendam tibi omne bonum.*" *Itiner. ment. c. 5. nn. 3—7.*

[32] „Altitudo fidei in duobus est, in altitudine sublimitatis et in altitudine profunditatis. De prima altitudine Ecclesiasticus dicit *(1, 2): Altitudinem caeli, et latitudinem terrae, et profunditatem abyssi quis dimensus est?* Quasi diceret, super omnem humanam rationem est nosse sublimitatem fidei, dilatationem caritatis, venerationem divini timoris. De secunda in Ecclesiaste *(7, 25)* dicitur: *Est alta profunditas, quis inveniet eam?* scilicet per rationem, transcendit enim investigationem nostram . . . De his duobus Ecclesiasticus *(24, 7)* dicit: *Ego in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis.* Altitudo fidei consistit in cognitione aeterni Dei; profundum autem in cognitione Dei humanati. De primo scriptum est *(Job 11, 8): Excelsior caelo est, et quid facies?* Profunditas scilicet Dei humanati, quae tanta est, quod ratio deficit. Altitudo in-

vestigabilis est, unde psalmographus *(Ps. 138, 6): Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam.* Item *in altissimis* dicit, in quantum fides docet Deum aeternum: *Et thronus ejus in columna nubis* dicit, in quantum docet Dei humanitatem. De his duobus Apostolus *(Rom. 11, 33)* dicit: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei;* sapientia quantum ad notitiam Dei aeterni, scientia quantum ad notitiam Dei humanati.“ *Serm. 8. in Hexaëm. ant. med.*

[33] „Primum omnium necesse habes, anima mea, altissime, piissime, sanctissime de optimo Deo sentire, videlicet certa fide credendo, attenta mente considerando, et perspicaci rationis intuitu cum admiratione perspiciendo. Altissime quidem de optimo Deo sentis, si cuncta de nihilo creantis et supportantis immensam potentiam, si cuncta gubernantis et ordinantis infinitam sapientiam, si denique cuncta judicantis et retribuentis indeterminatam justitiam, fideli, pio et perspicaci contuitu et credis, et admiraris, et perspicis, et extra te exiens, et intra te ingrediens, et supra te transcendens, ut illud veraciter decantes: *Exultaverunt filiae Judae propter judicia tua, Domine, quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos etc. (Ps. 96, 9).* Piissime de optimo Deo sentis, si ejusdem misericordiam admiraris, amplexaris et benedicis, ut summe benignam in nostrae humanitatis et mortalitatis assumptione, ut summe viscerosam in crucis et mortis perpessione, et ut summe liberalem in Spiritus sancti donatione et Sacramentorum institutione, cum seipsum communicet liberalissime in Sacramento altaris, quatenus illud Psalmi ex animo cantes: *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus etc. (Ps. 144, 9).* Sanctissime de optimo Deo sentis, si ejusdem inexplicabilem sanctitatem advertens, miraris et laudas, atque illi cum Seraphim: *Sanctus, sanctus, sanctus (Isa. 6, 3)* proclamas. Sanctus primo, hoc est in seipso sanctitatem summe ac purissime habens, ut impossibile sit ipsum aliquid, nisi sanctum, velle vel approbare. Sanctus secundo, hoc est sanctitatem ita perfecte in aliis diligens, ut impossibile sit ipsum vere sanctitatem servantibus aut gratiae dona subtrahere, aut gloriae praemia denegare. Sanctus et tertio, hoc est ita severe oppositum sanctitatis abhorrens, ut impossibile sit ipsum peccata nisi abhorrere aut reprobare, aut impunita relinquere. Quod si sic senseris, cum legislatore cantabis: *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus (Deuter. 32, 4).*“ *De regim. animae, in princip.* Cfr. etiam *serm. 8 et 9 in Hexaëm.*

[34] „Attende et vide, quoniam Deus est lux inaccessibilis, „mens invariabilis et pax incomprehensibilis, quae non tantum essentiae unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem. Lux quidem tanquam parens generat splendorem, lux autem et splendor producunt calorem; ita quod calor procedit ab utroque, licet non per modum prolis. Si ergo Deus vere lux est inaccessibilis, ubi splendor et calor est substantia, ibi hypostasis, vere in Deo est Pater et Filius et Spiritus sanctus, quae sunt propria divinarum personarum. Mens etiam tanquam principium concipit et producit a se verbum, a quibus emanat amoris donum. Et hoc in omni mente perfecta est reperire. Si ergo Deus est mens invariabilis, planum est in Deo esse principium primum, verbum aeternum et donum perfectum, quae sunt propria divinarum personarum. Pax etiam includit nexum plurimorum. Perfecte autem necti non possunt, nisi similes. Similes autem esse non possunt, nisi ambo a tertio, vel unus ab altero. Sed in divinis non possunt ambo esse a tertio eodem modo. Necesse est ergo, quod, si in divinis sit vera pax, ibi sit prima origo, ejus imago et utriusque connexio.“ *Incend. amor. c. 3.*

[35] „Generatio Filii est secundum voluntatem complacentiae, et non secundum voluntatem, quae sit principium cum communicante naturam.“ — „Voluntas potest dupliciter considerari respectu voliti, scilicet ut in ratione approbantis et diligentis; et sic est respectu omnis boni, sive sit necessarium, sive sit contingens, sive creatum, sive increatum, sive ab alio, sive non ab alio, ut patet. Haec enim vera est: Pater vult esse Deus. Alio modo consideratur ut in ratione producentis. Et hoc dupliciter, aut prout est principium distinctum contra naturam, secundum quod dicitur, quod alia sunt natura, alia voluntate; aut prout est conjunctum. Si prout est principium distinctum, sic distinguitur voluntas dupliciter, scilicet accedens et antecedens: voluntas accedens est, qua aliquis de non volente fit volens: haec non est in Deo, nec respectu Dei, Deus enim non habet aliam novam voluntatem, nec respectu sui, nec respectu alterius. Voluntas antecedens praecedit effectum causalitate et duratione; haec quidem est in Deo, sed non respectu Dei, sed respectu creaturae solum, omnes enim divinae personae sunt simul. Alio modo, prout voluntas consideratur ut principium conjunctum naturae, potest esse dupliciter, quia tunc natura et voluntas sunt principium. Aut igitur natura est producens principaliter voluntate communicante, aut e converso, utrumque enim principaliter esse non potest. Si voluntas est principium cum communicante natura, sic est processio Spiritus sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura. Si vero natura est principium cum communicante voluntate, sic est generatio Filii, qui producitur ut omnino similis, et per modum naturae, nihilominus ut dilectus; et ideo dicitur, quod sibi in eo complacet Pater, et dicitur filius dilectionis.“ *1. dist. 6. a. 1. q. 2.*

[36] „Ad illud quod objicitur, si est ponere tertiam personam ob communicationem, pari ratione et quartam, dicendum quod omnis ratio et natura concordat, quod non fiat per plures, quod potest sufficientissime fieri per unum, alioquin esset ibi superfluum. Si ergo mutua dilectio non potest esse minus quam ad unum, et communicatio illius mutuae non minus quam ad unum, et in uno est mutua dilectio, et in altero mutuae dilectionis communicatio perfectissime, cum utrumque accipiat totum infinite; patet, quod non est ultra procedere, sed ibi est stare. Unde ipsa eadem ratio, quae ponit personarum pluralitatem, aufert infinitatem, et ponit Trinitatem.“ *1. dist. 10. a. 1. q. 1. ad 4.* — „Sicut fides catholica dicit, ponere est tantum tres personas, non plures, nec pauciores; et ad hoc sumitur ratio necessitatis et congruitatis. Ratio necessitatis, quare non possunt esse pauciores quam tres, est summa beatitudo et summa perfectio. Nam summa beatitudo exigit dilectionem et condilectionem; summa perfectio duplicem emanationem, scilicet naturae et liberalitatis; et ad hoc, ad minus, exiguntur tres personae. Item ratio neces-

sitatis, quare non possunt esse plures, est summa simplicitas, quae non patitur personas distingui, nisi secundum modos emanandi. Est iterum principalis foecunditas, quae non permittit personam producere aliquo genere emanationis, nisi secundum rationem intelligendi sit prior illo. Unde prima persona, quae est innascibilis et inspirabilis, generat et spirat. Secunda vero persona, quia inspirabilis, sed genita, non generat, sed spirat. Tertia persona, quia spiratur, et procedit a generante, nec generat, nec spirat: et ideo impossibile est esse plures personas quam tres. Ratio congruitatis sumitur ex sufficientia combinationum... quia cum amor sit in omnibus personis ... et non sit nisi triplex amor, videlicet gratuitus, debitus et ex utroque permixtus, tantum erunt tres personae; una, quae tantum dat, in qua est amor gratuitus; alia, quae tantum accipit, in qua est amor debitus; et media, quae dat et accipit, in qua est amor permixtus ex utroque. Item alio modo possunt combinari secundum rationem originis; et hujusmodi combinationis sufficientia in tribus consistit. Nam contingit intelligere personam, quae est principium personae, et non est principiatum: et rursum personam, quae est principiatum, et non principium personae: et tertio modo personam, quae est principiatum et principium. Quartus autem modus, quod nec sit principium, nec principiatum, est omnino impossibilis, nec intelligibilis." *1. dist. 2. a. 1. q. 4.*

[37] „Distinctio personarum non potest significari per additionem termini numeralis ad hoc nomen *Deus,* nisi hujus nominis *trinus,* quod specialiter ad hoc inventum est, ut significet pluralitatem in suppositis cum unitate formae. Quia ergo hoc nomen *triplex* dicit distinctionem simpliciter in termino cui additur, vel quantum ad formam, vel quantum ad partium multiplicationem; et quia in Deo non cadit multiplicatio nec quantum ad formam, nec quantum ad partes; ideo nullo modo potest dici triplex." *1. dist. 19. p. 2. dub. 3.*

[38] „Generatio de sua communi ratione ad substantiam terminatur. Sed attendendum, quod substantia dicitur dupliciter; prima, quae est individuum, et hypostasis, sive persona; et secunda, quae est commune. Dico ergo, quod est loqui de termino generationis dupliciter, aut quantum ad productionem, aut quantum ad intentionem. Quantum ad productionem, cum sit circa singulare, terminatur ad substantiam primam: quantum vero ad intentionem, ad naturam communem, quia haec natura producens hunc hominem, intendit formam communem dare ei. Sed quoniam in creaturis forma communis numeratur in suppositis, ideo in illis forma communis producitur et corrumpitur; et ideo in creaturis generatio non tantum secundum intentionem, sed etiam secundum productionem, ad substantiam communem terminatur: et ideo universale in singulari generatur, quia numeratur. Sed quoniam in divinis substantia non numeratur, nec advenit ei novum esse; ideo generatio secundum productionem terminatur solum ad substantiam primam, quae est persona, quia persona secundum Boëtium est rationalis naturae individua substantia. Sed quia illud solum dicitur generari proprie, ad quod terminatur generatio secundum rationem producendi; ideo persona generatur, non substantia, vel essentia ... Et sic patet, quare in divinis non sequitur, quod generata persona, substantia generetur, sicut in creaturis." *1. dist. 5. a. 2. q. 1.*

[39] „Etsi Verbum coaequale sit Patri, potentiam tamen generandi non habet, „quia Pater non communicat Filio potentiam generandi propter duo. Unum est, quia non potest: aliud, quia non debet. Ratio autem quare non potest, haec est, quia foecunditas ad generandum est in Patre, quia principium; et ideo principium, quia primum. Impossibile autem est, quod principium communicet alii primitatem, nam hîc est oppositio in adjecto, quod persona producta sit prima. Quia ergo foecunditas ad generandum ex primitate Patri inerat; ideo non potest eam communicare Filio; et hanc credo propriam esse rationem hujus... Similiter non debet communicare, quia in emanatione divinarum personarum debet attendi originalis distinctio, et plenissima communicatio. Originalis distinctio, quia necesse est ea, quae communicant in natura, distingui vel per materiam, vel per originem. Per materiam distingui personas est impossibile, quia ubi est talis modus distinguendi, est compositio et variatio et formae multiplicatio, quae omnia Deo repugnant, qui est simplex et invariabilis et vere unum; et ideo necesse est distingui per originem, sive habitudinem: ergo per generare et generari: ergo si Filius potest generare, potest etiam non distingui. Si tu dicas, quod adhuc est distinctio, quia unus tantum pater, alius tantum filius, alius pater et filius, tunc ego oppono tibi, quod secundus filius posset generare eadem ratione qua primus, et tunc duo essent, quorum uterque esset pater et filius. Similiter propter plenissimam communicationem non debet communicare, quia multiplicatio suppositorum secundum similem modum egrediendi non est nisi aut propter defectum durationis, sicut est in generabilibus et corruptibilibus, ut per successivam generationem perpetuetur esse, aut propter defectum perfectae actionis, ut fiat per plures quod non potest per unum, sicut sunt perfectae plures stellae, quia non sufficeret una ad hoc, quod faciunt omnes. Sic etiam plures Angeli et plures animae ad implendam illam civitatem et manifestandam Dei bonitatem, quam nec una anima, nec unus Angelus poterat sufficienter manifestare. Cum ergo in Filio Dei sit plenissima communicatio, quia totam infinitatem suam dat sibi Pater, non fuit conveniens quod communicaret Filio illam potentiam; et ideo fuit impossibile, quia inconveniens quodlibet in divinis est impossibile." *1. dist. 7. a. 1. q. 2.*

[40] „Omnis creatura clamat generationem aeternam, et hanc exprimunt et repraesentant duodecim generationes, quas reperimus in creaturis. Est enim triplex generatio, scilicet per diffusionem, per expressionem, per propagationem. Per diffusionem, ut splendor a luce, ut calor ab igne, ut fluvius a fonte, ut imber a nube plena, sive rorida. In prima diffusione, scilicet splendoris, deficit aequalitas, quia splendor non aequatur luci. In secunda deficit intimitas, quia calor non est intimus igni, sive ut informanti, sive ut originanti, est enim accidens. In tertia deficit simultas, quia fons diffundit se successive per partes, non totus simul. In quarta autem deficit integritas, quia non tota pluvia excutitur a nube, imo per guttas. Jungas ergo has quatuor conditiones ad summam diffusionem sine imperfectione, ut sit ibi conditio splendoris habentis aequali-

tatem, caloris habentis intimitatem, fluvii habentis simultatem, imbris habentis integritatem. Et sic habebis perfecte vestigium generationis aeternae. Unde Filius Dei aliquando comparatur splendori, dicente Paulo *(Hebr. 1, 3): Qui cum sit splendor gloriae.* Aliquando calori vel flammae, ut in rubo Moysi *(Exod. 3, 2—3)*, ubi expressa fuit similitudo Filii incarnandi. Aliquando comparatur fluvio, ut in Genesi *(2, 6. 10): Fons ascendebat de terra, et fluvius egrediebatur de loco voluptatis.* Aliquando pluviae vel imbri, ut in Isaia *(55, 10—11): Quomodo descendit imber de caelo, et illic ultra non revertitur, sed inebriat terram.* Et sequitur: *Sic erit verbum, quod egreditur de ore meo,* scilicet de ore Patris. — Secundus modus generationis est per modum expressionis, et hoc quadrupliciter, scilicet ut speciei ab objecto, ut imaginis a sigillo, ut sermonis a loquente, ut cogitatus a mente. Et in his est defectus. In prima enim deficit rei veritas, quia species in oculo, vel in anima, non est veritas rei. In secunda deficit simplicitas, quia imago sive figura non est in puncto, vel in simplici, sed habet partes distantiae. In tertia deficit stabilitas, quia sermo transit et non manet. In quarta deficit substantialitas, quia conceptus mentis non est substantia vel hypostasis, sed est aliud ab essentia mentis. Aufer igitur hos defectus, et pone expressionem, quae sit ut speciei ab objecto habentis veritatem, ut imaginis a sigillo habentis simplicitatem, ut sermonis a loquente habentis stabilitatem, ut conceptus a mente habentis consubstantialitatem: et tunc habebis alteram partem speculi completam. De primo dicit Psalmista *(Ps. 44, 1): Eructavit cor meum verbum bonum.* Sequitur *(ib. 3): Speciosus forma prae filiis hominum.* De secundo dicit Sapiens *(Sap. 7, 26): Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula, et imago bonitatis illius.* Et Apostolus *(Coloss. 1, 15): Qui est imago invisibilis Dei.* De tertio Job *(33, 14): Semel loquitur Deus, et idipsum non repetit.* Et Isaias *(40, 8): Verbum,* inquit, *Dei manet in aeternum.* Et Psalmista *(Ps. 118, 89): In aeternum, Domine, permanet verbum tuum in caelo.* De quarto in proverbiis *(8, 24): Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram,* conceptus enim mentis aeternae est hypostasis, conceptus nobilissimus, mentalis, perfectissimus. Sic ergo habemus partes hujus speculi. — Tertius modus generationis est per modum propagationis, et hoc quadrupliciter, scilicet ut germinis a semine, ut arboris a radice, ut prolis conceptae a ventre vel utero materno, ut filii a patre principiante. In prima generatione deficit formositas, quia in semine est forma germinis confusa et occulta; non sic autem Filius Dei. In secunda deficit conformitas; licet enim sit una radix, tamen differt in forma a ramis, quamquam unam arborem faciat. In tertia deficit actualitas, quia mater vel uterus maternus principium passivum est principaliter, etsi sit aliquo modo activum. In quarta deficit coaevitas, oportet enim patrem praeexistere antequam generet, non quocumque modo, sed in aliqua perfectione aetatis. Aufer ergo hos defectus, et pone propagationem, quae sit ut germinis a semine cum formositate, ut arboris a radice cum conformitate, ut prolis a ventre cum actualitate, ut filii a patre cum coaevitate: et sic habebis perfectam generationem in divinis. De primo Isaias *(4, 2): Erit germen Domini in magnificentia et in gloria, et fructus terrae sublimis.* De secundo Genesi *(2, 9): Posuit Deus lignum vitae in medio paradisi.* In medio conformitas. Et Proverbiorum *(3, 18)* dicitur de sapientia, quae est Filius: *Lignum vitae est iis, qui apprehenderint eam.* De tertio Psalmista *(Ps. 109, 3): Tecum principium in die virtutis tuae, in splendoribus Sanctorum, ex utero genui te.* Ex utero dicit, ubi notatur ratio fovendi in sinu Patris, a quo non recessit; et jam promisit actualitatem, cum vocavit eum principium rerum et virtutem Dei. De quarto Psalmista *(Ps. 2, 7): Dominus dixit ad me,* id est, Pater ad Filium, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie, inquit, id est, in aeternitate, quae semper manet, sive in meo hodie aeterno. — Has igitur duodecim conditiones simul aggrega, et habebis unum perfectum speculum ad contuendum exemplar divinum, sive Verbum, quod omnia repraesentat; ut scilicet sit splendor procedens a luce cum perfectione aequalitatis, et sic de aliis supradictis. Per has enim duodecim conditiones solvuntur omnia argumenta Arii, per quae arguit, insufficienter adaptans divinae generationi, a generationibus imperfectis. De his duodecim generationibus dicitur in Genesi *(37, 9): Vidi per somnium quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me.* Iste enim est ille Joseph pulcherrimus, quem adorant omnia, et clamant temporalia per lunam, spiritualia per solem. Et undecim stellae generationes creaturarum sunt secundum undecim conditiones, deficiente duodecima, quae est in generatione Filii Dei: ideo ponuntur hic undecim stellae in numero deficiente a duodenario, qui est numerus excrescens. Nam omnia respectu illius generationis habent defectum, et clamant se deficere a generatione Verbi. Omnia enim indicant generationem Verbi. Unde quando videtur splendor, a luce transferenda est mens ad considerandam generationem aeternam; et sic de aliis praedictis. Et ibi indubitanter est magna delectatio mentis, de qua Psalmista *(Ps. 91, 5): Delectasti me, Domine, in factura tua etc.* Et ideo bene dicit *(2 Cor. 3, 18): Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes.* Alio modo potest dici, et magis proprie, sic. Est generatio per diffusionem, ut splendoris vel luminis a luce; et ibi est coaevitas; deficit tamen aequalitas, quia splendor non aequatur luci. Item est diffusio ut ignis ab igne; et ibi est aequalitas, ut patet, quando una candela accenditur ab alia, quod tantum est lumen in una sicut in alia, et quotquot accendantur; deficit tamen consubstantialitas. Item est diffusio rivi a fonte; et ibi est consubstantialitas et intimitas, quia eadem aqua, quae est in fonte, est in rivo; sed deficit nobilitas ortus, quia in rivo per quosdam meatus et colationem de aqua salsa fit dulcis. Item est diffusio imbris a nube; et ibi est nobilitas ortus, quia habet virtutes caeli, per quas infundit imbrem nubes; deficit tamen formae decor, quia videtur nubes caelum obscurare et deturpare. Igitur junge quod nobilitatis est, ut coaevitatem, aequalitatem, consubstantialitatem et formae decorem, et habebis unam partem speculi. Item est generatio per expressionem, ut speciei ab objecto; et hic est formae decor, qui deficiebat in generatione imbris a nube. Et hoc est mirabile, quomodo scilicet talis species generetur, quia non de materia aëris. Quia cum non dicat essentiam, sed modum essendi, sufficit ut habeat principium originativum, medium inter principium materiale et principium effectivum. Unde Deus dedit hanc virtutem cuilibet rei, ut gigneret simili-

tudinem suam ex naturali foecunditate. Unde secundum quod objectum gignit similitudinem suam, sic repraesentat generationem aeternam; secundum quod intentio animae unit eam oculo, sic repraesentat Incarnationem Verbi. Haec generatio speciei deficit, quia non est ibi formae fixio, sed vario modo habet generari, secundum quod patet in speculis vario modo ordinatis; et ideo vario modo habent repraesentare objectum, ut prope positum, sive longe. Item est generatio per expressionem, ut figurae a sigillo; et haec est formae fixio, quae deficiebat in praecedenti; deficit tamen ibi vitae vigor. Item est generatio sermonis a dicente, ubi est vitae vigor, quia sermo quamdam vim vitae secum habet, ut patet, quando duobus dicentibus eandem veritatem, unus melius alio exprimit et imprimit. Unde Hieronymus: Habet nescio quid latentis energiae sonus vivae vocis et actus etc. Unde verba Christi non dubium quia prolata ab eo, et audita de ore ejus, majoris virtutis et potestatis erant, quam scripta. Hîc tamen deficit vitae mansio, quia sermo a dicente transit. Item est generatio conceptus a mente; et ibi est vitae mansio, quia omnes cogitatus in memoria manent. Sed ibi deficit consubstantialis foecunditatis virtus, quia cogitatus non est consubstantialis virtus. Haec igitur quatuor si jungantur simul, scilicet formae decor, formae fixio, vitae vigor, vitae mansio, habebis secundam partem speculi. — Est etiam generatio per propagationem ut germinis a semine; et hîc est virtus substantialis, quod deficiebat in ultimo praecedenti: sed quia est in principio debile, ideo hîc deficit robur vitae. Item est generatio ut surculi a radice; et hîc est vitae robur, sed deficit vivax sensus, non enim sentit, vel producens productum, vel productum suam originem. Item est generatio ut foetus a ventre vel utero; et hîc est vivax sensus, sed licet sentiat originem suam, tamen deficit virtus activa, quia neutrum est activum, sed receptaculum potius quam activum. Item est generatio ut filii a patre; et ibi sunt omnes dictae conditiones praeter unam, scilicet lucis, quae conditio est coaevitas; et ideo ista est ponenda in generatione Filii Dei. Unde ab ista ultima conditione, scilicet filii a patre, illa ineffabilis generatio denominatur generatio aeterna. Quod et Christus ratificavit, cum dixit *(Matth. 28, 19): Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* non dixit in nomine lucis et splendoris. Hae, inquam, sunt undecim stellae adorantes Joseph filium pulcherrimum, scilicet undecim conditiones nobiles jam praedictae. Sed duodecima, scilicet coaevitas, est in Christo Filio Dei. Et sic sunt duodecim inter omnes." *Serm. 11 in Hexaëm. collat. cum Specim. Codic. relatis a P. Fideli a Fanna in suo op.* Ratio novae Collectionis Op. s. Bonav. etc. *pag. 162—170.*

[41] Cfr. *Comment. in Evang. Joan. cap. 1. v. 1 et 2.* vol. 1. Supplem.

[42] „Deum esse est adeo verum, quod non potest cogitari non esse." — „Aliquid cogitare non esse est dupliciter. Aut in ratione falsi, sicut cogito de hac: Homo est asinus; et hoc cogitare nihil aliud est, quam quid est, quod dicitur, intelligere: hoc modo potest cogitari non esse veritas divini esse. Alio modo est cogitare cum assensu, sicut cogito aliquid non esse, et credo non esse: et hoc modo aliquid cogitare non esse quod est, potest venire aut ex defectu intelligentis, aut ex defectu intelligibilis. Defectus autem intelligentis est caecitas vel ignorantia, ob quam, quia ignorat rem, ideo cogitat ipsam non esse. Convenit autem dupliciter esse cogitationem de aliquo ente, videlicet si est, et quid est. Intellectus autem deficit in cogitatione divinae veritatis quantum ad cognitionem quid est, tamen non deficit quantum ad cognitionem si est. Unde Hugo *(l. 1 de Sacram. p. 3. c. 1):* Deus ab initio sic cognitionem suam in homine temperavit, ut sicut nunquam quid esset, poterat ab homine comprehendi, ita nunquam quia esset, poterat ignorari. Quia ergo intellectus noster nunquam deficit in cognitione Dei, si est; ideo nec potest ignorare ipsum esse, similiter non cogitare non esse. Quia vero deficit in cognitione, quid est; ideo frequenter cogitat Deum esse, quod non est, sicut idolum, vel non esse quod est, sicut Deum non justum. Et quia qui cogitat Deum non esse quod est, ut non justum, per consequens cogitat ipsum non esse; ideo ratione defectus intellectus Deus potest cogitari non esse, sive summa veritas, non tamen simpliciter, sive generaliter, sed ex consequenti, sicut qui negat beatitudinem esse in Deo, negat eam esse . . . Alio modo potest cogitari aliquid non esse propter defectum a parte intelligibilis, et hujusmodi defectus potest esse dupliciter, aut defectus praesentiae, aut defectus evidentiae. Defectus praesentiae, utpote quia non semper, quia non ubique, aut quia, quamvis semper et ubique, non ubique totaliter. Quia non semper est, aliquando est, aliquando non; et ideo aliquando vere potest cogitari non esse. Similiter de eo, quod non est ubique, quia eadem ratione, qua potest cogitari non esse hîc, potest cogitari non esse alibi. Similiter de eo, quod secundum partem adest, secundum partem abest. Deus autem est semper et ubique, et totus semper et ubique; ideo non potest cogitari non esse. Hanc rationem assignat Anselmus *(lib. contra insip. in princ.):* Non solum propter defectum praesentiae potest cogitari aliquid non esse, sed etiam propter defectum evidentiae, quia non est evidens in se, nec est evidens in probando. Sed divini esse veritas est evidens et in se et in probando. In se, quia sicut principia cognoscimus in quantum terminos*), et quia causa praedicati clauditur in subjecto; ideo seipsis sunt evidentia: sic et in proposito. Nam Deus, sive summa veritas, est ipsum esse, quo nihil melius cogitari potest; ergo non potest non esse, nec cogitari non esse, praedicatum enim clauditur in subjecto. Nec tantum habet evidentiam in se, sed etiam ex probatione, quoniam divinam veritatem esse probat et concludit omnis veritas et natura creata; quia si est ens per participationem et ab alio, est ens per essentiam et non ab alio. Probat etiam ipsam, et concludit omnis intelligentia recta, quia omni animae ejus cognitio est impressa, et omnis cognitio est per ipsam. Probat iterum ipsam, et concludit omnis propositio affirmativa. Omnis enim talis aliquid ponit; et aliquo posito, ponitur verum; et vero posito, ponitur veritas, quae est causa omnis veri. Propositio autem negativa non infert ipsam nisi sophistice, ut dicunt. Unde ex hoc, quod est nihil esse, vel nullam veritatem esse, non contingit concludere, nec inferre veritatem esse. Haec enim propositio: nihil est, destruit omnem veritatem; et

*) Hoc verum est concipientis terminos sub rationibus propriis, ut Deus; non autem si termini concipiantur a nobis sicut nunc.

ideo ad ipsam non sequitur aliqua affirmativa; et haec est vera: si nihil est, nulla propositio est, nec aliquid ... Concedendum est ergo, quod tanta est veritas divini esse, quod cum assensu non potest cogitari non esse, nisi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat, quid est, quod per nomen Dei dicitur." *1. dist. 8. p. 1. a. 1. q. 2.*

[43] „Quidam habitus dicunt incompletionem, sicut patientia, spes et hujusmodi, quae non cadunt in Deo per essentiam, sed per causam, quia hujusmodi sunt a Deo. Quidam autem sunt habitus dicentes complementum, et hujusmodi sunt in Deo essentialiter, sicut caritas et sapientia et hujusmodi." *1. dist. 17. p. 1. dub. 5.*

[44] „Duodecim ponit *(Augustinus)* conditiones, aeternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis; ecce quatuor: item vivus, sapiens, potens, speciosus; et ecce quatuor: item justus, bonus, beatus, sanctus spiritus; ecce quatuor. De primo quaternario accipiatur unum nomen, scilicet aeternus, quod alia tria comprehendit: quia si est aeternus, eo ipso est immortalis; et si immortalis, eo ipso incorruptibilis; et si incorruptibilis, eo ipso immutabilis. De secundo quaternario accipiatur sapiens, ergo vivus; si vivus, ergo potens; si potens, ergo speciosus, quia sapientia est forma pulcherrima. Unde Sapiens *(8, 2)* dicit: *Amator factus sum formae illius.* De tertio quaternario accipiatur illud nomen beatus, quod comprehendit alia tria; quia si beatus, ergo bonus, ergo justus, ergo sanctus spiritus. In his ergo tribus, scilicet aeternitate, sapientia et beatitudine, una relucet Trinitas, aeternitas Patri, sapientia Filio, beatitudo Spiritui sancto. Adhuc etiam redigit ad unum haec tria, et accipit sapientiam, et ostendit Trinitatem; quia necesse est, si est sapientia, ut sit mens, quae cognoscat se, et diligat se et alia. Nec tamen intelligendum, quod ita sit Pater mens, quod Filius non sit, imo est insania; imo quia Pater mens, Filius est mens, Spiritus sanctus est mens. Item Filius notitia, Pater notitia, Spiritus sanctus notitia: et sic de aliis. Hoc autem in anima non est, quia mens non est notitia. Sapientia ergo in cognitione est: ubi ergo est cognitio, necesse est, ut sit emanatio, sive generatio Verbi, ex qua generatione sequitur productio amoris nectentis. Et sic producens est Pater, Verbum est Filius, nexus Spiritus sanctus, in quibus est Trinitas vere distincta, non in sapientia et in mente, sicut est in anima. Hoc est ex veritate sapientiae." *Serm. 11. in Hexaëm. in princip.*

CAPUT III.

De istius fidei intelligentia sana.

(In divinis sunt duae emanationes, — tres hypostases, — quatuor relationes, — quinque notiones, — tres proprietates personales.)

Ad istius autem fidei intelligentiam sanam docet doctrina sacra, quod in divinis sunt duae emanationes, tres hypostases, quatuor relationes, quinque notiones [1], et ex his tantum tres proprietates personales [2].

Ratio autem ad praedictorum intelligentiam haec est: quia cum primum et summum principium, hoc ipso quod primum, sit simplicissimum; hoc ipso quod summum, sit perfectissimum: ideo perfectissime se communicat, quia perfectissimum [a]; et indivisionem omnimodam servat hoc ipso quod simplicissimum. Et ideo, salva unitate naturae, sunt ibi modi emanandi perfecte [3]. Modi autem emanandi perfecte [b] sunt duo tantum, scilicet per modum naturae [4] et per modum [c] voluntatis [5]. Primus est generatio [6], secundus spiratio sive processio [7]; et ideo hi sunt ibi [8]. Et quia duabus emanationibus substantificis [9] necesse est emanare duas hypostases [10], necesse est etiam ponere hypostasim primo producentem ab alio [d] non emanare [11], ne sit in infinitum abire; et [e] ideo sunt ibi tres hypostases. Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa [f]; ideo sunt ibi quatuor relationes [12], scilicet paternitas [13], filiatio, spiratio et processio. Et quia per has habitudines innotescunt nobis divinae hypostases, et praeter hoc etiam hypostasis illa, in qua est prima ratio principiandi, innotescit nobis [g], quia non producitur, nam [h] hoc est nobilitatis in ipsa; ideo sunt quinque notiones, scilicet quatuor relationes praedictae cum innascibilitate. Et quia quaelibet personarum unam habet proprietatem [14], per quam principaliter innotescit; ideo tantum tres [15] sunt proprietates personales [16], quae his nominibus exprimuntur proprie et principaliter, scilicet Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Cum enim proprium sit Patris esse innascibilem sive ingenitum [17], esse principium non de principio [18], et [i] esse Patrem: innascibilitas notificat ipsum per modum

a) Perfectionem om. ed. 1484 fortasse rectius.
b) Perfecte ABCDFGHK et ed. 1484; perfecti ed. Rom. Ita et superius AB CGHK.
c) Per modum om. ed. 1484.
d) Aliquo ibid.
e) Et om. A DEFGHK.
f) Relationis ed. 1484.
g) Nobis om. ABCDEFG HK.
h) Quia ed. 1484.
i) Et om. A BCDG et ed. Nor. et 1484.

negationis, licet ex consequenti per modum positionis, quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem [19]: principium non de principio, per modum positionis cum negatione [20]: esse Patrem, per modum positionis et habitudinis proprie [j], complete et determinate [21]. Similiter cum Filius sit imago [22], Verbum [23] et Filius: imago nominat illam personam, ut similitudinem expressam [24]: Verbum [k], ut similitudinem expressivam [25]: Filius, ut similitudinem hypostaticam. Rursus imago, ut similitudinem conformem [26]: Verbum, ut similitudinem intellectualem [27]: Filius, ut similitudinem connaturalem [28]. Per hunc modum, cum proprium sit Spiritus sancti esse donum [29], esse nexum seu caritatem amborum [30], esse etiam Spiritum sanctum [31]; donum nominat ipsum [l], ut datum voluntarium [32], caritas sive nexus, ut datum voluntarium [33] et praecipuum [34], Spiritus sanctus, ut datum voluntarium, praecipuum et hypostaticum [35]. Hinc est, quod per haec tria nomina [36], quae sunt Pater et Filius et Spiritus Sanctus, trium personarum proprietates personales insinuantur [37]. Haec igitur tenenda sunt [m] ad fidei Trinitatis intelligentiam sanam.

j) Proprie om. 1484.

k) Autem add. ed. 1484. Ita et inferius.

l) Ipsum om. CDEFGHK.

m) Attendatur ed. 1484.

Ad Caput III.

[1] „Notio est, qua persona innotescit, ut distinguatur ab alia.“ *Decl. Term. Theol.*

[2] Proprietas personalis est, qua persona proprie et principaliter innotescit.“ *Ibid.*

[3] „Vide igitur et attende, quoniam optimum, quod simpliciter est, quo nihil melius cogitari potest; et hoc tale sic est, quod non potest cogitari non esse, quia omnino melius est esse, quam non esse; sic est, quod non potest recte cogitari, quin cogitetur trinum et unum. Nam bonum dicitur diffusivum sui. Summum igitur bonum summe diffusivum est sui. Summa autem diffusio non potest esse, nisi sit actualis et intrinseca, substantialis et hypostatica, naturalis et voluntaria, liberalis et necessaria, indeficiens et perfecta. Nisi igitur in summo bono aeternaliter esset productio actualis et consubstantialis, et hypostaticalis aeque nobilis, sicut est producens per modum generationis et spirationis, ita quod sit aeternalis principii aeternaliter comprincipiantis, ita quod esset dilectus et condilectus, genitus scilicet et spiratus, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus; nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet. Nam diffusio ex tempore in creatura non est nisi centralis vel punctalis respectu immensitatis bonitatis aeternae. Unde et non potest aliqua diffusio cogitari major illa, ea videlicet, in qua diffundens communicat alteri totam substantiam et naturam. Non igitur summum bonum esset, si re vel intellectu illa carere posset. Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quae est actus purus principii caritative diligentis amore gratuito et debito et ex utraque permixto; quae est diffusio plenissima per modum naturae et voluntatis, quae est diffusio per modum verbi, in quo omnia dicuntur, et per modum doni, in quo cetera dona donantur; potes videre per summam boni communicabilitatem, necesse esse Trinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti. In quibus necesse est propter summam bonitatem esse summam communicabilitatem, et ex summa communicabilitate summam consubstantialitatem, et ex summa consubstantialitate summam configuralitatem, et ex his summam coaequalitatem, ac per hoc summam coaeternitatem, atque ex omnibus praedictis summam cointimitatem, qua unus est in altero necessario per summam circumincessionem, et unus operatur cum alio per omnimodam indivisionem substantiae et virtutis et operationis ipsius beatissimae Trinitatis.“ *Itin. ment. c. 6. n. 1.*

[4] „Generatio ponenda est in divinis. Hujus ratio potissima est, ut credo, quia omnis natura est communicabilis; et quia in Deo propter sui nobilitatem est aptitudo actui conjuncta, imo ipse actus, oportet quod natura sit pluribus communicata: sed non possunt esse plures ab una natura, quin unus sit ab alio, vel ambo a tertio; ergo cum ante divinas personas nihil sit, oportet quod una sit ab alia; et quoniam sunt conformes in natura, et generatio est emanatio secundum conformitatem naturae, ideo credo, quod necesse est in divinis ponere generationem.“ *1. dist. 9. a. 1. q. 1.*

[5] „Necesse est aliquam personam in divinis procedere per modum liberalitatis, et illam dicimus Spiritum sanctum. Hanc autem necesse est procedere per modum amoris, quia si ponatur in divinis emanatio per modum voluntatis, necesse est, quod inter omnes sit prima et nobilissima; emanatio autem per modum amoris est hujusmodi, quod patet, si respiciamus in anima. Affectio enim amoris est prima inter omnes affectiones, et radix omnium aliarum, sicut dicit Augustinus in pluribus locis.“ *1. dist. 10. a. 1. q. 2.*

[6] „Generatio Filii est aeterna tum ratione generantis, tum ratione geniti. Ratione generantis, propter summam et perfectam foecunditatem. Ratione geniti, propter summam et perfectam aequalitatem, quarum utraque conditio tollit, ne Filius sit posterius Patre ... Alia ratio est propter summam in utroque actualitatem, in qua non distat actus a potentia, nec posse antecedit esse.“ *1. dist. 9. a. 1. q. 3.*

[7] Sicut Spiritus sanctus non est Filius, ita nec pro-

cessio Spiritus sancti est generatio. Ad illud ergo, quod objicitur in contrarium, quod generatio est productio substantiae, dicendum quod est producere substantiam secundum voluntatem, et est producere substantiam similem praeter naturam, et est producere substantiam similem per modum naturae. Isti tres modi distinguuntur, et diversi et separabiles sunt, quantum est de se. Quod patet, quia in productione Adam fuit substantiae productio, et tamen non fuit generatio, Deus enim non generavit Adam, sed creavit. In productione Evae de Adam fuit similis substantiae productio, non tamen generatio, quia Adam non genuit Evam. Sed in productione Abel fuit substantiae productio secundum vim naturae; et ideo fuit ibi generatio secundum rem. Ergo isti tres modi distinguuntur in Deo; tamen in actione creaturae non distinguuntur, quia creatura non potest substantiam producere nisi similem, et hoc per virtutem naturalem. Et ratio hujus est imperfectio potentiae, et limitatio in creatura; sed in Deo est summa potentia, et ideo in ejus operatione isti tres modi habent distinctionem. Ideo quamvis in istis inferioribus gratiâ materiae sit completa ratio generationis, productio substantiae similis, vel productio substantiae, non tamen in divinis; imo oportet addi per modum foecunditatis naturae. Et quia ista conditio deficit in productione Spiritus sancti, patet quod non sequitur." *1. dist. 13. a. 1. q. 2.*

[8] „Generatio et spiratio, sive processio, differunt non tantum secundum rationem dicendi, sed etiam secundum differentiam originis et habitudinis, quia diversus est modus se habendi et differens modus originis: talis autem differentia unitati essentiae non repugnat. Si autem quaeratur ratio differentiae harum emanationum, dicendum quod prima ratio differendi non potest assignari a parte terminorum. Termini enim sunt personae, quae non important rationem differendi active, sed passive. Si ergo personae differunt, quare, et in quibus differant, si ostendere voluerimus, necesse est redire ad emanationes et relationes, quae sunt generatio et processio; et ita in hac assignatione erit circulus. Similiter ex parte principiorum. Si enim dicatur, quod differant hae duae emanationes secundum foecunditatem duplicem, naturae et voluntatis, quaero, quo modo differat foecunditas a foecunditate. Si dicas, quod foecunditas naturae est in solo Patre; voluntatis, in Patre et Filio: hoc ulteriorem habet quaestionem, unde veniat haec differentia; et oportet ad hoc venire, quod foecunditas naturae est in uno, quia imago procedens per illam nata est esse solum ab uno; foecunditas voluntatis in duobus, quia nexus, sive processio per modum nexus, est in duobus; et ita redit differentia in primum, et est ibi ratio circularis. Ergo patet secundum hoc, quod harum emanationum differentia prima nec est sumenda a parte termini, nec a parte principii. Et ideo notandum est, quod est loqui de hujusmodi emanationibus quantum ad esse, et quantum ad distingui. Si quantum ad esse, sic habent rationem essendi a suis perfectis principiis, et foecundis. Quia enim in Deo est perfectissima natura, et natura vera; ideo perfecta et vera foecunditas in hypostasi, quae habet rationem principii. Et quia vera et perfecta et propria est foecunditas naturae; ideo veram et propriam habet emanationem: et haec est generatio. Similiter intelligendum est de spiratione quantum ad voluntatem. Unde ratio, quare hujusmodi vere sint in Deo, est vera foecunditas naturae et voluntatis. Si autem loquamur quantum ad differre, dicendum quod seipsis differunt, sicut ostensum est, quia omnis distinctio in divinis venit a modis originis et relationis. Unde sicut duae differentiae seipsis differunt, ut rationale et irrationale, similiter in divinis hae duae emanationes. Et sicut differentiae differentiarum innotescunt nobis per alias differentias, quae ab illis oriuntur, sic et in divinis. Quia enim seipsis distinguuntur generatio et spiratio, ad eas consequitur secundum rationem intelligendi differentia duplex. Una, quia generatio est ab uno, sed spiratio a duobus. Quia enim generatio est emanatio per modum perfectae assimilationis, ideo ad unum principium respicit. Quia vero spiratio est emanatio per modum connexionis, ideo est a duobus. Alia differentia est in comparatione ad nos. Quia enim Spiritus sanctus spiratur ut nectens, et ita in alterum tendens; ideo Spiritus sanctus procedit ut donabilis. Filius vero generatur, et generatio non respicit tertium. Per has differentias necessario elicitur harum emanationum concomitantia, quia spiratio dat praeintelligere generationem, non enim nectuntur nisi distincti et similes, et ita illi, quorum unus est ab alio per generationem. Similiter generatio dat consequenter intelligere spirationem, necesse est enim distinctos, et omnino similes per deliciosum amorem conjungi. Concedendae ergo sunt rationes probantes, quod differunt, sicut est manifestatum in rationibus, sed illae rationes non sunt sumptae a priori. Aliqui tamen voluerunt assignare alias differentias, et quidam per vim spirativam et generativam dicunt differre; sed haec differentia declarat ignotum per ignotius. Alii etiam dixerunt, quod Filius procedit per modum esse, Spiritus sanctus per modum bene esse; sed haec verba non sunt sana, nec tali materiae convenientia." *1. dist. 13. a. 1. q. 3.*

[9] „Differt emanatio in his inferioribus, et in Deo, quia in his inferioribus terminatur ad essentiam, vel substantiam, quae multiplicatur; sed in divinis terminatur ad hypostases. Quoniam ergo hypostasis, ad quam terminatur processio, est amor; hypostasis, ad quam terminatur generatio, est imago; et amoris et nexus est spirari, non generari; e converso, imaginis est generari, non spirari, cum non sit consimilis ratio propria hypostasum secundum se, nec erit consimilis emanatio, ipse vero procedit, ac si ad substantiam proprie terminaretur." *Ibid. q. 2 ad 3.*

[10] „Generatio in divinis facit realem distinctionem inter generantem et generatum, non rationalem vel intellectualem solum, sicut dixit Sabellius, sed realem quantum ad personam, non quantum ad essentiam, sicut dixit Arius. Quod sic patet. Generatio in creaturis dicit emanationem per modum actionis, sive mutationis, in Deo emanationem per modum relationis. In quantum enim emanatio dicit distinctionem ratione emanationis, est distinctio, quia, sicut dicit Anselmus *(De process. Sp. s. post princ.)*: Nec intellectus capit, nec natura permittit, illum, qui est ab alio, esse illum a quo est, secundum quod positive dicitur aliquis esse ab alio. Nam Pater privative dicitur esse a se, id est, non ab alio; in quantum autem talis emanatio ponit distinctionem in persona. Generatio enim est productio

convenientis in natura; ratione igitur naturae non potest esse distinctio. Ergo vel erit ratione suppositi, vel proprietatis. Si proprietatis, aut absolute, aut respective. Non absolute, quia tunc esset distinctio in natura. Nec respective, ut puta relationis, quia in relatione secundum se non est motus in creaturis, nec origo in divinis. Unde filiatio non generatur nisi in alio; ergo necesse est, quod sit distinctio in supposito. Similiter ratione relationis est distinctio, quia nihil ad se refertur, nec ordinatur. Ratione vero talis relationis est distinctio personalis, quia generare et generari, cum dicant relationem per modum actionis et passionis, dicunt eam in supposito, et respectu suppositi. Et ideo, quia relatio inter extrema notat distinctionem, patet quod distinctio est ibi suppositorum." *1. dist. 9. a. 1. q. 2.*

[11] „Sicut in essentiis una est essentia prima, a qua sunt aliae, et ad quam; sic in personis est una persona, a qua sunt aliae, et ad quam: et in illa est status originis, quia illa a nullo: et haec est persona Patris." *1. dist. 2. a. 1. q. 2 ad 4.* — „Innascibilis dicitur Pater, quia non est ab alio, et non esse ab alio est esse primum, et primitas est nobilis positio. Primum enim, ratione primi, adeo dicit nobilem positionem et conditionem, quod ad positionem primi sequitur positio secundi. Unde quia primum, ideo principium; quia principium, ideo vel actu, vel habitu est principiatum. Quoniam igitur ratio primitatis in aliquo genere est ratio principiati in illo; ideo, quia Pater est primum respectu emanationis, generationis et processionis, generat et spirat. Et quoniam est esse primum in genere generationis, quia innascibilis; est esse primum in genere spirationis, quia Deus improcessibilis; ideo generat, quia Deus innascibilis, et ultra non est ponere, quare est innascibilis. Cum enim innascibilitas dicat primitatem, et status sit in primo; ideo ... Pater est principium totius divinitatis, quia a nullo." *1. dist. 27. q. 1. a. 1. q. 2 ad 3.*

[12] „In divinis nulla proprietas acquiritur, quia quaelibet est essentia; tamen secundum rationem intelligendi origo, sive emanatio originis, est ratio relationis, sicut in his inferioribus est ratio secundum esse. Unde sicut actus generationis est aeternus, ita et proprietas paternitatis aeterna." *1. dist. 27. q. 1. a. 1. q. 2 ad 2.*

[13] „Paternitas et generatio sunt una notio secundum rem, licet generatio vario modo significetur." — Cum generatio originem dicat, paternitas vero habitudinem, generatio est ratio paternitatis, et non e converso." *1. dist. 27. p. 1. a. 1. qq. 1. 2.*

[14] „Proprietates sunt personae et in personis, tamen aliquo modo differunt a personis. Et quod ista positio sit conveniens, patet, si quis inspiciat naturam proprietatum. Dictum est enim ... quod erat relatio. Dictum est etiam, quod relatio ratione comparationis, quam habet ad subjectum, transit in substantiam in divinis; et ideo de subjecto suo omnino vere praedicatur, ut paternitas. Ratione vero comparationis, quam habet ad objectum, manet verissime in divinis, et habet quodammodo differentiam a persona. Nec facit secundum hoc compositionem, sed distinctionem respectu cujus est. Compositio enim attenditur per comparationem proprietatis ad subjectum, distinctio respectu objecti. Et ex hoc patet, quod proprietas est persona et in persona, quia idem est per essentiam, sive modum essendi, differt tamen quantum ad modum se habendi." *1. dist. 33. a. 1. q. 1.*

[15] „Hujusmodi termini numerales dicuntur secundum relationem, et important notiones. Et hoc patet, quia in divinis important distinctionem, distinctio autem est a proprietatibus. Unde *Tres* important proprietatem trium personarum in concretione. Notio autem, in quantum convenit soli, dicitur esse proprietas: in quantum vero ab alio distinguit, dicitur esse unitas. Unde dicuntur personae tres tribus proprietatibus distinctae ... Ad illud, quod objicitur, quod notiones sunt quinque, dicendum quod *Tres* non quascumque notiones importat, sed solum personales. Illa enim notio, quae facit illam personam esse personam et ab omnibus distinctam, illa dicitur unitas personae, in quantum dat esse distinctum; et illa notio est una unius, sicut una est unitas unius, et illae sunt tantum tres: et ideo, cum sint tres unitates in tribus personis; hinc est, quod personae solummodo tres dicuntur." *1. dist. 24. a. 2. q. 2. in concl. et ad 4.*

[16] „Quamquam essentia et proprietas habeant diversum modum se habendi, quia essentia dicit absolutum, proprietas vero respectum ad terminum; essentia nihilominus est proprietas, et viceversa." — „Aliquorum positio fuit, quod proprietas nec sit essentia, nec in essentia, sed solum assistens. Sed ista positio manifeste improbata est, quia necesse est quod sit divina essentia, si est aliquid. Propter hoc ad intelligentiam objectorum intelligendum, quod relatio ratione comparationis ad subjectum transit in substantiam; et ideo proprietas est divina substantia: ratione vero comparationis ad terminum, sive objectum, remanet; et quantum ad hoc est distincta, et differt ab essentia, non quia dicat aliam essentiam, sed alium modum se habendi, qui per comparationem ad essentiam, vel personam, solum dicit modum, nihil addens. In comparatione vero ad correlativum vere dicit rem et distinctionem; et ideo non est unitas in ratione intelligendi, nec compositio in re, sed vera distinctio. Et quoniam iste respectus non dicit aliud, quam essentiam ipsi comparatam, similiter nec aliud quam persona; ideo vere est essentia et persona. Sed quia ulterius respectus ille non est essentiae ad aliud, sed personae ad personam; ideo respectus ad relationes, proprie loquendo, sunt in personis, non in essentia, quia personae secundum eos referuntur et distinguuntur, essentia autem nec refertur, nec distinguitur. Sunt tamen in essentia divina, loquendo communiter et improprie, ut dicatur in divina essentia esse omne, quod est divina essentia, vel omne, quod est in essentia, vel persona." *1. dist. 33. a. 1. q. 2.* — „Cum idem sit personis divinis oriri et esse et ad alterum se habere, tamen secundum rationem intelligendi sunt ordinata, ut primum sit oriri; deinde esse intelligatur in his, quae habent esse ab alio; et deinde se ad alterum habere. Quia vero idem sunt in Deo, ideo eodem nomine designantur. Unde generatio dicit originem et habitudinem; tamen, proprie loquendo, generatio dicit originem, et paternitas habitudinem. Quoniam igitur proprietas divina secundum communem usum loquendi importat habitudinem et originem; ideo tenendum, quod proprietates non solum sunt ratio innotescendi distinctionem, sed etiam distinguendi." *1. dist. 26. a. 1. q. 3.*

[17] „Hoc nomen *ingenitus*, secundum quod convenit Patri proprie, dicit relationem privative, sed ex hoc ipso ex consequenti dicit relationem positive. Quod patet sic. Non generari enim dicitur, qui simpliciter non generatur; et sic convenit non tantum Patri, sed essentiae, et Spiritui sancto. Sed ultra hunc intellectum, prout proprie convenit Patri, addit, quia Pater non generatur, nec per generationem accipitur; et sic excluditur essentia, quae per generationem accipitur, sed adhuc convenit Spiritui sancto. Prout autem convenit soli Patri, sic dicitur *ingenitus*, quia non generatur, nec per generationem accipitur, nec generationem consequitur. Per primum membrum excluditur Filius, per secundum essentia, per tertium Spiritus sanctus, cujus processio praesupponit generationem secundum ordinem originalem, quia procedit ut nexus a Patre et Filio. Quamvis enim in divinis non sit prius et posterius, tamen secundum originem et rationem intelligendi prior est generatio Filii, quam processio Spiritus sancti, et tamen sunt simul natura. Sic ergo large accepto verbo consequendi, cum ibi proprie non sit praecedere et sequi, tripliciter dicitur aliquis esse *ingenitus*, aut quia non producitur per generationem, nec per generationem accipitur, sive habetur; aut quia nec producitur, nec accipitur, nec consequitur. Hoc igitur modo *ingenitus* importat nullo modo esse ab alio, et ita primitatem, ac per hoc fontalem plenitudinem." *1. dist. 28. a. 1. q. 1.*

[18] „Principii nomen absque ulla imperfectione recipitur in divinis: ibidemque tum notionaliter, tum essentialiter accipi potest." — „In divinis est vera origo, sive emanatio, non tantum vera, sed etiam completissima. Ad hoc autem quod sit perfectissima, necesse est quod emanans habeat cum producente aequalitatem omnimodam, ac unitatem in substantia, quia nihil potest aequari Deo, nisi Deus. Si ergo emanatio et origo debet exprimi convenienter et catholice, debent recipi nomina dicentia originis veritatem, et non recipi nomina importantia imperfectionem, vel diversitatem, vel inaequalitatem. Quoniam ergo principium et principiatum dicunt originis veritatem, ideo utrumque recipitur in divinis, maxime autem intentio principii. Sed quoniam posterius dicit imperfectionem, et initium similiter, quia dicit imperfectam durationem, scilicet inceptionem; et intentio causae importat diversitatem, quia causa est ad cujus esse sequitur aliud, et intentio finis inaequalitatem, quia finis melior est his, quae sunt ad finem: ideo nec intentio prioris et posterioris, nec initii et initiati, nec causae et effectus, nec finis et ejus quod est ad finem, recipitur in persona respectu personae, sed intentio producentis et producti, quia possibile est quod productus sit summe perfectus, et aequetur producenti: ideo recipitur in divinis, similiter et intentio principii." *1. dist. 29. a. 1. q. 1.*

[19] „Hoc, quod est *Innascibilis*, aliam relationem importat, quam hoc, quod est Pater, sive quantum ad principalem intellectum, sive quantum ad consequentem. Quantum ad principalem, manifestum est, quia importat respectum ad principium per modum privationis. Pater autem importat respectum ad principiatum per modum positionis et generationis; et ita dicunt diversas habitudines, quarum una est habitudo vera, altera privatio habitudinis. Quantum ad consequentem intellectum similiter differunt, licet non tantum. Nam Pater dicit rationem principii solum respectu Filii, et per modum generationis; sed innascibile universalem dicit principalitatem, sive fontalem plenitudinem in producendo, non tantum quantum ad generationem, sed etiam quantum ad spirationem, non tantum respectu Filii, sed etiam respectu Spiritus sancti. Et hoc patet, quia *innascibilis* dicitur eo quod non generatur, nec generationem consequitur. Ergo in nomine *innascibilis* aufertur ratio nascendi et procedendi; et si hoc, ponitur ratio omnimodae principalitatis, et ideo fontalis plenitudinis." *1. dist. 28. a. 1. q. 2.* — „Improcessibilitas notio ipsius Patris dici non debet, cum neque primo, neque ex consequenti positive significet aliquid." *Ibid. q. 4.*

[20] „Si quaeratur, pro quo stat hoc nomen *principium*, dicendum quod stat pro paternitate simul et spiratione, quia per paternitatem est principium Filii, per spirationem principium Spiritus sancti, per utrumque principium utriusque ... Quando ergo dicitur de Patre, stat pro notione paternitatis et spirationis communiter, et arctatur per proprietatem innascibilitatis per hoc, quod dicitur *non de principio*." *1. dist. 29. dub. 1. 2.*

[21] „Paternitas est notio personalis Patris. Ad hoc enim quod aliqua relatio sit personalis, oportet quod dicat illius personae primam et propriam habitudinem, et per modum positionis et completionis; sed constat quod innascibilitas, quantum ad primum intellectum, non dicit positionem, quantum ad consequentem intellectum, non dicit specialem relationem, sed fontalem plenitudinem. Similiter spiratio non dicit propriam relationem; et ideo necesse est quod paternitas dicat." *1. dist. 28. a. 1. q. 3.*

[22] „Sicut exemplar secundum proprietatem vocabuli dicit expressionem per modum activi, unde exemplar dicitur ad cujus imitationem fit aliquid; sic e contrario imago per modum passivi: et dicitur imago, quod alterum exprimit, et imitatur. Et hoc modo accipitur imago dupliciter, secundum quod duplex est expressio, scilicet vel in naturae unitate, vel in naturae diversitate. In naturae communitate, sive unitate, sicut filius Imperatoris dicitur imago patris. In naturae diversitate, sicut imago Imperatoris est in nummo. Sic respectu Dei dicitur imago per expressionem secundum identitatem naturae; et sic est imago increata: et dicitur notionaliter, sive secundum relationem, quia imago dicit emanationem, emanatio autem in unitate naturae non est nisi personae. Dicitur etiam imago per expressionem in diversitate naturae; et sic dicitur imago creata respectu totius Trinitatis. Et sic patet, quod imago in divinis accepta dicitur secundum relationem personae ad personam, et hoc secundum vocabuli proprietatem ... Sed quoniam contingit abuti nomine exemplaris, ut etiam dicatur exemplar, quod ad imitationem alterius fit; sic e contrario contingit abuti imagine, ut dicatur imago, ad cujus expressionem fit aliquid; et sic, cum creatura fiat ad expressionem unitatis essentiae in Trinitate personarum, potest dici imago de tota Trinitate; et sic dicitur imago ipsum imaginans, cum de ratione nominis dicatur imaginatum, sicut exemplar dicitur exemplatum abusive, quamvis exemplar sit exemplans ... Imago creata, cum sit respectu unius essentiae, est communis imago trium personarum, et indicat unitatem substantiae in tribus. Unde nunquam imago pure dicitur ad

se, quia semper dicit respectum, vel personae ad aliam personam, vel essentiae ad creaturam, sive creaturae ad divinam naturam. Nunquam etiam dicitur pure secundum substantiam, quia semper notat vel distinctionem interius, vel exterius. Unde imago non dicitur essentia simpliciter, sed essentia ut in tribus personis considerata. Tamen, proprietatem sermonis servando, imago dicitur secundum relationem personalem, prout dicitur imago aeterna." *1. dist. 31. p. 2. a. 1. q. 1.*

[23] „Verbi creati interioris nomen convenienter ad divina dicitur translatum." — „Augustinus . . . similitudinem istius verbi ad illud assignat quantum ad tria, scilicet quantum ad emanationem, sive originem, quantum ad dispositionem, quantum ad unionem. Nam haec tria in Filio Dei est considerare: originem, secundum quam dicitur Filius; dispositionem aeternam, secundum quam dicitur mundus archetypus, et ars plena omnium rationum viventium; et unionem, secundum quam dicitur homo factus." *1. dist. 27. p. 2. a. 1. q. 4.*

[24] „Imago in divinis non tantum dicit expressionem personae, sed etiam expressionem in summo. Expressio autem in summo duo ponit, scilicet quod sit unius ad unum, et quod sit secundum omnem modum. Quod sit unius ad unum, ponit per hoc quod illud, quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit, et si sit essentiale, essentiae, si personale, personae. Nam unum in summo non potest exprimere plura, vel plures, unum, inquam, in quo nulla est diversitas. Similiter unum summe non potest exprimi a pluribus, ut plures sunt, quia tunc omnino differentes essent. Ponit etiam aliud, videlicet ut sit expressio secundum omnem modum. Nam si ex aliquo respectu non habet exprimere, non exprimeret summe. Propter primam rationem, solus Filius est imago, quia solus ab uno procedit, Spiritus autem sanctus a duobus, et ideo aequaliter utrumque exprimit, et neutrum in summo. Propter secundam rationem, solus Filius est imago, quia secundum omnem respectum habet rationem exprimendi, et in quantum comparatur ad illum, a quo est, et in quantum comparatur ad illum, qui ex ipso est. In quantum comparatur ad illum, a quo est, quia exit per modum naturae, et ita per modum verbi, et speciei, et per modum similitudinis expressae. In quantum comparatur ad illum, qui est ex eo, quia per omnia et eodem modo spirat Filius, ut Pater. Spiritus sanctus autem in nullo horum convenit, ideo ratio imaginis est in solo Filio, quia ab uno tantum procedit, et quia per modum naturae, quia etiam consimiliter producit sanctum Spiritum. Media tamen ratio, quia per modum naturae, est ratio propria, aliae vero faciunt ad congruitatem." *1. dist. 31. p. 2. a. 1. q. 2.*

[25] „Sapientia vel notitia dicit primum in intelligendo; deinde filius, qui dicit ipsam emanationem, sive conceptionem; deinde imago, quae dicit modum expressum emanandi; et tertio loco verbum, quod dicit haec omnia, et superaddit rationem exprimendi et manifestandi." *1. dist. 27. p. 2. a. 1. q. 3.*

[26] „Sicut dicit Augustinus *(Ex lib. 15. de Trin. c. 10 et 11):* Tunc verbum dicitur, vel generatur, quando mente similitudo, vel imago alicujus cognoscibilis concipitur, et verbum illud respicit, quod respicit similitudo concepta. Quoniam igitur mens nostra nec simul, nec uno et eodem videt se et alia; ideo alio verbo dicit se, et alio alia, imo aliis: tot enim in eo sunt verba, quot intellecta. Summus autem Spiritus in Patre se et omnia uno aspectu et eodem cognoscit. Et cum intelligit se et alia, cognoscit ut aliorum principium; et quia in ipso vis conceptiva concipit similitudinem omnia circumplectentem sub intuitu uno, sive aspectu, concipit, sive generat, unum verbum, quod est similitudo Patris imitativa, et similitudo rerum exemplativa, et similitudo operativa; et ita tenet quasi medium, et dicitur Pater operari per verbum; et ulterius ipsi verbo attribuitur, quod sit Dei virtus et Dei sapientia. Et ita patet, quod verbum divinum dicit respectum ad Patrem, dicentem ipsum, a quo generatur, per omnia consimilem. Dicit etiam respectum ad creaturam per modum exemplaritatis dispositivae et virtutis operativae. Et quia ista non dicunt respectum in actu, sed solum in habitu; dico quod sicut exemplar dicit respectum in habitu, et potentia similiter, quia multa scit Deus et potest, quae non facit; sic et verbum aeternum." *1. dist. 27. p. 2. a. 1. q. 2.*

[27] „Differt dicere imaginem naturalem et connaturalem. Nam imago naturalis est, quae repraesentat per id, quod habet a natura, sive cum illo quod repraesentat, conveniat in natura, sive non. Imago vero connaturalis dicitur, quae imitatur et refertur non solum per id, quod habet a natura, sed per convenientiam in eadem natura. Ideo etsi esse imaginem conveniat homini, esse tamen imaginem connaturalem non convenit homini, sed soli Filio Dei." *2. dist. 16. a. 1. q. 2.* — „Aliter accipitur naturale, prout adjacet Filio, aliter prout adjacet imagini, non enim differt dicere Filium naturalem et connaturalem, sicut differt in imagine. Et ratio hujus est ista: quia Filius dicit ut a quo, quantum est de suo principali intellectu, imago dicit ut ad quem; ideo naturale dictum de Filio significat, quod egressus Filii sit per modum naturae, et ita quod cum Patre conveniat in natura. Sed cum dicitur imago naturalis, significatur quod illa repraesentatio est a naturali principio, sive proprietate; et propter hoc non datur intelligi, quod sit inter imaginem et eum, cujus est imago, convenientia naturae." *2. dist. 16. a. 1. q. 2. ad 3.*

[28] „Una differentia potest accipi sic, ut verbum dicatur, quod procedit ab interioribus; imago, quod imitatur in exterioribus; et Filius complectitur utrumque: et ideo magis et communius dicitur Filius, quam aliquid aliorum. Vel aliter: Omnia haec tria important similitudinem alterius; sed si Filius importat illam similitudinem naturaliter emanantem, imago ut expresse imitantem, verbum ut aliis exprimentem, quantum est de se, sive natum exprimere; ideo Filius frequentius nominatur illa persona propter hoc, quod ipsam emanationem et habitudinem illam nomine importat proprio. Vel aliter: Imago importat illam similitudinem ut conformem, verbum importat illam ut mentalem, sive spiritualem, sed Filius connaturalem." *1. dist. 27. p. 2. dub. 2.*

[29] „Dicendum quod, sicut patet ex verbis Augustini *(lib. 15 de Trin. c. 19):* Donum dicitur in divinis proprie, sive personaliter, non essentialiter, sicut Verbum proprie dicitur de Filio: Datum autem potest accipi et essentialiter et personaliter, sive proprie et communiter; tota enim Trinitas dat se, et tamen Pater et Filius proprie dant Spiritum sanctum. Propter hoc notandum, quod

datum de sui ratione idem est, quod communicatum. Potest igitur hoc, quod est datum, dici communicatum ex liberalitate: et sic est commune toti Trinitati. Vel ex liberalitate et auctoritate; et sic convenit Spiritui sancto et Filio, qui habent subauctoritatem respectu Patris. Vel potest dici datum ex liberalitate et auctoritate, non tantum communicatum, sed etiam productum; et hoc modo proprium est Spiritus sancti, cujus proprium est procedere secundum rationem liberalitatis, et ita secundum rationem doni, vel donabilis. Et hoc modo donum vel datum aequivalent. Differunt tamen, quia datum dicit communicationem in actu, sed donum in habitu. Et concedendum est, quod donum proprie dicitur in divinis de Spiritu sancto." *1. dist. 18. a. 1. q. 4.*

[30] „Dilectio in divinis potest accipi, et accipitur necessario, essentialiter, notionaliter et personaliter. Essentialiter, quia quilibet diligit se: notionaliter vero, quia Pater et Filius concordant inspirando Spiritum sanctum, quae concordia amor, sive dilectio est: personaliter vero, quia ille, qui producitur per modum perfectae liberalitatis, non potest esse nisi amor, sive dilectio. Unde essentialiter dictum dicit complacentiam, notionaliter vero concordiam inspirando, personaliter vero processum in illa concordia. Hujus autem exemplum potest poni in amore creato, quo sponsus et sponsa se diligunt. Nam diligunt se amore sociali ad convivendum, diligunt se ulterius amore conjugali ad prolem procreandam: et illa, si produceretur ex sola concordia voluntatis, amor esset, nunc vero est amatus, nisi dicatur amor per emphaticum loquendi modum. In divinis vero vere et proprie amor est, habens rationem amoris et hypostasis; amoris propter hoc, quia ex voluntate liberissima prima procedit per modum perfectae liberalitatis; hypostasis, quia, cum distinguatur a producente, et non possit distingui essentialiter, distinguitur personaliter: non sic autem est in amore creato." *1. dist. 10. a. 2. q. 1.*

[31] „Hoc nomen *spiritus* reperitur in corporibus, in substantiis rationalibus et in Deo; et licet in Deo sit propriissime, quia propriissime est in eo spiritualitas et spiratio, tamen ratio cognoscendi et dicendi tamquam a posteriori incipit a substantia corporali. In substantia autem corporali spiritus dicitur dupliciter. Aut a spiritualitate contra corpulentiam; et sic dicitur absolute, et vocatur spiritus corpus subtile . . . Aut a spiratione; et sic dicitur spiritus flatus, sicut accipit Chrysostomus in homilia super Joannem *(3, 8): Spiritus, ubi vult, spirat.* Et in Psalmo *(148, 8): Ignis, grando, spiritus procellarum etc.* Secundum modum hunc duplicem accipitur in substantia spirituali, sive rationali. Aut a spiritualitate contra corporeitatem; et sic substantia rationalis, vel ejus potentia interior, dicitur spiritus: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum (Eccle. 3, 21)?* Aut a spiratione; et sic affectus vel amor dicitur spiritus. Et ratio hujus est, quia actus spirationis in corpore est actus internus, actus continuus, actus vivificus, et habet originem a calore. Quia ergo egressus amoris, ut amor est, venit ab intrinseco; et amor est actus vivificus, quia amor est vita; et iterum amor est actus continuus, quia continue debet reddi amor, et tunc est perfectus, quando homo sic amat; rursus est calor spiritualis: ideo solus amor dicitur spiritualiter spirari; et sic accipitur illud ad Thessalonicenses *(1 Thess. 5, 23): Ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Secundum hunc duplicem modum accipitur in divinis. Nam secundum quod spiritus dicitur a spiritualitate, sic convenit toti Trinitati, nam tota Trinitas caret corporeitate et materialitate. Et sic est nomen absolutum, ut in Joanne *(4, 24): Spiritus est Deus.* Secundum autem quod dicitur a spiratione, sic convenit illi soli personae, quae procedit ut amor, ratione jam dicta. Spirare enim in spiritualibus solius est amoris: et quoniam amor potest spirari recte et ordinate, et sic est purus, vel indirecte et immunde, et sic est libidinosus; ideo persona illa, quae est amor, non tantum dicitur spiritus, sed Spiritus sanctus. Non sic Filius dicitur Spiritus sanctus, quia generatio est motus naturalis, circa quem non attenditur sanctitas vel puritas, sicut attenditur circa amorem voluntatis." *1. dist. 10. a. 2. q. 3.*

[32] „Spiritus sanctus est donum, quo omnia dona nobis donantur gratuita per concomitantiam, et quo omnia dona Dei donantur per exemplaritatis causam." — „Dicendum, quod cum dicitur, quod Spiritus sanctus est donum, in quo omnia alia donantur, ablativus iste potest accipi dupliciter, vel ita quod dicat concomitantiam, vel sic quod dicat causalitatem. Si dicat concomitantiam, sic intelligendo universaliter, falsum est, quia est sensus, quod detur cum omnibus donis. Quaedam enim sunt dona, quae semper sunt cum Spiritu sancto, ut caritas et sapientia; quaedam, quae nunquam sunt cum Spiritu sancto, ut timor servilis; quaedam, quae aliquando sunt cum Spiritu sancto, aliquando sine, ut fides, prophetia et hujusmodi. Si autem particulariter intelligatur de donis gratum facientibus, sic vera est, et non habet instantiam. Potest iterum ablativus importare causalitatem, et hoc tripliciter. Vel ita quod dicat simpliciter causalitatem; et in hoc non distinguitur nec a Patre, nec a Filio, quia omnia dona sunt a Patre et a Filio et a Spiritu sancto. Vel ita ut dicat causalitatem et subauctoritatem; et in hoc distinguitur a Patre, sed non a Filio, quia Pater et per Filium et per Spiritum sanctum donat. Vel ita ut dicat causalitatem et subauctoritatem et exemplaritatem; et sic proprie Spiritui sancto convenit. Ipse enim procedit per modum primi doni, ita quod omnis donatio recta et gratuita post illam est, et ab illa accipit rationem donationis." — „Spiritus sanctus dicitur donum ab aeterno, quia donabilis; et dicitur ex tempore, quia datur." — „Cum donum dicat respectum ad eum, cui datur, hoc potest esse tripliciter, secundum actum, vel secundum habitum, vel secundum aptitudinem. Si secundum actum, hoc modo dicitur donum, quia datur: si secundum habitum, hoc modo dicitur donum, quia donandum aliquando: si secundum aptitudinem, hoc modo dicitur donum, quia donabile. Secundum primam acceptionem dicitur temporaliter, sed secundum secundam ac tertiam dicitur aeternaliter." — „Spiritus sanctus convenientius dicitur donum, quam datum, cum donum a tempore subtrahat." — „Quamvis in divinis utrumque dicatur et datum et donum, tamen convenientius dicitur donum. Et hujus duplex est ratio. Una quidem est, quia datum, cum sit participium, vel nomen verbale, concernit

tempus; donum autem a tempore subtrahit: et ideo quia omnia divina supra tempus sunt, convenientius dicitur in divinis donum, quam datum. Alia ratio est, quia donum supra rationem dati addit conditionem liberalitatis, sive irreddibilitatis, quae est conditio magnae nobilitatis; et ideo maxime competit divinis." *1. dist. 18. a. 1. qq. 1—3.*

[33] „Nexus duarum personarum attenditur secundum productionem personae unius per voluntatis foecunditatem, ita quod inter illas personas et earum nexum est distinctio personarum." *3. dist. 2. a. 3. q. 3. ad 3.*

[34] „Pater et Filius communicant in Spiritu; et ideo amborum est unitas. Et rursum ille Spiritus est amor, et ideo communicant in eo, ut in uno amore: et quia amor propriissime nexus est; ideo Spiritus sanctus proprie nexus est, quia amor mutuus est amor unicus et substantificus." *1. dist. 10. a. 2. q. 2.* — „Licet caritas sit omnibus communis, et proprium Spiritus sancti, uno tamen modo appropriate convenit Patri, quia caritas amor gratuitus est, qui tantum dat, et non accipit; et hoc est in persona Patris." *1. dist. 5. dub. 8.*

[35] „Spiritus, amor et dōnum eamdem proprietatem dicunt, ratione differentem, eamdem, inquam, notionem dicunt, quia dicunt comparationem ad idem, et dicunt eamdem emanationem, sed tamen differenter eam nominant. Nam Spiritus dicit eam principaliter per comparationem ad vim producentem, quae est vis spirativa: amor principaliter quantum ad modum emanandi, quia ut nexus: donum vero quantum ad respectum consequentem." *1. dist. 18. a. 1. q. 5. ad 4.*

[36] „In omni inquisitione prius oportet intelligere quid est, quod per nomen dicitur, et hoc tamquam praecognitionem afferre secum ad rei proprietates posterius cognoscendas." *2. dist. 34. a. 2. q. 1. ad 6.* — Siquidem „frequenter ad cognitionem rei perducimur per considerationem vocabulorum. Qui enim prima vocabula imposuerunt, proprietates rerum potissime consideraverunt, et juxta illas vocabula imposuerunt." *2. dist. 38 a. 2. q. 2. concl.*

[37] De proprietatibus personalibus, sive generatim, sive speciatim, multa videri possunt apud S. D. *1. dist. 26—30.*

CAPUT IV.

De istius fidei expressione catholica.

(In divinis sunt duo modi praedicandi, per modum substantiae et relationis: — tres modi supponendi, nomine essentiae, personae et notionis: — quatuor modi significandi substantiam, nomine essentiae, substantiae, hypostasis et personae: — quinque modi dicendi et quaerendi: — tres modi differendi ex diverso modo existendi, se habendi et intelligendi.)

Ad istius etiam fidei expressionem catholicam [1] tenendum est, secundum sacrorum Doctorum documenta, quod in divinis sunt duo modi praedicandi, scilicet per modum substantiae [2] et relationis; tres modi supponendi, scilicet essentiae, personae [3], notionis; quatuor modi significandi substantiam, scilicet nomine essentiae, substantiae, personae [a], hypostasis; quinque modi dicendi, scilicet, quis, qui, quae, quod et quid; tres [b] modi differendi, scilicet secundum differentem modum existendi, secundum differentem modum se habendi, et secundum differentem modum intelligendi.

a) Et add. ed. 1484.

b) Et tres ibid

Ratio autem ad intelligentiam [c] praedictorum haec est: quia, cum primum principium sit perfectissimum simul et simplicissimum, omnia, quae perfectionis sunt, de ipso dicuntur perfecte [d], proprie et vere; quae autem imperfectionis sunt, aut non dicuntur, aut si dicuntur, secundum assumptionem humanae naturae dicuntur, vel transumptive [4 e]. Cum igitur decem sint praedicamenta, scilicet substantia, quantitas [5], relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs et habitus; quinque ultima spectant proprie ad corporalia, seu mutabilia; ideo non attribuuntur Deo, nisi transumptivo modo et figurativo [6]. Alia vero quinque praecedentia Deo attribuuntur secundum id, quod completionem dicunt, ita tamen quod divinam simplicitatem non impediant. Omnia ergo haec praedicta [f] praedicamenta sunt idipsum, quod est illud [g], de quo praedicantur [7]; et ita per comparationem ad subjectum, in quo sunt omnia, dicuntur transire in substantiam, relatione tamen excepta, quae cum duplicem habeat comparationem, scilicet ad [h] subjectum in quo, ad [i] terminum ad quem, primo modo transit, ne faciat compositionem, sed secundo modo manet, ut faciat distinctionem [8]. Et hinc est, quod substantia continet uni-

c) Ad intelligentiam om. ibid.

d) Ita in ed. 1484. Recte.

e) Translative ABCDE FGHK.

f) Praedicta om. ed 1484.

g) Id ibid.

h) Ut ad ibid.

i) Et ut ad ibid.

tatem, et[j)] relatio multiplicat Trinitatem; et ideo manent ibi hi tantum duo modi praedicandi differentes, de quibus talis datur regula[k)]: Quae dicuntur secundum substantiam, de omnibus dicuntur, et singillatim, et[l)] simul, et singulariter: quae vero secundum relationem, aut non de omnibus dicuntur, aut si de pluribus, pluraliter, ut relati, distincti, similes, aequales, propter relationem intrinsecam[9]. Nomen autem Trinitatis comprehendit utrumque[10 m)].

j) Et om. ibid. k) Quod quae ibid. l) Et om. ibid.

m) Nomen autem Trinitatis comprehendit utrumque om. ed. 1484.

Et quoniam plures possunt esse relationes in una persona, sicut sunt plures personae in una natura[11]; ideo distinctio in notione non infert diversificationem personae, nec distinctio personae plurificationem naturae[12]. Et propterea non quidquid convenit essentiae, convenit notioni, vel personae, nec e converso; et hinc est, quod sunt ibi tres modi supponendi[13], de quibus talis consuevit dari regula: Supposita essentia, non supponitur notio, nec persona; et supposita notione, non supponitur essentia, nec persona; et supposita persona, non supponitur essentia, nec notio, sicut patet per exempla[n)].

n) Exemplum ibid.

Et quoniam vera distinctio est in suppositis substantiae, manente essentia una[14]; ideo necesse est ibi multipliciter significari substantiam, scilicet ut communicabilem et incommunicabilem[15]. Ut communicabilem per modum abstractionis[16], per nomen essentiae; et per modum concretionis, per nomen substantiae: ut incommunicabilem vero, vel ut distinguibilem per nomen hypostasis; vel ut distinctam per nomen personae[17]. Vel aliter, scilicet[o)] vel ut distinctam qualitercumque, et sic hypostasis[18]: vel notabiliter et perfecte, et sic persona[19]. Exempla horum quatuor sunt in creatura[p)]: humanitas, homo, aliquis homo, Petrus. Primum essentiam, secundum substantiam, tertium hypostasim, quartum personam dicit[20].

o) Scilicet om. ibid. p) Videlicet add. ibid.

Et quia in persona, quae distinguitur, non solum est considerare eum, qui distinguitur, sed etiam[q)] illud, quo distinguitur[r)], et hoc est proprietas, sive notio[21]; ideo necesse[s)] est, quod in divinis sint quinque modi dicendi pariter et quaerendi: scilicet *quis,* ratione personae: *qui,* ratione hypostasis, quia dicit suppositum[t)] substantiae indistinctae: *quae,* ratione notionis: *quod,* ratione substantiae[22]: *quid,* sive *quo,* ratione essentiae[u)].

q) Etiam add. ibid. r) Ibid. et om. s) Necessarium ibid. t) Subjectum ed. Nor. u) Divinae add. ed. 1484.

Et quoniam omnes hi modi in unitate essentiae radicantur, quia quidquid est in Deo, est ipse Deus, unus, et solus[23]; ideo non ponunt ibi differentiam[24] nec secundum essentiam, nec secundum esse. Et propterea sunt ibi tantum[v)] tres modi differendi[25], scilicet secundum modos[x)] essendi, sive emanandi, sicut differt persona a persona: secundum modos se habendi, sicut differt persona et essentia, quia una persona ad alteram[y)] refertur, et ideo distinguitur; essentia vero non refertur ad alteram, et ideo non distinguitur[26]: secundum modos[z)] etiam intelligendi, sicut differt una proprietas substantialis ab altera, ut bonitas et sapientia. Prima differentia est perfectissima et summa, quae possit reperiri in divinis, est enim in suppositis, ita quod unum non dicitur de altero. Secunda differentia est minor, quia[aa)] est in attributis; licet enim unum possit dici de altero, ut persona de essentia, aliquid tamen dicitur de uno, quod non de altero, ut[bb)] persona distinguitur et refertur, essentia vero non. Tertia vero differentia minima est, quia est in connotatis; licet enim[cc)] unum de altero dicatur ad invicem, et idem possit dici de utrisque, non tamen idem connotatur utrobique, nec per idem intelligi datur utrumque[27]. Ex primo modo differendi oritur pluralitas personarum: ex secundo modo pluralitas praedicationum substantialium et relativarum: ex tertio pluralitas pro-

v) Tantum om. ibid. x) Modum ibid. y) Aliam ibid. z) Modum ibid. aa) Quae ibid. bb) Quod add. ibid. cc) Enim om. ibid.

prietatum essentialium et notionum, sive ab aeterno sive ex tempore[28], sive proprie sive transumptive, sive communiter sive appropriate[29]. Dictorum exempla manifesta sunt. His intellectis, claret satis, et quid sentiendum, et qualiter loquendum sit[dd] de summa Trinitate divinarum personarum.

dd) Est ibid.

Ad Caput IV.

[1] „Aliter conceditur aliquid dicere ei, qui vult excitare devotionem et elevare in admirationem, quod tamen reprehenderetur in eo, qui sermonis catholici proprietatem et veritatem inquirit.“ *3. dist. 8. a. 1. q. 1. ad 6.*

[2] „Nomen substantiae a duplici proprietate potest dici, videlicet a per se stando, non per aliud: si sic, proprie est in divinis, et magis proprie quam in creaturis. Vel a substando alii vel aliis, et hoc est tripliciter. Vel alii inhaerenti; et sic false et improprie dicitur in divinis, quia proprietates in divinis non sunt accidentes, nec inhaerentes. Vel alii distinguenti; et sic dicitur in divinis non omnino improprie, nec omnino proprie, quia proprietas illa non inhaeret, et ideo non facit subsistere, sive substare, quasi sub alio stare, sed existere, quasi ab alio esse; et hinc est, quod Richardus dicit in lib. de Trinit. *(l. 4. c. 20)*, quod melius dicitur existentia quam subsistentia. Vel quia substat ut perficienti; et sic dicitur res naturae substare respectu essentiae. Et iste modus magis est circa nostrum intelligere, quam circa divinum esse.“ *1. dist. 23. a. 1. q. 2.*

[3] „Personae nomen non incongrue, Spiritu sancto dictante, ad supposita divina est translatum, cum in illis dignitas et distinctio vere reperiantur.“ *Ibid. q. 1.*

[4] „Ea, quae transumptive dicuntur, referuntur ad consequentem intellectum, et pro illo intelliguntur.“ *3. dist. 38. a. 1. q. 2. ad 2.*

[5] „Numerus in creaturis est quantitas, sed in Deo dicit relationem; et hoc patet sic. Distinctio in creaturis est per alicujus proprietatis vel qualitatis oppositionem, et ita per additionem: ubi autem additio, ibi limitatio: ubi limitatio, ibi unius ab alio divisio: et ubi haec sunt, ibi aggregatio diversorum et mensuratio. Et quia quantitatis est mensurare, ad distinctionem in inferioribus sequitur numerus, et est modus essendi consequens materiam cum forma. In divinis autem est distinctio per originem, non per additionem alicujus; et ideo nulla additio, nulla limitatio: et ubi hoc non est, nec mensuratio, et ideo nec quantitas. Sed ubi origo, ibi habitudo et relatio; et ideo in divinis numerus non dicit quantitatem, sed magis relationem. Sed quoniam relatio non transit in substantiam, igitur nec termini numerales.“ *1. dist. 24. a. 2. q. 2. ad 1.*

[6] „Quaedam sunt nomina, quae significant rem, cujus veritas est in Deo, et oppositum in creatura, ut immensus et aeternus; et talia nullo modo transferuntur, nec secundum rem, nec secundum impositionem. Quaedam significant rem, cujus veritas est in Deo, et similitudo ejus in creatura, ut potentia, sapientia et voluntas; et talia nomina transferuntur a creaturis ad Deum non secundum rem, sed secundum impositionem, quia prius imposita sunt creaturis quam Deo, licet prius sint in Deo. Quaedam sunt nomina, quae significant rem, cujus veritas est in creatura, et consimilis proprietas in Deo, ut lapis et leo; res enim significata est in creatura, sed similitudo proprietatis, ut stabilitas et fortitudo, est in Deo; et ista sunt proprie translativa.“ *1. dist. 22. a. 1. q. 3.* — „Ut laudibus Deum possimus extollere, atque ad Dei cognitionem promoveamur, necessariae sunt nobis translationes ad divina.“ — „Ratio vel finis translationis duplex est: una, in qua est laus Dei; alia, manuductio intellectus nostri. Propter laudem Dei necessaria est translatio. Et quoniam Deus multum est laudabilis, ne propter inopiam vocabulorum contingeret cessari a laude, sacra Scriptura docuit nomina creaturarum ad Deum transferri; et hoc in numero indefinito, ut sicut omnis creatura laudat Deum, sic Deus laudetur ex omni nomine creaturae, et qui non poterit uno nomine laudari, tamquam superexcellens omne nomen, laudaretur ex omni nomine. Alia ratio est manuductio intellectus nostri. Quia cum per creaturas ad cognoscendum Creatorem venimus, ut plurimum, fere omnes creaturae habent proprietates nobiles, quae sunt ratio intelligendi Deum, ut leo fortitudinem, agnus mansuetudinem, petra soliditatem, serpens prudentiam, et consimilia; ideo oportuit plura nomina transferri ad Deum.“ *1. dist. 34. a. 1. q. 4.*

[7] „Est praedicatio per identitatem, et est praedicatio per inhaerentiam; et utramque est in Deo reperire. Per inhaerentiam, ut cum dicitur: Pater generat, vel Deus creat. Per identitatem, ut cum dicitur: Pater est generatio, vel Deus est creatio. Praedicationem autem per identitatem est reperire in Deo propriissime propter ipsius rei qualitatem, quoniam ibi est summa identitas: unde omnes locutiones importantes unitatem, ibi sunt verissimae. Praedicationem autem per inhaerentiam est ibi reperire propter intellectus nostri defectibilitatem. Quoniam licet actus in divinis sit Dei substantia et ipsa proprietas etiam, tamen quia intellectus noster intelligit per res inferiores, et enuntiat per vocabulum rerum inferiorum, tenet modum annuntiandi, quem habet circa inferiora; et ideo praedicat per modum inhaerentiae, quamvis omnia, quae in Deo sunt, realiter habeant modum substantiae. Intellectus tamen iste non est falsus, quoniam quemadmodum intellectus abstrahens lineam a materia non est falsus, quia modum illum non ponit circa rem, sed circa suum intelligere; similiter intellectus noster in divinis compositionem non ponit circa rem, sed circa suum intelligere et suum exprimere, quamvis enim in Deo sit summa simplicitas, tamen exprimi non potest nisi per compositionem. Et ideo bene dicit Augustinus, quod verius est Deus, quam cogitatur; et verius cogitatur, quam dicitur. Nam etsi intellectus aliquo modo per intelligentiam ascendat ad contuitum simplicitatis, non tamen potest hoc exprimere voce simplici, sed composita.“ *1. dist. 34. a. 1. q. 2.*

[8] „Relatio in aliquibus convenit cum aliis praedicamentis, in aliquibus differt. Convenit enim in hoc, quod est praedicamentum et genus entis, et in hoc, quod est accidens: et disconvenit in hoc, quod praeter alia genera, habet respectum non solum ad subjectum, sed etiam ad objectum, secundum habitudinem et dependentiam. Quantum ad primas conditiones impossibile est relationem manere in divinis, sicut alia genera, et hoc propter summam simplicitatem. In Deo enim relatio non est praedicamentum, nec accidens, sed substantia est. Quantum vero ad conditiones, quas habet respectu objecti, necesse est quodammodo manere; et hoc propter veram distinctionem, quae est in divinis, et veram originem et habitudinem. Et necesse est quodammodo non manere, scilicet quantum ad dependentiam; et hoc propter omnimodam absolutionem, quae est in divinis. Alia igitur genera simpliciter transeunt, sed relatio quodam modo manet, et quodam modo transit. Quia alia genera respectum solum ad subjectum dicunt, et secundum illum transeunt. Sed relatio ultra dicit respectum ad objectum, et secundum illum respectum dicit pluralitatem, quae vere est in divinis; et ita relatio manet. Patet etiam quo modo transit, videlicet quantum ad omne, quod dicit compositionem. Unde non est genus, neque in genere; nec est accidens, nec aliud.“ *1. dist. 26. a. 1. q. 2.*

[9] Quatuor sunt genera nominum in divinis. Quaedam enim essentialia sunt dicta essentialiter, ut divinitas, deitas et majestas. Quaedam essentialia personaliter dicta, ut potentia generandi. Quaedam personalia dicta personaliter, ut generans et genitus. Quaedam personalia dicta essentialiter, ut missus, incarnatus, et hujusmodi, quae dicunt respectum ad personam, et ideo personalia et effectum in creatura; et ideo essentialiter sunt dicta.“ *1. dist. 7. a. 1. q. 1. ad 4.* — „Nomen significans substantiam in divinis reperitur secundum triplicem modum. Quaedam enim significant substantiam, et per modum substantiae, ut nomen substantivum, ut Deus; et tale nullo modo plurificatur, nec dicitur pluraliter, sive sit substantivum, sive substantivatum: et hoc nomen *aeternus* sic accipitur in Symbolo. Quaedam significant substantiam per modum adjacentiae, sicut nomina adjectiva adjective tenta; et talia, quae trahunt numerum a substantivis, dicuntur pluraliter: et de genere talium sunt verba et participia. Alia sunt nomina, quae important substantiam inadjacentia, connotando intra relationem mutuam, qualia sunt coaeterni: et talia ex duplici causa possunt dici pluraliter, tum ratione significationis, sive modi significandi, tum ratione connotationis.“ *1. dist. 9. dub. 2.* Cfr. quoque *1. dist. 5. a. 1. q. 1.; et dist. 31. p. 1. a. 1. per integrum.*

[10] „Convenit dici, quod hoc nomen *Trinitas* duplicem habet etymologiam. Uno modo Trinitas dicitur unitas ter; et sic nomen numerale cadit in eo ut complementum; et sic dicitur secundum relationem, sicut termini numerales; et unitas, quam importat, est unitas personalis, non essentialis, quia illa plurificatur. Alia etymologia est, Trinitas est unitas trium; et tunc unitas non numeratur, sed significatur ut communicabilis tribus. Et quoniam haec unitas est essentialis, ideo importat unitatem essentialem. Et haec quidem etymologia absque dubio habet veritatem, sed prima non videtur habere veritatem. Nam cum eandem significationem habeat trinus et Trinitas, si illa est etymologia: Trinitas unitas ter, tunc trinus diceretur unus ter. Hoc autem non potest dici de Deo, videlicet ter unus, cum tamen dicatur trinus. Propter quod dicendum, quod hujusmodi nomina important unitatem formalem, sive essentiae, cum pluralitate suppositorum; et ideo habent quodammodo naturam termini substantialis in hoc, quod dicuntur de tribus singulariter, et termini numeralis in hoc, quod dicuntur de nullo per se.“ *1. dist. 24. a. 3. q. 2.*

[11] „Cum ratio unitatis sit ratio distinctionis cum indivisione, in divinis autem ponamus essentiam distinctam ab aliis essentiis per seipsam, et personam distingui ab aliis per proprietatem; necesse est etiam in divinis ponere et unitatem essentialem et personalem. Quoniam igitur persona non est aliud ab essentia, unitas essentiae et personae non sunt duae unitates secundum rem, sed una ratione differens. Ideo unitas de hac et illa non dicitur aequivoce, quoniam nec illi, nec isti imponitur specialiter. Quia ergo concretum accipit specialem significationem ab abstracto; hoc nomen *Unus* importat in divinis unitatem essentialem et personalem. Et cum adjective tenetur, indifferenter importat utramque, determinatur autem per adjunctum. Cum enim additur termino essentiali, importat essentialem; cum additur termino notionali, importat personalem; cum autem substantivatur, necesse est quod seipso determinetur. Et ideo, cum neutrum genus importet quod dicit sub indistinctione, in neutro convenienter attributum est, sive appropriatum, unitati essentiali. In masculino vero, quia importat distinctionem et suppositum certum, et quia dicit rationem producentis, appropriatum est unitati personali. Et ideo patet, quod sic non accipitur ut ens, neque ut convertibile cum eo, sed solum in neutro.“ *1. dist. 24. a. 1. q. 2.*

[12] „Pluralitas in creaturis duo dicit, dicit enim aliquorum distinctionem, et ex ipsis unius multiplicationis constitutionem. Primum quidem reperitur in divinis, quia ibi est distinctio vere: secundum non, quia ubi constitutio est, ibi constituentia minus habent quam totum, quod constituunt; et ita essentialiter differunt ab invicem. In divinis autem non sic, quia cum Pater habeat totam essentiam, non partem, non potest minus habere, nec essentialiter differre; et ideo dicendum, quod in divinis reperitur pluralitas ratione distinctionis. Sed quia pluralitas est totum ratione constitutionis, et hoc non est in divinis; ideo non sequitur, quod sit ibi totalitas. Est tamen naturae unitas et personarum pluralitas, et tantum est in unitate, quantum in pluralitate, sed non tot modis.“ *1. dist. 19. p. 2. a. 1. q. 1. ad 3.*

[13] „Nomen accipi differenter in divinis potest esse tripliciter, aut quantum ad suppositum, aut quantum ad significatum, aut quantum ad connotatum. Primo modo accipitur differenter hoc nomen *Deus*, cum dicitur: Deus est Trinitas, et Deus generat; quia in prima stat pro natura, in secunda pro persona, et illud non inducit aliquam multiplicitatem. Alio modo contingit terminum differenter accipi quantum ad significatum, secundum quod ipse terminus in una sui acceptione significat essentiam, in alia personam; sicut hoc nomen *Pater*, prout Deus, dicitur Pater Filii, et prout dicitur Pater noster, et hoc inducit

aequivocationem, quia est diversitas significationis, non in re ipsa, sed in significando. Tertio modo contingit differenter accipi ratione connotati, utpote hoc nomen *principium*, dictum essentialiter, connotat effectum creatum, dictum personaliter nihil connotat creatum." *1. dist. 29. a. 1. q. 2.*

[14] „In omni substantia, cujus est esse et operari, necessario intelligimus naturam, et habentem naturam. Et naturam dicimus essentiam vel substantiam; habentem naturam dicimus personam. Quo modo ergo in creatura rationali contingit unam personam habere plures naturas, scilicet corporalem et spiritualem; sic et a contrario sensu contingit in Deo propter summam simplicitatem unam naturam haberi a pluribus, quia contingit eam haberi alio et alio modo; et hoc non potest esse ab eodem. Quia ergo eadem est natura, tantum habita et non numerata; ideo tantum dicitur una substantia et essentia; quia vero plures habentes, ideo plures personae, nulla omnino repugnantia existente." *1. dist. 23. a. 2. q. 2.*

[15] „Cum fides nostra ponat Trinitatem et unitatem in divinis, necesse ponit convenientiam et distinctionem. Et quia convenientia non est nisi in communicabili pluribus et communi, distinctio autem non est nisi in proprio et incommunicabili, necessario in divinis ponitur ratio communis et proprii, communicabilis et incommunicabilis." *1. dist. 19. p. 2. a. 1. q. 2.*

[16] „In divinis personis realis abstractio non reperitur, quamvis secundum quemdam modum intelligendi abstrahatur communicabile ab incommunicabili." — „Abstrahi aliquid ab aliquo est dupliciter. Uno modo, abstractione, quae habet totum a natura rei; et sic abstrahitur universale a particulari, et forma a materia, quoniam utrobique est compositio et diversitas. Alio modo est abstractio, quae totum habet ab intellectu nostro. Intellectus enim noster, cum intelligit aliquid completum, de necessitate dupliciter intelligit, sive sub duplici ratione, scilicet modum ipsius *quod est*, et ipsius *quo*. Semper enim, cum aliquid intelligit, considerat ipsum intelligibile per aliquam relationem, per quam etiam ipsum capit: et ita intellectus noster est resolubilis in intellectum ipsius *quod est*, et ipsius *quo*, quia compositio erat circa ipsum. Quoniam igitur realis abstractio praesupponit compositionem, quae nullo modo est in Deo, nec quantum ad essentiam, nec quantum ad personam; ideo nullo modo est ibi abstractio a parte rei. Rursus, quoniam Deum intelligimus secundum possibilitatem intellectus nostri, intellectus noster intelligit Deum per modum ipsius *quod* et ipsius *quo;* et intellectus noster est resolubilis, et quia resolubilis, etiam compositus, quamvis res non sit composita, quantum ad ipsum potest esse abstractio et separatio, ut intelligat ipsum *quo* est, *quod* est non intellecto. Et quoniam modus significandi consequitur modum intelligendi; ideo contingit significare ipsum *quo* in abstractione, et hoc ex parte communicabilis, ut cum dicitur deitas, et ex parte incommunicabilis, ut cum dicitur paternitas." *1. dist. 27. p. 1. a. 1. q. 3.*

[17] „Videtur illud non intelligibile, quod persona sit distincta secundum rem, et essentia non: et cum hoc nulla est additio et nulla differentia secundum rem inter personam et naturam. Ad hoc qualitercumque intelligendum, cum hoc sit supra vires humani intellectus, notandum, sicut vult Richardus *(4. de Trin. c. 2)*, quod est distinctio per qualitatem et distinctio per originem. Distinctio per qualitatem est in creaturis, nec potest esse sine additione, quia haec distinctio habet ortum ex additione materiae ad formam. Distinctio autem per qualitatem dicitur, qua unus distinguitur ab alio per proprietates absolutas, ut patet, cum unus est albus et alter niger. Distinctio per originem est, cum unus producit, et alter producitur. Et quemadmodum distinctio per qualitatem vera distinctio est, et secundum rem; ita distinctio per veram originem vera est distinctio. Sicut enim unus non potest esse simul albus et niger, ita non potest unus et idem producere seipsum. Quoniam ergo in divinis intelligitur esse vera origo; ideo intelligitur ibi esse vera distinctio. Rursus, cum intelligo Patrem producere, intelligo ipsum seipso producere; sicut cum intelligo divinam substantiam agere, intelligo ipsam seipsa agere: pari ratione et Filium seipso produci; ergo productio nihil addit. Similiter non ponit aliquam compositionem circa Filium; ergo, cum ubi est vera origo, ibi sit vera distinctio, et origo intelligitur ibi esse sine additione, et distinctio sine additione intelligitur ibi esse. Quamvis autem persona, sive res naturae, non se habeat ad naturam per additionem; tamen nihilominus differt secundum rationem, alioquin non esset intelligibile, quod plurificaretur persona, natura existente unica. Differentia autem secundum rationem est, quia essentia non oritur ab essentia, nec se habet ad aliam essentiam; sed persona bene oritur a persona, et se habet ad illam. Si tu quaeras rationem hujus, respondeo, quia unitas et nobilitas divini esse non admittit circa essentiam plurificationem sicut circa personam. Quoniam ergo modus se habendi ad alium et oriendi ab alio, non ponit compositionem in persona secundum rem, sed distinctionem realem ab alia persona; ideo modus ille comparatus ad essentiam vel personam, cujus est, modus tantum est; comparatus vero ad illum, ad quem est, cum faciat distinctionem secundum rem, vere res est; et ita uno modo facit differre re, alio modo ratione. Hinc est, quod quamvis una persona non sit alia, tamen res naturae est natura. Patet ergo, quod ista sunt compossibilia, quod persona simplex sit, et nihil addat supra naturam, nec differant nisi ratione; et tamen haec est communicabilis, scilicet natura, illa incommunicabilis, scilicet persona; haec distincta, illa indistincta." *1. dist. 34. a. 1. q. 1.*

[18] „Cum fides dicat Deum esse trinum et unum, in quantum dicit unum, non possumus intelligere unum, quin intelligamus *quod est*, et *quo est* unum: et *quo est* unum, est id *quo est;* et *quod est* unum, est illud, *quod est.* Primum est *essentia*, secundum *substantia.* Si intelligamus trinum, necesse est quod intelligamus eum, qui distinguitur, et quo distinguitur. Quo distinguitur, est proprietas; ille autem, qui distinguitur, semper significatur ut distinctus. Et hoc potest esse dupliciter, vel ut distinctus proprietate quacumque, vel ut distinctus proprietate nobili. Primum significatur nomine *subsistentiae*, quae dicitur prima substantia, et non tantum convenit individuo hominis, sed etiam asini. Secundum significatur per hoc nomen, *persona*, quod importat nobilem proprietatem, et non convenit nisi supposito rationalis creaturae. Pro qua Graeci utuntur *hypostasis* nomine, sicut nos nomine personae, ut

dicit Boëtius, qui ait quod Graeci utuntur nomine hypostasis pro supposito rationalis creaturae.“ *1. dist. 23. a. 1. q. 3.* — „Secundum Marcum Tullium *subsistentia* accipit significationem secundum actum subsistendi, sive per se standi; et sic tantum una est *subsistentia*. Sed nunc Doctores Scripturae accipiunt prout magis importat respectum ad proprietatem, cui subest; et sic plurificatur. Ratio autem hujus est communis usus. Quia accipiunt substantiam pro natura rei; ideo pro supposito magis voluerunt accipere subsistentiam.“ *1. dist. 25. dub. 1.*

[19] „Persona est rationalis naturae individua substantia ... Individuum in notificatione personae triplicem importat distinctionem, videlicet singularitatis, incommunicabilitatis et supereminentis dignitatis. Indivisum enim dicitur, quod est in se individuum et ab aliis distinctum. Distinctionem singularitatis voco, quod aliquid non sit commune ad plura, sed dicatur de uno solo, propter quod Socrates dicitur individuum, homo vero non dicitur individuum. Distinctionem incommunicabilitatis dico, quando aliquid non est alicujus pars, sive veniens in compositionem tertii: unde pes vel manus hominis, proprie loquendo, non dicitur individuum. Distinctionem supereminentis dignitatis intelligo illam, quae accipitur a digniori proprietate. Hoc enim nomen, *persona*, sumptum est a dignioribus, unde non reperitur nisi in individuo nobilissimae creaturae, utpote rationalis, et ratione suae nobilissimae proprietatis.“ *3. dist. 5. a. 2. q. 2. ad 1.* — „Persona dicit quid completissimum in genere substantiae, ita quod non est ordinatum ad ulteriorem perfectionem in eodem genere.“ *Ibid. q. 3. fund. 2.*

[20] „Persona dicitur rationalis naturae suppositum proprietate distinctum, secundum omnes qui intelligunt ejus significationem specialem; sed suppositum rationalis naturae constat esse substantiam, proprietatem distinguentem constat esse relationem; ergo, cum persona utrumque importet, scilicet suppositum et proprietatem, necesse est dici secundum substantiam et secundum relationem. Et cum dicatur secundum substantiam et secundum relationem, principalius dicitur secundum substantiam, quantum est de generali et primo nominis intellectu, persona enim dicit suppositum certum substantiae, sive in Deo, sive in creaturis. Et huic consonat modus dicendi a parte nominis. Sed quantum est de speciali et ultimo nominis intellectu, quia dicit suppositum distinctum proprietate, quae est relatio, dicitur in Deo secundum relationem. Et hinc est, quod Sancti et Doctores dicunt nomen personae secundum substantiam dici, licet etiam secundum relationem dicatur. Sed objiciet aliquis: Cum isti modi, dici secundum substantiam et dici secundum relationem, dividant nomina divina ex opposito, ut videtur, aut non poterunt inveniri in eodem, aut illud nomen implicat in se opposita. Et propterea intelligendum, sicut dicit Richardus a sancto Victore *(3. de Trin. c. 23)*, dici secundum substantiam est dupliciter. Aut indicando substantiam secundum naturam communem, et sic dicitur homo secundum substantiam: aut indicando substantiam, ut suppositum certum, ut quidam homo. Primo modo dicere substantiam est dicere quid, secundo modo est dicere aliquem. Dico ergo, quod nomen essentiae, vel substantiae, dicitur secundum substantiam, quia indicat naturam communem: sed persona dicitur secundum substantiam, quia indicat suppositum certum et distinctum. Natura autem communis non multiplicatur, nec refertur; et ideo quod dicit substantiam secundum naturam communem, ita dicitur ad se, quod nullo modo potest dici secundum relationem, et hoc quidem modo dividitur ex opposito. Suppositum autem, sive hypostasis, natum est plurificari, et ad aliud comparari, et ita referri. Et quod sic dicitur secundum substantiam, nihil impedit ratione relationis superadditae dici secundum relationem; et hoc vult dicere Richardus de sancto Victore.“ *1. dist. 25. a. 1. q. 1.*

[21] „Proprietas dicitur, in quantum convenit soli: relatio, in quantum dicit habitudinem ad alterum: notio, in quantum principium cognoscendi. Et quia omnis proprietas est ratio cognoscendi, similiter et omnis relatio; ideo nomen notionis est plus quam ista duo.“ *1. dist. 26. a. 1. q. 4.*

[22] „Tam nomen substantiae, quam subsistentiae, dupliciter accipitur in divinis, quia quodlibet istorum habet in se intellectum actus et praepositionis. Potest ergo dici substantia, quasi per se stans, et quasi stans sub alio, sive sub proprietate. Primo modo una tantum est, sive non numeratur, quia unum est ibi, quod est. Alio modo, prout dicit respectum ad proprietatem, tunc numeratur, sive plurificatur. Primo modo tantum valet, quantum usiosis; secundo modo tantum valet, quantum hypostasis. Omnino eodem modo distinguitur subsistentia, et secundum alterum intellectum aequipollet usiosi, et secundum alterum hypostasi. Et secundum alterum plurificatur, secundum alterum vero minime.“ *1. dist. 23. a. 2. q. 1.*

[23] Qualiter dictiones exclusive accipiantur in divinis, vide *1. dist. 21. per integrum.*

[24] „Cum fides nostra ponat Trinitatem et unitatem in divinis, necesse ponit convenientiam et distinctionem. Et quia convenientia non est nisi in communicabili pluribus et communi, distinctio autem non est nisi in proprio et incommunicabili, necessario in divinis ponitur ratio communis et proprii, communicabilis et incommunicabilis. Sed cum in Deo et in creaturis sit distinctio suppositorum, aliter est in Deo, quam in creaturis; distinctio enim suppositorum major est, quam distinctio accidentalis. Unde quamvis innotescat per accidentia, tamen non fit per accidentia, accidentibus enim circumscriptis, adhuc est intelligere supposita differre. Et cum non fiat per accidentia consequentia, oportet quod fiat ab origine, vel originali principio. Ab origine est, quando unum differt ab altero, quia emanat ab eo, idem enim a se emanare non potest. Talis distinctio suppositorum est in Deo. Sed hoc non potest esse in creatura, scilicet distinctio solum per originem, nam nulla creatura potest alteri totam suam essentiam dare. Si ergo dat partem, necesse est, quod alia differentia sit ibi, quam originis; et ideo est differentia ab originali principio. Haec autem non est forma in se, quia dicit communicabile, nec materia in se, quia dicit quid indistinctum; ergo hoc facit forma ut adveniens materiae. Quia enim adveniens materiae accipit partem, non materiam; hinc est, quod ipsam distinguit, et ipsam distinguendo trahit in partem, et limitatur et fit hic et nunc et unum numero et particulare. Quoniam ergo in divinis

non est additio ad materiam, nec tractio ad partem; ideo non cadit in divinis universale, vel particulare.“ *1. dist. 19. p. 2. a. 1. q. 2.*

[25] „Est notandum, quod est dici diversimode, secundum triplicem differentiam. Uno modo dici diversimode attenditur secundum diversum modum essendi, qui est per se et per accidens. Et hoc quidem modo non est dici diversimode in divinis, quia ista diversitas modi ponit diversitatem essentialem in re dicta; et quantum ad hoc unus solus modus dicendi est in Deo. Nam omnia, quae dicuntur de Deo, sunt ipse Deus, et ejus substantia. Alio modo dici diversimode est secundum diversum modum intelligendi, qui quidem attenditur secundum aliam et aliam rationem, sive modum cognoscendi; et sic non tantum est dici diversimode in nominibus divinis, imo omnimode, quia Deus non tantum cognoscitur per diversa, imo per omnia rerum genera; et sic nomina dicta de Deo quaedam dicuntur per modum substantiae, ut Deus; quaedam per modum qualitatis, ut bonus, et sic de aliis omnibus. Tertio modo dici diversimode est secundum diversum modum se habendi, quod quidem attenditur quantum ad absolutum et ad comparatum, sive relatum; et hic quidem modus diversitatis minor est quam primus, et major quam secundus. Minor quam primus, quia secundum primum attenditur diversitas essentialis et compositio. Major quam secundus, quia secundum illum non omnino attenditur in re distinctio. Secundum autem istum modum attenditur in eo unitas et pluralitas; unitas secundum absolutum, pluralitas secundum respectum. Et quantum ad hunc modum solum sunt duo modi dicendi, scilicet secundum substantiam ad se, et secundum relationem, ut illa quae dicuntur ad aliquid. Quia vero haec non dicunt alium modum essendi, ideo haec praedicantur de illis, et sunt unum. Et quia dicunt alium modum se habendi, ideo secundum illa unitas, secundum haec pluralitas.“ *1. dist. 22. a. 1. q. 4.*

[26] „Ad intelligentiam . . . notanda est regula communis: Non habet locum omnimoda distinctio, ubi non est ex diversis causis unio. Verbi gratia Pater et Filius et Spiritus sanctus uniuntur in hoc nomine, Deus, non ex diversis causis, sive ratione diversorum, sed ratione unius deitatis, sive essentiae. Unio ex diversis causis est, ut in homine uniuntur Petrus et Joannes ratione diversarum humanitatum, quia alia est humanitas Petri et alia Joannis. Et juxta hanc regulam ab opposito est alia regula accipienda: Non habet locum omnimoda unio, ubi est simul cum unione distinctio. Ut Pater et Filius et Spiritus sanctus uniuntur in una deitate, sive essentia, sed distinctionem habent ratione pluralitatis personarum. Secundum hoc est attendendum, quod in divinis quaedam vocabula important distinctionem solum, quaedam omnimodam unionem, quaedam medio modo. Quoniam ergo Deus generans et Deus genitus, etsi sint personaliter distincti, tamen in deitate uniuntur ex eadem causa, quia una deitate; ideo non recipiunt nomina importantia simpliciter distinctionem. Ideo haec non admittitur: Deus distinguitur a Deo; similiter: Deus genuit alium Deum. Item ratione distinctionis non recipiuntur vocabula omnimodam importantia unionem in supposito et forma; unde haec non recipitur: Deus genuit se. Sed illa, quae medio modo se habent, recipiuntur, quale est hoc verbum, generat, quia dicit distinctionem in persona cum unitate essentiae. Similiter haec conceditur: Pater generat alterum se. Unde Augustinus *(ad Maxim. ep. 66):* Pater genuit alterum se. Et similiter super Joannem: Pater mittens Filium, misit alterum se. Et ex hoc est, quod non sequitur ad generationem verbum simpliciter importans distinctionem.“ *1. dist. 4. a. 1. q. 2.*

[27] „Differre ratione est tripliciter. Uno modo a parte nostrae apprehensionis, sicut differunt in Deo bonitas et magnitudo. Alio modo differre ratione est secundum differentiam attributionis, quia aliquis modus ponitur circa unum, vel attribuitur uni, qui non attribuitur alteri: et sic differunt ratione essentia, persona et notio. Tertio modo differre ratione est differre secundum pluralitatem distinctionis, quae non inducit diversitatem in essentia, vel in natura, tamen tantam inducit differentiam, quod unum non dicitur de altero: et sic differt ratione persona a persona, et proprietas a proprietate. Et prima quidem differentia secundum rationem est minima, quia nihil ei respondet a parte rei, sed ultimae respondet.“ *1. dist. 26. a. 1. q. 1. ad 2.*

[28] „Quod aliqua dicantur de Deo ex tempore, ostenditur sic. Non est Dominus, nisi habeat servum, sicut dicit Augustinus *(15. de Trin. c. 16);* sed Deus dicitur dominus, et non habuit ab aeterno servum; ergo ex tempore; ergo etc. Item actioni respondet passio, ita quod sunt simul; sed Deus creat; ergo aliquid creatur; sed non creatur aliquid nisi ex tempore; ergo non creat nisi ex tempore; ergo etc. Item nulli convenit esse hominem nisi ex tempore, eo quod esse humanum habet principium; sed Deo convenit esse hominem; ergo ex tempore. Item sicut se habet temporale ad temporale, ita aeternum ad aeternum; ergo mutata proportione, sicut se habet aeternum ad temporale, ita temporale ad aeternum; sed aeternum sic se habet, quod dicitur de temporali, ut cum dicitur: Petrus est praedestinatus; ergo et temporale poterit dici de aeterno. — Nihil est incommodi, quod de Deo, qui aeternus est, aliqua nomina ex tempore dicantur, quae ex principali significatione essentiam in respectu ad creaturas significant. — Aliquid dici ex tempore est dupliciter, aut quia ipsum est temporale, aut quia dicit respectum ad temporale. Primo modo nihil praedicatur de Deo per essentiam, vel per inhaerentiam, sicut probant quatuor rationes ad hoc inductae; praedicatur tamen per causam, ut si dicatur: Deus est patientia mea; vel per unionem, ut si dicatur: Deus est homo. Et hoc non ponit mutationem, vel esse temporale circa Deum, sed circa creaturam. Alio modo dicitur aliquid ex tempore, eo quod de ratione sui nominis dicit comparationem ad aliquid temporale, ut Dominus et Creator; sed tamen de sua principali significatione importat essentiam. Nam Dominus importat dominium, quod est potestas coërcendi subditos; et haec est divina essentia: similiter Creator importat divinam actionem, quae est divina essentia; utrumque tamen significat in respectu ad creaturam, et ita connotat creatum et temporale. Quoniam ergo quod implicat in se contingens et necessarium, denominatur totum contingens, similiter quod aeternum et temporale totum denominatur temporale, propter naturam totius copulat quod ponit utramque

partem, et falsificatur pro utraque parte et pro altera. Hinc est, quod talia dicunt ex tempore non ratione principalis significati, sed ratione connotati in creatura, et per hoc patent quatuor argumenta sequentia. Concedendum enim est, quod non omne, quod ex tempore dicitur de Deo, dicitur per causam, sed vel dicitur per causam, vel per unionem, vel per quandam comparationem ad temporale; et sic patent omnia. — Quae de Deo ex tempore dicuntur, praedicantur per accidens, pro quanto de eo non necessario dicuntur. — Ostenditur ratione: quia in quocumque est ponere accidens, est ponere compositionem, et per consequens varietatem; sed neutrum est in Deo; ergo etc. Item omne per accidens reducitur ad per se; sed reductio est posterioris ad prius, non e converso; Deus autem non habet prius, nec simpliciter, nec secundum quid; ergo nihil de Deo dicitur secundum accidens. Item omne, quod dicitur de duobus, de uno per se, de altero per accidens, perfectiori modo dicitur de eo, de quo dicitur per se; sed quidquid dicitur de Deo, dicitur perfectissime; ergo nihil dicitur de Deo secundum accidens; ergo hujusmodi nomina non dicuntur de Deo per accidens; ergo per se. — Dici secundum accidens est tripliciter. Uno modo accidens dicitur per oppositum ad substantiam: et sic dicitur accidens proprietas alii inhaerens, quae non est de rei essentia. Et hoc quidem modo nihil dicitur de Deo secundum accidens, sicut dicit Augustinus *(l. 5. de Trin. c. 16)*, eo quod hoc modo accidens ponit compositionem et varietatem in eo, de quo dicitur. Alio modo dici secundum accidens est per oppositionem ad per se: et sic dicitur secundum accidens, aut quod dicitur per aliud in essentia, ut si dicatur paries disgregat; aut per aliquid, cui est quodammodo idem, quodammodo diversum, ut puta cum dicitur de superiori per inferius, ut figura habet tres, vel de inferiori per superius, ut isocheles habet tres. Hoc modo non est aliquid dici de Deo secundum accidens. Hoc enim dici per accidens ponit in aliquo posterioritatem et imperfectionem, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae; Deus enim nihil habet imperfecte, nihil habet ab alio, quod sit omnino aliud, nec a superiori vel inferiori, quia haec non cadunt in Deo. Tertio modo dici secundum accidens est per oppositionem ad necessarium, ut illud dicatur accidere, quod necessario non inest. Et hoc modo hujusmodi dicuntur de Deo secundum accidens, quia non dicuntur de ipso necessario, sed dicuntur de ipso per se, quia per comparationem ad creaturam. Comparatio autem ad creaturam per se est, quia Deus est sua actio; sed tamen quia Deus agit per voluntatem, quae non semper, nec de necessitate, conjuncta est actui; ideo non necessaria: et quantum ad hoc cadit ibi ratio dicendi secundum accidens. Unde hic modus dicendi per accidens opponitur per se in creaturis ratione ejus, quod ad dici per se sequitur necessarium in creaturis. In Deo autem non, quoniam idem seipso facit, et voluntarie facit; et ideo in Deo non habet oppositionem ad per se. — Nomina, quae de Deo ex tempore dicuntur, non important aliquam relationem secundum rem in Deo, sed solum secundum modum intelligendi. — Ratione videtur, quia hujusmodi nomina, si dicunt relationem circa Deum, aut illa est pure divina essentia, aut aliquid superadditum. Si pure Dei essentia; ergo aeternum quid; ergo respectus hujusmodi nominum est aeternus; ergo de necessitate dicuntur ab aeterno. Si autem dicunt aliquid superadditum; ergo in Deo est aliqua compositio. Item omnis relatio dicit aliquam dependentiam, vel saltem ordinem et habitudinem ad illud, respectu cujus dicitur; sed Deus non ordinatur, nec terminatur; ergo nihil de Deo dicitur relative respectu creaturae. — Ad hoc intelligendum, est sciendum quod dici secundum relationem dupliciter est, aut secundum rem, aut secundum modum. Realis autem relatio triplex est. Aliquando enim fundatur super proprietatem accidentalem, ut similitudo in duplici albedine. Aliquando super dependentiam essentialem, sicut respectus, vel relatio materiae ad formam, nam, sicut dicit Philosophus *(1. physic. contex. 60 et 12. metaph. contex. 14)*: Materia, hoc ipsum quod est, ad alterum est. Aliquando super originem naturalem, sicut effectus ad causam, et filii ad patrem. Prima relatio non potest esse in Deo, quia in Deo nulla est proprietas accidentalis: secunda non potest esse in eo, quia nulla in Deo est dependentia: tertia est in Deo, sed non respectu creaturae, sed respectu personae; haec enim non dicit compositionem, nec dependentiae inclinationem, sicut prima et secunda, sed ponit distinctionem et ordinem. Et quoniam vere una persona ordinatur ad aliam, et habitudinem habet, et alio modo secundum rem se habet ad unam, quam ad aliam; ideo haec relatio est in persona respectu personae, non respectu creaturae. Nam Deus ad creaturam non habet ordinem, nec habet aliam et aliam habitudinem; et ideo nullo modo est realiter in Deo relatio respectu creaturae. Creatura autem ad Deum habet ordinem et habitudinem, mediante proprietate accidentali et dependentia essentiali et origine naturali; ideo secundum omnem modum refertur creatura ad Deum. Quoniam igitur intellectus noster, cum intelligit aliquid referri ad aliquid, intelligit etiam comparari illud ad aliud; ideo intelligit Deum per modum respectus et relationis, cui respectui in Deo nihil respondet nisi divina essentia: ex parte tamen creaturae bene aliquid respondet, et ideo non est vanus. Concedendum ergo, quod hujusmodi nomina dicta de Deo non important relationem in Deo secundum rem, sed solum secundum modum intelligendi.“ *1. dist. 30. a. 1. qq. 1—3.*

[29] „In nomine tria sunt, scilicet vox et significatio et ratio innotescendi. Unde et nomen multipliciter accipitur. Aliquando pro voce significante, ut cum dicitur, Petrus est nomen Apostoli: et sic constat, quod in Deo sunt plura nomina. Aliquando nomen accipitur pro re significata, ut cum dicitur, bonum et honestum sunt idem nomine: et sic in divinis quodammodo est dicere nomen unum, quodammodo plura. Si enim res significata dicatur essentialiter, sic omnia unum: si personaliter, sic plures, et plura nomina correspondentia. Aliquando nomen accipitur pro ipso notamine, sive ratione innotescendi: et sic dicendum quodammodo nomen unum, quodammodo plura. Si enim accipitur ratio innotescendi ex parte Dei, sic innotescit per virtutem, quae una et magna est: et sic unum nomen Dei est, et magnum, sive maximum. Unde Jeremias *(10, 6): Magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine,* id est, quantum ad rationem innotescendi, sive virtutem, per quam innotescit, secundum quod dicitur in Psalmo *(75, 1): Notus in Judaea Deus, in Israël magnum*

nomen ejus. Si autem accipiatur ratio innotescendi ratione effectuum, sive creaturarum, sic diversa sunt nomina. Nam Deus innotescit nobis tripliciter, scilicet per causalitatem, per ablationem et per excellentiam; et secundum hoc est multitudo nominum. Si enim nominetur per causalitatem, multa sunt nomina, quia multos habet effectus. Si per ablationem, multa sunt nomina, quia multa removentur, scilicet omnia creata. Si per excellentiam, multa, quia in multis, in omnibus scilicet conditionibus nobilitatis, excedit creaturas.“ *1. dist. 22. a. 1. q. 2.*

CAPUT V.

De unitate divinae naturae in multiformitate apparitionum.

(Deus se manifestat generaliter per effectuum universitatem; — specialiter per habitationem, — per apparitionem, — per descensum, — per missionem. — Missio vel apparitio unius personae non est missio vel apparitio personae alterius. — Solius Patris est mittere et non mitti; — solius Spiritus sancti est mitti et non mittere, quoad divinas personas; solius Filii mittere et mitti.)

Secundo autem de pluralitate apparitionum docet divina doctrina hoc esse tenendum. Cum Deus sit incircumscriptibilis, invisibilis et incommutabilis, nihilominus tamen habitat in sanctis viris specialiter [a]. Apparuit Patriarchis et Prophetis, descendit de caelis, misit etiam [b] Filium et Spiritum sanctum ad salutem humani generis. Et licet in Deo sint [c] indivisa natura, virtus et operatio Trinitatis; missio tamen, vel apparitio unius personae, non est missio, vel apparitio alterius. Licet etiam [d] sit ibi summa aequalitas, solius tamen est Patris mittere, et non mitti: Spiritus sancti est tantummodo [e] mitti respectu divinarum personarum, nisi forte dicatur mittere hominem assumptum: Filii autem est mittere et mitti, sicut ex Scripturis potest colligi [f].

a) Spiritualiter ed. 1484.
b) Etiam et ibid.
c) Sint ABC DEFG et ed. 1484 Recte.
d) Etiam om. ed. 1484.
e) Tantum ibid.
f) Sicut ex praedictis apparet; ed. Venet. et an. 1484.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quia licet primum principium sit immensum et incircumscriptibile, sit incorporeum et invisibile, sit aeternum et incommutabile; principium tamen est rerum spiritualium et corporalium, naturalium et gratuitarum, ac per hoc rerum etiam mutabilium, sensibilium et circumscriptarum, per quas, licet ipse sit [g] immutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis [h], seipsum reddit manifestum et notum. Reddit autem se manifestum et notum generaliter per universitatem suorum effectuum ab ipso emanantium, in quibus dicitur esse per essentiam, potentiam et praesentiam, quod se extendit ad omnia creata [1]. Reddit etiam se specialiter notum per aliquos effectus, qui in ipsum specialiter ducunt, ratione quorum dicitur habitare [i], apparere, descendere, mitti et mittere [2]. Habitare namque dicit effectum spiritualem et [j] specialem cum acceptatione; sicut est [k] effectus gratiae gratum facientis, quae est deiformis, et in Deum reducit, et Deum facit nos habere, et haberi a nobis, ac per hoc et [l] inhabitare in nobis [3]. Et quia gratiae effectus communis est omnibus personis; ideo una persona non habitat sine alia, imo simul tota Trinitas.

g) Sit om. ed. 1484.
h) Incircumscriptus ed. et Venet. 1484.
i) Inhabitare ed. Ven. et 1484.
j) Spirituallem et om. ibid
k) Est om. ed. 1484.
l) Et om. ibid.

Apparere vero dicit effectum sensibilem cum expressa significatione, sicut Spiritus sanctus apparuit in columba *(Jo. 1, 34)* [4]. Et quoniam, sicut personae divinae distinctae sunt, sic distincte significari possunt et signis et nominibus; ideo quaelibet persona potest per se apparere, et apparitio potest omnibus competere, sive insimul, sive cuilibet personae per se [5 m]. Unde quod Spiritus sanctus dicitur in linguis igneis et columba apparuisse [6], hoc non est propter novum vinculum, vel effectum specialem [7], sed propter unionem, quae est inter signum et signatum, sibi specialiter et modo et origine deputatum [8]. Descendere autem dicit utrumlibet effectuum praedictorum cum inchoatione.

m) Et apparitio potest cuilibet competere sive omnibus simul, sive cuilibet per se, ed. Ven. et 1484.

Deus enim beatissimis Angelis semper est praesens in caelis, quia in eis semper habitat et apparet. Peccatoribus autem in terris est modo ut absens, et quantum ad gratiam, et quantum ad notitiam; ideo cum incipit apparere vel inhabitare, de praesente [n] caelis et quasi absente nobis, fit praesens terris; et ideo, licet in se non mutetur, tamen dicitur descendere nobis.

n) In add ed. 1484.

Mitti vero dicit effectus praedictos cum aeterna productione [9]. Tunc enim Pater mittit Filium, cum faciendo eum nobis praesentem per notitiam vel gratiam, insinuat [o], quod ab ipso procedit [10]. Et quia Pater a nullo procedit, ideo nusquam dicitur mitti. Quia vero Filius et [p] producit et producitur, ideo mittit et mittitur. Quia vero Spiritus sanctus aeternaliter producitur, sed non producit, nisi ex tempore [11]; ideo ipsius est proprie mitti [12] et non mittere [q], nisi respectu creaturae [13]. Ex quo apparet, quod hae sunt impropriae, et exponendae [r]: „Spiritus sanctus mittit se: Spiritus sanctus mittit Filium: Filius mittit seipsum"; nisi intelligatur, in quantum est de Virgine natus. Patet etiam, quare mittere et mitti non competit omnibus, quia licet dicat effectum in creatura, dicit tamen relationem intrinsecam; ita quod mittere dicit auctoritatem, mitti subauctoritatem [14], ratione productionis aeternae interius importatae [15].

o) Innuit ed. Ven. et 1484.

p) Et om. ed. 1484.

q) Mittere vero non competit sibi, nisi etc. Ed. Ven. et 1484.

r) Improprie exponendae ed. Arg.

Ad Caput V.

[1] „Deus secundum praesentialitatem uniformiter est in omnibus rebus, secundum vero connotationem effectus et impressionem suae similitudinis difformiter." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod Deum esse in rebus dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut idem sit quod esse praesentem cuilibet rei, non connotando effectum: et sic uniformiter est in omnibus rebus, eo quod intimus est cuilibet rei, et summe praesens, et totus in qualibet re. Alio modo potest connotare effectum, sicut artifex dicitur in artificiato esse per connotationem effectus, et per impressionem suae similitudinis: et sic, cum uni creaturae plus det quam alii, magis est in una quam in alia. Et hoc potest esse dupliciter, scilicet extensive quantum ad ea, quae habent esse diuturnius, ut in corpore incorruptibili plus quam in anima sensibili, vel intensive quantum ad ea, quae habent esse nobilius, ut in anima sensibili quam in corpore incorruptibili. Vel utroque modo, ut in anima rationali quam in corpore corruptibili." *1. dist. 37. p. 1. a. 3. q. 1.* — „Deus in omnibus rebus est, sicut ipse David testatur, dicens: *Si ascendero in caelum, tu illic es etc. (Ps. 138, 8).* Necessitas autem existendi Deum in omnibus, sumitur tum a parte perfectionis ipsius, tum a parte indigentiae rerum. A parte ipsius, propter summam immensitatem et summam potestatem; et utriusque ratio est summa simplicitas. Quia enim summe simplex est, ad nihil arctatur; ideo in omnibus invenitur tamquam immensum. Quia summe simplex, ideo in infinitum virtuosissimum; et ideo virtus ejus in omnibus: et virtus idem est quod substantia, et ideo necesse est, quod sit in omnibus. Ex parte creaturae est necessitas, quia creatura habet in se possibilitatem et vanitatem, et utriusque causa est, quia producta est de nihilo. Quia enim creata est, et accepit esse ab alio, qui eam fecit esse, cum prius non esset, ex hoc non est summe esse, et ideo non est purus actus, quia habet possibilitatem: et ratione hujus habet fluxibilitatem et variabilitatem; ideo caret stabilitate; et ideo non potest esse nisi per praesentiam ejus, qui dedit ei esse. Et exemplum hujus apertum est in impressione formae sigilli in aqua, quae non conservatur ad momentum, nisi praesente sigillo. Et iterum, quia creatura de nihilo producta est, ideo habet vanitatem: et quia nihil vanum in seipso fulcitur, necesse est, quod omnis creatura sustentetur per praesentiam veritatis. Et est simile, si quis poneret corpus ponderosum in aëre, quod est quasi vanum, non sustentaretur: sic et in proposito." *1. dist. 37. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Omnia dicuntur esse ex Deo, tamquam ex principio primo non aliunde moto. Omnia dicuntur esse per Deum, tamquam per principium sufficientissimum, quod omnia agit per seipsum. Omnia dicuntur esse in Deo, tamquam in principio infinito, quod non potest facere aliquod extra se, sed omnia ambit ejus virtus; et in his tribus circumlocutionibus significatur, quod Deus est principium primum et sufficientissimum et infinitissimum." *1. dist. 36. dub. 4.*

[2] „In creaturis omnibus dicitur Deus *esse* quantum ad naturam; et hoc tripliciter, scilicet per essentiam, praesentiam et potentiam; ita quod extra immensitatem divinae essentiae nihil manet; propter limpiditatem divinae praesentiae nihil latet; contra infinitatem divinae potentiae nihil valet: et sic esse competit beatissimae Trinitati. Dicitur *habitare* in justis, quantum ad gratiam, quae est effectus beatissimae Trinitatis, ad Deum reducens, et faciens nos habere Deum, et Deum haberi a nobis; ac per hoc Deus Trinitas in nobis dicitur habitare. Dicitur *sedere* in beatis, quantum ad gloriam, ratione cujus Deus trinus in beatorum mentibus quietatur, in quorum pote-

stativa sedet ut aequitas, in cognitiva lucet ut veritas, in affectiva ardet ut caritas." *Centiloq. p. 3. sect. 3.*

[3] „Habitare Deum in nobis est effectum spiritualem causare in nobis, cum acceptatione per caritatem, qua Deus nos habet, et habetur a nobis." *Decl. Term. Theol.* — „Quamvis Deus sit cum omnibus et in omnibus, tamen specialiter dicitur esse cum sanctis propter effectum gratiae inhabitantis, per quam ipsi conformantur, et cari et similes ei fiunt. Unde, *Deliciae meae esse cum filiis hominum* dicit Sapientia Dei *(Prov. 8, 31).* Unde *Dominus vobiscum* dicitur hominibus, non bestiis." *1. dist. 21. dub. 2.*

[4] „Deus dicitur esse in creaturis quatuor modis: Primo modo per rationem essendi; et sic est in omnibus, et aequaliter, nec descendit, nec movetur, nec recedit. Secundo modo per rationem signandi, vel ostendendi; sic Deus dicebatur esse in iis creaturis, quae ipsum signant, sicut in monte Sinai et nube. Tertio modo per rationem gratificandi; sic dicitur esse in iis, quos amat, et qui eum amant. Quarto modo per rationem uniendi, vel assumendi; sic in Christo. Primo igitur modo existendi, quia universalis et communis, non respondet descensus, vel ascensus: aliis modis sic. Unde Deus dicitur aliquando descendere, quando descendit creatura, quae ipsum signat. Aliquando quando confert gratiam. Aliquando quando descendit natura assumpta. Quia igitur ad hoc erat illa columba instituta, et specialiter ostendebat Spiritum; ideo dicitur descendisse in ipsa, non in alia, non ratione effectus specialis, vel novae unionis, sed ostensionis." *Comm. in Ev. Joan. c. 1. v. 34. n. 69. vol. 1. Supplem.* — „In columba illa non erat aliter Spiritus sanctus, quam Pater et Filius, nec aliter operabatur, sed tamen solus in ea significabatur, quia significatio relationem dicit, sicut incarnatio. Ideo solus poterat in ea significari, quamvis non solus in ea possit operari." *3. dist. 1. dub. 4.*

[5] „Missio visibilis praesupponit missionem tanquam superius, et superaddit differentiam, quae est visibile. Missio autem communiter, praesupponit circa missum emanationem, et superaddit manifestationem. Et quoniam manifestatio emanationis, secundum quam attenditur missio, non fit nisi super eum, quem Spiritus sanctus inhabitat per effectum gratiae inhabitantis; hinc est, quod missio de ratione generali dicit manifestationem emanationis et inhabitationis. Haec autem differentia visibilis superadveniens missioni, contrahit ipsam quantum ad principale significatum, quod est manifestatio; ideo dicit manifestationem cum apparitione, sive apparitionem manifestantem personae emanantis inhabitationem, vel personae inhabitantis emanationem. Unde concedo, quod visibilis missio est apparitio; sed haec non est tota ratio, sed apparitio, in qua manifestatur divina persona, non tantum ut operans, sed etiam ut inhabitans; nec tantum ut inhabitans, sed etiam ut emanans, quasi ab alio veniens. Per primum excludit apparitionem Dei in qualibet creatura. Per secundum, apparitionem in veteri Testamento. Per tertium, apparitionem Patris; quia Pater non apparuit ut emanans, sive ab alio veniens." *1. dist. 16. a. 1. q. 1.*

[6] „Quare tot modis apparuit Spiritus sanctus, dicendum quod apparitio Spiritus sancti fuit ad manifestandam plenitudinem redundantiae, ut prius habitum est; et quoniam redundantia potest esse triplex, ideo tribus modis apparuit. Potest enim esse haec plenitudo per redemptionem; et ita fuit in Christo, et haec est perfecta gratia per omnem modum. Ideo in Christo apparuit in columba, quia erat pretium redemptionis primogenitorum, et erat animal integrum et perfectum. Potest etiam esse per vitae influentiam quantum ad sensum et motum, et hoc mediantibus Sacramentis; et haec plenitudo est in sacerdotibus, et ideo datus est eis Spiritus sanctus in specie flatus, ut habetur in Joan. *(20, 6): Insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, etc.* Potest etiam tertio modo esse per cognitionis administrationem sive doctrinam; et haec plenitudo est in Apostolis et Doctoribus; et ideo Spiritus sanctus apparuit eis in linguis igneis." *1. dist. 16. a. 1. q. 3. ad 5.*

[7] „De Spiritu sancto dicendum, quod ejus missio visibilis utilis est ad manifestandam et emanationem et inhabitationem, sed non qualemcumque inhabitationem, nec in omni genere personae. Propterea intelligendum, quod est inhabitatio duplex, scilicet secundum sanctificationis sufficientiam, et secundum plenitudinis redundantiam. Illa, quae est secundum sanctificationis sufficientiam, interius invisibiliter latet. Quae vero secundum redundantiam, exterius apparet; et ideo talis inhabitatio in signo visibili et exteriori manifestari debet, sicut factum est in Apostolis. Similiter intelligendum, quod duplex est genus credentium. Quidam enim volunt signa, ut puta, sensuales. Quidam intelligentiam quaerentes, ut puta, jam provecti. Quaerentes signa, ut per haec manuducantur ad intelligibilia, propter tales utilis est missio visibilis, ad manifestandam inhabitationem plenitudinis redundantis, et hoc personis manuducendis per sensum. Ex hoc patet primum, quare scilicet non fuit missio visibilis tempore legis scriptae, quia non erat missio in plenitudine, quoadusque venit plenitudo temporis. Patet etiam, quare modo non datur, sive mittitur visibiliter, quia jam manuducti sumus ad fidem; unde sicut cessaverunt miracula, ita exteriora signa." *1. dist. 16. a. 1. q. 2.*

[8] „Filii missio visibilis fuit in forma rationali congruenter facta, quoniam apparuit ut Mediator: Spiritus sancti vero in igne et columbae specie, ut manifestaretur instructor." — „Dicendum, quod finis imponit necessitatem his, quae sunt ad finem; ideo modus apparendi sumendus est juxta finem apparitionis. Apparuit autem Filius in carne, ut esset Mediator; Spiritus vero sanctus, ut Doctor: *Cum venerit, docebit vos omnem veritatem (Joan. 16, 13).* Ad mediationem autem necessaria est extremorum separatorum concursio, et in unum unio, sicut patet; et ideo Filius in creatura apparuit, ut unitus. Ad eruditionem autem ignorantium intervenit signum; ideo Spiritus sanctus apparuit in creatura, ut signatum in signo. Quoniam ergo nihil est Deo perfecte unibile, nisi beatificabile, et hoc solum est substantia rationalis; ideo Filius in sola substantia rationali apparuit. Quia vero usui significationis purae convenit creatura irrationalis magis quam rationalis, ne forte crederetur unita, non tantum significans; ideo Spiritus sanctus apparuit in creatura irrationali, quae aliquo modo haberet rationem significandi et exprimendi, sicut flatus significat spirationem, ignis vero dilectionem. Rursus, quoniam ad perfectam mediationem requiritur, quod mediator sit unus, et quod unio sit inseparabilis; Filii

apparitio singularis fuit et indivisibilis. Sed contra, quia non potest Spiritus sanctus perfecte significari in uno signo; ideo oportuit per plura: et ideo Filius uno modo apparuit, sed Spiritus sanctus pluribus." *1. dist. 16. a. 1. q. 3.*

[9] „Missio est in divinis proprie propter triplicem habitudinem mittentis similiter et missionis, et propter triplicem perfectionem in misso, quae ponitur loco triplicis imperfectionis illius in his inferioribus." — „Missio est in divinis, et transfertur a creaturis ad Deum. Secundum autem quod missio in his inferioribus consideratur, habet respectum ad tria, scilicet ad principium et ad terminum et ad missum. Ad principium, sive ad mittentem, sub triplici habitudine comparari convenit, ut ad dantem esse, et sic mittitur radius a sole; ut ad dantem virtutem, et sic mittitur jaculum a projectore; ut ad dantem jurisdictionem, sive auctoritatem, et sic mittitur nuntius a praetore. Secundum omnem hanc comparationem est in divinis missio, quia Spiritus mittitur a Patre et Filio tamquam habens esse et virtutem et auctoritatem in operando ab eis; et ideo missio secundum hunc respectum est completissime in divinis. Non enim est ponere, quod una persona recipiat auctoritatem, nisi a quo recipit virtutem, nec virtutem, nisi a quo recipit esse. Similiter ad terminum sub triplici habitudine comparatur. Mittitur enim aliquid alicui, ubi videlicet quietatur, ut lapis mittitur deorsum. Mittitur etiam alicui, ut a quo habeatur, sicut aliquis mittit alicui donum. Mittitur etiam alicui, ut ad aliquid, scilicet quod operetur. Secundum hanc triplicem comparationem est missio in divinis. Mittitur enim Filius vel Spiritus sanctus ut alicui ad inhabitandum, ut alicui ad possidendum ut donum, ut ad aliquid, scilicet ad effectum operandum; et ideo missio per comparationem ad terminum reperitur completissime in divinis, multo magis quam in creaturis. Si autem loquimur de missione in comparatione ad missum, sic in his inferioribus ponit triplicem conditionem imperfectionis, scilicet separationem, subjectionem et mutationem, quae quidem non sunt in divinis, est tamen aliquid perfectionis ibi istis correspondens. Et ratio hujus patet sic. In istis inferioribus separatur missus a mittente propter distantiam termini ad mittentem ... In divinis vero, quia Deus mittens est ubique, nulla est distantia; et ideo nulla est separatio; loco tamen hujus est missi a mittente egressio, sive emanatio ... Similiter in his inferioribus est in misso subjectio propter differentiam mittentis ad missum. Quia enim missus recipit a mittente vel esse, vel virtutem, vel operationem, et est separatus ab eo in substantia, quia substantia omnino eadem non participatur a pluribus; necesse est, quod aliam virtutem recipiat ab eo et aliam jurisdictionem illa inferiorem. Sed in divinis non est substantialis differentia; et ideo omnia sunt aequalis nobilitatis in mittente et misso, sed tamen loco hujus est subauctoritatis origo ... Similiter in his inferioribus est in misso mutatio propter distantiam missi a termino. Cum enim non est in termino, ad quem mittitur; ideo oportet, quod mutet locum, et quod sit in eo mutatio. Quia vero in divinis missus nulli loco abest, non oportet quod personaliter accedat; et ideo non est ibi mutatio, sed tamen loco ejus est alicujus effectus de novo productio." *1. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 1.*

[10] „Dicendum tam de Filio, quam de Spiritu sancto, quod dari vel mitti est dupliciter, vel simpliciter, vel ad hoc. Tunc datur simpliciter, quando simpliciter habetur, videlicet non tantum ad usum, sed ad fructum; hoc autem est solum per dona gratiae gratum facientis, et ideo in illa solum datur simpliciter vel Filius, vel Spiritus sanctus. Alio modo dicitur dari ad hoc, quando non ad fructum, sed ad auxilium, sive ad aliquem usum aliqua dona donantur; et hoc fit, cum dantur aliqua dona gratiae gratis datae, in quibus manifestatur Filius vel Spiritus sanctus." *1. dist. 15. p. 2. a. 1. q. 1.*

[11] „Temporale dicitur tripliciter. Uno modo dicitur temporale, quod habet initium et variationem et actum in tempore: et hoc modo dicitur temporale, quod subjacet tempori, et est corruptibile et variabile. Secundo modo dicitur temporale, quod habet initium in tempore essendi, sed non rationem, ut anima. Tertio modo dicitur temporale, quod habet initium in tempore, sed actum extra tempus et supra tempus elevatum: et hoc tertio modo dicitur temporalis processio, vel gratiae donatio. Potest tamen dici, quod gratia habet esse temporale ratione ejus, in quo est, scilicet liberum arbitrium, quod mutatur et variatur." *1. dist. 14. a. 1. q. 1. ad 4.* — „Missio in divinis nullo modo dicitur nisi ex tempore. Et ratio hujus est, quia dicit comparationem non tantum ad principium, nec tantum ad missum, sed etiam ad terminum. Sed terminus ille de necessitate creatus est, quia missio in Deo, cum non dicat mutationem, dicit aliquam circa terminum operationem, et ita aliquem effectum. Et quia omne, quod recipit effectum, est creatum et temporale; ideo missio de necessitate est temporalis." *1. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 2.*

[12] „Missio Filii et Spiritus sancti quoad radicem gratiae eadem est: quoad habitus aliqua est indistinctio: quoad actus est alia, et alia, semper tamen sunt indivisae." — „Dicendum, quod in missione invisibili est donorum collatio, in quibus est manifestatio et inhabitatio. Et secundum hoc intelligendum est, quod est loqui de donis Dei quantum ad radicem, vel quantum ad habitum, vel quantum ad actum consequentem. Loquendo autem quantum ad radicem, sic quia una est gratia gratum faciens, per quam inhabitat Filius et Spiritus sanctus, quae est radix donorum gratuitorum; sic dantur vel mittuntur eodem dono. Loquendo autem quantum ad habitum, sic distinguendum, quia quidam habitus sunt pure affectivi, quidam pure cognitivi, quidam medii. In habitibus pure affectivis datur, sive mittitur, Spiritus sanctus, quia ei appropriatur. In habitibus pure cognitivis nec Filius, nec Spiritus sanctus proprie, sicut dictum est, mittitur. In habitibus autem partim cognitivis, partim affectivis, secundum quod diversa in se continent, et Filius mittitur et Spiritus sanctus. Nam cognitivi ducunt in manifestationem verbi, affectivi in manifestationem amoris. Si autem loquamur quantum ad actus consequentes, qui sunt illuminatio intellectus et affectus inflammatio; sic vocando donum, in aliis et aliis donis mittuntur; sed quoniam ista conjuncta sunt, ideo missio Filii et Spiritus sancti invisibilis, sunt divisae; et secundum hoc procedunt rationes ad oppositas partes. Tamen illud, quod adducit pro simili in missione sensibili, nequaquam est simile, quia non est tanta unio et connexio in signis exterioribus, quanta est in habitibus interioribus." — „Spiritus sanctus mitti dicitur non

in profectu gratiae prius habitae solum, sed in collatione novi doni et novi usus." — „Ad hoc dicunt aliqui, quod gratiam augeri est dupliciter, scilicet perceptibiliter et imperceptibiliter. Si perceptibiliter, tunc dicunt in tali augmento dari vel mitti Filium et Spiritum sanctum. Si autem imperceptibiliter, tunc dicunt ipsum non mitti. Et ratio hujus est, quia tunc dicitur dari vel mitti, cum mente percipitur. Sed aliter potest dici, quod augmentum gratiae est dupliciter; aut secundum profectum in gratia prius habita, aut ejus usu, aut per collationem novi usus, vel etiam doni gratuiti. Si solum per profectum, non dicitur mitti Spiritus sanctus. Si autem per collationem novi doni, sicut fuit Apostolis in die Pentecostes, vel novi usus, sicut est in confirmatione; tunc potest dici mitti vel dari Spiritus sanctus, quia aliquo modo est ibi de novo quantum ad illud donum vel usum doni, et quia abundantius est." *1. dist. 15. p. 2. a. 1. qq. 2—3.*

[13] „Cum mittitur Filius, vel Spiritus sanctus ad aliquem, non mittitur, ut sit ibi, ubi prius non erat, sed ut sit in eo aliter, quam prius: sed novus modus essendi, addens supra esse per naturam, non est nisi per gratiam gratum facientem." *1. dist. 15. p. 2. a. 1. q. 1. fundam. 4.*

[14] „*Sub* in divinis non dicit inferioritatem, sed solum habitudinem secundum rationem intelligendi." *1. dist. 25. dub. 4.*

[15] „Quoniam opera Trinitatis sunt indivisa; ideo quando venit Spiritus sanctus, secundum veritatem venit Pater et Filius, tamen secundum appropriationem attribuitur Patri alteram personam mittere. Mittere vero, praeter hoc quod dicit effectum, importat personalem distinctionem per auctoritatem et subauctoritatem; et ideo, etsi Pater veniat cum Filio, non tamen mittit se cum Filio." *Comm. in Ev. Joan. c. 14. v. 24. n. 1000. vol. 1. Supplem.* Cfr. quoque *1. dist. 15. et 16. per integ.*

CAPUT VI.

De unitate divinae [a] naturae in multiplicitate appropriatorum.

a) Divinae om. ed. 1484.

(Appropriata quid sint. — Quaenam essentialia, et cur approprientur Patri, — vel Filio, — vel Spiritui sancto.)

Tertio vero de pluralitate appropriatorum [1] hoc docet sacra Scriptura esse tenendum, quod licet omnia essentialia omnibus personis aequaliter et indifferenter conveniant, tamen Patri dicitur appropriari unitas, Filio veritas, Spiritui sancto bonitas [2]. Et juxta hanc sumitur secunda appropriatio Hilarii *(II. lib. de Trinit.),* scilicet aeternitas in Patre, species in imagine, et usus in munere [3]. Et [b] juxta hanc sumitur tertia, scilicet in Patre ratio principiandi, in Filio ratio exemplandi, in Spiritu sancto ratio finiendi. Et juxta hanc sumitur quarta, scilicet omnipotentia Patri, omniscientia Filio, voluntas seu benevolentia Spiritui sancto. Haec autem dicuntur appropriari, non quia fiant propria, cum semper sint communia; sed quia ducunt ad intelligentiam et notitiam propriorum, scilicet trium personarum [4].

b) Et om. ed. 1484.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quia enim primum principium est nobilissimum et perfectissimum, ideo conditiones entis nobilissimae et generalissimae in eo reperiuntur in summo. Hae autem sunt: unum, verum, bonum, quae non contrahunt ens secundum supposita, sed secundum rationem. Nam unum nominat ens, ut connumerabile; et hoc habet per indivisionem sui in se. Verum, secundum quod cognoscibile; et hoc habet per indivisionem [5] sui a propria specie [6]. Bonum, secundum quod communicabile; et hoc habet per indivisionem sui a propria operatione [7]. Et quia haec triplex indivisio se habet secundum ordinem quantum ad rationem intelligendi; ita quod verum praesupponit unum, et bonum praesupponit verum et unum; hinc est, quod haec attribuuntur primo principio in summo, quia perfecta et generalia, et appropriantur [c] tribus personis, quia ordinata; et ideo summe unum Patri, qui est origo [8] personarum; summe verum Filio, qui est a Patre, ut Verbum; summe bonum Spiritui sancto, qui est ab utroque, ut amor et donum [9].

c) Attribuuntur ib. et ed. Ven.

Et quia summe unum est summe primum [d], quia caret omni inceptione; et quia

d) Summum primum, ibid.

summe verum est summe aequale et pulchrum; et quia summe bonum est [e] summe utile et proficuum; hinc oritur secunda appropriatio Hilarii *(loc. cit.)*, quae est aeternitas in Patre, quia non habet principium [f], sed est omnino primum; species in imagine, id est in Verbo, quia summe pulchrum; usus in munere, id est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum et communicativum. Quod per alia verba sic [g] insinuat Augustinus *(lib. I. de doct. christ. c. 5)*: In Patre unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu sancto unitatis aequalitatisque concordia [10].

e) Est om. ed. 1484.
f) Initium ibid.
g) Sic om. ibid.

Rursus, quia summe unum et primum tenet rationem principiandi et originandi, quia summe pulchrum et speciosum [11] tenet rationem exprimendi et exemplandi, quia summe proficuum et bonum tenet rationem finiendi, quia bonum et finis idem; hinc oritur tertia ratio appropriandi efficientiam [h] Patri, exemplaritatem Filio [12], finalitatem Spiritui sancto [13].

h) Efficaciam ibid.

Rursus, quia a primo et summo [i] principio fluit omne posse, a primo et summo exemplari fluit [j] omne scire, et [k] ad summum finem tendit omne velle; ideo necesse est primum principium [l] esse omnipotentissimum, omnisapientissimum et benevolentissimum [m]. Unitas autem prima et summa, rediens supra seipsam reditione [n] completa et perfecta, est omnipotentissima, sic et veritas sapientissima [o], et bonitas benevolentissima [14 p]: et haec appropriantur, quia ordinem insinuant [15]. Voluntas enim dat praeintelligere cognitionem, et voluntas et cognitio praesupponunt potentiam et virtutem, quia posse scire est aliquid posse [16]. Ex his apparet, quae sint appropriata, et quibus, et qua de causa. Haec enim [q] ultima, scilicet potentia et sapientia et voluntas, sunt potissime illa, ex quibus [r] in Scripturis laudatur Trinitas summa. Et ideo de his aliquid dicendum est breviter et summatim.

i) Summe primo ibid.
j) Fluit om. ibid.
k) Et om. ibid.
l) Principium restit. ex ed. Ven. et ed. 1484.
m) Omnibenevolentissimum ibid.
n) Reductione ed. Ven. I. et 1484.
o) Omnisapientissima ed. 1484.
p) Omnibenevolentissima ibid.
q) Ita in ed. 1484; recte. In ceteris tamen.
r) In quibus ed. 1484.

Ad Caput VI.

[1] „Appropriare aliqua personis divinis est ipsa communia omnibus personis ad notitiam propriorum personalium facientia, alicui personae attribuere; ut Patri unitatem, aeternitatem, principiationem, omnipotentiam, Filio veritatem, speciem, exemplationem, omniscientiam, Spiritui sancto bonitatem, usum, finem, voluntatem.“ *Decl. Term. Theol.*

[2] „De appropriatis est loqui dupliciter. Aut quantum ad id, quod significant: aut quantum ad ordinem, quem connotant. Si quantum ad significatum, cum illud sit commune, et omnibus conveniat personis per indifferentiam, non convenit appropriari ratione sumpta a parte rei, appropriatur tamen ratione sumpta a parte intellectus nostri, propter errorem amovendum. Quoniam enim intellectus carnalis in patre carnali videt defectum potentiae, et in filio defectum sapientiae, et in spiritu intelligit furorem iracundiae; ideo spiritualis intellectus, ut elevet a carnalitate, potentiam Patri attribuit, quamvis non magis conveniat ei, sed ne minus videatur convenire; et sic de aliis. Si autem loquamur quantum ad ordinem, vel originem, quem connotant; sic appropriantur a parte rei propter convenientiam cum propriis personarum. Unde quia Pater a nullo est, et Filius a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque; et hujusmodi ordo attenditur in potentia et sapientia et bonitate; ideo patet ratio appropriandi. Unde illa, quae non connotant aliquo modo ordinem, vel originem, non sunt appropriabilia.“ *1. dist. 34. a. 1. q. 3.*

[3] „Illa appropriatio Hilarii fuit ad explicandam personarum originem, sive emanationem. Quoniam ergo persona Patris emanatione et origine caret; ideo id debuit ei appropriari, quod importat privationem principii. Tale autem est hoc nomen *aeternitas*. Aeternum enim est, quod principio caret. Et licet de suo nomine non dicat nisi privationem initii durationis, per appropriationem tamen dicit privationem omnis principii. Et sic patet prima objectio. Spiritus vero sanctus procedit per modum voluntatis et amoris: et ita debuit ei appropriari nomen, quod actum exprimit voluntatis; hoc autem est hoc nomen usus. Nam uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis, sive ad utendum, sive ad fruendum. Quoniam ergo assumptio ad fruendum est per amorem, similiter ad utendum, quia amor est pondus et ordo; ideo usus recte appropriatur Spiritui sancto. Et sic patet ultimo quaesitum, scilicet quod usus accipitur hic, non prout dividitur contra fruitionem, sed prout dicit amoris complexum, et actum liberum. Filius vero emanat per modum naturae; ideo emanat per modum perfectae et expressae similitudinis, nam natura producit sibi simile et aequale. Et quia habet in se rationem expressae similitudinis; ideo et co-

gnitionis, quia expressa similitudo est ratio cognoscendi. Et quia per modum perfectae similitudinis et rationis habet in se rationem cognoscendi, et exemplar omnium; inde est, quod habet rationem perfectae pulchritudinis. Quia enim est perfecta et expressa similitudo; ideo pulcher est in comparatione ad eum, quem exprimit. Quia vero rationem cognoscendi habet, et non unius tantum, sed totius universitatis; ideo pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, ut ait Boëtius *(de consol. l. 3. metro 9)*, pulchritudinem habet in comparatione ad omnem pulchritudinem extraneam. Ex his duobus relinquitur perfectissima pulchritudo, sicut enim dicit Augustinus: Pulchritudo non est aliud, quam aequalitas numerosa. Quoniam igitur in comparatione ad Patrem habet pulchritudinem aequalitatis, quia perfecte exprimit sicut pulchra imago; in comparatione vero ad res habet omnes rationes, secundum quod dicit Augustinus *(super Joan. cap. 1. et 6. de Trin. c. 10)*, quod est ars plena omnium rationum viventium; ita patet, quod in Filio recte reperitur ratio omnis pulchritudinis. Eo igitur quo Filius per modum naturae emanat, habet rationem perfectae et expressae similitudinis; eo quod habet rationem perfectae similitudinis, habet rationem cognitionis; et ratione utriusque habet rationem pulchritudinis. Quoniam igitur nomen speciei importat similitudinem, et importat cognoscendi rationem, et importat pulchritudinem, ut species quidem Priami *(ex isagoge Porphyrii. c. de specie)* digna est imperio; ideo elegantissime appropriatur Filio. Patet ergo, quare illud nomen magis appropriat Hilarius Filio, quam aliud; quare etiam magis diffinit imaginem per illud nomen, quam aliquod aliud. *1. dist. 31. p. 2. a. 1. q. 3.*

[4] „In divinis est considerare essentiam, quae est communis, ut communis et absoluta, est considerare proprietates, et est considerare commune ut in relatione ad propria. Primum dicitur in omnimoda absolutione; secundum, scilicet proprietas, dicit relationem ad personam; tertium dicit relationem ad res, et illa appropriata significant Deum ut causam.“ *1. dist. 36. a. 1. q. 2.*

[5] „Veritas habet triplicem comparationem. Habet enim comparari ad subjectum, quod informat; ad principium, quod repraesentat; et ad intellectum, quem excitat. In comparatione ad subjectum veritatis, dicitur veritas actus et potentiae indivisio. In comparatione ad principium, dicitur veritas summae veritatis et primae repraesentatio, sive imitatio. In comparatione ad intellectum, dicitur veritas ratio distinguendi. Et in omnibus illis comparationibus dupliciter potest accipi veritas, uno modo prout distinguitur contra falsitatem, alio modo prout distinguitur contra permixtionem, secundum quod verum dicitur purum et impermixtum. Prout veritas dividitur contra falsitatem, quae est privatio indivisionis, imitationis, expressionis; sic cum in creatura sit aliquo modo invenire et indivisionem et imitationem et expressionem, sic est veritas non tantum in Creatore, sed etiam in creatura: et sic non assignatur Dei proprietas. Alio modo, prout veritas dividitur contra permixtionem, sive impuritatem; sic est in solo Deo. Nam in solo Deo est indivisio pura, non permixta alicui diversitati: in solo Deo est imitatio et similitudo pura, non permixta alicui dissimilitudini: et in solo Deo est expressio luminis non permixti obscuritate. In creatura autem est indivisio cum actus et potentiae diversitate, et imitatio cum dissimilitudine, est ulterius in ea expressio cum obscuritate; et ideo hoc modo est veritas divini esse proprietas.“ *1. dist. 8. p. 1. a. 1. q. 1.*

[6] „*Unum* dicit indivisionem principiorum entis; *verum* indivisionem entis ab esse, sive actu absoluto, prout tamen natum est notum fieri apud intellectum.“ *4. dist. 14. p. 2. a. 1. q. 1.*

[7] „*Bonum* dicit indivisionem ab actu ut in finem relato.“ *Ibid.*

[8] „Origo semper dicitur relatio. Potest ergo accipi origo vel respectu creaturae, vel respectu personae. Si respectu creaturae, sic est respectu totius Trinitatis, et appropriatur Patri. Si autem respectu personae, sic potest accipi active, vel passive. Si active, sic est Patris et Filii, sed appropriatur Patri; si passive, sic Filii et Spiritus sancti, et appropriatur Filio, non secundum quod simpliciter dicitur, sed secundum quod origo dicit emanationem per modum naturae.“ *1. dist. 27. p. 1. dub. 2.*

[9] „Haec appropriata respiciunt Deum non solum in se, sed ut est principium et origo originans, gubernans, beatificans.“ *In Hexaëm. serm. 21. circ. med.* Fusius de his in *Centiloq. p. 3. sect. 4—6.*

[10] „Sicut appropriatio Hilarii fuit ad explicandam personarum originem, sic ista est ad explicandum ordinem. Quoniam igitur persona Patris est prima, ante quam non est alia, et quae non est ex alia; ideo appropriatur ei unitas, quae est prima in numero, et ante quam nihil est in numero ... Accipitur hic unitas secundum rationem, qua dicit primitatem, non essentiae indivisionem, quia sic convertitur cum ente, aut voluntatis conformitatem, quia sic appropriatur Spiritui sancto. Ut prima autem, Patri appropriatur. Similiter, quia persona Filii secundum rationem intelligendi est secunda, et perfecte exprimens Patrem, et hoc facit aequalitatem; ideo aequalitas ratione ordinis primo reperitur in Filio, tunc enim primo intelligitur, cum Filius intelligitur nasci. Et ex hoc patet objectum. Quod enim aequalitas approprietur, hoc non est ratione unitatis, sed ratione primae associationis, et perfectae. Aequalitas enim tunc primo intelligitur, quando intelligitur associatio; et haec intelligitur primo in Filio, qui est secunda persona. Similiter, quia persona Spiritus sancti secundum rationem intelligendi est tertia, concordia autem ponit duos concordabiles et etiam concordantem; ideo primo incipit concordia, ubi primo intelligitur oriri persona tertia. Et sic patet illud, quod concordia appropriatur alicui, non quia de communi aliquid faciat proprium, sed quia distinctos connectit, et hoc secundum rationem suae emanationis, quod non convenit Filio ratione emanationis, sed ratione mediationis, quia mediator Dei et hominis.“ *1. dist. 31. p. 2. a. 2. q. 3.*

[11] „Quoniam species tenet rationem formae, virtutis et operationis, secundum quod habet respectum ad principium, a quo manat, ad medium, ad quod transit, et ad terminum, in quem agit; ideo proportionalitas attenditur in similitudine, secundum quod tenet rationem speciei, seu formae, et sic dicitur speciositas; quia pulchritudo nihil est aliud quam aequalitas numerosa, seu quidam partium situs cum coloris suavitate.“ *Itiner. ment. cap. 2. n. 5.* Cfr. superius *n. 3.*

[12] „Procedit Filius secundum rationem exemplaritatis,

non sicut exemplatum per exemplar, sed sicut ipsum exemplar, vel ratio exemplandi cetera. Et si tu objicias, quod exemplar commune est toti Trinitati, respondet ad hoc Altisiodorensis *(Guill.)* de mundo archetypo, sive de ideis, quod idea, sive mundus archetypus, non tantum appropriatum est ipsi Filio, verum etiam proprium. Vel aliter potest dici, quia secundum quod exemplar dicit rationem cognoscendi, sic commune est toti Trinitati, et appropriatur Filio, sicut sapientia. Secundum vero quod ultra hoc dicit rationem emanandi, sic est proprium Filii." *1. dist. 6. a. 1. q. 3. ad 4.* Cfr. etiam *Comment. in Evang. Joan. c. 1. v. 4—5. vol. 1. Supplem.*

[13] „Esse convenit primo enti secundum rationem triformem. Habet enim primum ens esse ex se ipso, quod est in ratione principii originantis. Pater est hujusmodi. Habet esse secundum seipsum, quod est in ratione medii exemplantis. Verbum est hujusmodi. Habet etiam esse propter seipsum, quod est in ratione termini quietantis. Spiritus sanctus est hujusmodi. Hunc trifarium modum essendi tangit Apostolus *(Rom. 11, 36)*, cum dicit: *Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Hae tres personae aequalissimae nobilitatis sunt, quia aequae nobilitatis est Spiritui sancto personas terminare, sicut in Patre personas originare, et in Filio omnia praesentare." *Serm. 1. in Hexaëm.* Cfr. etiam *Incend. amoris c. 3. a. 9.*

[14] „Bonitas uno modo distinguitur contra sapientiam et potentiam, alio modo non. Si enim accipitur pro bonitate moris, sic consistit in voluntate, et distinguitur contra alia duo. Si autem bonum accipiatur communiter, sic complectitur omnia; est enim bonum naturae, et hoc ad potentiam; et bonum gratiae, et hoc aut perficit intellectum, et ita est scientia; aut affectum, et ita bonitas; et haec tria complectitur bonum in sua universalitate, et summum in sua integritate. Quoniam ergo omne bonum ad hoc reducibile est; ideo summum bonum in his tribus consistit." *1. dist. 34. dub. 6.*

[15] „Est loqui de illis tribus circumlocutionibus, *ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. 11, 36)*, quantum ad illud, quod significant; aut quantum ad ordinem, quem connotant. Si loquamur quantum ad illud, quod significant; sic omnia dicuntur esse ex Deo, tanquam ex principio primo non aliunde moto. Omnia dicuntur esse per Deum, tanquam per principium sufficientissimum, quod omnia agit per seipsum. Omnia dicuntur esse in Deo, tanquam in principio infinito, quod non potest facere aliquod extra se, sed omnia ambit ejus virtus; et in his tribus circumlocutionibus significatur, quod Deus est principium primum et sufficientissimum et infinitissimum. Et quia omnia haec in Deo sunt unum, et conveniunt tribus; ideo quantum ad significatum dicit Ambrosius, quod habent eandem vim, nec tamen est inculcatio, quia diversimode important secundum rationem intelligendi. Si autem loquamur quantum ad ordinem, quem connotant praepositionum habitudines, sic sunt appropriatae tribus. Quia *ex ipso*, dicit rationem primi: et *per ipsum*, dicit rationem medii: et *in ipso*, dicit rationem ultimi, sive quietativi. Et ideo *ex ipso* appropriatur personae Patris, quae est prima in Trinitate: *per ipsum* appropriatur Filio, quae est persona media: et *in ipso* Spiritui sancto, qui est persona tertia." *1. dist. 36. dub. 4.*

[16] „Secundum quod est origo originans, sic sunt tria appropriata, scilicet potentia, sapientia, voluntas. Haec tria sunt necessaria principio originanti. Sapientia enim et bonitas fundantur in aliqua potentia. Si enim potentiam non haberet, nihil posset producere: si haberet potentiam, et sapientiam non haberet, non produceret sapienter, quia potentia sine sapientia praeceps est. Item si haberet potentiam et sapientiam, et nollet; tunc aut nihil produceret, aut invidus esset: et sic esset miser. Et sic patet, quod voluntas reducit principium in actum. Et quia in his etiam est ratio principiationis aeternae; ideo appropriantur haec tria ipsis, non solum ut principium originans aliorum, sed etiam respectu personarum." *Serm. 21. in Hexaëm. in princip.*

CAPUT VII.

De omnipotentia Dei.

(Deus vere, proprie et perfecte est omnipotens, — licet ab ejus omnipotentia excludantur culpabilia, — poenalia, — materialia et inconvenientia.)

Igitur de omnipotentia Dei secundum doctrinam sacram haec tenenda sunt: videlicet [a] quod Deus est omnipotens, ita tamen, quod ei non attribuuntur actus culpabiles, utpote mentiri et male velle, nec actus poenales, ut metuere et dolere, nec actus corporales sive materiales, ut dormire et ambulare, nisi forte transumptive, nec actus inconvenientes, utpote [b] posse facere majorem se, vel alium Deum sibi aequalem, vel infinitum actu, et consimilia; quia, ut dicit Anselmus *(De fide Trinit. c. 5)*, quodlibet inconveniens, etiam minimum, apud Deum est impossibile [1]. Licet autem [c] hoc non possit, est tamen omnipotens vere et proprie et perfecte [2].

[a] Videlicet om. ed. 1484.

[b] Ut ibid.

[c] Tamen ibid.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quia primum principium est potens potentia, quae est potentia simpliciter [3]; et ideo distributio addita ei distribuit

pro his, quae posse est posse simpliciter. Haec autem sunt, quae egrediuntur a potentia completa et ordinata. Potentiam autem completam dico, quae non potest deficere, nec potest succumbere, nec potest indigere. Potentia autem incompleta in peccando deficit, in patiendo succumbit, in corporalibus actionibus indigentiam includit. Divina autem potentia, quia potentia [d] summa et perfectissima [4], ideo nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec eget aliquo alio [5]; ac per hoc nec culpabilia, nec poenalia, nec materialia potest; et hoc quia omnipotens, potentia completa est [e]. Potentiam autem ordinatam contingit tripliciter dici, vel secundum actum, vel secundum aptitudinem ex parte creaturae [f], vel secundum aptitudinem ex parte solius virtutis increatae. Quod possibile est potentiae primo modo dictae, est non tantum possibile, sed etiam actuale. Quod secundo modo, et non primo, est possibile simpliciter, licet non actuale [6]. Quod autem [g] tertio modo, et non primo modo [h] vel secundo, est possibile Deo [7], sed impossibile creaturae [8] (I). Quod autem [i] nullo praedictorum modorum est possibile, sicut illud [j], quod directe repugnat ordini [9], secundum rationes et causas primordiales [k] et aeternas, simpliciter est impossibile; sicut quod Deus faciat aliquod actu infinitum [10 l], quod simul faciat aliquid esse et nullo modo esse, quod faciat id, quod fuit, non fuisse; et cetera talia, quae posse esse est contra ordinem et complementum esse [m] divinae potentiae. Ex his patet, respectu [n] quorum est divina potentia: patet etiam, quae debent dici simpliciter possibilia, et quae simpliciter impossibilia, et quod aliquorum impossibilitas simul stet cum vera omnipotentia.

d) Potentia om. ibid.

e) Ita ibid. In ceter. ed. Omnipotens est potentia completa.

f) Ex parte creaturae om. ed. Ven. et 1484. quae sequentia sic habent: vel secundum possibilitatem, quae quidem possibilitas est ex parte solius virtutis increatae.

g) Autem om. ed. 1484.

h) Modo om. ibid.

i) Autem om. ibid.

j) Id ibid.

k) Primordialissimas ibid.

l) Etiam add. ibid.

m) Esse restit. ex ed. 1484.

n) Respectu om. ibid.

(I) Miraculorum existentiam et possibilitatem Rationalistae inficiantur. Contra eos Conc. Vaticanum *de fide can. 4:* „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit."

Ad Caput VII.

[1] „Cum dicit Anselmus, quod quantumcumque parvum inconveniens in Deo est impossibile, dicendum quod hoc intelligitur de eo, quod est inconveniens in Deo secundum se: et tale est inconveniens, quod nullo modo potest esse conveniens; et ideo est impossibile. De eo autem non habet veritatem, quod est inconveniens secundum nostram aestimationem, quia Deus posset illud facere conveniens... Sicut concedimus de aliquo malo, quod potest Deus facere illud, pro eo quod illud potest bene fieri, sicut est malum poenae: de aliquo vero non, quod est secundum se malum, quod nullo modo potest bene fieri." *3. dist. 1. a. 1. q. 4. ad 1.*

[2] „Deus est omnipotens, non quod possit actus culpabiles, ut mentiri, nec actus poenales in se recipere, ut timere, nec corporales, ut dormire, nec inconvenientes, ut facere aliquem majorem se. Est, inquam, Deus perfecte, vere et proprie omnipotens, id est, potens omnia, quae sunt alicujus potentiae et potentiae completae." *Decl. Term. Theol.*

[3] „Quaedam sunt, quae dicunt potentiam quantum ad modum dicendi, dicunt tamen impotentiam a parte rei, ut posse mori, posse corrumpi. Propter hoc intelligendum, quod quaedam sunt, quae posse est potentiae simpliciter et perfectae, ut posse intelligere, diligere et operari. Quaedam sunt, quae posse est potentiae, tamen imperfectae, ut currere et ambulare, isti enim actus dicunt simul actionem et passionem, sive defectum in agente. Quaedam, quae posse simpliciter est impotentiae, ut privationes, ut posse peccare, deficere, loquendo de his ratione privationis. Secundum hoc intelligendum, quod cum potentia Dei sit perfectissima, illa potest Deus per se et in se, quae sunt potentiae simpliciter, ut intelligere et operari: illa vero, quae sunt imperfectae potentiae, potest quidem non in se, sed per se. Per se potest ex hoc, quod est ibi perfectionis et potentiae. In se non potest propter illud, quod est ibi impotentiae et imperfectionis, quae in eo non cadunt. Illa autem, quae sunt simpliciter impotentiae, nec potest in se, nec potest per se. Per se non potest, quia nihil est a Deo, quod non sit a Deo per se et immediate; hoc autem, quod est defectus, non potest esse in Deo, nec a Deo, quia Deus non deficit in essendo, nec in agendo. Si ergo quaeratur, utrum Deus possit omne, quod potest aliud agens, respondendum est non simpliciter, sed cum determinatione, scilicet quod potest omne, quod est potentiae: et in se potest omne, quod est potentiae simpli-

citer et perfectae, in alio potest quod est potentiae imperfectae: nec in se, nec in alio, quod est omnimodae impotentiae; et hoc ipso dicitur omnipotens, quia potentia ejus ad omnia sufficit, et in nullo deficit.“ *1. dist. 42. a. 1. q. 2.*

[4] „Potentia divina est infinita in virtute, in actu et in habitu.“ *1. dist. 43. a. 1. q. 1.*

[5] „Deus potest in aliud a se, et hoc absque elongatione potentiae a substantia, absque dependentia ab objecto et absque indigentia, cum divina essentia intime sit in omnibus, et potentia ejus sit ab illa omnimoda indivisione indivisa.“ — „Ad hoc intelligendum, notandum est, quod posse aliud, sive in aliud a se, hoc est dupliciter. Aut in aliud sicut indistinctum secundum essentiam, et remotum secundum distantiam, sicut unum contrarium agit in aliud, quia impossibile est duo contraria esse in eodem subjecto; et hoc modo posse in aliud est per egressum potentiae a substantia, et ideo est ibi elongatio et distantia. Et quia elongatur a sua substantia, ideo pendet a substantia, in quam agit; et ideo est ibi dependentia: et quia distantia et dependentia, ideo imperfectio et indigentia. Hoc modo posse in aliud Deo non competit propter tres conditiones praedictas, sicut ostensum est, quia repugnat divinae potentiae, sicut distantia, dependentia et indigentia. Alio modo posse in aliud dicitur sicut indivisum secundum formam et essentiam, non tamen in remotum secundum aliquam distantiam, quia divina essentia, dum operatur, intime est in illo. Et hoc modo nec ponit distantiam, nec dependentiam, nec indigentiam. Cum enim divina essentia sit omni perfectione perfecta, et potentia ejus sit omnimoda indivisione indivisa, a nullo alio dependet, nullo alio indiget. Hoc ergo modo ponendum est, quod Deus potest in aliud a se, sive aliud a se.“ *1. dist. 42. a. 1. q. 1.*

[6] „Cum dico Deum velle, hîc duo dico, et actum divinae voluntatis, et ulterius ordinationem ipsius effectus ad illum actum. Et primum quidem est necessarium, et semper, nec potest incipere vel desinere, voluntas enim divina est semper in actu suo, ita quod nec potest illo carere, nec alium habere: sed ordinatio alicujus effectus ad illum actum est ordinatio rei futurae, quae nondum est, et ideo potest esse et non esse, et ordinari et non ordinari. Quando ergo dicitur, quod Deus potest velle quod nunquam voluit, et tamen non ex tempore, intellectus est quod effectus ille potuit ordinari ad divinum velle; et quoniam ordinatio effectus est ordinatio rei futurae, et quod est futurum, semper fuit futurum, et quod semel fuit ordinatum, semper fuit ordinatum ad illam; quando ergo dicitur, quod Deus potest velle aliquid, idem est dicere quod aliquid potuit esse futurum, sive habere ordinem ad divinam voluntatem, quod tamen non habet ordinem; sed si haberet, ab aeterno habuisset, et ideo non incipit ex tempore.“ *1. dist. 39. dub. 5.*

[7] „Virtus enim divina non tantum dicitur infinita, quia possit de non ente facere ens, sed etiam quia non potest tot, quin possit plura. Unde nunquam tot simul producit, quin adhuc possit plura.“ *2. dist. 2. p. 1. a. 2. q. 3. ad 3.*

[8] „Miracula non sunt per vim naturae, sed per vim supra naturam, quae est agentis primi, sunt enim supra facultatem naturae; et ideo attestantur omnipotentiae facientis.“ *2. dist. 7. p. 2. a. 2. q. 2. ad 9.* — „Dupliciter dicitur natura. Uno modo dicitur natura omne illud, quod competit rei a sua naturali origine; et sic competit creaturae, ut ex ea producatur omne, quod Deus vult. Opus enim respectu sui artificis habet in se potentiam perfectae obedientiae, cum per omnia subjaceat ejus voluntati. Propter quod dicitur, quod *spiritus Domini ferebatur super aquas (Gen. 1, 2)*. Et contra hanc naturam Deus nunquam facit, immo quidquid facit de creatura, secundum hanc naturam facit ... Alio modo dicitur natura propria vis insita rebus, secundum quam res naturales peragunt cursus suos et motus solitos; et hoc modo accipiendo naturam, aliquando Deus facit contra naturam, aliquando supra naturam. Tunc facit contra naturam, quando facit aliquid, cujus simile in natura et a natura produci habet, tamen alio modo omnino diverso; ut patet in hoc, quod natura dat alicui visum et successive in primaria generatione, similiter et dat vitam, nunquam tamen caecum reducit ad visum, nec mortuum ad vitam. Si ergo Deus sua virtute hoc faciat, ut alicui caeco visum restituat, et mortuo vitam; tunc dicitur facere contra naturam, id est, contra solitum cursum naturae; et tunc dicitur miraculum. Quando vero Deus facit aliquid, cujus simile natura facere non potest, et ad quod natura non habet ordinem secundum propriam virtutem, sicut quando Deus factus est homo, vel quando corpus mortale factum est gloriosum; tunc facit supra naturam, et illud opus proprie dicitur mirabile, non miraculum.“ *2. dist. 18. a. 1. q. 2. ad 5.* — „Si natura dicatur naturalis creaturae obedientia, vel naturale judicatorium, secundum quod homo est habilis ad justitiam, quia utrumque horum dicit immediatam ordinationem ad Deum, sic Deus non facit contra naturam, sicut nec facit contra seipsum. Alio modo natura dicitur vis operans secundum solitum cursum, et quodcumque bonum, quod inest creaturae ex sua origine: et hoc modo Deus facit contra naturam, sive per miracula potentiae, sive per supplicia vindicantis justitiae. Et sic non facit simpliciter contra naturam, immo potius secundum naturam, cujus operatio subjacet divinae potentiae, et ordinatio subjacet divinae justitiae. Et cum Deus utitur creatura, sive ad manifestationem divinae potentiae, sive ad manifestationem divinae justitiae, utitur ea, prout debet.“ *2. dist. 36. a. 3. q. 1. ad 3.* — „Aliter miraculum fit praeter solitum cursum, et aliter fortuitum praeter intentionem. Miraculum enim fit praeter solitum cursum, ita quod supra cursum naturae ... casuale vero non ita fit praeter intentionem, quod fiat supra intentionem, sed deficit ab intentione.“ *2. dist. 37. a. 2. q. 2. ad 4.* — „Opera miraculosa facta sunt post hominis lapsum, quae non oportuit fieri ante, quia Dei potentia, sapientia et bonitas nota esset, et satis in suis effectibus reluceret. Nunc autem congruum est et decens Deum multa opera facere miraculose, ad manifestationem suae potentiae pro confirmatione fidei nostrae.“ *3. dist. 1. a. 2. q. 2. ad 3.* — „Aliquando datur potentia ad actum naturae consonantem, aliquando datur potentia ad actum excedentem terminos naturae. Quando datur potentia ad actum naturae consonantem, tunc etsi collatio illius potentiae sit mirabilis, operatio tamen est naturalis, sicut si detur potentia videndi caeco. Quando autem datur potentia ad actum excedentem terminos naturae, tunc non solum potentiae collatio est mirabilis, sed etiam exitus illius potentiae in actum est mirabilis, ut si asino detur

potentia loquendi, et lapidi potentia videndi." *3. dist. 4. a. 3. q. 2. ad 3.* — „Ea, quae sunt immediate a divina potentia, procedunt in esse secundum cursum mirabilem, ut patet in creatione et justificatione et miraculorum operatione." *2. dist. 14. p. 1. a. 3. q. 1. fund. 4.*

[9] „Etsi nullus defectus sit a Deo, tamen magis aliquis defectus elongatur a causalitate Dei, quam alius, secundum quod sunt diversi modi deficiendi. Est enim quidam defectus, qui dicit privationem alicujus positionis et ordinis, sicut est defectus culpabilis: et iste est defectus vituperabilis, et vituperabilem reddit actorem; et talem defectum Deus non facit, nec etiam facit aliquid, quo facto, creatura tali defectu deficiat necessario. Unde nec Deus facit peccatum, nec facit aliquem peccare, nec facit aliquid, quo facto, necessario sequatur peccatum ratione illius, quod Deus facit. Hoc dico propter animae infusionem, in qua necessario contrahitur culpa originalis, sed hoc non est ex actu Dei, sed ex praevaricatione primi parentis. Est et alius defectus, qui est privatio alicujus positionis, non tamen est privatio ordinis. Contingit enim aliquos defectus ordinari; et talis defectus, licet non possit Deo attribui, secundum quod defectus, potest tamen ei attribui secundum quod ordinatus. Et de tali defectu, licet non possit dici, quod Deus eum faciat, quia defectum facere est deficere, potest tamen dici, quod facit aliquid, quo facto, necessario consequitur ille defectus: et talis defectus est falsitas et ignorantia et caecitas et consimiles." *2. dist. 37. a. 2. q. 3.*

[10] „Duplex est infinitum, scilicet in actu et in potentia. Infinitum in potentia Deus potest facere et facit. Infinitum in actu non potest facere, nec facit. Non potest, inquam, facere, quia nec convenit sibi, nec convenit creaturae. Sibi non convenit, cum enim summe bonum sit, non potest aliquid facere nisi bonum; et ita non potest facere nisi rem ad se ordinatam. Quoniam ergo ordo praesupponit numerum, et numerus praesupponit mensuram, quia non ordinantur ad aliud nisi numerata, et non numerantur nisi limitata; ideo necesse fuit Deum facere omnia in numero, pondere et mensura; nec aliter facere potuit, nec potest, nec infinitum, nec infinita in actu. Ratio est etiam, quia hoc nullo modo convenit creaturae. Infinitum enim in actu est actus purus, alioquin si aliquid haberet de limitatione et arctatione esset finitum; sed quod est actus purus, est suum esse per essentiam, et nihil tale accipit esse ab alia essentia, nec ex nihilo; si ergo creatura, eo ipso quod creatura, aliunde est, et ex nihilo, nullo modo potest esse actus purus, nullo modo potest esse infinita; et si non potest esse una infinita, nullo modo possent esse infinitae secundum numerum, quia necesse est illas plures ad aliquam unam creaturam reduci; sed infinita ad finitum reduci, est impossibile; patet ergo etc. Et quod ad aliquod finitum reducantur, patet; quia necesse est ponere ordinationem in creaturis, non tantum ad Deum, sed etiam ad se invicem. Summa ergo rationis est, quia non decet Deum facere creaturam, nisi ordinem habeat et mensuram; ratio est ex parte creaturae, quia necesse est omnem creaturam esse limitatam, eo quod ex nihilo, et eo ipso quod composita est." *1. dist. 43. a. 1. q. 3.*

CAPUT VIII.

De Dei sapientia, praedestinatione et praescientia [a].

a) Praedestinatione et praescientia om. ed. 1484.

(Divina sapientia est cognoscitiva rerum, — et ratio cognoscendi: — varia sortitur nomina, — non tamen in se diversificatur. — Simul stat contingentia cognitorum cum infallibilitate divinae praescientiae; — libertas voluntatis creatae cum infallibilitate praedestinationis aeternae; — unitas divinae sapientiae cum multiformitate idearum, vel rationum. — Ratio vel idea unum sunt in Deo; — non tamen ex parte nostrae intelligentiae.)

De sapientia vero Dei haec tenenda sunt: scilicet, quod ipsa divina sapientia limpidissime cognoscit [b] omnia bona et mala, praeterita, praesentia et futura [1], actualia et potentialia [c], ac per hoc incomprehensibilia nobis et infinita; ita tamen, quod ipsa in se nullo modo diversificatur, licet diversa nomina sortiatur. In quantum enim [d] est cognoscitiva [e] omnium possibilium, dicitur *scientia* sive *cognitio:* in quantum est cognoscitiva omnium, quae in universo fiunt, dicitur *visio* [2]: in quantum est cognoscitiva omnium, quae bene fiunt, dicitur *approbatio:* in quantum est cognoscitiva eorum, quae futura sunt, dicitur *praescientia* sive *praevisio* [3]*:* in quantum est [f] cognoscitiva eorum, quae ab ipso Deo fienda sunt [g], dicitur *dispositio:* in quantum est cognoscitiva eorum, quae praemianda sunt, dicitur *praedestinatio:* in quantum vero est cognoscitiva eorum, quae damnanda sunt, dicitur *reprobatio* [4].

b) Limpidissimum cognoscat ibid.
c) Possibilia ABII et editt. Arg. Aug. Nor. et Ven. et 1484.
d) Autem ed. 1484.
e) In se post cognoscitiva add. edit. Ven. et 1484.
f) Est om. ed. 1484.
g) In edit. Ven. et 1484, post fienda sunt, statim sequitur: dicitur praedestinatio, omissis: in quantum est cog. eor. quae praemianda sunt.

Et quia ipsa non tantum est cognoscitiva, sed est [h] etiam ratio cognoscendi omnia [5]*);

h) Est om. ed. 1484 hic et inferius.

*) Quum *divina sapientia* sit *ratio cognoscendi omnia*, quaeri potest hîc loci, utrum quidquid certitudinaliter a nobis cognoscitur, in ipsa divina ratione cognoscatur, quod quidem in aliam quaestionem resolvitur, circa quam adhuc acriter disputa-

ideo [i] in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur *lux:* in quantum est ratio cognoscendi visa et approbata, dicitur *speculum:* in quantum est ratio cognoscendi [j]

i) Ideo om. ibid.

j) Est ratio cognoscendi om. ibid.

tur a philosophis, scilicet quaenam sint prima humanae cognitionis principia. Mentem suam noster Seraphicus lucidissime aperuit in quaestione hucusque anecdota: *An rationes aeternae sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione,* quam P. Fidelis a Fanna, noster olim in philosophicis ac theologicis disciplinis auditor, nunc vero operibus ejusdem S. Doctoris edendis praefectus, primo detexit, et anno 1874 Taurini ex parte in lucem edidit. Quae cum non modo philosophis, verum etiam theologis sit perutilis, et eo magis quia, ut rite editor animadvertit, „modus quo eam instituit ac resolvit Seraphicus Doctor, non obscure excessus indicat, qui corrigendi essent ab iis, qui nimium declinant a media et recta via, nimiumque abundant in sensu suo, cum negligentes aut male interpretantes, quem florentissima aetas philosophiae christianae saeculi XIII nobis tradidit;" ejusdem conclusionem hîc ponendam censemus. En verba S. Doctoris:

„Supposito quod rationes aeternae sint realiter indistinctae in arte divina vel cognitione, quaeritur utrum sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione: hoc est quaerere, utrum quidquid certitudinaliter cognoscitur a nobis, cognoscatur in ipsis rationibus aeternis . . . Respondeo. Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum dicitur, quod omne quod cognoscitur certitudinaliter, cognoscitur in luce aeternarum rationum, hoc tripliciter potest intelligi. Uno modo, ut intelligatur quod ad certitudinalem cognitionem concurrit lucis aeternae evidentia tamquam ratio cognoscendi tota et sola; et haec intelligentia est minus recta, pro eo quod, secundum hanc, nulla esset rerum cognitio nisi in Verbo, et tunc non differret cognitio viae a cognitione patriae, nec cognitio Verbi a cognitione in proprio genere, nec cognitio scientiae a cognitione sapientiae, nec cognitio naturae a cognitione gratiae, nec cognitio rationis a cognitione revelationis; quae omnia cum sint falsa, nullo modo est ista via tenenda. Ex hac enim sententia, quam quidam posuerunt, nihil certitudinaliter cognosci nisi in mundo archetypo et intelligibili, sicut fuerit academici primi, natus fuit error, ut dicit Augustinus contra academicos lib. secundo, quod nihil omnino contingeret scire, sicut posuerunt academici novi, pro eo quod ille mundus intelligibilis est occultus mentibus humanis: et ideo volentes primam tenere sententiam et suam positionem, inciderunt in manifestum errorem, quia modicus error in principio magnus est in fine.

Alio modo est, ut intelligatur quod ad cognitionem certitudinalem necessario concurrit ratio aeterna quantum ad suam influentiam, ita quod cognoscens in cognoscendo non ipsam rationem aeternam attingat, sed influentiam ejus solum. Et hic quidem modus dicendus est insufficiens secundum verba beati Augustini, qui verbis expressis et rationibus ostendit, quod mens in certitudinali cognitione per incommutabiles et aeternas regulas habeat regulari, non tamquam per habitum suae mentis, sed tamquam per eas, quae sunt supra se in veritate aeterna. Et ideo dicere quod mens nostra in cognoscendo non extendat se ultra influentiam lucis increatae, est dicere Augustinum deceptum fuisse, cum auctoritates ipsius exponendo non sit facile ad istum sensum trahere. Hoc valde est absurdum dicere de tanto Patre et Doctore maxime authentico inter omnes expositores sacrae Scripturae. Praeterea illa lucis influentia aut est generalis, quantum Deus influit in omnes creaturas; aut est specialis, sicut Deus influit per gratiam. Si est generalis; ergo Deus non magis debet dici dator sapientiae quam foecundator terrae, nec magis ab eo dicetur esse scientia quam pecunia. Si specialis, cujusmodi est in gratia; ergo secundum hoc omnis cognitio est infusa, et nulla est acquisita vel innata: quae omnia sunt absurda.

Et ideo est tertius modus intelligendi, quasi medium tenens inter utramque viam, scilicet, quod ad certitudinalem cognitionem necessario requiritur ratio aeterna ut regulans, et ratio motiva, non quidem ut sola et in sua omnimoda claritate, sed cum ratione creata, et ut ex parte a nobis contuita, secundum statum viae. Et hoc est, quod Augustinus insinuat in libro decimoquarto *(c. 15. n. 21)* de Trinitate: Commemoratur impius, ut convertatur ad Dominum, tamquam ad eam lucem, qua etiam cum ab illo averteretur, quodammodo tangebatur. Nam hinc est, quod et impii cogitant aeternitatem, et multa recte reprehendunt, recte quoque laudant in hominum moribus. Ubi et subdit, quod hoc faciunt per regulas, quae scriptae sunt in libro lucis illius, quae veritas dicitur.

Quod autem mens nostra in certitudinali cognitione aliquo modo attingat illas regulas et incommutabiles rationes, requiritur necessario nobilitas cognitionis et dignitas cognoscentis. Nobilitas, inquam, cognitionis, quia cognitio certitudinalis esse non potest, nisi sit ex parte scibilis immutabilitas, et infallibilitas ex parte scientis. Veritas autem creata non est immutabilis simpliciter, sed ex conditione, sive suppositione; similiter neque lux creaturae est omnino infallibilis ex propria virtute, cum utraque sit creata, et prodierit de non esse in esse. Si ergo ad plenam cognitionem fiat recursus ad veritatem omnino immutabilem et stabilem, et ad lucem omnino infallibilem; necesse est, quod in hujusmodi cognitione recurratur ad artem supernam, ut ad lucem et veritatem; lucem, inquam, dantem infallibilitatem scienti, et veritatem dantem immutabilitatem scibili. Unde cum res habeant esse in mente, et in proprio genere, et in aeterna arte, non sufficit ipsi animae ad certitudinalem scientiam veritas rerum, secundum quod esse habent in se, vel secundum quod esse habent in proprio genere, quia utrobique sunt mutabiles, nisi aliquo modo attingat eas, in quantum sunt in arte aeterna.

Item requiritur ex parte scientis dignitas. Cum enim spiritus rationalis habeat superiorem portionem rationis et inferiorem, sicut ad plenum judicium rationis deliberativum in agendis non sufficit portio inferior sine superiori; sic ad plenum rationis judicium in speculandis non sufficit seipsa superior, nisi aspiciat illas supernas leges. Haec autem portio superior est illa, in qua est imago Dei, quae aeternis regulis inhaerescit, et per eas, quidquid definit certitudinaliter, judicat et definit; et hoc competit ei, in quantum est imago Dei. Creatura enim comparatur ad Deum in ratione vestigii, imaginis et similitudinis. In quantum vestigium, comparatur ad Deum ut ad principium. In quantum imago, comparatur ad Deum ut ad objectum. In quantum similitudo, comparatur ad Deum ut ad donum infusum. Et ideo omnis creatura est vestigium, quae est a Deo; omnis etiam imago, quae cognoscit Deum; omnis et sola est similitudo, in qua habitat Deus. Et secundum istum triplicem gradum comparationis, triplex est gradus cooperationis divinae. In opere, quod est a creatura per modum vestigii, cooperator Deus per modum principii creativi; in opere vero, quod est a creatura per modum similitudinis, sicut est opus meritorium et Deo placitum, cooperatur Deus per modum doni infusi; in opere vero, quod est a creatura per modum imaginis, cooperatur Deus per modum rationis moventis: et tale est opus certitudinalis cognitionis, quod quidem non est a ratione inferiori sine superiori. Quoniam igitur certitudinalis cognitio competit spiritui rationali, in quantum est imago Dei; ideo in hac cognitione aeternas rationes attingit. Sed

praevisa et disposita, dicitur *exemplar:* in quantum est ratio cognoscendi praedestinata et reprobata [k], dicitur *liber vitae.* Est igitur liber vitae respectu rerum, ut redeuntium [6]: exemplar, ut exeuntium [7]: speculum [8], ut euntium [9]: lux [10] vero respectu omnium [11].

k) Approbata ibid.

Ad exemplar autem spectat *idea, verbum, ars et ratio. Idea,* secundum actum praevidendi: *verbum,* secundum actum proponendi: *ars,* secundum actum prosequendi: *ratio,* secundum actum perficiendi, quia supperaddit intentionem finis [12]. Quia vero haec omnia unum sunt in Deo, ideo frequenter accipitur unum pro alio.

Et licet divina sapientia, ratione diversitatis scitorum et connotatorum, diversa sortiatur vocabula, non tamen diversificatur secundum rationem intrinsecam. Cognoscit enim contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura praesentialiter, temporalia aeternaliter, dependentia independenter, creata increate, alia a se in se et per se. Et cum infallibiliter contingentia cognoscat, simul stat libertas et vertibilitas voluntatis cum praedestinatione et praescientia.

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: quoniam primum principium, hoc ipso quod primum est [l] et summum, cognitionem habet simul [m] simplicissimam et perfectissimam. Quia perfectissimam, ideo cognoscit omnia [n] distinctissime, sub omnibus conditionibus, quas res habent, vel habere possunt [13]; et propterea futura scit esse futura, et praesentia praesentia, et bona scit approbanda, mala reprobanda. Hinc est, quod diversa sortitur vocabula, secundum quod dictum est supra. Sed quia simul stat perfectio sapientiae cum summa simplicitate; hinc est, quod omnia alia a se cognoscit in se [14] et per se [15]: ex quo sequitur secundum, quod creata cognoscit increate [16]: ex quo sequitur tertium, quod dependentia cognoscit independenter: ex quo oritur quartum, quod temporalia cognoscit aeternaliter [17]: ex quo sequitur [o] quintum, quod futura cognoscit praesentialiter [18]: ex quo oritur [p] sextum, quod mutabilia cognoscit immutabiliter [19]: ex quo oritur septimum, quod contingentia cognoscit [q] infallibiliter [20]. Et ita contingentia, manentia contingentia, sunt divinae sapientiae prorsus infallibilia, tam in contingentibus, quae subjacent naturae, quam libertati voluntatis humanae [21].

l) Est om. ibid.

m) Simul om. ibid.

n) Simul ibid.

o) Sequitur om. ibid.

p) Oritur om. ibid. et inferius.

q) Cognoscit om. ibid.

Unde qui vult hoc verum intelligere, quo modo simul stet libertas voluntatis creatae cum infallibilitate praedestinationis aeternae, resolvendo [r] ab hoc ultimo, procedat per illos septem gradus usque ad primum [s], quod primum principium perfectissime cognoscit omnia per seipsum, quod est verum certissimum; ex quo cetera praedicta ratiocinando infallibiliter concluduntur. Sicut autem divinae cognitionis certitudo simul stat cum contingentia rerum cognitarum [22], quia simul est simplicissima [t] et perfectissima

r) Revolvendo ed. Ven. et 1484.

s) Principium ed. 1484.

t) Simplex ibid.

quia in statu viae non est adhuc plene deiformis; ideo non attingit eas clare et distincte, sed secundum quod magis et minus: et cum deiformitatem attingit vel accedit, secundum hoc magis et minus eas attingit, semper tamen aliquo modo, quia nunquam potest ab eo ratio imaginis separari. Unde quia in statu innocentiae erat imago sine deformitate culpae, nondum tamen habens plenam deiformitatem gloriae; ideo attingebat ex parte, sed non in aenigmate. In statu vero naturae lapsae caret deiformitate, et habet deformitatem; ideo attingit eas ex parte, et in aenigmate. In statu vero gloriae caret omni deformitate, et habet plenam deiformitatem; ideo attingit eas plene et perspicue. Rursus, quia non ex se tota est anima imago; ideo cum his attingit rerum similitudines abstractas a phantasmate, tamquam proprias et distinctas cognoscendi rationes, sine quibus non sufficit sibi ad cognoscendum lumen rationis aeternae, quamdiu est in statu viae, nisi forte per specialem revelationem hunc statum transcenderet, sicut in illis qui rapiuntur, et in aliquorum revelationibus prophetarum.

Concedendum est igitur, sicut rationes ostendunt, et Augustini auctoritates asserunt expresse, quod in omni certitudinali cognitione rationes illae cognoscendi a cognoscente attinguntur, licet aliter a viatore, aliter a comprehendente, aliter a sciente, aliter a sapiente, aliter a prophetante, et aliter a communiter intelligente.“ (Vide etiam inferius *part. II. cap. IX.* et *part. V. cap. V,* necnon Opusculum *L' Ontologismo e la Questione già inedita del Ser. Dottore s. Bonaventura sulla cognizione certitudinale della verità pel P. Giambattista Ortoleva da Mistretta, ex Def. Gen. Min. Oss. Riformato, Acireale 1876.*)

divina sapientia; sic unitas simul stat cum multiformitate rationum et [u] idearum ex eadem causa. Quia enim perfectissima est, ideo distinctissime et perfectissime cognoscit [23] universa [v] et singula [24], et illa omnia [x] distinctissime et perfectissime repraesentat; et ideo singulorum [y] dicitur habere rationes et ideas, tanquam rerum similitudines perfectissime expressivas [25]. Quia vero simplicissima est, ideo omnes similitudines illae sunt unum in ipsa [26]. Unde sicut Deus [z] una virtute omnia producit ex tempore secundum omnimodam rerum integritatem, sic una virtute omnia exprimit sempiternaliter [27]. Et sicut una est in Deo altissimo operatio activa secundum rem, dicuntur tamen plures rerum productiones, ratione pluralitatis productorum; sic una est veritas unius actus intelligentiae in Deo, dicuntur tamen plures similitudines, ideae et rationes [28], ratione pluralitatis ideatorum [29], vel existentium, vel futurorum, vel possibilium [30]. Hae autem rationes vel ideae, licet sint una veritas et lux in essentia, non tamen dicuntur esse [aa] una ratio vel idea. Ratio enim vel idea dicitur ut ad alterum, secundum rationem intelligendi. Nominat enim similitudinem cogniti, quae realiter tenet se ex parte Dei, licet secundum rationem intelligendi dicere videatur aliquid ex parte ideati [31]. Si autem hujus simile in creatura requiratur, dicendum, quod hoc est ipsius exemplaris proprium; quia, sicut dictum est, simul est simplex et infinitum et perfectissimum; quo praeintellecto, cetera consequenter innotescunt [32]. Quia enim exemplar illud est simplicissimum et perfectissimum, ideo actus purus; quia vero infinitum et immensum, ideo extra omne genus [33]. Et hinc est, quod existens unum, potest esse similitudo expressiva multorum.

u) Et om. ibid.
v) Omnia ibid.
x) Et illa omnia om. ibid.
y) Singulorum ibid.
z) Ex ibid
aa) Esse om. ibid.

Ad Caput VIII.

[1] „Non omnia dicuntur esse praesentia Deo secundum veritatem existentiae rerum, sed secundum cognitionem, quia actu cognoscit praesentia, praeterita et futura, et circa actum suae cognitionis semper est praesentialitas, ita quod nulla successio cognitionis Dei est in nunc, quod complectitur omnem successionem sine mutatione; et ideo omnia sunt ei praesentia ex hac duplici causa. Quamvis autem creatura habeat cognitionem de praesentibus, praeteritis et futuris, quia tamen cognitio ejus transit in praeteritum et futurum, et nova generatur cognitio ex rei existentia; ideo non dicitur, quod omnia sint praesentia creaturae, sicut dicitur quod omnia praesentia sunt Deo: et ideo non ponitur memoria in Deo, quoniam memoria respicit praeteritum, ut praeteritum, nec tantum in re, sed ut etiam actus illius cognitionis transit in praeteritum; sed praescientia non dicit rationem sive actum scientiae ut futurum, et ideo in Deo convenienter ponitur.“ *1. dist. 35. dub. 6.*

[2] „Scientia *visionis* est illorum tantum, quorum ab aeterno fuit praevisio . . . scientia *intelligentiae* nullius connotat existentiam; intelligit enim Deus omne quod potest.“ *1. dist. 39. dub. 3.*

[3] „Praescientia dicit quid aeternum et ab aeterno; cum enim non importet nisi duo, scilicet antecessionem et scientiam, et antecessio omnis creaturae sit ante omnem creaturam, et scientia naturaliter; patet, quod praescientia quid aeternum dicit.“ *1. dist. 38. dub. 2.* — „Sicut dici consuevit, triplex est Dei cognitio, non quantum ad diversitatem cognitionum, sed cognitorum, scilicet cognitio approbationis, intelligentiae et visionis. Cognitio approbationis est solummodo de eis, ad quae se extendit beneplacitum voluntatis: et hoc est solummodo de his, quae fiunt et bona sunt; et haec absque dubio potest esse plurium. Cognitio vero intelligentiae dicitur cognitio, qua Deus cognoscit omne possibile et sibi et aliis, et hac cognoscit Deus infinita; et haec nullo modo potest esse plurium. Cognitio visionis est eorum, quorum ab aeterno fuit praevisio; et haec solum est eorum, quae sunt, vel fuerunt, vel erunt, et haec cognitio potest esse plurium, quam sit.“ *1. dist. 39. a. 1. q. 3.*

[4] „Divina cognitio potest considerari aut in se, aut in comparatione ad creaturas. Si in se, aut prout dicit pure cognitionem per modum speculationis, aut prout dicit speculationem junctam affectioni. Primo modo est scientia, secundo modo est sapientia. Vel sic, aut dicit cognitionem simplicem, aut per rationem nobilissimam, sive per causas nobilissimas, quae ipse Deus sunt. Primo modo est scientia, secundo modo est sapientia. Si autem consideretur in comparatione ad res, hoc potest esse dupliciter. Aut connotat eventum, et sic est praescientia: aut effectum, et hoc dupliciter, aut in conservando, sive gubernando, et sic est providentia: aut in efficiendo, et hoc dupliciter, aut quantum ad bonum naturae, et sic est dispositio: aut quantum ad bonum superadditum, et sic est

praedestinatio: aut quantum ad ejus privationem, et sic reprobatio. Sed quia privatio gratiae non est effectus, sed defectus; ideo reprobatio non hic numeratur, sed continetur sub praescientiae nomine, et ipsum sibi appropriat. Unde divisio potest sic formari: Cognitio Dei aut est in se, aut in comparatione: si in se, aut per rationem nobilissimam, et sic sapientia: aut per qualemcumque rationem, et sic est scientia. Si in comparatione, aut eventuum, et sic praescientia: aut eventuum et effectuum, et hoc vel in gubernando, et sic est providentia: vel in efficiendo, et sic, si respectu cujuscumque naturae, est dispositio: si respectu rationalis, sic praedestinatio: aut eventuum et effectuum et defectuum, et sic reprobatio, quae est praescientia nominata per appropriationem." *1. dist. 35. dub. 3.*

[5] „Differunt causa et ratio causalis, quia causa dicit principium productivum, ratio vero causalis dicit regulam dirigentem illud principium in sua operatione." *2. dist. 18. a. 1. q. 2.*

[6] „Liber vitae dicitur Dei notitia, et virtus divina, qua in nobis est nostrorum oblitorum recordatio." *4. dist. 43. a. 2. q. 1.* Vide infra, *part. VII. c. 1.* — „Sicut ars et exemplar est totius Trinitatis, tamen appropriatur Filio; sic liber vitae. Sed notandum, quod creaturarum ad Deum est duplex comparatio. Una in exeundo; et haec est omnium creaturarum, quia omnes a Deo exierunt. Alia est in redeundo; et haec est creaturarum ad beatitudinem ordinatarum, quia egressus est per virtutem, et quies per beatitudinem. Quantum ergo ad primam comparationem dicitur Filius ars plena omnium rationum viventium; et scriptura istius libri est aeterna dispositio omnium producendorum quantum ad suas rationes et ideas. Quantum ad secundam comparationem dicitur Filius liber vitae; et scriptura istius libri est praedestinatio omnium salvandorum quantum ad ipsos, et gratiam et gloriam, quam habituri sunt. Sed attendendum quod gratiam, per quam est regredi ad Deum, quidam habent temporaliter, quidam vero finaliter. Qui habent finaliter, ipsi scribuntur, et eorum gratia, quoniam ipsi redeunt per gratiam. Qui autem temporaliter, ipsi quidem in praedestinatione scripti non sunt, quia non sunt praedestinati. Sed eorum gratia scripta est secundum veritatem et merita, quae nunquam remunerabuntur; et ratione illius scribi dicuntur, non simpliciter, sed solum secundum reputationem, quia justitia divina ad tempus judicat eos gloria dignos, et cum cadunt, judicat indignos; ideo dicuntur deleri, non quia prius sint scripti et postmodum deleti, sed quia prius secundum merita scripta judicantur digni, deinde indigni." *4. dist. 43. a. 2. q. 2.*

[7] „Duplex est exemplar, quoddam interius in mente artificis, sicut ratio, secundum quam artifex producit sua opera. Quoddam exterius, ad quod aspiciens ille, qui ignorat artem, aliquo modo regulatur." *3. dist. 11. a. 1. q. 2.* — „Ratione exemplaritatis res actualiter sunt in Deo: ratione creationis potentialiter, quia possunt produci." *1. dist. 36. a. 1. q. 1. ad 2.*

[8] „Speculum enim habet in se quamdam naturam vasis continentis et medii deducentis et formam apparentis imaginis, cum superirradiatione illustrantis luminis." *De Sac. Script. Myster.* § 54. *Supplem. vol. 1.* — Et idcirco „speculum est Dei Filius, immaculatum actu et potentia. Speculum etiam est Angelus, secundum Dionysium, purum et clarissimum, licet immaculatum actu, maculatum tamen potentia, saltem remota. Speculum est etiam spiritus humanus, in quo relucet imago divina, maculatum actu et potentia. Speculum etiam dicitur omnis creatura, quia per eam, tamquam per ejus vestigium, repraesentantur Dei invisibilia: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, a creatura mundi intellecta conspiciuntur (Rom. 1, 20): Videmus nunc per speculum in aenigmate (1. Cor. 13, 12).* Speculum etiam est sacra Scriptura." *Exp. in Sap. c. 7. v. 26.* — „Est duplex speculum, quoddam naturale et quoddam voluntarium. Speculum naturale, sicut naturaliter suscipit, ita et naturaliter reddit, et ita nihil occultat . . . Speculum autem voluntarium non est in actu manifestationis eorum, quae in se continet, nisi cum hoc facit voluntas: et tale est speculum spirituale." *2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 6. ad 5.*

[9] „Ubicumque est Deus, sive per naturam, sive per gratiam, est essentialiter, potentialiter, praesentialiter. Diversitas autem modorum essendi accipitur pene diversitatem effectuum, et non qualemcumque, sed solum trimembrem. Quidam enim est effectus, secundum quem comparatur res ad Deum per modum exeuntis: et hi omnes continentur sub modo naturae, extenso nomine. Quidam per modum redeuntis: et hic est effectus gratiae inchoatae, vel consummatae, ut gloriae: et quantum ad hunc est secundus modus essendi. Quidam est effectus, secundum quem comparatur creatura ad Deum ut perveniens, vel perficiens: et hic est effectus unionis, in qua uniuntur in unitate personae creatura et Creator, ut homo et Deus. Quoniam ergo tres sunt modi effectuum, secundum quos creatura diversimode comparatur ad Deum; ideo tantum tribus modis dicitur esse in rebus. Et primus, qui attenditur quantum ad exitum, assimilatur lineae rectae: secundus quantum ad reditum, lineae reflexae: tertius quantum ad perfectionem, assimilatur circulo. Et primus quidem modus similis est lineae; secundus, quia includit primum, similis est superficiei; tertius, quia utrumque, similis est soliditati. Et ideo optime dicit Apostolus *(Coloss. 2, 9)*, quod in Christo tota divinitas habitat corporaliter, est enim perfectissime in eo, quia est ad modum circuli, qui est figura perfecta, et per modum altitudinis, quae est quantitas perfecta." *1. dist. 37. p. 1. a. 3. q. 2.*

[10] „Intellectualis lux est veritas, quae est radians super intelligentiam sive humanam sive angelicam, quae inextinguibiliter irradiat, quia non potest cogitari non esse. Irradiat autem aliquid tripliciter, ut veritas rerum, ut veritas vocum, ut veritas morum. Ut veritas rerum est indivisio entis et esse, ut veritas vocum est adaequatio vocis et intellectus, ut veritas morum est rectitudo vivendi; quod patet ex parte principii, quod irradiat; ex parte subjecti, quod irradiationem suscipit, ex parte objecti, ad quod irradiat. In quantum est haec lux causa essendi, est lux magna: in quantum est ratio intelligendi, est lux clara: in quantum est ordo vivendi, est lux bona . . . Ut lux magna, irradiat ad comprehensionem substantiarum, sive essentiarum, figurarum et naturarum mundialium: ut lux clara, irradiat ad comprehensionem locutionum, comprehensionum, argumentationum, persuasionum rationabilium: ut lux bona, irradiat super intelligentiam, vel illustrat, ad comprehensionem modestiarum, industriarum, ju-

stitiarum. Ad comprehensionem modestiarum quantum ad exercitationes consuetudinales, ad comprehensionem industriarum quantum ad speculationes intellectuales, ad comprehensionem justitiarum quantum ad leges politicas." *In Hexaëm. serm. 5. in princ.* — „Sicut Deus est causa essendi, ita est ratio intelligendi et ordo vivendi; sed Deus sic est causa essendi, quod nihil potest ab aliqua causa effici, quin ipse seipso et sua aeterna virtute moveat operantem, ergo nihil potest intelligi, quin ipse sua virtute immediate illustret intelligentem." *Quaest. anecd. etc. n. 25.*

[11] „In Deo est cognitio approbationis et simplicis notitiae; et notitia approbationis connotat complacentiam voluntatis. Hac non cognoscit Deus omnia, quia nec mala, nec malos, sed tantum bona et bonos . . . Est alia cognitio simplicis notitiae; et haec quia habet rationem cognoscendi a veritate, quae est lux summa, cui nihil potest occultari, nec etiam tenebrae obscurantur ab ipsa; ideo de necessitate cognoscit omnia, magna et parva, bona et mala." *1. dist. 39. a. 1. q. 2.*

[12] „Idea, sive ratio cognoscendi, plus se tenet secundum rationem intelligendi ex parte cogniti. Similitudo enim, secundum quod hujusmodi, non dicit respectum ad id, in quo est, sed cujus est; sed verbum plus se tenet a parte dicentis, similiter et ars et exemplar ex parte producentis: et quia multa sunt cognita, et unum cognoscens; ideo ideae sunt plures, et ars tantum una. Vel aliter, ratio et idea dicunt respectum ad res, in quantum distinctae sunt, non sic alia vocabula." *1. dist. 35. a. 1. q. 3. ad 2.*

[13] „Res tripliciter sunt in Deo, videlicet ut in principio producente, et sic sunt ibi ratione potentiae. Ut in exemplari exprimente, et sic sunt ibi ratione notitiae. Et ut in fine conservante, et sic sunt ibi ratione voluntatis. Primo modo, quia sunt in Deo sicut in principio producente, cum totum ex nihilo producat Deus, nihil omnino sunt in Deo, nec vita, nec aliquid. Quia vero sunt in Deo tamquam in fine conservante, cum conserventur secundum esse quod habent, sic sunt quaedam vita, quaedam non. Unde quaedam sunt tantum, quaedam sunt et moventur, quaedam (ut homines) et sunt et moventur et vivunt. Quia vero sunt in Deo, ut in exemplari exprimente, sic sunt in ipso vita. Et quia non solum in illo exemplari exprimuntur entia, sed etiam omnia cognoscibilia; ideo omnia sunt in Deo vita, quae in ipso sunt. Et ideo dicit B. Joannes: *Quod factum est, in ipso vita erat (Jo. 1, 3—4).*" *1. dist. 36. a. 2. q. 1.* — „ . . . Ad illud quod quaeritur, quare magis dicuntur res esse in Deo vita quam alia, dicendum quod quamvis praedictum verbum multas habeat expositiones, quo dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat (Jo. 1, 3—4);* tamen specialiter circa hoc verbum consideranda est veritas dicti et ratio dicendi. Veritas dicti, ut dicit Augustinus, est quod omnes res factae a Deo, vel etiam possibiles fieri, habent rationes, per quas intelliguntur: quae quidem rationes vivere dicuntur, quia sunt in substantia vivente, secundum quod vivens; et sunt etiam ratio intelligendi, qui est actus vitae: et ideo in artifice creato dicuntur vivere, sed in Deo non tantum dicuntur vivere, sed etiam ipsa vita, quia ipsa ratio cognoscendi est ipsa intelligentia. Ratio autem dicendi fuit haec. Cum enim res habeant esse in Deo et in universo, et diversimode, quia aliquas proprietates habent secundum existentias in mundo, quae non competunt eis, secundum quod sunt in Deo; ideo non solum dixit: *Quod factum est, in ipso erat,* sed vita, ut omnes illae conditiones excluderentur. Creaturae enim in mundo habent esse corporale, variabile et corruptibile. Quoniam enim vita est actus spiritualis et continuus, fluens ab ente quieto et sempiterno, dictum est quod res sunt in Deo vita, ut per spiritualitatem excludatur corporeitas, per quietem variabilitas, per sempiternitatem corruptibilitas." *Ibid. ad 4.*

[14] „Deus cognoscendo se alia a se intuetur; et cum ejus cognitio ipsemet sit Deus, eodem modo cognoscit se et alia." — „Est quaedam cognitio, quae causatur et ortum habet a cognoscibili: et haec, quoniam a cognoscibili causatur et dependet, variatur secundum exigentiam cognoscibilis quantum ad rem et modum. Et est alia cognitio, quae secundum rem idem est quod cognoscens, et a cognoscibili non causatur, nec dependet: et haec accipit identitatem quantum ad rem et modum a parte cognoscentis, non a parte cogniti. Quoniam ergo divina cognitio a rebus non dependet, nec causatur, sed est idem quod Deus, et Deus eadem essentia et eodem modo se habens; ideo una cognitione et eodem modo cognoscit Deus se et alia a se, quia per seipsum nullo modo variatum, nec diversificatum." *1. dist. 39. a. 2. q. 1.*

[15] „Cognoscere aliud est dupliciter, aut per aliud a se cognoscere, aut per se. Quando cognoscens cognoscit aliud et per aliud, tunc verum est, quod perfectionem habet aliunde; et tunc ejus intellectus est in potentia, et recipit aliunde perfectionem, et ideo additionem et transmutationem: et hoc omnino impossibile est circa Deum. Est iterum aliud cognoscere per se; et tunc cognoscens est actu respectu cognoscibilis, et tunc non recipit perfectionem a cognoscibili, sed magis e converso: et hoc modo ponimus Deum aliud cognoscere a se per seipsum. Ad illud, quod objicitur, quod si Deus cognoscit aliud a se, ergo aliquid extra se, dicendum quod cognoscere aliquid extra se est tripliciter. Aut per aliquid conceptum ab extra, et sic dependet cognitio ab extrinseco; et sic non est possibile ponere in Deo. Aut est cognoscere aliquid extra, quia aspectus cognoscentis deflectitur extra, sicut cognoscit Angelus. Aut quia illud, quod est aliud et diversum, habet ortum ab intra; et ita, quod est extra, cognoscitur per omnino intrinsecum; et hoc modo cognoscit Deus, scilicet per exemplar, quod est idem quod ipse, a quo res cognoscuntur." *1. dist. 39. a. 1. q. 1. ad 1. et 2.*

[16] „Cognitio divina rerum non est per modum complexionis, prout complexio cadit in intellectu, sed bene res complexas in se, vel complexas per intellectum nostrum cognoscit." — „Cognoscere res per modum complexionis potest intelligi tripliciter. Aut enim modus complexionis cadit circa rem; et sic est sensus: Deus cognoscit res existere, vel se habere per modum complexionis, sive compositionis. Et hoc est verum, cognoscit enim res esse sicut sunt. Alio modo, ut modus complexionis cadat circa rem, ut est expressa per intellectum nostrum; et tunc est sensus, quod Deus cognoscit res non tantum ut sunt, sed etiam ut intellectus exprimit, cognoscit enim res et voces, sive intellectus illas significantes. Et hoc

verum est. Tertio modo potest intelligi, ut modus complexionis cadat circa intellectum divinum. Et hoc modo falsum est, hoc enim spectat ad intellectum, qui intelligit multa, et per multa, quae oportet complecti. Deus autem multa intelligit uno, et ita simplici modo, nec magis est simplex intellectus ejus intelligendo unum, quam multa. Unde intelligere multa per modum complexionis nec est omnino virtutis, nec omnino imperfectionis; et ideo non ponitur nec in cognitione infima, ut sensitiva, nec in cognitione suprema, ut in divina, et fortassis non etiam est in cognitione suprema ipsius animae, quae dicitur intellectiva, prout est in suo summo, cognoscit enim per modum simplicis aspectus . . . Ad illud, quod objicitur, quod tunc cognoscit res sub ratione futuritionis et praeteritionis, dicendum quod modus divinae cognitionis potest accipi vel secundum se, vel a parte cogniti. Si a parte cogniti, dico quod omnino cognoscit rem esse, et ita mutabiliter esse, ita composito modo esse, sicut est; et ita de omnibus: et sic cognoscit rem praeteritam esse praeteritam, et futuram esse futuram, et non praeteritam esse praesentem. Potest iterum accipi a parte sui; et sic, cum cognitio Dei sit omnino simplex, omnino praesens, omnia cognoscit per modum simplicitatis et per modum praesentialitatis. Unde quod dicit: Omnia sunt praesentia apud Deum, hoc dictum est quantum ad cognitionem, in qua nulla cadit successio; ideo nec novum, nec vetus, nec praeteritum, nec futurum: in actu autem cognitionis angelicae et humanae cadit successio; et ideo praeteritum et futurum. Et praeterea non ita dicuntur omnia praesentia animae cognoscenti, sicut Deo: et hoc manifestum est, quia *nunc aeternitatis*, quod est semper praesens, complectitur omnia temporalia; et ideo patet quo modo sit intelligendum." *1. dist. 41. a. 2. q. 1. concl. et ad 4.*

[17] „Praesens divinae aeternitatis circumplectitur omne tempus idem et uniforme; et hoc dicit Anselmus *(lib. de conc. praesc. et lib. arb.)*, quod sicut praesens tempus circumplectitur omnem locum, et omne quod in loco est, ita praesens aeternitatis omne tempus: et hoc necessarium est poni, quamvis non possimus hoc plene intelligere." *1. dist. 40. a. 2. q. 1. ad 4.*

[18] „Cognoscere omnia praesenter dupliciter potest intelligi. Aut quod notetur praesentialitas a parte cognitorum; et sic est falsa, quia non cognoscit omnia esse vera praesenter et simul. Aut ita quod notetur praesentialitas a parte cognoscentis; et sic habet veritatem. Et ratio hujus est, quia Deus omnium ideas habet praesentes, et simul, per quas cognoscit res futuras ita certitudinaliter, sicut si essent praesentes. Et iterum, super omnes illas simul et praesenter se convertit, et ita simul et praesenter cognoscit. Et iterum, praesens suae cognitionis est praesens simplicissimum, quod circumplectitur omnia tempora. Ex his tribus rationibus simul junctis dicitur Deus omnia praesenter cognoscere. Et rationes istae ortum habent ex hoc, quod praesentialitas divinae cognitionis, quae quidem aeternitas est, est simplex et infinita. Quia simplex est, ideo semper praesens. Quia infinita, ideo sunt ei omnia praesentia. Et exemplum hujus ponitur in praesentialitate Dei quantum ad rerum existentiam, secundum quam Deus totus est in una; et ita est in una, ut nihilominus sit et in alia; et hoc est, quia simplex est et infinitus: ideo Deus judicat aliquid esse futurum, sed non futurum sibi, et omnia praesenter cognoscit, et tamen nihilominus praescit." *1. dist. 39. a. 2. q. 3.* Cfr. quoque *1. dist. 35. a. 1. q. 1. ad 3.*

[19] „Cum quaeritur, utrum Deus sciat res immutabiliter, hoc est duplex, quia haec determinatio *immutabiliter* potest determinare actum sciendi Dei, vel actum essendi rerum. Si actum sciendi Dei; sic omnino verum est, quod immutabiliter scit, quia circa ejus actum et cognitionem non cadit *transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. 1, 17)*. Si autem determinet actum essendi rerum, sic falsum est de rebus mutabilibus, quia Deus scit eas mutabiles et novit ipsarum mutabilitatem et scit se habere nunc aliter quam prius; sed tamen novit immutabiliter. Et ratio hujus est, quoniam in ejus cognitione non est receptio, non est successio, nec est oblivio; et ideo quantumcumque res sint mutabiles, ipse non mutatur in cognoscendo mutabilitatem earum. Et quamvis nullum sit simile, potest tamen cogitari, si intelligatur, vel cogitetur oculus fixus in pariete, qui seipso videat transeuntes sine receptione, et unico aspectu omnes videat, et omnes motus ipsorum, quantumcumque res mutentur; tamen nec oculus mutatur, nec ejus cognitio: et sic est in Deo. Exemplum autem ad hoc intelligendum potest sumi a contrario sic. Quia enim scientia causata pendet a scibili, et non e converso; ideo potest esse mutatio circa scientiam per oblivionem et errorem et successivam considerationem, nulla facta mutatione in scibili. Sic contrario modo, quia scientia divina non pendet ex re scita, potest esse mutatio circa scibile, nulla mutatione existente in divina scientia, et tamen illa scientia totum scit." *1. dist. 39. a. 2. q. 2.* — „Si dicatur: Deus vult hoc esse futurum, ab aeterno voluit; sed tamen causa in actu, sive actualiter causans, non fuit nisi quando facere voluit, id est, pro illo instanti, in quo actus voluntatis copulatur operi, non autem ipsi subjecto volenti. Et sic patet, quo modo sit causa actualis in tempore, nulla facta in ea mutatione, quia continue voluit, et ita in actu fuit; sed causans in actu non fuit nisi pro tempore, pro quo voluit; ita nulla circa Deum voluntas incepit, sed solus effectus incepit." *1. dist. 45. dub. 9.*

[20] „Omnis divina actio, quae respicit objectum, quod potest non esse, potest desinere. Unde cum Deus conservet rem creatam, potest desinere conservare; ergo cum praescire sit respectu contingentis, erit contingens." — „Deum praescire futurum contingens est quoddam dictum, quod claudit in se actum divinae cognitionis aeternum, et ordinationem dicit ad futurum contingens. Et quamvis actus divinae cognitionis ponat aliquid existens necessarium et aeternum, illa tamen ordinatio ponit futurum, quod contingens est. Et iterum, quamvis dicat ordinationem, non tamen dicit dependentiam, sed solum connotationem; et ideo non ponit incertitudinem. Hinc est, quod Deum praescire futurum est contingens, ratione connotationis ad contingens; est immutabile, ratione ordinationis ad futurum, quod potest non esse, nulla facta mutatione; est certum, ratione independentiae ab eodem." *1. dist. 38. a. 2. q. 2. fund. 4. et ad 7.*

[21] „Quia est causa conservans, est dux gubernans. Praecst enim ad dirigendum omnes actus, secundum quod

gubernabiles sunt, non sicut artifex domum dimittit, sed res conservat et dirigit. Ideo habet apud se normas directissimas. Nec est idem modus, ut creatura manat a Creatore secundum formas expressivas, et secundum quod a mente divina emanant regulae secundum directionem aeternarum regularum. Item quia doctor est, ipse docet infallibiliter, et certificat sic, quod impossibile est aliter se habere, secundum sententiam omnium doctorum. Christus est doctor internus, nec scitur aliqua veritas, nisi per ipsum, non loquendo sicut nos, sed interius illustrando; et ideo necesse est, ut habeat clarissimas species apud se, non tamen ab alio accipit. Ipse enim intimus est omni animae, et suis speciebus clarissimis refulget super species intellectus nostri tenebrosas, et sic illustrantur species illae obtenebratae, admixtae obscuritate phantasmatum, ut intellectus intelligat. Si enim scire est cognoscere rem aliter impossibile se habere, necessarium est, ut ille solus scire faciat, qui veritatem novit, et habet in se veritatem. Item est jus rectissimae remunerationis per leges justissimas. Si ergo juste praemiat, necesse est, ut habeat leges justissimas. Loquitur ergo scriptura de ipso, ut est exemplar, ut omnis creatura vivit in formis aeternis; unde Joannes *(1, 3—4): Quod factum est, in ipso vita erat.* Scivit autem per cognitionem et amorem; et qui hoc negat, negat praedestinationem aeternam. Nam ab aeterno novit Deus creaturam, et amat eam, quia praeparavit eam gloriae et gratiae. Item habet normas directissimas; unde Apostolus *(Hebr. 10, 16)*, et Jeremias *(31, 33): Dabo leges meas in visceribus eorum; et in corde superscribam eas.* Superscribit enim primo in natura; secundo in industria, seu in progressu; tertio in gratia; quarto in gloria. In quocumque statu dat normas suas; ergo necesse est, ut in se habeat eas. Item quia est lux illustrans sapientia, est enim speciosior sole, quia licet sol habeat rationem radiandi, non tamen species in se descriptas habet; et ideo illud exemplar est pulchrius, quia cum hoc quod lucet, habet species claras. Item est jus per se judicans, ut in Apocalypsi *(20, 12): Libri aperti sunt, et alius liber apertus est,* scilicet liber vitae et liber conscientiae. Per librum vitae habet anima vivere et judicare: et si liber conscientiae concordat cum libro vitae, approbatur; si autem discordat, reprobatur. Unde Psalmus *(138, 16): Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur,* id est, manifestabuntur scripti, non de novo scribentur: in hoc libro scribuntur omnes leges aeternae. Deus ergo est exemplar aeternum; et haec est fides, quae credit Deum esse conditorem rerum etc. Et super hoc fertur speculatio, ut sit ars praestantissime repraesentans. Haec autem ars et est una et multiplex: quomodo autem hoc esse potest, videri non potest, nisi veniat illuminatio a montibus aeternis, et tunc turbabuntur insipientes corde et stulti *(Ps. 75, 5).* Oportet enim alte sentire de Deo. Est autem multiformis, qui multa repraesentat, et certitudinaliter. Unde melius video me in Deo, quam in meipso. Est tamen summe una. Ad hoc notandum, quod causa prima est prima et immediata; quia prima, ideo nihil habet ab alio, sed omnia ab ea; et est immediata, quia causa immediata nobilior est mediata. Quia ergo prima, ideo potentissima; ergo multa potest. Item quia immediata; ideo est actualissima, quia causa immediata in actu est, etiam actualissima, eo quod immediata, quia actus immediatior quam potentia; non autem est actualissima secundum efficientiam, sive secundum actum extrinsecum, quia non statim facit quidquid potest; ergo est actualissima secundum actum intrinsecum, qui est dicere. Unde ab aeterno dixit hoc faciendum, et hoc in tempore fit: haec causa est, quia est una, et summe simplex; et in eo quod summe simplex, est infinita, quia virtus, vel causa, quanto magis unita et simplex, tanto magis infinita, non quidem distensione molis, sed virtutis. Haec est lux inaccessibilis, et tamen proxima animae, etiam plus quam ipsa sibi ipsi. Est etiam inalligabilis, et tamen summe intima. Hoc autem videre non est, nisi hominis suspensi ultra se in alia visione; et quia volumus videre simplici intuitu, quo modo illa ars est una, et tamen multiplex, quia immiscet se cum phantasia; cogitare non possumus, quo modo infinita sit, nisi per distensionem, et ideo videre non possumus simplici intuitu, nisi ratiocinando. Quia ergo illa ars est causa, sequitur, quod in illa arte est repraesentatio causabilium causaliter, quia rationes illae causae sunt. Ideo sunt in causante; et hinc est, quod causae sunt contingentium infallibiliter. Quod enim contingens est, infallibiliter repraesentatur, exprimit enim modum, qui accidit infallibiliter in re, quia secundum quod in se et apud se est, exprimit. Vera enim est contingentia a parte rei, ita et infallibilitas ex parte Dei. Item mutabilium immutabiliter; materialium immaterialiter, quia illae rationes non sunt materiales; possibilium actualiter; partibilium impartite, quia non est major ratio montis, quam milii, nec etiam in anima nostra; accidentium substantialiter, sed illae rationes sunt in Deo substantia, quae est Deus; corporalium spiritualiter; temporalium sempiterne; distantium, indistanter, etiam in anima; dissonantium, indissonanter, ut ratio albi et nigri; deficientium indeficienter, quia quidquid est ibi, vita vivit. Ad hos splendores exemplares ratio duxit et fides.“ *In Hexaëm. serm. 12. ant. med.*

[22] „Divina praescientia est, et tamen non imponit rebus necessitatem. Omnia enim sic praecognoscit esse eventura, sicut eventura sunt; et ideo cum multa sint eventura contingenter, ut illa quae sunt a libero arbitrio, et a casu et a fortuna, sicut praescit haec esse futura ab istis, sic praescit modum contingentiae, secundum quem sunt ab istis.“ *1. dist. 38. a. 2. q. 1.* — „Casus et fortuna sunt causae per accidens, non quia aliae causae accidant per se, sed quia, quando natura et intellectus aliquid faciunt, ad quod directe ordinantur, propter consensum alterius causae, ibi est casus, ut patet de creditore invento in foro, et lapide cadente super caput. Dico ergo, quod si eventus rerum comparentur ad causam primam, quae Deus est, cum Deus omnia praevideat, nihil est casuale, secundum divinae praescientiae ordinationem. Si autem loquimur per comparationem ad causas creatas, aut circa causas immutabiles, sicut circa motum superiorum corporum, aut circa mutabiles, sicut sunt causae inferiores, quae sunt sub sole, in dispositione causarum istarum mutabilium vix est, quin concurrat aliquis effectus non intentus, imo praeter intentionem: et ideo invenitur casus in omnibus, non quod omnia casu eveniant, sed circa omnem mutabilem creaturam aliquid evenit casuale.“ *Expos. in Eccles.*

c. 9. v. 11. — „Etsi casuale et fortuitum, secundum id, quod est, sit a Deo, in quantum tamen casuale vel fortuitum, a Deo non est. Et ratio hujus est, quia casuale et fortuitum aliquid ponunt, utpote effectum, qui est ex concursu causarum ob aliud incoeptarum. Aliquid etiam privant, dicit enim casus et fortuna defectum intentionis et praecognitionis. Et quoniam operatio causarum et concursus ad producendum tales effectus aliquid ponit; ideo a Deo est: quia vero privatio intentionis defectus est, ideo a Deo non est. Et quoniam casuale et fortuitum, ut sic nominantur, imposita sunt a tali defectu; hinc est, quod non sunt concedenda a Deo esse.“ *2. dist. 37. a. 2. q. 2.*

[23] „Sicut ratio cognoscendi est una, et tamen plura cognita distinctissime repraesentat secundum proprias conditiones; sic divina cognitio, quantum ad modum cognoscendi, qui est in ipsa, est una et simplex, non distincta; sed in comparatione ad objectum distincte cognoscit. Quando ergo dicitur: Deus cognoscit omnia distincte, si distinctio ponitur in cognitione per comparationem ad cognoscentem, falsa est; si autem per comparationem ad cognitum, sic habet veritatem.“ *1. dist. 35. a. 1. q. 2. ad 4.*

[24] „Licet Deus mala cognoscat, ipsa tamen non sunt in Deo, atque ob id potissimum, quod eum causam non habeant exemplarem.“ — „Mala a Deo cognoscuntur, non tamen in Deo existunt, secundum quod mala, quia sic loquimur in proposito. Ideo, inquam, cognoscuntur, quia sicut rectum est judex sui et obliqui, sic summa veritas et lex et actus est ratio cognoscendi non tantum veritatem et lucem et actum, sed etiam obliquitatem, tenebram et privationem. Unde lux seipsa tenebram cognoscit. Non sunt autem mala in Deo, quoniam illa dicuntur esse in Deo, ad quae cooperatur Deus secundum aliquod genus causae, et maxime secundum genus causae formalis et exemplaris: malum autem non habet Deum pro causa formali et pro exemplari, quia malum ratione malitiae dicit solum privationem, exemplar autem, secundum quod hujusmodi, dicit assimilationem. Hinc est, quod nec malum, nec falsitas habent ideam in Deo; suum autem oppositum est assimilabile. Unde cum uno et eodem cognoscat Deus bonum et malum sibi oppositum, bonum cognoscit secundum rationem assimilationis; et ideo bonum est in Deo, ut in exemplari, et ut cognitum per se, et per modum positionis: malum autem, cum cognoscatur a Deo, non habet in ipso ideam; ideo non est in Deo, quamvis sit in Dei cognitione, quia quamvis cognoscatur a Deo, non tamen cognoscitur per ideam sui, sed boni, cujus est privatio; et ideo dicitur cognosci per accidens et per privationem.“ — „Imperfecta sunt in Deo non ratione imperfectionis, quae privationem dicit, sed ratione illius, quod imperfectioni subest.“ — „Ad hoc dixerunt aliqui, quod imperfecta non sunt in Deo, nec cognoscuntur a Deo per aliquam ideam propriam, sed per ideam suorum oppositorum, ut materia per ideam formae, potentia per ideam actus, multitudo per ideam unitatis. Sed illud stare non potest. Cum enim ista dicant entitatem aliquam, et ita veritatem, de necessitate aliquam assimilationem habent ad primam veritatem, et ita rationem exemplaritatis; et ideo necessario sunt in Deo. Propterea intelligendum quod, cum quaeritur, utrum imperfecta habeant ideam in Deo, hoc dupliciter potest intelligi, aut ratione ipsius, quod subest, aut ratione imperfectionis. Si ratione imperfectionis, cum imperfectio sit privatio, et privatio non dicat ens, nec aliquid a Deo, nec assimilabile; sic non habet ideam. Si autem ratione ejus, quod subest, sicut materia dicitur quid imperfectum, et materia aliquam essentiam dicit, habet ideam, sed non imperfectam. Quia sicut non viventium est idea vivens, et corporalium spiritualis; sic temporalium aeterna et imperfectorum perfecta, nec tamen malorum est idea bona. Unde notandum, quod idea dicit assimilationem extra genus. Prima autem assimilatio est in ratione entitatis in Deo. Omne igitur, quod de se dicit rationem entitatis, sive sit compositum, sive imperfectum, sive materiale, sive possibile, sive in actu, sive in potentia, potest Deo assimilari, et produci; et ideo habet esse in Deo. Quod autem dicit privationem, hoc ipso amittit rationem effectus et rationem assimilationis; et ideo falsitas et malitia ideam non habent, nec sunt a Deo, nec in Deo.“ *1. dist. 36. a. 3. qq. 1—2.*

[25] „Creatura egreditur a Creatore, sed non per naturam, quia alterius naturae est; ergo per artem, cum non sit alius modus emanandi nobilis, quam per naturam, vel per artem, sive ex voluntate; et ars illa non est extra ipsum: ergo est agens per artem et volens: ergo necesse est, ut habeat rationes expressivas. Si enim dat formam huic rei, per quam distinguitur ab alia re, vel proprietatem, per quam distinguitur; necesse est, ut habeat formam idealem, immo formas ideales.“ *In Hexaëm. serm. 12. in princip.*

[26] „Hoc nomen, *Idea*, significat divinam essentiam in comparatione, sive in respectu ad creaturam. Idea enim est similitudo rei cognitae. Quae quamvis in Deo sit quid absolutum, tamen secundum modum intelligendi dicit respectum medium inter cognoscens et cognitum. Et quamvis ille respectus secundum rem plus se teneat ex parte cognoscentis, quia est ipse Deus, tamen ratione intelligendi, sive dicendi, similitudo plus se tenet ex parte cogniti. Et quoniam cognoscens est unum, et cognita sunt multa; ideo omnes ideae in Deo sunt unum secundum rem, sed tamen plures secundum rationem intelligendi, sive dicendi.“ *1. dist. 35. a. 1. q. 3.* Cfr. etiam *serm. 12. in Hexaëm. circ. med.*

[27] „Aliquid dicitur esse in aliquo tripliciter, vel secundum actualem existentiam, vel secundum similitudinis praesentiam, vel secundum causativam potentiam. Primo modo sunt res in universo; secundo modo in cognitiva substantia; tertio modo in sua causa. His duobus modis ultimis res sunt in Deo, quia est cognoscens res, antequam fiant, et potens producere. Unde quia ab aeterno cognoscit, et potentia, qua produxit ex tempore, in Deo fuit ab aeterno; ideo dicuntur res fuisse in Deo ab aeterno.“ *1. dist. 36. a. 1. q. 1.* His verbis principium fundamentale doctrinae Ontologorum evertitur. Vide inferius *part. II. cap. V; cap. IX,* et *cap. XI.*

[28] „Ideae, cum sint rationes cognoscendi in Deo, cujus sapientiae non est numerus, in finito numero poni non debent.“ — „Dicendum quod, sicut dicitur in Psalmo *(146, 5):* Divinae *sapientiae non est numerus;* ac per hoc nec rationum, per quas divina sapientia cognoscit. Et quoniam non habent numerum, non sunt numerabiles; ideo non sunt in numero finito ... Ad illud quod objicitur, quod omne scibile est finitum, dicendum quod omne scibile

per comprehensionem est finitum comprehendenti, rationes autem aeternae per comprehensionem a solo Deo sciuntur; ideo soli Deo sunt finitae ... Ad illud quod objicitur, quod multitudo idearum est a multitudine ideatorum, dicendum quod non venit a multitudine ideatorum in quantum creata, sed in quantum connotata: idea autem ideatum connotat non secundum actualem existentiam, sed solum secundum potentiam. Et quia Deus potest facere infinita, quamvis nunquam faciat nisi finita; ideo ideae vel rationes cognoscendi sunt in Deo infinitae, quia non tantum sunt entium et futurorum, sed omnium Deo possibilium. Nihil enim potest Deus, quod non actu cognoscat. Ad illud quod objicitur, quod infinitas ponit confusionem, dicendum, quod est ponere infinitatem secundum diversitatem realem; et sic privat et distinctionem et ordinem, si ponatur actu. Sed multitudo idearum non est rerum diversarum, sed dicit immensitatem divinae veritatis in exprimendo et cognoscendo omne, quod est Deo possibile: et hoc quidem secundum rem et actum est unum; ideo non est confusio. Ad illud quod objicitur, quod imperfectionis est infinitas in creatura, dicendum quod, quamvis sit imperfectionis in creatura, non tamen est in Creatore, quia est intelligere infinitatem per defectum et per excessum. Infinitas per defectum potest esse in creatura, ut in materia, et hoc est imperfectionis: hoc autem nullatenus est in Creatore. Infinitas autem per excessum non potest simpliciter esse in creatura, quoniam habet esse creatum et compositum et limitatum, Deus autem nihil horum habet; et ideo habet infinitatem, et hoc est summae perfectionis." *1. dist. 35. a. 1. q. 5. concl. et ad 1—4.*

[29] „Idea in Deo secundum rem est divina veritas, secundum rationem intelligendi est similitudo cogniti. Haec autem similitudo est ratio expressiva cognoscendi non tantum universale, sed etiam singulare, quamvis ipsa non sit universalis nec singularis, sicut nec Deus; et ideo non tantum est similitudo universalis, ut universale est, sed etiam singularis, ut singulare. Et ideo, quia similitudo est utrorumque, non solum multiplicatur secundum multitudinem universalium, sed etiam singularium." *1. dist. 35. a. 1. q. 4.*

[30] „Deus non dicitur causa universalis, nec particularis simpliciter, sed aliquid habet de nobilitate causae universalis, quia potest in plurimos effectus; similiter aliquid de causa particulari, quia immediate et sufficienter potest in effectum quemlibet. Sic in cognitione Dei intelligendum, quod nec omnino est in universali, nec omnino in particulari. Similiter de similitudine et idea intelligendum est, quod communis est quantum ad indifferentiam et amplitudinem, propria vero quantum ad discretissimam expressionem. Ratio hujus est, quia similitudo est exprimens, non impressa, nec expressa. Quia omnino exprimens, ideo summe exprimit, et secundum omnes conditiones. Et rursus, ex hoc quod non est expressa, ideo non est arctata, nec limitata, sed extendit se ad omnia, sicut divina essentia, quamvis tota sit in uno, non tamen sic est in uno, quod non sit in alio." *1. dist. 35. a. 1. q. 2. ad 3.*

[31] „Idea dicitur similitudo rei cognitae. Similitudo autem dupliciter dicitur: uno modo secundum convenientiam duorum in tertio, et haec est similitudo secundum univocationem: alio modo est similitudo, secundum quod unum est similitudo alterius; et haec similitudo non concernit convenientiam in aliquo communi, quia similitudo sibi ipsi est similis, non tertio; et hoc modo creatura dicitur similitudo Dei, vel e converso Deus similitudo creaturae. Hoc modo sumendo similitudinem, similitudo est ratio cognoscendi; et haec dicitur idea. Sed aliter est in nobis, aliter in Deo. In nobis quidem ratio cognoscendi est similitudo, cognitum est veritas. Nam in nobis est similitudo accepta et impressa ab extrinseco, propter hoc quod intellectus noster, respectu cogniti, est passibilis, et non est actus purus; ideo fit in actu per aliquid cogniti, quod est similitudo ejus. In Deo autem est e converso, quia ratio cognoscendi est ipsa veritas, et cognitum est similitudo veritatis, scilicet ipsa creatura. Et quia ratio cognoscendi consistit in ipsa veritate prima, ideo ratio cognoscendi in Deo est summe expressiva. Et quoniam omne id, quod summe exprimit, perfectissime assimilat cognitum assimilatione competente cognitioni; ideo patet, quod ipsa veritas, ex hoc quod facit cognoscere, est similitudo expressiva et idea. E contrario est in nobis, quia eo ipso quod est similitudo, facit cognoscere." *1. dist. 35. a. 1. q. 1.*

[32] „Quod simplex est et infinitum simul et semel ...; etsi ratione simplicitatis totum se convertat ad id, ad quod se convertit, tamen ratione immensitatis nunquam se totaliter ad effectum producendum convertit." *2. dist. 2. p. 1. a. 2. q. 3. ad 4.*

[33] „Similitudo quaedam est secundum proprietatem generis; et de hac non est dubium, quod non potest esse una plurium genere differentium: et haec est similitudo, quae exprimitur et causatur a re generis determinate. Alia est similitudo simpliciter extra genus; et haec, quia ad hoc genus non arctatur, qua ratione est hujus, eadem ratione est et illius; et qua ratione est hujus, secundum partem, eadem ratione secundum totum: et talis similitudo est divina veritas et idea in Deo. Si tu quaeras, quo modo hoc possit intelligi, aliqualiter intelligi potest, quamvis non possit aptari omnino simile. Cum enim illa similitudo sit actus purus et ipsa veritas, sicut dictum est, et omnia alia cognoscibilia, quantumcumque nobilia secundum id quod sunt, comparentur ad ipsam per modum possibilis, sicut unum secundum formam potest assimilari pluribus, secundum materiam diversis; sic in proposito una realis similitudo potest esse omnium cognoscibilium. Et potest poni exemplum in luce aliquo modo, quae una secundum numerum exprimit multas et varias species colorum. In cognitione autem nostra, quoniam se habet per modum possibilis respectu cogniti, et quodammodo informabilis ab illo, non potest inveniri similitudo, imo invenitur dissimilitudo; et ideo aspiciendo ad cognitionem nostram videtur nobis in Deo non esse intelligibile." *1. dist. 35. a. 1. q. 2. ad 2.*

APPENDIX.

De sapientia, seu scientia Dei, multae quaestiones adiaphorae a Theologis exagitari solent; nobis duas praecipuas historice delibare sufficiat, quarum prima versatur de ratione, qua scientia Dei est efficax et causa rerum, secunda de medio scientiae divinae quoad futuribilia.

Quoad primam quaestionem, Molinistae asserunt, quia aliquid futurum est, ideo cognosci a Deo; non contra, quia a Deo cognoscitur, esse futurum. Iis favere videntur ea Origenis verba, quae sibi noster Seraphicus *(1. dist. 38. a. 1. q. 2. ad oppos.)* objicit. Siquidem Origenes, expendens illud Apostoli *(Rom. 8, 29): Quos praescivit, et praedestinavit,* ait: „Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed, quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat". Verum hanc sententiam ita absolute prolatam erroribus Pelagianorum et Semipelagianorum viam aperire primae notae theologi ostendunt. „Si enim, ut cl. Gazzaniga in suis *Praelect. Theol. vol. 2. diss. IV, cap. IX* ratiocinatur, dicamus Deum praevidisse ab aeterno nostra bona opera salutaria, quia futura erant; vel saltem Deum praevidisse nostrum consensum divinae gratiae, quia futurus erat, sequeretur, opera nostra bona, vel saltem bonorum operum initia, fuisse futura, antequam Deus ea decernet, adeoque ea non Deo esse adscribenda, sed nobis. Et reipsa hoc erat Fausti Semipelagianorum principis dogma in *2. lib. de gratia et lib. arb. c. 2.*" Hoc argumentum depromptum videtur a nostro Seraphico, qui *l. c. fund. 2. et 3,* haec omnino ad rem habet: „Praescientia est aeterna; ergo cum res sit temporalis, si causatur a rebus, temporale est causa aeterni; et cum causa sit prior effectu; ergo temporale prius aeterno." — „Omnis causa est nobilior suo effectu; si ergo divina praescientia causatur a re aliqua, cum divina praescientia sit increata, et res creata; ergo creatum est nobilius increato."

Ceteris autem theologis arridet sententia, inter Scholasticos communissima, quam S. Augustinus habet in *lib. XV. de Trinit. c. 13*, ubi ostendens divinam scientiam toto caelo a nostra differre, ait: „Universas creaturas, et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit. Non enim nescivit, quae fuerat creaturus: quia ergo scivit, creavit; non quia creavit, scivit. Et re quidem vera, „quoniam voluntas dicit illud, quo efficiens jungitur fini in habentibus intellectum; hinc est, quod voluntas est causa immediata." Ita Seraphicus *2. dist. 1. p. 2. dub. 1;* cujus tamen mens clarius adhuc patebit ex sequentibus conclusionibus. — „Praescientia et scientia divina aliquo modo respectu futurorum est causa, licet in sua generalitate non semper respectu praesciti dicat causam, ut respectu mali." — „Dicendum, quod praescientia dicit praecognitionem futuri. Est ergo loqui de praescientia, aut quantum ad rem significatam, aut prout significatur per illud nomen. Si quantum ad rationem nominis, sic non significat in ratione causae. Si quantum ad rem importatam, sic dicit causam, sed tamen non semper respectu praesciti, sive futuri. Futurum enim in triplici differentia est. Quoddam enim est, cujus Deus est tota causa, ut sunt illa quae creantur. Quoddam, cujus creatura, aut ejus voluntas, est tota causa, ut sunt defectus et peccata. Quoddam, cujus Deus et creatura simul sunt causa, ut sunt opera naturalia et opera moralia, quia Deus cooperatur creaturae. Secundum hoc intelligendum, quod respectu primi futuri divina praescientia est tota causa; respectu vero secundi futuri nec est causa tota, nec causa, quia non habet causam efficientem, sed deficientem, est tamen causa sui oppositi: respectu vero tertii est causa, sed non tota. Concedendum ergo est, quod divina scientia, vel praescientia, aliquo modo respectu futurorum est causa. Tamen si accipiatur in sua generalitate, dicendum quod divina praescientia semper importat causalitatem aliquam, sed non semper respectu praesciti, ut puta cum praescitum est malum." — „Praescientia divina aliquorum est causa essendi, licet non omnino: praescita vero ipsa ipsius praescientiae sunt causa illativa et secundum modum dicendi." — „Aliqui voluerunt dicere, quod causa dicitur dupliciter, proprie et communiter. Proprie, quod dat alteri esse; et sic nullo modo res sunt causae praescientiae divinae. Alio modo dicitur causa communiter illud, sine quo res non est; et sic dicitur causa sine qua non: et hoc modo, quia praescientia Dei non est, quin res sint futurae, ideo hoc modo dicuntur causa. Sed quoniam hoc nomen causa semper importat honorabilitatem respectu cujus dicitur causa, et quamdam superpositionem; ideo non videtur illud adhuc omnino sanum dicere, quod sit causa sine qua non. Et praeterea illud non solvit auctoritatem Origenis, quia ipse negat conversam. Est propterea aliter dicendum, quod est causam accipere secundum triplicem modum, scilicet secundum rationem essendi et secundum rationem inferendi et secundum rationem dicendi. Dico ergo, quod secundum rationem essendi praescientia potest esse causa aliquorum praescitorum, licet non omnino, sed nullo modo e converso. Secundum rationem inferendi sunt mutuo causae, quia mutuo antecedunt et consequuntur, et antecedens est causa consequentis. Secundum rationem dicendi futurum est causa praescientiae, et non e converso, nam praescientia dicitur scientia ante rem. Constat ergo, quod importat ordinem ad posterius, et quod, si scitum

esset semper praesens, esset scientia, sed non praescientia, nam ad hoc quod praescientia dicatur, venit ex futuritione rei. Et sic intelligit Origenes." *1. dist. 38. a. 1. qq. 1—2.* Et alibi: „Dupliciter est loqui de istis (potentia praecedit scientiam et voluntatem), aut in sua generalitate, aut ut concurrunt ad unum effectum. Si in sua generalitate, sic cum scientia sit respectu bonorum et malorum, faciendorum et non faciendorum, prior est secundum rationem intelligendi, quam potentia. Et potentia, cum sit respectu faciendorum et non faciendorum, prior est voluntate, quae est respectu faciendorum bonorum tantum. Si autem loquamur de his, prout concurrunt ad unum effectum, sic potentia, in quantum potens, est prima, in quantum est exequens, est ultima, prius enim est posse, deinde scire et post velle et postremo est facere, quod est ipsius potentiae." *1. dist. 35. dub. 2.*

Quoad secundam quaestionem, disputant Theologi de medio, quo Deus cognoscit futura libera et conditionata, seu *futuribilia.* Confundendum porro non est *medium scientiae* cum *scientia media,* de qua inferius dicendum.

Thomistae tale medium in *aeterno decreto physicae praedeterminationis* reponunt. Deus enim est causa prima et primum movens, creaturae vero sunt in potentia tum ad esse, tum ad operari, et quin a Deo physice seu realiter praemoveantur ac praedeterminentur, ex se in actum erumpere nequeunt; ergo a Deo continue physice praedeterminantur. In decreto autem aeterno hujus physicae praedeterminationis Deus cognoscit futura libera. Quod si quaeratur medium, quo in hoc systemate Deus peccata cognoscit, respondetur, Deum ea cognoscere tum in *decretis positivis* movendi voluntatem ad actum materialem peccati, tum in *decretis permissivis* malitiae, ad quam humana voluntas sua perversitate tendit. Efficaciam autem vel inefficaciam gratiae ex differenti hujus physicae praedeterminationis gradu repetunt.

Nostrum autem Seraphicum eamdem quam Thomistae, etsi aliis verbis, propugnare doctrinam, nemo inficias ibit, qui sequentia perlegerit: „Quia Deus est causa primordialissima, ideo est influentiae maximae in causas secundas, et adeo magnae influentiae, ut nec modicum, seu quantumcumque parum, dum tamen aliquo modo sit ens, procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante divina potentia. Omnis enim potentia creata, quantum est de se, defectiva est, nec est pure activa; ergo quantumcumque faciat modicam operationem, necesse habet adjuvari ab ea potentia, quae est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materia, et quae sola sibi sufficit, nullo modo indigens adjuvari a causa alia. Et ideo haec positio, quae dicit omnem actionem esse a Deo, secundum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est . . . Ad illud autem quod objicitur, quod Deus est principale movens in tali actione, dicendum quod verum est: attamen non sequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiae, praevenientem ipsam voluntatem. Haec autem requiritur in bonis meritoriis, in aliis vero operibus indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio divinae virtutis, quae existens in creatura potentialiter, essentialiter et praesentialiter, sicut conservat eam in essendo, sic adjuvat in operando *(2. dist. 37. a. 1. q. 1. concl. et ad 6).*" Hactenus quoad causam primam et primum movens. Quod autem attinet ad decreta movendi voluntatem ad actum materialem peccati, alibi *(2. dist. 39. dub. 2)* docet, quod „malo culpae in actu exteriori substernitur bonum naturae, unde unus et idem actus est bonus bonitate naturae et malus malitia moris." Porro „Deus illi actioni non dat nisi bonitatem naturae" *(2. dist. 37. a. 1. q. 1. ad 5),* seu, quod in idem recidit, „in actione prohibita est duo considerare, et quod est actio, et quod est prohibita. Ab eo autem fit, secundum quod est actio, non autem secundum quod est prohibita" *(Ibid. ad 1).* Patet autem, „quod nunquam malitia sic adhaeret alicui actioni, quin essentia illius actionis possit praeter malitiam considerari." *2. dist. 41. a. 1. q. 2. ad 2.*

Molinistae gratiam versatilem admittentes, futura a Deo ante omne decretum cognosci docent *per scientiam mediam,* sic dictam, quia est media inter scientiam *simplicis intelligentiae* et scientiam *visionis.*

Hoc tamen nimis crudum systema mitigatum fuit a Congruistis, ita nuncupatis, quia *medium* in *praevisione congruarum circumstantiarum* reposuerunt. Deus enim, juxta ipsos, ex congruitate circumstantiarum confert gratiam; in *praevisione* igitur *harum congruarum circumstantiarum* futura libera cognoscit.

Augustinienses demum, inter utrosque quasi media via incedentes, primo distinguunt naturam angelicam ab humana, et statum naturae humanae ante lapsum et post lapsum, et futura ordinis naturalis a futuris ordinis supernaturalis. His praemissis, medium, quo Deus in hac sententia cognoscit futuribilia in statu naturae angelicae et naturae humanae ante lapsum, est *decretum dandi gratiam sufficientem,* seu *adjutorium sine quo aliquid non fit;* in statu autem naturae humanae post lapsum est *decretum dandi gratiam victricem et a se efficacem,* seu *adjutorium quo aliquid fit* (Vide S. August. *lib. de correption. et gratia cap. 12*). Quod quidem de actibus supernaturalibus, non vero de naturalibus, hos enim omnes independenter ab omni decreto Deum cognoscere asserunt. Ratio autem hujus sententiae haec est. In natura angelica et in statu naturae humanae ante lapsum minor gratia sufficiebat, quam in statu naturae lapsae: in decreto autem dandi

hanc gratiam sufficientem Deus cognoscit futura libera Angelorum et hominis innocentis. E contra, in statu naturae lapsae, Deus homini lapso gratiam victricem largitur, sine hac enim nullum opus efficeret salutare: in decreto autem dandi hanc gratiam victricem Deus futura libera supernaturalia cognoscit.

Ex his colligitur Augustinienses *de futuris ordinis mere naturalis* cum Molinistis convenire, nam absolute pronunciant a Deo ante quodvis decretum ea cognosci; *de futuris* autem *ordinis supernaturalis* convenire cum Thomistis, ea a Deo cognosci post decretum; in hoc tantum ab invicem dissentientes, quod Thomistae asserunt post decretum physicae praedeterminationis, Augustinienses post decretum dandi gratiam sufficientem quoad naturam angelicam et humanam innocentem, dandi gratiam efficacem quoad naturam corruptam.

Hucusque scholae catholicae: porro cum nil horum nobis revelatione innotescat, praedicta satis superque sint, „sufficit enim in dubiis scire quid sapientes senserunt, nec est utile contentionibus deservire (*S. D. 3. dist. 40. a. 1. q. 3. ad 6).*"

CAPUT IX.

De voluntate Dei et providentia [a].

a) Et providentia om. ed. 1484.

(Divina voluntas in se ita est recta, ut non possit obliquari; — ita efficax, ut non possit impediri; — ita una, ut tamen per quinque differentias possit significari. — Ratione regulata, dicitur providentia. — Nemo aliquid potest efficere, nisi ipsa cooperante et coëfficiente; — nemo deficere, vel peccare, nisi ipsa juste deserente.)

De voluntate [b] Dei haec tenenda sunt: quod [c] ipsa sic est recta, ut [d] nullo modo possit obliquari: sic est efficax, ut nullo modo [e] possit impediri: sic est una, ut tamen multiformiter habeat significari [1]. Significatur enim divina voluntas, quae est voluntas beneplaciti, per voluntatem signi [2], secundum quinque differentias signorum, quae sunt: praeceptio [f], prohibitio, consilium, impletio, permissio; secundum quae disponuntur a voluntate beneplaciti quaecumque in universo fiunt. Est enim voluntas Dei prima et summa causa omnium specierum et motionum [g]. Nihil enim fit visibile aut intelligibile in ista totius creaturae amplissima quadam universaque [h] republica, quod non de illa imperiali aula summi imperatoris aut jubeatur aut permittatur, secundum ineffabilem justitiam praemiorum atque poenarum [i], retributionum et gratiarum (I). Et quia ista voluntas, ratione regulata [j], dicitur providentia; hinc est, quod omnia, quae in universo fiunt, aguntur et reguntur divina providentia [3] (II), quae per omnia est irreprehensibilis; quae nihil praecipit, prohibet, vel [k] consulit, nisi juste; nihil agit, nisi bene; nihil permittit injuste.

b) Autem post voluntate add. AB CEFGH et ed. Nor.
c) Quia ed. 1484.
d) Ut ABDE GH et editt. Nor. et Ven.; quod ed. Rom.
e) Modo om. ed. 1484.
f) Praeceptum ibid.
g) Omnium specierum corporalium et notionum, ed. Ven. et 1484.
h) Immensaque editt. Nor. et Ven. et 1484.
i) Et add. ed. 1484.
j) Recta ibid.
k) Et ibid.

(I) Praecipuus error contra divinam voluntatem est Jansenianorum saec. XVII, qui divisionem voluntatis in antecedentem et consequentem in ordine ad originalem reatum desumentes, affirmarunt Deum ante hujusce reatus praevisionem habuisse quidem veram seriamque voluntatem salvandi omnes homines, ast post praevisionem non habuisse voluntatem salvandi nisi electos; ac ex consequenti Christum pro salute electorum tantummodo humanam assumpsisse naturam, pro iisque solis sanguinem suum fudisse; quoad reliquos Deum nonnisi metaphoricam habuisse voluntatem, et ex ea Christum pro iis mortem subiisse. Haec haeresis proscripta fuit ab Innocentio X an. 1653 in Constit. *Cum ex occasione;* ab Alexandro VII an. 1656 in *Formulario*: *Apostolici regiminis;* a Clemente XI an. 1713 in Bulla *Unigenitus;* et tandem a Pio VI in Bulla *Auctorem fidei.* — Contra utramque Jansenianorum partem est Censura ultimae ex quinque damnatis Jansenii propositionibus, quae habetur in praefata Const. Innocentii X his verbis: *„Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse;* falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et haereticam declaramus, et uti talem damnamus."

(II) Providentiam vel in dubium revocare, vel etiam omnino negare, praeter Sophistas priorum saeculorum et Deistas saec. XVIII, increduli nostri temporis ausi sunt. — Eorum error damnatus legitur in *Syllabo* Pii IX n. 2: „Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum."

Intelligentia autem et ratio praedictorum haec est: primum principium, cum sit summe nobile, et voluntatem habet, et nobili modo habet[4]. Cum igitur voluntas de se dicat illud, secundum quod in agentibus a proposito attenditur regula rectitudinis [l)], et efficacia operationis; necesse est, quod voluntas in Deo sit rectissima et efficacissima. Ideo autem rectissima, quia idem est [m)] in Deo voluntas et veritas: ideo efficacissima, quia idem prorsus in Deo est voluntas et virtus, sive potestas[5]. Et quia non potest divina voluntas carere veritate; ideo non tantum est recta [n)], verum etiam regula rectitudinis. Quia vero nullo modo potest carere virtute; ideo non tantum est efficax, verum etiam fons et origo totius efficaciae; ita ut nihil sine illa[6] possit effici[7], nihil contra illam possit fieri, nihil etiam sit, a quo valeat [o)] impediri[8] (III). Et quia rectissima est, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei[9]. Nullus autem potest ei conformari[10], nisi voluntas illa innotescat sibi[11] [p)]. Oportuit ergo voluntatem divinam, ut [q)] regulam rectitudinis [r)], notificari nobis. Rectitudo autem quaedam est necessitatis, et haec [s)] est in faciendo bonum necessarium, et declinando malum: quaedam autem est perfectionis, et haec [t)] est in supererogando ultra debitum; et secundum hoc innotescit nobis per triplex signum, scilicet praeceptionem, prohibitionem et consilium. Quod quidem significat divinum beneplacitum [u)] acceptare tanquam justum, quod fit secundum divinum praeceptum, quod declinatur secundum divinam prohibitionem[12], et adimpletur secundum divinum consilium. Signa vero haec infallibilia signa sunt divinae voluntatis, ut est regula rectitudinis.

Rursus, quia efficacissima est, nullo modo potest aliquis aliquid efficere, nisi ipsa [v)] cooperante et coëfficiente[13]; nullus deficere vel peccare potest, nisi ipsa juste deserente. Et secundum hoc duo sunt signa ejus, scilicet impletio, quod est signum voluntatis, ut efficientis, et [x)] permissio, quod est signum voluntatis juste deserentis. Juste autem deserit, quia justum est, ut sic administret res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit, et sic cooperetur rebus, quas creavit [y)], ut tamen [z)] eas agere proprios motus sinat; et ideo si liberum arbitrium, ad utrumque vertibile de lege naturae, in malum dimittat cadere, hoc non permittit nisi juste[14]. Rursus, et [aa)] si per gratiam praeveniat et sustentet, nulli injuriam facit: ideo non agit injuste, nec omnino juste secundum exigentiam meritorum, quia merita ad hoc non sufficiunt[15], sed gratis et misericorditer, et quodammodo juste, quantum est ex condecentia bonitatis suae[16]. Cum ergo damnat et reprobat, operatur secundum justitiam[17]; quando vero praedestinat[18], secundum gratiam et [bb)] misericordiam (IV), quae non excludit justitiam[19]. Quia ergo omnes, secun-

l) Rectificationis ibid.
m) Sunt ibid.
n) Dicitur recta ed. Ven. et 1484.
o) Possit ed. 1844.
p) Et ibid.
q) Ut restit. ex ed. 1484.
r) Rectificationis ibid.
s) Hoc ibid.
t) Hoc ibid.
u) Placitum ibid.
v) Omnino add. ibid.
x) Et om. ibid.
y) Creat ibid.
z) Tamen om. ibid.
aa) Et ante si om. ABD EG, et editt. Nor. Arg. Aug.
bb) Gratiam et om. ed. 1484.

(III) Contra hanc doctrinam sunt errores damnati in *Syllabo*, nn. 3. 4: „Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.“ — „Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.“

(IV) Contra divinam praedestinationem duplex oppositus error recensetur, Pelagianorum nempe et Praedestinatianorum. Asserebant Pelagiani causam praedestinationis esse praevisionem operum moralium; et idcirco respuebant necessitatem gratiae et gratuitatem praedestinationis sive ad gratiam, sive ad gloriam. Hanc haeresim nonnulli temperantes, docuerunt esse ex nobis initium fidei aut boni operis, atque perseverantiam in fide usque in finem, et gratiam a Deo conferri intuitu conatus, quem quisque adhibet naturae viribus; in ceteris vero gratiae supernaturalis auxilia necessaria ultro fatebantur: hi dicuntur Semipelagiani, vel etiam Massilienses. Praedestinatiani e contra, nimio ardore gratiae efficaciam defendentes, liberum ar-

dum quod de massa perditionis erant, debebant damnari; ideo plures reprobantur, quam eligantur[20], ut ostendatur, quod salvatio est secundum gratiam[cc] specialem[21], sed damnatio secundum justitiam communem[22]. Nullus ergo potest conqueri de divina voluntate, quia omnia agit rectissime[23]; imo in omnibus debemus gratias agere, et honorificare regimen divinae providentiae[24]. Si quis autem quaerat, quare magis uni peccatori gratiam largiatur[dd], quam alteri, hic oportet silentium imponere humanae loquacitati, et exclamare cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit, aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in saecula saeculorum. Amen (Rom. 11, 33—36)*[25].

cc) Spiritus sancti add. ibid.

dd) Magis uni peccatori minus gratiae quam alteri largiatur; ibid.

bitrium ab ea tolli dixerunt. Istorum haeresi Calvinus saec. XVI addidit Deum eadem ratione ad vitam et ad mortem praedestinare; Dei voluntate perire quicumque pereunt, et trahi etiam invitos ad salutem; in Deo non esse voluntatem salvandi omnes, et Christum pro solis electis occubuisse, quibus duabus propositionibus et Janseniani, ut superius vidimus, subscribunt. Porro Pelagianos ac Semipelagianos acriter insectatus est S. Augustinus, et post ejus vestigia Ss. Fulgentius Ruspensis et Prosper Aquitanus. In sola causa Pelagianorum viginti quatuor synodi, adhuc Augustino superstite, convocatae fuerunt. Semipelagiani vero expressius damnati fuerunt in Concilio Arausicano II; Calvinistae autem in Conc. Tridentino. — Contra haeresim Pelagianam in Conc. Trident. *sess. VI. can. 2.* definitum fuit: „Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit; anathema sit.“ Et *can. 3.* „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet . . . anathema sit.“ — Contra Semipelagianos, praeter canonem tertium Conc. Trident. modo allatum, in Arausicano II, *cap. VII*, definitum fuit: „Si quis per naturae vigorem . . . evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti . . . haeretico fallitur spiritu.“ — Contra Calvinianos in Conc. Trident. *sess. VI. can. 6.* „Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli; anathema sit.“

Ad Caput IX.

[1] „In Deo est ponere voluntatem, propter quatuor conditiones, scilicet potestatis, voluptatis, aequitatis et liberalitatis, quae sunt circa voluntatem et magis proprie in Deo, et completiori modo quam in nobis. Voluntas enim in nobis est per differentiam a substantia et actu, et per distantiam a fine; in Deo autem per omnimodam indifferentiam horum, scilicet substantiae, virtutis, actus et finis. Et quia in nobis est per differentiam a substantia et ab actu; ideo aliis praesidens, et secundum diversos actus variabilis. Propter differentiam enim a substantia, in qua possunt et aliae potentiae radicari, praesidet aliis potentiis, ut sensui et appetitui. Propter differentiam ab actu, est variabilis secundum alterationem affectionum. In Deo autem neutrum; ideo nec regit inferiores potentias, nec habet variari secundum affectiones varias. Et quia in nobis est per distantiam a fine; inde est, quod est indigens, et ideo in ea est fuga et appetitus; et cadit in ea tristitia et malitia, quia potest a fine obliquari, cum non sit illi conjuncta. In Deo autem est omnino fini conjuncta; ideo nec fugam, nec appetitum habet, nec tristitiam, nec malitiam, sed omnino laetitiam et justitiam.“ *1. dist. 45. a. 1. q. 1.*

[2] „Ratio et auctoritas compellit nos distinguere voluntatem signi et voluntatem beneplaciti. Auctoritas quidem, quia dicit Apostolus: *Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra (1. Thess. 4, 3);* sed illud non est dictum per essentiam; ergo vel per causam, vel per significationem; non autem per causam; ergo per significationem. Item ratio dictat, quia communi usu loquendi consuevimus praeceptum nostrum voluntatem appellare. Propter hoc intelligendum, quod sicut non absurde intellectus dicitur vis intellectiva et ipsum intellectum, ita voluntas dicitur ipsa vis volendi et ipsum volitum. Et quia voluntas Dei innotescit nobis per volitum tanquam per visibile signum, et signum est quod facit in aliud venire, dum offert se sensui; inde est, quod voluntatem Dei dividimus in voluntatem beneplaciti et in voluntatem signi.“ *1. dist. 45. a. 3. q. 1.* Cfr. etiam *ibid. q. 2.* — Voluntas beneplaciti est ipse Deus, voluntas vero signi dicit aliquem effectum creatum . . . Voluntati beneplaciti nullus potest resistere, immo

semper impletur vel ab homine, vel de homine ... et voluntates ceterae subserviunt et militant, quamvis aliquae contrariae videantur ratione ejus, quod repugnat voluntati signi." *2. dist. 35. a. 1. q. 3.*

[3] „Videtur, quod non sit providentia. Primo, quia providentia dat debitum ordinem rebus; sed iste non est in mundo: *Vidi servulos ambulantes in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos (Eccle. 10, 7).* Item secundo, quia providentia dat debitam remunerationem; sed hoc non est in mundo: *Eadem cunctis eveniunt (Ibid. 9, 3).* Item tertio, quia dat durationem debitam; sed hoc simpliciter non est in mundo: *Impius longo vivit tempore impietate (Ibid. 7, 16).* Sed quod necessarium sit ponere, videtur: quia sapientis est providere domui; ergo summe sapientis multo magis. Item, sapientis artificis non tantum est facere, sed etiam conservare: sic ergo Deus conservat et gubernat: sed ipse est sapiens, et sapiens omne, quod gubernat, per providentiam gubernat; ergo. Item, quia Deus summe sapiens non potest facere, quin videat mala nostra; ergo, cum sic sit summe justus, non potest facere, quin vindicet mala et bona remuneret; ergo omnium est remuneratio; ergo et providentia ... Respondeo, dicendum ad primum, quod providentia est. Quod objicitur de debito ordine, respondetur quod duplex est ordo, particularis scilicet et universalis. Aliquid potest privari ordine particulari, non universali, ut dicit Boëtius. Nam universalis ordo cuncta complectitur, unde qui cadit universali ordine naturae, incidit in ordinem poenae; sicut exemplum Augustini est de nube, in qua est turbo et involutio inordinata in se, sed ordinata ad fructum terrae: sic mali praesunt bonis ad bonorum exercitationem et malorum punitionem. Similiter de remuneratione dicendum, quod in praesenti malis bona veniunt justo modo, ut hic remunerentur et in futuro aeternaliter crucientur; et bonis mala, ut hic purgentur et aeternaliter praemientur. Quod objicitur de vita, quamdiu vivunt propter dictam causam; sed boni moriuntur, quia dicitur de Enoch *(Sap. 4, 11), quod raptus est, ne malitia mutaret ejus intellectum.* Quoniam igitur divina judicia in praesenti occulta sunt propter hominum probationem, et quia simplices et rudes occulta non percipiunt, videtur quod omnia sint inordinata. Et ideo Ecclesiastes docet respicere ad eum, sub quo omnia ordinantur." *Expos. in Eccle. c. 5. v. 5.*

[4] Et idcirco „tametsi concedamus Deum esse omniscium atque omnipotentem, non tamen omnivolentem admittimus, quia scientia est omnium, tam futurorum quam possibilium, tam bonorum quam malorum. Potentia est omnium bonorum, etiam possibilium, voluntas autem non est nisi bonorum, quae sunt vel erunt." — „Potentia est respectu omnium bonorum, in quibus solum salvatur ratio potentiae, nam posse malum non est posse. Unde posse malum non tantum derogat perfectioni potentiae, sed etiam ipsi potentiae, quia posse deficere non est posse; et ideo adhuc dicitur omnipotens. Voluntas vero est respectu bonorum tantum, non respectu malorum. Et quamvis in volendo malum non salvetur dignitas voluntatis, salvatur tamen ratio volendi, quia velle malum velle est. Et hinc est, quod Deus non dicitur omnivolens, quia non vult malum, sed tamen omnipotens dicitur, quamvis non possit malum. Si quaeratur, quare ratio potentiae non salvetur respectu mali, sicut et ratio voluntatis, dicendum, quod potentia idipsum quod dicit, dicit per modum habitus et positionis, de potentia activa loquendo; unde quando est respectu privationis, jam non est potentia, sed defectus potentiae. Sed voluntas idipsum quod dicit, dicit per modum cujusdam adhaerentiae et complacentiae. Quia ergo in malum salvatur ratio consensus et complacentiae, sicut et respectu boni; ideo velle malum, velle est, sed posse malum non est posse." *1. dist. 45. a. 1. q. 2.*

[5] „Divina voluntas est causa prima et universalissima et actualissima; ideo potest in totum effectum et in totam rei substantiam etiam sine adminiculo alterius causae, nec aliqua causa potest aliquid vel modicum sine ipsa; et ideo necesse est, quod ipsa sit causa immediata in omni actione et re." *1. dist. 45. a. 2. q. 2.*

[6] „Mediatio est tribus modis. Quaedam enim est mediatio, quae excludit immediationem tantum, ut quando effectus ultimus non continuatur influentiae causae prioris, sed per medium omnino producitur, priori non cooperante: et haec dicit ordinem et diversitatem agentium et separationem. Alio modo dicitur mediatio, prout dicit ordinem causarum ad invicem, non separationem in agendo, sed solum diversitatem virtutum agentium et ordinem. Tertio modo, prout dicit ordinem, non tamen separationem virtutum agentium, nec diversitatem. Prima mediatio non cadit in Deo, quia Deus est causa simpliciter prima, cujus influentia est tanta, quod nulla creatura agit aliquid, ejus influentia remota; et ideo nihil exit de Deo mediate tantum. Secunda mediatio cadit in Deo respectu effectus producti a causa creata, quia ibi est ordo causarum et diversitas virtutum; sed tamen est separatio, quia Deus intime agit, quia per seipsum agit; et nihilominus per virtutem creatam, quae ab ipso est. Tertia mediatio cadit in operatione divina, in qua sunt agentes personae, in quibus attenditur ordo, quia una habet ab alia quod agat; sed tamen nec est ibi virtutum diversitas, nec separatio, vel distantia aliqua, immo una virtute et aeque intime agunt: et sic Pater mediante Filio producit Spiritum sanctum, non quia sit medium distantiae, vel differentiae, sed quia quod Filius producat, hoc habet a Patre, ita quod est ibi quidam ordo." *1. dist. 12. a. 1. q. 3. ad 1.*

[7] „Deus, quamvis sit causa omnium, non tamen est tota causa, sed ipse cum causis creatis. Propter hoc notandum, quod effectus habet comparari ad causam supremam, quae Deus est; et sic nihil evenit casu et fortuna. Habet etiam comparari ad voluntatem, sive causam creatam, quae est natura vel intelligentia; et sic, cum multa eveniant praeter intentionem, multa fiunt casu et fortuna." *1. dist. 45. dub. 4.* — „In omni operatione Deus operatur intime et immediate, cum Dei voluntas, sicut dicit Augustinus *(l. 3. de Trin. c. 4)*, sit prima et summa causa omnium specierum et motionum. In aliquibus autem sic operatur, ut ipse sit tota causa; in aliquibus sic operatur et movet, ut virtutem agendi et movendi communicet creaturae. Prima quidem dicuntur mirabilia, secunda vero naturalia, vel voluntaria, quantum ad egressum." *2. dist. 14. p. 1. a. 3. q. 1.*

[8] „Dei voluntas antecedens potest cassari, consequens autem atque absoluta, nequaquam." — „Ad intelligentiam praedictorum notandum, quod secundum Joannem Dama-

scenum *(lib. 2. de Orthod. fide c. 29)* voluntas beneplaciti est duplex, scilicet antecedens, sive conditionalis, qua vult, quantum in se est, omnium salutem; et absoluta, sive consequens, qua determinate vult aliquid, quod novit certitudinaliter evenire. Intelligendum est ergo, quod nullam Dei voluntatem possibile est superari, nullam possibile est cassari; aliquam tamen, ut antecedentem, possibile est non impleri; aliquam, ut consequentem, necesse est impleri, et impossibile est impediri. Nulla, inquam, est possibile superari; nam si homo non faciat, quod Deus vult, quantum in se est, voluntate antecedente, Deus facit de ipso, quod vult voluntate consequente: et ita semper impletur, vel de homine, vel ab homine; et sic nunquam vincitur, vel superatur. Non etiam possibile est voluntatem Dei cassari; nam cassum dicitur aliquid, dum privatur effectu proprio, ad quem est; voluntas autem nullo privatur effectu, ad quem est proprie. Nam quod dicitur, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est, haec voluntas non connotat salutem, nec proprie est ad effectum salutis, sed connotat ordinationem naturae, sive naturam ordinabilem ad salutem. Unde nihil plus est dicere: Deus vult istum salvum fieri, quantum in se est, quam Deo placuit dare isti naturam, per quam posset pervenire ad salutem, et quod Deus paratus esset juvare, ita quod salus non deficit propter defectum a parte Dei. Unde non cassatur, quia habet proprium effectum. De voluntate autem absoluta planum est, quod non possit cassari, quia omnem effectum suum ponit, nec unquam remanet inexpleta. Cum itaque verum sit voluntatem Dei nullo modo posse superari, nec cassari; tamen voluntatem absolutam necesse est impleri, conditionalem vero minime. Sed attendendum, quod est necessitas consequentiae, sicut supra dictum est de praescientia. Ipsa non habet necessitatem consequentis, sed consequentiae, quia necessario infert et sequitur: Deus praescit hoc; ergo hoc erit: sed tantum non necessario praescit, quia in actu praesciendi frequenter notatur effectus contingens. Sic in voluntate intelligendum est, quod voluntas Dei absoluta connotat eventum rei; et ideo est ibi necessitas consequentiae, sed non consequentis, quia non mutat eventum rei, immo vult Deus, quod eveniat consequens contingens. Unde sicut praescientia, quia necessario infert effectum, non potest falli; sic voluntas absoluta, quia necessario infert, non potest impediri, immo eam necessarium est impleri: voluntatem autem antecedentem, vel conditionatam, non est necesse impleri, nec necessitate consequentis, nec necessitate consequentiae, quia non connotat effectum rei, sed connotat illud, quod est ordinabile ad eventum, sicut praedictum est. Unde bene sequitur: Vult istum salvari voluntate absoluta; ergo iste salvabitur, nunquam enim vellet, nisi pariter praesciret eum esse salvandum. De voluntate vero conditionata, ut visum est, non sequitur. Si ergo objicitur, quod voluntas Dei est necessaria, et necessario infert effectum; ergo omnimodam ponit circa ipsum necessitatem; dicendum, quod quamvis necesse sit Deum velle, et voluntatem ejus esse in actu, tamen comparatio ejus ad futurum est contingens; et ideo effectus evenit contingenter." *1. dist. 47. a. 1. q. 1.*

[9] „Voluntas humana potest conformari voluntati divinae per similem habitudinem ad actum, ad objectum et ad finem ... Videlicet per similem habitudinem ad actum, ut sicut Deus quod vult, vult liberaliter et caritative, ita et homo: et per similem comparationem ad objectum, ut quod vult Deus; velit homo: et eodem fine, quo vult Deus, velit homo." *1. dist. 48. a. 1. q. 1.* Cfr. etiam *q. 2.*

[10] „Voluntas nostra tenetur conformari voluntati divinae in ratione volendi pro loco et tempore, sed non ad omnem actum, nec ad omne praeceptum, sed quando tenemur exire in actum caritatis." — „Tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae in ratione volendi, ut scilicet velimus ex caritate: et hoc patet, quia tenemur eum diligere ex caritate. Attendendum autem, quod haec est obligatio per modum praecepti affirmativi. Differt enim obligatio praecepti affirmativi et negativi, nam negativi obligat semper et ad semper, affirmativi autem tantum obligat semper, non ad semper, sed pro loco et tempore. Et sicut non obligat ad semper, ita nec ad omnem actum voluntatis, nec ad omne praeceptum, sed tunc solum quando tenemur exire in actum caritatis. Unde notandum, quod sic tenemur ad hoc, quod nunquam ad contrarium, sicut velle quod Deus vult ex liberalitate. Ad hoc etiam tenemur pro loco et tempore, si habemus caritatem; si autem non habemus, non ad hoc tenemur, sed ad aequivalens, quia tenemur facere quod in nobis est, ut habeamus, et ad hoc similiter pro loco et tempore obligamur." Siquidem „nullus est adeo obstinatus, quod non possit facere quod in se est, et qui non possit redire ad cor; et ideo tenetur sicut et alii, licet non pro quolibet instanti, sed pro loco et tempore. Si autem tu quaeras, quid sit locus et tempus, melius docebit unctio quam ars: tamen quando Dominus visitat cum interiori allocutione, vel exteriori praedicatione, vel aliquo tali, in quo est opportunitas redeundi ad cor, si tunc negligat, incidit in contemptum et omissionis peccatum." *1. dist. 48. a. 2. q. 1. concl. et ad 5.*

[11] „Non tenetur voluntas nostra conformari voluntati divinae in quocumque volito, sed in eo quod vult, et innotescit absolute Deum velle." — „Ad hoc dicunt aliqui, quod non tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae in omni, quod vult Deus; sed hoc est perfectionis et supererogationis, et hoc erit in patria: sed ad hoc solum tenemur, quod ipse nos vult velle. Dicunt autem, quod Deus solum vult nos velle quod praecipit, et nolle quod prohibet. Haec enim sunt signa, per quae sufficienter indicat nobis suam voluntatem, quae vult nos velle aliquid: in aliis volitis, sive innotescant, sive non, licet velle contrarium sine peccato; et per hoc solvunt ad utramque partem. Unde dicunt, quod licet nobis aliqua velle proprie, quia non decet velle opposita, ut patet de destructione gentis nostrae, et de calamitatibus justorum et consimilium. Etiam si Deus pluat, vel disponat pluere, oppositum possum petere et velle. Sed licet ista via sit facilior, tamen quia Augustinus dicit, quod impius est, cui non placet divina providentia, non tantum videtur, quod homo teneatur velle Dei mandata, sed etiam quod teneatur velle Dei opera. Et iterum, quo modo non recalcitrat voluntas nostra voluntati divinae, quando Deus vult aliquid, et nos volumus contrarium, omnino videtur ei repugnare. Et iterum, Glossa videtur dicere, quod homo, qui non vult quod Deus vult, habet cor pravum: non dicit, quod Deus vult ipsum

velle, vel quod Deus praecipit. Propterea aliter dicendum, quod revera non tenemur velle omne, quod Deus vult, sed solum quod vult et innotescit; nec adhuc illud omne. Ideo notandum, quod aliquid ostendit se Deus velle absolute, et quantum in se est, ut bona, quae facit. Et haec tenemur velle simpliciter et absoluta voluntate, quantum in nobis est. Aliquid ostendit se velle voluntate absoluta, sed oppositum velle, quantum in se est; ut mala, quae infligit: et haec tenemur velle voluntate absoluta et deliberativa, tamen oppositum possumus velle voluntate pietatis, ut dicit Hugo. Unde sicut Deus non delectatur in nostris poenis, sed magis dicit: *Heu, heu, consolabor super hostibus meis (Is. 1, 24)*; sic et nos. Unde Hugo *(lib. de volunt. Christi)* distinguit in nobis triplicem voluntatem, scilicet rationis, pietatis et carnis, et in Christo quadruplicem, extendens nomen voluntatis ... Et ideo voluntate rationis debemus etiam velle malum poenae, quod scimus Deum velle; sed voluntate pietatis possumus conditionaliter, sive quantum est in nobis, si Deo placet, non velle; nam et ipse Deus, quantum in se est, non vult, sicut praedictum est. Aliquid ostendit se Deus velle, quantum in se est, circa quod consistit substantialiter ordo salutis, ut sunt ea, quae praecipit fieri, et quae praecipit non fieri: et hoc tenemur velle. Aliquid ostendit Deus se velle, quantum in se est, circa quod consistit expeditio salutis, ut sunt ea, quae consulit; et ad talia non obligat, nec vult obligare, vult enim aliquos salvare sic, aliquos via latiori ire." *1. dist. 48. a. 2. q. 2.*

[12] „Deus, cum prohibet aliquam actionem, non prohibet sibi, sed alii; et non prohibet suam cooperationem, quam non subtrahit creaturae, sed ipsi creaturae prohibet operationem. Et ideo, dum cooperatur ei, non facit contra suam prohibitionem." *2. dist. 37. a. 1. q. 1. ad 1.*

[13] „Cum ratio causandi res sit ipsa divina bonitas in ratione effectivi et in ratione finis, voluntas autem conjungat effectivum cum fine, eapropter dicimus voluntatem divinam esse rerum causam." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, quamvis divina essentia sit unum quid simplicissimum, tamen est pelagus substantiae infinitum; et ideo omnia, quae in nobis reperiuntur per diversitatem, omnia, inquam, in Deo nobilius per omnimodam reperiuntur identitatem, nihilominus tamen secundum omnimodam perfectionem et veritatem. Unde sicut in nobis sapientia et potentia et voluntas vere est ens et causa rerum, quae a nobis sunt; sic et in Deo sunt, sed tamen unum sunt. Et quia intellectus noster non potest infinitatem illius substantiae comprehendere, nec per unum verbum exprimere; ideo multis modis intelligimus Deum, et diversis nominibus exprimimus, et secundum quod per illos modos intelligimus, plura enunciamus, ita quod Deo aliquid attribuimus secundum unum modum, quod non secundum alium: et vere quidem, quia omnia in Deo habent veram existentiam. Et ideo, cum alio modo intelligamus Deum, cum dicimus Deum bonum, alio cum dicimus Deum aeternum, concedimus se diffundere, quia bonus est, non quia aeternus, haec enim est proprietas bonitatis, non durationis. Hinc est quod, cum intelligimus vere voluntatem esse in Deo, et proprietas voluntatis sit producere ea, quae exeunt per modum liberalitatis, dicimus Deum, in quantum voluntas est, esse causam rerum. Ratio autem, quare voluntati attribuitur causalitas, haec est, quia ratio causandi est bonitas et in ratione effectivi et in ratione finis. Nam bonum dicitur diffusivum, et bonum est, propter quod omnia; effectivum autem non fit efficiens in effectu, nisi propter finem. Illud ergo, quod dicit conjunctionem principii effectivi cum fine, est ratio causandi in effectu; sed voluntas est actus, secundum quem bonum reflectitur supra bonum, sive bonitatem; ergo voluntas unit effectivum cum fine. Et hinc est, quod voluntas est ratio causare faciens in effectu; et ideo attribuimus Deo rationem causalitatis sub ratione voluntatis, non sic sub aliis rationibus. Et hoc colligitur ex verbis Dionysii *(4 de div. nom.)*, ubi dicit quod bonitatem ut principium et ut continentiam et ut finem omnia appetunt; ut principium, a quo sunt; ut continentiam, per quam salvantur; ut finem, in quem tendunt. Unde divinus amor est quidam actus aeternus ex optimo, per optimum et in optimum: ex quo colligitur, quod dicit conjunctionem principii cum fine, et ideo causam actu, quando vult facere, ita quod actualitas in causando referatur ad voluntatem, non pro instanti, in quo habet voluntatem, sed in quo facere vult, sicut ego volo cras audire Missam, et voluntas facit me cras esse in actu respectu voliti: sic suo modo est in Deo." *1. dist. 45. a. 2. q. 1.* — „Omnis actio, quantumvis peccato substrata, est a Deo, cum ipsa sit ens, et a causa bona procedat." — „Circa istam quaestionem fuerunt diversae positiones adeo magnorum virorum, et adeo rationabiles, ut nec Magister ausus fuerit diffinire, quae earum magis contineat veritatem. Attamen, quia per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem, nunc communiter tenetur, quod illa opinio verior sit, quae dicit, quod omnis actio, sive substrata peccato, sive non, secundum id, quod est actio, est a Deo. Nec immerito, quia illud oportet ponere, si pensetur eminentia divinae potentiae, et indigentia potentiae creatae. Quia enim Deus est causa primordialissima; ideo est influentiae maximae in causas secundas, et adeo magnae influentiae, ut nec modicum, seu quantumcumque parum, dum tamen aliquo modo sit ens, procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante divina potentia. Omnis etiam potentia creata, quantum est de se, defectiva est, nec est pure activa; ergo quantumcumque faciat modicam operationem, necesse habet adjuvari ab ea potentia, quae est actus purus, propter omnimodam impermixtionem cum materia, et quae sola sibi sufficit, nullo modo indigens adjuvari a causa alia. Et ideo haec positio, quae dicit omnem actionem esse a Deo, secundum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est. Unde Anselmus in libro de concordia praedestinationis et praescientiae: Omnis qualitas et omnis actio, et quidquid habet aliquam essentiam, a Deo est, a quo est omnis justitia et nulla injustitia. Facit igitur Deus omnia, quae justa, vel injusta voluntate fiunt, id est, bona opera et mala. In bonis quidem facit, quod sunt et quod bona sunt; in malis vero facit quod sunt, sed non quod mala sunt. Et iterum ibidem: Omnes actiones et omnes motus facit Deus, quia ipse facit res, a quibus et ex quibus et per quas et in quibus fiunt; et nulla res habet ullam potentiam volendi, aut faciendi, nisi illo dante; ipsum quoque velle (quod aliquando justum est, aliquando injustum), in quantum est,

bonum est et a Deo est. Non esse vero bonum, non est quid, nec a Deo est.“ *2. dist. 37. a. 1. q. 1.*

[14] „Deus permittit mala fieri, et hoc ordinatissime. Duplex est enim ordo rerum, unus in universo, alter in finem; et uterque exigit, quod Deus permittat mala fieri. Ordo quippe in universo exigit, quia ad perfectionem universitatis necesse fuit fieri creaturam arbitrio liberam et peccare potentem. Sed administratio universitatis est, ut Deus sic res conditas administret, ut eas agere proprios motus sinat, sicut dicit Augustinus *(de Civit. Dei lib. 7. c. 30)*. Ideo cum debuerit dare potentiam peccandi, et debuerit regere salvo ordine suae conditionis, si voluit peccare, debuit permittere; et si non voluit peccare, debuit conservare; et ita debet permittere mala. Ordo ad finem hoc exigit, quia duplicem finem contingit reperiri in universo, unus est salus electorum, alius divina laus. Quoniam ergo permissio malorum reddit electos gloriosiores per occasionem, et Deus non curat, utrum per causam, vel per occasionem, electorum gloria augeatur; ideo Deus permittit recte. Unde Augustinus *(de Civ. Dei lib. 11. c. 17—18)* dicit, quod nullum faceret, quem malum praesciret, nisi pariter nosset, quibus bonorum usibus accommodaret. Prosunt autem eis exercitando. Et ideo dicit de lapsu mundi, quod permisit plures esse malos, quia si pauci essent, non auderent exercere bonos. Divina etiam laus hoc exigit, quia occasione mali summe manifestatur divina misericordia in electis, in Filii unigeniti donatione pro inimicis secundum tempus. Summe etiam manifestatur Dei justitia in aeterna punitione reproborum. Unde Augustinus *(de Civ. Dei lib. 21. c. 12;* et in *Enchirid. c. 99. in fine):* Si omnes remanerent in poena, in nullo appareret misericordis gratia redimentis. Rursus: Si omnes transferrentur ad lucem, in nullo appareret severitas ultionis.“ *1. dist. 47. a. 1. q. 3.*

[15] „In praedestinatione tria intelliguntur. Primum est propositum aeternum, secundum est temporalis gratificatio, tertium vero aeterna glorificatio. Similiter in reprobatione intelliguntur tria, scilicet aeternum odium, temporalis obduratio et aeterna damnatio. Quantum ad primum et ultimum similiter est judicandum, nam ultima, scilicet poena et gloria, simpliciter cadunt sub merito. Primum vero, scilicet propositum aeternum, eo ipso quo aeternum est, meritum habere non potest. Quantum vero ad medium, quod est gratificatio et obduratio, differenter est judicandum. Nam obduratio simpliciter cadit sub demerito, sive sub malo merito. Gratificatio vero nec simpliciter sub merito, nec simpliciter extra. Est enim meritum congrui, digni et condigni. Meritum congrui est, quando peccator facit, quod in se est et pro se. Meritum digni, quando justus facit pro alio. Meritum condigni, quando justus operatur pro se ipso, quia ad hoc ordinatur gratia de condigno. Gratia autem alteri promerenda non est omnino ex condigno, quia peccator omni bono est indignus; nec solum ex congruo, quia justus dignus est exaudiri. Gratificatio ergo sub merito congrui potest cadere quo ad ipsum gratificandum; sub merito digni, quantum ad alium virum sanctum; sub merito condigni, quantum ad neutrum, et hoc proprie loquendo est meritum. Respondendum est ergo ad quaestionem, cum quaeritur, utrum praedestinatio et reprobatio cadant sub merito, quod simpliciter loquendo, quantum ad principale significatum, neutra cadit sub merito; quantum vero ad connotatum, reprobatio cadit sub merito simpliciter, praedestinatio vero secundum quid.“ *1. dist. 41. a. 1. q. 1.*

[16] „Praedestinatio est causa gratiae et tota causa, sed non causa salutis, ut excludatur cooperans et disponens. *Adjutores enim sumus (1. Cor. 3, 9),* et nullus salvatur invitus.“ *1. dist. 40. dub. 7.*

[17] „Obduratio, in quantum poena est, dicit animae ineptitudinem, et ita dicit defectionem poenalem: et poena omnis in quantum talis, est justa et ordinata; ideo dicit defectum ordinatum. In quantum ergo defectus est, non habet causam nisi deficientem; haec autem non est Deus, quia Deus non est causa deficiens, sed liberum arbitrium destitutum. In quantum vero ordinatum, habet causam merentem, scilicet ipsam culpam, et causam ordinantem, scilicet retribuentem divinam justitiam.“ *1. dist. 40. a. 4. q. 2.* — „Ideo est proprium Dei misereri, quia ad opus misericordiae non requiritur nisi Dei benignitas; sed ad hoc quod severitatem justitiae faciat, praesupponitur nostra iniquitas.“ *1. dist. 47. dub. 1.* — „Ad illud quod objicitur, quod non est in potestate nostra habere caritatem, dicendum quod in potestate propinqua habentium caritatem est, et in potestate non habentium, non propinqua, sed dispositiva. Potest enim quilibet facere aliquid, quo facto, habeat caritatem; et ideo si non faciat, imputatur sibi, nec excusatur per impossibilitatem, quia non est impossibilitas, ubi succurrit aliunde potestas, et non deficit, nisi propter nostram negligentiam.“ *1. dist. 48. a. 2. q. 1. ad 4.*

[18] „Praedestinatio duo importat, et rationem praescientiae et rationem causae. In quantum dicit rationem causae, non necessario ponit effectum, quia non est causa per necessitatem, sed per voluntatem: et iterum, non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio. Et regula est, quod quotiescumque effectus pendet ex causa necessaria et variabili, a necessaria tanquam ab universali, a variabili tanquam a particulari denominatur: a variabili, quia denominatio est a causa particulari; et effectus, qui dependet a causa contingente, est contingens. Et praeter rationem causae importat rationem praescientiae, et praescientia quidem totum includit in cognitione liberi arbitrii et ejus cooperationem et vertibilitatem et totum. Et praeterea non est nisi veri, et etiam de vero contingente est infallibilis; ideo praedestinatio infert salutem et non potest cassari, nec discordare a libero arbitrio. Et quia praescientia nullam imponit necessitatem consequenti, sed solum consequentiae, similiter nec praedestinatio. Ex hoc patent prima objecta de necessitate inferendi, impossibilitate cassandi, impossibilitate discordandi; haec enim omnia dicunt necessitatem consequentiae solum, quia insunt praedestinationi non per rationem causalitatis, sed praecognitionis, quae est concors, certa et infallibilis. Concors, quia praescientia, sive praecognitio vera. Qui enim cognoscit vere, cognoscit rem praesentem esse sicut est, et futuram sic evenire, sicut eveniet, est enim veritas adaequatio rei ad intellectum. Est iterum certa, quia independens, quia nullo modo pendet ex praecognito, non enim secundum ejus existentiam cognoscit, sed secundum exigentiam luminis et claritatis aeternae, in quam nulla cadit dubietas, sed certitudo summa; et ideo de omnibus aequaliter certa est. Est iterum in-

fallibilis, quoniam est totum posse praesciri circumplectens; et ideo in nullo potest falli, nec circumveniri. Et est exemplum *(Boët. lib. 5. de cons. pros. 4)*, quod si aliquis aspiceret de loco eminenti circumjacentem regionem, ubi est multitudo viarum, quas omnes simul et uno aspectu videret; ambulans per locum suum, quamvis possit per diversas vias ire, non tamen posset visum ejus latere, pro eo quod nullam viam posset ire, quam ille non videret. Si ergo intelligatur unus esse visus, qui posset omnes vias praevidere, et totum posse euntis, nullo modo quis eum praevidentem circumvenire posset. Et talis est aspectus divinae praescientiae, quia ab aeterno cognovit quae cogitare poteramus, vel velle; et simul cum hoc vidit in quam partem nostra voluntas et operatio inclinantur. Et quia totum posse et velle et agere complectitur; ideo non potest falli. Et quia praedestinatio claudit praescientiam; hinc est, quod concordat cum libero arbitrio, et non potest discordare et non potest cassari; et necessario infert salutem, sed non necessario efficit. Ad illud quod quaeritur, utrum praedestinatus possit damnari, dicendum quod sic sine distinctione, quia quamvis haec possit distingui de re, vel dicto, praedestinatum damnari est possibile, sicut haec, album possibile est esse nigrum; haec tamen non est distinguenda secundum artem: praedestinatus potest damnari; sicut nec haec, homo albus potest esse niger; non enim potest esse de dicto, cum non sit dictum. Propter quod intelligendum, quod ista habet tres causas veritatis: praedestinatus potest damnari; sicut haec: praedestinatus potest esse praescitus. Aut quia forma praedicari potest inesse subjecto cum forma implicata, vel sine forma implicata; quocumque enim modo praedicatum possit inesse, judicanda est locutio simpliciter vera. Et dico, quod in tertio sensu locutio est vera: praedestinatus potest esse praescitus. Praedestinatus enim potest non esse praedestinatus, et necesse est omnem hominem esse praedestinatum, vel praescitum; et ideo sequitur, quod possit esse praescitus. Et hoc quidem necessarium est poni, nam fides dicit et ratio, quae sequitur: si est praedestinatus, salvabitur. Rursus fides dicit et ratio, quia istum salvari est contingens; et qui diceret contrarium et assereret, respuendus esset secundum omnium judicium certum. Et iterum ars dicit, quod si consequens est contingens, impossibile est antecedens esse necessarium .... et qui diceret hujus contrarium, totum totam artem syllogisticam destrueret, cujus vis illationis est, ut oppositum consequentis non possit stare cum antecedente. Certum est autem, quod oppositum contingentis non stat cum necessario; istum ergo esse praedestinatum non est necessarium, et est necessarium vel contingens, vel impossibile: et non est impossibile vel necessarium; ergo est contingens: et contingens potest non esse; ergo iste, qui est praedestinatus, potest non esse praedestinatus. Et hoc quidem credo, quod necesse sit poni; hoc tamen difficile est intelligi. Potest tamen sic capi, si praesupponamus quatuor vera. Primum est, quod praesens divinae aeternitatis circumplectitur omne tempus idem et uniforme, et hoc dicit Anselmus *(lib. de Concordia praesc. et lib. arb.)*, quod sicut praesens tempus circumplectitur omnem locum et omne, quod in loco est; ita praesens aeternitatis omne tempus. Et hoc necessarium est poni, quamvis non possimus hoc plene intelligere, videmus enim ejus oppositum esse falsum et impossibile; quia si hoc non esset, tunc mutaretur praesens divinae aeternitatis. Secundum est illud, quod Deus uno et eodem modo cognoscit omnia, ita quod est unica Dei cognitio, qua cognoscit hoc, et qua cognoscit ejus oppositum ... Tertium est, quod cum dicimus divinam cognitionem vel voluntatem ordinari ad hoc cognoscibile et ad aliud, non ponitur ordo vel respectus in Deo actu, sed solum ex parte rei creatae vel cognitae; et ille quidem non ponitur in actu, sed in habitu; nec de praesenti, sed de futuro. Quartum est, quod futurum sub ratione futuri, quod ponitur semel esse verum, ponitur semper fuisse verum; et quod ponitur semel esse falsum, ponitur fuisse semper falsum: et ideo cum ponitur posse esse, non ponitur nec mutari, nec incipere. His praesuppositis, facile est intelligere, quod praedestinatus potest esse praescitus; et quod Deus, quem praescivit, potuit praedestinasse. Constans enim est, quod salus istius, qui praescitus est, potuit ab aeterno praevideri, cum possit esse, sive fieri in tempore: et si potuit ab aeterno ordinari ad divinam cognitionem et voluntatem, potest et nunc. Etenim quia praesens totum est, et nihil transiit in praeteritum, et nihil factum est, quod sit necessarium esse factum; hinc est, quod sicut potest cogitari vere potuisse, et non praedestinasse ab aeterno, ita etiam quod possit nunc, in suo scilicet nunc aeternitatis, non praedestinasse; et hoc dicit Magister in litera. Actus tamen aeternus divinae cognitionis non potest cogitari non fuisse, vel ad hoc futurum contingens ordinatum non esse; et si hoc non ponitur, non ponitur aliqua mutatio in aeterno praesenti, quia nulla ponitur successio, nec ponitur mutatio in cognitione, quia non ponitur in Deo alia cognitio; nec in ordine ex parte cognoscentis, quia non ponitur in Deo alius ordo; nec in ordine ex parte cogniti, quia ex parte illa non ponitur nisi futurum: et illud cum non est, potest intelligi esse et non esse futurum sine mutatione. Et hoc totum clarius aperitur, si veniamus ad significationem horum vocabulorum *praescitus* et *praedestinatus*. Praedestinatus enim et praescitus duo sunt vocabula, et quantum ad principale significatum important divinam essentiam, quantum ad connotatum important futura contingentia. Quantum ergo ad principale significatum idem sunt, quantum vero ad connotatum, quia sunt contingentia, quae non de necessitate insunt, potest unum esse alterum. Quia vero connotata, non tantum sunt contingentia, sed etiam de futuro, quae nihil ponunt actu, possunt non inesse et inesse sine mutatione. Cum enim ponuntur inesse vera de futuro, ponuntur semper fuisse, etc. sicut patet, et Anselmus dicit. Si dicatur aliquid esse futurum de contingenti, constat quod possibile est non esse futurum; et si futurum est, semper verum fuit ipsum esse futurum; et ideo haec est vera sine mutatione et sine inceptione: Praedestinatus potest esse praescitus. Nulla enim repugnantia est nec ex parte significati, nec ex parte connotati; et hoc patet si resolvatur. Sensus enim est: iste est praedestinatus, id est, iste est a Deo praecognitus, et salvabitur per Dei gratiam. Similiter, iste est praescitus, sensus est: Iste est praecognitus, et damnabitur per suam culpam. Constat enim, quod in divina cognitione non est differentia in se, sed

solum in connotato; cum ergo salvandus possit damnari, praedestinatus potest esse praescitus sine aliqua mutatione." *1. dist. 40. a. 2. qq. 1—2.*

[19] „Cum vocabulum praedestinationis per se profertur, claudit in se intellectum gratiae et gloriae." *3. dist. 7. a. 2. q. 2. ad 1.* — „Praedestinatio est praeparatio gratiae in praesenti, et gloriae in futuro . . . Nam nos sumus praedestinati ad gratiam et gloriam." *3. dist. 11. a. 1. q. 1.* — „Cum praedestinatio significet divinam essentiam ut causam gratiae et gloriae, et hoc secundum ordinatam distributionem gratiae et gloriae, quantum est de se, non tantum importat scientiam, sed etiam voluntatem et potentiam. Sed quoniam causalitas gratiae et gloriae attribuitur proprie voluntati ut efficienti, sed scientiae ut disponenti, et potentiae ut exequenti; ideo etsi praedestinatio importet illa tria, tamen principalius est in genere voluntatis. Et ideo ab Augustino definitur praedestinatio per illa tria. Primo per illud, quod respicit potentiam *(in lib. de fide ad Petrum cap. 35):* Praedestinatio est gratuita donationis praeparatio. Secundo per illud, quod respicit scientiam *(in lib. de bono persev. lib. 8. c. 14):* Praedestinatio est praescientia beneficiorum Dei. Tertio per illud, quod respicit voluntatem et propriissime *(in lib. de praedest. sanct.):* Praedestinatio, inquit ibi, est propositum miserendi." *1. dist. 40. a. 1. q. 2.* — „Praedestinatio est praeordinatio. In praeordinatione autem tria concurrunt, quid ordinetur, et per quid, et ad quid. Primum est homo, secundum est gratia, tertium gloria, quoniam ille solus dicendus est praedestinatus, qui praedestinatione ordinatur." *Ibid. dub. 1.*

[20] „Electio tripliciter dicitur. Est enim electio secundum affectionem dilectionis, et secundum effectum finalis gratificationis, et secundum statum praelationis. Prima est aeterna, et est idem quod praedestinatio. Secunda est temporalis, et signum primae infallibile. Tertia similiter temporalis, nec est effectus, nec signum aeternae electionis, multi enim praeficiuntur mali et reprobi, et utinam non sint plures mali, quam boni." *1. dist. 40. a. 3. q. 2.* „Duplex est electio, scilicet aeterna, et secundum praesentem justitiam." *Expos. in Ecclen. c. 7. v. 14.*

[21] „Opinati sunt quidam Deum ideo elegisse Jacob, quia talem futurum praescivit. — Videtur quod ista positio non sit opinio, sed haeresis manifesta, quia qui hoc ponit, ponit gratiam homini non gratis, sed ex meritis dari a Deo; et iste est error pessimus, scilicet error Pelagii. — Resp. dicendum quod hoc potest dicere causam meritoriam, vel rationem congruitatis. Si dicat causam meritoriam, sic quamvis prima fronte non dicat errorem, tamen ad ipsam sequitur error. Si vero dicat rationem congruitatis, sic non dicit errorem; sed tamen temeritatem quandam habet, quia occulto Dei profundo nititur reddere rationem." *1. dist. 41. dub. 1.*

[22] „Praedestinatio atque reprobatio, quantum ad rationem voliti et ordinationem ad voluntatem divinam, non habent causam meritoriam: habent autem causam congruentiae bona et mala opera in generali: quid vero sit causa in speciali, est ignotum." — „Cum quaeritur, utrum aeternum Dei propositum, sive electio vel reprobatio, in Deo motivam rationem habeat, hoc non intelligitur quantum ad voluntatem divinam, vel ejus actum, qui Deus est, sed quantum ad ordinationem voliti ad ejus voluntatem. Et si quaeratur ratio causalis vel meritoria, respondetur quod dari non possit. Si autem quaeratur ratio congruitatis et decentiae, respondent quidam quod ipsa Dei voluntas sibi ipsi est ratio, nec est alia ratio, quare istum elegit, nisi quia placet: et haec est sufficiens per omnem modum, quia est causa causarum et ratio rationum; et eo ipso quod placet, ideo rectum est, propter summam ipsius voluntatis rectitudinem, quia non tantum est recta, sed etiam regula. Sed cavendum est, ne, dum voluntatem Dei magnificare volumus, potius voluntati ejus derogemus. Si enim non esset alia ratio, quare Deus istum elegit et illum non, nisi quia placet, certe jam non occulta dicerentur divina judicia, sed manifesta, cum quilibet hanc rationem capiat, nec dicerentur mirabilia, sed potius voluntaria. Et propter hoc est dicendum, quod propositum illud aeternum, sicut dicit Augustinus *(l. 1. Retract. c. 23),* et voluntas illa est rationabilissima et rationem habet, et sicut ab aeterno fuit, ab aeterno rationem habuit, non aliam propter essentiam, sed propter connotatum. Quid autem sit illud in electione hominum vel reprobatione, nobis non est omnino notum, nec omnino ignotum. Propter hoc notandum, quod quaedam sunt opera, quae exeunt a voluntate divina cum alio ad hoc ordinato ordine necessitatis, sive necessitatem sumamus in causando, sive in merendo, vel disponendo, ut pluere et remunerare, sive damnare et salvare; et respectu talium divina voluntas habet rationem in generali et speciali. Unde si quaeratur, quare Deus vult pluere, respondetur propter nostram utilitatem. Similiter habet rationem in speciali; ut si quaeratur, quare vult Deus pluere in hieme, non in aestate, tunc respondetur, quia vapores aquosi magis in hieme abundant, quam in aestate. Similiter si quaeratur, quare magis voluit salvare Petrum quam Judam, respondetur quod iste habuit bona merita, ille vero mala. Quaedam autem sunt opera, quae sunt a divina voluntate cum alio ad hoc ordinato ordine congruitatis, sicut est nostra gratificatio, vel justificatio, quae est a divina voluntate cum operatione et praeparatione liberi arbitrii; et hoc quia qui creavit te sine te, non justificabit te sine te *(Aug. serm. 169. c. 11).* Et hoc dictum est secundum congruentiam, *adjutores enim Dei sumus (1. Cor. 3, 9).* Attamen Deus sine praeparatione et cooperatione justificat, ut patet de sanctificatis in utero, et ut dicunt de Paulo; et respectu talium operum habet rationem voluntatis in generali et habet in speciali, sed in generali certam, in speciali occultam. Si enim quaeritur, quare Deus vult justificare; respondetur, ad misericordiae suae ostensionem. Et si quaeritur, quare non vult omnes homines justificare voluntate beneplaciti, dicendum quod hoc est propter justitiae suae ostensionem. Unde Augustinus *(de Civ. Dei l. 1. c. 12; in Ench. c. 99 in fine):* Si remanerent omnes in poenis justae damnationis, non appareret misericors gratia redimentis. Rursus, si omnes transferrentur de tenebris ad lucem, in nullo appareret severitas ultionis, in qua propterea multo plures quam in illa sunt, ut sic appareret quid omnibus debebatur. Si quaeratur in speciali, quare magis vult justificare unum quam alium, duobus similibus demonstratis, quia multae possunt esse rationes congruentiae; ideo non est certitudo a parte rei. Et ideo cum cognitio nostra pendeat a certitudine rei, nullus cer-

tam potest invenire rationem, nisi habeat per revelationem illius, cui dubia sunt certa. Et quia non fuit nobis expediens ad salutem ista cognitio, sed utilior fuit ignorantia propter humilitatem; ideo Deus noluit revelare, et Apostolus non fuit ausus inquirere, sed ostendit defectum nostrae intelligentiae, cum exclamavit: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus etc. (Rom. 11, 33—34).*" *1. dist. 41. a. 1. q. 2.* — Qua autem ratione Christus sit exemplar et causa efficiens nostrae praedestinationis, vide inferius *part. IV. cap. 7.*

[23] „Cum Apostolus dicat, quod Deus hoc *vult*, scilicet *omnes homines salvos fieri (1. Tim. 2, 4)*, necesse habemus concedere, quod Deus velit. Et cum non possit exponi de voluntate signi, necesse habemus exponere de voluntate beneplaciti. Sed cum non omnes salventur, et voluntas Dei nunquam frustretur; ideo necesse est, quod fiat vis in modo distribuendi, vel in modo volendi. Et egregius doctor Augustinus duplicem facit vim in modo distribuendi (*in Enchirid.* c. 103). Uno modo, quod distributio sit accommodata, sicut et hic: omnis homo timet in mari, secundum communem modum loquendi intelligitur, qui est in mari. Similiter Augustinus exemplificat, si dicatur: Magister iste docet omnes pueros de ista civitate, quia scilicet docet omnes, qui addiscunt, nullus enim docetur, nisi per ipsum. Similiter, Deus vult omnes homines salvos fieri, quia nullus salvatur, nisi velit Deus; et ideo orandus est, ut velit. Facit etiam alio modo vim in distributione secundum omnem modum distribuendi, quae potest fieri pro singulis generum; et sic est falsa et non intelligit Apostolus sic: vel pro generibus singulorum, et est sic vera, quia Deus de omni gente voluit et vult aliquos salvari, et de Graecis et de Latinis, et de praelatis et subditis, et de omni gente; ideo dicit Apostolus pro omnibus esse orandum. Haec est responsio Augustini, cui Magister innititur: et necesse est sic, vel sic solvere, supposito quod velle dicat ibi velle Dei, secundum quod dicitur velle placito, quietato, sive voluntate absoluta, de qua verum est dicere: *Omnia, quaecumque voluit, fecit (Ps. 113, 3).* Sed Damascenus *(lib. 2. c. 29)* facit vim in modo volendi. Distinguit enim in Deo voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem. Et voluntas antecedens est voluntas respectu ejus, propter quod Deus hominem fecit; et est irrefragabiliter bonorum. Voluntas autem consequens est voluntas, non quae sequitur merita, sed quae vult aliqua secundum scientiam meritorum. Prima, scilicet antecedens, dicitur a Magistris voluntas conditionalis, sive voluntas, qua Deus vult, quantum in se est. Secunda autem, scilicet consequens, dicitur absoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem et illam non est secundum diversitatem affectionis, sive modi volendi, qui sit in Deo, sed secundum rationem connotandi et intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium salutem, quantum in se est et antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturae datae, tum ex parte gratiae oblatae. Dedit enim eis Deus naturam, secundum quam possent eum cognoscere et cognitum quaerere et quaesitum invenire et invento inhaerere, ac per hoc salutem obtinere. Gratiam similiter obtulit, dum Filium misit et obtulit, cujus pretium omnium saluti sufficit. Leges etiam et mandata tribuit salutis et ostendit. Ipse etiam praesto est omnibus inquirentibus, et *prope est omnibus invocantibus eum (Ps. 144, 18).* Velle ergo hominem antecedenter salvare, est ordinatum ad salutem facere, et volenti pervenire, non deesse. Unde velle antecedenter salvare, non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem. Velle autem consequenter, sive absolute, salvare, est velle dare salutem ei, quem praescit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam, et connotat salutis eventum. Et sic non est dicere, quod Deus velit omnes homines salvos fieri. Huic responsioni magis consonant Magistri, quamvis utraque bona sit. Secundum hanc ergo respondendum, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantum in se est voluntate antecedente, non autem voluntate absoluta, sive consequente. Et quia illa non connotat effectus eventuum; ideo non impeditur in hoc, quod non omnes salventur. Patet etiam responsio ad illud, quod objicitur de praedestinatione, sive electione, quia in illis clauditur voluntas absoluta, non solum antecedens. Patet etiam responsio ad ultimum de connotato. Ad illud tamen quod objicitur, quod voluntas conditionata non cadit in Deum, dicendum quod non ponitur in Deo velleitas quantum ad defectum plenitudinis voluntatis, nec propter diversos modos volendi, sed propter aliam comparationem in connotando." *1. dist. 46. a. 1. q. 1.* Cfr. inferius *part. V. cap. 8.*

[24] „Ad illud quod objicitur, quod alius alterius locum accipit et coronam, dicendum quod locus aeternae mansionis et corona retributionis alicui debetur secundum reputationem praesentis justitiae, alicui secundum praediffinitionem praescientiae. Et contingit, quod unus locus debetur alicui secundum praesentem justitiam, et quod, illo cadente, alius intrat, cui debetur secundum praediffinitionem aeternam. Quando vero alicui debetur locus secundum praediffinitionem aeternam, potest quidem cadere et locum perdere, et alius, qui non est praedestinatus, potest acquirere; sed tamen hoc nunquam eveniet. Quia ergo praescitus justus frequenter locum aeternae mansionis perdit, quem alius paris meriti acquirit, et nemo scit utrum sit praescitus, vel praedestinatus; ideo, quamvis sciat se esse justum, timere debet, ne amittat locum. Et ad hunc timorem hortatur beatus Joannes in praedicta auctoritate Apocalypsis *(3, 11);* et hic timor bonus est omnibus, et praescitis et praedestinatis, quia humiliat et sollicitat. E contra certitudo de electione elevat in tumorem et deprimit in torporem; ideo secundum ordinatissimam dispositionem hoc factum est, ut nulli reveletur, an sit praedestinatus, nisi sit a Deo confirmatus in bono, ut non possit elevari per superbiam, vel torpere per negligentiam. Patet ergo, quod illa auctoritas non significat mutationem fieri in praescientia, vel aliter evenire quam Deus praescit; sed quod qui actualiter justus est, potest locum, quo dignus est, perdere perdendo justitiam, et quod qui peccator est, potest sibi locum debitum acquirere acquirendo justitiam: et hoc tota die contingit. Exemplum in veteri Testamento manifestum fuit de Saule et David in regno, cui scilicet Sauli recte potuit dici: *Tene quod habes,* id est, humilitatem et justitiam, *ne alius accipiat coronam tuam* tibi debitam secundum statum praesentem, alii tamen debitam secundum dispositionem ae-

ternam. Exemplum etiam est in coronis quadraginta martyrum." *1. dist. 40. a. 2. q. 2. ad 1. 2.*

[25] „Ad illud quod objicitur, quod si ita evenit, tunc frustra laborat praescitus et praedestinatus, dicendum quod illud est argumentum, quod ducit eos in torporem et impietatis excusationem. Et ideo primo ostendendum est eos stulte arguere inferendo a simili, dicendo sic: Deus praedestinavit, utrum tu debeas cras vivere, an non. Ad quid ergo comedis et bibis? Qui sic argueret et tali rationi consentiret, argueretur dementiae. Similiter in proposito. Secundo respondetur argumentando. Tu dicis, quod Deus praedestinat; et ego dico, quod Deus, tamquam justus judex, juste remunerat. Nullum bonum ergo irremuneratum, nullum malum impunitum. Ergo nullus laborat sine fructu, nullus torpet sine damno. Et propterea dicendum, quod praedicta argumentatio deficit, procedit enim ac si Deus praedestinaret et praesciret in eventum omnem. Sed non praedestinat hominem ad salutem nisi per merita; nec reprobat, ut perveniat in damnationem sine meritis. Et ideo non solum est nostra salus ex parte Dei, sed ex parte nostra; et cum ipse velit omnes salvos fieri, et omnibus gratiam impertiri, solum ex nostra malitia vel negligentia venit defectus nostrae salutis." *Ibid. ad 6.*

APPENDIX.

Circa praedestinationem duae sunt sententiae, quarum una a Thomistis et ab Augustiniensibus, altera a Molinistis et a Congruistis propugnatur.

Porro praedestinationis processus juxta priores talis est. Omnes homines, quum filii irae nascantur, massam damnationis constituunt. Ex hac autem Deus quos vult, ex pura misericordia ac bonitate, absque meritorum praevisione ex parte hominum, eligit, ceteris negative reprobatis, seu non electis. In quo quidem *nulli injuriam facit,* ut ait S. D. noster in textu, seu nullius jus violat, nam, cum omnes sint peccatores, nemo meritum, seu jus ad electionem, habet. Eligendo autem praedestinat ad gratiam, quam ipsis electis largiri in tempore decernit, vel ut in justitia permaneant, vel ut a peccatis, si in ea lapsi sunt, resurgant. Primus proinde in ista sententia actus praedestinationis est voluntas; quod tamen relate *ad intentionem.* Nam quod attinet *ad executionem,* praeter divinam gratiam ex parte Dei, requiri cooperationem ex parte hominis ex fide constat.

Processus vero juxta Molinistas talis est. Deus omnibus hominibus gratiam sufficientem, *versatilem* dicunt, offert; quos autem ipsi gratiae fideles praevidet, ad gloriam praedestinat; praevidet vero per scientiam mediam. At cum gratia versatilis et ipsis nimis molesta videretur, hoc systema mitigatum fuit a Congruistis, duce Suaresio, qui asserunt Deum per scientiam mediam praescire, quomodo gratia uterentur in iis circumstantiis positi, quosque fideles praevidit, in talibus circumstantiis congruis ponere. Ex dictis apparet, Augustinienses ac Thomistas praedestinationem adaequatam, scilicet ad gratiam et ad gloriam, ceteros nonnisi inadaequatam, nempe ad gloriam tantum, admittere; primos reprobationem negativam agnoscere, secundos eam rejicere; illos praedestinationem gratuitam *in se,* istos, *in sua causa* asserere: in priori sententia Deum praedestinare *ante praevisa merita,* ac proinde primum praedestinationis actum esse voluntatem, secundum vero intellectum: in sententia posteriori Deum praedestinare *post praevisa merita,* et ideo primum actum esse intellectum, secundum voluntatem. Cuinam autem ex hisce sententiis noster Seraphicus propius accedat, ex his, quae in hoc capite habentur, evidentissime apparet. Advertendum tamen est Molinistas a Pelagianis quam longe distare; Pelagiani enim ex praevisione meritorum per naturae vires comparandorum Deum ad gloriam praedestinare autumabant, quod haereticum esse nemo non videt, necessitatem enim gratiae, et praedestinationis gratuitatem omnino denegabant: Molinistae e contra praedestinationem admittunt post praevisa merita per gratiam adquirenda. De cetero, cum de his nihil nobis ex revelatione innotescat, neque ab Ecclesia hucusque de his systematibus a Theologis excogitatis aliquid definitum sit, cuilibet ex his adhaerere, cuique, prout ipsi magis arriserit, conceditur facultas.

Antequam tamen de hac re finem faciamus, nonnulla monita, ex Trigosio deprompta, de hoc mysterio disserentibus scitu prorsus necessaria, referre censemus. Quae sunt. „1°. Ut in hac materia maxima cum humilitate ac reverentia procedamus captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei *(2. Corinth. 10, 5)*, nam licet hoc de omnibus fidei rebus sit dicendum, praecipue tamen de hoc altissimo mysterio, in quo ipsum vas electionis ad divitias divinae sapientiae recurrit. 2°. Ut in argumentis contrariis veritati praedestinationis non turbemur, etiamsi argumenta illa dissolvere minime valeamus; sed statim ad Ecclesiae Doctores recurramus, illorumque vestigiis inhaerentes, credamus illa argumenta optime esse ab illis soluta, quamvis noster intellectus ea capere non possit; memoria tenentes verba S. Augustini: Benedictus Deus, qui dixit: *Qui crediderit, salvus erit (Marc. 16, 16);* et non dixit, qui intellexerit, salvus erit. 3°. Ut media quadam via in hac re procedamus inter gratiam divinam ac liberum arbitrium, ne scilicet nimium libero

arbitrio tribuentes, Dei gratiam negare videamur; et e contra ne totum divinae gratiae concedendo, liberum arbitrium prorsus destruamus. 4°. Ut certissime teneamus, quod in manu nostra stat nostra salus, ita ut qui servaverit mandata Dei, salvabitur, ut dixit Christus illi juveni *(Matth. 19, 17)*: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* 5°. Ut in hac re magis fides praestetur sacrae Scripturae auctoritati, Conciliorum determinationibus et sententiis SS. Patrum, quam nostro ingenio et nostris sophisticis argumentis, quae saepe saepius nos fallunt; et ideo in his caute, modeste et reverenter, non autem libere ac pertinaciter disputandum est (*In Summam S. Bonav.* v. 1. p. 1. q. 18. a. 1. pag. 532)."

Pars

in tabulas

C. I. DE ILLIS SEPTEM, DE QUI-

- Theologia
  - agit de Deo
    - absolute *in se*, ut . . . . . *primum principium,*
    - relate *ad extra*, ut . . .
      - primum principium
      - primum principium
      - primum principium
  - est *perfecta*
    - *scientia*, quia incipit . . . . . .
    - *sapientia*, quia . . . . . .
  - est (tamen) *scientia una*, cujus subjectum
    - *a quo* omnia . . . .
    - *per quod* omnia . .
    - *ad quod* omnia . . .
    - *circa quod* omnia .
    - *de quo* omnia . . . .

C. II. QUID TENENDUM DE TRINITATE

- In Deo est *unitas naturae*
  - cum *Trinitate personarum*, scil. cum persona
    - Patris . . .
    - Filii . . . .
    - Spiritus s.
  - cum *divinis perfectionibus*, scil. cum
    - immortalitate . .
    - incorruptibilitate
    - immutabilitate .

      } quae
    - vita . . . . . .
    - potentia . . . . .
    - speciositate . . .

      } quae
    - justitia . . . . . .
    - bonitate . . . . .
    - spiritualitate . .

      } quae

Prima

listributa.

BUS EST THEOLOGIA IN SUMMA.

cil. de Deo uno et trino in suis . . . { emanationibus / conditionibus.

ffectivum in creatione; et ideo de . . { creatura mundi / corruptela peccati.

efectivum in redemptione; et ideo de { Incarnatione Verbi / Gratia Spiritus sancti.

erfectivum in retributione; et ideo de { medicina sacramentali / statu finalis judicii.

a primo et pervenit ad ultimum, quod est praemium aeternum
a summo et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium.

incipit a causa summa, ut est principium causatorum
transit per causam summam, ut est remedium peccatorum

reducit in causam summam, ut est { praemium meritorum / finis desideriorum.

. . . . . Deus.
. . . . . Christus.
. . . . . opus reparationis.
. . . . . unicum caritatis vinculum.

. . . . . { credibile ut credibile, in libris canonicis / credibile ut intelligibile, in libris expositorum.

PERSONARUM ET UNITATE ESSENTIAE.

nulla procedente, seu cum *mente generante*
rocedente a Patre, „ cum *verbo nascente* } inclusis in *sapientia.*
rocedente ab utraque „ cum *amore nectente*

d aeternitatem
d sapientiam . . } quae ad *sapientiam* reducuntur, in qua sunt { *mens generans* / *verbum nascens* / *amor utrumque nectens.*
d beatitudinem

C. III. DE ISTIUS FIDEI INTELLIGENTIA SANA.

In divinis sunt
- duae *emanationes* . . . . . : per motum *naturae* — generatio; per modum *voluntatis* — processio.
- tres *hypostases* . . . . . : Pater; Filius; Spiritus sanctus.
- quatuor *relationes* . . . . . : paternitas; filiatio; spiratio activa; spiratio passiva.
- quinque *notiones* . . . . . : innascibilitas; paternitas; filiatio; spiratio (activa; passiva).
- tres *proprietates personales* . .
  - Pater, qui est . . . . . : *ingenitus*; *principium non de principio*; *Pater*.
  - Filius, qui est . . . . . : *imago*; *verbum*; *Filius*.
  - Spiritus sanctus, qui est : *donum*; *caritas*; *Spiritus sanctus*.

C. IV. DE ISTIUS FIDEI EXPRESSIONE CATHOLICA.

In divinis sunt
- duo *modi praedicandi* . . . . . : per modum substantiae; per modum relationis.
- tres *modi supponendi* . . . . . : essentiae; personae; notionis.
- quatuor *significandi substantiam*
  - ut communicabilem . : in abstracto — per essentiam; in concreto — per substantiam.
  - ut incommunicabilem : distinguibilem — per hypostasim; distinctam — per personam.
- quinque *modi dicendi* . . . . . : quis . . . . . ratione personae; qui . . . . . „ hypostasis; quae . . . . . „ notionis; quod . . . . . „ substantiae; quid, vel quo „ essentiae.
- tres *modi differendi*, scil. secundum modum . . . .
  - emanandi, ex quibus pluralitas personarum
  - se habendi, ex quibus praedicationes : substantiales; relativae
  - intelligendi, ex quibus : proprietates essentiales; notiones.

C. V. DE UNITATE DIVINAE NATURAE IN MULTIFORMITATE APPARITIONUM.

Deus se manifestat
- *generaliter* — per universitatem effectuum, in quibus est
  - per *essentiam*
  - per *potentiam*
  - per *praesentiam.*
- *specialiter* — per
  - effectum spiritualem cum acceptione . . . . . seu per *habitationem*
  - effectum sensibilem cum expressa significatione „ per *apparitionem*
  - per praedictos effectus cum inchoatione . . . . „ per *descensum*
  - per praedictos effectus cum aeterna productione „ per *missionem.*

C. VI. DE UNITATE DIVINAE NATURAE IN MULTIPLICITATE APPROPRIATORUM.

Appropriantur	Patri	Unitas . . .	Aeternitas . .	Ratio principiandi . . Omnipotentia
	Filio	Veritas . .	Species	Ratio exemplandi . . Omniscientia
	Spiritui sancto	Bonitas . .	Usus	Ratio finiendi . . . . Omnivolentia.

C. VII. DE OMNIPOTENTIA DEI.

Omnipotentia Dei se extendit ad omnia, quae veniunt a potentia
- *completa* — excluduntur.
  - quae non est de nihilo, et ideo . . *culpabilia*
  - quae non est sub aliquo „ . . *poenalia*
  - quae non indiget alio „ . . *materialia*
- *ordinata* — comprehenduntur.
  - secundum actum . . . . . et ideo . . *actualia* . . . .
  - secundum aptitudinem ex parte creaturae „ . . *possibilia* . . .
  - secundum aptitudinem ex parte Dei . . . „ . . *mere possibilia*


Deus cognitionem habet, quia principium
primum — simplicissimam, qua
cognoscit
alia a se . .
creata . . .
dependentia
temporalia .
futura . . .
mutabilia . .
contingentia
omnes ideae in eo unum
summum — perfectissimam, quae
dicitur
ut cognoscitiva
ut ratio cognoscendi
et habet omnium rerum


Voluntas Dei
in se, scilicet absolute, est
rectissima, et regula rectitudinis.
efficacissima, et fons et origo totius
una et significabilis . . .
ut regula
ut fons et
ut ratione regulata, scilicet relative ad extra, est. . .
quoad . .
quoad . .

APIENTIA DEI.

se et per se
create
dependenter
ternaliter
aesentialiter
mutabiliter
fallibiliter.

nt.

possibilium *(simplicis intelligentiae) scientia* . . . . . per *lucem*

existentium *(visionis)* . . . . . *visio* . . . . . } per *speculum*
bonorum operum . . . . . *approbatio* . . }

futurorum { omnium . . . . . *praescientia* . } per *exemplar*
ab ipso faciendorum . . *dispositio* . . . }

praemiandorum . . . . . *praedestinatio* } per *librum vitae.*
damnandorum . . . . . *reprobatio* . . }

omnia . . . . . *lux*

euntia, seu . . { visa . . . . . } *speculum*
approbata . . }

exeuntia, sc. . { praevisa . . . } *exemplar,* cui spectat secundum actum { praevidendi — *idea*
disposita . . . } proponendi — *verbum*
prosequendi — *ars*
perficiendi — *ratio.*

edeuntia scil. { praedestinata } *liber vitae.*
reprobata . . }

as.

EI ET PROVIDENTIA.

caciae

titudinis { necessitatis . { in faciendo bonum necessarium . . per *praeceptum*
in declinando malum . . . . . per *prohibitionem*
perfectionis . . in supererogando ultra debitum . . per *consilium*

go totius efficaciae { cooperando et coëfficiendo . . . . . per *impletionem*
juste deserendo . . . . . per *permissionem.*

nes creaturas . . *Providentia*
os electos . . . . *Praedestinatio.*

TABULA GENERALIS

HUJUS I. PARTIS

IN QUA DE TRINITATE DEI AGITUR.

- Trinitas Dei stat
  - cum *pluralitate Personarum*, in qua
    - quoad *fidem* — est Trinitas Personarum
      - in unitate naturae
      - cum divinis perfectionibus.
    - quoad *intelligentiam*, sunt
      - duae emanationes
      - tres hypostases
      - quatuor relationes
      - quinque notiones
      - tres proprietates personales.
    - quoad *expressionem*, sunt
      - duo modi praedicandi
      - tres modi supponendi
      - quatuor modi significandi substantiam
      - quinque modi dicendi
      - tres modi differendi.
  - cum *multiformitate apparitionum*
    - *generalium*
    - *specialium*
      - habitationis
      - apparitionis
      - descensionis
      - missionis.
  - cum *multiplicitate appropriatorum*
    - in *genere*
    - in *specie*
      - cum *omnipotentia*, quae est
        - completa
        - ordinata
      - cum *sapientia*, quae est
        - simplicissima
        - perfectissima
      - cum *voluntate*
        - in se
        - relative ad extra.

II. PARS,

IN QUA DE CREATURA MUNDI AGITUR.

CAPUT I.

De productione mundi totalis.

(Omnis creatura est producta in esse ex tempore, — de nihilo, — ab uno primo principio, — solo et summo; — in certo pondere, numero et mensura. — In qualibet creatura vestigium Creatoris reperitur.)

His summatim praeintellectis de Trinitate Dei, dicenda sunt aliqua de creatura mundi. Circa quam haec tenenda sunt in summa: videlicet, quod universitas machinae mundialis producta est in esse ex tempore, et de nihilo ab uno primo principio solo et summo; cujus potentia, licet sit immensa, *disposuit tamen omnia in certo pondere, numero et mensura (Sap. 11, 21).* Haec generaliter intelligenda sunt circa rerum productionem, ex quibus et [a] veritas colligitur et error repudiatur. Per hoc enim, quod dicitur: ex tempore [1], excluditur error ponentium mundum esse [b] aeternum [2]. Per hoc, quod dicitur: de nihilo, excluditur error ponentium aeternitatem circa principium materiale [3] (I). Per hoc, quod dicitur: ab uno principio [4], excluditur error Manichaeorum *(August. de haeres. ad Quodvult. haer. 46),* ponentium pluralitatem principiorum [5] (II).

a) Et om. ed. 1484.

b) Esse om. ACDEFG et editt. Nor. Arg. Aug. et 1484.

(I) Materiae aeternitatem propugnarunt, praeter Platonicos, „qui dixerunt principia mundi tria esse“, scilicet Deum, materiam et exemplar *(S. D. 2. dist. 1. p. 1. dub. 2),* Seleuciani et Hermiani, apud Epiphanium et Augustinum, obscuri nominis haeretici, sed praecipue Manichaei, qui, teste eodem Augustino *(lib. de fide contra Manich. capp. 40. 41),* autumarunt materiam non esse a Deo creatam, sed potius Deum ab ipsa ad mundi productionem adjutum fuisse. Quidquid porro sit de praedictis haereticis, certum omnino est recensitos errores a Pantheistis acceptatos ac pro virili propugnatos fuisse. Praecipuus pantheismi coryphaeus fuit saec. XVII Benedictus Spinoza, Judaeus, ac deinde Christianus, apostata et atheus. Recentissime vero ipsum pantheismum strenue tueri conatus est Vincentius Gioberti. — Contra Manichaeos ex Concilio Nicaeno credere tenemur „in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium“. Pantheismus vero damnatus fuit a Pio IX in *Syllabo,* nn. 1. 2: „Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso et justum cum injusto.“ — „Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.“

(II) Error Manichaeorum ponentium pluralitatem principiorum, „omnibus est abominabilior, quia deficit in principio summo, in quo philosophi communiter concordaverunt, ponens primo duo principia, ac per hoc auferens ordinem atque decorem universi et bonitatem et Dei potestatem. Et hunc errorem inter ceteros non humanam malitiam, sed diaboli astutiam credo adinvenisse, ut se alterum Deum esse persuadeat mentibus peccatorum“ *(S. D. ibid.).* Porro Manichaeis, sic dictis a Cubrico, Persarum lingua Manete, Graecorum Manichaeo, eorum praecipuo duce, saec. III, praeluserant saec. II Gnostici, Cerdoniani, Marcionistae et Apellitae, iisque Persae atque Aegyptii, qui in sua mythologia Isidem et Osiridem, sive Oromasdem et Arimanium, seu duo principia boni et mali jampridem agnoscebant. Horum figmenta iterum prodierunt saec. IV

Per hoc, quod dicitur: solo et summo, excluditur error ponentium Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum [6] (III). Per hoc, quod additur [e]: in certo pondere, numero et mensura, ostenditur, quod creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis: efficientis, a quo est in creatura unitas, modus et mensura: exemplaris, a quo est in creatura veritas, species et numerus: finalis, a quo est in creatura bonitas, ordo et pondus. Quae quidem reperiuntur in omnibus creaturis, tanquam vestigium creatoris [7], sive corporalibus, sive spiritualibus, sive ex utrisque compositis [8] (IV).

e) Additur om. ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia ad hoc, quod sit ordo perfectus et status in rebus, necesse est, quod omnia reducantur ad unum principium, quod quidem [d] sit primum, ut det ceteris [e] statum, et perfectissimum [f], ut det ceteris omnibus [g] complementum [9]. Quoniam igitur primum principium, in quo est status, non potest esse nisi unum solum, si mundum producit, cum non possit ipsum producere de se ipso, necesse est, quod producat ipsum ex nihilo. Et quia productio ex nihilo ponit esse post non esse ex parte producti, et immensitatem in virtute producente ex parte principii; cum hoc sit solius Dei, necesse est, quod creatura mundi sit producta ex tempore [10] ab ipsa virtute immensa, agente per se et immediate. Rursus, quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse est agere a se, et secundum se et propter se, et quia nullo in agendo indiget extra se; necesse est, quod habeat intentionem triplicis causae, respectu cujuslibet creaturae, scilicet efficientis, exem-

d) Quidem om. ibid.
e) Et statum ibid.
f) Perfectissime ibid.
g) Omnibus om. ABCDE FG et edd. Arg. Aug. Nor.

per Priscillianum, et XIII per Albigenses et deinde per Beguinos, sive Fraticellos. Contra Gnosticos autem, ceterosque haereticos antiquiores strenue in primis decertarunt S. Irenaeus Martyr et Tertullianus; contra Manichaeos S. Augustinus; contra Priscillianum Ss. Leo Magnus et Turribius Astorgensis; contra Albigenses S. Dominicus cum suis fratribus; contra Fraticellos Ss. Joannes a Capistrano et Jacobus a Marchia. Plura quoque Concilia contra ipsos fuere indicta: hic tamen hoc tantum indicare sufficiat Albigenses solemniter damnatos fuisse an. 1215 sub Innocentio III, in Conc. Oecum. Lateran. IV. — Porro contra praedictos errores est definitio Conc. Bracarensis I an. 563, can. 13: „Si quis dixerit, creationem universae carnis non opificium esse Dei, sed malorum Angelorum, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.“

(III) Nonnulli Deum mundi opificem unicum negantes, „dixerunt mundum esse factum ex tempore, sed mediante intelligentia, ita quod Deus primo fecit Angelos et cum illis condidit mundum“ *(S. D. ibid.)*. Hujus absurdissimi erroris auctores fuere saec. I Simon Magus, omnium haereticorum primus, Menander, Saturninus ac Basilides; et saec. II Valentinus. Eos acriter perstrinxit potissimum S. Irenaeus M. — Ecclesia vero in Conc. Later. IV, cap. *Firmiter* definivit: „Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus . . . qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.“

(IV) Errores, qui ad mundi creationem referuntur, et praecipue pantheismus, sive emanatisticus, sive realisticus, sive idealisticus, nostris his temporibus late nimis per orbem diffusus, a Concilio Vaticano, *Const. dogm. de fide cath. I,* sequentibus canonibus proscripti fuere. *Can. 1:* „Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit.“ — *Can. 2:* „Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.“ — *Can. 3*: „Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.“ — *Can. 4:* „Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.“ — *Can. 5:* „Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas; aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum; aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.“

plaris et finalis. Necesse est etiam omnem creaturam secundum hanc triplicem habitudinem comparari ad causam primam[11]. Omnis enim creatura constituitur in esse ab efficiente[12], et conformatur ad exemplar, et ordinatur ad finem[13]: ac per hoc est una, vera, bona[14], modificata, speciosa, ordinata, mensurata, discreta et ponderata; est enim pondus inclinatio ordinativa[h)15]. Et haec quidem generaliter dicta sunt de omni creatura[16], sive corporea, sive incorporea, sive ex utrisque constituta[i)], sicut est natura humana[17].

h) Ordinata ed. 1484.

i) Composita vel constituta ADEH et editt. Nor. Arg. Aug.

Ad Caput I.

[1] „Differt dicere, secundum Augustinum *(lib. 11. de Civ. Dei c. 6)*, aliquid fieri *ex* tempore et *in* tempore et *cum* tempore. *Ex* enim importat ordinem, *In* importat continentiam, *Cum* importat simultatem; et ideo nihil est factum in tempore, nec ex tempore, nisi quod exceditur a tempore. Quia igitur tempus et ea, quae in primordio temporis creata sunt, a tempore non exceduntur; ideo dicit ea esse creata cum tempore, non in tempore, nec ex tempore. Et ideo cum Deus dicatur Dominus respectu omnis rei creatae, Deus non potuit incipere Dominus esse ex tempore, nec in tempore, proprie accipiendo habitudinem ejus, quod est *Ex* et *In*, nos autem in communi sermone large accipimus.“ *2. dist. 2. p. 1. dub. 2.* — „Notandum, quod quaedam fiunt cum tempore, ut illa, quorum ortum non praecessit tempus, sicut angelica natura et materia prima: quaedam fiunt in tempore, quae incoeperunt post temporis ortum, sed in tempore non habeat occasum, ut anima Petri: quaedam fiunt in tempore et sub tempore, quae post ortum temporis inchoant et in tempore terminantur; cujusmodi sunt mutabilia. Et talia sunt duplicia, quaedam enim fiunt pro tempore et sub tempus, et talia transeunt fructu et actu: quaedam pro aeternitate, et talia transeunt actu, sed manent radice et fructu, quia manet bona voluntas in aeternum remuneranda.“ *Expos. in Ecclen. c. 1. v. 3.* Vide etiam *1. dist. 30. dub. 2.*

[2] „Posita causa sufficienti et actuali, ponitur effectus; sed Deus ab aeterno fuit causa sufficiens et actualis ipsius mundi; ergo etc. Major propositio per se nota est. Minor patet, scilicet quod Deus sit causa sufficiens, quia cum nullo extrinseco indigeat ad mundi creationem, sed solum potentia, sapientia et bonitate, et haec in Deo fuerunt perfectissima ab aeterno, patet, quod ab aeterno fuit sufficiens. Quod etiam actualis, patet. Deus enim est actus purus et suum velle, ut dicit Philosophus *(Arist. 12. Met. cont. 39)*. Et Sancti dicunt, est suum agere; ergo etc. — Item, per impossibile. Omne illud, quod incipit agere vel producere, cum prius non produceret, exit ab otio in actum. Si ergo Deus incipit mundum producere, exit ab otio in actum. Sed in omni tali cadit otiositas et mutatio sive mutabilitas; ergo circa Deum est otiositas et mutabilitas. Hoc autem est contra summam bonitatem et contra summam simplicitatem; ergo hoc est impossibile et blasphemum dicere de Deo, et ita quod mundus coeperit ... Quod objicitur de causae sufficientia et actualitate, dicendum quod causa sufficiens ad aliquid est duobus modis, aut operans per naturam, aut per voluntatem et rationem. Si operans per naturam, sic, statim cum est, producit. Si autem operans per voluntatem, quamvis sit sufficiens, non oportuit quod, statim cum est, operetur, operatur enim secundum sapientiam et discretionem, et ita considerat congruitatem. Quoniam igitur non conveniebat naturae ipsius creaturae aeternitas, nec decebat Deum alicui hanc nobilissimam conditionem donare; ideo divina voluntas, quae operatur secundum divinam sapientiam, produxit non ab aeterno, sed in tempore; quia sicut produxit, sic et disposuit et sic voluit, ab aeterno enim voluit producere tunc quando produxit, sicut ego nunc volo cras audire Missam. Et ita patet, quod sufficientia non cogit. Similiter de actualitate dicendum, quod causa duobus modis potest esse in actu. Aut in se, ut si dicam: sol lucet. Aut in effectu, ut si dicam: sol illuminat. Primo modo Deus semper fuit in actu, quoniam ipse est actus purus, nihil habens admixtum de possibili. Alio modo non semper in actu, non enim semper fuit producens. Quod objicitur secundo, si de non producente factus est producens, mutatus est ab otio in actum, dicendum quod quoddam est agens, cujus actio et productio addit aliquid supra agentem et producentem. Tale, cum de non agente fit agens, variatur aliquo modo; et in tali ante operationem cadit otium, et in operatione additur complementum. Aliud est agens, quod est sua actio; et tali nihil omnino advenit, cum producit, nec etiam in eo fit aliquid, quod non prius infuit: et tale nec recipit complementum in operando, nec in non operando est otiosum, nec cum de non producente fit producens, mutatur ab otio in actum. Tale autem est Deus etiam secundum philosophos, qui posuerunt Deum simplicissimum. Patet ergo, quod stulta est eorum ratio. Si enim propter otium vitandum res ab aeterno produxisset, sine rebus perfectum bonum non esset, ac per hoc nec cum rebus, quia perfectissimum seipso perfectum est. Rursus, si propter immutationem oporteret res ab aeterno esse, nihil posset nunc de novo producere. Qualis igitur Deus esset, qui nunc nihil per se posset? Haec omnia dementiam indicant magis quam philosophiam, vel rationem aliquam. Si tu quaeras, qualiter possit capi, quod Deus agat seipso, et tamen non incipiat agere, dicendum quod si hoc non possit plene capi propter imaginationem conjunctam, potest tamen necessaria ratione convinci; et si quis a sensibilibus se trahat ad intelligibilia aspicienda, aliquo modo perciperet. Si enim quis quaerat, utrum Angelus possit facere lutum figuli, cum non habeat manus, vel projicere lapidem; respondebitur quod potest, quia hoc potest sola virtute sui absque organo, quod potest anima cum corpore et membro suo. Si igitur Angelus

propter suam simplicitatem et perfectionem tantum excedit hominem, ut possit facere sine organo medio illud, ad quod homo necessario indiget organo, posset etiam facere per unum, quod homo potest per plura; quanto magis Deus, qui est in fine totius simplicitatis et perfectionis absque omni medio suae voluntatis imperio, quae non est aliud quam ipse, potest omnia producere, ac per hoc in producendo immutabilis permanere? Et sic potest homo manuduci ad hoc intelligendum. Hoc autem perfectius capiet, si quis ista duo potest in suo opifice contemplari, scilicet quod est perfectissimus et simplicissimus. Quia perfectissimus, omnia, quae sunt perfectionis, ei attribuuntur. Quia simplicissimus, nullam diversitatem in eo ponunt; ac per hoc nec ponunt ullam varietatem, nec mutabilitatem; ideo, stabilis manens, dat cuncta moveri *(Boët. l. 3. de consol. metr. 9).*" *2. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ad 4. et 5.*

[3] „Materiale principium, ex quo res est, aut est materiale et transiens formaliter ... sicut ex grano frumenti herba ... et sic est defectio. Aut est materiale et permanens ... sicut vas fit de argento ... et sic est protensio. Aut est materiale et permanens et agens ... ut rivus ex fonte et lacus ex rivo ... et sic est derivatio." *1. dist. 18. dub. 4.* Cfr. quoque *2. dist 1. p. 1. a. 1. q. 1.*

[4] „*Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (Jo. 1, 3).* Hîc describitur Verbum per comparationem ad id, quod per Verbum dicitur. Et hoc quantum ad quatuor conditiones; describit enim ipsum, ut principium creationis sufficiens, ut indeficiens, ut praecognoscens, ut aliis cognitionem praebens. Et per has quatuor conditiones plures haereses eliduntur. Primo ergo dicitur ipsum principium sufficiens, quia ad omnia producenda sufficit. Ideo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt,* scilicet a Deo Patre per Verbum; quia *(Eccl. 18, 1): Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul,* et hoc per Verbum. Unde in Psalmo *(32, 9; ac 148, 5): Dixit, et facta sunt.* Augustinus *(lib. Confess. 11. c. 7. n. 9):* Verbo tibi coaeterno dicis quaecumque dicis et fit quod dicis, nec aliter quam dicendo facis. *Et sine ipso factum est nihil.* Hîc notatur secunda conditio, scilicet quod est principium indeficiens, quia nulli operationi deest; nam Pater sine Verbo nihil facit *(Jo. 5, 19): Quaecumque enim Pater facit, haec et Filius similiter facit.* Similiter creatura sine Verbo cooperante nihil facit *(Jo. 15, 5): Sine me nihil potestis facere.* Et in hoc perfecte eliditur haeresis Manichaeorum, qui posuerunt duo principia, et quaedam produci a Deo lucis, quaedam a Deo tenebrarum. Non enim intellexerunt, quomodo omnia per Verbum facta sunt. *Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* Hîc notatur tertia conditio, scilicet quod est principium praecognoscens; quia omnia sunt in ipso, antequam fiant, et in ipso vivunt atque subsistunt, sicut arca in mente artificis. Unde Augustinus *(lib. 6. de Trin. c. 10. n. 11)* dicit, quod Filius est ars plena omnium rationum viventium *(Eccl. 23, 29), Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita;* sic et post perfectum respicit omnia. Ideo rationes in ipso vivunt, quia non transmutantur *(Jacob. 1, 17): Apud ipsum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio;* et transmutatio nonnulla mors est. *Et vita erat lux hominum.* Tangitur hîc quarta conditio, quae est aliis cognitionem praebens. Ideo dicitur *lux hominum,* quia homines illuminat et videre facit. Unde in Psalmo *(4, 7): Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Sine quo lumine non est videre, sicut dicit Augustinus *(Tract. in Jo. n. 18. 19; Soliq. l. 1. c. 8).* Quia sicut non videt oculus, nisi a luce corporali illuminetur; sic non videt intellectus, nisi a luce spiritualissima illustretur. Et licet omnibus cognitionem praebeat, non tamen omnibus praebet comprehensionem sui, quia peccatores per ipsam cognoscunt, et ipsam non comprehendunt; et ideo dicit: *Et lux in tenebris lucet,* cum peccatores facit vera cognoscere. *Et tenebrae eam non comprehenderunt;* quia infidelitatis tenebris obcaecati, et absentes luci non cognoscunt *(Gen. 1, 2): Tenebrae erant super faciem abyssi,* id est, infidelitas in facie cordis humani. Unde ad Ephesios *(5, 8): Fuistis aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino (1. Jo. 1, 5): Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur et veritatem non facimus.* Et per hoc eliditur error ille, qui posuit omnia a fortuna, nec esse providentiam, nec Deum cognoscere acta nostra." *Comment. in Ev. Jo. c. 1. v. 3—5. nn. 9—13. Supplem. Vol. 1.*

[5] *2. dist. 1. p. 1. a. 2. q. 1.*

[6] „Deus, cum sit actus purus, atque causa omnium rerum sufficiens, immediate omnia produxit." *2. dist. 1. p. 1. a. 2. q. 2.*

[7] „Quamvis divina essentia non habeat vere respectum ad creaturam, tamen contingit eam intelligere et significare per modum respectus; nec tamen intellectus est vanus propter hoc, quod totam rationem respectus realis ponit in creatura. Quoniam igitur hujusmodi nomina dicunt respectum, a quo imponuntur, quamvis imponantur essentiae; ideo dicuntur secundum exigentiam illius respectus. Ideo intelligendum, quod quaedam dicunt respectum solum, ut Dominus; quaedam etiam effectum, ut creator et justus: et utraque sunt sub duplici differentia, quia aut important respectum ad rem praesentem, aut ad rem futuram, sive ad rem in actu vel habitu. Primo modo, quia ponunt creaturam in actu, dicunt solum respectum, cum creatura incipit. Secundo modo, ab aeterno. Secundum hoc ergo, si Dominus et Creator important respectum in actu, ab aeterno non possunt dici; si autem in habitu, possunt. Tamen usus communis accipit hujusmodi nomina, ut connotant in actu; et ideo dicit Augustinus *(l. 5. de Trin. c. 16)* ea dici cum tempore." *1. dist. 30. dub. 1.*

[8] „Primo modo aspectus contemplantis res in seipsis considerans, videt in eis pondus, numerum et mensuram. Pondus, quoad situm ubi inclinantur, numerum quo distinguuntur, et mensuram qua limitantur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem et ordinem, nec non substantiam, virtutem et operationem; ex quibus consurgere potest, sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam et bonitatem Creatoris immensam." *Itiner. c. 1. n. 11.*

[9] „Ordo importat habitudinem; et quia habitudo in creaturis ratione imperfectionis dicit dependentiam, ideo in creaturis importat dependentiam." *1. dist. 20. a. 2. q. 1. ad 5.* — „Deus non dat unicuique simpliciter melius, quia tunc non faceret res ordinatas, sed aequaliter perfectas; et hoc repugnaret perfectioni, quia si omnia essent

aequalia, non essent omnia, ut dicit Augustinus *(Contr. adv. Leg. et Proph. c. 4)*. Cum ergo dicitur quod Deus dat unicuique, quod sibi melius est, hoc intelligendum est secundum exigentiam ordinis et naturae." *2. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 2. ad 4. et 5.* — „Est perfectio quantum ad esse primum, et est perfectio quantum ad esse secundum. Et perfectio quantum ad esse secundum duplex est. Quaedam enim est, quae habet ortum a perfectione secundum esse primum, sicut illa perfectio, quae attenditur in accidentibus, quae oriuntur ex principiis subjecti. Est alia perfectio quantum ad esse secundum, quae non causatur a perfectione secundum esse primum, sed potius est supra illud, sicut est perfectio in esse gratuito vel glorioso, quae quidem est in nobis, non ex nobis, sed ex Deo. Cum ergo dicitur, quod Dei perfecta sunt opera, hoc intelligitur quantum ad esse primum et quantum ad esse secundum, quod causatur ab illo. Quantum autem ad illud esse, secundum quod non causatur a perfectione secundum esse primum, veritatem non habet. Non enim fecit Deus omnes beatos et gloriosos, sed illos solos beatificavit, *quos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (Rom. 8, 29)*, hoc enim disponit dare per merita tamquam bonum laudabile." *2. dist. 29. a. 1. q. 2. ad 3.*

[10] „Tempus dicitur tripliciter, communiter et proprie et magis proprie. Communiter, secundum quod dicit mensuram de non esse ad esse; et hoc modo est in omnibus, quia omnia initium habuerunt . . . Alio modo proprie, prout importat variationem, sive in substantia, sive in affectione; et sic adhuc substantia spiritualis habet tempus quantum ad mutationes affectuum. Tertio modo magis proprie, prout est mensura excedens; et sic est corruptibilium et non omnium." *Exp. in Eccles. c. 3. v. 1.*

[11] „Nullius causae habitudo cadit in Deum respectu sui, sed respectu creaturarum, et aliarum causarum habitudines in Deo recipiuntur, circumscripta dependentia, propter hoc quod sonat imperfectionem." *1. dist. 19. p. 2. a. 1. q. 3. ad 2.*

[12] Et quia „omne creatum, totum quod est et quod habet, a Deo habet; ergo impossibile est aliquid nec ad momentum conservari in esse, nisi Deo conservante." Imo „dicendum quod non solum omnem actionem, verum etiam omnem conservationem necesse est a Deo esse. Et ratio hujus est necessitas et indigentia ex parte creaturae. Omnis enim creatura ex nihilo est, et aliunde habet esse. Quia ex nihilo est, ideo quodammodo vana est et vanitati subjecta est. Quia vero aliunde habet esse, ideo esse est sibi quodammodo accidentale: contrario modo est in Deo. Unde Hilarius *(lib. 7. de Trin.)*: Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas et manens causa et naturalis generis proprietas. Sicut igitur vanum non potest fulciri nisi per verum et stabile, et accidens non potest fulciri nisi per subjectum; sic esse creaturae non potest conservari absque munificentia creatricis essentiae." *2. dist. 37. a. 1. q. 2. fund. 4. et concl.* — „Deus magis est intimus unicuique rei, quam ipsa sibi; et plus pendet esse rei a Deo conservante, quam ab ipsis principiis intrinsecis." *3. dist. 29. a. 1. q. 2. ad 6.*

[13] „Est ordo rerum in universo, et hic appropriatur sapientiae; et est ordo rerum in finem, et hic appropriatur bonitati." *1. dist. 3. p. 1. dub. 7.*

[14] „Fieri propter divinam bonitatem est dupliciter, aut ostendendam, et sic facta sunt cuncta, omnia enim divinam exprimunt bonitatem; aut participandam, et hoc dupliciter, aut quia sunt nata participare, aut quia serviunt participantibus. Primo modo conditae sunt creaturae spirituales, secundo modo corporales, istae tamen aliquo modo participant, sed in earum participatione status non est, sed ordinatur ad ulteriorem. *2. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 2. ad 1.* — „In nobis bonum proprium differt a bono communi, sed in Deo bonum suum est bonum commune, nam ipse est bonum omnis boni. Si ergo effectum non ordinaret ad se, vel non faceret propter se (cum ipse sit bonum, a quo omne bonum), jam effectus non esset bonus. *Ibid. a. 2. q. 1. ad 1.*

[15] „Dicendum quod res creata habet tripliciter considerari. Aut in se, aut in comparatione ad alias creaturas, aut in comparatione ad causam primam. Et secundum hos omnes modos contingit reperire Trinitatem dupliciter. Si enim consideratur quantum in se, vel quantum ad se, hoc est, aut quantum ad substantiam principiorum, et sic est illa Trinitas: Materia, forma, compositio, quae ponuntur in libro de *regulis fidei*. Aut quantum ad habitudines; sic est illa de Sapientia *(11, 21): Omnia in numero, pondere et mensura disposuisti*. In numero enim intelligitur principiorum distinctio; in pondere, propria ipsorum inclinatio; in mensura, eorum ad invicem proportio. Item si consideretur una creatura in comparatione ad alias creaturas, hoc potest esse, aut in quantum agit actione naturali; et sic sumitur illa Trinitas Dionysii: Substantia, virtus et operatio; aut in quantum agit actione spirituali; et sic illa Augustini *(de 83. q.)*: Quo constat, quo congruit, quo discernitur; et ultimum refertur ad animam. Si autem considerantur in comparatione ad Deum, hoc potest esse dupliciter. Aut in quantum referuntur tantum; et sic est illa: Modus, species et ordo. Aut in quantum referuntur et assimilantur; et sic est illa: Unitas, veritas, bonitas. Quoniam ergo vestigium attenditur in comparatione ad Deum proprie, ideo in his ultimis conditionibus proprie accipitur vestigium. Et quia magna est inter istas comparationes convenientia; ideo Magister miscet haec ad invicem propter multam convenientiam et respondentiam; quia unitas respondet modo, qui respicit Deum ut causa efficientem; veritas speciei, quae respicit ipsum ut exemplar; bonitas ordini, qui respicit Deum ut finem." *1. dist. 3. p. 1. dub. 6.* Cfr. quoque *2. dist. 35. a. 2. per int.*, et *Centiloq. p. 3. § 8.*

[16] „Multitudo in rebus est a principio uno, quia est primum principium unice unum. Quia enim est principium simpliciter primum, ideo foecundum et potens est foecunditate infinita et immensa. Si enim unitas, quae est prima in genere numeri, est principium a quo possunt infiniti numeri egredi, et punctus a quo infinitae lineae; ergo quod est simpliciter primum, est ita potens, quod omnino immensum. Propter ergo immensitatem infinita potest, sed propter immensitatis manifestationem multa de thesauris suis profert, non omnia, quia effectus non potest aequari virtuti ipsius primae causae. Quia vero est unice unum, ideo simplicissimum et spiritualissimum et perfectissimum. Et quia simplicissimum, maximae potentiae; quia spiritualissimum, maximae sapientiae; quia perfectissimum est,

bonitatis summae. Quia maximae potentiae, multa potest; quia maximae sapientiae, multa novit; quia summae bonitatis, multa vult producere et se communicare; et ideo a principio uno, quia primum et unum, exit multitudo." *2. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 1.*

[17] *Centiloq. p. 3. sect. 9.* Vide infra *cap. II.*

CAPUT II.

De natura corporali quantum ad fieri.

(Natura corporea fuit creata ex nihilo ante omnem diem; — distincta per triduum; — ornata et consummata per alterum triduum. — Cur maluerit Deus per successionem temporum res creare.)

Natura[1] vero corporea nobis consideranda est quantum ad fieri et quantum ad esse et quantum ad operari. De natura vero corporea quantum ad fieri, haec specialiter tenenda sunt, scilicet quod sex diebus sit in esse producta, ita quod *in principio*[2], ante omnem diem[3], *creavit Deus caelum et terram (Gen. 1, 1)*[4]. Prima vero die formata est lux[5]: secunda firmamentum factum est in medio aquarum: tertia die separatae sunt aquae a terra et congregatae in locum unum[6]: quarta vero die[a] caelum ornatum est luminaribus[7]: quinta aër et aqua volatilibus et piscibus[8]: sexta terra animalibus[9] et hominibus[10]: septima vero die requievit Deus[11] non a labore, nec[b] opere, cum usque nunc operetur[12], sed a novarum specierum conditione[13] (I); quia omnia fecerat vel in simili, sicut illa, quae propagantur, vel[c] in seminali ratione, sicut illa, quae aliis modis introducuntur in esse[14].

a) Quarta vero om. ed. 1484.

b) Ab opere ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

c) Vel om. ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia enim res manant a primo principio et perfectissimo, tale autem est omnipotentissimum, sapientissimum et benevolentissimum; ideo oportuit, quod sic producerentur in esse, ut in earum productione reluceret[d] triplex nobilitas praedicta et excellentia[15]. Et ideo triformis fuit operatio divina ad mundanam machinam producendam, scilicet creatio, quae appropriate respondet omnipotentiae; distinctio, quae respondet sapientiae; ornatus, qui respondet bonitati largissimae[16]. Et quoniam creatio est de nihilo[17], ideo fuit in principio ante omnem diem, tanquam omnium rerum et temporum fundamentum[18].

d) Reluceat ibid.

Rursus, quia distinctio corporum mundi attenditur secundum triplicem modum, ideo facta fuit per triduum. Est enim distinctio naturae luminosae a perspicua et opaca[19], et haec facta est in prima die in divisione lucis a tenebris[20]; et[e] est distinctio naturae perspicuae a perspicua, et haec facta est secunda die in divisione aquarum ab aquis; et est distinctio naturae perspicuae ab opaca, et haec facta est tertia die in divisione aquarum a terris. In his autem implicite datur intelligi distinctio caelestium et elementarium[f], secundum quod post declarabitur. Sic igitur distinctio fieri debuit per triduum.

e) Secunda ibid.

f) Elementalium ibid.

(I) Sufficiat indicare hîc loci impiam illam ac absurdissimam transformismi doctrinam, a materialismo, tamquam rivulus a fonte, profluentem, quam a praecipuo ejus assertore *Darwinismum* passim appellant. Hujus figmenti fautores docere conantur species animalium in principio paucas numero fuisse, at per successivam evolutionem et derivationem eas multiplicari et transmutari, sive transformari a minus perfecta ad perfectiorem, ipso homine non excepto, quem a simiis originem traxisse non erubescunt asserere. Iis optime convenit illud Psalmi *(48, 21): Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Carolus Darwin Anglus an. 1859 librum edidit, in quo totus est ut ostendat in principio rerum non omnes species sibi invicem independenter creatas fuisse, sed unam ab alia descendere. Huic autem principio innixus, anno 1871 aliud protulit volumen de hominis origine, in quo regem naturae a belluis originem duxisse impudenter asseruit.

Et quia ornatus correspondet distinctioni, ideo similiter tribus diebus debuit consummari. Est enim ornatus naturae luminosae, et hic factus est quarta die, in formatione stellarum et solis [g] et lunae; et est [h] ornatus naturae perspicuae, et hic factus est quinta die, in [i] qua ex aquis facti sunt pisces et aves ad ornatum aëris et aquae; et est ornatus naturae opacae, scilicet terrae, et hic factus est sexta die, in quo factae sunt bestiae, facta sunt et reptilia, facta est etiam ad consummationem omnium natura humana[21]. Haec autem omnia, licet potuerit Deus [j] facere in instanti, maluit tamen per successionem temporum, tum propter distinctam et claram repraesentationem potentiae, sapientiae et [k] bonitatis[22]; tum propter convenientem correspondentiam dierum sive temporum et operationum; tum etiam, ut, sicut [l] in prima mundi conditione fieri debebant seminaria operum fiendorum, sic fierent et praefigurationes [m] temporum futurorum. Unde in illis sex [n] diebus quasi seminaliter praecessit distinctio omnium temporum, quae explicantur per decursum sex aetatum[23]. Et hinc est, quod sex diebus operum additur septimus quietis[24]; qui dies non scribitur habere vesperam, non quia non habuit dies illa noctem succedentem, sed ad praefigurandum [o] animarum quietem, quae nunquam habebit finem. Si autem diceretur alio modo, quod omnia essent simul facta, tunc omnes hi septem dies ad considerationem angelicam referrentur [p][25]. Verumtamen primus modus dicendi est magis Scripturae consonus et auctoritatibus Sanctorum[26], et qui praecesserunt et etiam [q] qui secuti sunt beatum Augustinum *(Epist. 55. ad Januar. c. 9).*

g) Et solis om. ibid.
h) Est etiam ibid.
i) In om. ibid.
j) Deus om. ibid.
k) Et in ed. 1484.
l) Sicut om. ibid.
m) Praesignationes ibid.
n) Sex ed. Ven. et 1484; septem ed. Rom.
o) Praesignandam ed. 1484.
p) Referuntur ibid.
q) Etiam om. ibid.

Ad Caput II.

[1] „Uniuscujusque forma substantialis et completiva dicitur species, natura et essentia; et hoc secundum multiplicem considerationem. Potest enim considerari in se, et sic dicitur essentia. Potest considerari in comparatione ad operationem propriam, et sic dicitur natura. Potest iterum considerari in comparatione ad nostram cognitionem, et sic dicitur species.“ *1. dist. 31. p. 2. dub. 4.*

[2] „Praepositio cum suo causali tripliciter potest accipi. Uno modo, ut dicat purum ordinem; et sic idem est facere *in principio* et facere ante alia, ita quod connotet privationem respectu alicujus temporalis prioris, et connotet praepositionem posterioris. Alio modo potest importare habitudinem mensurae; et tunc *in principio* idem est quod in primo instanti temporis. Tertio modo potest importare habitudinem causae; et tunc sensus est *in principio,* id est, in Filio, dicitur creasse, secundum quod dicitur in Psalmo *(103, 24): Omnia in sapientia fecisti, Domine;* ut sic notetur non tantum causa efficiens, sed etiam exemplaris. Omnes istae expositiones verae sunt et catholicae et per eas eliduntur tres errores circa mundi productionem. *2. dist. 1. p. 1. dub. 2.* — „In principio, id est, in Filio, creavit Deus caelum et terram . . . Haec praepositio *In* potest importare causalitatem, et potest importare identitatem. Causalitatem, ut cum dicitur: Omnia sunt in Deo; identitatem, ut cum dicitur: Pater est in Filio . . . Dico igitur, quod convenienter dicitur Deus operari in Filio, et ratione identitatis, quia Pater operans est in Filio, et ratione causalitatis, quia Filius est causa effectus producti a Patre.“ *2. dist. 13. dub. 4.*

[3] „Duplicem modum computandi diem accipimus in Scriptura. Primus, in quo dies praecedens copulatur nocti sequenti: et hoc quidem fuit in prima dierum enumeratione, in quo, ut dicit Magister, praefigurabatur lapsus futurus a luce gratiae in tenebras culpae. Alius modus computandi dies attenditur in solemnitatum custoditione, in quo nox praecedens connumeratur diei sequenti: et hoc vult dicere a vespera in vesperam, ut praecedat nox et sequatur dies, quia eramus *aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino (Ephes. 5, 8)* . . . Licet autem hae duae distinctiones in Scriptura maxime exprimantur, quatuor tamen modis, secundum diversorum computationes, dies distingui consueverunt. Graeci enim computant diem a mane in mane, quia tunc primo apparet sol: Hebraei vero a vespera in vesperam, quia tunc incipiunt solemnizare: astronomi vero a meridie in meridiem, quia tunc est sol in majori virtute: sancta Ecclesia a media nocte usque ad mediam noctem, quia tunc natus est Christus.“ *Ibid. dub. 1.*

[4] „Etsi multae sint expositiones hujus verbi: *In principio creavit Deus caelum et terram;* quatuor tamen sunt principales . . . Una expositio est, quod caelum et terram unam et eandem materiam nominant, scilicet materiam informem omnium corporalium, prout tamen de ipsa debebant fieri duorum corporum genera, scilicet caelestia et elementaria, ut sit sensus: *In principio creavit Deus caelum et terram,* id est, materiam, ex qua debebat fieri caelum et omnia elementa . . . Alia vero expositio est ab hac expositione valde longinqua, quia nomine caeli vult intelligere naturam spiritualem, nomine terrae naturam cor-

poralem, ut sit sensus: *In principio creavit Deus caelum et terram*, id est, angelicam naturam et materiam primam... Tertia expositio, quasi media inter has duas, est expositio Hugonis, qui dicit per terram intelligi terrenum elementum, et per caelum tria alia elementa, quae similiter super terram circumquaque in modum nebulae erant expansa, et in una confusione permixta, sive potius in una permixtione confusa circumquaque suspensa, quae eo usque in altum protendebatur, quousque nunc summitas corporeae naturae pertingit... Quarta expositio, quae communior est secundum expositores, planior est, quod per caelum intelligatur caelum empyreum, quod est Angelorum habitaculum, in quo Angeli sunt creati: per terram vero materia omnium corporum intra ipsum contentorum, sive caelestium, sive terrestrium." *2. dist. 12. dub. 1.*

[5] *2. dist. 13. per integr.*

[6] *2. dist. 14. p. 1. a. 1. q. 2.* et *p. 2. dub. 2.*

[7] *2. dist. 14. p. 2. dub. 3;* et *a. 2. qq. 1—3.*

[8] *2. dist. 15. dub. 1.*

[9] *2. dist. 15. a. 1. qq. 2—3.*

[10] „Occurrit autem triplex ratio ad praesens, quare post omnia productus est homo, scilicet propter partium corporis multitudinem, propter animae et corporis distantiam et propter totius compositi perfectionem. Propter partium corporis multitudinem debuit homo ultimo produci, cum enim corpus ejus sit completissimum inter cetera corpora, et quanto aliquid completius, tanto posterius, post omnia producendus erat. Propter animae et corporis distantiam debuit fieri post cetera, quia enim distat anima a corpore, et non solum sicut forma a materia, sed etiam sicut spirituale a corporali, et sicut perpetuum a corruptibili; ideo magna distantia temporis debuit intervenire inter productionem hominis quantum ad materiale principium et conjunctionem suarum partium, ut per distantiam temporis intelligeretur distantia principiorum constituentium. Et propter totius compositi perfectionem post cetera debuit homo produci, quia enim homo sua dignitate et complemento finis est omnium corporalium; ideo post omnia erat producendus, ut sua productione finiret et compleret omnia praecedentia, sicut finis complet, quod ad ipsum ordinari habet." *2. dist. 15. a. 2. q. 2.*

[11] „Omnis artifex perfectus opus inchoat, ut ad perfectionem perducat, et sicut intendit, ita facit, si per omnia sufficientia virtutis agentis sibi suppetit; cum autem ad perfectionem deduxerit, habet quod intendit; omne autem operans propter quid, obtento eo, propter quod agit, quiescit: omnis igitur agens perfectus sic operatur, ut aliquando quiescat. Cum igitur Deus sit agens perfectissimum in producendo ipsum universum, necesse est ergo ipsum aliquando quiescere; sed cum duplex sit agens, quoddam quod movetur et laborat in sua operatione, quoddam vero, quod nec mutatur, nec variatur; illud quod primo modo agit, quiescit per quietationem, quae quidem est privatio motus et laboris, sicut est agens creatum; illud vero, quod secundo modo agit, quiescit quietatione, non quae sit laboris vel fatigationis privatio, sed quae est cessatio ab opere propter ipsius perfectionem: et sic dicitur Deus ab omni opere quievisse, cum universum produxerit ad esse perfectum, et sic quievit, cum ad perfectum esse deduxit." *2. dist. 15. a. 2. q. 3.*

[12] „Est opus primae conditionis, et hoc consistit in creatione rerum, quae spectant ad complementum universi, et includit in se creationem, distinctionem et ornatum. Et hoc perfectum fuit in sex diebus. Ab hoc opere Dominus requievit. Aliud est opus conservationis; et quia res non possunt conservari in seipsis, quia natae sunt per naturam corrumpi, consistit hoc opus in transmutatione, propagatione et animarum creatione. Et hoc opere operatur Deus, et cooperatur naturae cooperanti." *Comm. in Ev. Jo. c. 5. v. 18. n. 327. vol. I. Supplem.*

[13] „Novum dicitur dupliciter. Uno modo dicitur novum contra antiquitatem cursus naturae et consuetudinem rationalis creaturae; et sic Deus non cessavit in sex diebus facere novam creaturam, immo multa facit miraculose et mirabiliter contra solitum cursum naturae et consuetudinis humanae: et ista nova dici possunt. Alio modo dicitur novum, cujus nulla similitudo praecessit, nec etiam aliquod principium creatum, quod esset ipsius seminarium. Et sic dicit Magister in proposito, quod novam creaturam facere cessavit. Et dicitur etiam in Ecclesiaste *(1, 10): Nihil sub sole novum.* Nihil enim produxit, cujus non fecerit aliquo modo simile, vel cujus non produxerit principium seminale in operibus sex dierum... Aliter posset dici, quod requievit facere novam creaturam, quae quidem sit de necessitate perfectionis universi: productio autem Christi excedit universi complementum, et ideo purae gratiae est, et dicitur Deus fecisse novum, cum mulier circumdedit virum" *(Jer. 31, 22). 2. dist. 15. dub. 4.*

[14] „Ratio seminalis est potentia activa indita materiae, et illam potentiam activam constat esse essentiam formae, cum ex ea fiat forma mediante operatione naturae, quae non producit aliquid ex nihilo." *2. dist. 18. a. 1. q. 3.* — „Eorum, quae successione producuntur, quaedam fuerunt in prima rerum distinctione producta in simili, sed non in ratione seminali, utpote animae rationales, quae scilicet producuntur per creationem; et ideo non habent rationem seminalem, in simili tamen productae sunt, quando producta fuit anima Adae, post cujus productionem non producitur nova species, quamvis producantur nova individua. Quaedam sunt, quae producta sunt in primis diebus quantum ad rationem seminalem, sed non in simili, sicut sunt ea, quae generantur per putrefactionem et per diversarum specierum commixtionem. Quaedam sunt, quae producta sunt et in ratione seminali et in simili, sicut plantae et bruta animalia, quae producuntur per propagationem. Et ad haec tria rerum genera possunt reduci genera omnia, quae fiunt. Et propterea non dicitur Deus producere aliqua de novo, secundum quod dicitur in Ecclesiaste *(1, 10),* quod *nihil novum sub sole;* sed dicitur ab omni opere requievisse, quia nihil producit, quod prius non fuerit, vel in simili specie, vel in ratione seminali, quae tunc erant de primaria constitutione universi." *2. dist. 15. a. 2. q. 3. ad 5. 6.* Cfr. *2. dist. 18. a. 1. q. 2.*

[15] „Finis conditionis rei, sive rerum conditarum, principalior est Dei gloria, sive bonitas, quam creaturae utilitas. Sicut enim patet *(Prov. 16, 4): Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* sed non propter suam utilitatem, vel indigentiam, quia ait in Psalmo *(15, 2): Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* ergo propter sui gloriam, non, inquam, propter

gloriam augendam, sed propter gloriam manifestandam et propter gloriam suam communicandam, in cujus manifestatione et participatione attenditur summa utilitas creaturae, videlicet ejus glorificatio, sive beatificatio.“ *2. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 1.* Cfr. *Itiner. c. 1. n. 14.* Vide inferius *ad cap. V.*

[16] „Deus potuit facere hunc mundum meliorem quoad augmentum substantiae, non autem quantum ad specificam gradus nobilitatem.“ — „Excessus bonitatis substantialis in rebus potest attendi dupliciter. Aut quantum ad essentiarum nobilitatem et gradus; et sic dicitur, quod species hominis melior est et nobilior specie asini. Aut quantum ad esse, prout concernit additionem sive augmentum; sic dicitur, quod marca auri melior est uncia, non quia nobiliorem habet formam, vel essentiam, sed quia plus habet de auri substantia, ac per hoc de bonitate et valore. Quando ergo quaeritur, utrum Deus potuerit mundum facere meliorem quantum ad substantiam partium, si tu intelligas de excessu quantum ad primum modum, quod mundus constaret ex nobilioribus essentiis, dico quod idem mundus, qui est nunc, non potuit fieri melior, quia non esset iste, sed alius: sicut si iste, qui factus est homo, fuisset factus Angelus, non esset ille qui est. Quia tamen posse ejus non est arctatum, nec limitatum, non video quare non potuisset alium mundum meliorem facere hoc genere melioritatis. Si autem intelligas quantum ad secundum modum, sic dico, quod non solum alium, verum etiam hunc potuit facere meliorem, sicut et majorem; et si fecisset, non esset alius; sicut posset facere, quod iste puer esset ita magnus ut gigas, et plus haberet de substantia et virtute, et tamen non esset alius, quam est. Concedo ergo rationes probantes, quod Deus simpliciter potuit alium mundum quantum ad substantiam partium fecisse meliorem; et etiam hunc quantum ad magnitudinem partium et virtutem, non tamen quantum ad essentiarum nobilitatem majorem. Et hoc vult Augustinus *(l. 3. de lib. arb. c. 5)* dicere in praemissa auctoritate de libero arbitrio, quod nulla essentia nobilior potest cogitari esse in hoc mundo rationabiliter, quae non sit ibi. Nam si cogites meliores esse partes, hoc est, aut secundum totum, aut secundum partem: si secundum totum, jam non istum mundum cogitas, sed alium: si secundum partem, tunc ergo tollis ordinem et perfectionem de hoc mundo; ut si cogites, quod Deus fecisset lunam ita lucidam, ut est sol, vel terram sicut caelum, non rationabiliter cogitas, quia perimis universum; non enim esset omnia, si essent aequalia: et hoc est quod dicit Augustinus de libero arbitrio *(lib. 83. q. 41.* et *lib. 1. contra adv. leg. et prophet. l. 3. c. 5):* Non est vera ratio, sed invidiae infirmitas, cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, jam nihil aliud inferius fieri velle, tanquam si perfecto caelo nolles terram factam esse, utique omnino inique cogitares.“ .... „Partium integralium mundi, quae a Deo pendent immediate, proprietates si absolute considerentur, meliores fieri potuerunt: si vero relative ad invicem et ad finem, nequaquam.“ — „Cum quaeritur de melioritate partium universi, potest quaeri quantum ad duplex genus partium: aut quantum ad partes manentes, sicut natura intellectualis, rationalis, caelestis et elementaris: aut quantum ad partes transeuntes, sicut hic homo et hic equus. Si quantum ad partes transeuntes, sic sine distinctione concedo, quod possunt, ut in pluribus, quantum ad proprietates, fieri meliores, quia non sunt de substantia universi, nec sunt a solo Deo, sed a Deo simul operante cum agente particulari, quod impeditur et deficit. Si autem intelligamus de partibus, quae sunt de constitutione et integritate mundi, et immediate sunt a Deo, cum quaeritur, utrum potuerint fieri meliores, quantum ad proprietates, distinguendum est, quia aut loqueris de ipsis absolute, aut de ipsis in relatione ad finem. Si de ipsis absolute, patet quod meliores conditiones potuerunt habere. Si de ipsis in relatione ad invicem, vel ad finem, optimas habuerunt proprietates; quod patet, quia sicut dicit Augustinus: Meliores judicavit Deus homines, si ei liberaliter deservirent. Similiter melius fuit, quod omnes homines essent ex uno, et ita quod haberent corpus animale, et secundum exigentiam ejus necesse fuit alias creaturas corporales disponi in motu et corruptibilitate.“ *1. dist. 44. a. 1. qq. 1 et 2.*

[17] *2. dist. 12. a. 1. q. 3.,* et *a. 2. q. 3.*

[18] „Creatio caeli et terrae, secundum omnes, fuit ante omnem diem, quantum ad ordinem naturae, quantum vero ad ordinem temporis, sive durationis, diversimode senserunt diversi. Quidam senserunt, quod non fuit aliqua mora inter creationem et distinctionis incoeptionem; imo statim cum producta fuit illa materia et lux, quae diem faciebat, non fuit morula aliqua intermedia. Aliis autem videtur, quod fuit mora temporis interjacens inter terrae creationem et lucis factionem: et istud videtur magis consonum sententiae expositorum ... Utrumque tamen potuit esse verum, nec aliquod horum usquequaque est certum.“ *2. dist. 12. a. 2. q. 2.* Advertendum autem est, „quod dupliciter est loqui de materia, aut secundum quod existit in natura, aut secundum quod consideratur ab anima. Si secundum quod consideratur ab anima, sic potest considerari informis, sive per privationem formae distinctae, sive per privationem etiam omnis formae: et sic dicit Augustinus *(Conf. 12)* essentiam materiae intelligi. Nam materia secundum sui essentiam est informis per possibilitatem omnimodam; et dum sic consideratur, formarum ipsa capacitas, sive possibilitas, est sibi pro forma. Est iterum loqui de materia, secundum quod habet esse in natura; et sic nunquam est praeter locum et tempus, sive praeter quietem et motum. Et hoc modo non solummodo non congruit, immo etiam impossibile est materiam informem existere per privationem omnis formae. Et hoc est, quod dicit Magister et Hugo de S. Victore, et omnes in hoc tractatores consenserunt, quod illa materia, quae primo producta est per creationem, non fuit in omnimoda possibilitate, sive in carentia omnis formae.“ *Ibid. a. 1. q. 1.*

[19] „Etsi materia ex omni parte esset influentiam lucis aequaliter nata suscipere, illa tamen lux non poterat undique illuminare, sicut et sol non potest; et ideo, cum ex una parte illuminabatur, ex alia parte erat obscura. Et quia ad lumen uniformiter erat disposita, cum non posset simul illuminari, oportebat illuminari successive; et ita oportebat fieri noctem et diem. Si tu quaeris, quare Deus non fecit lucem ita sufficientem, quod undique posset illuminare, dicendum quod si sic fecisset, per illam lucem esset illuminatio, sed non horarum distinctio, nec temporalis

successio. Divinae autem dispositioni placuit mundum quasi carmen pulcherrimum quodam decursu temporum venustare." *2. dist. 13. a. 1. q. 2. ad 2.*

[20] „Tenebrae semper accipiuntur privative. Et quoniam privatio requirit constantiam alicujus subjecti, tenebra semper aliquid praesupponit in obliquo, nunquam enim est tenebra, nisi sit aliquid, quod tenebretur. Unde tenebra non dicit tantum non existentiam lucis, sed etiam cum hoc addit aptitudinem corporis illuminabilis. Quia ergo tenebra privationem dicit, ideo dicitur esse facta: quia vero aliquid ponit in obliquo, ideo non est aeterna. Si ergo alicubi dicatur, quod tenebra nihil est, hoc dicitur quantum ad illud, quod dicit tenebram in recto, sicut dicitur: caecitas nihil est. Si vero dicatur, quod tenebrae aliquid sunt, vel quod divisae sunt, vel quod benedicunt Dominum, hoc dicitur ratione ejus, circa quod sunt." *2. dist. 12. dub. 2.*

[21] „In productione rerum sensibilium servatus est ordo convenientissimus, tam si attendas finem et materiam, quam praeeccellentiam perfectionis naturae." *2. dist. 15. a. 2. q. 2.* Vide quoque *De S. Script. Mater. § 9. Supplem. vol. 1.*

[22] „Produxit Deus trinus et unus differentiam triplicem creaturae. Nam produxit creaturam pure corporalem, ut est mundialis machina; creaturam pure spiritualem, ut est natura angelica; creaturam ex utraque compositam, ut est natura humana. Sic enim decuit Deum producere varia et diversa, ut multiplicitas creaturae faceret perfectionem universi, quae consistit in amplitudine ambitus, in sufficientia ordinis et influentia bonitatis, ex quibus etiam divina potentia, sapientia et bonitas innotescit. Decuit namque Deum sic res producere, ut essent ad manifestationem suae potentiae; quae quidem apparuit in productione creaturarum summe distantium, et earumdem conjunctione, ut patet in natura humana, in qua corporeum et incorporeum uniuntur. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suae sapientiae, quae maxime ex perfectione ordinis declaratur; qui quidem ordo necessario tria requirit, scilicet infimum, medium et supremum. Infimum fuit natura corporalis, supremum natura spiritualis, medium natura composita ex utraque. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suae bonitatis et benevolentiae, quae maxime consistit in diffusione et communicatione in alterum. Sic ergo divina bonitas communicavit actum nobilissimum, qui est vivere et intelligere, ut non tantum daret alii potentiam vivendi et intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi alii; quod factum est in homine, in quo spiritualis vita et intellectiva perficit corporalem." *Centiloq. p. 3. sect. 9.*

[23] „Secundum tropologiam autem et allegoriam simul, intelligitur per septem dies virtus Spiritus septiformis, et octavus est perseverantia finalis, quae nunquam deficit. Prima ergo pertinet ad lucem fidei, quia prima die facta est lux: *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem (Prov. 4, 18).* Secunda vero ad firmitatem spei, in qua factum fuit firmamentum: *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam etc. (Hebr. 6, 19).* Tertia ad viriditatem caritatis, quando terra germinat: *Justi, quasi virens folium, germinabunt (Prov. 11, 28).* Gregorius: Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, nisi manserit in radice caritatis *(hom. 27. in Ev.).* Quarta ad luminosam discretionem prudentiae, quae viget in virili aetate: *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis tuae, et appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent. (Eccl. 12, 1). Lucetis sicut luminaria in mundo (Philipp. 2, 15).* Quinta ad fortitudinem potentiae, quae probatur in aquis tribulationis: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam (Ps. 68, 1). Misit de summo et accepit me, et assumpsit me de aquis multis (Ps. 17, 17).* Sexta ad rectitudinem justitiae, propter severitatem respectu bestialium motuum et pietatem respectu hominum: *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, et visitans speciem tuam, non peccabis (Job 5, 24).* Septima ad sanctificationem temperantiae: *Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras: laventque vestimenta sua (Exod. 19, 10).* Et in Exodo *(20, 8): Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Octava ad consummationem finalis perseverantiae: *Erant feriae tabernaculorum septem diebus (Lev. 23, 34).* Octavus dies erit celeberrimus atque sanctissimus, quia erit de transitu hujus vitae ad gloriam supernam. Unde etiam: *Domine, ne in furore tuo arguas me (Ps. 6, 1),* intitulatur Psalmus pro octava." *Expos. in Luc. c. 2. v. 21.* Cfr. etiam in *Hexaëm. serm. 15. circa medium, et serm. 16. per integ.; De Profectu Relig. lib. 2. c. 65,* et superius *Proëm. § 3;* nec non inferius *Part. VII. cap. VII.*

[24] „Quoniam Deus omnia fecit propter hominis instructionem, ut hominem non solum verbo, sed etiam opere erudiret, sicut sex diebus dedit homini licentiam operandi et intendendi rebus inferioribus, et sicut septimo die ab omni opere cessavit; sic voluit, quod septimo die homo ab omni opere cessaret, et ei per contemplationem inhaereret, et inhaerendo quiesceret. Et quia in hac inhaesione homo obtinet a Deo ampliationem benedictionis et sanctitatis; ideo dies septimus dicitur a Deo benedictus et sanctificatus *(Gen. 2, 3),* non ratione sui, sed ratione illius, quod Dominus deputavit in illo fieri." *2. dist. 15. dub. 5.*

[25] „Deum materiam primam non perfecte statim formatam creasse sacrae Scripturae testimoniis probabilius est, licet oppositum humanae rationi magis consonum videatur. — Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod circa hanc quaestionem diversae sunt Sanctorum opiniones. Quidam enim Sancti in hac quaestione magis secuti sunt viam theologicam, trahentes rationem ad ea, quae sunt fidei. Quidam vero, inter quos praecipuus fuit Augustinus, magis secuti sunt viam philosophicam, quae illa ponit, quae videntur magis rationi consona, unde et intellectum Scripturae trahit ad rationis confirmationem et attestationem. Unde cum videatur rationabilius a summa potentia omnia produci simul, et mora temporis interjacentis nullius videatur esse utilitatis, vel necessitatis, posuit omnia simul esse producta; suam positionem confirmans per auctoritates sacrae Scripturae, et exponens illud, quod videtur sibi contradicere, videlicet de dierum distinctione, ostendens quod illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius spirituales, qui omnes simul potuerunt esse; et haec positio multum fuit rationabilis, et valde subtilis. Verumtamen quia ad hanc positionem videtur intellectus Scri-

pturae distrahi, et securius est et magis meritorium intellectum nostrum et rationem omnino Scripturae supponere, quam ipsam aliquo modo distrahere; ideo communiter aliqui Doctores, et qui praecesserunt Augustinum, et qui secuti sunt, sic intellexerunt et posuerunt, sicut textus in litera sacrae Scripturae Genesis sonare videtur. Unde posuerunt omnia materialia et corporalia simul esse creata in materia, sed per senarium dierum esse distincta in forma. Hanc positionem, etsi minus videatur rationabilis quam alia, non tamen est irrationabile sustinere. Quamvis enim ratio non percipiat hujus positionis congruitatem, prout considerationi suae innititur, percipit tamen, prout sub lumine fidei captivatur. Est enim hujus successivae formationis et distinctionis ratio quadruplex, videlicet literalis, moralis, allegorica et anagogica. Literalis in hoc, quod Deus non tantum intendit facere, quantum potest, tantum etiam communicare creaturae, quantum potest recipere. Unde cum possit dare beatitudinem absque meritis, vult tamen quod mereamur. Sic cum possit statim perficere materiam, maluit tamen ipsam sub quadam informitate et imperfectione facere, ut ex sua imperfectione quasi materia ad Deum clamaret, ut ipsam perficeret. Et hoc idem voluit per senarium dierum differre, ut in perfectione numeri simul ostenderetur perfectio universi *(Aug. de gen. ad lit. lib. 4. c. 2)*. Secundum enim arithmeticum senarius est numerus perfectus, quia constat ex omnibus suis partibus aliquotis, ita quod non deficit, nec excrescit. Partes autem aliquotae dicuntur, quae sumptae aliquotiens reddunt totum. Ratio moralis est, ut in hoc erudiatur homo, quod sicut materia corporea per seipsam informis existit, tunc autem formatur, cum divina bonitas ejus informitati tribuit formam; sic anima formari non potest per seipsam, nisi Deus gratiam suam infundat, cui etiam numerus senarius attestatur, quia tempus est merendi per universum tempus vitae praesentis, ut postmodum detur homini quies; quia non pervenitur ad perfectionem meriti usque ad consummationem gratiae finalis, post quam nulla sequitur vespera; et ideo dies septimus non habet sibi assignatum vespere in Scriptura. Allegorica vero ratio est, quia sicut expresse Augustinus *(de Gen. lib. 4. c. 4. et lib. ult. de Civ. Dei c. ult. in fin.)* ostendit, in illa prima mundi conditione, quae est distincta per senarium, totum spatium decursus mundi praesentis secundum sex aetates praesignatur; ut primus dies aetati primae respondeat, secundus secundae, et sic deinceps, secundum quod plane adaptat Augustinus *(super Gen. ad literam)*, quod hîc longum esset repetere. Ratio autem anagogica est, ut in illa dierum distinctione intelligatur perfectio cognitionis in angelica natura beatificata, secundum quod plane ostendit Augustinus *(super Gen. ad literam quasi per totum)*. Quod ideo vocat ad literam, quia expositionem istam, quam alii reputabant anagogicam, dicit legislatorem intendisse ad literam; nihil tamen ibi asserendo dicit, sed protestatur ipse modo inquisitorio se ibi procedere. Et sicut patet ex ejus intentione ibidem, magis volebat intellectum ex Scriptura elicere, ex quo Scriptura non posset a viris philosophicis derideri, nec propter hoc aliquis naturali philosophia imbutus a fidei veritate retardari, sicut ipse aliquando fuerat retardatus, magis, inquam, quam intellectum principalem exponere, quem ibi habuit legislator, et magis intendit ostendere, quid creatum fuerit, vel tunc potuerit, quam quid factum fuerit. Et in 12 *Confess.* ostenditur, quod una et eadem Scriptura multipliciter potest intelligi, et in omnibus sensibus vere, quorum nullus Spiritum sanctum latuit, ex cujus inspiratione Scriptura edita fuit et in hoc manifeste ostendit, quod aliis non contradicit.“ *2. dist. 12. a. 1. q. 2.* Cfr. etiam *2. dist. 13. a. 1. q. 1.* „Materia prima in sua creatione imperfecta quadam forma fuit formata, quae non omne desiderium ad formam expleret, sed esset dispositio quaedam ad ulteriores recipiendas formas.“ — „Ad praedictorum intelligentiam notandum, quod informitatem illius materiae corporalis diversimode intellexerunt diversi. Quidam namque voluerunt dicere, quod materia illa diceretur chaos propter formarum multitudinem et contrarietatem, quae erat in partibus materiae; ita quod illae partes non distinguebantur ad invicem secundum loca determinata, nec ita proportionaliter invicem jungebantur, ut ex eis resultaret aliquod mixtum completum; et ideo erat ibi quaedam permixtio non proportionis, sed confusionis. Et sicut non erat ibi proportionalis mixtio, ita nec ibi erat regularis actio, immo cujusdam pugnae confusio, ita ut calida pugnarent frigidis, et humida siccis: et sic recte posset materia illa chaos appellari. Sed iste modus ponendi potius est poëticus, quam philosophicus, quia magis sequitur imaginationis fictionem, quam rationem, cum secundum istam positionem ponantur elementa illam materiam sic productam naturaliter praecedere, quod nec rationi consonat, nec sacrae Scripturae. Et ideo est alius modus dicendi rationabilior, quod materia illa producta est sub aliqua forma, sed illa non erat forma completa, nec dans materiae esse completum; et ideo non sic informabat, quin adhuc materia diceretur informis, nec appetitum materiae adeo finiebat, quin adhuc materia alias formas appeteret: et ideo dispositio erat ad formas ulteriores, non completa perfectio. Et quoniam ad multas formas materia informis appetitum et inclinationem habebat; ideo quamvis illa forma non haberet in se naturas diversas, tamen materia in diversis suis partibus quamdam diversitatem imperfectam habebat, non ex diversis actibus completis, sed magis ex appetitibus ad diversa, et ideo permixta dicit et confusa. Sicut exemplum ponitur in embryone, quod actu habet unam formam et figuram quamdam massae carnis, illa tamen est dispositio ad diversas membrorum figurationes. Istud tamen non est omnino simile, quia forma illa non erat tantae actualitatis, sicut est forma embryonis, nec in tanta propinquitate ad eductionem formarum sequentium, sicut forma embryonis ad eductionem membrorum. Forma enim embryonis est visibilis, et per vim naturae ad perfectam completionem est perducibilis; illa vero materia sub tali forma incomposita erat et invisibilis, et ad formas subsequentes sola divina virtute et operatione poterat perduci; et ideo propter imperfectionem formae illius materia illa dicitur informis, et propter indeterminatum appetitum multarum formarum confusa dicitur et permixta. Et haec positio satis videtur esse intelligibilis et probabilis.“ *Ibid. q. 3.*

[26] „Non debemus auctoritates Sanctorum ad nostram trahere rationem, sed magis e converso rationem nostram auctoritatibus Sanctorum subjicere, ubi non continent expressam absurditatem.“ *1. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 4.*

CAPUT III.

De natura corporali, quantum ad esse.

(Mundus consistit in natura caelesti — et elementari.)

De natura vero corporea quantum ad esse tenendum est [a], quod corporalis mundi machina tota consistit in natura caelesti et elementari [b], ita quod caelestis distincta est in tres caelos principales, scilicet empyreum, crystallinum et firmamentum. Intra firmamentum autem [c], quod est caelum stellatum, continentur septem orbes septem planetarum, qui sunt: Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Natura vero elementaris in quatuor sphaeras distinguitur, scilicet ignis, aëris, aquae et terrae; et sic procedendo a summo cardine caeli usque ad centrum terrae, decem concurrunt orbes caelestes et quatuor sphaerae elementares, ex quibus integratur et constituitur tota machina mundi sensibilis, distincte, perfecte et ordinate.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum natura corporalis ad perfectionem sui, et expressionem sapientiae multiformis primi principii, requirat multiformitatem formarum [1], sicut apparet in mineralibus, plantis et animalibus; necesse fuit ponere aliqua corpora simplicia, quae multiformiter possunt [d] misceri, ad introductionem formarum multiformium; et talis est natura subjecta contrarietati, et haec est elementaris. Necesse etiam fuit fieri naturam, per quam haberent haec contraria in mixto [e] conciliari; et talis est natura elongata a contrarietate, cujusmodi est natura lucis et corporis supercaelestis.

Et quoniam mixtio fieri non potest nisi per contraria agentia et patientia; ideo necesse fuit duplicem contrarietatem fieri in elementis, scilicet [f] quantum ad qualitates activas, quae sunt calidum et [g] frigidum, et quantum ad passivas, quae sunt humidum et siccum. Et quia quodlibet elementum agit et patitur; ideo quodlibet habet duas qualitates, unam activam et aliam passivam; ita tamen, quod unam principalem et propriam, alteram accidentalem vel acquisitam [h]: ac per hoc necesse est tantum quatuor esse elementa, secundum quatuor qualitates praedictas, quadrupliciter combinatas [i].

Natura autem caelestis [j] aut est uniformis et immobilis, et haec est empyreum, quia lux pura [2]: aut mobilis et multiformis, et sic est [k] firmamentum [3]: aut mobilis et [l] uniformis, et sic caelum medium inter empyreum et stellatum, quod est caelum crystallinum [4]. Quartum membrum, scilicet quod sit multiforme et immobile, non potest stare, quia multiformitas disponit ad motus varietatem, non ad uniformem quietem. Sunt igitur tres caeli [5], quorum primum per totum est luminosum, scilicet empyreum: secundum per totum perspicuum, scilicet crystallinum: tertium ex utroque [m] conjunctum, scilicet firmamentum. Cum igitur tres sint caeli incorruptibiles et quatuor elementa variabilia, ut fiat debita connexio, concordia et correspondentia, disposuit Deus septem orbes planetarum, qui sua varietate motuum et incorruptibilitate formarum, quasi quoddam vinculum essent et junctura inferiorum elementarium orbium et superiorum caelestium, ad perficiendum et decorandum universum, quod secundum numerales [n] proportiones ordinatum dicitur et connexum denario caelestium orbium et quaternario elementorum, redden-

a) Tenenda sunt ed. 1484.
b) Elementali, ibid. et inferius.
c) Autem om. ibid.
d) Possent ibid.
e) Immixta editt. Nor. Ven. et 1484.
f) Scilicet om. ibid.
g) Et om. ib. et inferius.
h) Alteram accid. vel acq. restitui ex ed. Ven. Legitur et in ed. 1484.
i) Combinatas ABCDEF et editt. Nor. Arg. Aug. Ven.; et 1484. Concubinatas ed. Rom.
j) Supercaelestis ed. 1484.
k) Est om. ibid.
l) Et om. ibid.
m) Utrisque ibid.
n) Mirabiles ed. Ven. et 1484.

tibus ipsum proportionaliter tam pulchrum, quam perfectum et ordinatum, ut suo modo suum repraesentet principium.

Ad Caput III.

[1] „Mundus sensibilis imitatur mundum archetypum in quantum potest, sed deficit. In illo enim est summa pulchritudo per omnimodam unitatem; hic autem, si esset unitas, non esset pulchritudo, quia non esset ordo, nec perfectio. Et ideo, ut mundus hic imitaretur in perfectione et pulchritudine, oportuit, quod haberet multitudinem, ut multa facerent, quod unum facere per se non posset.“ *2. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 1. ad 3.*

[2] „Ponendum est illud caelum *(empyreum)*, quia persuadet ratio finis triplex. Una est perfectio universi, alia est propter motum firmamenti, tertia principalis propter habitationem hominis beati. Et quoniam finis imponit necessitatem his, quae sunt ad finem, propter perfectionem universi necesse est ipsum esse uniforme. Quia cum sit caelum luminosum difforme, si non esset caelum uniforme, non esset universum completum. Propter motum firmamenti ponendum est ipsum immobile, ut motus mobilis fiat circa immobile, scilicet centrum, et intra continens immobile et locans, scilicet empyreum. Propter habitaculum hominis beati ponendum est ipsum luminositatis perfectae, ut habitatio congruat suo habitatori. Ex his ergo colligitur, quare sit factum, et cujus sit dispositionis inter alios caelos, quia uniforme et immobile et luminositatis perfectae.“ *2. dist. 2. p. 2. a. 1. q. 1.*

[3] „Firmamentum et ignis elementum diversam sortiuntur naturam, quamvis propter analogiam, quam habent in caliditate et lumine, firmamentum ignem dixerint Patres sancti.“ *2. dist. 14. p. 1. a. 1. q. 2.*

[4] „Supra firmamentum, sicut dicit Scriptura *(Gen. 1, 6—9)*, sunt aquae, quae tamen non habent naturam et speciem aquae elementi, censentur tamen aquae nomine propter convenientiam in aliqua proprietate. Unde notandum est, quod aqua ista tres habet proprietates, habet enim perspicuitatem, habet frigiditatem, habet nihilominus gravitatem. Quantum ad naturam perspicuitatis hae aquae et illae conveniunt, eo quod habent naturam receptivam luminis et quodammodo retentivam ... Quantum autem ad naturam gravitatis simpliciter differunt, illae enim aquae nullo modo sunt graves, nec appetunt deorsum. Quantum vero ad naturam frigiditatis partim conveniunt, partim differunt. Conveniunt enim in hoc, quod utraeque sunt frigidae effective; differunt autem in hoc, quod istae sunt frigidae formaliter, illae vero minime. Et secundum hoc patet, quod nomen aquae tripliciter accipitur in primaria rerum distinctione. Aliquando pro informi materia, ut ibi: *Spiritus Domini ferebatur etc.* Aliquando pro natura transparenti et luminis retentiva, ut ibi: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Aliquando pro ipso elemento aqueo, ut ibi: *Congregentur aquae in locum unum.* Et sic patet, quod super firmamentum verae sunt aquae, sicut dicit Scriptura, et auctoritates Sanctorum; quia illud intendunt persuadere. Patet etiam, quod non sunt ibi aquae elementares, sive ejusdem naturae, cujus sunt aquae istae ... Hanc autem viam satis sustinere possumus probabiliter, cum nihil videatur sibi obviare.“ *Ibid. q. 1.*

[5] Mystice nomine caeli significantur Angeli, Apostoli, judices et praelati, Religiosi et contemplativi et Doctores S. Scripturae. Cfr. S. D. *De Eccles. Hierarchia p. 4. c. 1—5.*

CAPUT IV.

De natura corporali, quantum ad operari et influere.

(Caelestia influunt in terrestria, quantum ad effectivam productionem; — in terrestria et elementaria, quantum ad distinctivam significationem; — non tamen certe signant futura contingentia; — neque influunt super liberum arbitrium.)

De natura corporali quantum ad operari, hoc tenendum est, scilicet [a] quod caelestia influunt in terrestria et elementaria, quantum ad distinctivam significationem temporum, scilicet dierum, mensium et annorum. Sic enim dicit Scriptura, quod *sint in signa et tempora et dies et annos (Gen. 1, 14).* Influunt etiam [b] quantum ad effectivam productionem rerum generabilium et corruptibilium, scilicet mineralium, vegetabilium, sensibilium et corporum humanorum. Sic tamen sunt in [c] signa temporum et regimen operationum, ut non sint certa signa futurorum contingentium, nec influant super liberum arbitrium per vim constellationum, quam dixerunt aliqui philosophi esse fatum [1].

a) Scilicet om. cd. 1484.

b) Etiam om. ibid.

c) Ibi ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum in corporibus caelestibus propter proximitatem ad primum principium sit lux, motus, calor et virtus; lux ratione suae formae et speciei, motus respectu superioris influentis, calor respectu

inferioris naturae suscipientis, virtus vero omnibus modis praedictis; cum, inquam, ita sit, caelestia corpora per lumen et motum sunt in [d] distinctiones temporum, scilicet diei, secundum lucem solis et motum firmamenti; mensis, secundum motum lunae in circulo obliquo; anni, secundum motum solis in eodem circulo; temporum vero, secundum varium planetarum motum, distantiam et concursum, ascensum et descensum, retrogradationem et statum, ex quibus oritur diversitas in temporibus [2]. Per virtutem autem et calorem influunt ad productionem eorum [3], quae ex elementis generantur [4 e)], excitando, promovendo, conciliando [5]; ita quod secundum conciliationem contrariorum ab aequalitate remotam [f)] influunt in mineralia, secundum conciliationem ab aequalitate minus [g)] longinquam in vegetabilia, secundum conciliationem aequalitati proximantem in sensibilia [6], secundum vero conciliationem aequalem in corpora humana, quae disposita sunt ad nobilissimam formam, quae est anima rationalis, ad quam ordinatur et terminatur appetitus omnis naturae sensibilis et corporalis [7 h)], ut per eam, quae est forma, ens, vivens, sentiens et intelligens [i)], quasi ad modum circuli intelligibilis reducatur ad suum principium, in quo perficiatur et beatificetur. Et quoniam [j)] in illud tendit per liberum arbitrium; ideo quantum ad arbitrii libertatem praecellit [k)] omnem virtutem corporalem: ac per hoc cuncta nata sunt sibi servire, nihil autem sibi dominari habet, nisi solus Deus, non fatum, sive vis positionis [l)] siderum [8]. Et propterea indubitanter verum est [m)], quod sumus finis omnium eorum, quae sunt, et omnia corporalia facta sunt ad humanum obsequium [9], ut ex illis [n)] omnibus accendatur homo ad laudandum et amandum factorem universorum, cujus providentia cuncta disponuntur. Haec autem sensibilis corporalium machina est tanquam quaedam domus a summo opifice homini fabricata, donec ad *domum veniat non manu factam in caelis (2. Cor. 5, 1)*, ut sicut anima modo, ratione corporis et status meriti, nunc est in terris, sic aliquando corpus, ratione animae et status praemii, sit in caelis.

d) Et distinctiones ibid.

e) Ex ante elementis editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

f) Remota ed. 1484.

g) Minus om. ibid.

h) Corruptibilis ibid.

i) Ens et vivens et intelligens ibid.

j) Quantum ibid.

k) Praecessit ibid.

l) Seu dispositio siderum, ed. Ven. et 1484.

m) Verum est indubitabiliter ABCDEGH et ed. Nor.

n) His ed. 1484.

Ad Caput IV.

[1] „De fato aliter loquitur Boëtius et aliter Augustinus. Boëtius enim loquitur de fato, prout est aliquid secundum veritatem; et sic fatum nominat ordinem in rebus mobilibus ad divinam providentiam relatum, ordinem, inquam, non solum secundum naturam et causam necessariam, sed etiam secundum libertatem voluntatis et contingentiam. Dicit enim sic in libro de consolatione *(4. prosa 6 circa initium)*: Providentia cuncta pariter, quamvis diversa, quamvis infinita, complectitur: fatum vero singula dirigit in motum, locis, formis et temporibus distributa. Et haec temporalis ordinis explicatio in divinae mentis adunata prospectu, providentia est; eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus fatum vocatur. Et sic patet, quod Boëtius fatum accipit generaliter ad egressum et decursum omnium rerum, sive voluntariarum, sive naturalium, sive necessariarum, sive contingentium. Augustinus vero *(lib. 5. de Civit. Dei cap. 5)* accipit fatum secundum aestimationem Philosophorum, qui vocant fatum vim positionis siderum et constellationum, secundum quam cuncta necessario eveniunt in his inferioribus; et sic fatum nihil est. Et ostendit ipse, quod nihil sit: et ita aequivoce accipit fatum Boëtius et Augustinus. Et propter hoc non fit assumptio sub medio, sed magis aequivocationis deceptio, propter quam tollendam de medio dicit Augustinus *(lib. 5. de Civit. ibidem)*, quod si quis fatum vocat ordinem causarum, quem Deus instituit, cum hoc sit verum, sententiam teneat et linguam corrigat, quia secundum communem usum sic accipitur, sicut mathematici accipere consueverunt.“ *2. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad 1.*

[2] *2. dist. 14. p. 2. ad dub. 4.*

[3] „Monstrum dicit deordinationem aliquam in natura; ergo non est a causa suprema. Resp. Aliquibus dicendum videtur, quod monstrum dicit deordinationem aliquam in natura, et dicit etiam substantiam aliquam. Substantia causam habet positivam, quae Deus est; inordinatio illa non habet causam positivam, sed privationem, et haec est, ut plurimum, improportio virtutis agentis ad materiam. Aut enim materia superabundat, aut deficit secundum proportionem caloris operantis et virtutis ... Tamen aliter posset dici, quod monstra etiam sunt a Deo puniente, quando poenae sunt; et sic habent rationem ordinis. Quamvis enim Deus non faciat contra ordinem in finem, facit

tamen contra solitum cursum naturae frequenter, vel ad vindictam, vel ad misericordiam." *1. dist. 45. dub. 6.*

[4] „Deus propter suae bonitatis manifestationem et ordinis sapientiae ostensionem creaturis communicavit posse operari, et in alias creaturas effectum suum imprimere, ipso tamen non deserente, sed cooperante." *2. dist. 11. a. 1. q. 1. ad 5.*

[5] *2. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 2.*

[6] „Cum ponuntur corpora caelestia imprimere in haec inferiora et diversas qualitates generare, hoc non est intelligendum quod eis dent ex se, sed educunt illud, quod est in potentia, in actum. Praeterea non est intelligendum, quod dent per se solum, sed adjuvando virtutem naturae inferioris: hoc autem faciunt tum per virtutem lucis, in qua communicant, tum etiam per virtutes proprias, secundum quas agunt in haec inferiora, non ut producant sibi similia, sed ut influendo conservent, regant et intendant rerum inferiorum qualitates et naturas." *2. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 2. ad 3.*

[7] „Triplex est appetitus, videlicet naturalis, sensualis, sive animalis, et rationalis; et quilibet istorum appetituum habet suum regimen ... Ad regimen et directionem appetitus naturalis plus spectat dirigi, quam dirigere, ad directivum vero appetitus rationalis proprie spectat dirigere; directivum vero appetitus brutalis quodammodo medium tenet. Et hinc est, quod naturalia moventur quadam necessitate, rationalia vero mera libertate, bruta vero moventur quadam impetuositate, quae est infra libertatem et supra necessitatem, non enim possunt se omnino reprimere, et tamen possunt ad oppositas partes tendere ... Igitur regula directiva operationis reperitur in rationalibus proprie, in sensualibus minus proprie, in naturalibus improprie ... Intentio proprie accepta, secundum quod dicitur lumen, per quod est collatio et tendentia in Deum, accipitur circa animae supremum; et ideo hoc modo in solis rationalibus reperitur ... Intentio vero, prout dicit tendentiam, ordinem et directionem appetitus ad aliquem terminum vel finem quietantem, non tantummodo est in rationalibus, immo etiam in brutis." *2. dist. 38. a. 2. q. 1.*

[8] „Mores hominum et eventus futurorum a sideribus causari dupliciter potest intelligi, aut necessario et sufficienter, aut dispositive et contingenter. Si primo modo dicitur, sic non tantum est falsum, imo et haereticum, et diabolicum figmentum, quia repugnat christianae religioni, repugnat sensui et repugnat etiam rationi ... Si autem dicantur mores hominum a dispositionibus siderum variari, et dispositive et contingenter, sic potest habere veritatem, quia nec rationi, nec fidei repugnat. Planum est enim, quod dispositio corporis varia multum facit ad variationem affectionum et morum animae. Ut plurimum enim anima complexiones corporis imitatur; unde cholerici sunt iracundi, et sanguinei sunt benigni, et melancholici sunt lividi, et phlegmatici sunt pigri. Hoc autem non est necessario, anima enim suo corpori dominatur, maxime quando est adjuta per gratiam, multos enim videmus cholericos mansuetos et melancholicos benignos. Quoniam igitur virtus corporum caelestium operatur ad mixtionem et qualitatem complexionum; hinc est, quod per consequens operatur quodammodo ad qualitatem morum, valde tamen de longinquo, plus enim facit ad qualitatem complexionis virtus naturae inferioris, quam virtus sideris ... Si ergo hoc modo quaereretur, utrum impressiones siderum aliquo modo disponant ad varietatem morum, respondendum esset, quod sic; verumtamen non dispositione necessaria et proxima et sufficiente, sed dispositione remota et contingente. Si autem quaeratur, utrum sit causa sufficiens, respondendum est simpliciter, quod non, quia contrarium dicere est haereticum." *2. dist. 14. p. 2. a. 2. q. 3.*

[9] „Finis, ad quem res ordinantur, duplex est. Quidam enim est finis principalis et ultimus, quidam est finis sub fine. Si primo modo loquimur de fine, sic omnium creaturarum tam rationalium, quam irrationalium finis est Deus, quia omnia propter semetipsum creavit Altissimus *(Prov. 16, 4)*, omnia enim fecit ad laudem suae bonitatis. Si autem loquamur de fine non principali, qui est finis quodammodo et finis sub fine; sic omnia sensibilia alia facta sunt propter hominem. Et hoc insinuat Philosophus *(Arist. 2. physic. cont. 24)*, cum dicit: Sumus finis nos quodam modo omnium eorum, quae sunt. Insinuat etiam Scriptura multo excellentius, cum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris etc. (Gen. 1, 26);* quia enim homo rationis capax est, ideo habet libertatem arbitrii et natus est piscibus dominari; quia vero per similitudinem natus est in Deum tendere immediate, ideo omnes creaturae irrationales ad ipsum ordinantur, ut mediante ipso in finem ultimum perducantur. Et sic concedendae sunt rationes ostendentes animalia propter hominem facta esse. Ad dissolutionem autem rationum, quae inducuntur in contrarium, notandum est, quod aliter ordinantur animalia ad hominem secundum statum innocentiae, aliter secundum statum naturae lapsae. Secundum statum innocentiae ordinantur ad hominem secundum rationem quadruplicem. Prima ratio est ad manifestandum ejus imperium, quod manifestarent, dum ei per omnia obedirent. Secunda ad decorandum hominis habitaculum, perpulchrum enim erat habitaculum hominis animalium multiplicatione, non solum arborum decorari. Tertia ad excitandum hominis sensum, ut in ipsorum animalium naturis diversis videret homo multiformitatem sapientiae conditoris. Quarta ad moderandum ejus affectum, ut dum homo videret animalia secundum rectitudinem suae naturae currere et amare illud, ad quod naturaliter facta sunt, ex hoc excitaretur ad amandum Deum. Et propter has rationes non solummodo fecit Deus jumenta, sed etiam bestias et pecora, omnia enim faciunt ad hominis utilitatem secundum rationes praedictas. Secundum statum naturae lapsae ordinantur ista animalia ad utilitatem hominis; sed aliter bestiae et aliter jumenta et pecora. Jumenta enim et pecora ordinantur ad relevandam hominis indigentiam quantum ad cibum et quantum ad vestimentum et quantum ad obsequium, sicut sunt equi et asini, et quantum ad solatium, sicut quaedam aves et catuli et similia; et sic facta sunt propter hominem ratione quadruplici. Similiter animalia, sive bestiae noxiae, ordinantur ad hominem secundum quadruplicem rationem et utilitatem, quam ponit Aug. super Genesim ad litteram lib. 3 *(c. 17)*, dicit enim quod aut poenaliter laedunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent. Et sic patet, quod tam bestiae, quam reptilia et jumenta facta sunt propter hominum, sive in statu inno-

centiae, sive in statu naturae lapsae . . . Ad illud quod objicitur de bestiis, quae sunt contra hominem, dicendum quod, homine stante, nulla animalia ipsum offenderent, sed omnia sibi mansueta essent, sicut aliquando divino imperio ferae crudelissimae Sanctis Dei mansuetae factae sunt, ut leones Danieli. Quod autem noceant, vel offendant, hoc est propter peccatum hominis, non propter novam potentiam eis datam, sed propter dignitatis praesidentiam ab homine amissam. Unde sicut oculus sanus a sole non laeditur, sed cum efficitur lippus, statim offenditur, non propter mutationem factam in sole, sed in oculo: sic et in proposito intelligi potest." *2. dist. 15. a. 2. q. 1. concl. et ad 3.* — „Quod bestiae, et si qua animalia sunt, quae nocere possent, ipsum *(Adam)* minime laederent, nec in somno, nec in vigilia, hoc non erat a natura, sed a speciali Dei providentia, quae ita eum custodiebat, ut sub pedibus ejus omnia subjacerent, ut nihil cuperet ipsum offendere, et si cuperet, non valeret." *2. dist. 19. a. 3. q. 1.*

CAPUT V.

De modo describendi [a] praedicta in sacra Scriptura.

a) Scribendi et 1484.

(Sacra Scriptura est doctrina sufficiens de creatione, licet non descendat ad speciales entium naturas describendas: — ordinate narrat rerum conditiones, quantum ad tempus, — ad distinctionem et ornatum, — et quantum ad influentiam: — ordinate tacet secundum litteram de Angelorum conditione et lapsu.)

Ex jam dictis colligitur, quod, sicut Deus res ordinate condidit, quantum ad tempus, et ordinate disposuit, quantum ad situm; sic etiam [b] ordinate gubernat, quantum ad influentiam, et Scriptura ordinate narrat, quantum ad doctrinae sufficientiam; licet non ita explicite describat distinctionem orbium, nec caelestium, nec elementarium, et [c] parum aut nihil dicat de motibus et virtutibus corporum superiorum et de mixtionibus elementorum et elementatorum; et, quod plus est, nihil explicite narrat de conditione supernorum spirituum, maxime cum describit istud [d] universum in esse productum.

b) Etiam om. ibid.

c) Et om. A BCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

d) Id ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum [e] haec est: quia, cum primum principium reddat se nobis cognoscibile et per Scripturam [1] et per creaturam [2], per librum creaturae se manifestat ut principium effectivum, per librum Scripturae ut principium reparativum, et principium reparativum non potest cognosci, nisi cognoscatur et effectivum [f]; ideo sacra Scriptura, licet principaliter agat de operibus reparationis, debet nihilominus agere de opere conditionis, in quantum tamen [g] ducit in cognitionem primi principii efficientis et reficientis: et ideo ipsa est cognitio sublimis et salutaris [3]. Sublimis, quia de primo principio effectivo, quod est Deus creator: salutaris, quia de primo principio [h] reparativo, quod est Christus Salvator et mediator. Rursus, quia sublimis est, utpote quia agit de primo principio et ente summo; ideo non descendit ad describendas speciales entium naturas, motus, virtutes et differentias; sed stat [i] in quadam generalitate, in qua implicantur specialia, describendo scilicet conditionem mundi, quantum ad dispositionem et influentiam, quoad naturam luminosam, opacam et perviam in generalitate quadam. Et quoniam primum principium, de quo agit, habet in se ordinem naturae in existendo, ordinem sapientiae in disponendo, ordinem bonitatis in influendo, ita quod ordo naturae habet in se [j] simultatem [k] et aequalitatem, ordo sapientiae considerat prioritatem et posterioritatem, ordo bonitatis influentis [l] superioritatem et inferioritatem; ideo ad insinuandum ordinem naturae determinat Scriptura, juxta quod Deum operari decebat, quod in principio ante temporis decursum fuerit [m] illa triplex natura de non esse in esse producta, cum dicit: *In principio creavit Deus caelum et terram,* et: *Spiritus Dei ferebatur super aquas (Gen. 1, 1—2).* Ubi nomine caeli insinuatur natura luminosa, nomine terrae natura opaca [4], nomine aquae natura pervia, sive perspicua, sive contrarietati subjecta, sive supra contrarietatem ele-

e) Horum ibid.

f) Principium reparationum potest cognosci nisi cognoscatur ut effectivum, ibid.

g) Tamen om. ibid.

h) Primo om. ibid.

i) Constat ibid.

j) In se om. ABCD et editt. Arg. Aug. Nor. Ven et 1484.

k) Similitatem ed. 1484.

l) Influentis restit. ex ed. 1484.

m) Fuit ibid.

vata. Ubi etiam insinuatur Trinitas aeterna, scilicet Pater in nomine Dei creantis, Filius in nomine principii, Spiritus sanctus in nomine spiritus Dei. Et sic intelligendum est illud, quod dicitur: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul (Eccl. 18, 1).* Non quia ea [n] creavit in chaos omnimodae confusionis, secundum quod finxerunt poëtae, cum produxerit hanc triplicem naturam, summam in summo, mediam in medio et infimam in infimo; nec etiam creavit in esse omnimodae distinctionis, cum caelum esset perfectum et terra incomposita, natura vero media, quasi medium tenens, nondum esset ad perfectam distinctionem deducta. Ad insinuandum autem [o] ordinem sapientiae in disponendo determinat, quod haec triplex natura non simul fuit distincta et ornata [p], sed juxta triplicis naturae creatae exigentiam per triduum distincta, et per triduum aliud [q] ornata; ut sicut Deus in principio triplicem naturam simul creavit in primordio temporis, sic successione temporis [r] in triplici mensura temporis, scilicet triplicis diei, triplicem faceret distinctionem naturae triplicis creatae; et rursus in alio triduo triplicem ornatum triplicis naturae distinctae. Ad insinuandum vero ordinem bonitatis in influendo determinat, quod haec triplex natura collocata est in mundo secundum sub, medium [s] et supra, juxta suam dignitatem et influentiam. Et quia luminosum plurimum habet de specie, ideo sibi debetur [t] circumferentia; quia vero [u] opacum minimum habet de specie, ideo sibi debetur [v] centrum; sed [x] quia natura [y] pervia tenet medium, ideo medium sortita est [z] situm. Et quoniam natura corporis pervii et perspicui communis est naturae caelesti et elementari, et rursus luminosa utrique [aa] convenit; ideo recte dicitur firmamentum factum in medio aquarum, non quia aquae super caelos sint aquae fluxibiles [bb], frigidae, graves et [cc] corruptibiles, sed quia subtiles et incorruptibiles et perviae et super omnem contrarietatem sublimatae; ac per hoc caelestis naturae et in caelestibus collocandae ratione nobilitatis formae. Collocantur etiam ratione virtutis et influentiae. Quia enim omnis actio corporalis in rebus inferioribus regulam, originem et vigorem [dd] sumit a natura caelesti, cum duae sint qualitates activae, scilicet calidum et frigidum, et aliquod sit caelum principaliter influens in calidum, sicut [ee] caelum sidereum ratione luminositatis; congruum fuit, quod aliquod influeret super frigidum, et sic crystallinum. Et sicut caelum sidereum, licet influat ad calorem, non tamen est formaliter calidum; sic etiam caelum, quod dicitur aqueum, sive crystallinum, non est essentialiter frigidum. Unde quod Sancti dicunt, quod aquae sunt ibi constitutae ad reprimendum calorem superiorum corporum et cetera consimilia [ff], non secundum formalem praedicationem, sed secundum efficientiam et influentiam sunt intelligenda. Competit ergo conditio creaturae, secundum ordinem praedictum et ordini [gg] creatricis sapientiae et divinae Scripturae, quae est scientia sublimis [5].

Rursus, quia ipsa est [hh] scientia salutaris, ideo non determinat de opere conditionis, nisi propter opus reparationis [6]. Et quoniam angeli sic conditi sunt, ut labentes nullatenus reparentur, sicut apparebit in sequentibus; ideo tacetur, secundum litteram exteriorem, angelorum lapsus et conditio, quia non debebat subsequi reparatio [7]. Quia vero sublimitatem sacrae Scripturae non decebat prorsus reticere de conditione sublimissimae creaturae; ideo sic sacra Scriptura describit rerum conditiones [ii], juxta quod exigit scientia sublimis et salutaris, ut tamen secundum spiritualem intelligentiam tota conditio litteraliter descripta, spiritualiter referatur ad describendam hierarchiam et angelicam et

n) Ea om. ibid.
o) Autem om. ibid.
p) Ordinata ibid.
q) Ad aliquid ibid.
r) Scilicet add. ibid.
s) Medium om. ABCDE FGH et editt. Nor. Arg. Aug.
t) Describitur ed. 1484.
u) Et quia ibid.
v) Describitur ibid.
x) Et ibid.
y) Natura om. ibid.
z) Sortitur ibid.
aa) Utrisque ibid.
bb) Perfluxibiles ibid.
cc) Et om. ibid.
dd) Primam originem ibid. Regulam . . . et vigorem om.
ee) Utpote pro sicut A BE et editt. Aug. Nor.
ff) Similia A BH et editt. Nor. Aug.
gg) Ordinem ed. 1484.
hh) Ipsa est ibid. om.
ii) Conditionem ABCDE FGH et editt. Nor. Arg. Aug.

ecclesiasticam; ideo secundum spiritualem intellectum describitur in illis tribus naturis primo productis hierarchia angelica nomine caeli, et ecclesiastica nomine terrae, et gratia, per quam irrigatur utraque, nomine aquae. Rursus, per septenarium numerum[jj] dierum intelligitur septiformis Ecclesiae status, secundum decursum[kk] septem aetatum[8]. Per eumdem etiam septenarium intelligitur septiformis conversio angelorum a creatura ad Deum. Et sic ex praedictis apparet sufficientia et veritas Scripturae in diversis opinionibus Sanctorum, scilicet Augustini et aliorum, qui sibi non contradicunt, cum verae sint, si recte intelligantur[ll].

jj) Numerum om. ABCDE FGH1 et editt. Nor. Arg. Aug. et 14^a4.

kk) Cursum ed. 1484.

ll) Intelligamus ibid.

Ad Caput V.

[1] Vide superius *part. I. cap. I. n. 3.*

[2] „Deus cognoscitur per creaturas a viatoribus tantum: sed in creaturis a viatoribus semiplene, a comprehensoribus autem perfecte.“ — „Ad intellectum praedictorum notandum, quod aliud est cognoscere Deum in creatura, aliud per creaturas. Cognoscere Deum in creatura est cognoscere ipsius praesentiam et influentiam in creatura; et hoc quidem est viatorum semiplene, sed comprehensorum perfecte. Unde dicit Augustinus *(de Civitate Dei lib. ult. c. ult.)*, quod tunc expresse Deus videbitur, quando Deus erit omnia in omnibus. Cognoscere autem Deum per creaturam, est elevari a cognitione creaturae ad cognitionem Dei quasi per scalam mediam: et hoc est proprie viatorum, sicut dicit Bernardus ad Eugenium *(lib. 5 de consid.)*. Aliter autem convenit homini in statu naturae institutae et naturae lapsae, quia in statu primo cognoscebat Deum per creaturam tamquam per speculum clarum, sed post lapsum cognovit tamquam per speculum et aenigma, sicut dicit Apostolus *(1. Cor. 13, 12)*, propter obnubilationem intellectus et peiorationem rerum.“ *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 3.* — „Ad illud quod objicitur, quod omne illud, quod est ens cognoscibile per se, aut cognoscitur per sui essentiam, aut per speciem, dicendum, quod adhuc est tertius modus cognoscendi, scilicet per effectum. Cognoscitur autem Deus per effectus visibiles, et per substantias spirituales, et per influentiam luminis connaturalis potentiae cognoscenti, quod est similitudo quaedam Dei non abstracta, sed infusa, inferior Deo, quia in inferiori natura, sicut dicit Augustinus *(lib. 9. de Trin. c. 11)*.“ *2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad 4.* — „Quia relucet causa in effectu, et sapientia artificis manifestatur in opere; ideo Deus, qui est artifex et causa creaturae, per ipsam cognoscitur. Et ad hoc duplex est ratio, una est propter convenientiam, alia propter indigentiam. Propter convenientiam, quia omnis creatura magis ducit in Deum quam in aliquid aliud. Propter indigentiam, quia cum Deus tamquam lux summe spiritualis non possit cognosci in sua spiritualitate ab intellectu, quasi materiali luce indiget anima, ut cognoscat ipsum, scilicet per creaturam.“ *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 2.* — „Differt dicere videre rem in speculo et per speculum. Per speculum enim dicitur videre Deum, qui ascendit a cognitione creaturae ad cognitionem Creatoris. In speculo autem videt, qui Deum in ipsa creatura clare intuetur. Prima visio non erit in gloria, quia non erit ibi necessaria scala. Secunda vero erit, quia Deus videbitur aperte in omnibus creaturis ... Et attendendum est hîc, quod plus differt visio per speciem a visione per speculum, quantum ad cognitionem ipsius Dei, quam quantum ad cognitionem alicujus creaturae sensibilis. Si enim aliqua creatura sensibilis videatur in propria natura, et videatur per aliquod speculum, in quo resultat, non est differentia inter visionem istam et illam nisi in hoc, quod una est per speciem secundum directionem simplicem, alia est per speciem secundum directionem reflexam; et ideo ab uno et eodem oculo, et secundum omnem statum, de eadem re visa haberi potest visio. In visione autem ipsius Dei, quae est per speciem et per speculum, major est differentia tum a parte videntis, quia in una illarum est cognitiva potentia obumbrata, in altera illuminata; tum a parte medii, quia in una videtur Deus per sui essentiam, in altera vero per effectum creatum. Et ideo una istarum cognitionum est in quiete et in statu, altera vero in progressu, secundum quod dicit Apostolus *(2. Cor. 5, 7): Per fidem ambulamus.*“ *3. dist. 31. a. 2. q. 1. ad 5.* — Ex allatis verbis nemo non videt nostri Seraphici doctrinam toto caelo distare ab ea, quam Ontologi tradunt. Verum de his fusius dicendum occurret *cap. IX hujus partis.*

[3] „Quartum lumen, quod illuminat ad veritatem salutarem, est lumen sacrae Scripturae, quod ideo dicitur superius, quia ad superiora ducit manifestando ea, quae sunt supra rationem. Et etiam quia non per inventionem, sed per inspirationem, *a Patre luminum descendit (Jac. 1, 17)*. Quod licet unum sit secundum intellectum litteralem, est tamen triplex secundum sensum mysticum et spiritualem. In omnibus enim sacrae Scripturae libris, praeter litteralem sensum, quem exterius verba sonant, concipitur triplex sensus spiritualis, scilicet allegoricus, quo docetur quid credendum de divinitate et humanitate sit; moralis, quo docetur quo modo vivendum sit; et anagogicus, quo docetur qualiter sit Deo adhaerendum. Unde tota sacra Scriptura haec tria docet, scilicet Christi aeternam generationem et incarnationem, vivendi ordinem, et Dei et animae unionem. Primum respicit fidem, secundum mores, tertium finem utriusque. Circa primum insudare debet studium doctorum, circa secundum studium praedicatorum, circa tertium studium contemplativorum.“ *De Reduct. art. ad Theol. post init.*

[4] „Nomine terrae in Scriptura intelligitur materia corporalium, intelligitur etiam elementum terrae ... Si terra

accipiatur pro materia informi, sic recte dicitur: *In principio, Domine, terram fundasti (Ps. 101, 26)*, id est, in principio fecisti materiam informem, quasi fundamentum omnium formarum. Quae ideo dicitur esse fundata, quia omnes formae sustentantur a materia, et ipsa non sustentatur ab alio, nisi a Deo. Ideo autem dicitur fundata in principio, quia nihil ante ipsam creatum est. Si autem nomine terrae intelligitur elementum terrae, adhuc verus est praedictus sermo. Terra enim fundata dicitur propter sui stabilitatem, secundum illud: *Generatio praeterit et generatio advenit; terra autem in aeternum stat (Eccle. 1, 4)*. Hoc elementum, scilicet terrae, et dicitur fundatum et dicitur appensum. Fundatum super stabilitatem suam et fundatum etiam super aquas. Fundatum dicitur, quia sicut fundamentum est infimum inter omnes partes domus, sic terra est infimum inter omnia corpora mundi, et in centro existens, tenet locum fundamenti. Et cum virtute propria sibi divinitus data centrum appetat, ut in centro requiescat, fundata dicitur *super stabilitatem suam (Ps. 103, 5)*. Et hoc dictum esse intelligendum est secundum veritatem. Secundum autem nostram imaginationem et vulgarem opinionem, cum aquae cooperiant inferiorem superficiem terrae respectu nostri, et ultra aquam sit aër, et ultra aërem sit ignis, dicitur terra fundata super aquas *(Ps. 23, 2)*. Nos enim aestimamus terram esse super aquam, dum consideramus aquam sub pedibus nostris. Dicitur etiam esse tribus digitis appensa *(Isai. 40, 12)*, pro eo quod tribus elementis intermediis distat a caeli circumferentia, et mediantibus illis videtur esse quasi appensa ... Nota tamen, quod ... secundum quod nomine terrae intelligitur materia, tunc dicitur fundata in principio, id est, in primordio productionis rerum; sed secundum quod terra dicitur elementum, tunc dicitur esse fundata in principio, id est, in primis operibus sex dierum.“ *2. dist. 2. p. 1. dub. 1.*

[5] Sublimitas hujus scientiae egregie demonstratur ex consideratione septem conditionum creaturarum. „Haec consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quae est divinae potentiae, sapientiae et bonitatis testimonium septiforme, si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo et operatio et ordo. Origo namque rerum secundum creationem, distinctionem et ornatum, quantum ad opera sex dierum, divinam praedicat potentiam cuncta de nihilo producentem, sapientiam cuncta lucide distinguentem, et bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum secundum molem longitudinis, latitudinis et profunditatis, secundum excellentiam virtutis longe lateque et profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis, secundum efficaciam operationis intimae, continuae et diffusae, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiae, sapientiae et bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, praesentiam et essentiam incircumscriptus existit. Multitudo vero rerum secundum diversitatem generalem, specialem et individualem, in substantia, in forma seu figura et efficacia ultra omnem humanam aestimationem, manifeste trium praedictarum conditionum in Deo immensitatem insinuat et ostendit. Pulchritudo autem rerum secundum varietatem luminum, figurarum et colorum, in corporibus simplicibus, mixtis et etiam complexionatis, sicut in corporibus caelestibus et mineralibus, sicut lapidibus et metallis, plantis et animalibus, tria praedicta evidenter proclamat. Plenitudo autem rerum, secundum quod materia est plena formis secundum rationes seminales, forma est plena virtute secundum activam potentiam, virtus est plena effectibus secundum efficientiam, idipsum manifeste declarat. Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis et bonitatis, quae quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. Ordo autem secundum rationem durationis, situationis et influentiae, scilicet per prius et posterius, superius et inferius, nobilius et ignobilius, in libro creaturae insinuat manifeste primi principii primitatem, sublimitatem et dignitatem quantum ad infinitatem potentiae. Ordo vero divinarum legum, praeceptorum et judiciorum, in libro Scripturae immensitatem sapientiae. Ordo autem divinorum sacramentorum, beneficiorum et retributionum, in corpore Ecclesiae immensitatem bonitatis; ita quod ipse ordo nos in primum et summum potentissimum et sapientissimum et optimum evidentissime manu ducit. Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, caecus est: qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est: qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est. Aperi ergo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve et cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas et colas, magnifices et honores, ne forte contra te universus orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc *pugnabit orbis terrarum contra insensatos (Sap. 5, 21)*, et e contra sensatis erit materia gloriae, qui secundum Prophetam possunt dicere: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua (Ps. 91, 5—6;* et *103, 24). Itiner. ment. in Deum, c. 1. nn. 14—15.*

[6] „Sacra Scriptura principaliter est de operibus reparationis. Unde et ipsa praecipue agit de fide, spe et caritate, per quas virtutes habet anima reformari, et specialissime de caritate. De qua dicit Apostolus: *Quod est finis praecepti*, secundum quod est *de corde puro, conscientia bona et fide non ficta (1. Tim. 1, 5)*. Ipsa est *plenitudo legis (Rom. 13, 10)*, ut dicit idem. Et Salvator noster asserit totam legem prophetasque pendere in duobus praeceptis ejusdem *(Matth. 22, 40)*, scilicet in dilectione Dei et proximi: quae duo innuuntur in uno sponso Ecclesiae Jesu Christo, qui simul est proximus et Deus, simul frater et Dominus, simul etiam rex et amicus, simul verbum increatum et incarnatum, formator noster et reformator, α et ω. Qui etiam summus hierarcha est, purgans, illuminans et perficiens sponsam, scilicet totam Ecclesiam et quamlibet animam sanctam. De hoc igitur hierarcha et ecclesiastica hierarchia est tota sacra Scriptura, per quam docemur purgari, illuminari et perfici, et hoc secundum triplicem legem in ea traditam, scilicet naturae, scripturae et gratiae. Vel potius secundum triplicem partem ejus principalem, scilicet legem mosaicam purgantem, revelationem propheticam illustrantem et eruditionem evangelicam perficientem. Vel potissimum secundum triplicem

ejus intelligentiam spiritualem, scilicet tropologicam, quae purgat ad honestatem vitae; allegoricam, quae illuminat ad claritatem intelligentiae; et anagogicam, quae perficit per excessus mentales et sapientiae perceptiones suavissimas, secundum tres virtutes praedictas theologicas et sensus spirituales reformatos et excessus tres supradictos et actus mentis hierarchicos, quibus ad interiora regreditur mens nostra, ut ibidem speculetur Deum in splendoribus sanctorum, et in eisdem tanquam in cubilibus dormiat in pace et requiescat, sponso adjurante quod non excitetur, donec de ejus voluntate procedat *(Cant. 2, 7).*" *Itiner. ment. c. 4. nn. 6—7.*

[7] „Conditio angelicae naturae non oportet explicite dici; sicut etiam nec de lapsu naturae angelicae in Scriptura legitur historialiter, sed magis allegorice. Et ratio hujus est, quia Scriptura principaliter intendit agere de operibus reparationis humanae, sicut dicit Hugo; et propterea, ut illa melius explicentur, agit de lapsu hominis et conditione naturae humanae institutae, et ratione hujus determinat de his, quae faciunt ad hominis conditionem et conservationem. Et quia in Scriptura non agitur de lapsu naturae angelicae, nec etiam in ea agitur de conditione Angeli instituti." *2. dist. 13. a. 1. q. 1. ad 2.*

[8] Vide superius in *Proëmio § 3.*

CAPUT VI.

De productione supernorum spirituum.

(An Deus debuerit Angelos creare. — Angelis a primordio suae conditionis quatuor sunt attributa: — et cum his alia quatuor concomitantia.)

Consequenter vero agendum est de natura spirituali et incorporea, cujusmodi est angelica[1], de qua considerari oportet, quantum ad conditionem supernorum[a] spirituum, quantum ad ruinam daemonum et quantum ad confirmationem bonorum angelorum (I). Sciendum est igitur, quod angelis a primordio suae conditionis[2] quatuor sunt attributa, scilicet simplicitas essentiae; personalis discretio propter rationem insitam; memoria, intelligentia et voluntas; et libertas arbitrii ad eligenda bona et respuenda mala[3]. Haec autem quatuor attributa principalia alia quatuor comitantur, scilicet virtuositas in operando, officiositas in ministrando, perspicacitas in cognoscendo et immutabilitas post electionem, sive in bono, sive in malo.

a) Et spirituum ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, omnia de nihilo produxit; ideo non tantum prope nihil, sed etiam prope se, non[b] tantum substantiam a se longinquam, scilicet naturam corpoream, producere debuit, verum etiam propinquam: et haec est substantia intellectualis et[c] incorporea[4] (II), quae, hoc ipso quod Deo simillima est, simplicitatem habet naturae[5], et discretionem personalem[6], ut Deo assimiletur ex parte substantiae sive communis sive individuae. Habet etiam in mente imaginem Trinitatis secundum memoriam, intelligentiam et voluntatem. Habet etiam voluntatis libertatem, ut assimiletur Deo ex parte potentiae sive naturalis sive electivae; ut sic potentia naturalis insignita sit Dei imagine, electiva vero arbitrii libertate. Nequaquam enim perveniret meritorie ad praemium gloriosum, quod facit quemquam beatum, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium: hoc autem esse non potest nisi in substantia rationali, quam comitatur memoria, intelligen-

b) Et non ibid.

c) Et om. ibid.

(I) Angelorum existentiam inficiati sunt Sadducaei, ut patet ex *Act. 23, 8:* „Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum neque Spiritum". Recentiori autem aevo idipsum adstruxerunt Sociniani, Materialistae ac Pantheistae. — Contra quos in Conc. Lateran. IV. cap. *Firmiter* definitur: „Unum esse universorum principium, qui utramque condidit creaturam, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem, ex corpore et spiritu constitutam."

(II) Spiritualitatem Angelorum nonnulli, inter quos Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Methodius, Cassianus et Gennadius negarunt, docentes eos aethereis corporibus nostris longe subtilioribus praeditos esse. Verum haec opinio post Conc. Lateran. IV vix salva fide admitti potest.

tia et voluntas. Ubi autem est ratio, oportet, quod sit rationalis naturae substantia individua[7]. Necesse est etiam, quod sit substantia spiritualis et incorporea, ac per hoc simplex carens omni divisione quantitativa[d]. Talis autem substantia, hoc ipso, quod simplex est, virtuosa est in operando: hoc ipso, quod virtuosa est et personaliter discreta[8 e], competit ei distinctio officii in ministrando: hoc ipso, quod simplex et virtuosa, competit ei perspicacitas in discernendo[9]: hoc ipso autem, quod perspicax et simplex est, habens intellectum deiformem, ideo stabilitatem habet post electionem in electo, sive in bono, sive in malo. Et hae conditiones ipsam generalem conditionem supernorum spirituum generaliter comitantur.

d) Quanti ibid.

e) Distincta ibid.

Ad Caput VI.

[1] „A Damasceno definitur Angelus quantum ad substantiam, cum dicit: *Angelus est substantia incorporea;* quantum ad virtutem, cum dicit: *Intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera.* Ubi tangitur triplex virtus angelica, scilicet cognitiva, cum dicit: *Intellectualis;* operativa, cum dicit: *semper mobilis,* quia infatigabiliter operatur; imperativa, cum dicit: *arbitrio libera.* Operatio tangitur, cum dicitur: *Deo serviens;* duratio, cum dicitur: *gratiâ, non naturâ, immortalitatem suscipiens.*“ *Centiloq. p. 3. sect. 16.* Cfr. *2. dist. 9. in expos. text.*

[2] „Quatuor primo fuerunt simul creata, Angelus, caelum empyreum, materia prima, et tempus, quantum ad mensurarum concomitantiam, quia simul coepit duratio materiae et intelligentiae.“ *2. dist. 2. p. 1. a. 2. q. 3.*

[3] „Ista attributa sunt convenientia Angelo per naturam suam et sui creationem, tanquam principalia, a quibus alia habent ortum. Et sumitur sufficientia sic. In Angelo est considerare esse et posse, sive substantiam et personam. Et circa substantiam duo, scilicet quo est, et penes hoc est substantia et simplicitas. Vel ipsum quod est, et penes hoc est personalis discretio. Similiter circa posse est considerare ipsam potentiam, et penes hoc tertium, scilicet ratio naturaliter insita. Est iterum considerare facultatem potentiae, et penes hoc est quartum attributum, scilicet liberum arbitrium. Vel aliter, Angelus habet quadrupliciter considerari, scilicet in se; et sic essentiae simplicitas: ad alterum Angelum; et sic personalis discretio: ad Deum; et sic memoria, intelligentia et voluntas, in quibus consistit ratio imaginis: in comparatione ad ea, quae subjecta sunt eorum regimini; et sic habet liberum arbitrium. Vel aliter et magis secundum consonantiam ad ea, quae dicuntur in littera. Quia in Angelo est considerare substantiam, formam et potentiam. Substantia autem considerari potest dupliciter, sicut dictum est; et sic competit ei simplicitas et personalitas. Formae attribuitur imaginis pulchritudo, sive venustas. Potentiae attribuitur libertas.“ *2. dist. 3. p. 1. dub. 1.* Cfr. quoque *Centiloq. p. 3. sect. 13.*

[4] „Dubitaverunt aliquando magni doctores, utrum scilicet Angeli habeant corpora naturaliter sibi unita; unde super hoc dubio loquitur tam Augustinus quam Bernardus. Sed nunc satis certitudinaliter tenetur, et Magister et Richardus affirmant, quod angeli sunt naturaliter incorporei, nec habent corpora naturaliter sibi unita. De hoc tamen plures dubitant, utrum daemones habeant corpora sibi inseparabiliter alligata, in quibus torqueantur. Sed satis planum est quod, sicut boni angeli non habent corpora nisi voluntarie sumpta, sic nec mali. Et hujus signum est, sicut dicit Richardus, quod corpus modicae quantitatis a maxima multitudine daemonum aliquando obsidetur, sicut legitur in Marco *(5, 9)* de illo, qui dicit: *Legio mihi nomen est;* legio enim, ut idem Richardus dicit, continet sex millia sexcentos sexaginta sex; unde si daemones corpora haberent, cum suis corporibus nullo modo possent subintrare corpus ita modicum. Propter quod satis probabiliter dici potest, quod non solum non habent corpora sibi naturaliter unita, verum etiam nec boni, nec mali habent inseparabiliter alligata, quantum est de lege communi. Nec obstat eorum cruciatus, quia sicut in quarto Libro ostendetur *(Dist. 44),* spiritus absque corpore secundum ordinem divinae justitiae potest ab igne materiali puniri.“ *2. dist. 8. p. 1. a. 1. q. 1.*

[5] „In Angelis est gradus simplicitatis, et hoc manifestat gradus virtutis, quia unus Angelus est potentior altero; et quanto in spiritualibus aliquid est simplicius, tanto virtuosius. Hoc etiam manifestat approximatio ad Deum. Si enim per naturam unus est Deo proximior altero et similior; ergo magis accedit ad divinam simplicitatem. Manifestat ulterius hoc ipsa cognitio, quia unus alterum purgat pellendo ignorantiam; ergo unus altero prior et simplicior: et ideo bene dicit Magister, quod est gradus in simplicitate essentiae ... Major simplicitas est in Angelo non propter paucitatem compositionis, sed propter accessum majorem ad summe simplex; hoc autem est propter majorem nobilitatem formae, sicut ignis potest dici in corporalibus simplicior aëre.“ *2. dist. 3. p. 1. dub. 2.* Vide quoque *2. dist. 1. p. 2. a. 3. qq. 1. 2;* et *dist. 3. p. 1. a. 1. per integrum.*

[6] „Angelorum quidam solo numero inter se discrepant, nullamque specificam habent differentiam: nonnulli vero et numero et specifica inter se discrepant differentia.“ — „Hic fuit duplex positio. Quidam enim dixerunt, quod in Angelis est discretio personalis, sed nunquam pure, imo sunt ibi tot species, quot individua: similiter dicunt in luminaribus mundi. Sed licet hoc aliquam probabilitatem habeat in corporalibus; non tamen videtur rationabile in spiritibus, ut nullus communicet cum alio in natura spirituali et specifica. Sicut enim innotescit per scripturam,

multi angeli ad idem officium ordinantur, et communem videntur habere operationem eamdem. Nobis etiam nec per Scripturam, nec per dicta Sanctorum, nec per officia innotescit tanta diversitas; ideo non videtur nisi praesumptio hoc dicere, maxime cum non appareat in promptu aliqua ratio cogens. Alia est positio sobria et catholica, quod in Angelis est ponere distinctionem, quantum ad personalitatem tantummodo, aut in omnibus, aut in aliquibus; et concedendae sunt rationes ad hoc inductae, tum ex parte ministerii, tum ex parte assimilationis ad Deum, tum ex parte assimilationis mutuae." *2. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 1.*

[7] „Individuatio consurgit ex actuali conjunctione materiae cum forma, ex qua conjunctione unum sibi appropriat alterum, sicut patet cum impressio vel expressio sit multorum sigillorum in cera, quae prius erat una, nec sigilla plurificari possunt sine cera, nec cera numeratur, nisi quia fiunt in ea diversa sigilla. Si tamen quaeras, a quo veniat principaliter, dicendum quod individuum est hoc aliquid. Quod sit hoc, principalius habet a materia, ratione cujus forma habet positionem in loco et tempore. Quod sit aliquid, habet a forma. Individuum enim habet esse, habet etiam existere. Existere dat materia formae, sed essendi actum dat forma materiae. Individuatio igitur in creaturis consurgit ex duplici principio. Personalis autem discretio dicit singularitatem et dignitatem. In quantum dicit singularitatem, hoc dicit ex ipsa conjunctione principiorum, ex quibus resultat ipsum quod est. Secundum dignitatem dicit principaliter rationem formae. Et sic patet, unde sit personalis discretio originaliter, in creaturis loquendo, sive in hominibus, sive in Angelis." *2. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 3.*

[8] „Discretio personalis, etsi videatur dicere accidens, quia dicit per modum accidentis, tamen principaliter dicit quid substantiale; et si aliquo modo importat accidens, hoc est consequenter, illud tamen immediate habet ortum a principiis substantialibus. Et hoc patet sic. Discretio personalis addit super discretionem individualem, discretio autem individualis duo dicit, indivisionem et consequenter distinctionem. Indivisio autem est ex principiorum indivisione et appropriatione, ipsa enim rei principia, dum conjunguntur, invicem se appropriant, et faciunt individuum. Sed ad hoc consequitur esse discretum, sive esse distinctum ab alio, et surgit ex hoc numerus; et ita accidentalis proprietas dicit consequens ad substantiam: et sic individualis discretio dicit aliquid accidentale et aliquid substantiale, personalis autem addit super hanc dignitatem personalitatis. Dignitas autem illa duo dicit, scilicet nobilitatem rationalis naturae, quae est quod natura rationalis tenet principatum inter naturas creatas; unde non est ordinabilis ad perfectiorem formam. Et haec nobilitas, etsi per modum qualitatis habeat intelligi, tamen essentialis est naturae rationali. Dicit etiam illa nobilitas actualem eminentiam, ita quod in supposito nulla sit alia natura ita principalis, ut natura rationalis, ut sit quasi per se sonans. Et ideo, quia hoc deficit ei in Christo, natura rationalis creata non facit personalitatem: et hoc est accidentale. Dicendum igitur quod, quemadmodum individualis discretio est existentia formae naturalis in materia, sic personalis discretio est existentia naturae nobilis et supereminentis in supposito. Et ideo, quamvis utrobique importetur quid substantiale et similiter accidentale consequens, hoc dico in creatura; tamen non importatur accidentale, quod causetur, vel ortum habeat ab accidente, sed potius consequitur formam in materia, vel naturam in supposito." *2. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 2.*

[9] „Angelus quidem per innatas species intelligit alia atque necessaria et per earumdem applicationem, atque appropriationem singularia et contingentia." — „Angelus naturali cognitione divinam essentiam in claritate essentiae non poterat videre, cum ejus splendor cujuscumque virtutis creatae vires transcendat." *2. dist. 3. p. 2. a. 2. qq. 1. 2.* — „Angelo non fuit data praescientia sui status, cum talis notitia potius ad praemium, quam ad meritum spectare videatur." *2. dist. 4. a. 2. q. 1.*

APPENDIX.

Circa Angelos quamplures quaestiones in medium proferri possent. Nobis de praecipuis nonnulla delibanda sufficiat.

Prima quaestio est de tempore, quo Angeli creati sunt. Eos aliquando creatos fuisse, et aliquod initium durationis suae habuisse, certa fide tenendum est, et evincitur in primo capite hujus secundae partis *Breviloquii,* et ostenditur a D. Paulo *ad Coloss. 1, 16,* ubi de Filio Dei scribit: *In ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes.* Quia autem Moyses, cujus scopus fuit mundi creationem rudi populo enarrare, vel etiam, ut censet noster Seraphicus, *cap. praeced.,* descriptionem exponere mundi conditi in ordine ad reparationem, de Angelorum productione specialem sermonem non instituit; propterea Ss. Patribus ac Theologis fas fuit de ea re diversimode opinari. Attamen sententia, qua asseritur Angelos ante mundi creationem aut multo aut nonnullo tempore extitisse, licet multi ex Ss. Patribus, tum Graecis tum Latinis, ipsi subscribant, post Conc. Lateran. IV, in quo definitum fuit: *Deum sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse naturam etc.,* vix salva fide propugnari potest; ac proinde Scholasticorum sententia jam invaluit, qua Angelos simul cum mundo corporeo creatos fuisse tenetur. Vide Seraphicum *in 2. sent. 2. distin. p. 1. a. 2. q. 3.* Quanam autem die Angeli creati fuerint, communis sententia tenet eos creatos fuisse prima die, cum creatum fuit caelum, vel cum creata fuit lux; hoc-

que S. Augustinus desumit ex verbis, quae in *Job 38, 7* leguntur juxta versionem Septuaginta: „Quando facta sunt sidera, laudaverunt me voce magna Angeli mei.“ *(De Civit. Dei l. 9. c. 2.)*

Secunda quaestio est de statu, in quo Deus condidit Angelos. Seraphicus, vestigia premens Magistri Sententiarum, Hugonis Victorini, Alexandri Alensis et fere omnium Theologorum, qui eum praecesserant, docet in *2. sent. d. 4. a. 1. q. 2,* Angelos creatos fuisse in statu purae naturae, ac post aliquod tempus ad gratiam fuisse elevatos. Modo tamen contraria sententia invaluit, quae est S. Thomae *1. p. q. 62. a. 3,* et innititur auctoritati S. Augustini, qui expresse de Angelis scribit *in lib. 12. de Civit. Dei c. 9:* „Deus erat simul in eis et condens naturam et largiens gratiam“. Falsitate autem laborat Jansenistarum assertum, qui ad possibilitatem purae naturae negandam sententiam thomisticam ad fidem spectare autumant. — Hanc quaestionem alia excipit de gratia, qua Angeli donati fuerunt, utrum scilicet aequalis fuerit in omnibus, nec ne. Negativa sententia est S. Thomae *1. p. q. 62. a. 6,* et est communis Scholasticorum. Inter recentiores autem Theologos non pauci oppositum tenent. Verum nil nobis certum est.

Quaeritur etiam de modo, quo per species infusas Angeli cognitionem rerum acquirant. S. Thomas *1. qq. 54—58* docet eos omnia in speciebus a Deo acceptis cognoscere: Seraphicus vero, distinctionem inducens, tenet universalia et necessaria ab Angelis per species a Deo acceptas intelligi; singularia tamen et contingentia per earundem applicationem et appropriationem. *(Vide Seraph. 2. sent. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 1).*

CAPUT VII.

De apostasia daemonum.

(Angeli omnes boni sunt creati, — inter bonum summum et creatum, — liberi. — Lucifer cecidit cum consentientibus sibi, — et perdidit locum summum; — obstinatus est in malo, — excaecatus a vero, — deordinatus in operatione, — infirmatus in virtute, — conversus ad decipiendos et tentandos homines).

De apostasia vero daemonum hoc est tenendum, scilicet quod Deus angelos omnes fecit bonos, tamen medios inter se [a] summum bonum, et commutabile bonum, quod est creatum [1]; ita quod si converterentur ad amandum, quod est supra, ascenderent ad statum gratiae [2] et gloriae; si vero ad bonum commutabile, quod est infra, hoc ipso ruerent in malum culpae et poenae, quia non est dedecus peccati sine decore justitiae. Primus autem [b] Lucifer inter angelos [3], praesumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis superferri; et ideo cecidit cum ceteris consentientibus sibi. Cadens autem factus est impoenitens, obstinatus et excaecatus, et exclusus a Dei contemplatione, et deordinatus in operatione, toto nitens conamine ad subvertendum hominem per tentationem multiplicem.

a) Se restituit ex edit. 1484.

b) Autem om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium sit summe bonum, nihil facit, nisi quod sit bonum [c], quia a bono non procedit nisi bonum [4]; quod tamen fit ab ipso, hoc ipso minus est eo, et ideo non potest esse summum bonum. Fuit igitur angelus a Deo conditus bonus quidem (I), sed non summus [5]; perficiendus tamen, si affectu tenderet in summum [6]. Et quoniam per liberum arbitrium voluntatis poterat tendere in bonum summum, vel converti ad bonum privatum, Lucifer suae pulchritudinis et altitudinis consideratione excitatus [d] ad se diligendum et suum privatum bonum, praesumpsit de altitudine habita [7], et ambivit excellentiam propriam, non tamen [e] obtentam; ac per hoc praesumendo constituit se sibi principium summum [f], in se ipso gloriando; et ambiendo constituit se sibi summum bonum [8], in

c) Nihil facit, quod non sit bonum, ABD EFG, et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

d) Excaecatus ed. 1484.

e) Tamen om. ibid.

f) Summum om. ibid.

(I) Manichaei, quibus deinde adhaesit Priscillianus, asserebant diabolum natura sua esse malum, imo omnium malorum principium. — Sed contra Conc. Later. IV definivit, cap. *Firmiter:* „Diabolus et daemones, alii a Deo quidem natura, creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali.“

seipso quiescendo. Cum autem ipse non esset summum principium[g], nec summum bonum; necesse fuit, ut, inordinato ascensu appetito[h], descensu rueret pari ratione, et omnes in hoc consentientes[9]. Et quia non est dedecus peccati sine decore[i] justitiae; ideo statim cum cecidit in peccatum[10], cum ceteris adhaerentibus sibi[11], perdidit locum summum, scilicet caelum[j] empyreum[12], descendens ad imum, scilicet caliginosum aërem[13], vel infernum[14]; ita quod lapsus in culpam fuit per liberum arbitrium, lapsus vero in poenam per divinum judicium. Et quia immutabilitatem habuit[k] post electionem[15] (II), ideo statim obstinatus est in malo[16], et per hoc excaecatus a vero[17]; deordinatus est[18] [l] in operatione, et infirmatus in virtute; ideo voluntas ejus impia, et actio[m] aversa a Deo, conversa est ad hominis odium et invidiam; et perspicacitas rationis, a vero lumine excaecata, conversa est ad deceptiones per divinationes et cautelas[19]; et officiositas in ministrando, a vero ministerio amota, conversa est ad tentamenta[20]; et virtuositas, immutata et coarctata, quantum permittitur, convertitur ad miracula facienda per transmutationes repentinas[21], quas facit circa corporeas creaturas[22]. Et quia haec omnia fuerunt deordinata per voluntatem depravatam per superbiam; ideo haec omnia convertit ad fomentum suae superbiae, quaerens ab hominibus[n] coli et honorari et[o] adorari ad modum Dei[23] (III). Hinc est, quod omnia male agit, quod tamen justo judicio Deus permittit ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum[24], sicut apparebit per finale judicium.

g) Nec summum esset principium A BCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.
h. Appetito om. ed. 1484.
i) Dedecore ibid.
j) Caelum om. ABCDE FGH et editt. Arg. Aug. Ven. et 1484.
k) Immutabilem habebat intellectum ed. 1484.
l) Et deordinatus ibid.
m) Actio om. ibid.
n) Omnibus ibid.
o) Vel ibid

(II) Origenes docuit daemones ac damnatos aliquando fore convertendos. — Sed Conc. Cptanum II an. 553, *anath. 5:* „Si quis dicit, aut sentit, ad tempus esse daemonum et impiorum hominum supplicium, anathema sit.“

(III) Nostris hisce temporibus Lucifer *miracula circa corporeas creaturas* per magnetismum praesertim, seu Mesmerismum, et per Tabulas rotantes, seu per spiritismum, facere conatur, per quae plures homines etiam baptizatos miserrime decipit, et *ad fomentum suae superbiae* quaerit ab eis *coli et honorari et adorari ad modum Filii Dei.*

Quid autem sit magnetismus et quis primus ipsum invexerit, quinam sint ejus effectus et quid de eo theologi ac medici sentiant, audiatur cl. Scavini *Theolog. mor. vol. II. n. 153.* „Sub fine saeculi decimi octavi (anno 1799) quidam Fridericus Antonius Mesmer medicus Germanicus, novos quaerens curandi modos, librum edidit, in quo contra communes physicorum doctrinas eatenus in scholis acceptas, tradebat se mirum invenisse remedium variorum morborum *in fluido quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili,* quem ideo *magnetismum animalem* nuncupavit. Qui quidem fluidus transit e corpore magnetizantis in corpus magnetizati.

Magnetismi duo praecipue exhibentur effectus: 1. Status somnambulismi, in quo quis usu sensuum destitutus, videt tamen, audit, loquitur et respondet ad omnia, de quibus interrogatur: 2. Mira sui status cognitio et remediorum suo morbo convenientium; nec non, ut ajunt, visio actionum aliorum hominum, etsi longe distantium et similia. Haec doctrina in Gallia praesertim propagari coepit, et a suo auctore nomen tulit *Schola Mesmeriana,* seu *Magnetismus animalis,* dictus etiam simpliciter *Mesmerismus.* Sed a gravissimis deinde medicis et physicae professoribus refutata, imo et a diversis Academiis expresse damnata tamquam falsa, prorsus insulsa, et magis ridiculi ludionis seu histrionis, quam viri medici propria, penitus fere exolevit. Quid tamen? Adhuc Magnetismus revixit, primo in America, dein in Gallia, postea vero in Italia et alibi; imo talibus ac tantis methodis a quibusdam medicis exornatus fuit, ut merito inter moralistas exortum sit dubium, an religionis puritati et sanctitati adversetur, et habendus sit uti species quaedam divinationis aut vanae observantiae, nec ne? Haec quaestio gravis est ac difficillima: theologi ac medici in tres praecipue sententias abierunt, quas breviter referemus cum Gury.

Prima sententia in omni casu rejicit magnetismum veluti opus diabolicum; miri enim illius effectus neque a Deo, neque a natura esse possunt. 1. Non a Deo; quis dixerit Deum ad hominis etiam impii nutum obtemperare, ita ut, eo requirente, ad res adeo prodigiosas immediate concurrat? Non a natura; etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice: nulla

autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas, physica enim semper agit uno modo, debitis conditionibus positis, et independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet; ergo deficiente proportione inter effectum et causam, jam ea causa naturalis censeri nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. Adde: meri effectus magnetismi videntur omnino naturae nostrae vires superare; non enim intelligitur, quomodo magnetizatus licet rudis possit tam multas scientias extemplo sibi comparare, linguas ignotas scire, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, proprias et aliorum infirmitates ac congrua remedia etc., quorum quidem in statu naturali semel constitutus non amplius recordatur.

Secunda sententia tenet omnes magnetismi effectus a naturae viribus procedere posse. Ratio, quia inesse possunt humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quae in aliorum corpora, et mediantibus organis, in ipsam animam agant; non enim omnes naturae vires cognoscimus. Nonne effectus similes, qui negari non possunt, in naturali somnambulismo producuntur? Somnambuli vident, audiunt, et stupenda faciunt, quae ab ipsis fieri nequeunt in statu vigiliae. Nec obstat, quod requiratur voluntas magnetizati, non enim ipsa requiritur quatenus facultas mere interna animae et a corpore independens, sed qua medium ad phantasiam excitandam et corporis subtiles spiritus movendos. Hoc patet exemplo motuum concupiscentiae, qui sola cogitatione objecti minus casti in organis illico excitantur.

Tertia sententia concedit quidem magnetismum miros quosdam ac naturales effectus naturaliter operari posse, mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis. At multa ex illis, quae praedicantur, vel inania, vel mendaciosa, vel diabolica prorsus sunt: inania, ut cum magnetismus habetur tamquam mirum inventum ad omnes morbos curandos, quotidiana enim experientia contraria est: mendaciosa, ut cum ea, quae latent omnino, magnetizatus divinare praetendit, fraudes enim hac in re intervenire satis hodie notum est, adeo ut magnetismus ad lucrum vel solatium, potius quam ad salutem, adhibeatur: denique diabolica, ut cum magnetizatus addiscit, si vere addiscit, per scientiam infusam, scripturam, litteras, linguas, quas penitus ignorat, et cetera similia; haec enim videntur omnino vires naturae excedere, nec talia ab ipso somnambulismo efficiuntur.

Quidquid sit, etsi, praeclusis abusibus, haud sit illicitus magnetismus, ut pluries declaravit S. Sedes, in praxi negari non potest, quod plerumque sit damnandus, cum fere semper interveniat illusio, deceptio et, quod pejus est, pessimum scandalum contra morum honestatem."

Hucusque de Magnetismo, nunc de Tabulis rotantibus dicendum occurrit. „Tabulae rotantes, ita Theologus praecitatus prosequitur, *loc. cit. n. 154,* hodie non exhibent tantummodo phaenomena rotationis motus, quae nempe in gyrum versantur, dum a circumstantium simul connexis manibus tanguntur; sed illud etiam prae se ferunt, quod uno vel altero pede terram percutiendo, et diversis ictibus diversas alphabeti litteras indicando, interrogantibus responsa exhibeant de rebus prorsus ignotis, abditis, vel extra praesentem vitam peractis, quae quidem etiam (prout narrant) in subjecto papyro, aptato ad pedem calamo, scribunt aliquando.

Porro quidquid sit de illo simplici motu tabularum, qui forsitan ad certum gradum per contactum mere physicum esse poterit (si tamen imperio voluntatis non fiat, cum voluntas spiritualis ex se nullimode possit influere in physicas naturae leges, utpote constantes, firmas ac necessarias); indubium est quod ceteri effectus diabolicum opus, infernalemque divinationem prae se ferunt, cum illi nonnisi causae intelligenti tribuendi sint. Numquid enim (ad rem Gury) ipsi tabulae ligneae aut marmoreae quaestiones proponunt, et ab eadem responsa exspectant? Nullus adeo insanus, ut credat: communis persuasio est rem agi cum spiritibus, a quibus tabulae moventur, et terra percutitur; imo hosce spiritus mortuorumque animas ex professo etiam evocant; ex quo *spiritismi* nomen, vel *spirituum percutientium.* Qui spiritus certo nequeunt esse boni; impium sane et blasphemum foret asserere bonos spiritus intervenire (et Deum permittere ut interveniant) puerilibus hominum ludis, eorum vanae voluntati obtemperare, et stultissimae curiositati satisfacere. Spiritus ergo illi sunt spiritus mali a Deo in aeternum maledicti, qui jugiter hominibus insidiantur, eos subvertentes. At quid, quaeso, magis horrendum et superstitiosum esse potest, quam cum illis societatem inire, et eos invocare, interrogare, alloqui?"

Contra hujusmodi flagitia, religioni et civili societati infensissima, Sancta Sedes non semel sua oracula protulit. Duo hîc referamus. Primum sit responsum ad sequens Postulatum Episcopi Lausanensis. „Cum hactenus responsa circa magnetismum animalem minime sufficere videantur, sitque magnopere optandum, ut tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro incidentes . . . humiliter sequentia exponit. Persona magnetizata, quae plerumque sexus est feminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut nec maximus fragor ad ejus aures, nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. Ab solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud exstasis genus adducitur, sive variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato, eodemque interno, vel cum pluribus leucis distat. Tunc viva voce seu mentaliter de suo absen-

tiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indocta illico medicos scientiâ longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat; eorumque progressus, variationes et complicationes evolvit, idque propriis terminis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte praenuntiat, remediaque simplicissima et efficacissima praecipit. Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utrumque per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex ejus caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim haec declarat, quid sit (quin aspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona, ad quam pertinent, quid rerum agat, circaque ejus morbum omnia supradicta documenta ministrare, haud aliter atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret. Postremo magnetizata non oculis cernit, ipsis velatis, quidquid erit, legit legendi nescia, seu librum, seu manuscriptum, vel apertum vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Hoc autem statu educta vel ad jussum etiam internum magnetizantis, vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se praenuntiato, nihil omnino de rebus in paroxysmo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit; quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec omnia nullam in ejus intellectu ideam, nec minimum in memoria vestigium reliquerunt.

Itaque Orator, tam validas cernens rationes dubitandi, an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissimeque Vestram Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sapientia ad majorem Omnipotentis gloriam, necnon ad majus animarum bonum, quae a Domino redemptae tanti constiterunt, decernere velit, an, posita praefatorum veritate, confessarius parochusve tuto possit poenitentibus aut parochianis suis permittere: 1. Ut magnetismum animalem, illis characteribus aliisque similibus praeditum exerceant, tamquam artem medicinae auxiliatricem atque suppletoriam; 2. Ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant; 3. Ut vel de se, vel de aliis, personas consulant illo modo magnetizatas; 4. Ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicae interventioni, quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo hujusmodi vel iidem aliquot effectus obtenti jam fuerant.

S. Poenitentiaria 1 Julii 1841, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet: *Usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere* (Ita etiam responsum fuit 21 aprilis eod. anno)."

Alterum oraculum sit Epistola Encyclica S. R. U. Inquisitionis ad totius orbis Episcopos data sub die 4 Augusti 1856, quae talis est. „In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam, EE. RR. DD. Cardinales in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generales inquisitores, mature perpensis iis, quae circa magnetismi experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi praesentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus compescendos. Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope mulierecularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. Nonnullae jam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur: unde in similibus casibus decretum est feria IV, 21 Aprilis 1841: *usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia, praeter particulares casus, de usu magnetismi generatim agendum erat; hinc per modum regulae sic statutum fuit feria IV, 28 Julii 1847: *remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus mere supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.* Quamquam generali hoc Decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi; tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes, magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi* et *claree intuitionis,* uti vocant, praestigiis mulierculae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus

non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas et religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia et zelus Episcoporum omnium. Quapropter, quantum divina adjutrice gratia poterunt, locorum Ordinarii, qua paternae caritatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum temporumque adjunctis, in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et evellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur."

Ad Caput VII.

[1] „Angeli boni non fuerunt creati in statu beatitudinis, si beatitudo statum perfectum, cum omnium bonorum plenitudine, visione Dei clara, tentioneque perfecta claudat. Quod si beatitudo tantum dicat privationem cujuscumque mali, tam culpae quam poenae, beati creati fuerunt." *2. dist. 4. a. 1. q. 1.*

[2] Vide inferius *cap. VIII. hujus partis.*

[3] „Lucifer appetiit omnibus praeesse, et credidit se posse obtinere, ut nulli subesset; sed hoc non est probabile, nisi vidisset se omnes praecellere; ergo fuit de supremo ordine." *2. dist. 6. a. 1. q. 1. fund. 3.*

[4] „Nam opus Dei, eo ipso quod opus Dei est, necesse est ipsum esse laudabile, esse ordinabile, esse acceptabile, esse perfectum, vel perfectibile, nihil enim facit Deus, quod non deceat suam majestatem. Si enim *magnus Deus, et laudabilis nimis (Ps. 95, 4)*, et in tantum laudabilis, quod non tantum in se, sed etiam in nullo opere potest vituperari juste, imo in omnibus digne laudari; impossibile est, quod faciat opus vituperabile, quantum est de ipso actore. Sed malum, eo ipso quod malum culpae, dignum est vituperio; ergo impossibile est, quod aliqua creatura ab ipso habeat istam conditionem. Rursus, non tantum malum dignum est vituperio, immo etiam quodammodo in Dei vituperium. Si ergo Deus faceret creaturam malam, ipse faceret sibi vituperium et contumeliam. Necesse est etiam esse ordinabile, quia nihil facit, nisi quod deceat suam sapientiam. Sed nihil, quod Deus facit, est ordinabile in poenam, quia tunc destrueret opera sua, et ita se praevaricatorem constitueret. Deus enim illius est ultor, cujus non actor; ergo si Deus facit creaturam malam malitia culpae, ergo erit ordinabilis et non in poena; ergo malum culpae maneret inultum, sive impunitum, salvo ordine universi. Sed hoc est impossibile per se, quia tunc malum esset bonum per se, si aliter esset ordinatum; ergo si Deus faceret creaturam malam, creatura non esset mala. Necesse est etiam, quod sit acceptabile, non enim facit Deus nisi quod vult; sed omne, quod vult Deus, justa et bona voluntate vult; ergo cum omne, quod justa et bona voluntas approbat, sit omnibus acceptabile; ergo acceptare malum esset bonum, pari ratione et facere; ergo malum esset bonum. Necesse est etiam, quod omne, quod Deus facit, sit perfectum, vel perfectibile, cum Dei perfecta sint opera; ergo omne, quod est in opere Dei a Deo, vel est de perfectione, vel inclinat ad perfectionem. Si ergo malitia est a Deo in creatura rationali; ergo vel est de perfectione Angeli, vel disponit ad perfectionem: sed nihil tale deordinat; ergo malum non deordinaret; et si non deordinaret, non noceret; ergo malum esset aliquid, et non noceret. Cum ergo hîc sint quatuor incompossibilia manifesta, manifestum est, quod falsum est et impossibile Deum fecisse Angelum originaliter malum, et venit ista impossibilitas ex summa perfectione et nobilitate operantis, et vilitate mali culpae, privat enim illas quatuor conditiones nobiles, quas necesse est esse in omni divino opere, non quod Deus teneatur operi illas dare, sed quia non decet ejus voluntatem aliter operari vel facere." *2. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 1.*

[5] „Angelus certam praescientiam sui casus habere non potuit. Cum enim hoc esset contingens, scire certitudinaliter omnia non potuit, nisi ab eo qui certitudinaliter omnia cognoscit, et tam necessaria quam contingentia, quia ejus cognitio ex re non pendet. Talis est Deus solus. Non ergo potuit praescire, nisi Domino revelante. Deus autem sibi revelare non potuit, quia praedicere quidem potuit, sicut praedixit Petro, quod non voco revelare; sed certam interius illuminationem dare ad praecognoscendum suum lapsum, hoc voco revelationem. Hanc autem dare Deus non potuit de potentia ordinata, quia talis praecognitio de necessitate habet annexam culpam aut miseriam. Aut enim sibi placeret, quod haberetur, et ita esset impius: aut displiceret, et ita esset miser et dolorosus. Utrumque est Deo impossibile et inordinatum, sive innocenti infligere poenam, sive innocentem, dum est innocens, habere culpam." *2. dist. 4. a. 2. q. 2.*

[6] „Est loqui de peccato quantum ad triplicem statum, scilicet quantum ad inchoationem, consummationem et confirmationem. Peccatum diaboli initiatum est in praesumptione, statim enim ut suam vidit pulchritudinem, praesumpsit. Consummatum est in ambitione, quia praesumens de se, appetiit quod omnino supra se fuit, et ad quod pervenire non potuit. Sed confirmatum est invidiae et odii aversione, quia ex quo obtinere non potuit, quod appetiit, ideo invidere coepit, et affectu odii contraire. Et in hoc firmatum est, quia haec omnino ipsum a Deo separavit, et perfectum obstaculum posuit, sicut perfecta caritas perfecte Deo jungit." *2. dist. 5. a. 1. q. 1.*

[7] „Angelus malus quodammodo aequiparantiae, quodammodo imitationis appetiit similitudinem, cum sua auctoritate, aliis praeesse, et quod sine meritis, nullique subesse appetierit." — „Dicendum quod duplex est similitudo Dei, scilicet aequiparantiae, sive aequalitatis, et imitationis. Similitudo imitationis potest appeti ordinate et inordinate. Ordinate, ut appetatur similitudo in his, quae nostrae sunt aptitudinis et divinae acceptionis; cujusmodi

sunt perfectiones et decores virtutum. Inordinate vero, ut homo appetat id, quod non decet, vel quod Deo non placet, ut si appetat hominibus praeesse, vel se de adversariis vindicare. Similitudo omnimoda aequalitatis nullo modo potest appeti ordinate; sed aliquo modo est appetibilis, aliquo modo non. Nam omnimoda similitudo non est appetibilis, quia non potest cadere in cognitionem, sive in intellectum, et ideo nec in appetitu; et si quis fingat, non appetit aequalitatem, sed suam fictionem. Alio modo est similitudo aequalitatis in aliqua conditione, ut in dominii praesidentia et scientia; et sic credo quod potest appeti. Notandum est igitur, quod diabolus quodam modo appetiit similitudinem imitationis, quodammodo aequalitatis: et hoc apparet, si attendatur appetibile, et modus appetendi. Diabolus enim appetiit aliis praeesse, sua tamen auctoritate; quod appetiit praeesse, hoc fuit imitationis, et hoc quidem aliquando obtinuisset, si stetisset: quod autem propria auctoritate, ita quod sine meritis et sine datore, ita quod nulli subesset, hoc est solius Dei, et hoc est aequiparantiae. Et ita patet quod appetiit; et patent multae auctoritates Sanctorum, quia Gregorius dicit, quod appetiit esse sui juris, ita quod nulli subesset. Bernardus *(de grat. hum. in 1. grad. superbiae)* dicit, quod appetiit aequalitatem potentiae. Anselmus *(de cas. diabol. c. 6)*, quod appetiit praeesse sine meritis; et omnes verum dicunt, et diversae auctoritates circumloquuntur hoc, quod est praeesse omnibus propria auctoritate." *2. dist. 5. a. 1. q. 2.*

[8] „Superbia daemonum conformis fuit capiti, totius malitiae principi, scilicet tenebrarum. Ipse autem diabolus, attendens suorum naturalium strenuitatem et excellentiam et praecellentiam, voluit praeesse, et requiescere sua auctoritate, hoc est sine meritis et sine ministerio. Daemones vero ei subjecti non sunt ausi tantum appetere; sed considerantes naturalium strenuitatem, voluerunt sub umbra illius requiescere, ita quod non ministrarent, sed quadam sub illo potirentur voluntaria libertate, quam videbant se non posse habere sub divino dominio. Cognoverunt autem Angeli se esse factos ad participandum quietis beatitudinem, et acquirendum per merita et ministeria. In hoc ergo superbierunt, quia sine meritis voluerunt beati esse, et sine ministerio quiescere, et sine limite propriam voluntatem implere: et hoc totum est superbire, quamvis non sit tantae superbiae, quantae fuit appetere omnibus praecellere et nulli subesse." *2. dist. 5. a. 2. q. 1.*

[9] „Antiqua positio fuit aliquorum, quod simul tempore fuit diabolus et peccavit, nec unquam fuit nisi malus, et videtur Augustinus *(super gen. lib. 2)* illam approbare; et ideo aliqui moderni eam tenuerunt. Sed quoniam, sicut expresse dicit Augustinus, praedicta positio accedit ad primam, quae est haeretica, et ita quasi haeresim sapit; ideo communis opinio Magistrorum Parisiensium est, quod duratione conditio Angeli praecessit lapsum; et de communi consilio Magistrorum positio opposita excommunicata est ab Episcopo Parisiensi. Ideo tanquam magis veram et catholicam, et magis probabilem et communem opinionem dico illam esse tenendam, quod morula fuit inter creationem et lapsum, licet parvula. Propter quam Sancti et expositores, et ipsa Scriptura loquitur de malitia diaboli, quasi semper fuisset in ea, quia illud modicum quasi pro nihilo reputatur." *2. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 2.* — „Et si tu objicias, quod, cum Deus praeviderit quod diabolus lapsurus erat, sive peccaturus, quare praefixit ei ita modicum tempus merendi, ut non haberet spatium redeundi; notandum ad hoc, quod in conditione rerum non attenditur ratio misericordiae et justitiae principaliter, sed sapientiae. Decrevit enim divina sapientia in universo facere duplicem creaturam rationalem, ad hoc quod esset universum completum, unam corpori unitam, ut animam rationalem, aliam absolutam et spiritualem, ut Angelum. Et quoniam substantia omnino spiritualis omnino est incorruptibilis et ingenerabilis, non potuit unus Angelus ex alio produci; ideo simul producti sunt: et sicut simul sunt producti, ita etiam simul glorificandi, sive dispositi ad simul glorificari. Et quia sunt spirituales et incorporales et incorruptibiles, nullo modo habentes retardativum; hinc est, quod in loco gloriae sunt conditi, scilicet in empyreo, et ita de proximo ad gloriam dispositi et ratione naturae et loci; et ideo tempus meriti est eis ita breve praefixum, sicut potuit, et ideo usque ad primam aversionem et conversionem deliberativam. Homini vero, quia conditus est in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, et ita in dispositione remotiori a gloria, datus est locus distans ad merendum a sui conditione, scilicet paradisus terrestris, et praefixus est ei terminus diuturnus propter officium procreandi prolem. Et propterea cum peccavit Angelus, statim exiit tempus meriti statuti, homo vero non; et ideo iste potuit rectificari, ille vero non. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(de mirab. s. Script.)*: Angelus de sublimissimo sui ordinis statu cecidit; ideo resurgere non potuit." *2. dist. 7. p. 1. a. 1. q. 1.*

[10] „Inter Luciferi peccatum et ceterorum fuit ordo, tum quoad gravitatem delicti, tum quoad occasionem, quia ceteris praebuit exemplum, tum quoad durationem, quia prius ipse, quam ceteri, peccavit." *2. dist. 5. a. 2. q. 2.*

[11] „Caelum empyreum locat Angelos, et est locus Angelorum. Ad intelligentiam autem objectorum dicendum, quod locus habet triplicem comparationem ad locatum. Comparatur enim primo in ratione continentis, secundo in ratione mensurantis, tertio in ratione conservantis. Continet enim ut vas, mensurat ut quantitas, conservat ut natura. Secundum hanc triplicem habitudinem sunt in loco substantiae finitae, corporales et corruptibiles. Quia finitae et limitatae, sunt in loco continente; quia corporales, in mensurante; quia corruptibiles, in loco conservante. Secundum duas comparationes primas, quae sunt continere et mensurare, sunt in loco substantiae finitae et corporales, sed incorruptibiles; secundum primam vero, quae est continere, sunt in loco substantiae finitae, spirituales et incorruptibiles, ut Angeli. Et hoc dico in loco corporali. Nam Angelus habet locum spiritualem et conservantem, scilicet Dei virtutem; locum mensurantem, sive circumscribentem propriae substantiae, virtutis limitationem, sive clausionem; locum vero continentem, non tantum spiritualem, sed etiam corporalem. Ratio autem, quare Angeli contineantur loco, sive aliquo ambiente, est ordinatio partium universi. Si enim non haberent aliquid continens, non esset eorum existentia ordinata ad invicem, quia ordinem non haberent in creatione, eo quod creata sunt simul, nec haberent ordinem unius ad alterum: hoc autem non decet universum, nec summum opificem. Ratio

autem, quare continentur loco corporali, duplex est. Una est limitatio ipsius spiritus creati. Cum enim spiritus increatus, qui Deus est, habeat in se simplicitatem, per quam est intra omnia, et immensitatem, per quam continet omnia, et est extra omnia, communicat illas conditiones creaturae eatenus, quatenus nata est recipere. Unde simplicitatem communicat spiritui, sed spiritus non potuit recipere virtutem continentiae, quia enim simplicitas ejus est finita, ideo est hîc et nunc; et quia non habet partem et partem, ideo secundum totum est hîc et nunc; et ideo non potest habere universalem capacitatem rerum. Corpus autem, quia compositum est, et habet partes innumerabiles, non potuit participare simplicitatem, sed propter partium extensionem potuit recipere capacitatem; ideo Deus fecit unum corpus nobilissimum, quod esset natum omnia ambire, et extra quod omnino nihil esset, et hoc est empyreum; et ideo necesse est Angelum esse intra ipsum. Alia ratio est, quia in solo corpore est distinctio secundum hîc et ibi. Quia enim ceterae creaturae ordinem habent in mundo, distinctionem et positionem habent secundum gradus perfectionum: et ita una est hîc et alia ibi, una sursum et alia deorsum. Et quia in solo corpore est potentialis distinctio secundum hîc et ibi; ideo inter creaturas soli corpori debet dari universalis potentia locandi et respectu visibilium et invisibilium, ut sic universum esset unum in omnibus suis partibus ordinatum. Et sic patet ratio duplex, quare data est corpori potentia locandi spiritum, et spiritum contineri a corpore. Hoc enim exigebat ordo universi, tum propter limitationem spiritus creati, tum quia in solo corpore distinctio est secundum hîc et ibi." *2. dist. 2. p. 2. a. 2. q. 1.*

[12] *Dist. 2. p. 2. a. 2. q. 1.*

[13] „Sicut patet ex Scripturis, locus daemonum post lapsum usque ad diem judicii non est locus subterraneus, quem vocamus infernum; sed aër caliginosus, in quo generaliter daemonum multitudo inhabitat. Utrum autem aliqui detrusi sint in infernum, hoc ego nescio, nec invenio a Sanctis determinatum. Hoc autem bene credo, quod aliqui descendunt ad torquendas animas, secundum quod inter se habent deputata maledictionis officia. Ratio autem, quare in hoc aëre sunt, est propter humanum exercitium. Sicut enim dicit August. *(lib. 2. de Civit. Dei c. 18)*, nunquam Deus, quos praesciebat futuros malos, eos fecisset, nisi pariter nosset, quibus bonorum usibus eos accommodaret. Unde divina dispositio hoc exigit, ut etiam de praevaricantibus angelis obsequium quodammodo electorum trahat et eliciat, scit enim bene uti malorum pravis voluntatibus; et ideo non eos detrusit in infernum, sed locum dedit aptum ipsis daemonibus, tum quantum ad statum peccati, tum quantum ad statum exercitii, sive belli. Aër enim caliginosus propter caliginem convenit tenebrositati culpae, sed propter mobilitatem et subtilitatem convenit angelicae velocitati; unde, sicut aliquibus viris sanctis ostensum est, frequenter circa nos volitant ut muscae." *2. dist. 6. a. 2. q. 1.*

[14] *2. dist. 6. a. 2. q. 2.*

[15] *2. dist. 7. p. 1. a. 2. per integr.*

[16] „Daemonum voluntas de potentia habente ordinem ad actum rectificari non potest, tametsi Deo non sit impossibile diabolo bonam restituere voluntatem, cum poenitentiam non possit habere, cum tempus jam praeterierit conversionis, et meriti." — „Daemon in voluntate mala semper continuitatem habet quoad deformitatem, quoad pronitatem et quoad actum peccandi, cum macula ab eo non possit separari; semperque idem appetat, quod primo appetiit, omnemque suum actum deformet atque depravet." *2. dist. 7. p. 1. a. 1. qq. 1. 2.* Vide etiam *ibid. q. 3.*

[17] „Deceptio et error venit ex deordinatione, sive deviatione judicii. Judicium autem duplex est in quolibet ratiocinante, unum, quod est cognoscendorum, quod est veri sub ratione veri, aliud agendorum, quod est boni sub ratione boni. Et primum est intellectus speculativi, nec spectat ad liberum arbitrium, secundum vero est intellectus practici, et est pars liberi arbitrii. Primum judicium, etsi maneat integrum quantum ad substantiam potentiae, nihilominus per culpam est in angelis aliquo modo obnubilatum, quia errant frequenter in judicando de multis, et in multis decipiuntur, maxime cum judicant de contingentibus. Aliud judicium est in eis omnino subversum, et quantum ad hoc excaecati sunt angeli mali, sicut quantum ad affectum obstinati; et propter istius judicii subversionem dicuntur facti tenebra *(Luc. 22, 53)*, et dati in reprobum sensum *(Rom. 1, 28)*." *2. dist. 7. p. 2. a. 1. q. 1.* — „In daemonibus, quoad memoriam, quae dicit habitum, nulla cadit oblivio; sed quoad actum memorandi dicuntur obliti, praesertim suae salutis et beneficiorum Dei." *Ibid. q. 2.* — „Sicut Deus voluntati creaturae rationalis dedit dominium, sive arbitrium, cui nulla potentia praesidet nisi divina; sic ejus cognitivae dedit conscientiae secretum, cujus secreta et profunda non penetrat nisi divina sapientia. Et ideo dico, quod nulla creatura, nec humana nec angelica, potest conscientiae humanae nosse secreta, nisi per signa vel conjecturas, vel nisi noverit Dei revelatione, aut hominis denuntiatione. Et quoniam pauca sunt ita secreta, quin prodeant in opera exteriora, vel appareant per signa exteriora faciei, vel per signa cordis, quod movetur diversimode secundum diversitatem affectionum; hinc est, quod multae cogitationes et affectiones nostrae deprehendi possunt a malignis spiritibus, nisi arceantur Dei virtute; haec autem cognitio potius est conjecturae, quam certae scientiae." *2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 6.*

[18] „De Angelis est loqui quantum ad statum triplicem, scilicet gloriae et naturae institutae et lapsae. Quantum ad statum gloriae, est in eis ponere ordinum distinctionem perfectam: quantum ad statum naturae, ordinum distinctionem, sed imperfectam: quantum ad statum culpae, ordinum distinctionem, sed imperfectam et perversam; imperfectam, propter privationem gratiae, quae habilitatem naturae perficit; perversam, propter praesentiam culpae, quae quamvis substantiam naturalium non corrumpat, tamen foedat et deordinat. Et illud est manifestum, si attendatur. Nam illi, qui meliora habuerunt naturalia, illi gravius peccaverunt et peccant, tum propter hoc quod ardentius appetierunt, tum quia magis ingrati fuerunt, tum etiam quia modo acrius vexant. Ratione nobilitatis naturae praecellunt in ordine naturae, et praecellunt in magnitudine culpae; et quantum ad hoc deteriores sunt, et ideo inferiores esse debuerunt. Concedo ergo, quod inter daemones est ordo secundum praecellentiam naturalium, sed tamen perversus adjunctione culparum." — „Prae-

latio est inter daemones, et alii imperant, alii obediunt ... Et hoc satis videtur probabile, tum quia filii tenebrarum quodammodo imitari conantur, licet falso et imperfecte, filios lucis. Unde sicut vident angelos ordinate officia sua exequi secundum imperia sapientiorum et majorum, similiter et ipsi faciunt maleficia. Tum etiam quia filii tenebrarum prudentissimi sunt in generatione sua *(Luc. 16, 8)*, et quia habent colluctationem adversus genus humanum et regnum eorum *(Ephes. 6, 12)*, et exercitus, si esset divisus et sine capite, non posset stare *(Luc. 11, 17)*; ideo, sicut homines praeliantes in exercitu, quantumcumque sint praesumptuosi, tamen propter odium inimicorum libenter subjacent duci imperanti, et habent multos proprios et unum principalem ducem; sic credendum est esse in daemonibus." *2. dist. 6. a. 3. qq. 1. 2.*

[19] „Daemones futurorum contingentium non possunt certam habere praecognitionem, cum hoc solius sit Dei; licet ob ingenii acrimoniam, longam experientiam, dolosam cautelam et alienam doctrinam aliquando possint vera praedicere." *2. dist. 7. p. 2. a. 1. q. 3.* — „Hujusmodi artes magicae, sive divinationes, non possunt esse absque peccato; nec potest a diabolo requiri consilium, vel etiam auxilium, sive ministerium, absque peccato, nisi fortassis in hoc casu, ubi Deus diabolum subjiceret homini justo suo judicio, et sicut de aliquibus viris sanctis audivi narrari; voluntario autem commercio non potest sine peccato. Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, utpote si, daemonio credendo, attribuat divinum aliquid. Aut est ibi peccatum idololatriae, utpote in oblationibus et sacrificiis. Aut inobedientiae saltem, quia facit contra prohibitionem divinam et Ecclesiae. Ratio autem hujus prohibitionis est, quia talis peccat in seipsum, dum se committit discrimini: peccat in Ecclesiam, quia habet commercium cum illo, qui est omnino praecisus, et Ecclesiae adversarius: peccat etiam in majestatem divinam, dum recurrit ad diabolum, quasi non sit omnipotens et omnino sufficiens et benignus Deus Christianorum. Et ideo prohibitum est, et sine peccato fieri non potest." *2. dist. 7. p. 2. a. 2. q. 3.* Cfr. quoque *Centiloq. p. 3. sect. 14.*

[20] „Daemones animabus humanis illabi nequeunt, hoc enim solius est Dei, cum in anima idem sit intimum atque supremum, solus autem Deus est superior mente humana." — „Daemon sensus nostros deludere potest, id esse praesens ostendendo, quod tamen non est, vel aliter ostendendo quam sit, sive abscondendo quod praesens est." — „Daemon potest animae humanae cogitationes immittere, non quidem ut principale agens talis effectus, sed ut excitans atque impellens." — „Daemon potest animas nostras incendere, cogitationes et affectiones excitando et subministrando." *2. dist. 8. p. 2. a. 1. qq. 2. 3. 4. 5.*

[21] „Opera, quae faciunt daemones, etsi miracula videantur, quia fiunt in tempore non perceptibili, non tamen sunt vera miracula, quia fiunt vi naturae. Attamen, si objicias, quod natura non potest ita cito operari, dicendum quod verum est de hac natura per se, sed taliter potest esse adjuta et confortata, vel consita rebus convenientibus, ut quasi repente prorumpat in effectum. Si autem quaeras, quomodo discernantur hujusmodi miracula, dicendum quod etsi conveniant in materia, differunt tamen ex parte principalis agentis et ex parte ministri, ex parte finis et ex parte facti. Ex parte principalis agentis, nam in miraculis divinis operatur agens potentiae infinitae et supra naturam; in miraculis daemonum operatur virtus naturae multipliciter adjuta per naturas alias. Ex parte ministri, nam Dei miracula fiunt per publicam justitiam secundum veritatem, vel secundum apparentiam; sed miracula daemonum fiunt per privatos contractus et quaedam arcana ... Ex parte finis differunt similiter, quia miracula Dei fiunt ad utilitatem et divinam gloriam; sed magorum ad deceptionem et gloriam vanam et excellentiam, unde sunt quasi inutilia. Differunt etiam ex parte facti, quia daemones faciunt hujusmodi vilia et inutilia; miracula vero divina sunt valde necessaria et utilia ... Unde sic Deus temperat potentiam et astutiam diabolicam, ut sic patiatur eum perverse imitari, ut in ipsa imitatione possint seducere malos juxta eorum merita mala, possint etiam deprehendi a bonis; et ut fides simul cum miraculis habeat locum. Si enim solus Deus et ejus servi miracula facerent, quis non credidisset in Deum miraculis compulsus? Nunc autem, cum mali faciunt, et boni faciunt, qui divinitus illustrantur, ut inter haec possint discernere, per vera miracula adjuvantur, et per daemonum miracula exercentur et probantur." *2. dist. 7. p. 2. a. 2. q. 2. ad 9.*

[22] „Sicut innuit textus Evangelicus, et Augustinus etiam in *lib. de divinatione daemonum*, daemones per naturam suae subtilitatis et spiritualitatis possunt quaecumque corpora penetrare, et in eis sine aliquo obstaculo et impedimento subsistere; ratione vero suae potestatis possunt ea corpora, in quibus sunt, commovere et conturbare. Sicut enim spiritus spiritui penetrabilis esse non potest; sic nec corpus potest resistere spiritui: ideo daemones, quantum est de potestate et subtilitate naturae, possunt corpora humana intrare, possunt etiam et vexare, nisi prohibeantur a superiori virtute; et cum permittuntur introire et vexare, tunc dicuntur corpora obsidere. Permittit autem hoc Dominus, sive ad gloriae suae ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correctionem, sive ad nostram eruditionem. Sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc quod occulta sunt Dei judicia, hoc tamen planum est, quod non sunt injusta: et ideo non permittit talia sine causa." *2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 1.*

[23] „Honor latriae potest exhiberi adversario Christi dupliciter, aut simpliciter, aut sub conditione. Si simpliciter, dico quod non potest esse sine peccato. Offertur enim cultus latriae alteri, quam Deo; et ideo est ibi peccatum idololatriae. Nec excusatur ratione ignorantiae, habet enim triplex adjutorium, per quod potest errorem evitare. Primum est remedium praemonitionis sacrae Scripturae, quae multoties dicit *(Matth. 24, 5; Marc. 13, 6)*, quod multi in nomine Christi venturi sunt mendaciter. Secundum est remedium orationis internae, qua ad Deum debet homo recurrere, ut cor ejus illuminetur. Tertium est suspensio credulitatis suae, non enim debet homo *omni spiritui credere*, sed probare, qui ex Deo sunt *(1. Jo. 4, 1)*; *qui* enim *cito credit* in talibus, *levis est corde (Eccli. 19, 4)*, et fortassis etiam inflatus corde, dum ad tales visiones et revelationes idoneum se esse existimat; unde tales visiones, vel apparitiones, potius sunt formidandae, quam desiderandae. Narratur enim de quodam sancto Patre,

quod cum ei diabolus in specie Christi appareret, ille clausis oculis dixit, se in hac vita nolle Christum videre; at diabolus humilitate ejus confusus, statim evanuit. E contra de pluribus narratur, qui se ad visiones idoneos reputaverunt et desideraverunt, quod ad multas insanias et errores praecipitati sunt. Et ideo si simpliciter adorat quis Christi adversarium, non excusatur a peccato, etiamsi credat ipsum esse Christum. Si autem adoret sub conditione, hoc potest esse dupliciter, aut quia est illa conditio habitudinaliter, aut actualiter considerata, sive apposita. Si actualiter, sic non adorat ipsum Luciferum, sed magis Christum; quia non stat adoratio, nisi stante conditione, et ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adorationis implicatio. Si autem illa conditio sit sub consideratione habitudinali, hoc modo non sufficit ad vitandum peccatum idololatriae respectu hujus apparitionis, sive transfigurationis, sufficit tamen respectu Sacramenti altaris. Nam talis transfiguratio est insolita, et ideo non debet ad eam praecipitanter sequi adoratio, sed cum maturitate et praevia oratione. Sed consecratio hostiae est consueta; ideo sufficit, quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet si consecratio debito modo facta est; unde pauci, vel nulli fideles in hac adoratione peccant, omnes enim accedunt cum conditione ista.“ *3. dist. 9. a. 1. q. 6.*

[24] „Dicendum et pro vero habendum est, quod dicit Isidorus et Augustinus, quod (daemones) aliqua praesciunt revelatione supernorum spirituum, cujus revelationis attendendus est finis et modus. Finis, quia mirabilis sapientia per inimicantes sibi implet voluntatem suam. Unde sicut revelatio somni de exaltatione Joseph facta insidiantibus, secundum mirabilem Dei dispositionem fecit ad ejus impletionem, licet secundum intentiones illorum esset ad impedimentum; sic Deus ita ostendit per Angelos suos daemonibus, ut dum illi obviant aliquid valde decens et competens, ordinatissime impleat et eliciat ... Attendendus est etiam modus, duplici enim modo fit revelatio. Aliquando mentis illustratione, sicut fiebat sanctis prophetis; et haec est gratiae. Aliquando vero sola praedictione, sicut homo revelat aliquando voluntatem suam: et hoc non est gratiae aliquo modo perficientis vel elevantis naturam; sed potest esse opus misericordiae, si illud ordinetur ab bonum ejus, cui praedicitur; vel justitiae, si ordinetur ad punitionem alicujus mali, utpote si ad fallendum fallaces; vel utriusque, si simul ad utrumque. Et ita est quasi semper, quia hujusmodi futura praedicuntur daemonibus, et permittuntur miracula fieri ab eis, ut boni talia parvipendant, in quibus se vident a damnatis et miseris superari; et mali et fallaces proficiant in poenis errantes et in errorem mittentes, occulto Dei judicio, tamen judicio justo. Unde valde stultum est desiderare facere miracula, vel praescire futura, et quasi magna haec reputare, cum inimicos Dei in his videamus abundare.“ *2. dist. 7. p. 2. dub. 2.*

CAPUT VIII.

De confirmatione bonorum Angelorum.

(Angeli boni per gratiam et gloriam in quadruplici facultate confirmati fuerunt, — et secundum triplicem hierarchiam perfecte ordinati.)

De confirmatione vero bonorum Angelorum tenendum est, quod sicut angeli a Deo aversi statim sunt obstinati per impoenitentiam, sic angeli [a)] ad Deum conversi statim fuerunt confirmati per gratiam et gloriam in voluntate: perfecte illuminati in ratione secundum cognitionem matutinam et vespertinam, perfecte fortificati in virtute, sive motiva sive operativa: perfecte ordinati in operatione, sive contemplativa sive ministrativa, et hoc secundum triplicem hierarchiam [1], scilicet supremam, mediam et infimam [2]. Ad supremam autem spectant *Throni, Cherubim* et *Seraphim;* ad mediam autem *Dominationes, Virtutes, Potestates;* ad infimam vero *Principatus, Archangeli, Angeli* [3]. Ex quibus plurimi sunt in ministerium missi [4], et [b)] ad custodiam hominum deputati [5], quibus ministrant purgando, illuminando, perficiendo [c)], secundum imperium voluntatis Dei.

a) Angeli om. ed. 1484.

b) Et om. ibid.

c) Et perficiendo ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum angeli propter expressam similitudinem et propinquitatem ad primum et summum principium habeant intellectum deiformem et immutabilem [d)] post consensum ex libertate arbitrii, divina superveniente gratia [6], ad summum bonum conversi, cum totaliter in Deum tenderent, per gloriam fuerunt confirmati pariter et perfecti [7]: ideo, quantum ad voluntatem, fuerunt stabiles et felices, quantum ad rationem, perspicaces; ita ut non tantum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in ipsa arte aeterna [e)], ac per hoc non tantum

d) Ita recte ed. Ven. et 1484; immutabilem Nor., immutabilitatem ed. Rom.

e) Aeterna om. ed. 1484.

haberent cognitionem vespertinam, sed etiam matutinam, vel etiam diurnam[8], propter illius lucis plenitudinem et omnimodam puritatem, respectu cujus omnis creatura merito potest dici tenebra[9]. Quantum autem ad virtuositatem, perfecte fortificati sive in imperando, sive in exequendo, sive in contemplando, vel assumpto corpore vel etiam non assumpto[10]. Quantum vero ad operationem, perfectissime ordinati, ut jam non possint deordinari, nec ascendendo ad contemplationem Dei, nec descendendo ad ministrandum homini; quia cum Deum facie ad faciem contemplentur, quocumque mittantur, intra Deum currunt. Aguntur enim et agunt secundum ordinem hierarchicum[11], in eis initiatum per naturam[12] et consummatum per gloriam[13] (I), quae stabiliendo liberi arbitrii vertibilitatem, illustravit perspicacitatem, ordinavit officiositatem et roboravit virtutem secundum quatuor attributa superius nominata. Perspicacitas autem rationis in contemplando, aut principaliter respicit ad majestatem divinam venerandam, aut ad veritatem intelligendam, aut ad bonitatem desiderandam; et secundum hoc sunt tres ordi-
f) Spectat om. ibid. nes[14] in prima hierarchia, scilicet Throni, ad quos spectat[f] reverentia; Cherubim, ad quos sapientia; et Seraphim, ad quos spectat benevolentia. Ad perfectam autem virtuositatem spectat virtus imperativa, virtus executiva et virtus expeditiva. Prima ad Dominationes, secunda ad Virtutes, tertia vero ad Potestates spectat, quarum est arcere potestates contrarias. Ad perfectam vero officiositatem spectat regere[15], revelare[16] et relevare[17]. Primum est Principatuum, secundum Archangelorum, tertium Angelorum, quia custodiunt, ne stantes cadant, et cadentes adjuvant, ut resurgant[18]. Et sic patet, quod haec omnia sunt in beatis angelis[19], secundum plus et minus, gradatim a superioribus descendendo usque ad ima[20]. Ordo autem denominari debet ab eo, quod excellentius accipit in munere[21].

(I) Ab omnibus fere explosa est illa Origenis opinio, qui omnes Angelos creatos aequales putavit, eam vero, quae modo est in eis, differentiam, ex variis eorumdem meritis ortam esse.

Ad Caput VIII.

[1] „Hierarchia dicitur a *hiera*, quod est sacrum, et *archia* principatus, quasi sacer principatus, vel ordo.“ *2. dist. 9. in Exp. textus.* — „Triplex autem invenitur definitio hierarchiae, secundum quod triplex est differentia hierarchiae, scilicet divina, angelica et ecclesiastica. Divina sic definitur a Dionysio *(de cael. hier. c. 3):* Hierarchia est divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut consummativa. Angelica sic definitur ab eodem: Hierarchia est ordo divinus, scientia et actio, deiforme, quantum possibile est, similans, et ad inditas ei divinitus illuminationes, proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens. Ecclesiastica magistraliter sic definitur: Hierarchia est rerum sacrarum et rationabilium ordinata potestas, debitum in subditis obtinens principatum. Haec autem definitio potest etiam convenire angelicae hierarchiae.“ *Centiloq. p. 3. sect. 16; De Eccles. Hierarchia,* passim; in *Hexaëm. serm. 21. per integr.,* et *Itiner. c. 4. n. 5.*

[2] „Ordo angelicus est multitudo caelestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiae similantur, sicut et in naturalium donorum participatione conveniunt. Hujus notificationis explanatio in promptu est. Notificatur enim hic ordo quantum ad suum fundamentum, quantum ad suum complementum, quantum ad dispositionem, quae inter haec medium tenet locum. Fundamentum tangitur, cum dicit: Ordo est multitudo caelestium spirituum, ordo enim fundatur in natura. Complementum vero tangitur in hoc quod dicit: Qui inter se aliquo munere gratiae similantur, ordo enim complementum habet a gratia. Dispositio media inter utrumque notatur in hoc, quod dicitur: Sicuti in naturalium donorum participatione conveniunt, quia meliora naturalia disponunt ad majora gratuita.“ *2. dist. 9. in exp. text.*

[3] „Angelorum nomina propria in singulis ordinibus a donis gratiarum sumuntur super diversos status et gradus, in quibus distinguuntur et ordinantur.“ *2. dist. 9. art. unic. q. 4.*

[4] „Distingui oportet in missione. Est enim missio exterior, quae est ad nos. Et est missio interior, quae est ad angelos, sed propter nos. Si de missione exteriori loquamur, sic non competit omnibus angelis, quia non

competit superioribus agminibus, sicut dicit Dionysius, quia ea, quae praeeminent, usum exterioris officii nunquam habent, in quo significat, quod intelligit de missione exteriori, quae est ad nos. Si autem intelligamus de missione interiori, quae est ad angelos propter nos, sic mitti competit omnibus, quoniam superiores mittuntur ad medios, et medii ad infimos, dum revelando purgant et illuminant ea, quae nobis expediunt; et hoc totum est propter nos; et ideo signantur dicit Apostolus *(Hebr. 1, 14): Missi propter eos;* non inquit, missi ad eos." — „Bonos angelos ad nos mitti, competit caritati divinae, quae per hoc manifestatur: angelicae, quae per hoc nos adjuvat: et nostrae, quae, cum sit parvula, per hoc fovetur, nutritur et excitatur." *2. dist. 10. a. 1. q. 2. — q. 1.*

[5] „Conveniens est hominem lapsum deputari angelicae custodiae, et angelum deputari ad custodiendum hominem, tum quia decet altitudinem divinae potentiae, tum quia decet ordinem sapientiae, tum quia etiam decet dulcedinem misericordiae. Altitudinem namque decet divinae potentiae duplici ex causa. Una est, quia Deus non solummodo vult honorari in se, sed etiam in suis servis. Unde non sufficit altitudini divinae potentiae, quod angeli ministrent sibi, sed etiam ad ostensionem excellentis suae potentiae hoc ab eis exigit, ut ministrent etiam creaturae suae. Alia est ratio, quia cum Deus habeat diabolum et ejus daemones adversarios, magis decens est, quod ipse eos vincat per suos ministros, ut per hoc ostendatur potentia manus Dei, qua non solum potens est in se, sed etiam in servis suis, et ut non indebite possit Dominus exercituum appellari. Ordinem vero sapientiae similiter decet. Nam hic est ordo, quem divina lex in suis operibus exequitur et conservat, ut postrema per media deducat ad summa. Quoniam igitur angelus, tum ratione immortalitatis naturae, tum etiam ratione gratiae consummatae, medium tenet inter Deum et hominem lapsum; decens fuit, ut Deus hominem adjuvaret et custodiret per angelum. Dulcedinem etiam decet divinae misericordiae, quae aperuit sinum homini lapso, nec in aliquo ei defecit, quod spectat ad salutis suae promotionem. Et ideo, cum homo lapsus esset venumdatus, ut faceret malum, ei ministravit pretium sanguinis Filii sui, per quem est redemptus, ut faciat bonum. Et quia habet adversarium impugnantem, dedit ei ministrum custodientem, vel custodem auxiliantem, ut sic ex nulla parte miseria remaneret humana sine divinae misericordiae subsidio et beneficio. Competebat igitur homini lapso dari ex hac triplici ratione angelicam custodiam." *2. dist. 11. a. 1. q. 1.* — „Homini non modo in statu naturae lapsae, sed institutae quoque, conveniebat angelica custodia, licet in statu isto magis expediat, cum colluctationem habeat non adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores." — „Cum Salvator noster Christus Jesus vinci a diabolo non potuerit, nec per blanditias seduci, nec reluctantem carnem habuerit, nec praesidentiae angelicae subjectus fuerit, custodia angelica ei non fuit destinata." *Ibid. qq. 2. 3.* — „Quamquam angelus bonus in malo obstinatos, quoad malum evitandum, semper dum vivunt, custodiat, ad bonum tamen exequendum tantum eis custodiae beneficium subtrahit." — „Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod communiter tenetur a doctoribus sacrae Scripturae, quod angelus non omnino relinquit obstinatos, quamdiu sunt viatores, nec tamen adeo diligenter custodit, sicut custodit bonos, aut mediocriter malos. Ideo communiter dicitur, quod quodammodo deserit, et quodammodo semper custodit. Explicatio autem hujus potest diversimode fieri. Nam aliquem custodiri ab angelo, hoc potest dupliciter intelligi, vel secundum habitum, vel secundum actum. Voluerunt ergo aliqui dicere, quod angelus obstinatum secundum actum custodiendi relinquit, pro eo quod ipse custodienti angelo non obedit, immo contra ejus monita faciem obfirmavit: quantum vero ad habitum non deserit, quia semper promptus est ei subvenire, si quo modo ipsum ad viam veritatis videat inclinari. Et hic quidem modus dicendi non sufficit, quia nullus est adeo malus et perversus, quin angelus bonus possit ei aliquod beneficium custodiendi largiri; ergo si semper est ei promptus facere bonum, videtur quod nunquam subtrahat omnem actum. Et ideo secundus modus dicendi est, quod duplex est custodiae angelicae actus, unus respectu corporis, alter respectu spiritus. Unus consistit in repulsione hostis, ne opprimat corpora, alter in arcendo ipsum, ne pervertat animas. Primi actus efficacia est in angelo, secundi vero non solum est in angelo, sed etiam in nobis. Quantum ad primum actum bonus angelus hominem usque ad mortem non derelinquit, quia non patitur ipsum a daemone opprimi vel occidi, nisi quando aliter exigit fieri sententia divini judicii. Quantum vero ad secundum actum, quia actus illius efficacia non tantum est in angelo, sed etiam in nobis, subtrahit custodiae beneficium ab his, circa quos videt se frustra exerceri, utpote ab excaecatis et obstinatis, qui nec recipiunt instructionem, nec exhortationem. Sed cum custodia magis respiciat animam, quam corpus, adhuc non videtur omnino probabile, quod angelus omnem actum custodiae subtrahat respectu animae. Et ideo est adhuc tertius modus dicendi probabilior praedictis, quod effectus angelicae custodiae et est respectu boni, et respectu mali; respectu boni conservandi, vel acquirendi, vel agendi; respectu vero mali deserendi, vel evitandi, vel minuendi. Bonus igitur angelus obstinatos non deserit, quantum ad actum custodiae, qui respicit malum, quia semper retrahit hominem, ne labatur in pejus . . . Quantum vero ad actum, qui respicit bonum, obstinatos deserit." — „Ex beatificatione custoditi . . . angelorum gaudium essentiale augeri non potest . . . accidentale vero et extensive et intensive ampliari non est incommodum." — „Angeli custodientes ex damnatione eorum, quos custodiunt, nec concipiunt gemitum, nec incurrunt aliquod gloriae detrimentum. Gemitum non concipiunt propter plenitudinem gaudii, quod adeo perfectum est, ut nullo modo suscipiat admixtionem contrarii. Detrimentum etiam non patiuntur propter stabilitatem boni adepti, nihil enim habent, quod possint amittere, nec ex parte meriti, nec ex parte praemii, cum sint in gloria et in justitia confirmati. Et quoniam detrimentum dicit amissionem alicujus boni habiti; ideo ex nullo eventu detrimentum aliquod possunt pati . . . Ad illud, quod objicitur, quod angelus malus gaudet de damnatione; ergo, etc., dicendum quod non est simile. Quia sicut non est reperire malum omnino impermixtum bono, est tamen reperire bonum omnino impermixtum malo; sic reprobatio angelorum aliquo modo

admittit gaudium licet impurum; sed perfecta beatitudo nullum patitur secum tormentum, vel gemitum. Ex praedictis patent illa duo, quae ultimo quaerebantur, scilicet de voluntate et praemio angelorum custodientium malos. Volunt enim malos, quos noverunt esse praescitos, voluntate absoluta damnari, quantum autem in se est, vellent eos salvari; et ideo non custodiunt invite. Quia quamvis sciant se frustra laborare ad perducendum eos ad salutem; tamen sciunt se fructuose laborare in hoc, quod retrahunt, ne incurrant majorem damnationem. Quadruplex enim consuevit principalis effectus custodiae angelicae assignari circa animas. Unus est, ut proficiat anima in bonum gratiae; alius, ut non cadat in malum culpae; tertius est, si cadat, quod postmodum resurgat; quartus, ne toties, vel in tantum malum cadat, quoties, vel ad quantum adversarius incitat. Posset tamen aliter dici, quod non est angelis revelatum, qui ex eis, quos custodiunt, salvari debeant, vel damnari: hoc tamen non est certum. De praemio vero dicendum, quod sicut duplex est finis artificis, unus in se, et alter in alio, sicut patet in rhetore, cujus finis est loqui ornate, et hic finis est in se; et alter, alii persuadere, et sic est finis in alio: sic etiam duplex est praemium angeli accidentale; unum, quo gaudet de bonis operibus, quae fecit; aliud, quo gaudet de salute ejus, quem custodivit. Et quemadmodum artifex, si habet finem primum, et caret secundo, nihilominus perfecte dicitur habere methodum, si ex contingentibus nihil omisit; sic angelus, qui fideliter custodivit eum, qui ex sua culpa damnatur, perfectum habet praemium et meritum, dum de bonis suis operibus gloriatur. Gaudium autem illud, quod est de multiplicatione bonorum operum, non est praemium substantiale, cum non sit de summo bono, sed accidentale; nec tamen est aureola, quia non omne praemium accidentale est aureola, sed illud solum, quod habet praeexcellentiam." *Ibid. a. 2. qq. 1. 2. concl. et 3. concl. et ad 6.*

[6] „Angeli non fuerunt creati in gratia gratum faciente, licet oppositum nonnulli defenderint; probabilior tamen est prima opinio, quam Magister defendit, et est communis." — „Dicendum, quod haec quaestio facti est: et quia non invenimus aliam rationem quam congruitatis, probabiliter possumus utrumque opinari, sicut et alii ante nos. Fuerunt enim aliqui docentes, quod angeli omnes creati sunt in gratuitis gratum facientibus. Et ratio, quae movit eos, fuit haec ex parte Dei, scilicet perfecta liberalitas; et ex parte creatorum, idoneitas. Quia enim ab instanti creationis erant vasa et receptacula munda, et Deus est promptus suam gratiam impertiri, nisi habeat obstaculum ex parte suscipientis, non dimisit Deus illa ad momentum vacua, sed statim ut condidit, gratiâ illustravit: et talia debuerunt de manu Dei exire receptacula, ut statim essent prompta in bonum usum. Unde sicut probabiliter conjiciunt aliqui, quod Deus fecerit arbores plenas fructibus, et alia in statu nobilissimo et perfectissimo; sic etiam naturam angeli ornaverit gratia a sui conditione, quae in primo usu bono sine victoria erat perpetuanda, et in prima deordinatione perpetualiter amittenda. Haec est una positio, et satis videtur consona Sanctorum auctoritatibus, ut patet inspicienti. Fuerunt etiam alii, qui dixerunt angelos non habuisse gratiam gratum facientem ab instanti creationis, sed post. Et ratio, quae eos movit, est dispositio angelicae naturae, quae fertur in id, quod appetit, sine retardatione. Unde sicut ex conversione ad malum ita profunde conversi sunt, ut non possent redire; sic, imo multo magis, ex conversione ad bonum, sive ex habilitate, ita bono totaliter adhaesissent, si gratiam habuissent, quod nunquam lapsi essent. Unde non videtur aliquo modo probabile, quod Lucifer habuerit gratiam; et si ipse non habuit, cum inter ceteros esset excelsus, a majori arguitur nec alios habuisse a sui origine. Hanc positionem videtur acceptare Magister, hanc positionem communiter tenent doctores, et ita huic tanquam probabiliori et communiori concordant. Ad auctoritates in contrarium adductas respondendum est per distinctionem gratiae. Uno enim modo gratia dicitur communiter, prout comprehendit quidquid naturalibus est superadditum, naturalibus, inquam, quae sunt de essentiali rei constitutione; sicut dicitur ex gratia habere bonum ingenium, bene legere, bene cantare, et hujusmodi. Alio modo dicitur quod superadditum est libero arbitrio ad rectitudinem faciens et disponens; sicut dicimus virtutes naturales, sicut innocentia, mititas, pietas. Tertio modo quod est superadditum tanquam rectificans, et complens et elevans; et haec dicitur gratia gratum faciens, quia facit hominem acceptabilem Deo, et ideo acceptabilem, quia conformem. Quando ergo dicitur, quod angelo data sunt gratuita, aut non intelligitur de gratuitis tertio modo dictis, sed primo vel secundo, quia sic multa dona gratuita habuerunt: aut si intelligitur de gratuitis proprie dictis, non intelligitur ab instanti creationis, sed sicut intelligitur peccatum diaboli fuisse ab initio, quia statim post initium, et post primum motum deliberativum cecidit, ita intelligendum est de gratia angelorum: aut si intelligitur de gratuitis proprie dictis, et ab instanti creationis, hoc non intelligitur formaliter, sive essentialiter, sed dispositive; unde dicitur aliquis creatus in aliquo, quia in proxima dispositione ad illud; et ita per hanc triplicem viam ad auctoritates inductas, et multas alias, quae possent induci, potest breviter responderi." *2. dist. 4. a. 1. q. 2.*

[7] „Angeli, qui ad Deum conversi sunt, quamquam a natura rectitudinem quandam habere potuerint, meritoriam tamen sine gratia habere non poterant." — „Angelorum praemium praecessit meritum, quia meritum requirit fundamentum in perfectione voluntatis, et non in multitudine operationum." *2. dist. 5. a. 3. qq. 1. 2.*

[8] „Divina lux illuminans angelum illuminatione perfecta ad cognitionem sui, facit angelum lucem, et cognitio ipsius Dei in se dies dicitur, quia pura est lux et cognitio et cognoscendi ratio. Lux ista angelica sic illuminata habet cognoscere creaturam; et sic quia cognoscit id, quod est tenebra, est ejus cognitio mane, vel vespera appellata; sed vespera, prout cognoscit creaturam in seipsa, mane prout ex illa cognitione consurgit ad laudem Dei, sive ad laudandum Deum, et refert ad cognitionem ipsius, quam habet in verbo. Unde Augustinus *(de civ. Dei l. 2. c. 7)*: Scientia creaturae in comparatione scientiae Creatoris, quodammodo advesperascit, itemque lucescit, et mane fit, cum ipsa refertur in laudem, dilectionemque Creatoris, nec in noctem vergitur, nisi cum Creator amore creaturae relinquitur. Unde nota, quod etsi ad similitudinem hujus lucis visibilis dicatur ibi mane et vespere, sicut dictum

est, tamen est duplex differentia. Una, quia ibi vespere non vertitur in noctem, sicut de luce materiali. Altera vero, quia mane non succedit meridies, neque diei vespere, Sed totum est simul. Unde Augustinus *(de Gen. ad lit. c. 18 in fine)*: Simul, inquit, habent dies vespere et mane. Et sic patet, quod in angelis beatis est nunc cognitio vespertina cum matutina, nec habent successionem, vel ordinem temporis, habent tamen ordinem dignitatis." *1. dist. 4. a. 3. q. 2.*

[9] „Cognitio in angelis quaedam est a natura, quaedam vero est a gratia. Cognitio vero, quae est a natura, duplex est. Quaedam enim dicitur esse a natura, quia naturaliter inserta, ut cognitio eorum, quae sunt de prima mundi constitutione: et quantum ad hanc angeli non proficiunt, nec deficiunt, quia quantum ad hanc habent universales species omnium. Alio modo cognitio a natura dicitur cognitio, quae est per naturalem potentiam, sive sit innata, sive sit acquisita: et quantum ad hanc profecerunt angeli secundum processum temporis per multiplicem experientiam et conversionem super his, quae de novo fiunt. Similiter cognitio a gratia duplex est, quaedam a gratia fixa, quaedam a gratia fluente. Sicut enim in membris corporalibus ponuntur quaedam virtutes fluentes, quaedam fixae, sive vita quaedam fluens, quaedam fixa; sic intelligendum est et in spiritualibus membris, sive spiritibus angelicis. Quia gratia fixa dicitur esse gratia confirmationis. Cognitio procedens ab hac gratia est visio aeternae lucis, in qua nec proficiunt Angeli, nec decrescunt. Cognitio vero, quae est a gratia fluente, est cognitio revelationis, quae ideo vocatur fluens, quia non semper revelat Deus mysteria, sed pro loco et tempore." *2. dist. 11. dub. 2.*

[10] „Angeli boni interdum corpora assumunt humana ad operationes aliquas exercendas, ad seipsos manifestandos, atque ad homines consolandos." — „Angeli vera corpora humana complete organizata et perfecta non assumunt, cum tale corpus ad ministerium illis non competat, nec veram formam naturalem, absque naturae auxilio, educere valeant." — „Angeli assumunt corpora elementaria, praesertim aërea, cum aliqua alterius elementi imperfecta mixtione, terrei vel aquei vaporis, non tamen perfecta." — „Angelus in corpore assumpto nec naturales, neque vitales operationes exercet, cum generativam, neque vegetativam habeat virtutem, licet aliquo modo iis conformes et semiplenas habeat functiones." — „Angelus in corpore assumpto operationes potentiae sensitivae non exercet, cum corpus non sensificet, licet motricis virtutis operationes in ipso exerceat." *2. dist. 8. p. 1. a. 1. q. 2. et a. 2. et a. 3. per integ.*

[11] „Circa hoc duplex est opinio, et utraque probabilis. Una est, quod in angelis est diversitas secundum speciem, et etiam secundum genera subalterna, ut hierarchia sit quasi unum genus, et ordines faciant species; et ad hoc ponendum moti sunt tum propter divinae bonitatis ostensionem, tum propter simile in aliis creaturis, tum etiam propter gradus repertos in ipsis angelis. Cum enim angeli ejusdem ordinis aliquo modo se excedant, videtur quod angeli diversorum ordinum et hierarchiarum adeo se excedant, quod etiam habeant in specie et in genere diversitatem. Alia positio est, quod angeli omnes sunt ejusdem naturae, tum propter unionem illius civitatis, tum propter universi perfectionem. Licet autem utraque harum positionum habeat probabilitatem, quia tamen per Scripturam non innotescit nobis diversitas operationum, et videtur quod illi, qui aggressi sunt hanc materiam determinare, sicut Dionysius, divina inspiratione cognoverint et officium et naturam, et ipsi dicunt quod omnia, quae sunt omnium ordinum, in omnibus reperiantur, licet magis excedenter in uno; videtur magis theologica et probabilis positio, nisi occurrat manifesta auctoritas in contrarium, quod omnes angeli sint ejusdem speciei, sicut et omnes homines. Et quemadmodum in hominibus sunt gradus et ordines, et quoad naturalia, et quoad officia commissa, sive dignitates, et quoad gratuita, salva tamen unitate speciei, sic intelligendum est in angelis." *2. dist. 9. a. unic. q. 1.*

[12] „Ordo est a natura, et est a gratia; sed a natura tanquam a praeambula dispositione, a gratia tanquam a completiva perfectione. Hoc dico de illis ordinibus, secundum quos attenditur distinctio hierarchiarum in supremis spiritibus, sicut manifeste apparet ex officio et actione et nominatione ipsorum ordinum, inter quos praecipuus ordo est ordo Seraphim, qui nominatur ab ardore dilectionis, quae non est in angelis consummata et perfecta, nisi per gratiam; et ideo concedo, quod ordinum principalis distinctio non potest esse a natura." *2. dist. 9. a. un. q. 2.*

[13] „Sicut de quolibet ordine angelorum quidam ceciderunt, sic singuli angelici ordines per homines restaurantur; quamquam enim homo in naturae praestantia assimilari non possit, in gratia tamen ei aequari non est angelo inconveniens." — „Quaeritur, utrum ad singulos ordines angelorum fiat assumptio salvandorum. Et quod sic, videtur; quia super illud Psalmi *(44, 17): Constitues eos principes super omnem terram,* dicit Glossa: Elegit pauperes, ut exaltaret ad ordines caeli, qui fiunt ex hominibus et angelis. Item super illud Josue *(1, 3): Omnem locum, quem calcaverit pes vester,* dicit Glossa: Si diabolum vincere potuero, et meruero, ut Deus conterat eum sub pedibus meis; consequenter locum ejus in caelo habebo. Ergo si diabolus fuit de excellentissimo ordine, sicut supra monstratum fuit*), videtur quod homo possit ascendere ad supremum ordinem angelorum. Item ruina angelorum restauranda est, aut superna civitas remanebit imperfecta; sed non restauratur ex angelis, quia casus angelorum est irreparabilis; ergo restaurabitur ex hominibus bonis. Item distinctio ordinum principaliter venit ex donis gratiarum; sed in via videmus, quod aliqui assimilantur Seraphim in visu gratiae, aliqui Cherubim, et sic de aliis; ergo si Deus retribuit unicuique, secundum quod meruit, videtur, quod ad diversos ordines angelorum homines debeant assumi, et ex eis angelorum ordines restaurari." — „Ad perfectionem ordinis duo concurrunt, scilicet natura et gratia. Natura, tanquam fundamentum et dispositio; gratia vero, ut complementum et consummatio. Et quia aliquid tunc dicitur esse secundum quid, quando est in sola dispositione, tunc esse simpliciter, quando est in sua perfectione; cum daemones et angeli in naturalibus communicent, dicitur aliquando daemones fuisse de diversis ordi-

*) Vide superius *cap. 7. not. 3 huj. partis.*

nibus angelorum, quamvis numquam plene fuerint in aliquo ordine; unde hoc intelligitur secundum quid, non simpliciter. Quia vero homines possunt ad eminentiam gratiae et gloriae, in qua sunt angeli, elevari; potest ex hominibus et angelis idem ordo constitui, quia quamvis non conveniant in natura, assimilantur tamen et aequantur in hac gratia; et per hunc modum reparatur angelorum ruina. Et si tu objicias, quod non potest esse conformitas in perfectione, ubi non est convenientia in praeambula dispositione, dicendum, quod hoc non habet locum in proposito, quia illud verum est de dispositione solius necessitatis, non autem de dispositione congruitatis. Concedendum est ergo, quod sicut de singulis ordinibus aliqui ceciderunt, sic etiam singuli angelici ordines per homines restaurantur. Ad illud quod objicitur in contrarium, quod ad unitatem ecclesiasticam non admittit homo rem alterius speciei, dicendum quod non est simile, quia nullum animal invenire potest homo sibi simile in conformitate rationis; homo autem et angelus in participatione communicant rationis, et, quod plus est, in deiformitate gloriae; et ideo possunt in eandem societatem et ejusdem societatis ordinem convenire, cum major sit unitas voluntatum quam facierum, et plus facit ad unitatem pacis et societatis et ordinis conservandam. Ad illud quod objicitur, quod plus differt homo ab angelo, quam differat ordo infimus a supremo, dicendum, quod verum est de difformitate, quae opponitur unitati naturae, sed non est verum de difformitate, quae opponitur unitati gratiae in statu et dignitate; unitas autem ordinis plus respicit hanc, quam praecedentem; et ideo illud non valet. Ad illud quod objicitur, quod corpus non sublimatur ad dignitatem spiritus, dicendum quod verum est; sed tamen ex hoc non sequitur, quod non debeat locari cum angelis. Sicut enim in statu viae et meriti, anima sequitur locum corporis et in terra habitat, cum sit nata esse sursum; sic e contra in statu patriae et praemii, corpus sequitur locum spiritus, et ibidem erit, ubi natus est esse ipse spiritus, non propter se, sed propter eum, cui conjungitur; et ideo in eisdem sedibus locatur cum angelicis spiritibus, ad quorum dignitatem per gratiam est humanus spiritus sublimatus. Ad illud quod objicitur, quod angelus habet capacitatem majorem quam anima, dicendum quod ratio illa calumniabilis est, et quantum ad majorem, et quantum ad assumptionem. Quamvis enim angelus excedat animam in naturalibus, secundum comparationem creaturae ad creaturam, tamen secundum comparationem ad Trinitatem summam, cujus est imago tam angelus quam anima, non oportet esse praecellentiam, cum magis videamus humanam naturam exaltatam quam angelicam, tum per gratiam unionis in Christo, tum etiam per gratiam comprehensionis in Virgine beata. Sed esto, quod adhuc ista propositio haberet veritatem, adhuc remaneret in assumptione dubietas. Cum enim dicitur, quod angeli susceperunt gratiam secundum capacitatem naturalium, non est intelligendum praecise, ita quod tantam susceperint, quod plus non potuerint capere, quia hoc non de facili posset probari, nec auctoritate, nec ratione; sed ita intelligitur, quod naturalia meliora habentibus, plus datum est de gratia, quam habentibus minora; quamvis isti et illi plus possent accipere. Et ex hoc non videtur, quod anima humana non possit ad aequalitatem cum angelis ascendere; imo absque dubio concedendum est posse, cum in Christo et beata Virgine videamus praecellere." *2. dist. 9. a. 1. q. 5. fund. concl. et ad 1—4.*

[14] „Sicut in suprema hierarchia propter summam perfectionem reperitur pulchritudo ex perfectissima aequalitate et similitudine parium, sic in angelica hierarchia reperitur pulchritudo perfecta in genere creaturae ex quadam gradatione disparium. In his enim duobus modis consistit pulchritudo et convenientia, sicut dicit Augustinus *(de vera Religione cap. 30. in med.)*; sed in suprema hierarchia ex sola similitudine et aequalitate potest esse perfectissima pulchritudo, quia in qualibet personarum aequalium est omnimoda et summa perfectio, in angelica vero hierarchia, quia illi spiritus, qui ordinantur, non habent singillatim summam perfectionem, necesse est, quod ex quadam convenienti diversitate in quadam proportionabili gradatione consurgat quaedam convenientia ordinata et pulchritudo in genere creaturae perfecta. Et ideo sicut in Sanctis intelligimus, quod unus est ordo apostolorum, alter martyrum, alter confessorum, et sic de aliis, et tamen in his ordinibus est gradatio quaedam, nec potest omnimoda reperiri aequalitas, cum de quolibet Sancto possit dici: *Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi (Eccli. 44, 20)*; sic suo modo intelligendum est in spiritibus angelicis. Ideo et in eodem ordine ponenda est quaedam gradatio et quidam ordo, licet non sit tantus excessus, quantus reperitur in angelis diversorum ordinum." *2. dist. 9. a. un. q. 8.*

[15] „Angelorum praelatio post judicium evacuabitur quoad influentiam unius ad alterum et quoad imperium, licet quoad dignitatis excessum debeat remanere." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod tripliciter aliquid dicitur praeferri alteri. Aut per modum excedentis solum, sicut praefertur aurum argento; aut per modum excedentis et influentis, sicut praefertur caelestis natura elemento; aut per modum imperantis, sicut praefertur dominus ministro. Ad rationem autem perfectae praelationis ista tria concurrunt, ut qui praefertur, natus sit eum, cui praefertur, excedere, et in ipsum aliquo modo influere, et eidem praecipere. Hoc modo est nunc in praelatione, quae attenditur inter ordinem et ordinem in hierarchiis angelicis, et etiam in hierarchia ecclesiastica. In angelis enim ordo, qui ordini praefertur, excedit in naturalibus et gratuitis, etiam quodammodo influit purgando, illuminando et perficiendo, et etiam ministeria complenda injungit. Cum ergo quaeritur, utrum esset praelatio ordinis ad ordinem, dicendum, quod si intelligatur de praelatione quantum ad primam conditionem, scilicet ratione excessus, non evacuabitur, sed manebit, quia ordo excedit ordinem tam in gratuitis, quam in naturalibus, ita post judicium, sicut et nunc. Si autem intelligatur ratione duorum sequentium, scilicet ratione praesidentiae, et influendo et imperando, sic cessabit et evacuabitur, quia illuminatio, quam dicitur recipere angelus ab angelo, et imperium, si quod est ibi, attenditur per comparationem ad nos, quibus ministrant, non per comparationem ad Deum, in quo quiescunt, et beatitudinis completione perfecte illuminantur. Et secundum viam hanc procedunt rationes et auctoritates, ostendentes quod post judicium cessabit praelatio or-

dinis ad ordinem. Sic enim dicit Magister et Apostolus *(1. Cor. 15, 24)*, quod Deus evacuabit praelationem, evacuando potestatem et principatum, dum enim tolletur ministerium, tolletur subjectio et imperium." *2. dist. 9. a. un. q. 6.*

[16] „Sicut unicuique naturae rationali data est voluntas libera, sic conscientia secreta. Unde sicut non potest aliquis voluntatem alterius in aliud vertere, sed solum inducere, nisi ipsa se inclinet, praeter solum Deum, in cujus manu sunt corda hominum; ita nemo potest conceptiones alterius cognoscere, sed solum conjicere, praeter Deum, nisi ipsa intelligentia exprimat; et ipsa expressio locutio nuncupatur. Ratio autem hujus est, quia solus Deus format mentem et quantum ad intellectum et quantum ad affectum; et modus loquendi similis est modo addiscendi. Sicut enim nos per sensum addiscimus, ita quod species per interiorem sensum pervenit ad intellectum; sic exprimimus, quia verbum cogitationis internae unitur voci in excogitatione, et postmodum voci sensibili in pronunciatione, et ex hoc fit expressio in actu. Angelus autem unica virtute facit, quod nos pluribus. Unde angelus sicut per applicationem speciei innatae ad ipsum cognoscibile ipsum cognoscit, sic ordinando speciem innatam ad alium angelum cognoscentem, conceptus suos aperit: similiter alius mutua conversione recipit, et sic unus loquitur, alter audit. Simile est de duobus speculis sibi oppositis, si voluntarie possent abscondere aliis et auferre, quae in se relucent." *1. dist. 9. dub. 7.* — „Angelorum locutio non est idem quod cogitatio, quia locutio supra verbum addit respectum ad alterum, et effectum protendendi speciem intelligibilem ad alterum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod loqui dupliciter est. Uno modo loqui dicit actum in se, sive intrinsecum; alio modo actum ad alterum, sive quodammodo extrinsecum. Primo modo loqui idem est, quod verbum formare sive gignere; secundo modo idem est, quod verbum formatum depromere, sive exprimere. Primo modo locutio, sive in Deo, sive in homine, sive in Angelo, non est aliud quam cogitatio. Secundo modo plus dicit quam cogitationem, sed differenter in diversis. In Deo enim loqui ad alterum, supra intellectum notat effectum, vel revelationem. Non enim dicitur Deus nobis loqui, solum quia intelligit, sed etiam quia revelando aliquid aliquam illustrationem in nobis efficit. Unde Gregorius *(Moral. lib. 28 c. 2)*: Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur, potius quam auditur, quia dum semetipsum sine mora sermonis insinuat, repentina luce nostrae ignorantiae tenebras illustrat. In homine vero non solum addit effectum in alterum, sed etiam actum et signum medium; cum enim homo loquitur alteri, non solum cogitat, sed cogitationem suam formando vocem sensibilem alii interpretatur et explicat. Ratio autem, quare locutio hominis non solum addit actum, sed etiam signum medium, haec est. Quia in anima alius est actus conversionis supra se, et alius actus conversionis ad alterum; et in cogitatione convertitur anima supra illud quod habet in se, in locutione vero offert alteri: et ita oportet, quod alius sit actus cogitare et loqui, et ita addit actum locutio supra cogitationem in homine. Addit etiam signum, quia anima quamdiu est cum corpore, non est nata suscipere nisi mediante vi sensitiva; unde qui amittunt unum sensum, necesse habent amittere unam scientiam. Ideo ad hoc, quod anima conceptum suum alteri exprimat, oportet quod ipsum voci sensibili per organa formatae mediante via imaginaria conjungat; et sic similitudo intelligibilis, sive signatum intelligibile, per illud suum signum sensibile, mediantibus virtutibus sensitivis, ad intellectum alterius animae ascendat. Et hoc conveniens est, ut sicut homo compositus est ex anima et corpore, ita ejus locutio aliquid habeat spirituale, aliquid corporale. In spiritualibus autem substantiis medio modo est, nam locutio supra cogitationem addit effectum, sive respectum, sed non addit sensibile signum. Respectum quidem et effectum addit propter hoc, quod cogitatio, quantum est de sui natura, est secreta, et ideo nunquam fit manifesta, nisi ipse cogitans aliquid tanquam audienti offerat, et aperiendo se, quasi quodam nutu mediante, quod in se habet, ad intellectum alterius quasi ad aurem pertingere facit. Necessarius est etiam actus novus, quia non eadem conversione se supra se convertit et supra alterum, vel ad alterum; sed tamen non est necessarium sensibile signum, nec deferens medium, quia cum ipse intellectus angelicus sine potentiis sensitivis natus sit suscipere, angelus loquens sine sensibili medio natus est similiter offerre; et ideo ad loquendum sufficit ipsi angelo ipsa species intelligibilis, quae ex virtute intellectiva ipsius angeli per vim voluntatis potest ad alterum protendi. Et sicut illa species, dum eam sibi et in se contuebatur intellectus, erat verbum interius; sic dum eam protendit ad alterum, efficitur quasi nutus et verbum exterius. Et quia tam illa species, quam virtus protendens illam ad alterum, et ipsa protensio spiritualis est; ideo non indiget corporali medio deferente. Sed quia virtus illa finita est, necesse est ad hoc, quod unus angelus intellectum alterius angeli loquendo, hoc est illam speciem protendendo, excitet, quod finita distantia ad invicem distent. Ex his igitur patet, quod non tantum differat in angelo locutio et cogitatio, quantum differt in homine; differt tamen aliquo modo . . . Ad illud quod objicitur, quod si locutio addit aliquid supra cogitationem, tunc non poterit angelus inferioris ordinis loqui ad angelum superioris, dicendum, quod verum est, si loqui adderet influentiam veram in alterum; sed actus locutionis superadditus actui cogitationis non dicit nisi quandam speciei protensionem ad alterum, quae quidem protensio non est illius speciei impressiva, sed potius excitativa intellectus audientis, ut propria virtute suscipiat, et in seipso faciat. Unde locutio ex parte loquentis non ponit nisi excitationem activam, ex parte audientis non nisi excitationem passivam. Ex hoc patet, quid sit auditus angeli, et quo modo differat audire et videre, nam tam audire, quam videre, est in angelo intelligere. Sed tunc videt, cum ex proprio motu intelligit aliquid; tunc audit, quando per oblationem speciei intelligibilis ab alio intelligente excitatus, ipsum, quod profertur, intelligit; et sic competit angelo non solum respectu superioris, sed etiam respectu paris vel inferioris, quia sic audit supremus angelus ab infimo, sicut magister audire potest a discipulo, non quia ab eo suscipiat doctrinam, sive illuminationem, sed quia melius cognoscit ejus defectus per sui ipsius defectionem. Ad illud quod objicitur, quod si locutio differt a cogitatione, quod nutus differt a specie,

dicendum quod illud non oportet, quod differat re; sed sufficit, quod differat comparatione. Eadem enim species est, quae consideratur in se, et quae potest protendi ad alterum relatione differens; sed actus considerandi eam in se, qui quidem est cogitatio, et actus protendendi ad alterum, qui est locutio, actus est alius et alius; nam his actibus intellectus angelicus eadem similitudine diversimode utitur, ita quod in uno illa similitudo et intelligibilis species dicitur tantum species et verbum, in altero vero non tantum species, sed etiam nutus. Verumtamen posset dici, quod sicut species, quae est in speculo, dum protendit se ad oculum, non est omnino eadem, sed se multiplicat; sic etiam potest intelligi spirituali modo de specie, quae est in intellectu angelico. Si autem quaeratur de medio, dicendum quod nulla est quaestio; quia cum sit actio spiritualis et intellectualis, non indiget medio corporali. Si vero quaeratur de virtute, per quam sit, sive de luce spirituali, dicendum quod concurrit ibi lux intellectus angelici offerentis, et lux etiam supernae veritatis. Nam sicut in luce corporali ad immutandum visum videmus concurrere et lucem incorporatam, et lucem insuper influentem et absolutam, utpote lucem solis; sic etiam et in spirituali cognitione duplicem lucem concurrere intelligimus, secundum quod in pluribus locis innuit Augustinus." — „Eadem saepe numero est Dei et ipsius Angeli locutio, quamvis a Deo sit per modum imperantis, ab Angelo vero per modum ministerii, licet interdum Deus per semetipsum nobis loquatur aliquid mentibus nostris revelando." — „Dicendum quod sicut tripliciter dicimur videre Deum, scilicet visione corporali, imaginaria et intellectuali, in visione intellectuali videtur Deus in seipso lucens, visione autem imaginaria et corporali videtur Deus in subjecta creatura apparens; sic etiam tripliciter dicimur audire. Aut per aliquod signum exterioribus auribus oblatum, sicut pluries auditum fuit et in veteri et in novo Testamento; aut per aliquod signum in interiori sensu, vel in interiori imaginatione formatum; aut per aliquod inspirationis verbum nostris mentibus instillatum. Et sicut tripliciter auditur, ita etiam dicitur tripliciter loqui, secundum quod in nobis triplicem excitat auditum. Sicut enim sensum nostrum ad sui ipsius apprehensionem excitat mediante signo sensibili, in quo apparet angelus ex persona Dei, vel Deus apparet ex ministerio angeli, mentem autem nostram per semetipsum informat, ut ipsum videat et cognoscat; sic in locutione intelligendum est. Nam locutio illa, qua Deus loquitur per signum sensibile, sive exterius, sive interius, aut semper, aut frequenter fit per angelum, sicut dicit Gregorius *(Moral. lib. 28 c. 2)*. Ait enim: Cum loquitur Deus nobis per angelum, aliquando voluntatem suam rebus indicat, aliquando imaginibus oculis cordis ostensis, aliquando imaginibus ante corporeos oculos ex aëre assumptis, aliquando substantiis caelestibus, aliquando terrenis, aliquando simul caelestibus et terrenis; et de omnibus exemplificat. Locutio vero, qua Deus inspirat aliquid cordibus nostris, etsi possit fieri per angelum excitantem ab inferiori, sicut dicit Gregorius *(ibidem)*, quod nonnunquam Deus humanis cordibus ita per angelum loquitur, ut ipse mentis obtutibus praesentetur; fit tamen principaliter ab ipso Deo. Primus igitur et secundus modus loquendi et angeli est et Dei; sed Dei tanquam imperantis, angeli vero tanquam exequentis, ita quod sermo exequentis referatur ad personam imperantis. Hoc autem potest esse dupliciter, vel cum angelus loquitur in persona Dei, sicut cum formavit illam vocem: *Hic est Filius meus dilectus (Matth. 3, 17);* sive sicut locutus est ad Moysen *(Exod. 33, 1):* vel cum loquitur ut nuntius Dei, proferens illud verbum quasi a Deo, per quem etiam modum dicitur Dominus loqui per Prophetas. Tertius vero modus loquendi est proprius ipsius Dei; et ita non potest eadem esse locutio Dei et Angeli secundum illum modum." *2. dist. 10. a. 3. qq. 1. 2.*

[17] „Angeli boni mittuntur ad affectum nostrum inflammandum non tanquam causae agentes, sed tantum excitantes, atque adjuvantes." — „Angelus bonus mittitur ad inferiorem animae portionem illuminandam non irradiando, vel deferendo, sed tantum exprimendo et suggerendo." *2. dist. 10. a. 2. qq. 1. 2.* — „Perfectio divinae custodiae non excludit utilitatem angelicae. Sicut enim Deus operatur in omnibus rebus, et tamen ejus operatio operationes creaturarum non excludit, sed conservat et adjuvat, nec tamen ejus operatio est imperfecta, aut operatio creaturae superflua; sic intelligendum est de custodia. Sicut enim Deus propter suae bonitatis manifestationem, et ordinis sapientiae ostensionem creaturis communicavit posse operari, et in alias creaturas effectum suum imprimere, ipso tamen non deserente, sed cooperante; sic dedit angelis posse hominem custodire, cum tamen a servorum suorum custodia ipse nunquam desistat, quia tale posse competebat angelicae naturae et gratiae. Et una istarum custodiarum alteri non praejudicat, immo divina facit ad angelicae custodiae perfectionem, angelica vero ad perfectionis divinae custodiae manifestationem." *2. dist. 11. a. 1. q. 1. ad 5.*

[18] „Credendum est quod multis modis angeli, qui nos custodiunt, et studeant promovere ad bonum, et studeant retrahere a malo, quamvis hoc non percipiat hebetudo spiritus nostri; propter quod multi superbiunt, multi sunt ingrati, et frequenter sibi attribuunt, quod est ex beneficio angelico; et ex hoc minus efficiuntur digni, ut ab angelis adjuventur. Et propter hoc perutile est effectus angelicae custodiae nosse et intelligere. Consueverunt autem a Magistris effectus duodecim assignari, qui eliciuntur ex Scripturis. Primus est pro delictis increpare: *Ascendit Angelus Domini de Galgala ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de terra Aegypti;* et post: *Non audistis vocem meam (Judic. 2, 1—2).* Secundus est a vinculis absolvere: *Angelus astitit;* et post: *Ceciderunt catenae de manibus ejus (Act. 12, 7);* hoc tamen intelligendum est dispositive. Tertius est impedientia ad bonum auferre, quod signatur in Exodo *(12, 29)*, ubi angelus percussit primogenita Aegypti. Quartus est daemones arcere: *Daemonium ab uxore mea compescuit,* dicit Tobias *(12, 3)* de Raphaële. Quintus est docere: *Nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres (Dan. 9, 22).* Sextus est secreta revelare. Tres Angeli mysterium Trinitatis et unitatis expresserunt *(Gen. 18, 2);* et ibidem *(18, 17)* sequitur: *Num celare possum Abraham etc.* Septimus est consolari: *Forti animo esto, in proximo est, ut a Deo cureris etc. (Tob. 5, 13).* Octavus est in via Dei confortari: *Surge et comede, grandis enim tibi restat via (3. Reg. 19, 7).* Nonus est in via deducere et conducere: *Ego ducam et reducam eum etc. (Tob. 5, 15).* Decimus

est hostes dejicere: *Egressus Angelus Domini percussit in castris Assyriorum etc. (Isa. 37, 36).* Undecimus tentationes mitigare; et hoc assignatur in Genesi *(32, 24—25),* ubi Jacob luctatus est cum angelo, ubi, benedictione accepta, confortatus est post luctam, et emarcuit nervus femoris ejus. Duodecimus est orare et orationes deferre: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationes tuas Domino (Tob. 12, 12).* Hi omnes sunt effectus custodiae angeli, ex quibus omnibus tam Deo, quam angelis debemus esse obnoxii et grati." *2. dist. 11. a. 2. q. 1. ad 7.*

[19] „Haec est ratio, quare Deus, cum habeat unum Filium, non tamen produxit unum solum angelum, sed multos; quia Filius perfecte implet Patrem, et imitatur, ut dicit Augustinus *(l. 6. de Trin. c. 10),* sed angelus perfecte non exprimit creationem; ideo decuit eos creari in magna multitudine, vel in multiformi ordine." *2. dist. 9. a. un. q. 8 ad 4.*

[20] „Cum ad perfectam rationem ordinis concurrant praecellentia naturalium et gratuitorum sibi correspondentium, in eis solum proprie et perfecte est ponere ordinum distinctionem, in quibus est haec duo simul concurrentia reperire. Quoniam ergo in angelis gratia correspondet naturae, et creati sunt in naturalium praecellentia, et beatificati in differenti donorum praerogativa; hinc est, quod proprie est in eis et ordo et hierarchia, maxime cum illa praerogativa ita habeat stabilem permanentiam et distinctionem, quod nullam admittat confusionem. In hominibus vero, etsi sit reperire praecellentiam in naturalibus, et etiam in gratuitis, tamen haec duo, ut plurimum, sibi non correspondent; quia ubi melior est natura, frequenter minor est gratia, et qui hodie minor est in merito, cras fortassis erit major in praemio. Ideo in hominibus secundum statum praesentem non est proprie ordinum distinctio secundum gratuita, licet aliquo modo secundum auctoritates et officia et status professionum ordinetur Ecclesia. Dicendum est igitur, quod proprie et perfecte in solis angelis ponenda est distinctio ordinum; in hominibus vero, etsi aliquo modo reperiatur in praesenti, reperitur imperfecte et incerte. In futuro vero, quamvis reperiatur stabiliter, non tamen reperitur undique; ut sic oporteat eos, qui praecellunt in gratia, praecellere in natura." *2. dist. 9. a. un. q. 9.* — „Beatissima Virgo Maria in patria non erit praeter ordinem; cum ergo sit supra omnes ordines, per se constituet ordinem." *2. dist. 9. a. 1. q. 7. fund. 4.*

CAPUT IX.

De productione hominis, quantum ad spiritum.

(Anima rationalis est forma beatificabilis, — libera, — intelligens, — vivens vitâ perpetuâ; — creata; — nec tantum forma, sed hoc aliquid: — unitur corpori, ut perfectio per essentiam, — ut motor per potentiam vegetativam, — sensitivam, — intellectivam. — Ejus proprietates sunt cognitio et affectus. — Libertas arbitrii est facultas rationis et voluntatis.)

Post naturam vero [a] corpoream et incorpoream dicenda sunt aliqua de natura ex utrisque composita. Primo ex parte mentis [1], secundo ex parte carnis, tertio ex parte totius hominis. De anima igitur rationali haec in summa tenenda sunt, secundum sacram doctrinam, scilicet quod ipsa est forma ens, vivens, intelligens et libertate utens. Forma quidem ens, non a seipsa, nec de divina natura, sed a Deo de nihilo per creationem in esse deducta [2] (I). Forma autem vivens (II), non ex natura extrinseca [b], sed

a) Vero om. ed. 1484.

b) Extrinseca ibid.

(I) Contra animae humanae creationem opinati sunt diversa ratione Origenes et Apollinares. Primus arbitratus est omnes animas, sive angelorum, sive hominum, simul ab initio creatas fuisse, et ab invicem natura non distingui, ex quibus, quae meruerunt, in sua remanserunt puritate, quae vero demeruerunt, juxta culpae gravitatem, in corpus plus minusve nobile detrusae fuerunt.

Apollinares autem, pater et filius, praeter alios errores, de quibus suo loco, autumarunt animas humanas non quidem a Deo in corporibus infundi, cum creantur, sed una cum corporibus generari. Ex quo errore, qui Traducianismus corporeus appellatur, spiritualitatem quoque et immortalitatem prorsus adimi nemo non videt. Idem error tribuitur Tertulliano et Luciferianis, ipso saec. IV. Est etiam Traducianismus spiritualis, de quo ad *cap. VI part. III* dicendum occurret.

(II) Contra animae humanae essentiam peccarunt nonnulli per excessum, nonnulli per defectum. Inter priores veniunt Gnostici, Manichaei, eorumque pedissequus Priscillianus una cum Pantheistis, qui eam de substantia Dei esse delirarunt. — Contra hos Conc. Toletan. I an. 400 can. 2. definivit: Si quis dixerit, vel crediderit animam humanam Dei portionem, vel Dei esse substantiam; anathema sit". Veniunt etiam Apollinaristae, qui ex tribus compositum hominem effutiebant, nempe ex corpore, ex anima vitali rationis experte, et ex mente seu ex anima rationali. Concil. Oecum. Cptanum IV his verbis eos damnavit; *can. 10:* „Cum vetus novaque lex testamenti doceat, unicam homini, eamque ratione et intelligentia pollentem esse animam; ... sunt tamen, qui duas homini esse animas asserant; ... sancta haec et oecumenica Synodus

a [c] seipsa, non vita mortali, sed vita perpetua. Forma vero intelligens, non tantum creaturam [d], sed etiam creatricem essentiam (III), ad cujus imaginem facta est per me-

c) Ita ed. Arg.

d) Ita ed. 1484. Ceterae creatam.

hujus impietatis conditores cum tota secta sua magna voce anathematizat." In eumdem sensum loquitur Pius IX contra doctrinam cujusdam canonici Baltzeri, in Literis ad Episcopum Wratislaviensem, sub die 30 Aprilis 1860. Ait enim: „Notatum praeterea est, Baltzerum, in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocasset, sitne corpori vitae principium proprium ab anima rationali reipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam et appellaret haereticam, et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse communissimam, atque Doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate ita videri conjunctam, ut hujus sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari."

Inter secundos recensentur Averroistae, pantheismi idealistici parentes, qui unicam animam humanam rationalem in cunctis hominibus asserebant, licet singulis singulas animas sensitivas concederent; et quotquot animam humanam formam esse corporis denegarunt. Inter hos veniunt, qui proscripti fuerunt in Conc. Oecum. Viennensi an. 1311, et Petrus Pomponacius, qui praeterea animae immortalitatem ratione evinci haud posse asseruit. — Contra eos est definitio Oecumenici Concil. Lateran. V an. 1513, *sess. 8,* in qua plures de anima errores damnantur: „Sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes; cum illa non solum vere et per se et essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone Clementis Pp. V in Generali Viennensi Concilio edito continetur, verum et immortalis, et pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit."

Quidam Antonius Guntherius, presb. Vindobonensis, eundem de anima errorem hisce nostris temporibus renovare conatus est; cujus scripta a Pio IX damnata fuere in appositis Literis ad Card. Coloniensem datis sub die 15 Junii 1857, in quibus, praeter alia, haec habentur: „Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se atque immediata corporis forma". Idipsum confirmat in praecitatis Literis ad Episc. Wratislaviensem. Hae tamen Literae merito proferri nequaquam possunt ad improbanda systemata philosophica, circa quae in scholis catholicis nunc fervet controversia, de materia prima et substantiali forma corporum. „Ea namque documenta pertinent tantummodo ad docendam unitatem substantialem humanae naturae, quae duabus constat substantiis partialibus, corpore nempe et anima rationali, adeoque haec eadem documenta spectant ad doctrinam theologicam; dum eae controversiae . . doctrinas mere philosophicas respiciunt, super quibus catholicae scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt: quoniam suprema Ecclesiae auctoritas numquam pro altera judicium tulit, quod alteram excluderet." *(Liter. Secretar. S. Congr. Negot. Eccles. Extraord. praepositae, 5 Junii 1877.)*

(III) *Intelligens,* ait S. D., non intuens, *divinam essentiam;* sicut superius *(cap. V hujus partis)* docuerat, primum principium nobis se reddere *cognoscibile et per scripturam et per creaturam* tantum; et alibi *(2. dist. 10. a. 1. q. 1. ad 1):* „Quamvis Deus sit praesens, tamen *propter caecitatem et caliginem intellectus nostri,* in qua sumus, ipsum cognoscimus *ut absentem.*" Vide etiam *part. I. cap. VIII passim;* et inferius *cap. XI huj. part.;* et *part. VII. cap. VII.*

Perperam igitur, et nonnisi summa injuria, Ontologi patrocinium Seraphici Doctoris implorare contendunt. Ipsi enim turpiter pro suis placitis ea S. D. verba usurpant, in quibus de cognitione Dei non per naturales vires, sed per subsidium gratiae assequenda is loquitur, de quo postremo cognitionis genere constanter in suis opusculis mysticis sermo est, ut lector etiam ex hisce illustrationibus inde depromptis facile animadvertere potuit. Quin imo ipse S. D. apertissime declarat, quod „si quae auctoritates illud dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae quod videatur in sua essentia, sed quod in aliquo effectu inferiori cognoscitur, nisi fortassis in his qui rapiuntur, sicut credimus fuisse in Paulo, qui specialitate privilegii statum viatorum supergrediuntur, nec ibi aliquid agunt, sed solum aguntur." (*2. dist. 23. a. 2. q. 3.*) Idipsum clarius alibi ostendit his verbis: „Lux divinae essentiae est supra omnem intellectum creatum, quantumcumque ille intellectus sit excellens in naturalibus; ergo nunquam intellectus creatus in illam intuendam ascendet virtute sua, nisi Deus condescendat per gratiam . . . Item impossibile est, quod aliquis oculus perveniat ad cognitionem luminis solaris, nisi per immissionem radiorum solis, quantumcumque habeat alia lumina; ergo impossibile est, quod aliquis ad cognitionem supernae lucis perveniat per illuminationem aliquam naturalem, vel acquisitam, nisi Deus suae luminositatis radium

moriam, intelligentiam et voluntatem. Forma libertate utens, quia semper est libera a coactione. A miseria vero et coactione libera fuit in statu innocentiae, licet non in

immittat. Sed missio haec non est nisi per gratiam; ergo impossibile est, quod aliqua creatura, quantumcumque nobilis, divinam lucem in seipsa per naturam cognoscat." *(2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2. fund. 4. et 6.)* Etenim „ad hoc, quod illi *(summo bono)* uniamur, necessario intervenit duplex medium. Medium unum, per quod anima nata est uniri alii a se diverso, et hoc est potentia: aliud speciale, vel spirituale, quod ipsam sublevet, et hoc est virtus" *(1. dist. 1. dub. 16)*. Et alibi: „Differt dicere *considerari* et *figi* et *comprehendi*. *Considerari* potest lux divina a mente non munda, ut a philosophis; sed *figi* non potest in illa, nisi mens a vitiis pura; *comprehendi* non potest nisi in patria. Ratio autem, quare non potest figi, est duplex. Una, quia est supra intellectum; et ideo intellectus in ea non figitur, nisi habeat gluten affectus, sed statim recedit. Alia ratio, quia oculus sanus est illi luci proportionabilis secundum qualitatem, et sic non secundum quantitatem; sed si oculus sit infirmus, sive lippus, sicut est in non habente fidem, utroque modo est improportionabilis, et ideo non figitur." *(1. dist. 2. dub. 2.)* Cfr. quaestionem anecdotam Ser. Doctoris superius *(part. I. cap. VIII)* relatam, *De ratione cognoscendi*. Consuli etiam potest cl. Sanseverino *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata, Neapoli, 1862, vol. III, art. 41,* ubi contra Ontologos expendit: „1. Num S. Bonaventura interiorem cognitionem Dei eo modo admiserit, quo a Neoplatonicis explicata fuit; 2. num facultates ratione superiores in anima agnoverit, per quas haec ad interiorem illam cognitionem pervenit."

Porro Ontologismi systema a Malebranchio Gallo, Oratorii presbytero, primum excogitatum, sed nostra aetate novo quodam modo a Giobertio expositum, in eo totum est, ut statuat cognitionem viatorum a Deo, tanquam unico intelligibili, et unico intelligibilitatis fonte esse repetendam, sive quod Deus, ut sensit Malebranchius, rerum ideas animae manifestet, sive, ut Giobertio placuit, quod ipsa anima eas ideas in Deo intueatur cum intuitione substantiali et perenni Dei creantis mundum. Clarius Ontologismum definivit Ubaghs his verbis: Ontologismus est doctrina philosophica, cujus praecipua capita haec duo sunt: 1. Lumen rationis humanae, seu lux mentium nostrarum Deus est, qui immediate animae praesens, non per speciem abstractam, sive ideam mediam vicariamve, sed nulla re interpositâ a mente percipitur, seu magis aut minus obscure cernitur. 2. Veritates aeternae, necessariae, immutabiles, quae passim absolutae vocantur, non aliquid subjectivi sunt, non merae cogitandi formulae, sed in se aliquid vere objectivi ac divini sunt, atque adeo non nisi in Deo, luce mentium, a nobis intelligi et conspici possunt." *(De mente S. Bonav. circa modum, quo Deus ab homine cognoscitur, Lovanii, 1859, in Praef. pag. V.)* — Verum contra hanc doctrinam ob oculos ponenda est declaratio Congregationis S. Romanae et Universalis Inquisitionis. Quum enim ab ipsa Congregatione postulatum fuisset, „utrum sequentes propositiones tuto tradi possint: 1. Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale; 2. Esse illud, quod in omnibus, et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum; 3. Universalia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur; 4. Congenita Dei tanquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus; 5. Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur; 6. Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit; 7. Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult, tanquam distinctum a determinata creatura, homine v. g., creaturam producit: — Feria IV die 18 septembris 1861, in Congregatione Generali habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Card. contra haereticam pravitatem in tota Republica Christiana Inquisitoribus Generalibus, iidem Eminentissimi et Reverendissimi DD., praehabito voto DD. Consultorum, omnibus et singulis propositionibus superius enuntiatis mature perpensis, proposito dubio, responderunt: *Negative.*"

Non defuerunt, qui acriter demonstrare nisi sunt hisce propositionibus Ontologismum Malebranchii et Giobertii proscriptum fuisse, minime vero illum Ontologismum moderatum, quem nonnulli tuentur. Attamen alii, „re bene considerata, contendunt damnationem septem propositionum omnis Ontologismi fundamentum convelli, eo quod Ontologismus, quem moderatum appellant, doctrinas continet plane similes illis, quae propositionibus damnatis comprehenduntur. Ut huic sententiae adstipulemur, praeter alia, nos movet judicium, quod Congregationes S. O. et Indicis, conventu simul habito die 21 septembris 1866, tulerunt de doctrinis illius auctoris *(G. C. Ubaghs)*, qui inter praecipuos moderati Ontologismi propugnatores merito recensetur; siquidem libris examini subjectis, tum alias quasdam opiniones et doctrinas notarunt, tum, quod ad praesentem quaestionem attinet, *perspicere debuerunt tradi in illis libris doctrinas plane similes aliquot ex septem propositionibus, quas S. O. Congregatio die 18 septembris an. 1861 haud tuto tradi posse judicavit,* ut ait Card.

statu naturae lapsae[3]. Haec[e] libertas a coactione nihil aliud est, quam facultas voluntatis et rationis, quae sunt potentiae animae principales.

e) Haec autem ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium sit beatissimum et benevolentissimum; ideo suâ[f] summâ benevolentiâ beatitudinem suam communicat creaturae[4], non tantum spirituali et proximae, sed etiam corporali et longinquae. Corporali tamen et longinquae communicat mediate; quia lex divinitatis[g] haec est, ut infima per media reducantur ad summa. Et ideo non tantum spiritum angelicum et separatum fecit beatificabilem, sed etiam spiritum conjunctum, scilicet humanum. Est igitur anima rationalis forma beatificabilis. Et quia ad beatitudinis praemium pervenire non est gloriosum, nisi per meritum, nec mereri[h] contingit, nisi in eo, quod voluntarie et libere fit; ideo animae rationali libertatem arbitrii dari oportuit, per remotionem omnis coactionis[5]; quia hoc est de natura voluntatis, ut nullatenus possit cogi, licet per culpam misera efficiatur et serva peccati[6]. Rursus, quia forma beatificabilis est capax Dei per memoriam[7], intelligentiam[8] et voluntatem[9], et hoc est esse ad imaginem[10] Trinitatis, propter unitatem in essentia et[i] trinitatem in potentiis[11 j]; ideo animam hominis[k] necesse fuit esse intelligentem Deum et omnia, ac per hoc imagine Dei insignitam. Et quia nihil beatum potest beatitudinem amittere, nihil poterat[l] esse beatificabile, nisi esset incorruptibile et immortale[12]; necesse igitur fuit animam rationalem immortali vita de sui natura esse viventem[13]. Postremo, quia omne, quod ab alio beatificabile est et immortale, est mutabile, secundum bene esse, et incorruptibile secundum esse; ideo anima nec a se est, nec de divina natura[14], quia mutabilis[15]; nec producta de aliquo, nec per naturam generata, quia est immortalis et incorruptibilis. Et ita haec forma non potest per generationem in esse introduci, quia omne naturaliter generabile, est naturaliter corruptibile. Ex his apparet, qualiter finis beatitudinis necessitatem imponit praedictarum conditionum ipsi animae ad beatitudinem ordinatae. Quoniam autem natura[m] beatificabilis est immortalis; ideo cum unitur cor-

f) Sua om. ibid.

g) Deitatis ibid.

h) Meritum ibid.

i) Et om. ibid.

j) Potentia ibid.

k) Hominis om. ibid.

l) Poterit ibid.

m) Natura ed. Ven. et 1484 recte; ed. Rom. ut.

pori mortali, potest ab eo separari[16], ac per hoc non tantum forma est, verum etiam hoc aliquid[17]: et ideo[n] non tantum unitur corpori ut perfectio[18], verum etiam ut motor[19]; et sic perficit per essentiam[20], quia movet pariter per potentiam. Et quoniam ipsa non tantum dat esse, verum etiam vivere et[o] sentire et intelligere; ideo potentiam habet vegetativam et[p] sensitivam et intellectivam[21], ita quod per potentiam vegetativam generat, nutrit et augmentat. Generat ut quid, nutrit ut quale, augmentat ut quantum. Per sensitivam[22] vero apprehendit sensibilia[23], retinet apprehensa, componit et dividit retenta. Apprehendit quidem per sensitivam exteriorem quinquepartitam, secundum correspondentiam ad quinque mundi corpora principalia[24]; retinet per memoriam; componit et dividit per phantasiam, quae est prima virtus collativa[25]. Per intellectivam autem discernit verum, refugit malum et appetit bonum. Verum quidem discernit per rationalem, malum repellit per irascibilem, bonum appetit per concupiscibilem[26].

n) Ideo om. ed. 1484.

o) Et om. ibid.

p) Et om. A BEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

Rursus, quia discretio est veri cognitio[q], fuga et appetitus est affectio; ideo tota anima dividitur in cognitivam[27] et affectivam[28]. Amplius, quoniam cognitio veri est du-

q) Discretio veri est cognitio, ed. 1484.

Patrizi, litt. ad Archiep. Mechliniensem die 2 martii 1866 datis.“ (Vecchiotti, *Instit. Canon. Aug. Taur. 1875. vol. I. cap. V. § 72.*) Consulantur *Acta S. Sedis in compendium redacta,* vol. III. pagg. 205—224.

plex, vel veri ut veri, vel veri ut boni[29]; et hoc, vel aeterni, quod est supra animam, vel temporalis, quod est infra; hinc est, quod [r] potentia cognitiva[30], utpote intellectus[31] et ratio dividuntur, ita quod intellectus[32] in speculativum et practicum[33], ratio in superiorem portionem et inferiorem, quae potius nominant diversa officia, quam diversas potentias[34].

r) Quod om. ibid.

Postremo, quoniam appetitus dupliciter potest ad aliquid ferri, scilicet secundum naturalem instinctum[35], vel secundum deliberationem et arbitrium; hinc est, quod potentia affectiva dividitur in voluntatem naturalem et voluntatem electivam, quae proprie voluntas dicitur[36]. Et quoniam talis electio indifferens est ad utramque partem, ideo est a libero arbitrio. Et quoniam haec [s] indifferentia consurgit ex deliberatione praeambula et voluntate adjuncta; hinc est, quod liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis[37], ita quod [t], sicut dicit Augustinus *(de spir. et an. c. 13, 34—35)*, omnes praedictas rationales potentias comprehendit[38]. Ait enim: Cum [u] de libero arbitrio loquimur, non de parte animae loquimur, sed certe de tota anima [v]. Ex concursu namque illarum potentiarum[39], rationis super seipsam redeuntis, et voluntatis concomitantis, consurgit integritas libertatis, quae est principium meriti vel demeriti, secundum electionem boni vel mali[40].

s) Haec om. ibid.

t) Quod om. ibid.

u) Cum enim ibid.

v) Anima om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

Ad Caput IX.

[1] „Mens dicitur ab actu essentiali; propterea est intelligendum quod quo est potest intelligi, in quantum dat animae esse generalissimum; et sic dicitur essentia: vel in quantum dat esse generale; et sic dicitur vita, quia anima est in genere viventium: aut in quantum dat esse spirituale; et sic dicitur mens, mens enim non dicitur, nisi quod vivit vita intellectiva. Vel anima, in se dicitur essentia; ut actus corporis, vita; ut perfectibilis a Deo, mens.“ *1. dist. 3. p. 2. dub. 9.*

[2] „Animam Adae statim in corpore creatam fuisse, est probabilius asserendum, licet de hoc dubitaverit Augustinus.“ *2. dist. 17. a. 1. q. 3.*

[3] „Anima est substantia spiritualis, corpori, ut forma rectrix et vivificatrix accommodata, et ad aeternam beatitudinem principaliter ordinata.“ *Decl. Term. Theol.*

[4] „Dilectio Dei ad creaturam non est affectio, sed affectus communicatio. Communicatio autem secundum rationem habitualem attenditur secundum bonitatem, quia bonum est, quod natum est se communicare: secundum rationem vero actualem attenditur, sive respicit voluntatem, quia enim vult, ideo facit. Ratio ergo communicandi venit ex voluntate et bonitate, sicut ratio cognoscendi ab exemplari et intelligentia.“ *1. dist. 1. a. 3. q. 2. ad 3.*

[5] „Libertas a coactione est facultas rationis et voluntatis, consurgens ex deliberatione praeambula, et voluntate adjuncta, et dicitur liberum arbitrium.“ *Decl. Term. Theol.* — „Arbitrii libertas et privative dicitur, et positive. Privative dicitur per comparationem ad illud, respectu cujus dicitur libertas, ut a quo. Positive, per comparationem ad illud, respectu cujus dicitur libertas, ut ad quod. Libertas autem opponitur servituti: servitus autem duplex est, videlicet servitus coactionis, et servitus subjectionis. Servitus autem subjectionis potest esse sub duplici differentia, secundum quod duplex est malum, scilicet malum quod patimur, et hoc est malum miseriae, et in hoc attenditur libertas a miseria; et malum quod facimus, et hoc est malum culpae, et in hoc attenditur tertia libertatis differentia. Et sic patet, quod libertas, secundum quod consideratur per comparationem ad illud, a quo est libertas, habet dividi in tres differentias, quae sunt libertas a necessitate, a culpa et a miseria. Si autem consideretur libertas per comparationem ad illud ad quod, scilicet ad actum, in quem exit, hoc potest esse, aut prout simpliciter consideratur respectu actus volendi; et sic dicitur libertas arbitrii. Aut prout consideratur respectu actus volendi ad finem relati, qui dicitur usus, vel uti; et sic attenditur libertas consilii. Aut respectu actus volendi quietati, qui quidem dicitur actus fruitionis; et penes hunc attenditur libertas complaciti . . . Possent tamen ad unam communem rationem dividendi reduci sic. Est enim considerare libertatem arbitrii quantum ad esse et quantum ad bene esse. Si quantum ad esse, sic vocatur a Magistro libertas a coactione, et a Bernardo libertas arbitrii, ab uno positive, ab altero privative. Si quantum ad bene esse, cum ad bene esse concurrat duplex bonum, videlicet bonum rectificans et bonum delectans, sive bonum ordinans et bonum quietans; et per oppositum excludatur duplex malum, videlicet malum deformans et malum affligens; sic est duplex differentia, quarum una sumitur respectu boni dirigentis, et haec dicitur libertas consilii a Bernardo, et a Magistro libertas a culpa; alia vero sumitur respectu boni quietantis, et haec a Bernardo vocatur libertas complaciti, et a Magistro libertas a miseria. Idem enim ipsum, quod Bernardus nominat positive, sive per comparationem ad terminum ad quem, Magister nominat privative, sive

per comparationem ad terminum a quo.“ *2. dist. 25. p. 2. dub. 2.* Cfr. etiam eandem *dist.* per integrum.

[6] Vide inferius *part. III. c. I.*

[7] „Memoria est illa vis, quae conservat formas sensibilium specierum.“ *Decl. Therm. Theol.* — „Actum memoriae contingit accipere et per modum habitus, et iste est retinere speciem, et esse dicitur per modum habitus, quia continue tenet, et dicit magis statum, sive conservationem, quam actionem. Est et alius actus memoriae per modum usus, sive actus, qui est meminisse sive recordari. Primus quidem actus naturalis est, et non subest voluntati, nec penes illum attenditur meritum vel demeritum. Secundus vero actus potest ordinari ad bonum et ejus oppositum, scilicet ad malum ... Memoria habet naturam specularem, sive speculi: intelligentia naturam luminosam, sive luminis.“ *2. dist. 7. p. 2. a. 1. q. 2. concl. et ad 3—4.* — „Ad memorandum autem duo requiruntur, scilicet fortis impressio et frequens reiteratio.“ *Expos. in Sap. c. 2. v. 4.*

[8] „Intellectus est illa vis animae, qua anima apprehendit res immateriales et intelligibiles.“ *Decl. Term. Theol.*

[9] „Voluntas dicitur potentia, et sic definitur ab Anselmo *(l. c.):* Voluntas est instrumentum per seipsum movens. Dicitur actus, sive motus potentiae, et sic definitur ab Augustino: Voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid admittendum, vel non admittendum, vel adipiscendum, vel non adipiscendum. Dicitur etiam volitum, ut cum dicit aliquis: Haec est mea voluntas. Sex sunt actus ad voluntatem liberam pertinentes, secundum Damascenum, scilicet consilium, judicium, sententia, electio, operatio et usus. Liberum arbitrium vult, ecce voluntas: inquirit et scrutatur, ecce consilium: judicat, ecce judicium: disponit, ecce sententia; eligit, ecce electio, quae est duobus placentibus alterum praeoptare; impetum facit, ecce operatio; agit, ecce usus.“ *Centiloq. p. 3. sect. 22.*

[10] „Imago attenditur in his tribus potentiis cum comparatione ad unitatem essentiae et pluralitatem actuum, in quibus est distinctio et ordo et origo unius ab altero per modum quemdam disponendi. Nam retentio speciei disponit ad intelligendum, et intelligentia ad amandum, secundum quod intelligitur esse bonum.“ *1. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 1.* Cfr. quoque *2. dist. 16. a. 1. qq. 2. 3, et a. 2.*

[11] „Potentiae animae sunt substantiales, et sunt in eodem genere per reductionem, in quo est anima: non sunt tamen omnino idem per essentiam.“ — „Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod potentia naturalis dicitur tripliciter. Primo modo, prout dicit modum existendi naturalis potentiae in subjecto, secundum quem dicitur subjectum facile vel difficile ad aliquid agendum; et sic naturalis potentia dicit modum qualitatis, et est generaliter in secunda specie qualitatis ... Secundo modo potentia naturalis dicitur potentia naturaliter egrediens a substantia. Et hoc potest esse dupliciter, uno modo aliqua potentia egreditur a substantia cum accidente, ut potentia calefaciendi, ignis enim per suam substantiam non calefacit sine caliditate: et haec potentia non est alterius generis, quam sit qualitas, a qua egreditur ... Alio modo dicitur naturalis potentia, quae naturaliter egreditur de substantia immediate, sicut potentia generandi, quantum ad inductionem ultimae formae: et haec quidem non est alterius generis cum substantia, sed reducitur ad genus substantiae tamquam substantialis differentia. Per hunc modum intelligendum est in potentiis animae. Nam uno modo convenit nominare potentias animae secundum primum modum, ut dicunt facilitatem, quae dicit modum potentiae existendi in subjecto, sicut ingeniositas et tarditas; et haec quidem sunt in secunda specie qualitatis. Alio modo convenit potentias nominare, prout dicunt ordinem substantiae ad actum, qui est mediante aliqua proprietate accidentali, ut potentia syllogizandi, quae est in anima, cum habet aditum syllogizandi; et haec est in eodem genere, in quo est scientia syllogizandi, ut in prima specie qualitatis. Contingit iterum nominare potentias animae, ut immediate egrediuntur a substantia, ut haec tria, memoriam, intelligentiam et voluntatem. Et hoc patet, quia omni accidente circumscripto, intellecto quod anima sit substantia spiritualis, hoc ipso quod est sibi praesens et sibi conjuncta, habet potentiam ad memorandum et intelligendum se. Unde istae potentiae animae sunt substantiales, et sunt in eodem genere per reductionem, in quo est anima. Attamen quoniam egrediuntur ab anima, potentia enim se habet per modum egredientis, non sunt omnino idem per essentiam, nec tamen adeo differunt, ut sint alterius generis, sed sunt in eodem genere per reductionem. Et potest satis manifestum exemplum dari in re et in similitudine ejus. Nam res non habet tantam identitatem cum sua similitudine, ut sint uno numero, nec tantam diversitatem, ut differant numero. Similitudo enim Martini non adeo distat a Martino, ut penitus differat ab eo. Et ideo similitudo rei in eodem genere est per reductionem cum eo, cujus est similitudo. Quia enim egreditur, ideo differt; sed non transit in aliud genus. Et loquor de similitudine secundum rationem similitudinis, non intentionis, id est, prout a subjecto exit et non recedit, ut splendor a luce.“ *1. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 3.*

[12] „Licet in cognitionem immortalitatis animae rationalis multiplici via possemus deduci et manuduci, potissimus tamen modus deveniendi in ejus cognitionem est ex consideratione finis. Et hunc modum praecipue approbat Augustinus *(l. 12 de Trin. et de Civ. Dei).* Nec immerito, quia finis imponit necessitatem his, quae sunt ad finem. Hoc igitur primo supponendum est tamquam verum et certum, quod anima rationalis facta sit ad participandam summam beatitudinem; hoc enim adeo certum est ex clamore omnis appetitus naturalis, quod nullus de eo dubitat, nisi cujus ratio est omnino subversa. Certissimum enim est nobis, quod omnes volumus esse beati. Si igitur beatus esse non potest, qui bonum, quod habet, potest admittere, quia hoc ipso jam habet, unde timeat, et unde etiam doleat, et ita unde miser existat; necesse est igitur, quod si anima facta est capax beatitudinis, ipsa sit per naturam immortalis. Et si colligitur ejus immortalitas ex parte causae finalis, colligitur etiam nihilominus consequenter ex parte causae formalis. Quia enim facta est ad participandam beatitudinem, quae consistit in solo summo bono, facta est capax Dei, et ita ad ipsius imaginem et similitudinem. Sed si est imago Dei, expresse ei assimilatur; hoc autem non esset, si mortis termino clauderetur; ergo cum sit de natura sua imago Dei, non potest mortis termino claudi. Ex hoc etiam habetur et colligitur ratio ex parte materiae. Quia enim ipsum, quo est

anima, sive forma, tantae dignitatis est, ut ipsam animam reddat Dei imagine insignitam, quae est conditio nobilissima; materia, quae huic formae unitur, tanto appetitu ei conjungitur, et ita ejus appetitus in ipsa terminatur, quod nullatenus queat aliam formam appetere, cum optima colligantia jungantur ad invicem. Denique ex parte causae efficientis colligitur. Et quoniam quod bona ratione junctum est, dissolvi velle non est Dei efficientis; hinc est, quod Deus, qui fuit animae auctor, est continuus animae conservator. Et sic patet ratio immortalitatis animae ex quadruplici genere causae, quamvis principaliter sumatur ex fine." *2. dist. 19. a. 1. q. 1.*

[13] „Anima separata, licet sensu interiori et exteriori non utatur, tamen per unam intellectivam potentiam, quae aliis nobilior est et potentior, habet usus omnes, quos hic per alias potentias exercebat." — „Circa hanc quaestionem triplex fuit Doctorum opinio. Quidam namque dixerunt, quod anima separata, cum trahat secum omnes potentias, omnibus utitur tamquam substantia liberior: et dicunt non esse credendum philosophis in hac parte, quia nec recte intellexerunt cognitionem post separationem animae, nec ulterius unitatem, propter quam in una anima sunt tres potentiae. Item rationalis, sensibilis et vegetabilis in eadem substantia perpetuo radicantur, cum qua necessario separantur, quod philosophi non cognoverunt, sed Sancti. Et quoniam fides nostra dicit animas cruciari ignibus, et Cassiodorus dicit, quod aliis sensibus efficacius valent; ideo posuerunt animam usum omnium potentiarum habere. Secunda positio est, quod anima habeat potentias sensitivas, illa, inquam, quae rationalis est. Sed quoniam omnes sensitivae exteriores uniuntur in origine et in sensu communi, et distinguuntur in organis; ideo necessario, cum anima separatur a corpore, recurrunt omnes potentiae ad unam originem, scilicet ad sensum communem, et per illum sensum potest anima libera quod poterat per omnes alios exteriores ratione alligationis cum corpore, et illo utitur ad actus omnium sensuum; et ita utitur sensu interiori, non solum intellectu: et iste sensus est, qui trahit secum phantasma et ipsam potentiam. Et hanc positionem confirmant per Augustinum, qui dicit *(de sp. et an. et 12 sup. Genes. ad litt.)*, quod anima trahit secum imagines rerum corporalium; et ideo per illas imaginatur et cognoscit; ergo utitur potentia sensitiva interiori. Tertia positio est, quod anima rationalis separata nihil cognoscit, nisi mediante potentia intellectiva. Per illam autem potest cognoscere non solum intelligibilia, vel ea, quorum habet species, sed etiam omne illud, quod cognoscebant aliae potentiae, propter sui libertatem, sicut unus Angelus. Per potentias autem sensitivas nihil potest operari, sicut nec per vegetativas, quoniam dependent ab organo corporali, sicut manifestum est intuenti. Ergo sicut corpore corrupto nihil operatur per potentias, quae respiciunt vegetabilem; ita nihil operatur per potentias, quae respiciunt sensibilem. Per intellectum autem cognoscit res sub conditionibus materialibus, praesente materia, et hoc est sensus exterioris; et res sub conditionibus materialibus, absente materia, et hoc est imaginationis; et illas etiam res cognoscit, abstractis omnibus materialibus: et haec omnia vere facit. Et ideo recte dicitur anima separata sentire, imaginari et intelligere, non per diversas potentias, sed per unam, quae potens est omnibus his modis cognoscere, sicut ponere est in Angelo. Ad majorem autem intelligentiam est notandum, quod sicut in omni potentia vel natura est aliquid, quo est fieri, et aliquid, quo est facere; sic et in omni cognitione. Et cum haec sit prima divisio potentiae per activum et passivum, necesse est ista differre. Verumtamen secundum gradus minoris et majoris simplicitatis spiritualitatis habent majorem et minorem differentiam. Intellectiva namque, pro eo quod est spiritualior et abstractior, habet utramque potentiam, quae respicit substantiam spiritualem, ita quod activa est ratione ipsius, quo est, et passiva ratione ipsius, quod est, scilicet materiae et formae. In potentia autem sensitiva, quae est minus spiritualis, activa potentia est ex parte animae, et passiva ex organo; et ideo, quia sensus non est sine actione et passione, sentire dicitur esse operatio conjuncti. Et iterum, cum activa nihil agat sine passiva, et quando anima amittit corpus, amittit passivam respectu actus sentiendi; ideo impossibile est, quod aliquo sensu utatur, sive interiori, sive exteriori, quamdiu est separata. Haec autem opinio magis est rationi consona, nec repugnat fidei, nec Sanctorum auctoritati. Ponit enim, quod anima per potentiam intellectivam intelligat et cognoscat his tribus modis, quibus nunc et Angelus similiter, his, inquam, tribus modis a parte rei cognitae: et illud dicitur intelligere et imaginari et sentire, secundum quod Sancti dicunt." *4. dist. 50. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Animae separatae cognoscunt nostra per conjecturam propria consideratione, et per instructionem alterius." — „Est aliquid cognoscere dupliciter, scilicet propria consideratione et alterius instructione. Cognitio per propriam considerationem est duplex, aut enim est rei ut praesentis et per certitudinem, aut est rei ut absentis et per quamdam conjecturationem. Similiter instructionis cognitio est duplex, aut enim est per revelationem alterius, aut per revelationem Dei. Cum igitur sit quadruplex modus cognoscendi, primus non est in animabus separatis, quantum ad actus nostros, quamdiu sunt in locis sibi deputatis, distant enim a nobis, nisi fortassis divina permissione veniant ad nos. Secundus vero, qui est per quamdam conjecturationem (sicut nos facimus de illis, quos novimus, cum sint nobis absentes), in damnatis esse potest, non in bonis, quia huic admixtus est error et dubietas. Tertius per revelationem potest esse in bonis, quibus referunt Angeli boni, et in malis, quibus referunt daemones, vel ipsi damnati. Quartus vero per illustrationem et revelationem tantum in bonis. Unde Augustinus *(l. de cura mort. agend. c. 15)*, possunt, inquit, spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse, non solum praesentia, sed etiam praeterita et futura, spiritu Dei revelante, cognoscere. Et Gregorius *(l. 4. dial. c. 33)*: Fit in electis quoddam mirabile, ut etiam illos, quos hic nunquam viderunt vel noverunt, bonos cognoscant. Non tamen omnia cognoscunt, sed quaedam per revelationem." *Ibid. q. 2.*

[14] „Anima humana non est producta de Dei substantia; Deus enim ad creaturas se habet in ratione efficientis et formalis et finis; sed nullo modo potest se habere in ratione materialis, quantumcumque creatura sit nobilis, quia quod se habet ut materiale respectu alicujus, est minus completum ipso." *2. dist. 17. a. 1. q. 1.*

[15] „Si forte quaeratur, quo modo posset esse prius et posterius sine novitate circa esse, dicendum quod sicut videmus, quod aliter egreditur fluvius a fonte, aliter radius a sole, sic in proposito videmus. Nam rivulus sic egreditur a fonte, quod nova aqua semper exit, non eadem: radius a sole continue egreditur, non quia semper novum aliquid emittatur, sed quia, quod emissum est, continuatur; unde solis influentia non est aliud quam continuatio dati. Similiter in motu et in esse rei mobilis aliqua proprietas habita amittitur, vel non habita acquiritur; sed in esse rei aeviternae quod primo datum est, per continuam Dei influentiam continuatur. Nulla enim creatura est omnino actus, nec aliqua ejus virtus; unde continue indiget divina virtute cooperante. Ideo, etsi esse totum habeat, tamen continuationem esse non habet totam simul; et ideo est ibi successio sine aliqua innovatione circa esse, vel proprietatem absolutam, tamen ibi est vera continuatio, respectu cujus creatura habet esse quodammodo in potentia, ac per hoc habet successionem. Deus igitur solus, qui est actus purus, est actu infinitus; et totum esse et posse sui esse simul habet.“ *2. dist. 2. p. 1. a. 1. q. 3.*

[16] „Aliqui dicunt, quod anima secundum essentiam est in aliqua parte determinate, secundum potentiam vero est et fluit in toto corpore, sicut aranea est in tela. Unde dixerunt, quod est in corde, quia cor est domicilium vitae, et ejus inhabitator est anima. Et ad hoc ponendum movit eos experimentum cum defectu rationis. Experimentum, quia visibiliter apparet, quod, laeso corde, separatur anima, et ab ipso influit sensus et motus, et est membrum nobile, existens in medio, sicut centrum corporis. Defectus rationis, quia non potuerunt intelligere, quomodo aliquid limitatum sit unum et idem totum in pluribus: et quia fides non cogit credere, et ratio non intelligit; ideo dicunt non esse ponendum, quod sit in toto, ratione cujuslibet partis. Sed aliorum opinio est, ut Augustini *(l. 6. de Trin. c. 6)*, quod anima in qualibet parte corporis sit tota. Et ad hoc ponendum movet experimentum, exemplum et rationabile argumentum. Experimentum, quia anima in partibus distantibus a corde ita cito sentit, sicut et in propinquis. Item, quia simul quasi in ictu oculi sentit laesionem in partibus distantibus; et cum anima separatur, dolor est in singulis partibus et resolutio. Exemplum similiter movet, sicut dicit Augustinus. Videmus enim, quod in animali perfecte sano est una sanitas in singulis partibus, nec major in majori, nec minor in minori. Si ergo hoc est in forma corporali, quanto magis in spirituali? Movet rationis argumentum, quia anima est forma simplex et motor sufficiens. Quia forma totalis corporis est in toto; quia vero simplex, non est secundum partem et partem sui. Quia motor sufficiens, ideo non habet situm; et ideo nec est in puncto, nec in parte determinata. Et quia magis rationalis est opinio, quae fundatur supra rationem, quam quae fundatur supra defectus rationis, quia Augustinus hoc dicit *(l. c.)*, hanc approbo tamquam meliorem.“ *1. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 3.*

[17] „Omnis creatura per se existens et in se, est hoc aliquid.“ *1. dist. 37. p. 1. a. 2. q. 1. fund. 3.* — Id est individuum, nam „individuum est hoc aliquid. Quod sit hoc, principalius habet a materia, ratione cujus forma habet positionem in loco et tempore. Quod sit aliquid, habet a forma. Individuum enim habet esse, habet etiam existere. Existere dat materia formae, sed essendi actum dat forma materiae. Individuatio igitur in creaturis consurgit ex duplici principio.“ *2. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 3.*

[18] „Hoc quod est animam uniri corpori humano, sive vivificare corpus humanum, non dicit actum accidentalem, nec dicit actum ignobilem. Non accidentalem, quia ratione illius est anima forma substantialis. Non ignobilem, quia ratione illius est anima nobilissima forma omnium, et in anima stat appetitus totius naturae. Corpus enim humanum nobilissima complexione et organizatione, quae sit in natura, est organizatum et complexionatum; ideo non completur, nec natum est compleri, nisi nobilissima forma, sive natura.“ *2. dist. 1. p. 2. a. 3. q. 2.* — „Uniri corpori non est proprium animae rationalis, sed tantum uniri corpori humano, sicut dicit illud quod est animae essentiale et nobile; sic etiam importat, quod est proprium ... Illud, quo mediante anima perficit corpus humanum, est illud quo anima est anima rationalis, et quod etiam est principium aliarum nobilium operationum, nam perficit illud non mediante potentia, sed perficit seipsa, seipsa enim anima perficit corpus, sicut forma seipsa unitur materiae.“ *2. dist. 1. p. 2. a. 3. q. 2. ad 2 et 3.*

[19] „Cum anima uniatur corpori ut perfectio et ut motor, quaedam sunt operationes, quae consequuntur ipsam animam in corpore, ut est motor, quaedam ut perfectio, quaedam partim sic et partim sic. Differenti autem modo exercet anima in corpore operationes, quae sequuntur ipsam ut motorem et ut perfectionem. Nam operationes, quae consequuntur animam ut motorem, sic exercet per corpus, quod illas easdem exercet in corpus, quia non solum movet alia corpora, sed etiam corpus proprium. Operationes vero, quae consequuntur animam in corpore, ut est perfectio, sic exercet anima in corpore per corpus, quod exercet eas cum corpore, sicut patet, quia anima clauso oculo corpus aliquod videre non potest. Tertias autem operationes exercet in corpore quasi utroque modo; et ideo primae competunt animae, ut est hoc aliquid, et motor differens a mobili, secundae vero ut est forma juncta materiae ... Hoc melius patet, si descendamus exemplificando. Motus progressivus, sive quicumque alius sit membrorum exteriorum, est ab anima in corpore, ut est motor, vel motrix .... sentire vero per organa corporis competit animae, ut est illorum organorum perfectio. Sicut enim anima perficit totum corpus, ita visus, sive potentia visiva, perficit oculum ... Ridere vero est operatio, quae partim competit animae, ut est motor, partim ut est perfectio. Ibi enim est quaedam cordis exhilaratio, et haec est ab anima, ut est perfectio. Est etiam ibi quaedam genarum motio, et haec est ab anima, ut est motor.“ *2. dist. 8. p. 1. a. 3. q. 2.*

[20] „Anima rationalis non tantum est perfectio corporis humani secundum potentias sensibiles, cum corpus humanum sit ordinatum ad nobiliorem perfectionem, quam sit corpus brutale; sed secundum se totam, hoc est secundum complementum suae essentiae, et suarum potentiarum universitatem est corporis perfectio, et habet ad ipsum naturalem appetitum et inclinationem et conjunctionem, ac per hoc delectationem et compassionem.“ *3. dist. 16. a. 2. q. 1.*

[21] „Anima, ut est perfectio corporis, ratione suae substantiae vel essentiae, respicit complexionis aequalitatem, ratione vero potentiarum respicit organorum diversitatem. Et iterum anima in se et vivere habet et agere; sed vivere per seipsam et propriam formam, agere vero per potentiam.“ *2. dist. 26. a. 1. q. 5.* — „Sensibilis et rationalis in homine ejusdem sunt substantiae, et ab eodem principio habent educi in esse, videlicet a Creatore, pro eo quod in nobis non nominant diversas substantias, sed diversas potentias ejusdem substantiae . . . Et hoc idem valde est rationabile ponere in homine unam substantiam perficientem, quae dat ei vitam, sensum et intellectum . . . Notandum, quod sensualitas tribus modis accipitur. Uno modo sensualitas dicit dispositionem ex parte carnis ad actum virtutis sensitivae . . . Alio modo dispositionem ex parte carnis ad sentiendum cum virtute spirituali movente, nondum anima carnem perficiente. Et talis sensualitas est in embryone ante ipsius completam animationem, ibi enim non potest esse substantia animae perficiens, cum sit perfectio corporis physici organici, nec possit actualiter existere nisi corpore existente in debita complexione et organizatione . . . Tertia vero sensualitas est, quae non tantum dicit dispositionem cum virtute movente, sed etiam habilitatem, quae inest ex anima perficiente. Primo et secundo modo accipiendo sensualitatem, sic est in nobis a generante . . . Tertio modo sensualitas est in homine ab anima perficiente, quae quidem non habet esse per generationem, sed per creationem.“ *2. dist. 31. a. 1. q. 1.*

[22] „Sensualitas est potentia animae, quae sensificat corpus et movet, et appetit delectabilia corpori, et refugit nociva. Sensus est illa vis animae, qua homo cognoscit res corporeas praesentes . . . Sensus communis est, in quo omnes sensus particulares concurrunt.“ *Decl. Term. Theol.* — „Dicendum, quod si agens *(intellectus)* possit abstrahere, sive formare cognitionem in intellectu possibili, tamen operatio ejus dependet et a certitudine rei extra, et intrat a sensu; quia, deficiente re, perit scientia, et deficiente sensu, necesse est unam scientiam deficere.“ *Expos. in Eccles. c. 7. v. 5.*

[23] „Sensus non errat circa proprium objectum . . . quantum est de sui natura, salva scilicet media dispositione organi, medii et subjecti. Intelligitur etiam de sensu particulari per se.“ *2. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 3. ad 1.* — Nam „sensus est operatio animae in corpore secundum conformitatem organi ad objectum.“ *2. dist. 15. a. 1. q. 2. fund. 1.*

[24] „Nam per visum intrant corpora sublimia et luminosa et cetera colorata, per tactum vero corpora solida et terrestria, per tres vero sensus intermedios intrant intermedia, ut per gustum aquea, per auditum aërea, per odoratum vaporabilia, quae aliquid habent de natura humida, aliquid de aërea, aliquid de ignea, seu calida, sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto. Intrant igitur per has portas tam corpora simplicia, quam etiam composita ex his mixta.“ *Itiner. c. 2. n. 3.* Vide etiam *2. dist. 14. p. 1. a. 1. q. 2.*

[25] „Phantasia est virtus animae sensitiva, quae componit in formas novas, secundum similitudinem formarum a particularibus sensibus receptarum.“ *Decl. Term. Theol.* — „Phantasia dupliciter accipitur, aliquando pro vi sensitiva collativa sensibilium receptorum a sensu particulari: aliquando phantasia dicitur apparitio, secundum quod dicitur a phanos, quod est apparitio. Et primo modo est in solis corporibus, secundo modo in spiritibus.“ *2. dist. 7. p. 2. a. 1. q. 1. ad 1.* — „Dupliciter obsequitur vis phantastica intellectui in actu intelligendi, in hoc videlicet quod offert phantasmata intellectui possibili, sicut objectum offert speciem oculo; et in hoc etiam, quod intellectus excitari habet ab inferiori, quamdiu est conjunctus corpori.“ *2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 6.*

[26] „Cum facta esset anima, quod capax esset summae beatitudinis, in qua haberet summam gloriam, et summam delectationem in Deo, qui est summa et vera beatitudo, datus fuit animae duplex appetitus naturaliter ad hoc, ut ista desideraret, et studeret obtinere; et cum obtinuisset, tanto jucundius possideret, quanto ardentius concupisceret. Datus fuit ei appetitus gloriae talis, ut nulla sufficeret ei praeter summam gloriam; et appetitus delectationis talis, ut non satiaret eam aliqua, nisi summa delectatio; et utraque est in solo Deo; et ita nihil sufficit animae praeter Deum, et iste appetitus vocatur concupiscibilitas. Item ex hac orta est alia vis in anima; quia cum tantum concupisceret bonum summum, docente vi rationali, per quod beatificanda erat, naturaliter horrebat et detestabatur et repellebat omne, quod ad hanc obtinendam contrariabatur ei; et quidquid ad eam obtinendam prodesset et conservandam, fortiter apprehendebat et tenebat. Et haec vis vocatur irascibilitas juxta irae similitudinem, quae fortiter indignatur contrariis, et fortiter tenet, quod cupit. Per vim rationabilem cognoscit bonum et melius et optimum. Per concupiscibilem appetit bonum et melius bonum amplius, et optimum bonum maxime. Per vim irascibilem tenet et inhaeret bono, et quae ad hoc prodesse poterant, fervide apprehendit, et quae ei obesse poterant, indignanter repellit et fugit.“ *De profect. Religiosorum, lib. 1. c. 8.*

[27] „Substantia intellectiva nihil cognoscit, nisi quod abstrahitur a materia . . . Hoc facit propter hoc, quod res non potest ei uniri secundum veritatem. Ideo oportet quod uniatur secundum similitudinem, quam anima abstrahit a re. Alia est etiam ratio, quia intellectus per similitudinem, per quam intelligit, debet fieri in actu intelligendi, illud autem, quod facit rem esse in actu, species est et forma; ideo anima non cognoscit rem, nisi speciem ejus et formam sibi imprimat, et hoc non potest esse nisi illa abstrahatur a materia.“ *2. dist. 17. a. 1. q. 2. ad 4.* + „Quando dicitur, quod ad actum intelligendi requiritur, quod ex intellecto et intelligente fiat unum, hoc intelligitur quantum ad speciem, quae unitur intellectui, non quantum ad ipsum objectum extrinsecum. Illa autem species, quae intellectui unitur, habet comparationem ad intellectum in quo est, et ad objectum ad quod est, et quod repraesentat. Et quamvis in comparatione ad objectum habeat unitatem quodammodo in diversis cognoscentibus, quia ad idem in quantum est ratio et similitudo ejusdem; tamen in comparatione ad animam, in qua est, habet diversitatem. Et potest poni exemplum de speciebus receptis in duobus speculis vel in duobus oculis.“ *2. dist. 18. a. 2. q. 1. ad 5.*

[28] „Ratio et voluntas, sive intellectus et affectus, sunt diversae potentiae, non tamen distinctae per essentiam.“ *2. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 1.*

[29] „Bonum enim, in quantum bonum, est objectum

affectus, non intellectus. Intelligentiae autem et memoriae objectum est verum sub ratione veri, vel bonum sub ratione veri.“ *2. dist. 39. dub. 1.* — „Verum dicitur tribus modis, ita et vanum sibi oppositum. Uno modo dicitur verum, secundum quod convertitur cum ente; et sic dicitur, quod omne ens est verum: et sic vanum vero oppositum dicitur non ens, sicut dicimus quod chimaera non est ens. Alio modo dicitur verum, secundum quod ultra entitatem addit ordinem ad operationem et finem; sicut dicitur verum vinum, quod habet veram operationem vini; sic homo verus, qui habet operationem debitam homini; et haec est operatio virtutis: et sic vanum dicitur per privationem ordinationis in finem; et sic peccata omnia et abusiones vanae fiunt. Alio modo dicitur verum, secundum quod addit supra esse impermixtionem ad non esse, quod nullo modo habet potentiam ad illud; et sic dicitur habere verum esse, quod habet esse immutabile: et hoc modo vanum opponitur vero per privationem esse illius, quod est immutabile et intransmutabile. Et sic omnis creatura est subjecta vanitati *(Rom. 8, 20)*, quia mutabilitati.“ *Proëm. in Ecclesiasten.* — „Speculationes intellectuales sunt quinque, scilicet scientia, ars, prudentia, sapientia, intelligentia. Speculatio autem consistens in se, aut transit in effectum, aut affectum . . . Notitia transiens in affectum est sapientia, quae est cognitio causarum altissimarum, et per causas altissimas: notitia autem transiens in effectum extrinsecum, est ars, quae est habitus cum ratione factivus; et haec notitia jungitur cum faciente, praevia tamen affectione. Medium inter haec est electio, quae jungitur affectui, et ordinatur ad opus. Quod enim quis eligit, amat et dirigit ad opus; et haec est prudentia, quae est media inter sapientiam et artem. Intelligentia autem est in ascendendo a prudentia ad sapientiam, quae est cognitio principiorum et regularum certarum. Necesse est similiter descendere ad artem per scientiam.“ *Serm. 5. in Hexaëm. post princip.*

[30] „Praeter illam positionem Platonicam, quae posuit omnes habitus cognoscendorum esse animae simpliciter innatos, sed oblivioni dari ad tempus propter corporis molem, quam improbat et reprobat tam Philosophus *(1. Poster. in proëm. etc.)* quam Augustinus *(12. de Trin. c. ult.)*, tres fuerunt opiniones doctorum de origine habituum cognitivorum, et omnes illae tres opiniones in hoc concordant, quod sicut virtutes consuetudinales nec sunt omnino a natura, nec omnino ab acquisitione, sed quodammodo sunt innatae, et quodammodo acquisitae; sic etiam et habitus cognitivi nec sunt omnino innati, nec omnino acquisiti, sed quodammodo innati, et quodammodo acquisiti. In assignando autem modum, secundum quem isti habitus sunt innati, et secundum quem sunt acquisiti, diversificantur diversi. Quidam enim dicere voluerunt, quod innati sunt intellectui agenti, sed acquisiti sunt quantum ad intellectum possibilem: et quantum ad istum intellectum dicit Philosophus animam creari sicut tabulam nudam, et ille intellectus est, qui habet perfici mediantibus potentiis sensitivis. Sed istud non videtur esse consonum nec verbis Philosophi, nec veritati. Si enim intellectus agens haberet habitus cognoscendorum, quare non posset illos communicare possibili sine adjutorio sensuum inferiorum? Rursus, si intellectus agens haberet habitus cognoscendorum, anima a sua conditione jam non esset ignorans, immo esset potius sciens. Difficile etiam est simul cum hoc intelligere, quo modo species dicantur esse in intellectu agente, cum possibilis dicatur, quo est omnia fieri, et agens, quo est omnia facere. Et ideo est secundus modus dicendi, quod habitus cognitivi quodammodo sunt innati, quodammodo acquisiti. Innati sunt enim quoad cognitionem in universali, acquisiti quoad cognitionem in particulari; sive innati sunt quoad cognitionem principiorum, acquisiti vero quoad cognitionem conclusionum. Sed nec iste modus dicendi consonat verbis Philosophi et Augustini. Nam Philosophus *(1. post. con. 73 et 105)* probat, quod cognitio principiorum non est nobis innata, deducens ad plura inconvenientia; et ibidem ostendit, quod cognitio principiorum acquiritur in nobis via sensus, memoriae et experientiae. Augustinus etiam *(c. 12. de Trin.)*, loquens de parvulo, qui respondebat de omnibus principiis geometriae, dicit quod hoc non erat, quia anima illius parvuli prius illa novisset, sed potius ista videbat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quae in hac luce corporea circa adjacent, cujus lucis capax eique congruens est creatus. Et propterea est tertius modus dicendi, quod habitus cognitivi quodammodo sunt nobis innati, quodammodo acquisiti, non tantum loquendo de cognitione in particulari et de cognitione conclusionum, sed etiam de cognitione principiorum. Cum enim ad cognitionem duo concurrant necessario, videlicet praesentia cognoscibilis, et lumen, quo mediante de illo judicamus, sicut videmus in visu, et in praecedenti auctoritate innuit Augustinus, habitus cognitivi sunt quodammodo nobis innati ratione luminis animae inditi, sicut etiam quodammodo acquisiti ratione speciei: et hoc quidem verbis Philosophi et Augustini concordat. Omnes enim in hoc concordant, quod potentiae cognitivae sit lumen inditum, quod vocatur naturale judicatorium; species autem et similitudines rerum acquiruntur nobis mediante sensu, sicut expresse dicit Philosophus in multis locis. Et hoc etiam experientia docet. Nemo enim unquam cognosceret totum, aut partem, aut patrem, aut matrem, nisi sensu aliquo exteriori speciem ejus acciperet. Et hinc est, quod amittentes unum sensum, necesse habemus unam scientiam amittere. Illud autem lumen, sive naturale judicatorium, dirigit ipsam animam in judicando tam de cognoscibilibus, quam de operabilibus.“ *2. dist. 39. a. 1. q. 2.* Cfr. inferius *cap. XI hujus partis.*

[31] „Intellectus, qui est janua considerationum scientialium, partim est a dictamine naturae sive a lumine interiori, partim ex certitudine experientiae, sive a lumine exteriori, partim ex illustratione lucis aeternae, sive a lumine superiori. Quod sit partim ex dictamine naturae, patet in Ecclesiastico *(17, 1—5)*, ubi dicitur: *Deus de terra creavit hominem, et ad imaginem suam fecit illum: creavit ex ipso adjutorium simile sibi, et cor ad cogitandum dedit illis, disciplina et intelligentia implevit illos.* Hinc etiam dicitur, quod anima rationalis tres habet operationes, unam, qua propter immunitatem a materia est reflexiva sui super se; secundam, qua propter naturam perfectionis et formae, est conversiva sui supra corpus administrandum; tertiam, qua transcendens corpus et se, est elevativa sui ad Deum contemplandum. Est autem hic intellectus secundum dictamen naturae, quod patet in Adam, qui omni-

bus rebus secundum specificas differentias nomina imposuit. Anima autem nostra habet supra se quoddam lumen naturae signatum, per quod habilis est ad cognoscendum principium et illa semiplena, quia principia cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus. Secundo intellectus iste est a frequentia experientiae. In Ecclesiastico *(34, 9)* legitur: *Vir in multis expertus, multa recognoscit.* Et Philosophus docet, quod ex multis sensibus fit una memoria, et ex multis memoriis unum experimentum, et ex multis experimentis unum universale, quod est principium artis et scientiae. Tertio iste intellectus est ab illustratione lucis aeternae. In Daniele *(2, 21)* legitur: *Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem (Joan. 1, 9).* Quaerit Augustinus, ubi scriptae sunt leges justitiae, secundum quas judicat impius; et respondet, quod scriptae sunt in libro lucis aeternae, quae descendunt in animam non migrando, sed imprimendo, sicut imago annuli cerae imprimitur, et annulum non relinquit. Homo et angelus docent ministerialiter et adminiculative, sicut qui fenestram aperit, dicitur domum illuminare. Solus Deus docet effective, solus cathedram habet in caelis, qui docet hominem in terris: *In Deo vivimus, movemur et sumus (Act. Ap. 17, 28).* Dicit Augustinus, quod Apostolus loquitur non tantum de vita temporali, sed intellectuali, secundum quod Deus est omnibus causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. Circa haec tria tres cavendi sunt errores in scientiis. Unus est contra causam creandi, secundus est contra rationem intelligendi, tertius est contra ordinem vivendi. Primus est de aeternitate mundi, secundus de necessitate fatali, tertius de unitate intellectus humani. Isti errores significantur in Apocalypsi *(13, 18)*, in numero nominum bestiae, quae sunt sexcentae sexaginta sex. Primi fundant se super circulum motus et temporis, secundi supra motum siderum, tertii supra intelligentiam unam corpus ingredientem et egredientem. Primus error refellitur per id, quod scriptum est *(Gen. 1, 1): In principio creavit Deus etc.;* aut enim sentis, Deum esse causam omnium secundum totum, aut secundum partem: si secundum partem; ergo aufers a Deo principalitatem causandi: si secundum totum; ergo creat de nihilo. Dixit sancta mulier *(2. Mac. 7, 28): Respice omnia, quia de nihilo creavit illa Deus.* Secundus error refellitur, quia si necessitas fatalis est, liberum arbitrium non est. Tertius error refellitur, quia si homo aliquid distinctum est, habet principia essentiae suae, propria et distincta." *In Hexaëm. Serm. 3 post. init.* Vide etiam infra *part. V cap. V.*

[32] „Intellectus agens et possibilis sunt duae ipsius animae intellectivae differentiae." — „Ad praedictorum intelligentiam est praenotandum, quod variis modis tentarunt praedecessores nostri assignare differentiam intellectus possibilis ad agentem. Quidam enim dixerunt, quod differunt sicut duae substantiae. Alii dixerunt, quod differunt sicut duae potentiae. Tertio modo dixerunt alii, quod differunt sicut habitus et potentia. Quarto modo dixerunt alii, quod differunt sicut potentia absoluta et comparata. Primus autem modus dicendi, quo dicitur quod differunt secundum substantiam, dupliciter habet intelligi. Quidam namque dicere voluerunt, quod intellectus agens sit intelligentia separata, intellectus autem possibilis sit anima corpori conjuncta . . . Iste modus dicendi falsus est et erroneus. Nulla enim substantia creata potentiam habet illuminandi et perficiendi animam, proprie intelligendo; immo secundum mentem immediate habet a Deo illuminari, sicut in multis locis Augustinus ostendit. Alius modus intelligendi est, quod intellectus agens esset ipse Deus, intellectus vero possibilis esset noster animus. Et iste modus dicendi super verba Augustini est fundatus, qui in plurimis locis dicit et ostendit, quod lux, quae nos illuminat, magister, qui nos docet, veritas, quae nos dirigit, Deus est, juxta illud Joannis *(1, 9): Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Iste vero modus dicendi, etsi verum ponat, et fidei catholicae consonum, nihil tamen est ad propositum, quia cum animae nostrae data sit potentia ad intelligendum, sicut aliis creaturis data est potentia ad alios actus; sic Deus, quamvis sit principalis operans in operatione cujuslibet creaturae, dedit tamen cuilibet vim activam, per quam exiret in operationem propriam. Sic credendum est indubitanter, quod humanae animae non tantummodo dederit intellectum possibilem, sed etiam agentem, ita quod uterque esset aliquid ipsius animae . . . Secundus modus dicendi, in quo differunt sicut duae potentiae, dupliciter potest intelligi, et uno modo falso et alio modo vere. Unus modus intelligendi et dicendi est, quod intellectus possibilis sit potentia pure materialis, quae inest animae ex parte suae materiae, intellectus agens sit potentia pure formalis, quae inest animae ex parte suae formae . . . Sed hic modus dicendi non consonat veritati . . . Alius modus intelligendi est, ut dicatur quod intellectus agens et possibilis sint duae intellectus differentiae datae uni substantiae, quae respiciunt totum compositum. Appropriatur autem intellectus agens formae, et possibilis materiae, quia intellectus possibilis ordinatur ad suscipiendum, intellectus agens ad abstrahendum, nec intellectus possibilis est pure passivus, habet enim supra speciem existentem in phantasia se convertere, et convertendo per auxilium intellectus agentis illam suscipere, et de ea judicare. Similiter nec intellectus agens est omnino in actu, non enim potest intelligere aliud a se, nisi adjuvetur a specie, quae abstracta a phantasmate intellectui habet uniri. Unde nec possibilis intelligit sine agente, nec agens sine possibili. Et iste modus dicendi verus est, et super verba Philosophi *(3. de anima contex. 8. 18. 19)* fundatus. Dicit enim agentem et possibilem esse duas differentias intellectus, unde sicut duo intelligimus necessario in medio, ad hoc quod abstrahat species ab objecto, videlicet lucem et diaphaneitatem, ita quod per unum abstrahit, et per aliud defert et suscipit; sic et in proposito conformiter potest intelligi, ita ad unum actum haec duo concurrere, ut haec sine alia non habeat operationem suam complete. Tertius modus assignandi differentiam, quo dicitur, quod differunt sicut potentia et habitus, dupliciter habet intelligi. Uno modo ut intellectus agens dicatur habitus quidam constitutus ex omnibus intelligibilibus, intellectus vero possibilis intelligatur idem ipse, prout est in potentia ad acquirendam cognitionem per phantasmata. Et hic modus ponendi fundari videtur super verba Boëtii, qui dicit quod summam retinens singula perdit. Quod voluerunt aliqui intelligi sic, quod intellectus noster dicatur habere apud se cognitionem universalium habitualem

innatam, alioquin non posset per virtutem suam abstrahendo etiam a sensibus et a phantasmatibus facere intellectum possibilem actu intelligentem, omne enim quod deducit alterum de potentia in actum, est ens in actu. Sed iste modus dicendi verbis Philosophi non consonat, qui dicit animam esse creatam sicut tabulam rasam, nec habere cognitionem habituum sibi innatam, sed acquirere mediante sensu et experientia. Alius modus dicendi est, ut dicatur intellectus agens differre a possibili sicut habitus a potentia, non quia agens sit pure habitus, sed quia est potentia habitualis. Et iste modus dicendi probabilis est et verus, et super verba philosophica et catholica fundatus. Verum enim est secundum Dionysium *(de cael. hier. c. 3. p. 2)*, quod substantiae intellectuales, eo ipso quod intellectuales substantiae, lumina sunt; ergo perfectio et complementum substantiae intellectualis lux est spiritualis. Igitur illa potentia, quae consequitur animam ex parte intellectus sui, quoddam lumen est in ipsa, de quo lumine potest intelligi illud Psalmi *(4. 7): Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et hoc lumen videtur Philosophus intellexisse esse intellectum agentem. Dicit enim quod ille intellectus, quo est omnia facere, est sicut habitus quidam ut lumen, quodam enim modo lumen facit colores potentiâ, actu colores ... Hujus autem simile potest poni in oculo cati, qui non solum habet potentiam suscipiendi in se speciem per naturam perspiciens, sicut alii, sed etiam potentiam faciendi in se speciem per naturam luminis sibi inditi. Quartus autem modus assignandi differentiam inter possibilem et agentem, quo scilicet differunt sicut potentia absoluta et comparata, dupliciter habet intelligi. Uno modo ut intelligatur, quod una omnino et eadem est potentia intellectus agens et possibilis, differens comparatione sola, ut agens sit, prout est in se considerata, possibilis vero, prout unitur corpori et phantasmatibus, vel phantasiae ... Sed hic modus ponendi deficit a veritate, quoniam anima separata habet intellectum, quo est omnia facere, habet etiam intellectum, quo est omnia fieri; ergo habet agentem et possibilem etiam cum separata est; ergo intellectus possibilis non inerat ei solum ex conjunctione sui cum corpore. Alius modus intelligendi praedictam differentiam est, ut dicatur intellectus agens differre a possibili sicut potentia absoluta a comparata, non quia sit omnino eadem potentia comparatione differens, sed quia cum sit alia et alia intellectus differentia, una est per quam ordinatur ad suscipiendum, altera vero per quam ordinatur ad abstrahendum; et ita una de se quodammodo completa et habilitata, alia vero indigens habilitatione et complemento. Et cum sit nata ad illud complementum venire mediante auxilio corporis et corporalium sensuum, inest ipsi animae, secundum quod habet inclinari ad corpus. Et ex hoc contrahit duplicem possibilitatem, unam respectu actus, quia non est semper in actu suo propter impedimentum a parte corporis, alteram respectu phantasmatum, a quibus excitari habet: et hanc possibilitatem non habet nisi ex conjunctione sui cum corpore, quamvis sit potentia de natura sua, qua est omnia fieri, quae non solum est in anima conjuncta, sed etiam in anima separata." *2. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 4.* — „Etsi intelligere possit quodam genere simplicitatis dici actus simplex, nihilominus tamen ad nostrum intelligere concurrit recipere et judicare, sive abstrahere et suscipere; et hi sunt plures actus ad invicem ordinati, ex quibus resultat unus actus perfectus. Sic et in potentiis intelligendum est se habere, quod etsi sint diversae differentiae intellectus, attamen in suis actionibus ad invicem ordinatae sunt, et conjunctae ad actum intelligendi perficiendum, sicut materiale et formale principium ad unum esse compositi constituendum." — „Ad illud quod objicitur, quod intellectus possibilis intelligit, et intellectus agens similiter recipit, dicendum quod intellectus possibilis non est pure passivus, habet enim potentiam se convertendi; nec tamen est adeo activus sicut agens, quia non potest sua conversione nec speciem abstrahere, nec de specie judicare, nisi adjutorio ipsius agentis. Similiter nec ipse intellectus agens operationem intelligendi potest perficere, nisi formetur acies intellectus possibilis ab ipso intelligibili, ex qua formatione est in pleniori actualitate respectu ejus, quod debet cognoscere, quam erat prius, cum carebat specie. Et ita cum cogitamus de intellectu agente et possibili, non debemus cogitare quasi de duabus substantiis, vel quasi de duabus potentiis ita separatis, quod una sine alia habeat operationem suam perficere, et aliquid intelligat intellectus agens sine possibili, et aliquid cognoscat intellectus possibilis, quod tamen homo, cujus est intellectus ille, ignoret. Haec enim vana sunt et frivola, ut aliquid sciat intellectus meus, quod ego nesciam; sed sic cogitandae sunt esse illae duae differentiae, quod in unam operationem completam intelligendi veniant inseparabiliter, sicut lumen et diaphanum veniunt in abstractionem coloris." *Ibid. ad 4—6.*

[33] „Intellectus speculativus est ille, qui exercetur in speculatione veri." *Decl. Term. Theol.* Cfr. quoque *Centiloq. p. 3. sect. 22.* — „Intellectus practicus est ille, qui exercetur in operatione boni." *Ibid.* „Speculativus intellectus extensione fit practicus, dum conjungitur voluntati et operi." *Centil. l. c.* „Intellectus speculativus secundum alium statum efficitur practicus, videlicet dum conjungitur voluntati et operi in dictando et regendo." *2. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 3.* „Intellectus speculativus extensione fit practicus ... quia ille idem intellectus, et illa eadem potentia, quae dirigit in considerando, postmodum regulat in operando." *Ibid. a. 2. q. 1.* „Intellectus practicus non tantum consistit in vero, sed etiam se extendit ad bonum ... Ad hoc enim sufficit ... quod cum ipsa affectione et voluntate habeat quamdam concomitantiam." *2. dist. 39. a. 1. q. 1. ad 2.*

[34] „Portio animae inferior est ipsa anima, in quantum respicit inferiora. Portio animae superior est ipsa anima, in quantum respicit superiora." *Decl. Term. Theol.* „Ratio est illa vis animae, qua anima inter bonum et malum, inter verum et falsum, discernit infra se." *Ibid.* — „Ratio superior non solum habet judicare secundum leges aeternas, sed etiam habet judicare secundum lumen proprium, et secundum lumen sibi ab inferiori acquisitum." *2. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 1.* „Quantum praecellit judicium viri judicium pueri, tantum praecellit ... judicium rationis sursum conversae judicium rationis ad inferiora depressae." *3. dist. 23. a. 1. q. 1.* „Cum spiritus rationalis habeat superiorem portionem rationis et inferiorem, sicut ad plenum judicium rationis deliberativum in agendis non sufficit portio inferior

sine superiori, sic ad plenum rationis judicium in speculandis non sufficit seipsa superior, nisi aspiciat illas supernas leges. Haec autem portio superior est illa, in qua est imago Dei, quae aeternis regulis inhaerescit, et per eas, quidquid definit, certitudinaliter judicat et definit; et hoc competit ei in quantum est imago Dei." *Quaest. anecd. etc. in concl.* — „Divisio rationis in superiorem portionem et inferiorem non est adeo per diversa membra, ut haec et illa sit potentia alia et alia ... nec est per membra ita convenientia, ut non sit in eis differentia nisi solum secundum aspectus. Est enim differentia in eis secundum dispositiones et secundum officia. Secundum dispositiones, quia haec fortis, illa debilis. Secundum officia, quia haec regit, et illa regitur. Ratione diversae dispositionis in debilitate et fortitudine, haec vocatur vir, et illa mulier. Ratione diversitatis in officio et regimine, haec vocatur superior, quia regit, et illa inferior, quia regitur. Talis autem dispositionum diversitas ortum habet non ex diversitate naturae, sed ex diversa comparatione ejusdem potentiae. Dum enim ratio nostra ad superiora convertitur, purgatur et illuminatur et perficitur. Dum leges aeternas conspicit, et immutabilitatem divinae virtutis et aequitatis, in bono fortificatur et vigoratur. Dum autem ad haec inferiora convertitur, utpote ad sensibilitatem et carnem, quodammodo trahitur et emollitur; et ideo sunt ejusdem naturae ratio superior et inferior, differentes secundum fortitudinis et debilitatis dispositionem. Et quia una oritur ab altera, et ei conjungitur tanquam adjutorium simile sibi; recte haec dicitur vir, et illa dicitur mulier, et inter eas dicitur esse conjugium. Diversitas autem officiorum similiter non venit ex diversitate naturarum, sed ex diversitate dispositionum. Quia enim haec fortis est, et illa debilis; haec intelligens et consulens divinam voluntatem, illa vero exsequens opere; et ideo haec regit, et illa regitur, et ex hoc illa superior, et ista inferior appellatur. Et sic patet, quod superior portio rationis et inferior, etsi aliquo modo recte condividantur, tamen diversae potentiae non sunt; ista enim membra, videlicet superius et inferius, essentiam potentiae non variant, sed dispositiones et officia; et hoc insinuant ipsa nomina." *2. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 2.* Cfr. quoque *ibid. p. 2. a. 1. et 2.*

[35] „Sicut duplex est instinctus ad bonum, scilicet in generali et in speciali; sic et duplex appetitus. Et dictamen boni in generali venit a cognitione naturali; et quantum ad hoc non est error: sed dictamen in speciali illius vel illius non est omnino ab habitu naturali, sed per assumptionem factam a ratione deliberante; et circa hoc est error. Similiter et de appetitu intelligendum. Omnes ergo habent appetitum beatitudinis verae in generali, et habent cognitionem in generali ... Si quaeras per quid, dico ... quod cognitio beatitudinis et multarum rerum naturalium, ut puta numeri naturalis, nobis innata est. Et si anima creata dicatur esse ut tabula rasa, hoc intelligitur solum quantum ad species et similitudines, quas acquirit per sensus." *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 2. ad 1.*

[36] „Cum dividimus appetitum in naturalem et deliberativum, sive quamcumque aliam potentiam, hoc dupliciter potest intelligi. Aut ita, quod appetitus naturalis et deliberativus diversitatem habeant in objectis, utpote cum unum est appetibile solum a substantia rationali, aliud autem est appetibile a brutali; et hoc modo bene contingit naturalem potentiam et deliberativam esse diversas potentias. Alio modo potest dividi appetitus, sive potentia, in naturalem et deliberativum, ita tamen quod non sit differentia in objectis, sed in modo appetendi; ut cum appellamus synderesim esse voluntatem naturalem, quae quidem naturaliter inclinat et instigat ad bonum honestum, et murmurat contra malum; et voluntatem deliberativam appellamus appetitum, quo post deliberationem aliquando adhaeremus bono, aliquando malo. Et sic divisio potentiae per naturalem et deliberativam non variat eam secundum essentiam potentiae, sed secundum modum movendi." *2. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 3.*

[37] „Liberum arbitrium non dicit potentiam secundum rem distinctam a ratione et voluntate, licet aliquam distinctionem habeat secundum rationem." — „Cum dicimus aliquam potentiam distingui ab aliis, hoc est dupliciter, aut secundum rem, aut secundum rationem. Secundum rem, sic distinguitur intellectus et affectus. Secundum rationem, sic distinguitur ratio, ut est cognitiva et motiva, id est, dictans moveri, vel disponens ad motum. Loquendo igitur de distinctione secundum rationem, dici potest liberum arbitrium quodammodo distingui a ratione et voluntate, in hoc scilicet quod liberum arbitrium nominat in ratione moventis, voluntas vero et ratio in ratione moti, haec in ratione imperantis, istae duae in ratione exequentis ... Loquendo autem de distinctione potentiarum secundum rem, sic liberum arbitrium non dicit potentiam diversam, vel distinctam a ratione et voluntate, pro eo quod potentiae animae rationalis sufficienter dividuntur per cognitivam et motivam, et omnes actus animae per has potentias, quae sunt cognitiva et affectiva, sive ratio et voluntas, exerceri possunt ... Cum enim tam ratio, quam voluntas sit nata super se reflecti, cum nomino voluntatem ut volentem aliquid, et voluntatem ut volentem se velle, non dico potentiam aliam et aliam secundum rem, sed solum secundum rationem. Movens enim et motum in spiritualibus non oportet differre secundum substantiam, quia, sicut dicit Anselmus *(lib. de conc. praescient. et lib. arb.):* Voluntas est instrumentum se ipsum movens, et ratio etiam est virtus seipsam cognoscens pari ratione; et ideo si aliqua est ibi distinctio, haec est solum secundum rationem." *2. dist. 25. p. 1. a. 1. q. 2.*

[38] „Liberum arbitrium comprehendit simul rationem atque voluntatem, et non est unius nisi altera concurrente." — „Est notandum quod liberum arbitrium simul comprehendit et rationem et voluntatem, et hoc non solum manifestat ipsa nominatio, sed etiam ipsa notificatio, manifestat etiam suae proprietatis inquisitio. Nominatio manifestat, dicitur enim liberum et dicitur arbitrium; et arbitrium est ipsius rationis, libertas vero ipsius voluntatis, ad cujus nutum et imperium moveri habent cetera, quae sunt in nobis. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(de quinque respons.):* Liberum arbitrium dicitur ab arbitrando, quia a rationali parte quid eligat, quidve recuset, nomen accepit. Hoc etiam patet per ejus notificationem, dicitur enim esse facultas rationis et voluntatis, sive consensus rationis et voluntatis. Postremo illud amplius manifestatur per suae proprietatis inquisitionem, liberum enim arbitrium, sive nominet potentiam, sive habitum, nominat

ipsam potentiam ut dominam, vel dominium ipsius potentiae: et hoc planum est ex ipso nomine libertatis. Attendendum autem, quod dominium alicujus potentiae potest esse dupliciter, aut respectu objecti, aut respectu actus. Dominium potentiae respectu objecti attenditur in hoc, quod possit in illud et in amplius, sicut equus, qui potest ferre decem modios, dominium habet super tres modios ad portandum, quia praevalet ad illud, quod cum facilitate portat. Dominium autem potentiae respectu actus est attendendum in hoc, quod potentia potest esse in actu et cessare ab actu, secundum suum imperium et secundum proprium motum. Ad hoc autem quod aliqua potentia hoc dominium habeat, necesse est quod ipsa possit movere seipsam, et quod possit super actum suum seipsam reflectere. Si enim non posset seipsam super actum suum reflectere, nunquam posset illum refraenare; nisi posset seipsam movere, nec posset in illum exire quando vellet. Reflectere autem se super se hoc est virtutis cognitivae sublimatae a materia, quae quidem est ratio. Movere autem se, hoc est virtutis appetitivae rationem consequentis. Ad hoc igitur, ut illud dominium sit in anima, necesse est quod habeat rationem et voluntatem. Nam si rationem tantum haberet, et non voluntatem, per quam moveret, posset se super actum suum reflectere, sed non posset movere vel imperare. Si vero appetitum solum haberet, et non rationem, posset utique movere et in actum exire; sed quia non posset se super actum suum reflectere, non posset utique refraenare, et ita dominium non haberet. Sicut igitur ex concursu virtutis duorum hominum resultat una quaedam facultas ad portandum unum lapidem, quem non posset ferre alter eorum; et sicut ex concursu patrisfamilias et matrisfamilias ad disponendum regimen domus resultat una potestas, ita quod altera non sufficeret; et sicut ex concursu virtutis manus et oculi resultat potestas scribendi, ad quod altera illarum non sufficeret: sic ex concursu rationis et voluntatis resultat quaedam libertas, sive quoddam dominium ad aliquid faciendum, sive disponendum. Et sic patet, quod liberum arbitrium rationem complectitur et voluntatem. Patet etiam quod, cum liberum arbitrium sit quaedam potestas, sive quoddam dominium resultans ex conjunctione istarum duarum potentiarum, scilicet rationis et voluntatis, optime nominatur per hoc, quod dicitur liberum arbitrium non uno nomine, sed composito, ut unum nomen respondeat rationi, et alterum voluntati. Optime autem diffinitur, cum dicitur esse facultas rationis et voluntatis, facultas enim non tantum nominat potentiam, immo facilitatem potentiae, ex qua non tantum potens est, immo etiam praepotens est ad exeundum in actum; et ideo facultas dicit potestatem, sive dominium, quod quidem dicitur esse rationis simul et voluntatis, quia non est unius, nisi concomitante altera." *Ibid. q. 3.* Vide etiam *ibid. p. 1. dub. 1.*

[39] „Quarta divisio potentiarum ponitur ab Augustino *(lib. de spir. et anima, c. 4)*, quae facit ad majorem evidentiam praedictorum. Distinguit autem vires animae in rationalem, concupiscibilem et irascibilem. Per rationalem est anima habilis ad cognoscendum aliquid infra se et supra se, in se et juxta se. Cognoscit siquidem Deum supra se, se in se, angelum juxta se, et quidquid caeli continetur ambitu, infra se. Per concupiscibilem et irascibilem habilis est affici ad aliquid appetendum vel fugiendum, amandum vel odiendum. De rationalitate omnis sensus animae nascitur, de concupiscibilitate omnes affectus. Affectus quadripartitus esse dignoscitur, dum de eo, quod amamus, jam gaudemus, vel gaudendum speramus; vel cum de eo, quod odimus, jam dolemus, vel dolendum metuimus. Unde de concupiscibilitate gaudium et spes, de irascibilitate dolor et metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animae omnium sunt vitiorum atque virtutum quasi quaedam principia et communis materia. Affectus quidem omni operi nomen imponit. Notandum vero, quod sensus animae virtutes apprehensivae vocantur, sive cognitivae, quae a rationabilitate oriuntur. Quinque autem sunt progressus ad sapientiam, sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Sensus est ea vis animae, quae rerum corporearum corporeas recipit formas, sed praesentes. Imaginatio est ea vis animae, quae rerum corporearum corporeas recipit formas, sed absentes. Sensus namque formas accipit in materia, imaginatio extra materiam. Et ea vis exterius formata, sensus dicitur, et eadem usque ad intimum traducta, vocatur imaginatio, quae de sensu oritur. Ratio est ea vis animae, quae rerum corporearum formas, naturas, differentias, propria et accidentia omnia percipit incorporea, sed non extra corpora, nisi ratione existentia, abstrahit enim in corporibus, quae fundantur a corporibus, non actione, sed consideratione. Intellectus est ea vis animae, quae invisibilia percipit, ut angelos, daemones, animas et omnem spiritum creatum. Intelligentia est ea vis animae, quae immediate supponitur Deo, cernit quidem ipsum summum verum, et vere immutabile. Sic ergo anima sensu percipit corporea; imaginatione, corporum similitudines; ratione, corporum naturas; intellectu, spiritum creatum; intelligentia, spiritum increatum. Ad imaginationem, quae dicitur sensus communis, et etiam phantasia, pertinent ea, quae vident in somnis dormientes; de quibus dicit Augustinus *(l. c. c. 25)*, quod omnium, quae sibi videntur videre dormientes, quinque sunt genera, scilicet oraculum, visio, somnium, insomnium et phantasma. Oraculum est, cum in somnis parens vel aliqua gravis persona, seu sacerdos, vel etiam Deus, aliquid eventurum aperte, vel non eventurum, faciendum, vel vitandum denunciat. Visio est, cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, evenit. Somnium est figuris tectum, et sine interpretatione intelligi non potest. Insomnium est, quando id, quod vigilantem fatigaverat, se ingerit dormienti; sicut est cibi cura vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates. Juxta infirmitates enim diversi diversa accipiunt somnia, alia enim vident sanguinei, alia colerici, alia melancholici, alia phlegmatici; isti enim vident rubra et varia, et illi nigra et alba. Phantasma est, quando vix dormire coeperit quis, et vigilare se existimat, et videtur aspicere irruentes in se, vel passim vagantes formas discrepantes et varias, laetas et turbulentas. In hoc genere est ephialtes *(incubo)*, quem opinantur vulgares invadere dormientes, et opprimere quiescentes, quod non est nisi fumositas conscendens ad cerebrum a stomacho, vel a corde, vim comprimens animalem." *Centiloq. p. 3. sect. 23.*

[40] „Sicut tota dispositio familiae pendet ex consensu patrisfamilias, sic tota dispositio agendorum in domo

animae pendet ex consensu voluntatis et rationis. Et sicut pendet dispositio et regimen ex consensu, sic pendet directio et obliquatio ex intentione. Sicut enim ad rectum motum progressivum concurrit simul operatio visus ostendentis viam, et operatio pedis incedentis; sic in actu intendendi clauditur simul actus rationis et voluntatis, unius ut aspicientis, alterius ut tendentis. Et quia isti actus conjuncti sunt, ideo per unum vocabulum compositum importantur ... Concedendum est, quod intentio nominat aliquid ex parte voluntatis ... verum est etiam, quod intentio nominat aliquid ex parte rationis, ratione cujus dicitur et oculus et lumen: et quantum ad haec duo intentio dirigi habet fide et caritate, fide clarificante oculum intellectus, et caritate rectificante pedem affectus." *2. dist. 38. a. 2. q. 2.*

CAPUT X.

De productione hominis, quantum ad corpus.

(Corpus primi hominis conjungendum animae in unitate naturae. — Fuit creatum ipsi proportionabile, quoad complexionem aequalem, — organizationem pulcherrimam et multiformem, — et staturae rectitudinem; — subjectum, obtemperans sine rebellione, — propagans sine libidine, — vegetabile sine defectione, — immutabile ad omnimodam incorruptionem; — et idcirco homini datus est paradisus terrestris, — formata mulier, — datum lignum vitae.)

De corpore autem humano in statu primae conditionis tenenda sunt haec secundum doctrinam fidei orthodoxae: videlicet quod corpus primi hominis sic conditum fuit, et de limo terrae formatum, ut tamen esset animae subjectum, et suo modo proportionabile [a]. Proportionabile, inquam, quantum ad complexionem aequalem, quantum ad organizationem [b] pulcherrimam et multiformem, et quantum ad staturae rectitudinem. Subjectum autem, ut esset obtemperans sine rebellione, esset etiam propagans et propagabile sine libidine, esset vegetabile sine defectione, esset immutabile ad omnimodam incorruptionem [c], non interveniente morte [d]; et secundum hoc datus est sibi locus paradisi terrestris in habitationem tranquillam [1]; formata est mulier de latere viri [2], in consortium et adjutorium ad propagationem immaculatam [2]; datum est lignum vitae ad vegetationem continuam, et tandem ad immutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.

a) Proportionale hic et inferius ed. 1484.

b) Ita ABCD EFGH et ed. Ven. et 1484; Originationem ed. Rom.

c) Corruptionem ed. 1484.

d) Morte ei ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium sit in producendo potentissimum, sapientissimum et optimum, et in omnibus effectibus suis hoc aliquo modo manifestet, potissime [e] debuit hoc manifestare in ultimo effectu et nobilissimo, cujusmodi est homo, quem inter ceteras creaturas produxit ultimo, ut in hoc potissime appareret et reluceret divinorum operum consummatio. Ut igitur in homine manifestaretur Dei potentia, ideo fecit eum ex naturis maxime distantibus, conjunctis in unam personam et naturam, cujusmodi sunt corpus et anima, quorum [f] unum, scilicet corpus [g], est substantia corporea [4], alterum vero, scilicet anima, substantia spiritualis et incorporea, quae distant [h] maxime in genere substantiae. Ut vero [i] ibidem manifestaretur Dei sapientia, fecit tale corpus, quod proportionem suo modo haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animae, ut perficienti et moventi et ad beatitudinem sursum tendenti; ideo, ut conformaretur animae vivificanti, habuit complexionem aequalem, non a pondere, vel mole, sed ab aequalitate naturalis justitiae, quae disponit ad nobilissimum modum vitae [5]. Ut autem conformaretur moventi per multiformitatem potentiarum [6], habuit multiformitatem organorum [7], cum summa venustate et artificiositate et ductibilitate, sicut patet in facie et in manu, quae est organum organorum. Ut autem conformaretur animae sursum tendenti ad caelum, habuit rectitudinem staturae, et sursum erectum caput; ut sic corporalis rectitudo attestaretur rectitudini mentali [j].

e) Potentissime ibid. Sic et inferius.

f) Quorum A BCDEFGH et editt. Nor. Arg. Aug. et 1484; quarum ed. Rom. Ven.

g) Scilicet corpus om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

h) Distat ed. 1484.

i) Si ibid.

j) Mentis ibid.

Postremo, ut in homine manifestaretur Dei bonitas et benevolentia, ideo fecit hominem absque omni macula et culpa, et absque omni poena sive miseria. Cum enim primum principium simul sit optimum et justissimum, quia optimum, non debuit facere hominem nisi bonum, ac per hoc innocentem et rectum; quia vero justissimum, non debuit infligere poenam ei, qui nullum omnino habebat peccatum: ac per hoc illi animae rationali tale corpus constituit, quod sibi [k] esset ita obtemperans, ut nulla esset in eo pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio [l] vigoris, nulla corruptio mortis [8]; ita etiam esset animae conforme, ut sicut anima erat innocens, et tamen poterat cadere in culpam, sic corpus esset impassibile, et [m] tamen posset cadere in poenam; et ideo poterat non mori, et poterat mori [9] (I); poterat habere sufficientiam, et poterat habere indigentiam; poterat obtemperare, et poterat habere rebellionem et pugnam. Et propterea in statu illo corpus erat tale, ut ab eo fieret decisio seminalis ad propagationem prolis per adminiculum sexus muliebris, pariter et [n] comprincipiantis; fieret etiam humoris nutrimentalis consumptio per actionem caloris; fieret nihilominus restauratio per alimentum lignorum paradisi [10], restaurato seu praeservato per lignum vitae humido radicali [11]; quod quidem lignum hanc virtutem habuit, ob quam, ut dicit Augustinus *(de Gen. ad liter. l. 8, c. 4, seqq.)*, fuit non solum in cibum, verum etiam in sacramentum [12]. Incorruptio igitur et immortalitas corporis Adae principaliter veniebat ab anima, sicut a continente et influente; a corporis bona et aequali complexione, sicut a disponente et suscipiente; a ligno autem vitae sicut a vegetante et adminiculante [13], a regimine vero divinae providentiae, sicut interius conservante et exterius protegente.

k) Sibi om. ibid.
l) Immutatio ibid.
m) Ut ibid.
n) Et om. ibid.

(I) Hîc loci ob oculos ponenda est propositio 27 Synodi Pistoriensis: „Edocti ab Apostolo spectamus mortem, non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis.“ Hanc propositionem Pius VI in Const. *Auctorem fidei* „quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est veluti justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio,“ damnavit ut captiosam, temerariam, Apostolo injuriosam, alias damnatam.

Ad Caput X.

[1] *Tulit Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis (Gen. 2, 15).* — „Cum paradisus esset locus habitationis debitus homini secundum statum innocentiae, et locus congruus generationi et productioni, videtur quod homo debuit produci in paradiso. Item, cum tota terra esset tunc fructifera, et aër tranquillus, videtur quod tota erat congrua, ut inhabitaretur ab homine; ergo si homo extra paradisum est productus, videtur quod extra paradisum ad habitandum debuit relinqui. Item, si tota terra producta est propter hominem; ergo videtur quod, si homo stetisset, alia pars terrae a paradiso superflueret. Propter hoc est hîc quaestio, quid vocetur hic paradisus, in quo homo est positus.“ — „Resp. Est paradisus spiritualis, et est paradisus corporalis. Paradisus spiritualis dicit statum vel quietem, et amoenitatem deliciarum spiritualium: et iste potest esse secundum duplicem statum, scilicet Ecclesiae triumphantis et Ecclesiae militantis. Unde paradisus spiritualis duplex est, sive dupliciter dictus est. Unus est in Ecclesia militante, alter in Ecclesia triumphante. Unde illa, quae sunt dicta in Genesi, de paradiso spirituali possunt exponi metaphorice. Paradisus autem corporalis locus est deliciarum et amoenitatis: et hic est duplex similiter secundum duplicem statum, scilicet perfectum et imperfectum. Secundum statum perfectum paradisus est caelum empyreum, secundum statum imperfectum paradisus est locus quidam amoenus in partibus orientis *),

*) Paradisum voluptatis adhuc existere Seraphicus cum S. Thoma, ceterisque scholasticis ubique supponit. Ejus autem „situs, sicut doctores dicunt, est valde eminens et altus, et juxta aequinoctialem partem in oriente quodammodo vergens ad meridiem. Est autem tantae altitudinis, ut illuc non conscendant vapores in aëre elevati, sed fit ibi aër mundus et purus, idoneus statui perpetuitatis; et propter puritatem aëris ibi esse *(dicunt)* contemperantiam caloris: et quia est secus aequinoctialem partem, est ibi magna temperies temporis.“ *2. dist. 17. dub. 3.* Quod si quaeratur, ad quid „serviat ille locus homini, quia modo non servit, nec post diem judicii serviet; ergo videtur, quod frustra factus sit locus ille; . . patet, quod locus ille

de quo dicit Damascenus *(l. 2. de fide orth. c. 11)*: Divinus paradisus est Dei manibus in Eden plantatus, gaudii et exultationis universae promptuarium. In hoc autem loco decuit hominem poni, ut esset ei facilitas perveniendi ad patriam, et ut Deus homini ostenderet benevolentiam, cui locum amoenissimum ad inhabitandum praeparaverat, ut sic amoenitas exterioris habitaculi corresponderet deliciis interioribus, quales habet anima, quae est templum Dei, et habebat anima primi hominis. Extra autem hunc locum debuit homo produci, et ut melius cognosceret Dei beneficium, dum se videret quasi aliunde adductum; et ut etiam ostenderet per hoc, quod homo non erat ibi factus ad aeternaliter habitandum, sed temporaliter peregrinandum. Et quia Deus praesciebat hominis casum, in paradiso voluit eum collocare, ut per ejus ejectionem de loco voluptatis cognosceret sensibiliter quanta bona spiritualia amisisset per culpam, cognosceret etiam nihilominus quanta esset differentia inter eum, qui Domino obedit humiliter, et eum, qui ipsum contemnit. Et per hoc patet responsio ad objecta. Locus enim paradisi convenienter factus fuit propter hominem institutum, et alia terra convenienter fuit facta propter hominem, quem Deus praeviderat esse lapsurum; et quia simul etiam viderat hominem et peccatum, de ea terra sumpsit eum, in quam erat postmodum rediturus. Nec tamen, si homo stetisset, alia pars mundi superflueret, quia bestiis servientibus homini habitaculum praeberet, et habitaculum sua inferioritate excellens ostenderet, et sua magnitudine decoraret, sicut magna platea decorat palatium, et sicut aula decorat cameram.“ *2. dist. 17. dub. 2.*

[2] „Corpus primae mulieris formatum est de osse lateris Adae dormientis propter ordinis habitudinem inter virum et mulierem, et inter ea, quae per ipsos significantur, quae sunt Deus et anima, Christus et Ecclesia, portio superior et inferior.“ *2. dist. 18. a. 1. q. 1.* Cfr. etiam *qq. 2. 3.*

[3] „Ratio, quare ex uno homine Deus omnes producere voluerit, licet in aliis generibus animalium hoc non fecerit, sumi potest ex ordine et connexione et significatione. Ex ordine vero dupliciter. Primo ex ordine corporis ad animam, ut sicut omnes animae rationales immediate procedunt ab uno principio, sic omnia corpora humana immediate exirent ab uno. Secundo vero ex ordine totius conjuncti ad alias creaturas. Quia enim homo medium tenet inter naturam angelicam et brutalem, cum angeli singulatim a Deo producti sint, et creaturae brutales in duplici sexu, in masculino scilicet et feminino, homo debuit produci medio modo, et sic femina ex viro. Ex connexione similiter duplex sumitur ratio. Primo respectu totius speciei universaliter, ut omnis homo diligat omnem hominem, tamquam fratrem. Secundo vero respectu uxoris specialiter, propter quod vinculum *relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et sunt duo in carne una (Gen. 2, 24).* Ex significatione etiam duplex sumitur ratio. Prima ex significatione allegorica, qua intelligimus per virum et mulierem Christum et Ecclesiam. Secunda per anagogicam, qua per virum intelligimus Deum, qui fuit principium omnium rerum.“ *2. dist. 18. dub. 1.*

[4] „Corpus Adae non fuit pure formatum de natura caelesti, sicut innuit textus Genesis, qui dicit eum formatum de limo terrae, nec debuit pure de natura caelesti formari, imo de natura elementari; hoc exigente ordinis congruentia, quam in omnibus suis operibus semper servat sapientia divina. Requirebat enim hoc ordo hominis, sive in se, sive ad creaturam inferiorem, sive ad creaturam parem, sive ad Deum finem. Ordo ipsius hominis in seipso hoc requirebat; quia enim homo conditus fuit, ut natus multa cognosceret non solum cognitione intellectiva, sed etiam sensitiva; ideo debuit ei dari corpus multiforme, ut diversa organa diversitati sensuum deservirent ad diversa objecta cognoscenda. Quia vero conditus fuit in vertibilitate liberi arbitrii, ut potens vivere in justitia, et mori per culpam, dari debuit ei corpus, quod non esset tantum habile ad vivendum, sed etiam quod posset fieri habile ad corrumpendum, sive moriendum: et ita ordo hominis ipsius in se requirebat, ut corpus daretur homini multiforme, et ad corruptionem possibile; et ideo non caeleste, sed elementare. Ordo etiam hominis ad creaturam inferiorem hoc requirebat. Quia enim corporales naturae inferiores factae sunt, ut deservirent creaturae rationali, sicut supra ostensum fuit, factae sunt etiam, ut mediante illa quodammodo perducantur in finem; hinc est, quod debuit fieri rationalis creatura taliter composita, quod obsequium inferiorum creaturarum esset ei utile, et quod, mediante illa creatura, naturae inferiores quodammodo perducerentur ad beatitudinem; et ideo, ut naturae inferiores possent homini deservire, et in homine quodam modo glorificari, debuit homo non tam ex natura superiorum corporum, quam ex natura elementorum constitui. Ordo etiam ad creaturam parem, id est, ad angelum, hoc requirebat. Sicut enim facta est una rationalis creatura prope Deum, et in loco supremo, ut in empyreo; sic debuit fieri alia rationalis creatura in loco infimo, scilicet terra; et ideo corpus ejus constitui debet ex natura tali habitationi convenienti; et ideo magis ex natura elementari, quam caelesti. Ordo etiam ad Deum finem hoc requirebat. Debebat enim homo subjici, ut per humilitatem subjectionis ascenderet, unde Angelus ceciderat per sublimitatem elationis; et ideo debuit sibi dari corpus constitutum de natura inferiori, ut seipsum pulverem reputans, Deo per omnia subjaceret. Unde et Scriptura maluit eum dicere de limo terrae productum, ut ex hoc homo proficeret, et ascenderet per humilitatis meritum.“ *2. dist. 17. a. 2. q. 1.*

[5] „Corpus primi hominis non fuit constitutum ex elementis in complexione aequalitatis a pondere, quia talis est impossibilis; sed in complexione aequalitatis a justitia. ... Haec est aequalitas, quae attenditur in commensuratione miscibilium secundum proportionem debitam, et secundum exigentiam formae introducendae. Et haec aequalitas reperitur in homine, quia nobilior debet esse in ejus corpore proportio et harmonia miscibilium, secundum quod disponitur ad nobiliorem formam. Haec autem aequalitas ... latitudinem habet et gradus, et hoc secundum diversos status. Est enim status gloriae, et est status

---

frustra non est. Multum enim facit ad nostram eruditionem, et occasionem nobis praebet requirendae salutis, in qua consistit summa etiam perfectio totius utilitatis humanae.“ *2. dist. 29. dub. 3.*

miseriae, et est status innocentiae. Secundum statum gloriae, qui est perfectus, debetur corpori humano aequalitas a justitia, aequalitas, inquam, perfecta, in quo nec cadit discordia, nec repugnantia, nec actu, nec potentia. Secundum statum miseriae, qui est status imperfectus, debetur corpori hominis aequalitas, sed diminuta, quae permisceri habet inaequalitati et discordiae, non solum possibilitate, sed etiam quadam necessitate. Secundum vero statum medium, scilicet innocentiae, debetur corpori hominis aequalitas media, quae a discordia et repugnantia miscibilium erat aliena in actu per adjutorium intrinsecum animae gubernantis, et per adjutorium extrinsecum alimenti nutrientis; erat tamen haec aequalitas possibilis ad inaequalitatem, sive ob defectum virtutis contentivae, sive etiam ob defectum alimoniae: nullus autem horum defectuum esse poterat in homine, si non praecessisset transgressio inobedientiae. Et sic patet, quod corpus primi hominis constitutum fuit in aequalitate a justitia, quasi media inter aequalitatem, quae nunc est in miseria, et aequalitatem, quae nunc est in gloria, secundum quod status animae exigebat." *2. dist. 17. a. 2. q. 3.*

[6] „Etsi ad hanc quaestionem facile sit respondere, cum quaeritur, utrum liberum arbitrium ligetur per corporis ineptitudinem quantum ad usum, quoniam ipsa experientia hoc plane docet et manifestat, quod ligatur in parvulis et dormientibus et furiosis; ad illam tamen quaestionem, quae hanc subsequitur, videlicet quare ligatur liberum arbitrium ex corporis ineptitudine, cum non sit potentia alligata organo, valde difficile est respondere et ejus assignare causam ... Hujus ratio est unio animae et corporis ad unius tertii constitutionem, quod est unum per essentiam, et cui debetur propria operatio, secundum quod est unum. Haec autem operatio non est vivere tantum, nec sentire, sive movere, sed ratiocinari et intelligere. Et propter ipsam unionem non tantum pendet anima ex corpore, quantum ad actum sentiendi, sed etiam aliquo modo quantum ad actum intelligendi, quamdiu est in corpore, sed longe aliter et aliter. Nam quantum ad actum vegetandi et sentiendi sic pendet, ut nullo modo possit eos exercere sine corpore: non autem sic de actu intelligendi. Sic etiam pendet, ut illos actus exerceat per corpus et per organum corporeum, non sic est de actu intelligendi; et ideo actum sentiendi dicitur communicare anima corpori. Unde non absurde omnino dicitur: Oculus videt. Non sic autem dicitur de actu intelligendi. Dicitur autem anima sentire per corpus, et non intelligere per corpus, quia cum duo concurrant ad actum intelligendi et sentiendi, videlicet recipere et judicare, in sentiendo receptio speciei est a corpore, sed judicium est a virtute; et in intelligendo utrumque est a virtute intellectiva, videlicet ab intellectu possibili et agente. Et propterea intellectus dicitur vis non alligata materiae, et operationem hanc potest habere, cum est separata a corpore, quamdiu autem est in corpore, non omnino intelligit praeter corpus. Sicut enim esse animae in corpore aliquo modo pendet ex corpore, quamvis non pendeat esse ipsius animae in se; ideo ad hoc quod anima sit in corpore, necesse est corpus debite complexionatum esse, et ad illius complexionis corruptionem contingit animam non amplius esse in corpore; sic quamdiu anima est in corpore, intelligere suum non est sine corpore, et sine aliqua dispositione ex parte corporis, cujus actualitas conveniat actui intelligendi, sicut congrua dispositio correspondebat existentiae animae in corpore et perfectioni ejusdem. Illa autem actualitas attenditur secundum illud, quod est supremum in corpore, et quantum ad nobilissimos spiritus, qui locum habent in nobilissimis organis corporis. Et quoniam cum aliquid aufertur ab aliquo, prius aufertur ab eo illud, quod est in eo excellentissimum; et cum aliqua virtus debilitatur, prius aufertur ab ea summum, quam illud quod est citra summum: hinc est, quod in laesione corporis citius tollitur illud, secundum quod conformabatur operationi intellectivae, quam illud secundum quod conformatur operationi sensitivae. Et ideo fumositates ascendentes ad cerebrum, quae perturbant spiritus in somnis, vel in pueris, vel in phreneticis, vel quaecumque alia laesio organorum, in quibus resident spiritus subtilissimi et nobilissimi corporales, facilius impedit usum rationis, quam imaginationis. Et sic patet ratio, quare impeditur ex ineptitudine corporis rationis usus, et quare impeditur magis quam usus inferioris virtutis. Ex hac eadem ratione colligitur, quare magis impeditur ratio quantum ad usum liberi arbitrii, quam quantum ad alios actus rationales, quos in somnis et in furiosis aliquando dignoscitur habere. Actus enim liberi arbitrii respicit potentiam rationalem, prout est in omnimoda et plena libertate. Liberum enim arbitrium dicit dominium potentiae respectu actus ... Et quoniam, cum impeditur aliqua virtus operativa, primo aufertur ei actus ille, qui ei inerat secundum suam plenitudinem, sicut patet, cum aliquis infirmatur in pede, facilius ei aufertur potentia velociter currendi, quam potentia ambulandi, sive facilius impeditur hic actus, quam ille; sic et in proposito facilius et frequentius contingit auferri usum libertatis, quam quemcumque actum potentiae intelligendi." *2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 6.*

[7] „Cum anima humana sit veluti tabula nuda *(Arist. 3. de an. cont. 14)*, datum est ei corpus humanum habens organa multiplicia, ut in illo posset perfici scientiis." *2. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 2. ad 2.*

[8] „Adae corpus, ipso perseverante in innocentia, actu non poterat dissolvi, licet corpus ejus haberet potentiam, ut dissolveretur." *2. dist. 19. a. 2. q. 1.* — „Ad hoc quod debite constituatur aliquod compositum, necesse est materiam et formam proportionari ad invicem. Si igitur anima, ut forma et perfectio, unita est corpori, impossibile erat corpus illud resolvi et corrumpi, nisi aliqua corruptio prius inciderit ex parte animae; sed corruptio, quae potest incidere ex parte animae, non est nisi culpae; ergo impossibile fuit corpus Adae resolvi et pati, nisi in anima culpa fuisset praeambula." *Ibid. fund. 3.*

[9] „Adam erat immortalis in statu innocentiae, quae immortalitas quantum ad aptitudinem erat a natura, sed quoad complementum fuit a gratia." — „Sicut in statu innocentiae homo poterat peccare et non peccare; sic anima poterat corpus continere et non continere, et homo poterat mori et non mori." *2. dist. 19. a. 3. qq. 1. 2.*

[10] „Universalitas lignorum sub tribus differentiis comprehenditur, secundum quod ad triplicem utilitatem hominis poterat ordinari, aut ex parte corporis, aut ex parte animae, aut ex parte conjuncti. Si ex parte corporis, sic erant ligna

fructifera, quae praebebant ei alimenta ad corporis sustentationem. Si ex parte animae, sic fuit lignum scientiae boni et mali, quod ordinabatur ad obedientiae hominis probationem. Si ex parte conjuncti, sic erat lignum vitae, quod faciebat ad vitae humanae perpetuationem. De his autem lignis duo nominata sunt propter speciales effectus, propter quod et Dominus illa duo ligna collocavit in medio paradisi, et unum posuit juxta alterum, ut ex uno conciperet homo affectum amoris, et ex alio affectum timoris; et ut quasi opposita juxta se posita elucescerent, et faciendo abstinentiam ab uno, habere mereretur refectionem sufficientem ab altero. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(De Civit. Dei, lib. 13. c. 20)* loquens de primis parentibus: Status immortalitatis eis de ligno vitae, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia praestabatur: tamen et alios sumebant cibos, praeter unam arborem, quae fuerat interdicta. Et sic patet qualiter illa duo ligna specialiter nominantur; unum autem, scilicet lignum vitae, nominat ut ab effectu, non quem fecit, sed ad quem ordinatur: aliud vero, scilicet lignum scientiae, ab eventu: et utrumque satis congruit, quia tam ille effectus, quam ille eventus valde notabiles erant. Licet autem lignum vitae primum effectum non habuerit in actu, habuit tamen in habitu; nec tamen frustra fuit, quia quamvis ex ipso primus homo non acceperit refectionem ejus, tamen posteri recipiunt instructionem, dum per illud lignum intelligunt Christum." *2. dist. 17. dub. 4.*

[11] „Medicus distinguit veritatem naturae humanae in duplicem humiditatem, videlicet radicalem et nutrimentalem: et dicit, quod humiditas radicalis est illa, in qua calor sustentificatur; nutrimentalis vero est illa, quae praebet homini caloris fomentum. Dicunt *(naturales philosophi et medici)* igitur, quod humiditas radicalis est solum a generantibus, et mediante opere generativae, nam nutritiva in hanc humiditatem non potest, si enim posset, tunc homo juvenesceret, et vitam etiam suam in perpetuum continuaret, si illud humidum renovari posset; quod cum constet falsum esse, dicunt quod alimentum mediante nutritiva non transit in illud humidum . . . In humiditatem autem nutrimentalem, quae corpori pabulum praebet, possibile est alimentum converti mediante opere nutritivae. Et est exemplum in lampade ardente, in qua est humiditas olei et humiditas ellychnii: et humiditas ellychnii assimilatur humido radicali, quoniam, ex quo consumitur, restaurari non potest et in illo ellychnio flamma sustentificatur: humiditas vero olei assimilatur humiditati nutrimentali, quae pabulum praebet igni, et impedit, ne cito ellychnium consumatur; et illa humiditas aliquando augetur, aliquando minuitur, aliquando consumitur, aliquando restauratur." *2. dist. 30. a. 3. q. 2.*

[12] „Illud lignum vitae dicitur ab Augustino potuisse praestare perfectam immortalitatem, non quia ex propria virtute posset corpus hominis facere incorruptibile, cum hoc sit solius potentiae divinae; sed quia virtute sibi data habebat ad hoc disponere, et divina virtus illi ligno tamquam sacramento assisteret, quae immortalitatem perficeret. Et quod lignum vitae hanc posset habere virtutem, ut ad immortalitatem disponeret, satis patet in multis similibus, multa enim sunt aromata, ut myrrha et balsamus, quae corpus hominis diu a putrefactione conservant. Quod vero ratione divinae virtutis assistentis diceretur corporibus illis immortalitatem praebere, simile habetur in sacramentis, quae dicuntur conferre gratiam, quamvis non ipsam gratiam creent, sed divina virtus ipsis assistens. Sic et in proposito intelligendum est, cum lignum vitae esset primis hominibus in sacramentum, sicut dicit Augustinus." *2. dist. 19. dub. 4.* Cfr. etiam *a. 2. q. 2;* et *a. 3. q. 1. ad 6.*

[13] „Licet hujus ligni vitae fructus vivificus principaliter proponeretur ad edendum, tanquam restaurativus radicalis humoris; nihilominus tamen ad ipsius solatium producta sunt et alia ligna in circuitu ligni vitae. Et hoc quatenus varietate fructuum, multiformium pulchritudinum, et saporum, vitaret homo fastidium, quod accidere solet per conversionem ad unum; et haberet oblectamentum, quod ex varietate atque innovatione consurgit in spiritualium notitia sensuum per experientiam multiformium objectorum. Per hunc etiam modum, licet animae devotae sufficere possit Christus Jesus, et hic crucifixus, secundum duodecim fructus, quos illud beatissimum Lignum vitae jugiter affert, sicut ex praecedentibus liquet; ad vitandum tamen fastidium, et dandum solatium hujusmodi animae, proposuit Deus et alias meditationum materias. Proposuit, inquam, tanquam arbores fructuosas, quibus refocilletur humanae mentis devotio, et his multis multiformiter exerceatur; ut tandem in illo uno illius ligni fructu finaliter conquiescat, et eo feliciter perfruatur." *De Plantat. Paradisi, n. IX; Vol. 1. Supplem.*

CAPUT XI.

De productione hominis, quantum ad totum conjunctum.

(Dati sunt homini sensus interior et exterior, — motus imperativus et executivus, — bonum visibile et invisibile, — praeceptum naturae et disciplinae, — adjutorium naturae, scilicet conscientia et synderesis, — adjutorium gratiae gratis datae et gratum facientis.)

De toto autem homine in paradiso collocato haec tenenda sunt, videlicet quod datus est ei duplex sensus, scilicet interior et exterior [a], mentis et carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperativus in voluntate et executivus in corpore. Datum est ei

a) Scilicet ante mentis om. ABCDE F et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

duplex bonum, unum visibile, et alterum invisibile. Datum est ei duplex praeceptum, scilicet naturae et disciplinae. Praeceptum naturae: *Crescite, et multiplicamini (Gen. 1, 28);* praeceptum disciplinae: *De ligno scientiae boni et mali ne comedas (Gen. 2, 17).* Juxta quae datum est sibi quadruplex adjutorium, scilicet scientiae, conscientiae, synderesis et gratiae, ex quibus sufficienter habuit, ut posset stare in bono et proficere, et a malo cavere et declinare (I).

(I) Ad hoc caput omnes errores retulimus, qui passim de hominis productione irrepserunt. Porro, praetermissa Praeadamitarum fabula (quam nostris temporibus *Praehistorici* renovare videntur) ab ipso Isaaco Pereyro Gallo ejurata una cum secta Calviniana, cui erat addictus, praecipue versantur circa dona, quibus protoparentes nostri in statu innocentiae instructi fuerunt. Pelagiani enim, quibus nonnulli adhaeserunt ex novatoribus saec. XVI, Zwinglius nempe, Sociniani et Arminiani, et demum Rationalistae, justitia originali eos nunquam exornatos effutierunt. E contra Lutherani, Calvinistae, Michaël Bajus et Jansenius justitiam originalem non esse donum seu gratiae beneficium, sed partem debitam ac naturalem et essentialem, sive etiam, ut ajunt Janseniani, *integralem* constituere delirarunt. Ex quibus haeresibus quot aliae deriventur, suo loco videbimus.

Contra Rationalistas, eorum errores damnati fuerunt a Pio IX in *Syllabo,* ubi ita exponuntur. — „3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. — 4. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat. — 5. Divina revelatio est imperfecta, et iccirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. — 6. Christi fides humanae refragatur rationi, divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni. — 7. Prophetiae et miracula in sacris Literis exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio."

Relati errores ad Rationalismum absolutum spectant, ad moderatum vero, seu ad semirationalismum, pertinent hi, qui sequuntur. — „8. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt. — 9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. — 10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit: at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati. — 11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat. — 12. Apostolicae Sedis, Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt. — 13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt. — 14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione."

Quum autem Latitudinarismus et Indifferentismus, seu, ut Gregorius XVI in Encycl. diei 15 augusti an. 1832 adversus Lamennais ipsum definivit, „prava illa opinio, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur," imo et Liberalismus, ex eadem venenata Rationalismi fonte profluant; eorum errores in eodem *Syllabo* proscriptos exponere hic juverit. Indifferentismus igitur et Latitudinarismus haec figmenta tuentur. — „15. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit. — 16. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt. — 17. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. — 18. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est."

Liberalismus vero damnatus hos errores amplectitur: — „77. Aetate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis. — 78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. — 79. Enimvero falsum est, civilem

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia [b] primum principium fecit mundum istum sensibilem ad declarandum seipsum, videlicet ut homo per illum, tanquam per speculum et vestigium [1], reduceretur in Deum artificem amandum et laudandum [2]. Et secundum hoc duplex est liber, unus scilicet scriptus intus, qui est Dei aeterna ars et sapientia, et alius scriptus foris, scilicet mundus sensibilis. Cum igitur esset una creatura, quae sensum habebat intus ad cognitionem libri interioris, ut Angelus, et alia, quae totum sensum habebat foris, ut quodlibet animal brutum; ad perfectionem universi [c] debuit fieri creatura, quae hoc sensu duplici [3] esset praedita, ad cognitionem *libri scripti intus et foris,* id est, sapientiae et sui operis [4]. Et quia in Christo simul concurrit aeterna sapientia et ejus opus in una persona; ideo dicitur *liber scriptus intus et foris (Ezech. 2, 9; Apoc. 5, 2),* ad reparationem generis humani [5]. Et quia cuilibet sensui correspondet [d] motus, ideo duplex est homini datus motus, unus secundum instinctum rationis in mente, alius secundum instinctum sensualitatis in carne [6]. Primi est imperare, secundi vero [e] est obtemperare secundum rectum ordinem; quando autem fit e converso, tunc rectitudo et regimen animae praecipitatur de statu suo. Et quia cuilibet motui et sensui respondet appetitus ad aliquod bonum; ideo duplex bonum praeparatum est homini, unum scilicet visibile et alterum invisibile, unum temporale et [f] aliud aeternum, unum carni et alterum spiritui. Ex his autem bonis Deus unum dedit, alterum [g] promisit; ut unum gratis possideretur, alterum vero per meritum acquireretur. Et quia frustra bonum datur, nisi custodiatur, frustra promittitur, nisi ad ipsum perveniatur; ideo duplex fuit [h] praeceptum homini datum, scilicet unum naturae ad custodiendum bonum datum [i], aliud disciplinae ad promerendum bonum promissum, quod nullo modo poterat mereri melius, quam per meram obedientiam. Obedientia autem mera est, quando praeceptum ex se solo obligat, non ex aliqua causa alia, et tale dicitur praeceptum disciplinae, quia per ipsum discitur, quanta sit virtus obedientiae, quae suo [j] merito ducit ad caelum, suo autem demerito praecipitat in infernum. Non ergo datum est illud mandatum homini propter indigentiam aliquam, quam Deus haberet de humano obsequio, sed ad dandam viam merendi coronam per meram et voluntariam obedientiam [7].

Et quoniam homo, ratione naturae defectivae ex nihilo formatae, nec [k] per gloriam

b) Quod ed. 1484.

c) Ita ibid. In ceteris editt. Universitatis.

d) Respondet ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

e) Vero om. ibid. praeter G.

f) Et om. ed. 1484. Sic et inferius.

g) Autem add. ibid.

h) Est ibid.

i) Creatum ibid.

j) Sui ibid.

k) Nondum ibid.

cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. — 80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere." Vide inferius, *part. VI. not. III.*

Contra autem Pelagianos eorumque asseclas, Concil. Trident. *sess. 5. can. 1* definivit: „Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . anathema sit." Et *can. 2:* „Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam perdidisse . . . anathema sit."

Contra Lutheranos ceterosque sunt censurae a SS. Pontificibus S. Pio V et Gregorio XIII inflictae propos. 26 et 75 Baji, quae sunt: „Integritas primae conditionis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed debita ejus conditio." — „Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio." Item censura Clementis XI in Const. *Unigenitus,* qua proscribitur propos. 35 Quesnelli: „Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae;" et censura propositionum 16 et 17 Synodi Pistoriensis a Pio VI in Const. *Auctorem fidei* inusta.

confirmatae, poterat cadere; benignissimus Deus quadruplex contulit ei adjutorium, scilicet duplex naturae et duplex gratiae. Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi naturae [8], videlicet unam ad recte judicandum, et haec est rectitudo conscientiae [9]; aliam ad recte volendum, et haec est rectitudo [1)] synderesis [10], cujus est remurmurare contra malum, et stimulare ad bonum [11]. Duplicem etiam superaddidit perfectionem gratiae [12], unam gratiae gratis datae [13], quae fuit scientia illuminans intellectum [14] ad cognoscendum [15] seipsum, et Deum suum [16] et mundum istum [17], qui factus fuerat propter ipsum, aliam vero gratiae gratum facientis, quae fuit caritas habilitans affectum ad diligendum Deum super omnia [18], et proximum sicut seipsum. Et sic ante lapsum homo perfecta habuit naturalia [19], supervestita nihilominus gratiâ divinâ [20]. Ex quo manifeste colligitur, quod si cecidit, non aliunde fuit, nisi ex sua culpa [21], quia obedire contempsit [22].

1) Rectitudo om. ABCDE FGH et editt. Arg. Aug. Nor.

Ad Caput XI.

[1] Vide *Itiner. mentis in Deum,* passim.

[2] „Mundus, si servit homini quantum ad corpus, potissime quantum ad animam; et si servit quantum ad vitam, potissime quantum ad sapientiam. Certum est, quod homo stans habuit cognitionem creaturarum, et per illarum repraesentationem ferebatur in Deum, ad ipsum laudandum, venerandum, amandum: et ad hoc sunt creaturae, et reducuntur ad Deum.“ *Serm. 13. in Hexaëm. circ. med.* Cfr. *Itiner. mentis in Deum,* passim.

[3] „Non est simile de intelligere et sentire. Et ad hoc est triplex ratio, una est ex parte virtutis apprehensivae, alia ex parte apprehensi, sive objecti, tertia est ex parte modi apprehendendi. Ex parte virtutis apprehensivae, quia sensus potest corrumpi, intellectus autem non. Cujus ratio est, quia sensus dependet ab organo, in quo est quaedam medietas et harmonia, quae non tantum corrumpitur per contrarium, sed per excellens; sed intellectus non dependet ab organo, quia vis est immaterialis; ideo non tristatur in excellenti. Ex parte objecti non est simile, quia objectum intelligentiae excellens juvat et confortat, quia influentia talis cognoscibilis procedit ab intimis, et intrat ipsam potentiam; et ideo ipsam corroborat et confortat. Sicut si magnus mons daret virtutem portandi se, facilius ferretur quam parvus; sic est in intelligibili, quod Deus est. Sensibile autem objectum tantum extra excitat; et ideo hoc corrumpit, illud autem non. Ex parte modi apprehendendi similiter est dissimilitudo, quia sensus in apprehensione sui objecti tendit ad exterius, unde per illud dispergitur exterius, nec fortificatur interius; ideo debilitatur. Sed objectum intellectus, cum sit intimum ipsi intellectui, in ejus perceptione virtus non dispergitur, sed colligitur; et quanto virtus est magis unita, tanto fortior.“ *1. dist. 1. a. 3. q. 1 ad 2.*

[4] „Totus mundus est umbra, via, vestigium, et est liber scriptus forinsecus. In qualibet enim creatura est refulgentia divini exemplaris, sed cum tenebris permixta. Unde sicut quaedam opacitas admixta lumini est via, in tantum est via ducens in exemplar. Sicut tu vides, quod radius intrans per fenestram, diversimode coloratur, secundum colores diversos diversarum partium vitri; sic radius divinus in singulis creaturis diversimode, et in diversis proprietatibus refulget. Unde scriptum est: *In viis suis ostendit se (Sap. 6, 17).* Item est vestigium sapientiae Dei. Unde creatura non est nisi quoddam simulacrum sapientiae Dei et quoddam sculptile. Et ex his omnibus est quidam liber scriptus foris. Quando ergo anima videt haec, videtur sibi, quod deberet transire ab umbra ad lucem, a via ad terminum, a vestigio ad veritatem, a libro ad scientiam veram, quae est in Deo. Hunc librum legere est altissimorum contemplativorum, non naturalium philosophorum, quia solum sciunt naturam rerum, non ut vestigium. Aliud adjutorium est spiritualis creaturae, quae est ut lumen, ut speculum, ut imago, ut liber scriptus intus. Omnis substantia spiritualis lumen est. Unde Psalmus (4, 7): *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Simul etiam cum hoc est speculum, quod recipit omnia et repraesentat et habet naturam luminis, ut judicet de rebus. Totus etiam mundus describitur in anima, et etiam est imago; quia ergo est lumen et speculum habens rerum imagines, ideo est imago; et ex hoc est liber scriptus intus. Unde ad intimum animae nullus potest intrare, licet sit simplex, hoc autem est intrare ad potentias, quia, secundum Augustinum, intimum animae est ejus summum, quanto potentia intimior, tanto sublimior.“ *In Hexaëm. serm. 12. post med.*

[5] „Ad gloriam regni perfectam non solum requiritur potestas excellens, verum etiam sapientia fulgens; ut non secundum indeterminatae voluntatis arbitrium disponantur gubernacula regni, sed secundum fulgores aeternarum legum a luce sapientiae inde coeptae manantium. Et haec quidem sapientia scripta est in Christo Jesu, tanquam in libro vitae, in quo Deus Pater omnes thesauros sapientiae et scientiae recondidit. Ac per hoc Unigenitus Dei Filius, ut Verbum increatum, est sapientiae liber, et lux in mente summi artificis, viventibus plena rationibus et aeternis, ut Verbum inspiratum in intellectibus angelicis et beatis, et ut Verbum incarnatum in mentibus rationalibus carni unitis; ut sic multiformis sapientia Dei ex ipso et in ipso per totum regnum refulgeat, tanquam in speculo decoris, sive pulchritudinis omnium specierum et luminum conten-

tivo, et tanquam in libro, in quo secundum profunda Dei mysteria omnia conscribuntur. O si talem librum invenire possem, cujus origo aeterna, cujus incorruptibilitas essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cujus doctrina facilis, cujus scientia dulcis, cujus profunditas imperscrutabilis, cujus verba inenarrabilia, et unum tamen verbum omnia. Vere qui hunc invenit librum, invenit vitam, et haurit sibi salutem a Domino.“ *Lign. Vitae,* titulo: *Jesus liber signatus.*

[6] „Scriptura distinguit hominem interiorem et exteriorem, sicut habetur in epistola ad Corinthios: *Et si is, qui foris est, noster homo corrumpitur; is tamen, qui intus est, renovatur de die in diem (2. Cor. 4, 16).* Exteriorem autem hominem vocat non ipsum corpus tantum, sed corpus cum viribus animae, per quas habet his sensibus intendere, et in eis inhaerere. Interiorem autem hominem vocat ipsum spiritum rationalem, secundum quem habet circa caelestia seipsum occupare. Secundum hoc intelligendum est, quod homo habet potentias animae, per quas convertitur ad spiritualia, et habet potentias, per quas convertitur ad sensualia: et illae virtutes, per quas convertitur ad spiritualia, insimul collectae unum posse perfectum animae integrant, et quaedam potestas resultat interioris hominis regitiva, quae quidem vocatur arbitrii libertas, in qua consistit meritum et laus et vituperium. Secundum autem quod homo habet converti ad haec sensualia, sic habet et suas potentias, quae similiter in unum concordantes, integrant quasi unum perfectum posse circa ista sensualia; et hoc nomine sensualitatis censet Scriptura, quae simul comprehendit sensibiles cognitivas et motivas, sicut et arbitrii libertas; et hoc est, quod habitum est supra, quod sensualitas est quaedam vis animae inferior, ex qua est motus, qui intenditur in corporis exterioris sensus atque appetitus rerum ad corpus pertinentium; et ideo comprehendit ex sua propria acceptione sensitivam et motivam et brutalem. Et quoniam inferior portio rationis per peccatum multum trahitur a sensualitate, et *homo comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Ps. 48, 21);* ideo inferior portio rationis aliquando in Scriptura nomine sensualitatis censetur propter nimiam conversionem sui ad sensualia.“ *2. dist. 24. p. 2. dub. 3.*

[7] „Deus homini illud lignum prohibuit, propter obedientiae meritum acquirendum ex parte hominis, et propter ostendendum suae jurisdictionis dominium, quod habebat in homine. Quia prohibuit propter obedientiae meritum, ut illud meritum esset purum et plenum, bene a tali re prohibuit, a qua non deberet cessari nisi solius obedientiae intuitu; et ideo a re bona. Item, quia prohibuit ad ostendendum suae jurisdictionis dominium; ideo a tali re debuit prohibere, a qua homo non deberet retrahere manum nisi propter solum Dei imperium: et haec quidem fuit res bona, et propterea illud mandatum dicitur esse mandatum disciplinae, quia ad hoc non obligatur ex se, sive aliquo rationis naturalis dictamine, sed ex sola divina praeceptione. Quamvis et alia possit reddi ratio, quod datum sit illud mandatum divinum, ut per hoc disceret cui deberet esse subjectus, et quantum etiam differret inter eum, qui Deo obedit, et eum, qui contemnit ejus imperium. Nulla igitur fiebat ex hoc homini injuria; immo fiebat utilitas, dum praecipiebatur ad ejus eruditionem et meriti amplificationem. Quod si contrarium evenit, hoc fuit ex culpa sua, ex qua convertit sibi bonum in malum, sicut impiis et peccatoribus bona convertuntur in mala. Propter istius tamen eventus praevisionem non debuit Deus dimittere dare tale mandatum, quia ordo et decor, qui attenditur in operibus Dei secundum regulam divinae sapientiae, non debet intermitti propter incommodum alicujus spiritualis creaturae. Praeterea ex illo malo inde sequente poterat Deus et sciebat multo majus bonum elicere.“ *2. dist. 17. dub. 5.* De obedientia vide inferius *part. V. cap. IX.*

[8] „*Deus fecit hominem rectum (Eccle. 7, 30).* Qualiter autem illud intelligitur, quod Deus fecerit hominem rectum, explicatur ibi *(Eccli. 17, 1—2),* ubi dicitur: *Deus creavit hominem de terra;* hoc dicit quantum ad corpus; *et secundum imaginem suam fecit illum,* hoc dicit quantum ad animae naturam: *et iterum convertit illum in ipsam;* hoc dicit quantum ad gratiam superadditam, quae animam convertit ad Deum per virtutum habitus; et ideo subjungit: *et secundum se vestivit illum virtute.* In hoc verbo ostenditur, quod Deus non tantum fecit hominem possibilem ad rectitudinem, suam ei imaginem conferendo, sed etiam fecit hominem rectum, ad se convertendo ipsum. Tunc enim homo rectus est, quando intelligentia adaequatur summae veritati in cognoscendo, voluntas conformatur summae bonitati in diligendo, et virtus continuatur summae potestati in operando. Hoc autem est, quando homo ad Deum convertitur ex se toto. Primo igitur homo rectus est, cum intelligentia veritati summae aequatur. Aequari autem dico non per omnimodam perfectionem vel implectionem, sed per quamdam imitationem. Si enim veritas, ut dicit Anselmus *(dial. de verit. c. 12),* est rectitudo sola mente perceptibilis, et rectitudini non potest aequari nisi rectum; cum intellectus noster aequatur veritati, necessario rectificatur. Tunc autem aequatur, quando actualiter se convertit ad veritatem. Veritas enim in actu diffinitur quod est adaequatio rei et intellectus. Intelligentia autem nostra ad veritatem conversa verificatur, ac per hoc veritati aequatur, et dum aequatur rectitudini, rectificatur. Unde sine veritate nullus recte judicat, ut dicitur in libro de vera religione *(Aug. l. 1. c. 31);* et qui aspicit ad veritatem, judicat recte, secundum quod Dominus dicit Simoni: *Recte judicasti (Luc. 7, 43),* id est, recte dixisti, vel decrevisti. Similiter rectificatur, dum voluntas summae beatitudini conformatur. Summa enim bonitas est summa aequitas, sive justitia; tanto enim melior quis, quanto justior. Sed, ut dicit Anselmus *(dial. de lib. arb. c. 9),* justitia est rectitudo voluntatis; nihil autem conformatur rectitudini nisi rectum; dum ergo voluntas bonitati summae et aequitati conformatur, necessario rectificatur. Tunc autem conformatur, cum ad ipsum convertitur diligendo. Unde Hugo *(de verit. c. 13):* Scio, anima mea, quod dum aliquid diligis, in ejus similitudinem transformaris. Qui enim diligit bonitatem, rectus est. Et hoc est, quod dicitur *(Cant. 1, 3): Recti diligunt te.* Recti enim ad tuam bonitatem sunt conversi, et tua bonitas ad eos inclinatur. Unde anima experta clamat et dicit: *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde (Psalm. 72, 1).* Et quia soli recti experiuntur, ideo *rectos decet collaudatio (Psalm. 32, 1).* Nihilominus rectificatur, dum virtus summae potestati con-

tinuatur. Rectum enim est, cujus medium non exit ab extremis. Extrema sunt primum et ultimum, alpha et omega, principium et finis *(Apoc. 22, 13)*. Operatio inter haec est medium, per quam efficiens pervenit in finem. Illa ergo virtus recta est, cujus operatio est a principio primo et ad finem ultimum. Quoniam ergo divina virtus omnia operatur a Deo et propter Deum; hinc est, quod rectissima est in operando. Nihil autem continuatur recto nisi rectum. Cum ergo virtus nostra summae potestati continuatur, absque dubio rectificatur; et ex hoc homo non solum rectus, sed etiam rector et rex efficitur. Unde in Deuteronomio *(33, 5): Et erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israël.* Hoc autem erit in gloria, quando virtus nostra continuabitur divinae virtuti, tunc erimus omnipotentes voluntatis nostrae, sicut et Deus suae; et ideo omnes reges, et ideo omnibus promittitur regnum caelorum. *Fecit* igitur *Deus hominem rectum;* dum ipsum fecit ad se conversum. In conversione enim hominis ad Deum non solum rectificabatur ad id quod sursum, sed etiam ad id quod deorsum. Homo enim in medio constitutus, dum factus est ad Deum conversus et subditus, cetera sunt ei subjecta, ita quod Deus omnem veritatem creatam subjecerat ejus intellectui ad judicandum, omnem bonitatem ejus affectui ad utendum, omnem virtutem ejus potestati ad gubernandum. Ex hoc namque, quod intelligentia conversa est ad divinam veritatem, vindicat sapientiam, per quam omnia dijudicat, secundum quod dicitur *(Sap. 7, 17—21): Ipsa dedit mihi omnium, quae sunt, scientiam, ut scirem orbis terrarum dispositionem, et virtutes caelorum; initium et consummationem et medietatem temporum, anni cursus, stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vires herbarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum et virtutes radicum, et quaecumque sunt absconsa et improvisa.* Unde et Adam omnibus nomina imposuit. Subjecit nihilominus voluntati omnia ad utendum, ut posset omnia in usum et utilitatem suam convertere. Unde Psalmus *(8, 8): Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Unde Apostolus dicit ad Deum conversus *(1. Cor. 3, 22): Omnia vestra sunt.* Subjecit etiam virtuti ad gubernandum: *Subjicite eam,* scilicet terram, *et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli (Gen. 1, 28).* Ista autem recta hominis conditio quantum ad superius et inferius simul tangitur in illo verbo: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit etc. (Gen. 1, 26). Fecit* ergo *Deus hominem rectum,* dum ad se convertendo sibi eum assimilavit, et per hoc omnibus praeposuit: et sic patet recta humanae naturae conditio." *2. in Proëm.* — „Quae per similitudinem infusam vel innatam cognoscuntur ab homine, dicuntur ab Augustino *(l. 12. de Trin. c. 14 in sensu)* cognosci in veritate aeterna, aut quia veritas cognitionem infundit, ut in prophetis; aut quia conditione imprimitur, secundum illud Psalmistae *(Ps. 4, 7): Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* ... Species autem innata potest esse dupliciter, aut similitudo tantum, sicut species lapidis; aut ita similitudo, quod etiam quaedam veritas in seipsa. Prima species est sicut pictura, et ab hac creata est anima nuda. Secunda species est impressio aliqua summae veritatis in anima, sicut, verbi gratia, animae a conditione sua datum est lumen quoddam directivum, et quaedam directio naturalis; data est etiam ei affectio voluntatis. Cognoscit ergo anima, quid sit rectitudo, et quid affectio, et ita quid rectitudo affectionis." *1. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 4.*

[9] „Omnes in hoc concordant, quod potentiae cognitivae sit lumen inditum, quod vocatur naturale judicatorium ... Illud autem lumen, sive naturale judicatorium, dirigit ipsam animam in judicando tam de cognoscibilibus, quam de operabilibus. Sed hoc est attendendum praecipue, quia sicut inter cognoscibilia quaedam sunt valde evidentia, sicut dignitates et prima principia, quaedam vero sunt minus evidentia, sicut conclusiones particulares; sic et in operabilibus, quaedam sunt maxime evidentia, utpote illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; et: Quod Deo obtemperandum est; et consimilia. Quemadmodum igitur cognitio principiorum primorum ratione illius luminis dicitur esse nobis innata, quia lumen illud sufficit ad illa cognoscenda post receptionem specierum sine aliqua persuasione superaddita propter sui evidentiam; sic et primorum principiorum moralium cognitio nobis innata est, pro eo quod judicatorium illud sufficit ad illa cognoscenda. Rursus, quemadmodum cognitio particularium conclusionum scientiarum acquisita est, pro eo quod lumen nobis innatum non plene sufficit ad illa cognoscenda, sed indiget aliqua persuasione et habilitatione nova; sic etiam intelligendum est ex parte operabilium, quod quaedam sunt agenda, ad quae tenemur, quae non cognoscimus nisi per instructionem superadditam. Quoniam igitur conscientia nominat habitum directivum nostri judicii respectu operabilium; hinc est, quod quodammodo habitum nominat innatum, et quodammodo nominat acquisitum. Habitum, inquam, innatum nominat respectu eorum, quae sunt de primo dictamine naturae, habitum vero acquisitum respectu eorum, quae sunt instructionis superadditae. Habitum etiam innatum dicit respectu luminis directivi, habitum nihilominus acquisitum respectu speciei ipsius cognoscibilis. Naturale enim habeo lumen, quod sufficit ad cognoscendum quod parentes sunt honorandi, et quod proximi non sunt laedendi, non tamen habeo naturaliter mihi impressam speciem patris, vel speciem proximi." *2. dist. 39. a. 1. q. 2.*

[10] „Conscientia se tenet ex parte cognitivae potentiae, licet non speculativam, sed practicam respiciat cognitionem." — „Ligat semper ad faciendum quod dictat, praeterquam in his, quae sunt contra legem Dei, tunc enim ligat ad deponendum eam." *2. dist. 39. a. 1. qq. 1. 3.* — „Conscientia uno modo dicitur superior pars rationis, quam Graeci synderesim vocant, et apud nos scintilla conscientiae potest dici ... Differunt tamen secundum rationem synderesis et conscientia. Nam synderesis judicat faciendum, id est dignum fieri; conscientia vero judicat faciendum, id est debitum fieri." *Centiloq. p. 1. sect. 11.* — „In meditatione ratio percunctando affert propositionem, synderesis sententiando profert diffinitionem, conscientia testificando infert conclusionem, et voluntas praeeligendo defert solutionem." *Incend. amor. c. 1. n. 23.*

[11] „Quemadmodum ab ipsa creatione animae intellectus habet lumen, quod est sibi naturale judicatorium, dirigens ipsum intellectum in cognoscendis; sic affectus habet naturale quoddam pondus dirigens ipsum affectum in appetendis. Appetenda autem sunt in duplici genere. Quaedam enim sunt in genere honesti, quaedam in genere

commodi, sicut et cognoscibilia sunt in duplici genere, quaedam in genere speculabilium, et quaedam ex parte moralium. Et quemadmodum conscientia non nominat illud judicatorium, nisi in quantum dirigit ad opera moralia; sic synderesis non nominat illud pondus voluntatis, nisi in quantum illam habet inclinare ad bonum honestum ... Synderesis est scintilla conscientiae, ... pro eo quod conscientia, quantum est de se, non potest movere, nec pungere, sive stimulare, nisi mediante synderesi, quae est quasi ejus stimulus et igniculus. Unde sicut ratio non potest movere, nisi mediante voluntate; sic nec conscientia, nisi mediante synderesi ... Ad illud, quod quaeritur, quo modo se habeat synderesis ad conscientiam et legem naturalem, dicendum quod sic se habet synderesis ad conscientiam, sicut se habet caritas ad fidem, vel habitus ipsius affectus ad habitum intellectus practici, secundum quod est habitus. Lex autem naturalis communiter se habet ad utrumque, videlicet ad synderesim et ad conscientiam. Nam lex naturalis dupliciter potest accipi. Uno modo, prout dicit habitum in anima; et sic, quia per legem naturalem instruimur, et per legem naturalem recte ordinamur, dicit habitum, qui comprehendit affectum et intellectum, et ita comprehendit synderesim et conscientiam. Alio modo lex naturalis vocatur collectio praeceptorum juris naturalis; et sic nominat objectum synderesis et conscientiae, unius sicut dictantis, et alterius sicut inclinantis. Nam conscientia dictat, et synderesis appetit vel refugit. Et utroque istorum modorum invenitur lex naturalis in diversis locis; hoc tamen ultimo modo accipitur magis proprie. Et sic, ut proprie loquamur, synderesis dicit potentiam affectivam, in quantum naturaliter habilis est ad bonum, et ad bonum tendit; conscientia vero dicit habitum intellectus practici; lex vero naturalis dicit objectum utriusque. Et per hoc patet responsio ad quaestionem ultimam, qualiter synderesis se habeat ad concupiscibilem, rationalem et irascibilem. Illae enim tres potentiae indifferenter nominant potentias animae, sive secundum quod moventur naturaliter, sive secundum quod moventur deliberative. Synderesis autem nominat potentiam affectivam, secundum quod movetur naturaliter et recte; et ideo non distinguitur ab illis potentiis secundum essentiam potentiae, sed secundum modum movendi: et quia secundum illum modum movendi semper movet recte; hinc est, quod dicitur super alias volare, et aliis errantibus non se immiscere, sed eas corrigere.“ *2. dist. 39. a. 2. q. 1. concl. et ad 2. 5.* — „Synderesis quantum ad actum impediri potest, sed extingui non potest. Ideo autem non potest extingui, quia, cum dicat quid naturale, non potest a nobis omnino auferri. Unde et Glossa super illud *(Luc. 10, 50): Abierunt, semivivo relicto:* Immortalitatem exuere, sed rationis sensum omnino abolere non possunt, quin homo possit sapere Deum et cognoscere; nec unquam vitium delet extrema naturae vestigia. Quamvis autem actus ejus omnino auferri vel extingui non possit, potest tamen ad tempus impediri, sive propter tenebram obcoecationis, sive propter lasciviam delectationis, sive propter duritiam obstinationis. Propter tenebram obcoecationis impeditur synderesis, ne malo remurmuret, pro eo quod malum creditur esse bonum, sicut est in haereticis, qui morientes pro impietate erroris, credunt se mori pro pietate fidei; et ideo remorsum non sentiunt, sed magis quoddam gaudium siccum et vanum. Propter lasciviam delectationis similiter impeditur, aliquando enim in peccatis carnalibus ita absorbetur homo ab actu carnis, ut remorsus locum non habeat, quia carnales homines tanto impetu delectationis feruntur, ut ratio tunc non habeat locum. Propter duritiam obstinationis etiam impeditur synderesis, ne ad bonum stimulet, sicut in damnatis, qui adeo sunt in malo confirmati, ut nunquam possint ad bonum inclinari; et ideo synderesis, quantum ad instigationem ad bonum, sempiternum habet impedimentum. Et propterea, quantum ad istum actum, potest dici extincta, non tamen extincta simpliciter, quia habet alium usum, videlicet remurmurationis. Secundum enim illum usum, secundum quem synderesis habet pungere et remurmurare contra malum, maxime vigebit in damnatis; et hoc dico, prout remurmuratio contra malum tenet rationem poenae, non prout tenet rationem justitiae, quia illa remurmuratio erit ad commendandam divinam justitiam, sed non erit ad eliciendam fructuosam poenitentiam. Unde remurmurabit synderesis in damnatis contra culpam, in relatione tamen ad poenam. Et sic patet, quod synderesis quantum ad actum impediri potest, numquam tamen extingui potest universaliter quantum ad actum omnem et quantum ad omne tempus.“ *Ibid. q. 2.* — „Synderesis nominat ipsam voluntatem, secundum quod habet naturaliter moveri. Et quoniam peccatum non habet esse circa actum voluntatis, ut est natura, vel ut movetur naturaliter, sed solum ut movetur deliberative; hinc est, quod synderesis per peccatum non habet depravari. Quia tamen ipsa habet alias regere et dirigere, et dominium regendi potest perdere; hinc est, quod contingit eam per culpam praecipitari. Praesidentia enim dominii a duobus pendet, videlicet a rectitudine praesidentis et ab obtemperantia famulantis; et quamvis synderesis, quantum est de se, semper sit recta, quia tamen ratio et voluntas frequenter ei obviat, ratio per erroris excaecationem, et voluntas per impietatis obstinationem; hinc est, quod synderesis praecipitari dicitur, pro eo quod effectus ejus et praesidentia in vires alias deliberativas propter earum repugnantiam repellitur et cassatur. Et ponitur exemplum in milite, qui, quantum est de se, semper bene sedet super equum, equo tamen ruente, praecipitari dicitur: sic et in proposito intelligendum est.“ *Ibid. q. 3.*

[12] Nam juxta S. D. „homo in statu innocentiae creatus, prius naturalibus donis fuit praeditus, posterius vero gratuitis honestatus, sic requirente et disponente sapientia, bonitate et divina justitia.“ — — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc duplex fuit opinio. Quidam namque dicere voluerunt, quod homo fuit creatus non solum in naturalibus, verum etiam in gratuitis, tum propter Dei liberalitatem, tum etiam propter hominis idoneitatem. Sed quoniam Sanctorum auctoritates videntur sonare contrarium, ideo est alia opinio communior et probabilior, quod homo prius tempore habuit naturalia, quam haberet gratuita. Unde secundum hanc in statu innocentiae distinguuntur duo tempora; quoddam enim fuit tempus, in quo tantum habuit naturalia, quoddam vero, in quo habuit et naturalia et gratuita. Secundum diversitatem hujus duplicis temporis dissolvitur apparens contrarietas in auctoritatibus Sanctorum. Nam quae-

dam videntur dicere, quod homo habuit gratiam, quaedam vero quod non; et utraeque verum dicunt pro diversis temporibus. Ratio autem, quare Dominus voluit post naturalia dare gratiam, cum posset dare simul, sumitur ex triplici ordine, videlicet ab ordine sapientiae, bonitatis et justitiae. Ordo sapientiae hoc requirebat, ut sicut esse gratuitum est alterius generis, quam esse naturale; sic in diversis temporibus homini conferretur: et sicut elementa mundi prius tempore fuerunt creata et distincta, quam ornata, propter ordinem sapientiae commendandum; sic etiam fieret circa hominem, qui est minor mundus. Ordini etiam bonitatis hoc competebat, hoc enim ordine dicitur aliquid ordinari in suum finem; tunc igitur gratia homini ordinate datur, quando datur ei, secundum quod est utilior et fructuosior. Tanto autem gratia Dei est nobis utilior et fructuosior, quanto pro ea Deo gratiosiores existimus; et ideo sic debuit dari, ut ex ipso ordine dandi cognosceretur donum illud esse gratuitum. Propterea non fuit a creatione indita, sed naturae jam perfectae et constitutae fuit superinfusa. Ordo etiam justitiae hoc requirebat, Deus enim secundum legem communem requirit aliquam dispositionem et praeparationem a parte nostra, ad hoc quod infundat alicui gratiam, sive in eo cui infundit, ut in adulto, sive in alio adjuvante, secundum quod contingit in parvulo; et ideo gratia non fuit homini concreata, sed dilata fuit, quousque homo per actum et usum rationis quodammodo se disponeret ad illam suscipiendam, ut sic verificaretur illud Augustini *(serm. 15. de verb. apost. post med.)* in primo homine: Qui creavit te sine te, non justificat te sine te. Patet igitur, quod multiplex ordo hoc exigebat, ut homo prius fieret in naturalibus, quam donis gratuitis ornaretur; et concedendae sunt rationes, quae hoc ostendunt. Ad illud quod objicitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem etc. (Gen. 1, 26)*, dicendum quod similitudo attenditur ibi in gratiis gratis datis; vel dicendum quod Deus dicitur fecisse hominem ad suam imaginem et similitudinem, non quia statim cum dedit imaginem, simul etiam dederit similitudinem, sed quia alterum dedit, scilicet imaginem, et ad alterum habilem fecit, videlicet ad similitudinem, quam postmodum pro loco et tempore ei dedit. Unde, quantum est ex vi verbi, non potest concludi, quod simul et semel fuerit in homine imago Dei et similitudo ... Ad illud quod objicitur de perfectione aetatis et cognitionis, dicendum quod non est simile, quia perfectio aetatis et cognitionis non tantum elongatur a perfectione naturae, sicut perfectio gratiae. Unde homo per vim naturae sibi inditam potest pervenire ad perfectam aetatem, et proficere ad cognitionem, sed nunquam potest per se homo in habitum gratiae, nisi Deus infundat mera sua benignitate. Ad illud quod objicitur, quod homo erat idoneus, et Deus erat liberalissimus, dicendum quod Deus majorem idoneitatem exspectabat, quae quidem competeret ordini sapientiae et bonitatis et justitiae, sicut prius ostensum est; et ideo non statim gratiam dedit, sed distulit, pro eo quod Deus sic operatur liberaliter, ut tamen sua liberalitas non excludat sapientiam nec justitiam." *2. dist. 29. a. 2. q. 2.* Vide *App. huj. cap.*

[13] „Dona gratis data in homine ante lapsum et post lapsum se habent sicut excedentia et excessa. Gratum facientia vero aequalia sunt, si perfectionem dicant." — „Homo in communi post lapsum efficaciora dona gratuita habuit, ratione tum difficultatis, tum majoris caritatis; licet oppositum sit ratione promptitudinis voluntatis." *2. dist. 29. a. 3. qq. 1. 2.* Vide *part. V. cap. II.*

[14] „Adam stante, nulla fuisset in eo deceptio, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco, quamvis aliqua potuerit inesse nescientia." *Ibid. q. 2.*

[15] „Quaeritur, utrum omnis cognitio sit a sensu. Et dicendum est, quod non. Necessario enim oportet ponere, quod anima novit Deum, et seipsam, et quae sunt in seipsa, sine adminiculo sensuum exteriorum. Unde si aliquando dicat Philosophus *(l. de sensu et sensib.)*, quod nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu, et quod omnis cognitio ortum habet a sensu, intelligendum est de illis, quae quidem habent esse in anima per similitudinem abstractam; et illa dicuntur esse in anima ad modum scripturae. Et propterea valde notabiliter dicit Philosophus *(An. cont. 14)*, quod in anima nihil scriptum est, non quia nulla sit in ea notitia, sed quia nulla est in ea pictura vel similitudo abstracta. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(de civ. Dei)*: Inseruit nobis Deus nobile judicatorium, ubi quid sit lucis, quid tenebrarum, cognoscitur in libro lucis, qui veritas est, quia veritas in corde hominum naturaliter est impressa." *2. dist. 39. a. 1. q. 2.*

[16] „Videtur Deus mediante speculo, sed in statu innocentiae videbatur Deus per speculum clarum, in statu vero miseriae videtur per speculum obscuratum. Et ideo nunc videtur per speculum et in aenigmate, aenigma enim est similitudo obscura." *2. dist. 23. a. 2. q. 3.* — „In statu innocentiae erat imago *(Dei)* sine deformitate culpae, nondum tamen habens plenam deiformitatem gloriae; ideo attingebat *(leges aeternas)* ex parte, sed non in aenigmate. In statu vero naturae lapsae caret deiformitate, et habet deformitatem; ideo attingit eas ex parte et in aenigmate. In statu vero gloriae caret omni deformitate, et habet plenam deiformitatem; ideo attingit eas plene et perspicue." *Quaest. anecd. etc. in concl.* — „Adam in statu innocentiae non cognovit Deum eo genere cognitionis, quam exspectamus in gloria, licet ipsum, remoto quocumque velamine et obscuritate, agnoverit." *2. dist. 23. a. 2. q. 3.* — „Deus in se, tamquam summa lux, est summe cognoscibilis, et tamquam lux summe intellectum nostrum complens, quantum est de se, esset summe cognoscibilis etiam nobis, nisi esset aliquis defectus ex parte virtutis cognoscentis, qui quidem non tollitur perfecte nisi per deiformationem gloriae." *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1.*

[17] „Adam, si stetisset, quamvis in cognitione earum rerum, quae naturali cursu fiunt, et quoad novi habitus acquisitionem non profecisset, profecisset tamen quoad modum cognitionis experimentalis, et quoad habilitationem majorem ad judicandum; itemque quoad ea, quae fiunt cursu mirabili, proficere potuisset." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod profectus scientiae triplici via potest considerari, vel a parte scibilium, vel a parte modorum cognoscendi, vel a parte majoris habilitationis in cognoscendo. Secundum primum modum loquendo, intelligendum est quod quaedam sunt res, quae fiunt cursu naturali; quaedam, quae cursu miraculi vel mirabili; quaedam, quae fiunt voluntario cursu. In earum

igitur rerum cognitione, quae quidem cursu naturali fiunt, non profecisset Adam quantum ad novi habitus acquisitionem. Accepit enim ... ab exordio omnium rerum plenam notitiam ... Proficere tamen potuisset quantum ad alium modum cognoscendi, et quantum ad majorem habitum sciendi. Quantum ad alium modum proficere poterat, quia quod noverat simplici notitia, cognoscere poterat experientia; et quod noverat intellectu, cognoscere poterat et sensu. Proficere etiam poterat quantum ad majorem habilitationem, quia ex frequenti consideratione eorum, quae noverat, promptior fuisset et paratior ad judicandum de his rebus, quarum habebat cognitionem per habitum innatum. Etsi enim primus homo non haberet tarditatem hebetudinis per aggravationem corporis mortalis, habebat tamen spiritus ejus quandam minorem velocitatem per vegetationem corporis animalis. Et sic in cognitione rerum naturalium Adam quodammodo profecisset, quodammodo minime, si stetisset. In earum vero rerum cognitione, quae fiunt cursu voluntario et mirabili, sive supernaturali, simpliciter proficere potuisset non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam in acquirendo novam cognitionem. Nec mirum, quia ad hoc quod cognosceret divina mysteria, indigebat superna illustratione, ad hoc vero quod cognosceret secreta alterius, indigebat ipsius detectione. Nec talis profectus statui innocentiae derogabat, cum etiam beati angeli in cognitione divinorum mysteriorum et humanorum secretorum proficiant, propter quod dicitur ad Ephesios *(3, 10): Ut innotescat principibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis Dei sapientia.*" *2. dist. 23. a. 2. q. 1.*

[18] „Tempore naturae institutae tam homo quam angelus habilis erat ad diligendum Deum propter se et super omnia. Et hoc patet. Impossibile enim erat eum aliter esse rectum, rectitudo enim mentis consistit radicaliter in amore. Amor autem rectus esse non potest, si aliquid diligat supra Deum, vel aeque; vel aliquid diligat propter se, et Deum propter aliud. Si ergo Deus fecit hominem et angelum rectum, patet, quod unicuique dedit habilitatem ad amandum Deum super omnia et propter se." *2. dist. 3. p. 2. a. 3. q. 1.*

[19] „Actus dilectionis est nobilissimus inter omnes actus animae; et motus iste, scilicet diligere propter se et super omnia, est motus, quo nullus potest cogitari nobilior. Ergo si natura potest in hunc sine gratia, multo fortius et in quemlibet alium. Et ita nulla est opportunitas gratiae naturae institutae. Et iterum. Si nobilissimus est, Deo est placitus et acceptus; ergo dignus remuneratione; ergo gratia non est necessaria ad merendum. — Ad illud, quod objicitur, quod motus iste videtur nobilissimus et difficillimus et Deo gratissimus, dicendum quod motus iste aliter est gratiae, aliter est naturae institutae. Naturae institutae est ex quadam habilitate et rectitudine respectu boni; gratiae vero est, quia captivatur affectus in obsequium Christi, sicut intellectus per fidem. Tunc autem captivatur intellectus in obsequium Christi *(2. Cor. 10, 5)*, quando contra illud, quod ratio dictat, assentit primae veritati. Sic et affectus, quando id ad quod diligendum naturaliter inclinatur, amore Christi natus est odisse; vel e converso, quando id ad cujus odium naturaliter inclinatur, paratus est amare. Et talis est affectus, qui contemnit vitam et honores et omne desiderabile, et amat odientes se et laedentes propter Deum. Et hic est solus affectus, qui Deo famulatur, et quem Deus acceptat et remunerat; et hic non est a natura, sed solum a gratia. Aliter etiam differt hic motus ab illo, quia ille a cognitione naturali, scilicet qui est dilectionis naturalis, alius est a cognitione fidei. Et differt haec cognitio ab illa, quia cognitio naturalis cognoscit Deum summe bonum per communicationem bonitatis in effectibus creatis, sed fides dictat Deum summe bonum per communicationem bonitatis in divinis personis: et utraque cognitio dicit Deum summe bonum et summe diligendum, sed multo nobilius fides, sive cognitio gratuita. Per hunc modum utraque dilectio Deum diligit summe, sed magis et nobilius dilectio gratuita. Alia differentia consuevit dari, quod dilectione naturali diligit Deum animus, sive affectus rectus, quia bonus sibi; et ideo summe diligit, quia summe bonum sibi, et omne bonum quod est et quod habet, pendet ex ipso, et nihil esset nisi per ipsum; ideo plus Deum diligit quam etiam seipsum. Sed dilectione gratuita diligit quis Deum quia bonus; et quia summe bonus, diligit summe; et quia non est bonus ipse homo, nisi in quantum est ad Deum, non diligit se nisi propter Deum; et hoc dico dilectione gratuita. Et sic triplex est differentia, prima est a parte modi diligendi; secunda a parte cognitionis disponentis, sive principii; tertia est a parte motivi; omnes autem sunt rationabiles, sed primae magis innitendum." *3. dist. 3. p. 2. a. 3. q. 1. ad 3.*

[20] „Non solummodo gratia necessaria est ad merendum secundum statum naturae lapsae, sed etiam secundum statum naturae institutae, licet secundum statum naturae lapsae magis indigeat liberum arbitrium dono gratiae. In statu namque naturae institutae necessaria erat gratia tum propter conditionem retribuentis, tum etiam propter conditionem retributionis. Propter conditionem retribuentis, quoniam ipse Deus bonorum nostrorum non indiget *(Ps. 15, 2)*; ideo non acceptat hominem propter opera, nec aliquod meritum obligare potest ipsum secundum rationem dati et accepti. Ideo ad hoc, quod aliquod bonum opus creaturae ad renumerandum Deo complaceat, necesse est, quod ipsius gratuitae bonitatis influentia in operante praecedat, per quam creatura ipsi Creatori grata existat. Similiter propter conditionem retributionis impossibile erat liberum arbitrium mereri sine auxilio gratiae gratum facientis, pro eo quod illud praemium, quod meremur, est beatitudo aeterna. Beatitudo autem aeterna consistit in habendo eum, qui est omne et summum bonum, et qui est super omnem naturam exaltatus, et *lucem habitat inaccessibilem (1. Tim. 6, 16)*. Et ideo impossibile est, quod homo merendo ad illud summum bonum ascendat et perveniat, nisi per aliquod adjutorium, quod sit ultra naturam ... In statu vero naturae lapsae non solummodo indiget gratia ad merendum propter has conditiones, sed etiam propter conditionem operantis et operationis meritoriae. Operans enim in statu naturae lapsae semper est in peccato, et Dei adversarius et inimicus, nisi a peccato relevetur per gratiae donum; et ideo quidquid faciat, nisi voluntas ejus praeveniatur a gratia, quae Deo reconciliet, nihil meretur merito condigni, pro eo quod Dei est adversarius et inimicus, Deus autem opera non acceptat, nisi prius acceptet personam, sicut innuitur *(Gen. 4, 4): Re-*

spexit Dominus ad Abel et ad munera ejus; prius dicit ad Abel, et postea dicit ad munera. Propter conditionem etiam operationis necessaria est gratia, quia nulla est operatio meritoria, nisi recta; et nulla est recta, nisi fiat ex recta intentione; et nulla potest esse recta intentio, nisi quae summum bonum omni bono praeponat; nulla autem intentio potest hoc facere in statu lapsae naturae sine dono gratiae. Et propterea qualemcumque vel quantumcumque faciat homo operationem absque gratia non meretur, quia non pensat Deus quantum, sed ex quanto hoc faciat." *2. dist. 29. a. 1. q. 2.*

[21] „Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit, per quam non solum malo resistere, sed etiam in bono proficere potuit; et illa gratia adjutus ita bene meruisset mandatum Domini observando, sicut demeruit transgrediendo." *2. dist. 29. a. 2. q. 1.* — „Impossibile fuit homini dari vel etiam cuicumque rationali creaturae liberum arbitrium per naturam inflexibile ad malum." *2. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 1.* Vide infra *part. III. c. 1.*

[22] „Homini fuit datum, ut per naturale adjutorium in statu innocentiae posset absque omni gratia (supposita divina influentia) superaddita cuicumque tentationi resistere." — „Dicendum, quod aliquem posse resistere virtute propria tentationi diabolicae absque omni gratia, intelligi potest dupliciter. Aut ita, quod excludatur continuatio divinae influentiae, aut ita quod excludatur appositio novae gratiae. Primum simpliciter est impossibile, nunquam enim liberum arbitrium malae suggestioni resisteret, nisi Deus suae bonitatis influentia continua in bono conservaret. Secundo modo veritatem habet pro statu innocentiae, sicut enim Magister dicit in litera, magna erat in primo homine liberi arbitrii ab omni labe et corruptione immunitas, atque naturalium potentiarum animae sinceritas et vivacitas, et per hoc poterat evitare et repellere suggestionem diabolicam, nec indigebat ad hoc apponi sibi novam gratiam, cum respectu hujus nulla esset in eo difficultas." *2. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 2.*

APPENDIX.

Nonnullae quaestiones de protoparentum statu occurrunt; quarum prima versatur circa tempus, utrum nempe homo fuerit creatus statim in statu gratiae, ita ut in ipso creationis instanti una cum integritate naturae donum elevationis acceperit; vel potius antea in statu naturae integrae conditus sit, et deinde ad gratiam elevatus. Priori sententiae, quae est D. Thomae, *p. 1. q. 95. a. 1,* plerique ex modernis subscribunt; contraria tamen, quae est Seraphici, *2. dist. 29. a. 2. q. 2* (vide *superius not. 12),* et quamplurium Scholasticorum, salva fide adhuc teneri potest; siquidem Conc. Tridentinum *sess. V. can. 1* non asseruit primum hominem *creatum* fuisse in sanctitate et justitia, sed simpliciter *constitutum,* quod fieri potuit et post creationem.

Cum autem Concilium Tridentinum *l. c.* mentionem faciat *justitiae* et *sanctitatis,* in qua Adam constitutus fuit, quaeri potest, an gratia sanctificans in ipso idem fuerit ac justitia originalis. Si una ab altera distinguitur, tunc justitia originalis idem est ac originalis rectitudo, includitque dona felicitatis; sanctitas autem idem est ac donum elevans, et complectitur dona sanctitatis. Porro ex Angelico aperte colligitur originalem justitiam non modo cum gratia sanctificante fuisse connexam, verum etiam ab ipsa tanquam a radice profluisse. Vide ipsum S. D. *l. c.* et *1. 2. q. 109. a. 3,* et *q. 4. de malo a. 2.* Et hoc sensu justitia originalis dicitur supernaturalis, ex parte nempe suae radicis, seu gratiae sanctificantis. Quamobrem in sententia S. Thomae Deus prius dedit homini donum elevationis, ac deinceps dona felicitatis veluti ex illo manantia; quod quidem et ex effectibus culpae originalis comprobatur, peccatum enim donum elevationis directe ademit, cetera vero non nisi per consequens, quae proinde erant corollaria ipsius doni elevationis. Verum in aliorum sententia Deus prius dona felicitatis ut humanam naturam perficientia largitus est, cui deinceps per ipsa dona perfectae donum elevationis adjecit.

Insuper disputatur de possibilitate status purae naturae. In primis distinguendum est inter statum naturae purae, et statum naturae integrae, et statum naturae per gratiam ad Deum elevatae: „Status naturae purae ille dicitur, juxta Tournely, *tom. 4. de grat. q. 2. a. 3,* in quo nasceretur homo sine gratia et sine peccato, obnoxius tamen morti ceterisque miseriis, quae naturam ipsam consequuntur". Existentiam autem hujus naturae purae asserere error est Pelagianorum. Status naturae integrae ille est, in quo homo creatur cum justitia seu rectitudine originali, absque tamen elevatione ad finem supernaturalem: Adam vero creatum fuisse in statu hujusmodi naturae, non ad exclusionem elevationis, sed ad inclusionem originalis rectitudinis, de fide esse clare docet Angelicus *lib. IV contra gentes c. 52* dicens: „Secundum fidei doctrinam ponimus, hominem a principio taliter esse institutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta, inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale, Deo et sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat". Status demum naturae per gratiam elevatae ille est, in quo homo in primo instanti suae creationis elevatur ad Deum tanquam suum ultimum finem: Adam autem in tali statu conditum fuisse nobis ex fide minime constat, quamvis,

ut diximus, potior Theologorum pars nunc sententiam teneat affirmativam. Itaque, ut ad statum naturae purae redeamus, non desunt Theologi, ut Norisius, Lovanienses, Contensonius, Serry et Goudin, qui possibilitatem status naturae purae denegant. Advertendum tamen est cum praecitato Contensonio *(Theol. ment. et cord. l. VIII. diss. 1. c. 1. spec. 2)* non esse *simpliciter* dicendum statum naturae purae esse impossibilem de potentia Dei absoluta et extraordinaria, sed tantum non esse convenientem, subindeque neque possibilem de potentia Dei ordinaria. Noster etiam Seraphicus *2. dist. 29. a. 1. q. 1. concl. et ad 6* idipsum supponit, eamdemque innuit distinctionem. Postquam enim sibi objecisset „utrum Deus posset talem naturam facere, quae esset ei accepta absque munere gratiae" respondet „quod etsi ipse posset omnia tamquam omnipotens, natura tamen non esset capax, unde impossibilitas illa venit ad partem creaturae. Si enim hoc faceret, nihil aliud esset facere, quam quod facere donum gratiae donum esse naturae, et gratiam esse naturam. Hoc autem impossibile est, cum donum gratiae sit ultra terminos naturae. Unde sicut impossibile est, quod homo fiat a Deo beatus per naturam, quamvis possit creari beatus, quia beatitudo consistit in bono, quod est supra omnem naturam; sic etiam intelligendum est in gratia. Praeterea, esto quod posset facere; non tamen decrevit, quia non decuit . . . Deus enim, qui omnia fecit in gloriam suam, et nullius indiget laude, potissimum requirit a creatura rationali honorem. Et quia honorem Deo exhibemus, quando in ipsum omnia referimus tamquam in omnium auctorem et finem, non decrevit Deus hominem perducere ad perfectionem gloriae per aliquod, quod ortum haberet ex naturae principiis, sed per munus additum naturalibus, ut ex hoc homo Deo magis gratus existeret, et totum salutis suae opus Deo attribueret". Ex hisce declarationibus patet diversas Theologorum sententias facile inter se conciliari posse. Patet etiam Theologos possibilitatem naturae purae rejicientes a damnatis Baji et Jansenii figmentis quam longe distare, et nonnisi per summam injuriam horum errorum ab aliquibus fuisse insimulatos; siquidem illi tantummodo" quia non decuit „ut ait S. D., seu spectata Dei decentia, possibilitatem status hujusmodi inficiantur, dum e contra Bajus et Jansenius ipsam respuebant ex haeretico eorum principio, juxta quod justitia originalis non gratiae donum, sed partem naturae debitam et essentialem, sive integralem, esse autumabant.

CAPUT XII.

De completione et ordinatione totius mundi consummati.

(Trinitas in omni creatura relucet per vestigium, — in omni intellectu repraesentatur per imaginem, — in omni justo legitur per similitudinem. — Intellectus humanus per hos gradus ascendit in Deum.)

Ex praedictis colligi potest, quod creatura mundi est quasi quidam liber, in quo relucet, repraesentatur et legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem gradum expressionis, scilicet per modum vestigii, imaginis et similitudinis; ita quod ratio vestigii reperitur in creaturis omnibus, ratio imaginis solum in intellectualibus sive spiritibus rationalibus, et ratio similitudinis in solis deiformibus[1]; ex quibus, quasi per quosdam scalares gradus, natus est intellectus humanus gradatim ascendere in summum principium, quod est Deus.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum omnes creaturae respectum habeant et dependentiam ad suum Creatorem, tripliciter[a)] possunt comparari ad ipsum, scilicet aut sicut ad principium creativum, aut sicut ad objectum motivum, aut sicut ad donum inhabitativum. Primo modo comparatur ad ipsum omnis ejus effectus, secundo modo omnis intellectus, tertio modo omnis spiritus justus et Deo acceptus. Omnis enim effectus, quantumcumque parum habens de esse, habet Deum sicut principium. Omnis intellectus, quantumcumque parum habens de lumine, natus est per cognitionem et amorem Deum capere. Omnis spiritus justus et sanctus habet donum Spiritus sancti infusum sibi. Et quoniam creatura habere non potest Deum sicut principium, quin configuretur ei secundum unitatem, veritatem et bonitatem[2]; nec Deum

a) Tripliciter om. ed. 1484.

sicut objectum, quin eum capiat per memoriam, intelligentiam et voluntatem [3]; nec Deum sicut donum infusum, quin configuretur ei per fidem, spem et caritatem, sive per triplicem dotem [4]; et prima conformitas est longinqua, secunda propinqua, tertia proxima [5]: hinc est, quod prima dicitur vestigium Trinitatis [6], secunda imago [7], tertia similitudo [8]. Est igitur spiritus rationalis medius inter primam et ultimam; ita quod primam habet inferius, secundam interius [9], tertiam superius. Et ideo in statu innocentiae, cum imago non erat vitiata, sed deiformis per gratiam effecta, sufficiebat liber creaturae [10], in quo seipsum exerceret homo ad contuendum lumen divinae sapientiae; ut sic sapiens esset, cum universas res videret in se, videret in proprio genere, videret in arte; secundum quod tripliciter habent [b] esse res [c], scilicet in materia vel in natura propria, in intelligentia creata, et in arte aeterna. Secundum quae tria dicit Scriptura: *Dixit Deus: Fiat, fecit, et factum est ita (Gen. 1, 3 seqq.).* Propter quam etiam triplicem visionem accepit homo triplicem oculum, sicut dicit Hugo de sancto Victore *(Serm. 35 *)*, scilicet carnis, rationis et contemplationis [11]; carnis, quo videret mundum et ea, quae sunt in mundo: oculum rationis, quo videret animum et ea, quae sunt in animo [d]: oculum contemplationis [12], quo videret Deum et ea, quae sunt in Deo [13], ut sic [e] oculo carnis videret homo ea, quae sunt extra se; oculo rationis ea, quae sunt intra se; oculo contemplationis ea, quae sunt supra se [14]. Qui quidem oculus contemplationis actum suum non habet perfectum [15], nisi per gloriam, quam amisit [f] per culpam [16]; recuperat autem per gratiam et fidem et Scripturarum intelligentiam, quibus mens humana purgatur, illuminatur et perficitur ad caelestia contemplanda (I), ad quae lapsus homo pervenire non potest, nisi prius defectus et tenebras proprias recognoscat, quod non facit, nisi ruinam humanae naturae diligenter consideret et attendat.

b) Habent A DEFG et editt. Nor. Aug. et 1484; habet ed. Rom.

c) Res om. ed. 1484.

d) Animam ... anima ibid.

e) Ita ibid. In cet. editt. et.

f) Amittit AB CDEFGH et editt. Nor. Arg. Aug.

*) Edit. Migne, *Cursus Patrolog. tom. 177. p. 983.*

(I) Contra Rationalistarum figmenta, qui revelationem abjicientes, quidquid boni habetur, totum a sola natura derivare contendunt. Hunc errorem damnatum invenimus in Concilio Vaticano, *can. 3. de revel.* „Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.“

Ad Caput XII.

[1] „Hoc non dicitur, quia habet *(intellectus humanus)* deiformitatem, quam habet intellectus gloriosus per assimilationem, quae est in statu perfecto; sed deiformis dicitur, quia sine susceptione specierum, per id quod habet in se, actu cognoscit.“ *2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad 1.*

[2] *Centiloq. part. 3. sect. 8.* Vide superius ad *cap. 1. hujus partis.*

[3] „Intra ad te et vide, quoniam mens tua amat ferventissime semetipsam; nec se posset amare, nisi se nosceret; nec se nosceret, nisi sui meminisset, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit praesens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes et habitudines, et poteris videre Deum per te, tanquam per imaginem, quod est videre *per speculum et in aenigmate (1. Cor. 13, 12).*“ *Itin. mentis, c. 3. n. 1.*

[4] „Supervestienda est imago mentis nostrae tribus virtutibus theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur et perficitur; et sic imago reformatur, reficitur, et conformis supernae Jerusalem efficitur, et pars Ecclesiae militantis, quae est proles, secundum Apostolum, Jerusalem caelestis. Ait enim: *Illa, quae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra (Gal. 4, 26).*“ *Ibid. c. 4. n. 3.*

[5] „Cum creatura ducat in cognitionem Dei per modum umbrae, et per modum vestigii, et per modum imaginis, differentia eorum notior, a qua etiam denominatur, accipitur penes modum repraesentandi. Nam umbra dicitur, in quantum repraesentat in quadam elongatione et confusione; vestigium in quadam elongatione, sed distin-

ctione; imago vero in quadam propinquitate et distinctione. Ex hac differentia colligitur secunda, quae est penes conditiones, in quibus attenduntur haec. Nam creaturae dicuntur umbra quantum ad proprietates, quae respiciunt Deum in aliquo genere causae, secundum rationem causae indeterminatam. Vestigium quantum ad proprietatem, quae respicit Deum sub ratione triplicis causae, efficientis, formalis et finalis, sicut sunt unum, verum et bonum. Imago quantum ad conditiones, quae respiciunt Deum non tantum in ratione causae, sed et objecti, quae sunt memoria, intelligentia et voluntas. Ex his concluduntur aliae duae differentiae, quantum ad ea, ad quae ducunt. Nam creatura ut umbra ducit ad cognitionem communium, ut communia; vestigium in cognitionem communium, ut appropriata; imago ad cognitionem propriorum, ut propria. Alia differentia est penes ea, in quibus reperiuntur. Quoniam enim omnis creatura comparatur ad Deum in ratione causae et in ratione triplicis causae; ideo omnis creatura est umbra vel vestigium. Sed quoniam sola rationalis creatura comparatur ad Deum ut objectum, quia sola est capax Dei per cognitionem et amorem; ideo sola est imago." *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 2. ad 5.*

[6] „Haec omnia sunt vestigia, in quibus speculari possumus Deum nostrum. Nam cum species apprehensa sit similitudo in medio genita et deinde ipsi organo impressa, et per illam impressionem in suum principium, scilicet in objectum cognoscendum deducat, manifeste insinuat, quod illa lux aeterna generat ex se similitudinem, seu splendorem coaequalem, consubstantialem et coaeternalem. Et quod ille, qui est imago et similitudo invisibilis Dei, et *splendor gloriae, et figura substantiae ejus (Hebr. 1, 3)*, qui ubique est per primam sui generationem, sicut objectum in toto medio suam generat similitudinem, per gratiam unionis unitur sicut species corporali organo, individuo rationalis naturae, ut per illam unionem nos reduceret ad Patrem, sicut ad fontale principium et objectum. Si ergo omnia cognoscibilia habent sui speciem generare, manifeste proclamant, quod in illis tamquam in speculis videri potest aeterna generatio Verbi, Imaginis et Filii, a Deo Patre aeternaliter emanantis." *Itiner. ment. c. 2. n. 7.* Legatur etiam *ibidem cap. 4. per integrum.*

[7] „Secundum harum potentiarum ordinem, originem et habitudinem, ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. Nam ex memoria oritur intelligentia, ut ipsius proles; quia tunc intelligimus, cum similitudo, quae est in memoria, resultat in acie intellectus, quae nihil aliud est quam verbum. Ex memoria et intelligentia spiratur amor, tanquam nexus amborum. Haec tria, scilicet mens generans, verbum et amor, sunt in anima quoad memoriam, intelligentiam et voluntatem, quae sunt consubstantiales, coaequales et coaevae, se invicem circumincedentes. Si igitur Deus perfectus est spiritus, habet memoriam, intelligentiam et voluntatem, habet et verbum genitum et amorem spiratum, qui necessario distinguuntur, cum unus ab altero producatur, non essentialiter, non accidentaliter; ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat per se tanquam per speculum, consurgit ad speculandam Trinitatem beatam Patris, Verbi et Amoris, trium personarum coaeternarum, coaequalium et consubstantialium; ita quod quilibet trium in quolibet est aliorum, unus tamen non est alius, sed ipsi tres sunt unus Deus. Ad hanc speculationem, quam habet anima de suo principio trino et uno per trinitatem suarum potentiarum, per quas est imago Dei, juvatur per lumina scientiarum, quae ipsam perficiunt et informant, et Trinitatem beatissimam tripliciter repraesentant. Nam omnis Philosophia aut est Naturalis, aut Rationalis, aut Moralis. Prima agit de causa essendi, et ideo ducit in potentiam Patris; secunda de ratione intelligendi, et ideo ducit in sapientiam Verbi; tertia de ordine vivendi, et ideo ducit in bonitatem Spiritus sancti. Rursus, prima dividitur in Metaphysicam, Mathematicam et Physicam. Et prima est de rerum essentiis, secunda de numeris et figuris, tertia de naturis, virtutibus et operationibus diffusivis. Et ideo prima in primum Patrem, secunda in ejus imaginem Filium, tertia ducit in Spiritus sancti donum. Secunda dividitur in Grammaticam, quae facit potentes ad exprimendum; Logicam, quae facit perspicaces ad arguendum; Rhetoricam, quae facit habiles ad persuadendum, sive monendum. Et haec similiter insinuat mysterium beatissimae Trinitatis. Tertia dividitur in Monasticam, Oeconomicam et Politicam. Et prima insinuat primi Principii innascibilitatem, secunda Filii familiaritatem, tertia Spiritus sancti liberalitatem. Omnes autem istae scientiae habent regulas certas et infallibiles, tanquam lumina et radios descendentes a lege aeterna in mentem nostram. Et ideo mens nostra tantis splendoribus irradiata et superfusa, nisi sit caeca, manu duci potest per seipsam ad contemplandam illam lucem aeternam." *Itiner. ment. c. 3. nn. 5—6.*

[8] „Ad illud, quod objicitur, quod similitudo est in plus quam imago, dicendum quod similitudo, si accipiatur in sua generalitate, in plus est: si vero accipiatur proprie, sicut accipitur in proposito, non est in plus, imo distinguitur ab imagine, ita quod, etsi utraque tam affectivam, quam cognitivam respiciat, imago tamen principalius respicit cognitivam et similitudo affectivam." *2. dist. 16. a. 2. q. 3. ad 4.* — „Differt imago et similitudo. Imago enim nominat conformitatem in quantitate, similitudo vero convenientiam in qualitate. Imago nominat quandam configurationem; et ita importat figuram, quae est quantitas in qualitate, vel qualitas in quantitate; similitudo vero dicitur rerum differentium eadem qualitas. Ex hac autem primaria differentia triplex consuevit assignari modus distinguendi inter imaginem et similitudinem, cum dicitur *(Gen. 1, 26): Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Primus est, quem dicit Hugo, quod similitudo respicit naturam, et imago respicit figuram; quia similitudo dicit convenientiam in qualitate naturali, imago vero convenientiam in distinctione figurali, ad modum cujusdam trianguli, in quo sunt tres termini et tres lineae, quia tres sunt potentiae, quarum quaelibet habitudinem habet ad quamlibet, et similiter tres personae; et potentia vel persona tenet rationem termini, habitudo vero, vel emanatio, tenet rationem lineae. Secundus modus distinguendi est, quod imago est in naturalibus, et similitudo in gratuitis, quae similiter habet ortum ex illa prima differentia. Quia enim imago dicit configurationem, et illa attenditur ex parte naturalium potentiarum animae, scilicet memoriae, intelligentiae et voluntatis; hinc est, quod imago

est in naturalibus: quia vero similitudo dicit convenientiam, quae ortum habet a qualitate, et qualitas, in qua anima assimilatur Deo, est gratia; ideo similitudo in gratuitis dicitur esse. Tertius modus distinguendi est, quod imago est in potentia cognoscendi, et similitudo in potentia diligendi; et iste modus similiter habet ortum ex differentia prima. Quia enim imago consistit in convenientia secundum configurationem, et configuratio attenditur in origine, habitudine et potentiarum distinctione, et haec origo et habitudo principaliter residet ex parte cognitivae; ideo imago principalius ponitur in cognitiva. Similitudo vero dicit convenientiam in qualitate; et quia qualitas, in qua principaliter assimilatur anima Deo, est in voluntate sive in affectione; hinc est, quod similitudo ponitur principaliter in potentia affectiva. Et inde est, quod in imagine creationis duae sunt potentiae ex parte cognitivae, scilicet memoria et intelligentia, et una ex parte affectivae, scilicet voluntas. E contra vero in imagine recreationis, quae quidem consistit in gratia, duae virtutes sunt ex parte affectivae, scilicet spes et caritas, et una ex parte cognitivae, scilicet fides. Imago enim principaliter respicit originem et habitudinem; habitudo autem et origo attenditur inter memoriam et intelligentiam per modum parentis et prolis, et inter haec duo et voluntatem secundum modum donationis, sive processionis. Inter irascibilem vero et concupiscibilem nec est talis ordo, nec origo, cum motus irascibilis possit esse sine concupiscibili et e converso; motus autem voluntatis non potest esse sine motu intelligentiae praevio, nec actus similiter intelligentiae sine actu memoriae, in his, dico, quae sunt de ratione imaginis; ideo in assignatione imaginis duo sumuntur membra ex parte cognitivae, et unum ex parte affectivae, hoc enim exigit ordo, et origo et distinctio; et propterea imago principalius est in cognitiva quam in affectiva, similitudo vero principalius consistit in unione animae ad Deum, quae quidem est per gratiam. Et quoniam unio et gratia principaliter respiciunt affectivam; hinc est, quod in imagine recreationis, quae quidem est in gratuitis, duae sunt virtutes, quae respiciunt affectivam, scilicet spes et caritas, penes duas vires, scilicet irascibilem et concupiscibilem, una vero, quae respicit cognitivam, scilicet fides, quae respicit rationalem, quamvis et spes reformans irascibilem, per consequens reformat memoriam, cum conveniant in actu, qui est tenere.“ *2. dist. 16. a. 2. q. 3.*

[9] „Imago dicit expressam similitudinem. Necesse est autem omnem creaturam quoquo modo assimilari Deo, necesse est etiam aliquam ad complementum universi expresse assimilari Deo; et ideo omnis creatura habet rationem vestigii, sed aliqua habet rationem imaginis, illa videlicet, quae assimilatur expresse. Haec autem est rationalis creatura, ut homo; et ideo concedendum est, quod homo est imago Dei, quia est ejus expressa similitudo. Ad quod intelligendum notandum est, quod quaedam est similitudo per convenientiam omnimodam in natura; et sic una persona in Trinitate est alterius similis. Quaedam per participationem alicujus naturae universalis, sicut homo et asinus assimilantur in animali. Quaedam vero secundum proportionabilitatem, sicut nauta et auriga conveniunt secundum comparationem ad illa, quae regunt. Quaedam est similitudo per convenientiam ordinis, sicut exemplatum assimilatur exemplari. Primis enim duobus modis nulla creatura potest Deo assimilari; secundis duobus modis omnis creatura assimilatur, sed illa, quae assimilatur magis de longinquo, habet rationem vestigii, illa vero, quae de proximo, habet rationem imaginis; talis autem est creatura rationalis, utpote homo. Et hoc patet sic primo de convenientia ordinis. Deus enim *universa propter semetipsum operatus est (Prov. 16, 4)*, ita quod, cum sit summa potestas et majestas, fecit omnia ad suam laudem. Cum sit summa lux, fecit omnia ad sui manifestationem. Cum sit summa bonitas, fecit omnia ad sui communicationem. Non est autem perfecta laus, nisi adsit qui adprobet. Nec est perfecta manifestatio, nisi adsit qui intelligat. Nec est perfecta communicatio bonorum, nisi adsit qui eis uti valeat. Et quoniam laudem approbare, veritatem scire, dona in usum assumere, non est nisi solummodo rationalis creaturae; ideo non habent ipsae irrationales creaturae immediate ad Deum ordinari, sed mediante creatura rationali: ipsa autem creatura rationalis, quia de se nata est laudare et nosse, et res alias in facultatem voluntatis assumere, nata est ordinari in Deum immediate. Et quoniam quanto aliquid immediatius ordinatur ad aliquid, tanto magis convenit cum eo convenientia ordinis; et anima rationalis, et quaelibet rationalis creatura, eo quod capax Dei est, et particeps esse potest, immediate ordinatur in ipsum; maxime convenit cum eo convenientia ordinis. Et quia quanto major est convenientia, tanto expressior est similitudo; hinc est, quod quantum ad hoc genus similitudinis, rationalis creatura est similitudo expressa; et ideo imago est. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(14. de Trin. c. 8)*, quod eo est anima imago Dei, quo capax ejus est, et particeps esse potest. Quia enim ei immediate ordinatur; ideo capax ejus est, vel e converso; et quia capax est, nata est ei configurari, et propter hoc fert in se a sua origine lumen vultus divini; et ideo quantum ad similitudinem, quae attenditur quantum ad convenientiam ordinis, perfecte dicitur imago Dei, quia in hoc ei assimilatur expresse. Similiter in similitudine, quae attenditur in convenientia proportionalitatis vel proportionis, expresse assimilatur Deo creatura rationalis; et ideo secundum eam recte dicitur imago. Quod patet sic. Convenientia enim proportionis attenditur secundum similiter se habere. Similiter autem se habere, hoc potest esse dupliciter, vel in comparatione ad extrinseca, vel in comparatione ad intrinseca. Tunc autem est similitudo expressa, quando non tantum est similis modus se habendi in comparatione ad extrinseca, sed in comparatione ad intrinseca. Contingit autem comparare divinam essentiam ad creaturam, contingit etiam comparare personam ad personam. Omnis autem creatura aliquam comparationem habet, secundum quam aliquo modo conformatur Deo, secundum quod est causa creaturae. Sic est comparatio illa, quae est ad effectum productum, sicut enim Deus producit suum effectum, sic et agens creatum, licet non omnino. Creatura vero rationalis non solum sic convenit, sed etiam quantum ad intrinsecarum suarum potentiarum originem, ordinem et distinctionem, in quibus assimilatur illi distinctioni et ordini, quae est in divinis personis intrinseca divinae naturae. Et ideo ostendit Augustinus *(l. c. l. 7. c. 6. in fin.)* hominem esse imaginem Dei: et

hoc explanatum fuit in primo libro *(cfr. sup. p. II. c. 9. n. 11)*, ubi ostensum est quod in anima rationali est unitas essentiae cum trinitate potentiarum ad invicem ordinatarum, et quasi consimili modo se habentium, sicut se habent personae in divinis. Et ideo est ibi expressa similitudo proportionis, et propter hoc rationalis creatura, quae est homo, est imago Dei." *2. dist. 16. a. 1. q. 1.* — „Homo est Dei imago naturalis, non artificialis, neque connaturalis, cum assimiletur per formam naturalem, non per id tamen, quod in natura conveniat." — „Hominis proprium est esse imago Dei, non respectu angelorum, cum ipsi quoque talem habeant imaginem, sed respectu brutorum hoc illi convenit." — „Imaginis ratio, quo ad esse tam in convenientia ordinis, quam proportionis, aequalis est in angelo et in homine. Quo vero ad bene esse imaginis se mutuo excedunt." — „Imaginis ratio, quantum ad id, quod est de ejus complemento, non est principalius in masculo, quam in femina; si vero praesidentiam et rationem principiandi respiciamus, utique aliquo modo principalius est in viro, quam in femina." — — „Imago principalius est in cognitiva virtute, quam in motiva sive affectiva potentia." *2. dist. 16. a. 1. qq. 2. 3.* et *a. 2. per integrum.*

[10] „Creaturae triplex habent esse, scilicet in verbo, ratione exemplaritatis, in universo per modum materialitatis, in animo humano per modum abstractionis." *Expos. in Eccle. c. 1. v. 3.* — „Haec igitur *via trium dierum in solitudine (Exod. 3, 18)*. Haec est triplex illuminatio unius diei, et prima est sicut vespera, secunda sicut mane, tertia sicut meridies. Haec respicit triplicem rerum existentiam, scilicet in materia, in intelligentia et in arte divina, secundum quam dictum est: *Fiat, fecit et factum est.* Haec etiam respicit triplicem substantiam in Christo, qui est scala nostra, scilicet corporalem, spiritualem et divinam. Secundum hunc triplicem progressum mens nostra tres habet aspectus principales. Unus est ad corporalia exteriora, secundum quem vocatur animalitas, seu sensualitas. Alius intra se et in se, secundum quem dicitur spiritus. Tertius est supra se, secundum quem dicitur mens. Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in Deum, ut ipsum diligat ex tota mente, ex toto corde et ex tota anima, in quo consistit perfecta legis observatio, et simul cum hoc sapientia christiana." *Itiner. ment. c. 1. n. 3—4.* Vide superius in *Proëm. § 3.* Cfr. etiam *2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 1. fund. 6.* — „Opera miraculosa facta sunt post hominis lapsum, quae non oportuit fieri ante, quia Dei potentia, sapientia et bonitas nota esset, et satis in suis effectibus reluceret. Nunc autem congruum est et decens Deum multa opera facere miraculose ad manifestationem suae potentiae pro confirmatione fidei nostrae." *3. dist. 1. a. 2. q. 2. ad 3.*

[11] „Habet anima tres potentias, animalem, intellectivam et divinam, secundum triplicem oculum, carnis, rationis, contemplationis. Primus viget, secundus caligat, tertius excaecatus est. Potentia animalis duplex est, vel in objecto sensuum particularium, vel sensus communis; et sic est potentia subjectiva: sive in phantasmata sensibilium; et sic est potentia imaginativa. Intellectualis etiam potentia est duplex, quia, aut considerat universales rationes abstractas a loco, a tempore: aut elevatur ad substantias spirituales separatas; et sic sunt duae potentiae, scilicet ratio et intellectus: per rationem confert, per intellectum cognoscit se et substantias spirituales; et tunc ingerit se intelligentiis, ut tunc intret aeviternum earum. Similiter operatio vel potentia divina duplex est, una, qua se convertit ad tuenda divina spectacula; alia, qua se convertit ad degustanda divina solatia. Primum fit per intelligentiam, secundum fit per vim unitivam, sive amativam, quae secreta est . . . Ergo triplex est potentia, et sex operationes; et quando haec omnia objecta videt anima, sic rediens super se, fit speculum quoddam pulcherrimum et tersum, in quo videt quidquid est fulgoris et pulchritudinis, sicut in speculo polito videtur imago. Sed adhuc requiritur opacitas naturalis vel artificialis; naturalis, ut in speculo de chalybe; artificialis, ut in plumbo superposito vitro; postea requiritur politio, per quam formam vel imaginem recipit; tertio requiritur splendor, quia in nocte nihil reddit. Similiter in anima sunt virtutes inferiores, tenentes lumen, ne defluat; mediae sunt sicut politiones; supremae sunt sicut splendores supervenientes. Et sic est anima speculum." *In Hexaëm. serm. 5. in med.*

[12] „Habitus virtutum disponunt ad exercitium vitae activae, habitus donorum ad otium vitae contemplativae, habitus beatitudinum ad perfectionem faciunt utriusque. De his duabus vitis signatis per Liam et Rachel, per Petrum et Joannem, per Martham et Mariam, dicit Beda: Activa panem corporalem esurienti, vel panem doctrinae ignoranti porrigit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, quae singulis expediunt, dispensat. Contemplativa caritatem Dei et proximi retinet, sed ab exteriori operatione quiescit, soli conditoris desiderio inhaeret, et calcatis omnibus curis, ad videndum faciem Creatoris inardescit, et desiderat misceri supernis civibus de aeterna Domini incorruptione gaudentibus. Est autem triplex proprietas in utraque, secundum quas mutuo se excedunt. Prima proprietas activae est diligentia utilitatis et necessitatis publicae, respectu rationalis; secunda est caritas erga proximum, cum compassione, respectu concupiscibilis; tertia est fecunditas bonorum operum in agendo, cum perfectione patientiae, respectu irascibilis. In his contemplativa exceditur ab activa. Prima proprietas contemplativae est contuitus pulchritudinis summae majestatis, cum delectatione, respectu rationalis; secunda est quies, cum securitate, respectu irascibilis; tertia est munditia cordis, cum bonitate, respectu concupiscibilis. In his contemplativa excedit activam." *Centiloq. p. 3. sect. 46.* Vide quoque opusc. *de septem grad. contemplat.; Incend. amor. cap. 3; Itiner. ment. cap. 1. et 4; Serm. 20. in Hexaëm.; De perfect. vitae ad Sorores, cap. 5; De profectu religios. lib. 2. cap. 57 et seqq.; Expos. in Cant. Cantic. cap. 8. vers. 5,* Supplem. *Vol. I;* et *Comment. in Evang. Joan. c. 1. v. 4. n. 16,* Supplem. eod. Cfr. etiam inferius *part. VII. c. 7.*

[13] „Quod anima videat Deum in se, hoc non est, quia anima possit supra Deum, sed magis quod Deus possit supra ipsam, adeo ut anima per divinam potentiam et influentiam elevetur supra ipsam." *3. dist. 14. a. 1. q. 3. ad 6.*

[14] „Haec S. D. doctrina valde illustratur a quaestione anecdota *de rationibus aeternis,* superius *ad cap. 8 part. I* relata.

[15] „Mens, ad hoc quod Deum contempletur perfecte,

indiget purgari quoad intellectum et affectum ... Utriusque autem purgationis triplex est gradus. Nam intellectus purgatus est, cum abstrahitur a sensibilibus speciebus; purgatior, cum mundatur a phantasticis imaginibus; purgatissimus, cum a physicis rationibus. Gradus purgationis affectus sunt isti: purgatus est affectus, cum mundatur a culpa, purgatior, cum a sequela, purgatissimus, cum ab occasione." *1. dist. 2. dub. 1.* — „Parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit et politum. Exerce igitur te, homo Dei, prius ad stimulum conscientiae remordentem, antequam oculos eleves ad radios sapientiae in ejus speculo relucentes, ne forte ex ipsa speculatione radiorum in graviorem incidas foveam tenebrarum." *Itiner. ment. ad Deum, in Prolog.*

[16] „Ad illud quod objicitur, quod Deus nobis praesens est, dicendum est, quod quamvis Deus sit praesens, tamen propter caecitatem et caliginem intellectus nostri, in qua sumus, ipsum cognoscimus ut absentem." *2. dist. 10. a. 1. q. 1. ad 1.* — „Esse praesens alicui hoc est dupliciter; vel ut principium conservans et continens, vel ut objectum immutans et movens. Primo modo est Deus praesens angelo, et lux caeco, secundo modo non; et ideo non est simile de anima et ejus habitibus, quoniam praesentes sunt animae utroque modo. Et ratio hujus est, quoniam haec cognoscibilia non superexcedunt cognoscentis potentiam et naturam." *2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad 3.* Cfr. superius *cap. 9. huj. part. not. III.*

Pars secunda

in tabulas distributa.

C. I. DE PRODUCTIONE MUNDI TOTALIS.

- *Omnis creatura*, quia a principio
  - *primo* est
    - ex nihilo
    - ex tempore
    - ab ipso principio per se immediate.
  - *perfectissimo*, scilicet agente
    - a se . . . . . est
      - una
      - modificata
      - mensurata.
    - secundum se, est
      - vera
      - speciosa
      - discreta.
    - propter se . . est
      - bona
      - ordinata
      - ponderata.

C. II. DE NATURA CORPORALI, QUANTUM AD FIERI.

- *Natura corporea* fuit a primo principio
  - *potentissimo* . . . . *creata* ex nihilo, in principio . . . . . ante omnem diem.
  - *sapientissimo* . . . . *distincta*, scil.
    - luminosa a perspicua et opaca . . prima die
    - perspicua a perspicua . . . . . secunda die
    - perspicua ab opaca . . . . . tertia die.
  - *benevolentissimo* . . *ornata*, scil.
    - luminosa . . . . . quarta die
    - perspicua . . . . . quinta die
    - opaca . . . . . sexta die.

C. III. DE NATURA CORPORALI, QUANTUM AD ESSE.

- Mundus consistit in natura
  - *caelesti*, distincta in *caelum* . . .
    - empyreum
    - crystallinum
    - firmamentum, seu stellatum.
  - *elementari*, distincta in *sphaeras*
    - ignis
    - aëris
    - aquae
    - terrae.

C. IV. DE NATURA CORPORAI

- Corpora caelestia
  - per *lucem* . . . . . sunt in distinctionem diei.
  - per *motum* . . . . . sunt in distinctionem
    - diei . .
    - mensis
    - anni . . .
    - temporu
  - per *virtutem et calorem* . . influunt secundum conciliatione

C. V. DE MODO DESCRIBEND

- Sacra Scriptura, quia cognitio
  - *sublimis*, agit de primo principio *effectivo*, de eo insinuans
    - ordinem *naturae* . .
    - ordinem *sapientiae* .
    - ordinem *bonitatis* .
  - *salutaris*, agit de primo principio *reparativo*, et idcirco
    - qua talis . . . . . .
    - quia etiam sublimis,

C. VI. DE PRODUCTIONE

- Primum Principium produxit creaturam angelicam sibi propinquam
  - ex parte *substantiae*
  - ex parte *potentiae* . .

)UANTUM AD OPERARI ET INFLUERE.

:ecundum motum terrae
:ecundum motum lunae
:ecundum motum terrae in eodem circulo
:ecundum varium motum planetarum.

)ntrariorum ab aequalitate
- remotam . . . . . in mineralia
- minus longinquam . . in vegetalia
- proximantem . . . . . in sensibilia
- aequalem . . . . . in corpora humana, non tamen in liberum arbitrium.

RAEDICTA IN SACRA SCRIPTURA.

existendo — distinguens
- in Creatore
  - Patrem, ... per verba *creavit Deus*
  - Filium, ... „ *in principio*
  - Spiritum sanctum „ *Spiritus Dei ferebatur.*
- in creatura, naturam
  - luminosam „ *caelum*
  - opacam „ *terram*
  - perspicuam „ *super aquas.*

disponendo — distinguens rerum
- creationem — ante omnem diem
- distinctionem — in primo triduo
- ornatum — in secundo triduo.

influendo — determinans collocationem naturae
- luminosae — in circumferentia
- opacae — in centro
- perspicuae — in medio.

:eraliter non agit de angelis.

)iritualiter intellecta, innuit
- in caelo — hierarchiam angelicam
- in terra — hierarchiam ecclesiasticam
- in aqua — gratiam, per quam utraque irrigatur
- in septenario dierum
  - septiformem Ecclesiae statum, secundum decursum septem aetatum
  - septiformem angelorum conversionem a creatura ad Deum.

UPERNORUM SPIRITUUM.

communis — per simplicitatem naturae — et ideo est ei *virtuositas in operando.*
individuae — per discretionem personalem — „ *distinctio officiorum in ministrando.*
naturalis — per { memoriam, intelligentiam, voluntatem } — „ *perspicacitas in cognoscendo.*
electivae — per libertatem arbitrii — „ *immutabilitas post electionem.*

C. VII. D

- Apostasiae Luciferi
  - *essentia* fuit praesumptio propriae excellentia
  - *effectus*, fuerunt
    - perditio loci summi
    - descensio ad imum
    - quoad voluntatem . . . . .
    - quoad perspicacitatem . .
    - quoad officiositatem . . . .
    - quoad virtuositatem . . . .

C. VIII. DE CONFIRMATIONE

- Angeli boni ad Deum conversi, fuerunt
  - quantum ad voluntatem . . .
  - quantum ad rationem . . . .
  - quantum ad virtuositatem .
  - quantum ad operationem . .

APOSTASIA DAEMONUM.

obstinatio in malo, . . . et ideo { aversio a Deo
odium et invidia erga hominem.

excaecatio a vero . . . . „ deceptio { per divinationes
per cautelas.

amotio a vero ministerio „ tentamenta.

immutatio et coarctatio „ miracula per transmutationes repentinas.

BONORUM ANGELORUM.

confirmati per gratiam et gloriam in bono.

perfecte illuminati . . . . . secundum cognitionem { vespertinam
matutinam.

perfecte roborati . . . . . { in imperando
in exequendo
in contemplando.

in officiositate ordinati, scil. {
- in contemplatione { majestatis venerandae . . *Throni*
veritatis intelligendae . . *Cherubim*
bonitatis desiderandae . . *Seraphim.*
- in ministerio {
  - virtutis { imperativae . . . . . *Dominationes*
executivae . . . . . *Virtutes*
expeditivae . . . . . *Potestates.*
  - officii { regendi . . . . . *Principatus*
revelandi . . . . . *Archangeli*
relevandi . . . . . *Angeli.*

C. IX. DE PRODUCTION

- Anima rationalis, quia ordinata ad beatitudinem, est
  - praedita libertate arbitrii.
  - capax Dei — per
    - memoriam
    - intelligentiam
    - voluntatem.
  - incorruptibilis et immortalis.
  - immediate a Deo per creationem de nihil
  - forma corporis, quod
    - perficit per essentian
    - movet per potentian

C. X. DE PRODUCTIONE

- In corpore hominis manifestatur Dei
  - *potentia* . . . . . quia animae conjunctum in unitate
  - *sapientia* . . . . . quia animae proportionabile . . . .
  - *bonitas* . . . . . quia animae subjectum, scilicet . .
  - *benevolentia* . . . . . quia ei
    - dedit paradisum terrestrem
    - formavit de latere viri
    - dedit lignum vitae . . . .

HOMINIS, QUANTUM AD SPIRITUM.

deducta.

- *vegetativam*
  - nutriendo
  - augmentando
  - generando.
- *sensitivam* per sensus
  - externos . . . . . sensibilia apprehendendo
  - internos
    - . . *memoriae* . . apprehensa retinendo
    - . . *phantasiae* . . retenta conferendo.
- *intellectivam*
  - ut cognitiva, per *rationalem* . . discernendo verum
    - ut verum *(intellectus speculativus)*
    - ut bonum *(int. practicus)*
      - aeternum *(ratio superior)*
      - temporale *(ratio inferior).*
  - ut affectiva
    - per *irascibilem* . . . refugiendo malum
    - per *concupiscibilem* appetendo bonum
      - secundum naturae instinctum
      - secundum deliberationem.

HOMINIS, QUANTUM AD CORPUS.

personae et naturae.

- ut perficienti . . . . . per complexionem aequalem
- ut multiformiter moventi . . per organorum multiformitatem
- ut ad caelum tendenti . . . per staturae rectitudinem.

- obtemperans sine rebellione
- propagans et propagabile sine libidine
- vegetabile sine defectione
- immutabile ad omnimodam incorruptionem, non interveniente morte.

in habitationem tranquillam.
mulierem in consortium et adjutorium ad propagationem immaculatam.

- ad vegetationem continuam
- ad immutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.

C. XI. DE PRODUCTIONE HOMINIS, QUANTUM AD TOTUM CONJUNCTUM.

Dati sunt homini
- *sensus* . . .
  - interior, seu mentis, ad cognitionem libri scripti intus.
  - exterior, seu carnis, ad cognitionem libri scripti foris.
- *motus* . . .
  - imperativus, in voluntate
  - executivus, in corpore.
- *bonum* . . .
  - visibile datum in re
  - invisibile promissum.
- *praeceptum*
  - naturae — *crescite et multiplicamini.*
  - disciplinae — *de ligno scientiae boni et mali ne comedas.*
- *adjutorium*
  - naturae
    - conscientia
    - synderesis.
  - gratiae
    - gratis datae, seu scientia
    - gratum facientis, seu caritas.

C. XII. DE COMPLETIONE ET ORDINATIONE TOTIUS MUNDI CONSUMMATI.

Quoad
- *ordinationem* — ordinatur ad Deum
  - ut ad *principium creativum* omnis *creatura*, in qua Trinitas *relucet per vestigium*, ratione
    - unitatis
    - veritatis
    - bonitatis.
  - ut ad *objectum motivum* . . omnis *intellectus*, in quo Trinitas *repraesentatur per imaginem*, ratione
    - memoriae
    - intellectus
    - voluntatis.
  - ut ad *donum inhabitativum* omnis *spiritus justus*, in quo Trinitas *legitur per similitudinem*, ratione
    - fidei
    - spei
    - caritatis.
- *completionem* — homo
  - ut *creatura* oculo *carnis* videns res in *sua specie*, seu naturâ . . per *vestigium*
  - ut *intelligens* oculo *mentis* videns res in *intelligentia creata* . . . . per *imaginem*
  - ut *justus* . . oculo *contemplationis* videns res in *arte aeterna* . . . per *similitudinem*

  } ascendit in Deum.

TABULA GENERALIS

HUJUS II. PARTIS

IN QUA DE CREATURA MUNDI AGITUR.



III. PARS,

IN QUA DE CORRUPTELA PECCATI AGITUR.

CAPUT I.

De origine mali in communi.

(Peccatum est defectus, — non habens causam efficientem, sed deficientem: — est corruptivum modi, speciei et ordinis: — est a voluntate, — et in voluntate.)

a) Igitur breviter om cd 1484.
b) Aliqua om. ibid
c) Est om. ibid.
d) Natura ibid.

Praedeterminatis igitur breviter [a] aliquibus de Trinitate Dei et creatura mundi, restat nunc aliqua [b] breviter tangere de corruptela peccati. De qua tenendum est [c] in summa, quod peccatum non est essentia [d] aliqua (I), sed defectus et corruptela *(August. de nat. mali c. 4)*, qua scilicet corrumpitur modus, species et ordo in voluntate creata; ac per hoc peccati corruptio est contraria ipsi bono, non tamen habet esse nisi in bono, nec ortum trahit nisi a bono. Quod quidem bonum est liberum arbitrium voluntatis, et ipsum nec est summe malum, cum possit velle bonum, nec summe bonum, cum possit declinare in malum.

e) Seipso non alio ibid.
f) Peccatum add. ibid.
g) Summum ibid.
h) Quia nec ibid.
i) Quod etiam ibid.
j) Et intelligere ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, cum sit ens a seipso, non ab alio [e], necesse est, quod sit ens propter seipsum, ac per hoc summe bonum, nullum prorsus habens defectum. Non est igitur [f] aliquid, nec esse potest, quod sit primum et summe malum; quia principium primum dicit summum complementum, et summe [g] malum dicit defectum permaximum. Quoniam ergo primum principium, ut summe ens et completum, nec in essendo nec in operando deficere potest; nec [h] summe malum est, nec aliquod malum est, nec aliquo modo malum principiare potest; quia tamen omnipotens est, potest bonum de non esse in esse deducere, etiam sine adminiculo alicujus materiae. Quod et fecit [i], cum creaturam finxit, cui dedit esse, vivere [j], intelligere et velle. Quae quidem, quia a summo bono fuit secundum triplicis causae habitudinem, oportuit, quod haberet in sua substantia et voluntate modum, speciem et ordinem. Nata ergo fuit agere opera sua a Deo, secundum Deum et propter Deum; et hoc secundum modum, speciem et ordinem sibi insitum [1]. Sed quia de nihilo fuit et defectiva, potuit deficere ab agendo propter Deum; ut scilicet aliquid faceret propter se, non propter Deum; ac per hoc nec a Deo, nec secundum Deum, nec propter Deum: et hoc est peccatum, quod est modi, speciei et ordinis corruptivum [2]. Quod, quia defectus est [3], non habet causam efficientem, sed deficientem [4], videlicet defectum voluntatis creatae [5]. Quia vero corruptio est, et non nisi boni [6], et omnis corruptio in re corruptibili est, ideo nonnisi in bono est [7]; ac per hoc cum voluntas libera

(I) De Manichaeorum dualismo vide superius *part. II. cap. I. not. II.*

corrumpat in seipsa modum, speciem et ordinem [8], deficiendo a vero bono [9], peccatum omne, in quantum hujusmodi, est a voluntate, sicut a prima origine [10], et est in voluntate, sicut in proprio subjecto [11]; quod quidem facit voluntas, quando sua defectibilitate, mutabilitate et vertibilitate [12] spreto bono indeficiente et incommutabili, inhaeret [k] bono commutabili [13]. Ex quibus colligitur, quod peccatum non est appetitio malarum rerum, sed desertio meliorum [14], et ideo in appetitu voluntatis est modi, speciei et ordinis corruptivum [15], ac per hoc adeo voluntarium *(Aug. de vera relig. c. 13)*; quod si non est voluntarium, jam non est peccatum. His autem praeintellectis, manifeste cadit impietas Manichaeorum, ponentium summum [l] malum [16] omnium malorum principium primum *(Aug. de morib. Manich. l. 2. c. 2. seq.)*. Apparet etiam, quae sit mali origo, et quid mali subjectum.

k) Inhaesit ibid.

l) Summe A BCDEFH.

Ad Caput I.

[1] „Deus *universa propter semetipsum operatus est (Prov. 16, 4)*, ita quod, cum sit summa potestas et majestas, fecit omnia ad sui laudem; cum sit summa lux, fecit omnia ad sui manifestationem; cum sit summa bonitas, fecit omnia ad sui communicationem. Non est autem perfecta laus, nisi adsit qui approbet; nec est perfecta manifestatio, nisi adsit qui intelligat; nec est perfecta communicatio bonorum, nisi adsit qui eis uti valeat. Et quoniam laudem approbare, veritatem scire, dona in usum assumere, non est nisi solummodo rationalis creaturae; ideo non habent ipsae creaturae irrationales immediate ad Deum ordinari, sed mediante creatura rationali; ipsa autem creatura rationalis, quia de se nata est laudare et nosse et res alias in facultatem voluntatis assumere, nata est ordinari in Deum immediate.“ *2. dist. 16. a. 1. q. 1.*

[2] „Modus, species et ordo considerantur in eadem re, secundum diversas comparationes, sive relationes ad idem. Attenduntur enim in unaquaque creatura, secundum quod ipsa est vestigium Creatoris, quod quidem vestigium consistit in comparatione creaturae ad Creatorem secundum triplex genus causae, ita quod modus attenditur secundum comparationem creaturae ad Creatorem in ratione causae efficientis, species in ratione exemplaris causae, et ordo in ratione finalis causae. Et quia quodlibet ens, quantumcumque modicum, habet istam comparationem ad Deum, in quolibet ente creato reperiuntur haec tria. Juxta hunc igitur modum attendendum est, quod creatura rationalis et est natura, vel creatura quaedam, et est ulterius, praeter alias creaturas, operans per voluntatem; et utroque modo habet comparari ad Deum, et utroque etiam modo habet reperiri in ea modus, species et ordo, utroque etiam modo habet circa eam reperiri malum, quod est istorum trium corruptivum. Sed malum culpae proprie habet consistere circa ipsam, secundum quod est voluntarie operans; et ideo privare habet modum, speciem et ordinem, secundum quod consistunt circa ipsam voluntatem, ut est voluntarie operans. Voluntas autem, cum habet modum, speciem et ordinem, sicut debet, bona est. Tunc autem voluntas nostra bona est, quando in movendo, sive operando, continuatur divinae voluntati, ut principio moventi, et conformatur ei, ut regulae dirigenti, et unitur ei, ut fini quietanti: et in primo attenditur modus, in secundo species et in tertio ordo, secundum comparationem in triplici genere causae. Quandocumque vero aliquis peccat, necessario discontinuatur a Deo, tamquam a principio movente, quia Deus nunquam movet ad peccatum; discordat a Deo, tamquam a regula dirigente; et elongat se et deordinat se a fine quietante, ponens creaturam finem. Et in omni peccato necesse est ista tria concurrere. Et sic patet, quod omne peccatum corrumpit circa voluntatem haec tria, scilicet modum, speciem et ordinem, simul et inseparabiliter.“ *2. dist. 35. a. 2. q. 1.* — „Cum illa tria ... prout privantur per malum culpae, sunt conditiones ejusdem bonae voluntatis, non solum sunt ab invicem inseparabiles, verum etiam aequales, et aequaliter privantur per quodcumque malum culpae. Quodlibet enim malum culpae in tantum deordinat, in quantum facit Deo dissimilem; et in quantum facit Deo dissimilem, in tantum elongat a Deo, ita quod quemadmodum gratia aequaliter reddit animam ordinatam et speciosam et potentem in bonum, sic tantum vel magis culpa deordinat ipsam, et dejicit in malum. Et quemadmodum in gloria similiter est adaequatio dotium, sic etiam in culpa aequaliter fit privatio horum trium.“ *Ibid. q. 2.*

[3] „Malum, sive peccatum, dupliciter potest accipi, uno modo abstractive, alio modo concretive. Secundum autem quod malum dicitur concretive, sic concernit illud, quod deformat vel aliquam actionem, vel aliquam substantiam; et sic dicitur malum res mala, utpote actio mala, vel anima mala. Et hoc modo malum aliquid est, et habet esse naturae ... Contingit iterum loqui de malo, sive de peccato, abstracte; et hoc modo malum, sive peccatum, in recto, sive praedicatione formali, non est aliquid, sed nihil, quia non est ens, nec bonum, sed privatio boni. Quamvis autem malitia, vel peccatum, nihil sit in recto, in obliquo tamen alicujus est, et alicujus ut oppositi, et alicujus ut subjecti. Alicujus ut oppositi, utpote boni, malum enim est privatio boni. Et quia sic est privatio boni, ut tamen non sit omnimoda boni annihilatio, sic privat bonum, quod relinquit bonum; unde sic privat bonum gratiae, quod relinquit bonum naturae; sic privat actum, ut relinquat aptitudinem; sic privat bonum quantum ad effectum, ut tamen in subjecto relinquat debitum. Et ideo malum abstractive sumptum, formaliter loquendo, privatio est; et ideo nihil est. Est etiam alicujus entis ut subjecti, quia

est in aliquo ente, non enim est omnimoda privatio, sive annihilatio." *2. dist. 34. a. 2. q. 3.*

[4] „Quaelibet creatura vertibilis est per naturam, si sibi relinquatur. Si quaeritur causa hujus, dicendum, quod hujus versionis cum sit defectus purus, non est reddenda causa efficiens, vel reducens in non esse, sed solum deficiens. Propter quod notandum, quod natura dicitur naturalis origo; origo autem creaturae est ex nihilo, et est ex suis principiis. Secundum hoc dupliciter dicitur aliquid ipsi creaturae naturale, vel quia inest ei ex eo, quod est ex nihilo, vel quia inest ei ex eo, quod est ex suis principiis. Et quia nihil nullius est causa efficiens, sed deficiens; ideo proprietates, quae insunt creaturae, ratione ejus quod est ex nihilo, non sunt positiones, sed defectus, nec sunt a virtute, sed a defectu virtutis, nec habent causam efficientem, sed deficientem; et tales sunt vanitas, instabilitas, vertibilitas. Si ergo quaeritur, a quo est vertibilis creatura, dico quod non ab aliquo efficiente, sed per defectum in seipsa. Secundum autem quod naturale dicitur inesse rei per propria et intrinseca principia, sic non dicuntur naturaliter inesse privationes, vel defectus, sed habilitates; et ideo hoc modo accipiendo naturale, nulla creatura est vertibilis in non esse; nec tamen dicitur invertibilis naturaliter, quia naturale est in quod potest natura; sed principia rei non possunt in rei conservationem, nec in conservationem sui; et ideo invertibilitas non est hujusmodi naturalis. Nec tamen est contra naturam, imo est ei consona; quia omnis natura appetit salvari, quamvis ex se non possit, et maxime illa creatura, quae appetit beatificari; et haec est illa, quae ad Dei imaginem facta est. Et quia desiderium naturae non est frustra, ubi deficit natura, supplet Dei gratuita influentia. Et sic patet, quod vertibilitas inest per naturam, sed invertibilitas per gratiam." *1. dist. 8. p. 1. a. 2. q. 2. ad 6. 7. 8.*

[5] „Malum est a voluntate deficiente; hoc potest intelligi tripliciter. Propter quod notandum, quod triplex defectus reperitur circa voluntatem, unus quidem naturalis, alius culpabilis et tertius poenalis. Naturalem defectum voco ipsam defectibilitatem, quae inest voluntati hoc ipso, quod ex nihilo. Defectum culpabilem voco ipsum peccatum. Defectum poenale illud damnum, sive nocumentum, sive laesionem, quae consequitur ad illud ... Malum culpae est a voluntate deficiente defectu naturali, ita quod ille defectus praeambulus est ad culpam, nunquam enim voluntas posset in volendo bonum deficere, nisi vanitatem et defectibilitatem in se haberet. Similiter malum est a voluntate deficiente defectu poenali, ita quod ille defectus est culpae annexus, nunquam enim est dedecus peccati sine decore justitiae. Verum est etiam, quod malum culpae est a voluntate deficiente defectu culpabili, non tamen alia culpa, sed eadem diversimode comparata, eadem enim est culpa, qua deformatur voluntas et ejus interior actio. Unde sic conceditur malum esse a voluntate deficiente, sicut actus a substantia agente." *2. dist. 34. a. 1. q. 2.*

[6] „Peccatum corrumpit, et aliquo bono privat. Cum enim per peccatum fiat animae deformatio et obscuratio, nec possit intelligi aliquid deformari vel obscurari sine amissione alicujus luminis et pulchritudinis, necesse est intelligi per peccatum aliquod in nobis bonum corrumpi. Ad quod intelligendum, notandum est, quod peccatum non est qualiscumque privatio, nec cujuscumque boni, nec in quacumque creatura reperta, sed peccatum, sive culpa, privatio est justitiae. Justitia autem, ut dicit Anselmus, est rectitudo voluntatis. Voluntas autem est in sola rationali creatura, ac per hoc et justitia; et sicut justitia est voluntatis rectitudo, sic culpa, quae injustitia est, est voluntatis obliquatio. Sicut igitur per obliquationem fit declinatio a rectitudine, et quaedam rectitudinis exterminatio; sic in culpae commissione fit in anima quaedam rectitudinis ademptio, sive corruptio. Et est attendendum quod, cum ad rectitudinem voluntatis tria concurrant, scilicet ipsa potentia rectitudinabilis, et ipse habitus rectitudinis, et ipsa habilitas media, peccatum non corrumpit ipsam potentiam, secundum quod potentia est, nec simpliciter, nec secundum quid, ipsum vero habitum rectitudinis simpliciter tollit, ipsam vero habilitatem mediam quodammodo corrumpit, et quodammodo relinquit; ergo potentiam nec diminuit, nec aufert, justitiam simpliciter tollit, habilitatem vero mediam diminuit, dum homo per peccatum minus et minus redditur ad rectitudinem justitiae habilis, secundum quod linea, quae magis et magis curvatur, minus est habilis ad dispositionem rectitudinis." *2. dist. 35. a. 1. q. 1.*

[7] „Malum omnino a bono separatum non potest esse, quia malum fundatur in bono." *2. dist. 34. a. 2. q. 1.* — „Malum substantificatur in bono, et non modo in bono, sed in bono sibi opposito quodammodo, non tamen in opposito formaliter et directe." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod bonum in creatura dicitur per ordinationem ad finem; unde bonum dicitur quod est ordinatum in finem. Ordinatio autem tria respicit, aut ipsum ordinabile, aut illud, secundum quod est ordinabile, aut illud, per quod ordinatur. Et secundum hoc triplex reperitur in bonis bonum, scilicet bonum, quod est ordinabile, et hoc est naturale; et bonum, per quod ordinatur, et hoc est virtus vel gratia; et bonum, secundum quod natura ordinabilis est a gratia, et hoc est habilitas media. Intelligendum est ergo, quod malum culpae ei bono, quod est ipsa natura, vel substantia, non opponitur, quia ipsam substantiam non corrumpit, ut dicit Dionysius: Nihil existentium corrumpitur in eo, quod est essentia vel natura. Ei autem bono, quod est virtus et gratia, simpliciter et directe opponitur; unde mutuo se expellunt, et simul esse non possunt. Ei autem bono, quod est habilitas media, quodammodo opponitur, et quodammodo non. Nam illa habilitas media habet comparari ad naturam, cujus est, et ad gratiam, ad quam est. Et secundum quod comparatur ad naturam, cujus est, sic non habet oppositionem ad malum, quoniam habilitas illa, ut erat talis naturae, indifferens erat ad bonum et ad malum; et sic est subjectum mali. Ut autem comparatur ad gratiam, sive virtutem, vel etiam ad finem, ad quem est, sic habet oppositionem ad malum, nam malum tollit rectam ordinationem ad illud, ad quod est, et reddit minus et minus habilem. Quoniam igitur malum culpae primo et principaliter circa habilitatem consistit, et habilitas potentiae opponitur ipsi malo, cum malum reddat ipsam potentiam inhabilem; hinc est, quod Augustinus *(Ench. 13)* dicit, quod malum habet esse in bono sibi opposito." *Ibid. q. 2.*

[8] „Modus, species et ordo, qui attenduntur secundum habilitatem ad bonum, in voluntate nunquam possunt per peccatum corrumpi totaliter.“ — „Et ratio hujus est, quia habilitas non minuitur alicujus partis ablatione, sed elongatione, non secundum id, quod est, sed secundum id, ad quod est, hoc enim modo culpa illi habilitati opponitur.“ *2. dist. 35. a. 2. q. 3.*

[9] „Aliquod malum contrariari alicui bono dupliciter potest intelligi. Aut in se, et secundum formam, aut in suo effectu, et in operatione. Primo modo malum non potest contrariari summo bono, cum illud sit bonum per essentiam, cui nihil omnino est contrarium. Secundo vero modo quodam pacto potest contrariari, et quodam pacto non. Nam dupliciter potest aliquis repugnare alicui in suo effectu, aut quia repugnat ex parte virtutis ipsius agentis, aut quia repugnat ex parte idoneitatis ipsius suscipientis. Primo modo nihil potest repugnare Deo in suo opere, quoniam virtus Dei omnipotentissima est; et ideo nullum potest invenire obstaculum. Secundo modo subdistinguendum est, quia nocumentum inferre effectui, hoc potest esse dupliciter, aut simpliciter et universaliter, aut in parte. Primo modo nihil potest contrariari Deo in opere suo. Tantus enim est, et talis ordo universitatis, quem ei Conditor dedit, ut a nullo possit malo perturbari, secundum quod in pluribus locis vult Augustinus *(lib. 3 de lib. arb. c. 12 et seq. tribus;* et *11 de civ. Dei c. 18 et seq.)*. Ultimo vero modo aliquid potest repugnare Deo in effectu suo, quia per malum bene contingit aliquem Dei effectum reddi minus habilem ad susceptionem divinae influentiae, ad obtentum perfectionis et beatitudinis, ad quem ordinatur ex sua primaria conditione. Et sic patet, quod uno modo malum potest dici contrariari Deo in suo effectu . . . aliis vero modis non.“ *2. dist. 35. a. 1. q. 3.*

[10] „Malum culpae, de quo est hîc sermo, quod quidem consistit circa rationalem creaturam, tripliciter potest circa ipsam consistere et considerari. Aut quantum ad exteriorem effectum, aut quantum ad interiorem, aut quantum ad habitum. Malum enim, sive peccatum, dicitur aliquando actus exterior, aliquando actus interior, aliquando habitus. Unde actus furandi est malus, et voluntas furandi in actu est mala, et habilitatio sive habitualis affectio ad furandum est mala. Secundum igitur quod malum dicitur opus exterius, sic nec est primum in genere entis, nec in genere mali, quoniam actus exterior causatur ab actu interiori, et malitia actus exterioris a malitia voluntatis interioris. Secundum autem quod malum dicitur malus habitus, similiter nec est primum in genere entis, nec in genere mali. Nam malus habitus a malo actu causatur, quia enim mala facimus, mali sumus. Secundum autem quod malum dicitur malus actus interior, sic potest esse primum in genere mali, sed non in genere entis. In genere mali potest esse primum, sicut patet in prima deordinatione voluntatis Luciferi, ante quam nulla praecesserat malitia, nec tamen potest esse principium in genere entis. Actus enim omnis a potentia procedit, et posterior illâ est, sicut effectus est posterior causâ. Et quoniam potentia illa bona est et de genere bonorum, patet quod malum originem habet a bono.“ *2. dist. 34. a. 1. q. 1.*

[11] „Peccatum est corruptio consistens circa voluntatem et ejus actum, cum sit obliquatio a rectitudine justitiae; voluntas autem in actu suo est instrumentum seipsum movens. Unde quando voluntas ad aliquid movetur libere, si moveatur, vel afficiatur inordinate, illa inordinatio respicit et voluntatem moventem et voluntatem motam (Anselm. *lib. de concor. praescien. et lib. arb. long. ante fin.):* quia voluntas, dum inordinate afficitur, inordinate movet et inordinate movetur. Quoniam igitur culpa, prout consideratur in actu, nihil aliud est, quam motus voluntatis inordinatus, et ad illum motum concurrit actio et passio; non tantum est corruptio actio, imo etiam corruptio passio. Nam et inordinatio, qua anima se deordinat, et inordinatio, qua anima deordinatur, utraque est culpa differens comparatione, una tamen per essentiam. Et quia quales sunt actus, tales sunt habitus, maxime cum habitus generantur ex actibus, sicut est in genere malorum habituum; hinc est, quod deformitas, vel privatio in voluntate relicta, et habet in se aliquid correspondens actioni, et aliquid correspondens etiam passioni. Nam voluntas, dum peccat actualiter, efficitur inhabilis, et in quantum habet rationem moventis, et in quantum habet rationem moti: et ita culpa, considerata ut in habitu, et in quantum remanet in anima post actum peccati, et est corruptio, sive privatio correspondens actioni, et est corruptio, sive privatio correspondens passioni. Et sic eadem culpa est corruptio, sive privatio boni, non solum active, sed etiam passive dicta, secundum veritatem loquendo; secundum appropriationem vero corruptio illa, in quantum est active intellecta, tenet mere rationem culpae, in quantum vero passive dicta, tenet rationem poenae. Quia in quantum est active dicta, tenet rationem voluntarii, in quantum vero passive, rationem involuntarii; nec ista sunt incompossibilia circa eamdem actionem et motum. Nam expresse videmus, quod in eadem actione corporali una et eadem actio et delectat et laedit, et per consequens contristat; sicut cum scabiosus scalpendo cutem suam dilaniat, et dilaniando delectatur, et dilaniando etiam laeditur, quod unum placet, et reliquum displicet. Similiter et in eadem actione spirituali est aversio ab incommutabili bono, et conversio ad commutabile bonum; et conversio placet, et aversio displicet. Sic in proposito intelligendum est, quod eadem culpa potest dici active et passive; prout tamen active dicitur, proprie tenet rationem culpae, in quantum vero passive, tenet rationem poenae. Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod aliqua corruptio passio, utpote illa, quae est rectitudinis privatio, culpa est.“ *2. dist. 35. a. 1. q. 2.*

[12] „Impossibile fuit hominem, vel aliquam creaturam rationalem, per naturam habere liberum arbitrium inflexibile ad malum; hoc enim repugnat naturae ipsius creaturae rationalis, et a parte principii initialis, et a parte termini finalis. Et hoc patet sic. Si enim liberum arbitrium creaturae rationalis fieret naturaliter ad malum inflexibile, aut hoc esset propter ipsius arctationem ad bonum, aut propter ipsius determinationem. Si propter arctationem, ut sic faceret bonum, sicut lapis tendit deorsum, jam certe liberum arbitrium nec esset liberum, nec opus ejus esset laude dignum; et ita ineptum esset ad finem, propter quem est factum, videlicet ad laudis et gloriae praemium assequendum. Si autem inflexibile esset ad malum propter determinationem, quia sic potens esset per

propriam naturam in bonum, ut non posset deficere in malo, sicut est de libero arbitrio divino, quod ad sola bona determinatum est, jam tale liberum arbitrium careret vanitate per naturam suam; ergo jam non esset creatura, nec productum ex nihilo, cum omnis creatura vanitati subjecta sit *(Rom. 8, 20)*: et ita hoc esset contra naturam principii initialis, quantum ad id quod dicimus, creaturam rationalem ex nihilo esse productam. Repugnante igitur natura rationalis creaturae et ex parte initialis principii et ex parte finalis termini, impossibile fuit hominem, vel aliam quamcumque creaturam rationalem, liberum arbitrium habere per naturam ad malum inflexibile." *2. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 1.*

[13] „Id, quod est malum, est secundum intentionem etiam sub ratione mali simpliciter, sed ut bonum sibi; nam ut malum simpliciter et sibi, id nemo intendere potest." *2. dist. 34. a. 1. q. 3.*

[14] „Malum, secundum Augustinum *(lib. 1. Enchir. ad Laur. c. 11. ac seqq. 3;* ac *lib. 1. de nat. bon. c. 4)*, non est natura aliqua, sed privatio boni, mali nomen accepit. Manichaeus non potest intelligere malum esse privationem, sed ponit naturam esse aliquam; ideo necesse habet ponere mali principium, et sic duo principia, cum mali non possit esse principium nisi malum, in quantum tale; bonum vero est diffusivum sui. Cum enim unitas sit indivisio entis, veritas indivisio entis et esse; bonitas addit adhuc super hoc, quia est indivisio entis, et esse et agere; et illud agere est sese diffundere et communicare. Deus autem omne quod agit, agit a se, secundum se et propter se; quia agit a se, dat modum; quia secundum se, dat speciem; quia propter se, dat ordinem, quia omne bonum habet modum, speciem et ordinem; horum autem privatio est malum. Cum autem causa sit tantum agens, ut Deus; et tantum acta, ut irrationabilia; et agens et acta, ut rationabilis creatura; horum privatio in causa tantum agente non potest esse; in causa tantum acta potest esse, et est, sed sine culpa; in causa vero agente et acta est cum culpa, quia si deficit, hoc est ex culpa sua, cum possit suam actionem ordinare, et ab ordine pro sui libertate arbitrii deficere. Creatura enim rationalis et a Deo est, et de nihilo est; quia est a Deo, est ipsius imitativa, et imitando Deum in actione sua, si agit a Deo et secundum Deum et propter Deum, ut constituat Deum suae actionis principium, exemplar et finem; tunc ejus actio bona est, habens modum, speciem et ordinem. Quia vero de nihilo est, potest ab his deficere, et hoc facit, cum se nimium diligit, ut quando debet constituere Deum finem, et agere propter Deum, constituat propter se et a se, et sic deficit ab ordine rectae actionis; et talis defectus est malum causatum a propria reputatione et proprio amore. Habemus igitur, quid sit malum, quia defectus modi, speciei et ordinis; unde sit, quia a voluntate deficiente; et quare in sola creatura rationali utente libertate arbitrii, propter quam potest a recto ordine obliquari." Supplem. *vol. 1. Serm. de Semin. n. 42.*

[15] „Cum gratia sit accidens, non potest esse praeter subjectum, in quo est; et cum in subjecto, in quo est, non possit simul cum culpa subsistere, et ipsi subjecto, in quo est gratia, contingat culpam inesse; necesse est gratiam esse quid corruptibile. Rursus, cum gratia non producatur ex aliquo materialiter, sed sit simpliciter donum gratuitum, et omnino desursum descendens a Patre luminum *(Jacob. 1, 17)*; et omne quod corrumpitur, in id cedat, unde producitur; necesse est gratiam, sicut ex nihilo producitur, sic etiam in nihilum redigi, cum corrumpitur. Talis autem modus corrumpendi non solum competit gratiae ratione sui initii, sed etiam ratione esse proprii, sive modi existendi. Ratione, inquam, sui initii, quia sicut ex nihilo producitur, ita in nihil redigitur; quemadmodum in aliis accidentibus consimiliter reperitur, quod in id redeunt, unde exeunt, cum producuntur. Competit etiam hoc ei ratione esse proprii, sive modi existendi. Quoniam cum gratia non causetur ex principiis ejus, in quo est, sed aliud habeat pro subjecto, aliud pro causa, quemadmodum cum lumen corrumpitur, vel similitudo in speculo, vel ipsa species in anima, non corrumpitur illud, in quo est, nec redit ad illud, a quo est, sed, quantum est de se, in nihil cedit; sic gratia, quia non habet esse in anima per modum naturae, sed per modum habitus, nec ex principiis animae producitur, cum corrumpitur, in nihil redigitur. Et propterea peccatum, in quo fit gratiae corruptio, dicitur esse nihil, et inter omnes corruptiones summo auctori et conservatori omnium bonorum maxime displicere dignoscitur." *2. dist. 26. a. 1. q. 4.* — „Cum gratia non salvetur nisi ex continuatione influentiae a bonitate divina super faciem mentis nostrae, quando anima a Deo avertitur per peccatum, influentia non continuatur, et per consequens gratia corrumpitur. Et ideo quodam modo gratia per peccatum dicitur corrumpi, non quod peccatum agat in gratiam, sed quia, anima per peccatum se avertente, et Deo cessante influere, necesse est gratiam in se ipsa deficere." *Ibid. ad 5.*

[16] „Summum in aliquo genere dupliciter potest dici. Uno modo dicitur summum, quo nihil potest esse majus; et hoc modo non contingit reperire, neque ponere aliquid summe malum, nihil enim est adeo malum, quin possit esse pejus, pro eo quod aliquid habet de bono, quo posset magis privari; et ita adhuc pejus esset ... Alio modo dicitur summum, quo nihil est majus secundum actum, sed ipsum excedit inter omnia alia; et sic contingit reperire summum in malis. Nam Lucifer, qui *est rex super omnes filios superbiae (Job 41, 25)*, pessimus est super omnes." *2. dist. 34. a. 2. q. 1.*

CAPUT II.

De primorum parentum tentatione.

(Deus debuit permittere hominem tentari. — Diabolus volebat et sciebat hominem tentare, — et, Deo permittente, potuit. — Dispensationis divinae fuit et assumptio speciei serpentinae in tentando, — et tentatio de praecepto disciplinae; — versutiae diabolicae fuit tentationis processus.)

Ad intelligendum autem, qualiter corruptela peccati intravit in mundum, considerare oportet lapsum primi parentis, traductionem culpae originalis, et ortum sive radicem peccati actualis. Circa lapsum igitur primi parentis haec tria nobis occurrunt consideranda, scilicet tentatio diabolica, culpa commissa et poena inflicta. Haec igitur de tentatione sunt tenenda, videlicet, quod cum Deus hominem condidisset [a] in felicitate paradisi in sexu duplici, scilicet virili et muliebri; diabolus invidens homini, assumpta specie serpentina (I), aggressus est mulierem, primo quaerendo: *Cur praecepit vobis Deus, ne comederetis?* secundo asserendo, dicens: *Nequaquam moriemini;* tertio promittendo: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum (Gen. 3, 1 et seqq.);* volens ista tentatione dejicere mulierem infirmiorem, et per illam postea prosternere sexum virilem; quod et fecit, Domino promittente (II).

a) Sed add. ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia sicut primum principium est potentissimum in operando, sive in [b] producendo; sic etiam est rectissimum in gubernando; et ideo sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat. Quoniam igitur homo sic factus erat, ut per victoriam pugnae [1] perveniret ad praemium quietis aeternae, licet Deus sciret hominem tentationi succumbere [2], debuit tamen hominem permittere tentari [3] ab eo, qui sciret, posset et vellet. Quoniam ergo diabolus, qui prius erat sciens et rectus, per superbiam cadendo, factus est versutus et invidus [4]; ideo per invidiam tentare volebat, et per astutiam sciebat; et ideo tentavit juxta quod potuit, et Deus permisit [5]. Quod igitur in tentando speciem serpentinam assumpsit [6], hoc [c] dispensationis divinae fuit, ut non solum deprehendi ejus versutia posset, verum etiam ut ex illa effigie versutia diabolica in tentando cunctis filiis Adae innotescere posset. Rursus, quia tentavit de praecepto disciplinae, hoc similiter fuit dispensationis divinae, ut sive vinceretur, sive vinceret, cunctis innotesceret meritum obedientiae, sive demeritum inobedientiae. Quod autem incepit a muliere, hoc fuit versutiae suae, quia facilius est dejicere [d] minus fortem [7]. Unde et versutia hostis ex infirmiori parte aggreditur civitatem. Similiter modus, quo in tentatione processit, maximae versutiae fuit [8], quia experiendo, impellendo et alliciendo processit. Experientiam enim sumpsit in interrogatione, impulit in assecuratione, allexit autem in promissione. Primo enim interrogavit de [e] causa mandati, ut rationem duceret [f] in dubium. Secundo autem, dubitatione habita: *Ne forte moriamur (Gen. 3, 3),* assecuravit [g], ut irascibilem duceret in

b) In om. ibid.

c) Hoc om. ibid.

d) Devincere ibid.

e) Et de ibid.
f) Induceret AEFG.
g) Coassecuravit ibid.

(I) Ophitae obscuri nominis haeretici saec. II serpentem Evae deceptorem adorabant, utpote qui, ut ipsi ajebant, nobis initium fuit scientiae boni et mali. Manichaei quoque, teste S. Augustino *(lib. 15. contra Faustum c. 9),* serpentem commendabant, imo ipsum Christum fuisse effutiebant.

(II) Zwinglius et Calvinus autumarunt Deum voluisse ac decrevisse protoparentum lapsum; et idcirco non tantum permissione, verum etiam voluntate et ordinatione Dei fuisse tentatos.

contemptum. Tertio promisit, ut concupiscibilem duceret in appetitum; et sic his tribus modis libertatem arbitrii traheret ad consensum, quae facultas est rationis et voluntatis, complectens nihilominus tres praedictas vires, scilicet rationalem [h], irascibilem et concupiscibilem; respectu quarum diabolus allexit mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quae est appetibilis rationali, per excellentiam ad modum Dei [i], quae est appetibilis irascibili, per suavitatem ligni, quae est appetibilis concupiscibili; et sic tentavit omne, quod erat in muliere tentabile, per omne illud, per quod [j] poterat in tentationem induci, quod est triplex appetibile mundi, scilicet secundum concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae *(1. Jo. 2, 16);* secundum quae tria attenditur omnis tentationis origo, sive a mundo, sive a carne, sive a diabolo.

h) Rationabilem ibid.

i) Ad modum Dei om. ibid.

j) Per restitui ex edit. Arg.

Ad Caput II.

[1] „Ad manifestandam Dei potentiam, sapientiam, misericordiam et justitiam decuit hominem peccabilem creari, ita ut impugnari et expugnari possit." — „Etsi ipsa divina operatio non indigeat approbatione, pro eo quod quidquid Deus facit, bene facit, et recte facit; verumtamen ad excitandam devotionem in mente fidelium, et compescendam rabiem in ore blasphemantium et Deum in suis operibus inculpantium, quadruplex potest ratio assignari, quare Deus fecit talem hominem, ut possit ab adversario expugnari. Et prima est manifestatio divinae potentiae. Voluit enim Deus ostendere homini, quia sicut sine eo factus non fuerat, ita nec sine ipso persistere poterat. Ut igitur homo nosset quod divinum posse non solummodo est omnis potentiae causativum, sed etiam conservativum, et quod ipsum solum est quod non potest deficere, nec expugnari; ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem et expugnabilem, nec ipsam confirmare, quousque experimento disceret, quod ipse solus est, in quo non cadit non posse. Secunda ratio est manifestatio divinae sapientiae. Majoris enim sapientiae est ostensivum scire ordinare bona cum malis, et eligere bona ex malis, quam ordinare solum bona cum bonis; et ideo cum non deceret eum ibi mala facere, debuit talem facere creaturam, quae posset in operando deficere, et malum committere, ut Deus mala illa ordinando suam sapientiam declararet. Tertia ratio sumitur ex manifestatione divinae misericordiae, quae potissime manifestata est, cum unigenitum Filium suum traderet ad liberationem servi. Quarta ratio sumitur ex manifestatione divinae justitiae, quae potissime manifestatur in hoc, quod Deus retribuit unicuique secundum opera sua, praecipue in aeterna punitione malorum; haec autem retributio et punitio, et praefata misericordiae liberatio non esset, nisi Deus creaturam rationalem, et praecipue hominem, in statu vertibilitatis fecisset, et ita potentem impugnari et expugnari; et ideo congruum fuit Deum hominem in statu tali facere." *2. dist. 23. a. 1. q. 1.*

[2] „Divina praescientia praescit res, sicut sunt eventurae, cum nihil praesciat nisi verum; ergo cum praescit aliquem peccaturum, cum peccatum non sit nisi per voluntatem, praescit istum per voluntatem hoc facere, et praescit aliud posse facere; ergo si omne, quod praescit, est verum, verum est, quod iste per voluntatem hoc faciet, et poterit aliud facere: et si hoc est contingens, ergo si cum divina praescientia est contingentia rei, non ergo necessitas." *1. dist. 38. a. 2. q. 1. fund. 4.*

[3] „Congruum fuit hominem impugnari propter ordinem virtutis ad suum actum, boni ad suum oppositum, morbi ad suum remedium, et meriti ad praemium." — „Cum Deus posset adversarium prohibere, ne hominem tentaret, decuit tamen ipsum permittere. Et ratio condecentiae haberi potest ex rationibus assignatis in praecedenti problemate, in quo ostensum fuit quod Deus debuit facere hominem in vertibilitate liberi arbitrii. Praeter has tamen rationes assignari potest ratio, primo ex ordine, qui attenditur ex comparatione virtutis ad proprium actum. Sic enim Deus res omnes administrat, ut eas agere proprios motus sinat; et ideo tam hominem, quam diabolum constituit in libertate arbitrii, et *in manu consilii sui reliquit (Eccli. 15, 14)*, et utrumque permisit agere quod voluit, sive hunc in tentando, sive illum in consentiendo; hoc enim competebat regimini in conservatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad proprium actum. Secunda vero ratio sumitur ex ordine, qui attenditur per comparationem boni ad suum oppositum, in quo gloriosior et laudabilior ostenditur virtus ad suum oppositum, sive ex ipsa praedicta comparatione, ob quam relucet et magis apparet, sive ex cujusdam nobilis triumphi assecutione, ob quam fortificatur et vigoratur; ideo ut virtus hominis reluceret et proficeret, decuit Deum permittere ipsum ab adversario impugnari, quia vel tunc vel post ex ipsa tentationis impulsione manifestanda erat fortitudo et eminentia caritatis, de qua dicit Apostolus *(Rom. 8, 38)*, quod *neque mors, neque vita, neque principatus, neque potestates* ab ea poterunt separare. Tertia ratio potest sumi ex ordine, qui attenditur ex comparatione morbi ad suum remedium. Quia enim peccatum hominis non debebat carere remedio, propter hoc quod tota in ipso humana natura erat; sic debuit Deus hominem permittere peccare, quod deceret ipsum eidem redemptorem praestare; et ideo magis disposuit Deus hominem peccare, alio suggerente et impellente, quam voluntate propria incurvante, qua fortassis

incurvatione homo cecidisset, etiam si nunquam adversarius pestifera suggessisset. Quarta ratio potest sumi ex ordine, qui attenditur per comparationem meriti ad praemium. Quia enim nemo dignus est coronari, nisi qui certat legitime; ideo decuit Deum hominem militem suum in campo certaminis prius examinare, quam ipsum in gloria exaltare: et quia examinatio consistit in conflictu et pugna, permittere debuit hominem a diabolo impugnari." *2. dist. 23. a. 1. q. 2.*

[4] „Ista duo peccata sunt, quae maxime possident mentem diaboli, superbia et invidia ... Mens igitur diaboli ab his duobus vitiis possessa, videns hominem in statu, quo poterat cadere sub diabolicam potestatem, et in quo poterat ascendere ad supernam felicitatem, ex qua ipse ceciderat, et ex superbia motus est et ex invidia ad ipsum tentandum. Ex superbia namque, ut ipsum sibi subjiceret; ex invidia vero, ut ipsum a superna felicitate impediret. Et superbia fuit sicut movens primum, invidia vero sicut movens proximum et immediatum, esto enim quod non posset dominium super hominem acquirere, adhuc studuisset ipsum a paradisi gaudiis impedire." *2. dist. 21. a. 1. q. 1.*

[5] „Ad locutionis formationem tria ista concurrunt, primo instrumentorum aptitudo et convenientia, secundo modo virtus motiva, et tertio modo virtus directiva, cujus regimine servatur vox articulata; et haec tria sunt in homine complete a sui natura, in brutis vero animalibus reperiuntur incomplete. Habent enim quaedam animalia organa apta, licet non complete, ad vocis formationem; habent etiam vim sensibilem motivam; habent etiam vim excogitativam seu imaginativam, ratione cujus erudiuntur ad aliquas voces pronuntiandas, non tamen est in eis complete. Sed cum adest vis rationalis, quae possit et regere et movere, tunc illa potentia incompleta ad actum habet reduci. Et sic fuit in illa prima tentatione. Nam diabolus excitabat vim motivam, et adjuvabat et dirigebat, ut posset illas voces articulatas formare; ita quod serpenti non est data nova potestas, sed potestas superior assistebat. Unde proprie miraculum non erat, licet quis rationabiliter admirari posset, cum esset supra potestatem irrationalis creaturae talia verba formari." *2. dist. 21. dub. 1.*

[6] „Cum diabolus tentare non potuerit, nisi eo quo permissus est modo, divina sapientia illum permisit tentare hominem in effigie animalis bruti, non cujuscumque, sed serpentis; sic enim exigebat congruentia ordinis respectu tum operis, tum finis, tum etiam divini judicii." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod modus ille tentandi non tantum fuit ex diabolica electione, sicut dicit Augustinus *(11. de Gen. c. 3)*, sed etiam ex divina permissione; non enim licuit diabolo tentare omni modo, quo vellet et posset, sed eo modo, quo Dominus permitteret. Concessit autem divina sapientia, quae omnia ordinat et gubernat et permittit, quod diabolus tentaret hominem in effigie animalis bruti, et non cujuscumque, sed serpentis; sic enim exigebat congruentia ordinis. Quod enim homo tentaretur a diabolo in effigie bruti animalis, congruum erat, tum respectu operis, tum respectu finis intenti, tum etiam respectu divini judicii. Respectu operis, quia homo natus est inclinari ad bonum ut nunc, maxime ex parte sensibili et brutali; et ideo congruum erat ipsum tentari in effigie animalis bruti. Respectu finis intenti similiter congruum erat, quia ad hoc ordinabatur tentatio, ut homo efficeretur similis animali bruto, cum, contempto bono incommutabili, adhaereret bono commutabili, et ibi quiesceret; et ideo ad haec insinuandum, in specie animalis bruti debuit tentari. Respectu divini judicii etiam congruum fuit, quoniam Dominus justus et fidelis non permittit hominem tentari ultra quam possit. Et ideo sic patitur diabolum in tentatione latere, ut nihilominus possit ab homine deprehendi; et ideo non passus est, quod diabolus hominem tentaret omnino in specie consimili, et per hoc non in specie, vel effigie humana, sed potius brutali. Triplex igitur congruentia ordinis exigebat, ut homo a diabolo in brutali effigie tentaretur. Hac etiam triplici congruentia exigente, permissus est homo tentari a diabolo, non in quolibet animali bruto, sed in serpente. Primum ratione operis: quia enim tentatio fiebat per suggestionis ingressum, quae intrat ad cor ad modum serpentis, et ibi virus peccati diffundit, ex quo homo habet spiritualiter mori; ideo ut exterior effigies operi responderet interiori, congruum fuit hominem a diabolo tentari in effigie serpentis, cujus est serpere, et venenum diffundere, et diffundendo hominem interimere. Respectu etiam finis intenti congruum erat: quia enim intendebat diabolus faciem hominis et caput et superiorem mentem convertere deorsum, et totum prosternere, et sic prosternendo ad malum finem deducere, proponendo sibi praemium aliquod delectabile; ideo permissus est tentare in serpente, qui secundum totum corpus suum habet terrae in suo incessu adhaerere. Congruum etiam erat respectu divini judicii: quia enim ex illa tentatione divino judicio inter tentatum et tentantem debebat inimicitia exoriri; ideo tentatio hominis in serpente debuit fieri, quem post lapsum maxime exhorret, et qui maxime sua calliditate insidiatur hominem laedere. Et sic patet multiplex congruentia, quare diabolus permissus est hominem tentare in effigie serpentina." *2. dist. 21. a. 1. q. 2.*

[7] „Non est dubitandum, quin tentatio diaboli a muliere inchoaverit, et per eam pervenerit ad virum. Ratio autem hujus sumitur ex parte sapientiae Dei, et ex parte astutiae diaboli. Ex parte sapientiae Dei; Dominus enim tali ordine permisit diabolum tentare, tum propter viri exercitationem, tum etiam ne mulier haberet excusationem, tum etiam propter eruditionem nostram. Propter viri exercitationem, quia ipse adeo fortis erat, et spirituali mente praeditus, quod non solum poterat resistere serpentis tentationi, sed etiam suggestioni mulieris; et ideo fortiori tentatione permissus est tentari. Propter mulieris vero removendam excusationem primo debuit ab ipsa tentatio incipere; nam si vir primo peccasset, cum vir sit caput mulieris et dominetur ei, non esset multum mirandum, si mulier ei consentiret; imo magnum haberet excusationis colorem. Propter nostram eruditionem etiam hoc permissum est. In illo enim modo tentandi sensibili cognoscimus nos modum et progressum tentationis invisibilis; et sicut ille a serpente venit ad virum mediante muliere, sic iste a sensualitate pervenit ad superiorem portionem rationis mediante inferiori. Ex parte similiter astutiae diaboli potest sumi ratio. Diabolus enim attendebat mulierem esse minoris sapientiae, et debilioris constantiae, et importunioris adhaerentiae. Quia minoris sapientiae, erat facilior ad seducendum; et ideo diabolus seductor per eam

voluit sibi facere transitum ac viam. Quia debilioris constantiae, facilior erat ad pervertendum; et ideo diabolus expugnator aggressus est hominis civitatem ex ea parte, ex qua erat aditus minus munitus. Quia vero importunioris erat adhaerentiae, cogitavit diabolus, quod si ipsa primo vinceretur, non quiesceret, quousque perverteret virum. Unde dicitur de muliere, quod *laqueus est venatorum, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius (Eccle. 7, 27).* Propterea diabolus astutus impulsor incepit a sexu femineo. Et sic patet quod, sicut dicit Scriptura, per omnem modum congruum fuit tentationem incipi a muliere, tum quia hoc diaboli astutia expetebat, tum quia hoc divina providentia disponebat." *2. dist. 21. a. 1. q. 3.*

[8] „Etsi diabolus fortior et astutior esset quam homo, in pugna tamen tentationis non erat fortior, immo multo debilior, sive ex generali lege tentationis, dum nemo vincitur nisi volens, sive ex fidelitate Dei, qui non permittit aliquem tentari supra id quod possit, immo facit cum tentatione proventum *(1. Cor. 10, 13).*" *2. dist. 23. a. 1. q. 2 ad 3.*

CAPUT III.

De primorum parentum transgressione.

(Mulier assensum praebuit tentatori, — et illexit virum. — Transgressio utrique fuit communis, — sed alia ex causa. — In utroque fuit deordinatio a summo usque ad imum.)

De culpa vero primorum parentum sunt haec tenenda, scilicet quod mulier assentiens tentationi diabolicae, appetiit scientiam et excellentiam ad modum Dei. Appetiit nihilominus experiri suavitatem ligni vetiti, et tandem incidit in transgressionem mandati. Nec his [a] contenta, offerendo fructum ligni vetiti, induxit virum, qui nolens suas delicias contristare, mulierem non corripuit, sed potius consensum praebuit male suadenti, et [b] oblatum pomum gustando, effectus est transgressor divini praecepti.

a) Hoc ABC DEFG et editt. Arg. Aug. Nor. et 1484.

b) Et om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum a primo principio, ut praedictum fuit, datus esset homini duplex sensus et appetitus respectu duplicis libri et respectu duplicis boni, ut secundnm libertatem arbitrii homo posset ad utrumque converti [1]; mulier, audita suggestione serpentis exteriori, non recurrit ad librum interiorem, qui legibilem se praebet recto judicio rationis, sed potius sensum suum circa exteriorem librum tenuit, et circa exterius bonum negotiari coepit. Et quia sensus ejus non accessit usque ad verum infallibile, appetitus ejus converti coepit ad bonum commutabile. Appetiit igitur, quod diabolus promisit, et ideo consensit, ut faceret, quod suggessit. Appetendo igitur excellentem scientiam, erecta est in superbiam [c], hoc ipso illecta est ad gulam; ac per hoc tertio prostrata est per inobedientiam.

c) Post superbiam in edit. Rom. repet. erecta in superbiam, quae verba bene om. in ABE GHK et editt. Arg. et Nor. Erecta est et erecta in superbiam, hoc ipso etc. ed. 1484.

Primum fuit in mente, secundum in sensualitate, tertium in opere [d] [2]. Et sicut tentatio, ab inferiori incipiens, pervenit usque ad summum, quia ab auditu per appetitum pervenit [e] ad consensum [f]; sic e converso deordinatio, a superiori incipiens, pervenit usque ad imum, et fecit unum peccatum consummatum, quod in humana natura est omnis peccati initium et origo malorum. Nam mulier illecta illexit virum, qui similiter ad librum exteriorem conversus et ad bonum commutabile, nimis appretiando mulieris consortium et suae societatis solatium, nec mulierem voluit corripere, nec proprias delicias contristare. Et quoniam debuit eam corripere, et non corripuit; idcirco imputatur ei peccatum mulieris. Quia vero noluit suas delicias contristare a se repellendo mulierem, incepit [g] nimium diligere seipsum, ac per hoc recedens a divina amicitia, incidit in gulam et inobedientiam [8].

d) Operatione ed. 1484.

e) Venit AB CDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

f) Ad gustum sive ad consensum ed. 1484.

g) Coepit ibid.

Fuit ergo transgressio praecepti utrique communis, licet ex alia et alia causa,

quia non vir, sed mulier fuit seducta *(1. Tim. 2, 14)*: in utroque tamen, scilicet viro et muliere, fuit deordinatio a summo usque ad imum; quia primo in mente fuit [h] sive in [i] ratione, deinde in sensualitate, et postremo in opere. Ideo [j] enim uterque prostratus fuit per inobedientiam, et illectus per gulam, quia uterque erectus fuit in superbiam; mulier quidem appetendo et ambiendo, quod nondum acceperat, vir autem nimis amando et appretiando, quod jam habebat. Unde mulier manducando credidit sublimari, Adam vero existimans se aliquid magnum et Deo carum, minus graviter credidit se puniendum [4], nondum enim expertus fuerat rigorem divinae justitiae et severitatis [5]. Et sic uterque, dum inordinate erexit se supra se, cecidit miserabiliter infra se, a statu scilicet innocentiae et gratiae ad statum culpae et miseriae [6].

h) Fuit om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

i) In om. ed. 1484.

j) Ideoque ibid.

Ad Caput III.

[1] „Liberum arbitrium, quoad interiorem actum, a creato agente cogi non potest, tametsi induci et impelli possit; at quoad exteriorem actum etiam cogi potest.“ — „Est loqui de libero arbitrio quantum ad actum exteriorem et quantum ad actum interiorem, sive quantum ad actum proprium et quantum ad actum alienum. Si loquamur de libero arbitrio quantum ad actum exteriorem, sic respectu talium actuum potest intervenire coactio, potest enim quis compelli, ut genua coram idolo flectat, et ut manibus propriis thura altaribus imponat vel incendat. Si autem loquamur quantum ad actum interiorem, qui scilicet est velle vel eligere vel consentire, sic respectu talis actus potest liberum arbitrium aliquo modo induci, potest et impediri, sed nullo modo potest compelli. Induci quidem potest, quando amat aliud a se, et quod infra se est. Unde per oblationem alicujus rei amatae vel ablationem potest induci ad consentiendum in aliquid multum efficaci persuasione, per quem modum idololatrae tentabant sanctos martyres consentire in idololatria, modo promittendo delectabilia, modo infligendo tristia. Ista tamen inductio longe distat a coactione, sicut probat ipse exitus, quia nec blandimentis allici, nec tormentis terreri adeo potuerunt, ut a veritate justitiae mutarentur. Et sic liberum arbitrium induci potest, quia amat aliquid infra se, utpote vitam temporalem, vel aliquid consimile, quod potest agens creatum conferre vel auferre. Potest etiam impediri propter inclinationem et conjunctionem sui ad corporalem naturam, quae subest virtuti creaturae. Unde bene posset aliquis alium ita laedere, quod usum liberi arbitrii amitteret, ex hoc tamen liberum arbitrium non cogeret. Coactio enim ponit liberi arbitrii actum et usum, sed ligatio vel impeditio tollit. Et iterum, impeditio provenire potest ab inferiori, coactio provenire habet a superiori; hinc est, quod liberum arbitrium, etsi possit induci ab agente creato ratione boni exterioris amati, et possit impediri ratione conjuncti corporis, non potest cogi respectu actus proprii. Hanc enim dignitatem habet liberum arbitrium, ut, in quantum liberum, soli Deo sit subjectum; et quia in quantum liberum nulli agenti creato subest, cum coactio sit a superiori, nullum agens creatum potest ipsum cogere.“ *2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 4.*

[2] *2. dist. 22. a. 1. q. 1.*

[3] „Vir in appetibili et principali motivo non fuit conformis mulieri transgrediendo, licet esset ei conformis in transgressione mandati divini; uterque enim inobediens fuit, sed aliter vir quam mulier ad inobedientiae culpam prolapsus est. Non enim vir pomum comedit propter appetitum excellentiae in sui assimilatione ad Deum, nec propter appetitum sufficientiae in multorum cognitione, nec propter appetitum suavitatis in cibi degustatione, sicut fecit mulier; fuit tamen in viro quaedam superbia, quaedam avaritia et quaedam lascivia, per quas perductus est ad inobedientiam. Quodam enim modo superbivit, dum se nimis magni pretii esse apud Deum aestimavit, et tanti, ut propter comestionem illius cibi non incurreret gravitatem alicujus supplicii, sed de facili consequeretur veniam de offensa. Fuit etiam quaedam avaritia, dum curiose scire voluit quid sibi eveniret, dum cibum vetitum degustaret. Fuit etiam quaedam lascivia non carnalis delectationis, sed cujusdam amicabilis affectionis, qua frequenter fit, ut offendatur Deus, ne contristetur proximus; hoc autem fecit Adam, dum comedere voluit, ne suas delicias contristaret, hoc est, ne mulierem offenderet; unde et Dominus ipsum arguit, quod obedivit voci mulieris: et per hoc perductus est ad inobedientiam et transgressionem mandati Dei: et haec tria trahuntur ex verbis Augustini super Genesim ad literam. Primo enim dicit, quod non est putandum, quod homo dejiceretur, nisi praecessisset in eo quaedam elatio comprimenda. Et iterum dicit: Voluit Adam lignum vetitum experiri, cum non videret mulierem mortuam, esca illa percepta. Et iterum: Noluit eam contristare, quam credebat sine suo solatio contabescere, et a se alienatam interire. Concedendum est igitur, quod Adam non appetiit esse sicut Deus, quemadmodum mulier, sicut ostendunt rationes ad hoc adductae. Si autem dicatur alicubi appetiisse se esse sicut Deus, hoc est dictum triplici ratione. Aut quia divinum contempsit imperium, et voluntatem suam divinae praetulit jussioni, et se sibi tanquam Deo subjecit, et ex hoc Deo aequiparari voluit. Aut dictum est, quia mulier de illo sumpta appetiit sicut Deus esse, et per synecdochen quod est partis attribuitur toti. Unde Sancti quod appetiit alter, frequenter loquuntur synecdochice, et attribuunt utrique. Aut potest hoc tertio modo dictum intelligi, quia ipse, cum esset

mulieri praepositus, ipsam non compescuit, unde sibi imputatur culpa mulieris. Mulier autem intelligenda est appetiisse se esse sicut Deus non per omnimodam aequalitatem, sed per quandam sublimationem in dignitate supra humanum modum, quod cum vir non compescuit, imo potius ejus voluntati paruit, sibi peccatum mulieris imputatur, et voluisse esse sicut Deus refertur." *2. dist. 22. a. 1. q. 2.*

[4] „Peccatum Adae non fuit gravissimum propter ingratitudinem majorem, neque propter libidinis intensionem, sed propter extensam in genere humano maximam laesionem." — „Ratione ingratitudinis vir, sed ratione libidinis mulier gravius peccavit. Et ille quidem, quoniam ut causa, haec vero ut occasio majus intulit damnum. Sic gravior fuit culpa viri ex parte peccantis, mulieris autem ex parte peccati." *2. dist. 21. a. 3. q. 3.;* et *dist. 22. a. 1. q. 3.*

[5] „Primum peccatum hominis, quod ex tentatione diaboli subsecutum est, remissibile fuit. Et si quaeratur ratio hujus, dicendum quod ex tribus rationibus una potest ratio sufficiens colligi. Remissibile namque fuit peccatum primi hominis, quia erat in carne mortalis, in voluntate vertibilis, in transgressione excusabilis. Carnis mortalitas faciebat remissibilitatem; potuit enim divina justitia severitatem et aequitatem sui judicii in homine exercere praeter aeternam damnationem, in hoc quod hominem peccatorem morti tradidit, et hominis innocentis mortem pro satisfactione suscepit, ut sic exerceretur in homine severitatis vindicta pro culpa perpetrata; ut quemadmodum homo voluntarie peccando Deum deseruerat, et seipsum morte culpae occiderat, sic spiritus invitus desereret corpus, et mors exigatur in poena, sicut commissa fuerat in culpa. Angelus autem per naturam immortalis erat, nec poterat mori nisi morte aeterna, non enim erat alia via exercendi in ipsum justitiae severitatem, nisi per mortem damnationis aeternae. Et sic carnis mortalitas multum facit ad hoc, quod peccatum hominis esset remissibile. Voluntatis vertibilitas ad hoc nihilominus faciebat, quia enim homo conditus est in vertibilitate arbitrii, quae non tantum debebat esse in eo ad momentum, sed etiam ad tempus diuturnum, quia longo tempore debebat esse viator; hinc est, quod sicut gratia adveniens ejus voluntati non abstulit vertibilitatem ad malum, sic culpa superveniens non abstulit potentiam revertendi ad bonum; et sicut potuit transgredi, ita potuit conteri; et sicut per culpam pervenit ad iram divinam, sic per poenitentiam rediit ad gratiam. Hoc autem angelus non habuit propter brevitatem spatii merendi, post quam voluntas ejus vertibilitatem habere non poterat. Excusabilitas etiam in culpa faciebat ad peccati hominis remissibilitatem. Quia enim alio suggerente cecidit, dignum fuit per alium sublevari; et ideo competebat sibi mediatorem habere. Et quia lapsus non potest resurgere sine manu sublevante, et inimicus non potest reconciliari sine mediatore interveniente; hinc est, quod peccatum hominis fuit remissibile, non peccatum angeli. Quia homo per alium cecidit, alium debuit habere adjutorem et relevatorem; angelus vero non, quia cecidit per semetipsum ... Et sic patet, quod triplex est ratio, quare peccatum hominis remissibile fuit. Et istae tres concurrentes reddunt unam rationem integram. Inter has tamen praecipua est ratio, quae medio loco posita est, scilicet vertibilitas voluntatis post lapsum, per quam homo susceptibilis erat poenitentiae, mediante qua ad veniam poterat pervenire." *2. dist. 21. a. 3. q. 2.*

[6] „Peccatum primorum parentum ex quadam ignorantia dicente naturalem imperfectionem, non tamen poenam, ortum habuit, cum gravitatem culpae et poenae ignoraverint, et haec fuit magis in muliere, quam in viro." *2. dist. 22. a. 2. q. 1.* — „Nunquam in creatura rationali, secundum quod instituta fuit, judicium erroneum interveniret, nisi voluntas se in illo judicio immisceret: nunquam enim Adam praesumpsisset, vel de se praesumptuose judicasset, nisi amore voluntatis nimium sibi adhaesisset." *2. dist. 41. a. 2. q. 2. ad 6.*

CAPUT IV.

De primorum parentum punitione.

(Vir et mulier senserunt poenam rebellionis, — et incurrerunt poenam laboris et doloris, — mortis et incinerationis. — Mulieri poena fuit duplicata.)

De poena vero primorum parentum hoc est tenendum, videlicet quod vir et mulier statim post culpam senserunt poenam rebellionis et erubescentiae in carne; et ideo ad cooperiendum verenda fecerunt sibi perizomata. Postea vero divino judicio vir incurrit poenam laboris et angustiae, poenam famis et indigentiae, poenam mortis et resolutionis in cinerem. Juxta quod dicitur in Scriptura [a]: *Maledicta terra* [1] *in opere tuo (Gen. 3, 17).* Mulieri vero duplicata est poena, quia inflicta est ei [b] poenalitas multiplicium aerumnarum in conceptu, poena doloris in partu, poena quoque [c] subjectionis ad virum in convictu; ac per hoc, secundum quod apparet, satis graviter punitum fuit peccatum illud, scilicet ligni vetiti esus, licet fuerit faciliter perpetratum.

a) Dicit Scriptura ed. 1484.

b) Poena, quia inflicta est ei om. ibid.

c) Quoque om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum prin-

cipium sit providentissimum in gubernando, et rectissimum in praesidendo, nihil prorsus inordinatum dimittit in universo: et quia culpa recte ordinatur in poena [d] (convenientius enim injustus dolet in supplicio, quam laetatus est in delicto, quoniam melius est dolere damnum salutis, quam laetari in damno aequitatis); ideo statim in primis parentibus [e] dedecus peccati subsecutum est decus judicii [2], ut quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturae, caderet statim in ordinem justitiae [3]. Hic enim duplex ordo sic cuncta complectitur, ut quod ab uno ceciderit, statim [f] in alteram differentiam relabatur [4].

d) Ad poenam ibid.

e) Peccantibus ibid.

f) Statim om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

Quoniam ergo uterque parens superbiendo in mente et gustando in carne, inobediens fuit suo [g] superiori, justo Dei judicio factum est, ut sibi fieret inobediens suum inferius, et maxime quantum ad partes illas, secundum quas est conjunctio utriusque sexus, quae sunt membra virtuti generativae deservientia. Et quia hoc inerat eis non ex natura, sed ex propria culpa; ideo erubescebant et cooperiebant se [h] [5]. Rursus, quia vir, spreto summo delectabili, quaesivit in carne delectari; ideo justo Dei judicio inflictus est ei labor et defectus, famis et sitis [6].

g) Suo om. ed. 1484.

h) Se om. ibid.

Postremo, quia propter bonum carnis separari elegit a bono mentis; ideo [i] justo Dei judicio anima invita separatur a carne per mortem [7] et incinerationem [8]; ac per hoc, sicut Deus dederat homini, secundum ordinem naturae, corpus subjectum animae, propagabile sine libidine, vegetabile sine defectione, immutabile sine morte interveniente; sic, homine peccante, secundum ordinem justitiae factum est, ut subtraheret cetera praedicta et infligeret opposita [9], ut sic culpa non remaneret impunita et inordinata, quod nequaquam pati debet divina providentia. Et quoniam peccatum a muliere exordium sumpsit; ideo poena ejus debuit duplicari. Quia igitur in mente superbiens fuit, subjectionem incurrit: quia lignum ad vescendum suave vidit et appetiit, dolorem incurrit: postremo, quia fregit jugum obedientiae, incurrit vinculum et pondus multiplicis aerumnae. Et sic patet, quanto ordine divinae providentiae inflictae sunt viro poenae multiplices, et duplicatae in muliere, ut sic dedecus peccati non remaneret, seu [j] esset sine decore justitiae. Tanta est enim beatitudo justitiae, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere [10].

i) Ideo om. ibid.

j) Remaneret seu om. ibid.

Ad Caput IV.

[1] „Spinam et tribulum generari, ubi seminatur frumentum, hoc est in poenam peccati, et ex maledictione terrae, quae cum colitur, ut det fructum, unde homo sustentetur, potius producit, unde homo crucietur. Quod autem in locis multis generetur spina et tribulus, hoc non est poena, sed natura.“ *2. dist. 14. p. 2. dub. 2.*

[2] „Malum ex accidenti facit ad decorem universi ratione subjecti, quod ordinatur in poenam oppositi, cujus decor magis clarescit ex praesentia mali et boni eliciti.“ — „Ad hoc notandum, quod circa hoc diversi diversa senserunt. Dixerunt enim aliqui, quod est loqui de malo, ut est in potentia facientis, et ut est in opere, sive in facto. Si loquamur, ut est in potentia facientis, sic voluerunt dicere, quod posse malum facere erat de perfectione universitatis, quia creatura debebat fieri, quae posset peccare, et posset abstinere, ad hoc quod universum perfectum esset, sicut de libero arbitrio dicitur. Si loquamur de malo, ut est in facto esse, sic dicunt, quod nullo modo spectat ad complementum universi, nec per se, nec per accidens. Sed cum auctoritates dicant contrarium, quod ex ordinatione mali ad bonum, quidam decor resultat, sicut dicit Augustinus expresse *(lib. 3. de lib. arb. c. 5, 9, 11 et 12; lib. 11. de civ. Dei c. 18. 23)*, oportet aliter dicere. Ideo dicunt alii, quod decor universitatis, quidam est substantialis, sive quantum ad esse; quidam accidentalis, sive quantum ad bene esse. Quantum ad primum, mala non faciunt ad decorem, nec per se, nec per accidens; sed quantum ad aliquem decorem accidentalem mala bene ordinata faciunt, non quia mala, sed quia bene ordinata; et ita per accidens, sicut per accidens ordinantur: et illo decore circumscripto, adhuc esset universum decorum et perfectum, quamvis hunc decorem non haberet. Ad hunc decorem faciunt mala non ratione sui, sed ratione subjecti, quod ordinatur in poenam ad divinae justitiae

manifestationem; vel ratione oppositi, cujus decor magis clarescit ex praesentia mali, sicut opposita juxta se posita magis elucescunt, sicut communiter dicitur; vel ratione boni eliciti, multa enim bona Deus fecit, et facta sunt, quae non essent facta, nisi peccatum praestitisset occasionem, sicut illa, quae gesta sunt in nostra reparatione; tamen sine his omnibus esset universum completum. Si vero quaeritur, utrum tunc esset pulchrius, quam nunc, sic responderi potest, quod se habent sicut excedentia et excessa, sicut duae facies, in quarum una nulla est macula, in altera est cicatrix aliqua bene sita, quae videtur faciem venustare. Et si ultra procedas, quis decor magis excedit, potest dici sine praejudicio, quod decor, qui nunc est. Et ratio hujus est, quia vis divina eliciens bonum ex malo, praepotens est malo; et ideo bonum, quod inde elicit, praevalet bono, quod malum corrumpit: et ideo plus valet universum nunc, quam valuisset tunc, in quo nunc modo commendatur sapientia Creatoris. Unde Gregorius in benedictione cerei paschalis: O felix culpa, quae talem meruit habere Redemptorem. Et exemplum est de scypho sano, qui frangitur, et religatur filo argenteo, vel aureo, quia melior est post, quam ante, non ratione fractionis, sed ratione religationis. Et si quaeras a me, nonne melius esset, si omnes essent beati, quam quod quidam beati et quidam miseri? Dicendum (sicut credo) si homo stetisset, non pervenissent plures ad Jerusalem supernam, quam sic perventuri sunt. Unde mali quasi ex abundanti sunt, nec sunt in computatione." *1. dist. 46. a. 1. q. 6.*

[3] „Duplex est ordo, scilicet naturae et justitiae. Ordo naturae est institutus, ordo justitiae est acquisitus. Malum autem privat ordinem specialis naturae, et illum privando, incurrit in ordinem justitiae, quia offendit; unde ratio ordinandi, sicut dispositio in ordine justitiae, est meritum, vel demeritum." *1. dist. 46. a. 1. q. 5.*

[4] „Differt triplex ordo in creaturis, quia per justitiam fit ordinatio remunerationum et meritorum, per sapientiam vero ordinatio partium ad se invicem, per bonitatem vero ordinatio rerum in suum finem." *2. dist. 30. a. 1. q. 1. fund. 1.*

[5] „Absque dubio inter ceteras potentias sensuales maxime corrupta est vis generativa. Unde, sicut communiter consuevit dici, aliae vires solummodo dicuntur corruptae; ista vero corrupta dicitur et infecta propter concupiscentiae pruritum et vehementiam, quae residet in ipsa. Ratio autem, quare magis inficitur vis generativa, quam alia potentia, sumitur ex hoc, quod ipsa est vis non solummodo deserviens personae, sed etiam deserviens naturae. Et ideo originalis corruptio, sive vitium, quod inest naturae ex corruptione personae, per prius respicit illam potentiam, quam aliam; deservit autem vis generativa naturae, in quantum per ipsam fit transfusio seminalis in prolem. Et quoniam in illo semine est radix infectionis et corruptionis; hinc est, quod illa vis, quae est illius seminis administrativa, plus habet in se de infectione et corruptione originali. Et rursus, quia potentiae generativae in nobis junctus est sensus, et potentia sensitiva respicit ipsum hominem in se, quodammodo habet vis ista deservire personae. Et quoniam inter omnes sensus tactus est maxime materialis, et apprehendens cum majori adhaerentia sensibilitatis ad sensibile, et haec maxime viget in membris genitalibus ratione multitudinis nervorum; hinc est, quod modica corruptio ratione magnitudinis sensus plus inficit illam potentiam, quam inficeret aliam, et propterea maxime in ea regnat pruritus et concupiscentia. Et quia post sensum tactus sensus gustus est maxime materialis inter alios; hinc est, quod inter alias vires magis sentitur inordinatio circa actum nutritivae, sive gustativae. Ex hac igitur ratione duplici una colligitur ratio sufficiens, quare anima per vitium originale plus inficitur in generativa, quam in alia potentia." *2. dist. 31. a. 1. q. 3.*

[6] „Deus de paradiso hominem ejecit aequo judicio, ita quod simul fuit ibi misericordia et veritas. Veritas namque fuit ibi, quia sicut angelus de paradiso caelesti ejectus est, quia ibi peccaverat, et se indignum illo loco reddiderat; sic et homo de amoenitate paradisi terrestris ejici debuit. Misericordia etiam ibi fuit, ut homo in loco majoris calamitatis existens, et sciens se extra paradisum terrestrem esse, quasi exulem in mundo seipsum reputaret, et praesentem vitam contemnendo ad bona invisibilia assurgeret, et illa desideraret, et sic ad illa perveniret. Si enim temporalia amaret, impediretur, ne spiritualia apprehenderet; et si nunc amat corruptus concupiscentia, quando est in valle miseriae, quanto magis tunc amaret, si esset in illius paradisi amoenitate, postquam morbo concupiscentiae corruptus esset? Tanta enim ex tunc adhaerentia quieti temporali inhaereret, ut nunquam aeternam requireret. Et ideo cum eo est actum misericorditer et juste." *2. dist. 29. dub. 3.*

[7] „Quaedam animae separantur a corpore separatione diffinitiva sive finali, quaedam vero separantur a corpore ad tempus propter gloriae Dei manifestationem, sicut est in illis, qui resuscitantur ad statum vitae praeteritae, sicut fuit in Lazaro et in aliis mirabiliter suscitatis. Quae primo modo separantur, ingrediuntur novum statum: quae vero secundo modo separantur, secundum divinam dispositionem adhuc a statu suo retardantur. Unde primae, nisi obstet reatus peccati, statim efficiuntur impassibiles, nec unibiles sunt corpori passibili, quamvis secundae per divinum miraculum aliquando habeant conjungi." *3. dist. 21. a. 2. q. 1. ad 2.*

[8] „Nulla unquam justitia absolvit hominem a debito mortis, pro eo quod omnis justitia, quae est in nobis, respicit voluntatem, et est personalis; mors vero est poena naturalis: et ita per nullam justitiam dignus est homo a morte absolvi, nec Deus sua benignitate aliquem a morte liberavit, tum propter illius sententiae firmitatem, qua dictum est in Genesi *(3, 19): Pulvis es, et in pulverem reverteris etc.;* tum etiam ut fides locum habere possit." *2. dist. 33. dub. 4.* — „Eadem lege, qua divina justitia non patitur innocentem puniri et mori, non patitur etiam malum remanere impunitum. Et ideo divinum decretum fuit, quod si homo mandatum Dei transgrediendo peccaret, et ipsi auctori suo inobediens existeret, spiritus carnis dominium amitteret; et sicut voluntas a Deo recesserat, sic anima invita corpus ipsum desereret, et dissolutum in suam originem, unde sumptum erat, rediret." *2. dist. 19. a. 2. q. 2.*

[9] „Sicut enim in peccato duo sunt, conversio scilicet ad bonum commutabile et aversio a bono incommutabili; ita e contrario in poena duo sunt iis correspondentia,

scilicet flagellum sensibile contra conversionem, et gratiae subtractio contra adversionem.“ *Expos. in Lament. Jerem. c. 1. v. 1.*

[10] „Mira in hoc Dei justitia ostenditur, quae tantam servat justitiam, ut ordinem institutum nullo modo infringat, et tantum peccatum odit, ut propter peccatum quos carissimos reputavit, abjiciat. Unde credo, quod tam spectandum monstrum divinae severitatis in angelo nobilissimo, et in primo homine, quorum utrumque propriis manibus plasmavit et decoravit, Deus nobis infirmis proposuit et ostendit, ut discamus quantum Deus odit peccatum, et maxime superbiam, quod pro uno motu cordis nobilissima creatura omnium creaturarum aeternaliter et sine spe veniae est damnata; et pro uno esu pomi et ipse Adam et tota posteritas usque ad finem mundi est mortalitati et multiplici poenalitati subjecta, et *nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus (Isa. 1, 9).* Ex his efficacissimum relinquitur argumentum, quod *horrendum est incidere in manus Dei viventis (Hebr. 10, 31).* Si enim Deus non pepercit *(2. Petr. 2, 4)* nobilissimo angelo superbienti, quid erit de vilissimo cinere et abjectissimo in altum se extollenti, cum jacere debeat in cinere et cilicio, imo in ipso sterquilinio?“ *2. dist. 6. a. 1. q. 1. ad 4.*

CAPUT V.

De originalis peccati corruptione.

(Peccatum originale corrumpit hominem immediate, per privationem originalis justitiae: — mediate, in anima, per infirmitatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam; — in corpore, per rebellionem, corruptionem et mortem; — in altera vita, per poenam damni — et sensus.)

Post lapsum primi parentis dicenda sunt aliqua de traductione [a] peccati originalis. Circa quod primo considerandus est modus corruptionis, secundo modus traductionis, tertio modus curationis. Modus autem, quo genus humanum per originale peccatum corrumpitur, hic est (I). Nam quilibet per concubitum generatus, nascitur natura filius

a) Ita BCDE FGH et editt. Arg. Aug. Ven. et 1484. Cfr. infra c. 8. init.: Postquam autem dictum est de traductione peccati originalis. Ed. Rom. habet: corruptione.

(I) Triplex est error circa originale peccatum, quorum primus, quoad ejus existentiam, est Pelagianorum, alter vero quoad ejus essentiam, et tertius quoad ejus effectus sunt Lutheranorum et Jansenistarum. Ad singulos descendamus.

Cum Pelagiani, uti jam vidimus *cap. XI part. II,* negarent Adamum a gratia elevatum fuisse, eumque in statu naturae purae, scilicet sine peccato et sine gratia conditum assererent, pronum fuit ipsis inferre eum nunquam e gratia excidisse, ideoque sibi soli per transgressionem divini mandati nocuisse, non vero suis posteris, nisi malo exemplo. Negarunt proinde ipsum peccatum propagatione transfundi, sed tantum imitatione; mortem ceterasque humanae vitae miserias defectus esse naturales, concupiscentiam autem bonum naturae censuerunt, quae omnia Adam, etsi nulla labe unquam infectus fuisset, in se fuisset expertus. Nulla insuper ipsum Adamum indiguisse reparatione, nullam dari gratiae necessitatem, nullamque vim et efficaciam in se habere sacramenta, et demum Baptismum necessarium minime esse parvulis ad alicujus peccati remissionem, sed tantum ad adoptionem filiorum Dei obtinendam, et ad jus consequendum ad caeleste regnum effutierunt. Argumentis tandem S. Augustini pressi, hominem ex lapsu Adae mortem corporalem, non tamen peccatum, contraxisse docuerunt. Porro haec tam execranda haeresis, quae totum fere catholicum systema evertit, perfrequenter in plurimis Conciliis damnata fuit. Hîc autem, quum contra errores circa originale peccatum versantes agatur, ceteris ad propria loca remissis, sint definitiones Conc. Tridentini, nempe *sess. V can. I*: „Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus *(Gen. 3, 3),* et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium *(Hebr. 2, 14),* hoc est, diaboli, totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse; anathema sit.“ Et *can. 2:* „Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse; et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae; anathema sit; cum contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt (Rom. 5, 12).*“ — Et *can. 3:* „Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, inest unicuique pro-

irae, quia privatus rectitudine originalis justitiae; propter cujus absentiam incurrimus, quantum ad animam, quadruplicem poenam, scilicet infirmitatem, ignorantiam, malitiam et concupiscentiam; quae quatuor inflicta sunt propter originale peccatum. Quas sane poenas spirituales comitatur in corpore multiplex poenalitas, multiplex defectus, multiplex labor, multiplex morbus et multiplex dolor. Ad has quoque [b] poenas subsequitur poena mortis et incinerationis, poena carentiae visionis Dei [c], et amissionis gloriae caelestis, non solum in adultis, verum etiam in parvulis non baptizatis; qui quidem parvuli poena mitissima inter ceteros puniuntur, quia solam poenam damni habent, sine poena sensus.

b) Quoque om. ACDEF GH.

c) Divinae ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium omnia agat a se, et secundum se, et propter se; necesse est esse optimum et rectissimum, ac per hoc piissimum et justissimum; et inde est, quod *universae viae ejus misericordia et veritas (Psalm. 24, 10),* sive judicium. Si enim Deus a principio hominem in tantis miseriis condidisset, nec pietas esset, nec justitia, quod tanta opus suum opprimeret miseria, nulla praecedente culpa. Similiter si tantis miseriis nos repleret, vel repleri permitteret sine culpa, nec pie, nec juste gubernaret nos divina providentia [1]. Si ergo certissimum est primum principium et in producendo et in providendo [d] rectissimum et clementissimum esse; necesse est, quod genus humanum taliter fecerit, ut a principio nulla esset in eo culpa [e] nec miseria [2]. Necesse est etiam, quod taliter administret, ut non permittat in nobis esse miseriam, nisi propter aliquam culpam praeambulam. Quoniam igitur certissimum est, quod a nostra origine multiplicem contrahimus miseriam poenae, certum est, quod omnes nascimur [3] *natura filii irae (Ephes. 2, 3);* ac per hoc privati rectitudine originalis justitiae, quam privationem vocamus originalem culpam (II) [4].

d) Et in providendo om. ibid.

e) Nec culpa ABCFG

Et quia omnis culpa dicit recessum a bono incommutabili, et accessum ad bonum

prium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris D. N. J. C., qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo *(1. Tim. 2, 5; Col. 2, 14),* factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio *(2. Cor. 1, 30);* aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari; anathema sit; quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri *(Act. 4, 12)*". Unde illa vox: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Jo. 1, 29).* Et illa: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis (Gal. 3, 17).* — Et *can. 4:* Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit; quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus *(Rom. 5, 12): Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit."

(II) Lutherani et Jansenistae, ut superius diximus, male opinati sunt tum circa essentiam, tum circa effectus culpae originalis. Quoad primam, ut omittam haeresim Matthiae Illyrici, qui peccatum originale esse ipsam animam humanam in malum commutatam docuit, formale peccati originalis in fomite concupiscentiae constituerunt; et cum hic fomes per Baptismum non extinguatur, idcirco Lutherani docent peccatum originale per Baptismum non deleri, sed tantum tegi, vel etiam radi, ita ut non amplius imputetur; et proinde omnem culpam actualem nonnisi quamdam manifestationem, ac, ut ita dicam, evolutionem ipsius culpae originalis esse jactant. Hinc deducunt omnes actiones, imo etiam motus primo primi eorum, qui lavacro regenerationis non sunt abluti, totidem esse peccata, pariterque veluti peccata omnes virtutes morales gentilium traducunt. Porro contra ipsos Conc. Tridentinum *sess. V can. 5* definivit: „Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus,

commutabile; et recedere a bono incommutabili est recedere a summa virtute, veritate [f] et bonitate; accedere autem ad bonum commutabile est plus debito in illud per amorem tendere; hinc est, quod perdens originalem justitiam, incurrit infirmitatem [5], ignorantiam [6], malitiam et concupiscentiam [7]. Rursus, quia deserens bonum incommutabile propter bonum commutabile, efficitur indignus utroque; hinc est, quod ratione carentiae originalis justitiae perdit anima quietem temporalem in corpore per multiplicem corruptionem et mortem, et tandem separatur a visione lucis aeternae, amittendo felicitatem gloriae, tam in anima, quam in corpore (III).

f) Veritate om. ed. 1484.

Postremo, quia carentia hujus justitiae in nascentibus non est per motum voluntatis propriae, nec per actualem delectationem [8]; hinc est, quod originali peccato [g] post hanc vitam non debetur poena sensus in gehenna [9], pro eo quod non supra condignum, sed citra punit divina justitia, quam semper comitatur superabundans misericordia [10] (IV). Hoc credendum est sensisse beatum Augustinum *(de fide ad Petrum, c. 3.*)*, licet verba ipsius exterius, propter detestationem erroris Pelagianorum, qui aliqualem felicitatem eis

g) Peccato om. ibid.

sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat *(Rom. 6, 6—7; Col. 3, 5)*, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.“ Et S. D. idipsum docuerat his verbis: „Concupiscentia illa, quae post baptismum remanet, non habet rationem culpae, sed poenae; quia vero ad malum inclinat, potius vitiositas quam poenalitas appellari debet“ *(2. dist. 32. a. 1. q. 1. ad 3)*. Remanet autem, quia homini „est utilis talis stimulus propter exercitationem ad expellendam pigritiam, et propter humiliationem ad expellendam superbiam“ *(3. dist. 3. p. 1. dub. 1)*.

(III) Quoad errores circa peccati originalis effectus, Lutherani et Jansenistae, cum autumassent justitiam originalem, scilicet dona primo homini concessa, non esse gratiae beneficia, sed debita naturae humanae, et haec reapse homo per peccatum perdiderit, intulerunt hominem ipsum per lapsum non modo spoliatum gratuitis, verum etiam corruptum in essentialibus, sive in integralibus, ipsoque libero arbitrio destitutum fuisse. Ex his Iansenistae, alia procedentes via, eodem quo Lutherani recidunt. Siquidem hominem sub imperio esse vel gratiae vel concupiscentiae jactitant. Sub quonam vero ex hisce ipse sit, ex ejus operationibus dignoscitur. Quem autem imperium tenet concupiscentiae, ab ipso nonnisi gratia necessitans eruere valet. Qui e contra sub imperio gratiae vivit, de nullo timere debet. Ex qua tam execranda haeresi multa alia dogmata catholica evertuntur, ut gratiae sufficientis existentia, cultus externi necessitas et utilitas etc. Sed de his proprio loco dicendum. Cum autem et ipsi Jansenistae fateri cogantur ad coronam caelestem adipiscendam nonnisi per merita perveniri posse, et alioquin hominem libero arbitrio orbatum asserant, commenti sunt ad verum meritum constituendum esse sufficientem libertatem a coactione, nec requiri libertatem a necessitate. Porro contra utrosque est definitio Conc. Trid. *sess. VI can. 5:* „Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.“ Et specialiter contra Jansenistas, censura tertiae propositionis Jansenii, quae his verbis concipitur: „Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.“ Haec propositio damnata fuit ut haeretica ab Innocentio X in Bulla *Cum occasione*.

(IV) Nunc tamen prae oculis habenda est definitio Concilii Oecum. Florentini in *Decreto* unionis Graecorum, his verbis expressa: „Diffinimus . . . illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.“ Neque est praetereunda censura prop. 26 Synodi Pistoriensis: „Doctrina, — quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem *Limbi puerorum* nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur: — Perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpae et poenae, inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulantur Pelagiani, *falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa*.

*) Est autem liber hic a Seraphico laudatus non S. Augustini, sed S. Fulgentii Ruspensis, ut annotarunt editores Benedictini. *Opp. S. Augustin. t. 6. Appendix, p. 18 fol.*

h) Scilicet ibid. concedebant, aliud sentire videantur, ut enim h) eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum.

Ad Caput V.

[1] „Utrum corruptio, quam videmus in humana natura, insit ei ex suae conditionis primordio, an ex peccati merito. Et quod non insit ex suae conditionis primordio, sed ex peccati merito, videtur tam ex ordine divinae justitiae, quam ex ordine divinae sapientiae, quam etiam ex ordine bonitatis. Differt enim triplex ordo in creaturis, quia per justitiam fit ordinatio remunerationum et meritorum, per sapientiam vero ordinatio partium ad se invicem, per bonitatem vero ordinatio rerum in suum finem. Ex parte divinae justitiae arguitur sic: Nullus affligitur poena, nisi praecedat culpa; sed passio involuntaria in rationali creatura est poena; talis autem passio non fuit in homine, antequam praecesserit in eo culpa; igitur talis corruptio non fuit in humana natura a primordio suae conditionis, sed ex merito transgressionis.“ — „Item a summa aequitate justitiae nulla procedit curvitas, vel obliquitas; sed humana natura non solum corrupta est corruptione poenalitatis, verum etiam corruptione carnis, quae est corruptio culpabilis, quia videmus homines ex corruptione sibi indita inclinari ad malum; ergo nunquam a divina justitia processit, quod humana natura sit corrupta in sui primordio; ergo, si corrupta est, hoc est solum peccati meritum. Ex ordine autem sapientiae arguitur sic: Ubicumque est summa sapientia, ibi est summa pulchritudo, sicut exponit Augustinus *(lib. 6. de Trin. Dei, c. 10);* sed a summa pulchritudine nihil procedit foedum aut turpe, nihil quod rationalem offendat aspectum; sed in homine ratione utente sunt aliquae passiones connaturales, de quibus rationabiliter erubescit; ergo passio talis nunquam fuit in homine a sua prima origine, et fuit sic, vel merito transgressionis; ergo etc.“ — „Item ubicumque intelligitur sapientia, intelligitur summa veritas et summa aequalitas; sed a summa aequalitate nulla debet procedere improportionabilitas; sed duratio et conservatio corporis secundum statum praesentis miseriae est improportionabilis animae, quae est ejus forma, quia hoc est temporale, illud perpetuum; ergo nunquam humana natura sic producta fuit in sui primordio a summa sapientia; ergo videtur, quod in hoc cecidit ex propria culpa. Ex ordine divinae bonitatis arguitur sic: A summa bonitate nihil procedit, quod sit magis pronum ad malum, quam ad bonum, cum universa propter semetipsum summa bonitas operetur; sed *sensus et cogitationes hominum prona sunt ad malum ab adolescentia sua,* secundum quod dicit sacra Scriptura *(Gen. 8, 21);* ergo in illa corruptione, in qua est, non fuit humana natura a summa bonitate producta.“ — „Item nihil, quod procedit a summa bonitate, est dignum maledictione; sed multae sunt in nobis passiones dignae maledictione, propter quas tam Job *(3, 3),* quam Jeremias *(20, 14),* maledixit diei suae, in qua natus est; et in lege maledicebantur steriles mulieres *(Exod. 23, 26; et Deut. 7, 14);* ergo non videtur, quod humana natura in ea corruptione, in qua nunc est, creata sit a summa bonitate. Videtur igitur, quod in hanc corruptionem et statum devenit merito culpae, cum hoc sit contra ordinem bonitatis, sapientiae et justitiae, contra quem ordinem inconveniens est Deum aliquid facere.“ *2. dist. 30. a. 1. q. 1. fund.*

[2] „Deus non creavit hominem miserum, neque humanam naturam corruptam, sed per peccatum atque inobedientiam in calamitates est lapsus.“ — „Absque dubio natura humana in has tentationes dejecta est merito primae praevaricationis, non instituta a primordio suae conditionis; hoc enim veritas fidei praedicat, sacrae Scripturae auctoritas confirmat, rationis probabilitas manifestat. Fides hoc clamat, et dicit Filium Dei passum esse, ut nos a morte eriperet, in quam nos induxerat primus parens. Sacrae Scripturae auctoritas confirmat, quia dicitur *(Gen. 2, 17),* qualiter homo per culpam inobedientiae poenam mortalitatis incurrerit. Ratio autem hoc manifestat, tam ex ordine, qui respicit divinam justitiam, quam ex ordine, qui respicit sapientiam, quam etiam ex ordine, qui respicit bonitatem summam. Attendendum est tamen, quod ratio in inquirendo dupliciter potest procedere, aut prout est adjuta radio fidei, et sic procedit aspiciendo ad causas superiores; aut prout judicio proprio relicta est, et sic procedit respiciendo ad naturas et causas inferiores, acquirit enim scientiam per viam sensus et experientiae. Primo modo ratiocinantur doctores catholici et fideles circa ea, quae sunt fidei; et secundum hunc modum ratiocinandi multum est hoc consonum rationi, quod Deus in tanta miseria et calamitate, in qua nunc est, hominem a principio non fecerit, imo dicere contrarium magnae impietatis videtur esse piae et sanae menti. Secundo modo ratiocinandi processerunt philosophi, qui non aspexerunt in hominis conditione suum principalem auctorem, sed aspexerunt principia componentia et operationes, quas habet per virtutem naturae; et secundum hunc modum ratio potius discordat veritati catholicae, quam concordet. Et haec est ratio, quare philosophi, qui fuerunt tantae veritatis indagatores, non pervenerunt ad lapsus humani cognitionem; quia eis videbatur esse valde rationabile hominem sic fuisse conditum, cum tamen catholicis doctoribus non solum fide, sed etiam rationum evidentia, certitudinaliter ejus contrarium appareat esse verum.“ *2. dist. 30. a. 1. q. 1.*

[3] „Originale peccatum in omnibus, in quibus habet esse, reperitur aequaliter.“ — „Simpliciter unum est secundum speciem: in quolibet autem homine habet unitatem secundum speciem et secundum numerum.“ *2. dist. 33. a. 2. qq. 1. 2.*

[4] „De originali justitia dupliciter contingit loqui, aut in quantum dicit habitum quemdam regulantem naturam in statu innocentiae, aut in quantum dicit omnium virium rectificationem plenariam. Primo modo originalis justitia habet esse in sola ratione, et sic opponitur ei culpa; secundo modo non solum habet esse in ratione, sed etiam in viribus inferioribus.“ *2. dist. 24. p. 2. a. 3. q. 2 ad 3.* — „Sicut actuale peccatum non dicit omnimodam privationem, eo quod non

tantum dicit aversionem, imo etiam conversionem quamdam; non etiam dicit omnimodam boni privationem, imo relinquit aptitudinem et aliquem actum, privando circumstantiam circa ipsum; sic etiam in originali suo modo intelligendum est. Unde sicut non dicitur peccatum actuale esse in aliquo, ex hoc solo quod careat justitia, quia tunc lapis diceretur peccatum habere, sed ex hoc quod aliquam inclinationem habet ad aliquid, in qua cum deberet esse justitia, non reperitur; sic etiam originale peccatum dicitur esse in aliquo non solum quia caret justitia originali, sed etiam quia curvitatem habet, et necessitatem concupiscendi. Unde quemadmodum videmus in aegritudine corporali, utpote in paralysi, quod talis morbus inest ex quadam dissolutione virtutis, ita tamen quod non omnino privatur virtus motiva sicut in mortuo, sed aliquo modo manet, non potens membrum regere, et ita sequitur partim ex positione, partim ex defectu manus tremulatio; sic intelligendum est tam in actuali, quam in originali peccato. Quemadmodum si quis quaereret, quid esset peccatum carnis, dupliciter posset ei notificari, videlicet ratione inclinationis deordinatae, ut dicatur esse immoderatus appetitus rei tractabilis secundum carnem; et ratione privationis boni, ut dicatur esse privatio castitatis et continentiae: et utroque modo respondetur sic convenienter. Sic cum quaeritur, quid sit originale peccatum, recte respondetur, quod sit concupiscentia immoderata; recte etiam respondetur, quod sit debitae justitiae carentia: et in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum originale ratione ejus, quod est in ipso habens modum conversionis, altera vero ratione privationis." *2. dist. 30. a. 2. q. 1.* Vide quoque *Centil. p. 1. sect. 4;* et *De tribus tern. peccat. c. 3.*

[5] „Motus ad culpam diminuit habilitatem liberi arbitrii. Per peccatum enim non solum homo expoliatur gratuitis, sed etiam vulneratur in naturalibus." *2. dist. 28. a. 1. q. 1 ad 1.*

[6] „Triplex est causa, quare aliquis non videt visibile; aut enim non videt, quia non vult respicere; aut si vult, impeditur propter defectum organi, aut propter absentiam lucis: hoc manifestum est. Similiter in spiritualibus intellectus frequenter aliqua non intelligit, quia non vult considerare. Aliquando vero non intelligit propter impedimentum ex parte corporis, ut patet in phreneticis et stultis. Aliquando propter absentiam lucis, licet enim lux increata se non subtrahat quantum ad essentiam, vel quantum ad qualemcumque influentiam, subtraxit tamen se homini, cum peccavit, quantum ad influentiam perfectam: unde dicitur inflixisse ei ignorantiam. Unde sicut oculus in tenebris errat, sic hodie miser humanus intellectus. Cum autem plene restituetur in lucem, sicut oculus videre poterit omne visibile, sic intelliget omne intelligibile." *1. Proëm. dub. 5.*

[7] „Duo facit culpa, Deum enim offendit, et naturam laedit; et offendendo Deum, hominem gratia expoliat; et laedendo naturam, vulnerat naturalia." *4. in Proëm.* — „Naturalia in nobis et in primo homine, etsi eadem sint secundum substantiam, tamen infirmata sunt et vulnerata et deteriorata; et ideo non sequitur, quod tantum posse habeant, quantum habuerunt, quando natura erat instituta." *2. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 2. ad 2.* — Idipsum S. Doctor evincit ex celebri parabola hominis descendentis ab Jerusalem in Jericho, qui, uti habetur Lucae 10, 30, *incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* „Alia (doctrina), ita Seraphicus, etiam potest elici secundum sensum spiritualem, ut persona indigens ex miseria intelligatur genus humanum, quod in Adam peccante descendit ab Jerusalem in Jericho, id est, a paradiso in mundum, et incidit in latrones, id est, in potestatem daemonum, qui spoliaverunt eum gratuitis, et vulneraverunt in naturalibus, et reliquerunt semivivum, quia subtracta similitudine Dei, ad quam creatus est homo, remansit sola imago, ut vere possit dici illud: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus etc. (Ps. 48, 21)*; et rursus: *Verumtamen in imagine pertransit homo (Ps. 38, 7).* Illa tamen imago est despoliata propter aversionem, et vulnerata propter conversionem, secundum illud: *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas (Jerem. 2, 13).* Ideo spoliatur et vulneratur, secundum illud: *Cecidit corona capitis nostri: vae nobis, quia peccavimus. Propterea moestum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri (Thren. 5, 16—17).*" *Expos. in cap. 10. Luc. v. 30.* Vide *Centil. p. 2. s. 1—2.*

[8] „Absque dubio Deus imputat originale peccatum ipsis parvulis in demeritum, quia in reatum poenae, saltem poenae damni. Hoc autem exigit divinae potentiae altitudo, et divinae sapientiae pulchritudo, et justitiae rectitudo. Altitudo divinae potentiae hoc exigit, ob quam Deus semper debet quaerere gloriam suam et honorem; et ideo si anima rationalis honorem Deo non reddit, cum in se non habeat decus imaginis divinae, per quod Deus honorari habet, necesse est quod Deus dedecus culpae recompenset in decorem justitiae. Pulchritudo etiam sapientiae hoc requirit, quia non patitur aliquid turpe vel inordinatum reperiri intra universum. Et quoniam omne peccatum, sive sit actuale, sive contractum, est privatio modi, speciei et ordinis, necesse est quod inordinationem naturae recompenset Deus per ordinem poenae, ut sic pulchritudo universi ex nulla parte remaneat deturpata. Rectitudo etiam divinae justitiae hoc requirit, quia Deus id a creatura exigit, quod ei dedit. Quoniam igitur Deus humanam naturam in primo homine justam fecerat, voluntatis justitiam non solum a primo parente, sed etiam ab omnibus posteris, in quibus natura illa reperitur, debet exigere. In quocumque igitur est illius justitiae carentia, merito sibi imputatur a divina justitia." *2. dist. 32. a. 3. q. 1.* — „Deus non imputat parvulo peccatum originale ex hoc, quod non facit quod facere non potest; sed ex hoc quod non habet, quod habere debet. Et hoc bene imputatur homini, secundum illud Lucae *(19, 26): Omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.* Et Apostolus dicit: *(1. Cor. 14, 38): Ignorans ignorabitur.* Et Glossa in Matthaeo *(22, 12):* Ejectus fuit homo a nuptiis non solum propter enormitatem actualis praevaricationis, sed etiam propter carentiam vestis nuptialis, qua quia caret homo in originali peccato conceptus, nisi vestiatur in baptismate, non permittitur aulam superni regis intrare, exigente hoc illius supernae aulae dignitate." *Ibid. ad 1.*

[9] „Hic duplex est opinio. Quidam enim attendentes rigorem divinae justitiae ac sententiae, qua Deus pro uno modico mortali, in quo momentanea et quasi nulla fuit delectatio, hominem cruciat aeternaliter, dicunt quod parvuli cremabuntur igne materiali, longe tamen minus quam illi, qui peccaverunt peccato actuali ... Nec in hoc derogatur, ut dicunt, divinae misericordiae, quamvis plus manifestetur via justitiae quam misericordiae, pro eo quod minus malum est in tali poena esse, quam omnino non esse, cum non sit ibi tanta boni privatio, sicut manifestat Aug. in lib. de libero arbitrio. Et hoc dicunt esse conveniens, ut sicut in originali peccato erat carentia debitae justitiae et concupiscentia, sic etiam in poena esset carentia visionis Dei, et afflictio ignis aeterna. Sed cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam dure et tam aspere agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpae, nec mortem naturae, praesertim cum videamus Deum cum impiissimis et sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere; ideo est alia positio mitior, quae magis concordat pietati fidei et judicio rationis, quod quia parvuli decedentes cum originali carent justitia et Spiritus sancti gratia, quae est pignus haereditatis aeternae, privantur in aeternum Dei visione; quia vero in carne fuit foeditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali; sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt poenae ignis acerbitatem. Hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter.“ *2. dist. 33. a. 3. q. 1.*

[10] „Animae parvulorum carebunt actuali dolore et afflictione, non tamen carebunt cognitione. Et illud potest satis rationabiliter intelligi per hunc modum. Decedentes enim in solo originali quasi medium tenent inter habentes gratiam, et culpam actualem; et quoniam status retributionis respondere debet statui vitae praesentis, in tali statu debent animae parvulorum poni, ut quasi medium teneant inter beatos, et aeternis ignibus cruciatos. Quoniam igitur beati carent malo poenae sensibilis, et cum hoc habent Dei visionem, damnati e contrario sunt in tenebris, et puniuntur poena sensibili; parvuli secundum rectum ordinem divinae aequitatis debent communicare in uno cum damnatis, et in alio cum beatis; sed non possunt communicare cum beatis in habendo divinam praesentiam, quia tunc in nullo communicarent cum damnatis, praesentia enim visionis Dei non stat cum poena sensibili; ideo cum beatis communicant in hoc, quod carent omni afflictione exteriori vel interiori, cum damnatis vero in hoc, quod privantur visione Dei et lucis corporalis. Parvuli igitur sic divino judicio justo inter beatos et simpliciter miseros quasi in medio constituti hoc noverunt, ut tamen ex una parte consideratio generet desolationem, ex altera consolationem; ita aequa lance divino judicio eorum cognitio et affectio libratur, et in tali statu perpetuatur, ut nec tristitia deficiat, nec laetitia reficiat, sed in hoc mirabilis ostenditur ordo divinae sapientiae, quae cuncta novit suis locis disponere, et ad sui gloriam ordinare. Nam sicut in beatis potissime manifestatur misericordia, et in damnatis potissime claret justitia, sic in istis manifestatur misericordia simul et justitia. Et ex hoc patet, quod non facit frustra Deus animas, quas novit de corpore ante susceptionem baptismatis egressuras. Omnia enim facit Deus ad gloriam suam manifestandam.“ *2. dist. 33. a. 3. q. 2.*

CAPUT VI.

De originalis peccati transfusione.

(Culpa Adae transfunditur ad animas posterorum, mediante carne, — salva divina justitia. — Persona Adae corrumpit naturam: — natura corrupta corrumpit personas.)

Modus autem traductionis culpae originalis videtur esse talis [a]; quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa ab anima Adae transit ad animas posterorum, mediante carne per concupiscentiam generata; ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adae, et prona effecta ad libidinem, sic caro [b] per libidinem seminata, et secum trahens infectionem vitiosam, inficit et vitiat animam; quae quidem infectio vitiosa [c] in anima non tantum est poena, sed etiam culpa [1]. Et sic persona corrumpit naturam [2], et natura corrupta corrumpit personam, salva in omnibus divina justitia, cui nullo modo potest [d] imputari infectio animae, licet eam creando infundat, et infundendo uniat cum carne infecta.

a) Hic est ed. 1484.

b) Caro om. BCDEFIIH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

c) Vitiosa om. ABCEF et ut supra.

d) Poterat ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium fecerit hominem ad imaginem suam propter sui ipsius expressionem, sic eum condidit ex parte corporis, ut omnes homines propagarentur a primo homine [3], tanquam ab uno radicali principio; sic ex parte animae, ut propter expressam similitudinem tam in essendo et durando, quam intelligendo et amando, immediate emanarent omnes spiri-

tus rationales ab ipso Deo, tanquam a primo principio et immediato [4](I). Et quoniam spiritus, tanquam excellentior, magis accedit ad primum principium, sic condidit Deus hominem, ut spiritus praeesset corpori, et corpus subesset spiritui creato, quandiu ille subesset spiritui increato; et e contra, si spiritus non obediret Deo, justo Dei judicio, corpus suum inciperet sibi rebellare. Quod et factum est, cum Adam peccavit. Sicut igitur si Adam stetisset [e] in obedientia Dei, corpus suum spiritui obediens esset, et tale ad posteros transmitteret [5], et Deus illi [f] animam infunderet [6] ita, quod unita corpori immortali et sibi obedienti, haberet ordinem justitiae et immunitatem omnis poenae; sic ex quo Adam peccavit, et caro facta est rebellis spiritui, oportet, quod talem ad posteros transmittat [7], et quod Deus secundum institutionem primariam animam infundat [8]; anima vero, cum unitur carni rebelli, incurrit defectum ordinis naturalis justitiae, quo debebat omnibus inferioribus imperare [9]. Et quia anima carni unita est, oportet, quod ipsam trahat, et trahatur ab ipsa [10]; et quia ipsam non potest trahere tanquam rebellem, necesse est, ut ab ipsa trahatur, et incurrat morbum concupiscentiae [11]; et sic incurrit simul [g] carentiam debitae justitiae, et morbum concupiscentiae. Ex quibus duobus, tanquam ex aversione et conversione, dicitur integrari, secundum Augustinum et Anselmum, peccatum originale [12]. Quoniam igitur ordinatissimum fuit, quod natura humana ita conderetur, et quod condita sic propagaretur, et quod peccans ita puniretur, sicut praedictum [h] est prius, ita quod in conditione servatur ordo sapientiae, in propagatione ordo naturae, in punitione ordo justitiae; patet, quod non est contra divinam justitiam, si ad posteros transmittitur culpa [13]. Rursus, quia culpa originalis peccati in animam transfundi non posset, nisi poena rebellionis in carne praecederet, et poena non esset, nisi culpa praecessisset, nec culpa praecessit a voluntate ordinata, sed inordinata, ac per hoc non a voluntate divina, sed a voluntate humana; patet, quod originalis culpae transfusio est a peccato primi hominis, non a Deo, non a natura condita, sed a vitio perpetrato. Et sic verum est, quod dicit Augustinus *(de fide ad Petrum, c. 2. § 16),* quod peccatum originale non transmittit ad posteros propagatio, sed libido [14].

e) Ed. Rom. addit: in obedientia Dei, quod om. ABCDE FGH et ed. Arg. Aug. Ven. et 1484.

f) Sibi ed. 1484.

g) Similiter ibid.

h) Dictum ibid.

(1) Huic doctrinae adversatur Traducianismus spiritualis, qui etiam Generatianismus dicitur. Hic error antiquus est, et in eo situs est, ut anima ex anima ortum habeat, „sicut caro ex carne, ait S. D. *2. dist. 18. a. 2. q. 3,* et sicut ab una candela accenduntur multae, sic ab una anima per sui multiplicationem absque diminutione vivificantur multa corpora.“ Verum non omnes eodem modo hanc originem explicant; quin imo nec desunt hujus erroris defensores, qui ultro fatentur hunc modum a nobis ignorari. Frohschammer, in libro, quem inscripsit *Defensio Generatianismi,* ab Apostolica Sede an. 1857 damnato, hunc Traducianismum instaurare conatus est. Juxta ipsum „generatione parentum homo secundum corpus et animam oritur vi potestatis creandi secundariae, quae naturae humanae immanens, et in prima rerum origine a Deo collata est ... Itaque generatio est actus creationis naturae humanae, est creatio ex nihilo, per potentiam secundariam a Deo humanitati collatam.“ In ejus igitur sententia parentibus inest potestas creandi animas filiorum. Porro quamvis Traducianismus spiritualis doctrina haeretica censendus non sit, quia nulla adhuc quoad hoc definitio formalis Ecclesiae extat; nihilo tamen secius est doctrina erronea, quae contra se habet communem Ecclesiae Catholicae doctrinam. Eam confutatam reperies apud S. D. *loc. cit.,* qui, inter cetera, hoc dilemmate adversarios perstringit: „Si anima est ex anima; aut ergo ex toto, aut ex parte. Ex parte non, quia anima est simplex. Si ex toto; ergo, cum aliquis generet aliquem, cum det ei totam animam suam, desinit habere animam, et desinit vivere; quod si hoc est manifeste falsum; ergo patet etc.“

AD CAPUT VI.

[1] „Humana natura in omnibus hominibus seminaliter descendentibus ab Adam non modo poenaliter, sed culpabiliter quoque est corrupta, et hoc merito primae transgressionis.“ — „Absque dubio tota massa, hoc est natura humana, in omnibus hominibus seminaliter ab Adam descendentibus corrupta est, non solum poenaliter, sed etiam culpabiliter; hoc enim manifestat visionis Dei carentia, rationalis erubescentia, concupiscentiae praedominantia. Carentia visionis Dei hoc manifestat, quia nullus debet aeterno bono, ad quod factus est, privari, nisi in se habeat aliquid, per quod indignus sit divino aspectui praesentari; tale autem non est nisi culpa. Si igitur omnes, quotquot sunt, visione Dei privantur, nisi per baptismum fluminis vel flaminis renascantur, planum est, quod omnes, quotquot sunt, contrahunt ex sua origine culpam. Erubescentia etiam rationis hoc manifestat, nullus enim rationabiliter erubescit de his passionibus, quas habet a natura, nisi insint ei per aliquam culpam; sed omnis homo naturaliter erubescit ex genitalium membrorum motu. Ex hoc igitur colligitur et manifestatur, quod quilibet in seipso non tantum poenaliter, sed etiam vituperabiliter et culpabiliter est corruptus, quantum est de sua origine. Praedominantia concupiscentiae hoc evidentissime manifestat; certum enim est, quod tunc anima hominis est ordinata, quando spiritus est sub Deo, et caro et virtutes animales sunt sub spiritu, et sequuntur ejus imperium; ab oppositis igitur tunc anima hominis est perversa, quando caro et virtutes animales praesunt spiritui rationali. Et hoc quidem verum est de plano, non tantum modo secundum fidem, verum etiam secundum philosophiam. Sed in homine vigor concupiscentiae et lex membrorum, quam unusquisque habet a nativitate, captivat spiritum et ei praedominatur. Ex hoc igitur clarum et apertum est, quod anima cujuslibet hominis a nativitate perversa est et inordinata; sed sicut ordinatio in homine et rectitudo justitia est, sic perversitas et inordinatio culpa est; si igitur natura cujuslibet hominis per legem concupiscentiae perversa est a sua origine, in quolibet homine indubitanter ponendum est esse peccatum originale, quantum est de sua prima nativitate. Et de hoc nemo dubitat, nisi qui nescit, quantus sit vigor concupiscentiae, et qualiter spiritus rationalis Deo debeat subesse. Constat enim, quod non subest spiritus noster perfecte Deo, nisi diligat ipsum super omnia et propter se. Planum est etiam, quod nullus in statu naturae corruptae Deum diligit super omnia et propter se sine dono gratiae, imo necessario vincitur a vigore concupiscentiae, ut magis amet se, vel aliquod bonum apparens. Planum est igitur, quod anima cujuslibet hominis in sua nativitate peccatrix est, cum subversa et inordinata sit, sicut ostensum est. Et ideo dicit Apostolus in persona hominis lapsi *(Rom. 7, 23—25): Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in legem peccati.* Et exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?* Et respondet: *Gratia Dei per Jesum Christum.* Hanc igitur legem et ordinationem ad Deum si quis velit attendere, nullo modo dubitabit hominem esse peccatorem a sua nativitate; imo ita certum est, ut dubitari non possit de originali, sicut etiam nec de actuali. Hoc tamen ignoraverunt philosophi, et etiam aliqui haeretici, quia nescierunt attendere, in quo attenditur rectitudo animae et justitiae, et pro quanto anima dici debet ad Deum ordinata. Constat igitur, quod tota humana natura corrupta est non solum poenaliter, sed etiam culpabiliter . . . tum propter debitum ordinationis, quae debet esse in nobis, tum propter carentiam illius innocentiae, quam deberemus habere, tum propter praedominantiam concupiscentiae, per quam animae nostrae sunt inordinatae et injustae; et si injustae sunt et inordinatae, necesse est eas summae justitiae displicere. Patet igitur, quod tota humana natura corrupta est non solum poenaliter, sed etiam culpabiliter.“ *2. dist. 30. a. 1. q. 2.*

[2] „Potuit Adam totam naturam corrumpere, et culpabilem facere suo peccato, triplici conditione concurrente. Prima est, quia non tantum erat humanae naturae individuum, sed totius humanae naturae principium. Secunda est, quia non tantum fuit sibi datum mandatum sicut singulari personae, sed tanquam stipiti totius humanae naturae . . . Tertia, quia Adam innocentiam et immortalitatem susceperat pro se et pro tota sua posteritate, unde ipse innocens et immortalis generasset immortalem et innocentem. Quia igitur ipse erat omnium principium, et transgressus est mandatum, quod ei datum erat, secundum quod erat principium, et amisit illam justitiam et innocentiam, quam debebat omnibus posteris conservare; hinc est, quod per ipsum originali justitia sumus privati, et in ejus infectione ceteri sunt infecti.“ *2. dist. 30. a. 1. q. 2.*

[3] „Cum Deus sit omnium causa immediata, quorumdam tamen est tota causa, sicut eorum, quae creantur; quorumdam autem est causa cum alia causa particulari, ut eorum, quae sunt a natura peculiari. Et haec quidem causa concurrit non propter indigentiam divinae voluntatis, sed propter summam liberalitatem, quae non tantum dedit rebus esse, sed et operationem et diffusionem; et propter ordinem et connexionem universi ad invicem. Nec una causa derogat alteri, sed totus effectus est a causa creata, et totus a voluntate infinita increata.“ *1. dist. 45. a. 2. q. 2. ad 1.*

[4] „Animae non seminantur, sed, formatis corporibus, a Deo creantur, et creando infunduntur, et infundendo producuntur; animarum enim creationem Deus sibi solum debuit reservare, tum propter earum dignitatem, tum propter earum immortalitatem. Propter animarum dignitatem, quia cum anima sit imago Dei, et nata immediate ferri in Deum, et beatificari in ipso, diligendo eum ex toto corde, totum suum esse immediate debuit ab ipso habere, ut ipsum ex toto corde teneretur diligere. Decuit etiam hoc propter animarum immortalitatem, cum enim solus Deus sit, qui habeat vitam in semetipso, et vitam indeficientem, solus est, qui potest producere principium vitae perpetuum. Cum igitur res incorruptibilis substantificari non possit in materia transmutabili, et operatio creaturae sit super materiam transmutabilem, impossibile est aliquam creaturam animam rationalem producere; et ideo

ejus productionem Deus sibi soli debuit reservare." *2. dist. 18. a. 2. q. 3.*

[5] „Quia principale principium propagationis residet penes virum, potestas servandi justitiam maxime penes virum residebat, et Deus hanc viro servandam commiserat; et ideo si vir non peccasset, posteri originali justitia non carerent. Ad illud ergo, quod objicitur de muliere, respondetur dupliciter. Vel quod homo tunc ex parte mulieris contraheret corruptionem poenalitatis, non corruptionem foeditatis, quae principaliter habet ortum ex parte viri; vel certe, quod probabilius videtur, vir mulieri commixtus amplius non esset, sic enim Deus aliam novam formasset, hoc salvo, quod sententia damnationis mortis et corruptionis permansisset in ea." *2. dist. 22 dub. 1.*

[6] „Omnium hominum non est unica anima, sed sicut diversi sunt homines, ita secundum veritatem et fidem diversae sunt animae." *2. dist. 18. a. 2. q. 1.* — „Animae humanae non sunt simul creatae, sed successive producuntur in suis corporibus." Et duplex est ratio. „Prima est, quod animae, cum corporibus uniuntur, originalem culpam contrahunt, et inficiuntur, ita quod nullam habent culpam actualem. Ergo in eis nec meritum nec demeritum potuit praecedere, nec liberi arbitrii usus, nec deliberatio veniendi vel non veniendi ad corpus. Alia vero ratio est, quia animae nostrae a sua prima origine sunt ignorantes, nec noverunt ista, quae per sensus addiscunt, non enim addiscere est reminisci . . . et ideo animae nostrae hac duplici de causa non possunt dici ante corpora productae, tum propter ignorantiam, tum propter originalem culpam." *Ibid. q. 2.*

[7] „Adam sic satisfacere non poterat, ut impediretur transfusio culpae originalis in posteritatem suam. Et ratio hujus sumitur et a parte ipsius Adae, et a parte gratiae, et a parte corruptionis naturae. A parte Adae, quia ipse debitor mortis erat, et dignus poenalitate et miseria; et ideo quamcumque mortem vel poenam sustineret pro transgressione sua, Deo satisfacere non poterat sufficienter. A parte vero gratiae, per quam satisfaciebat, ratio sumitur, quoniam illa gratia erat gratia poenitentialis, quae quidem respiciebat ipsam voluntatem personalem; et ideo per ipsam non curabatur morbus concupiscentiae, quae radicabatur in carne; et propterea quantumcumque satisfaceret, remanebat natura corrupta, et ita necessitas ad transfundendam originalem culpam. Ex parte vero naturae sumitur ratio, quia cum natura humana tota in ipso vitiata esset, tanti pensabatur illa corruptio naturae, quanti pretii est tota humana natura; et ideo quidquid Adam faceret, longe inferius esset eo, quod exigebat Deus ad tantae corruptionis et damnationis recompensationem; et ideo pro illa non poterat satisfacere. Posset etiam nihilominus assignari ratio ex parte divinae offensae, quae cum esset infinita, ratione ejus, quia est contra infinitum, non recipiebat recompensationem, nisi aliquis satisfaceret, qui esset infinite bonus. Et ideo non indocte dicunt aliqui, quod non solum satisfactio pro peccato Adae, sed etiam pro quocumque alio peccato, fundata est super meritum et satisfactionem Christi, in cujus fide et sacramentis Deus parcit quibuscumque parcit. Et ideo contingit omnes de plenitudine ejus accipere *(Jo. 1, 16)*, et *ipsum dedit caput totius Ecclesiae (Ephes. 1, 22)*, tam finalis, quam primitivae." *2. dist. 33. a. 1. q. 2.*

[8] „Decet divinam justitiam, prout dicit divinae bonitatis condecentiam, infundere animas corporibus propagatis ab Adam." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod justitia dupliciter consuevit accipi. Uno modo dicitur justitia ipsius divinae bonitatis condecentia. Alio modo dicitur justitia, prout considerat meritorum exigentiam. Si dicatur justitia divinae bonitatis condecentia, hoc modo decet divinam justitiam animam rationalem infundere carni ex Adam propagatae, tum ex hoc quod est rerum conditor, tum ex hoc quod est conservator, tum ex hoc quod est provisor, sive administrator. Conditorem enim decet appetitui naturae satisfacere; et ideo cum natura in Adam vitiata corpus format habens appetitum ad animam rationalem, ad divinae bonitatis condecentiam spectat illum appetitum supplere et perficere. Conservatorem etiam decet rem sic conservare, secundum quod nata est conservari. Si ergo species humana, quae in Adam inchoata est, nata est conservari per propagationem hominis ex homine, cum habeat homo corpus animale, nec possit in solis corporibus conservari absque animabus, ad divinae bonitatis condecentiam spectat, in quantum Deus est naturae conservator, animas corporibus infundere naturae legis propagatis. Gubernatorem etiam decet sic rem administrare, secundum quod instituit, et naturae suae indidit virtutem et potentiam ad movendum et operandum. Propter quod dicit Augustinus *(7. de civ. Dei c. 30)*: Sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat. Quoniam igitur Deus sic instituit humanam naturam, ut Adam praepararet corpora, et ipse illis corporibus animas infunderet, et iterum ipsum Adam instituit in statu mutabilitatis, in quo scilicet posset effici mortalis et immortalis; ex his duobus colligitur necessario, quod ad divinae bonitatis condecentiam spectat, in quantum est rerum administrator, quod animas talibus corporibus infundat. Si enim in primaria conditione sic instituit, et sic decrevit, ut corporibus propagatis ab Adam animas rationales infunderet, et iterum sic debet administrare res, ut eas agere proprios motus sinat, ut salva sit lex institutionis et lex administrationis, qualiacumque Adam corpora sibi propaget, dum tamen sint disposita ad animam rationalem, decet Deum animas his infundere. Nec ex hoc culpatur Deus in aliquo. Et est exemplum satis manifestum. Si promisissem alicui quotquot dolia faceret de aliqua arbore, implere ea vino, et radix illius arboris sic inficeretur, ut omnia dolia ex illa arbore facta vinum inficerent, quod illis infunderetur, non esset culpa mei infundentis vinum in talia dolia, quia ego facio, quod debeo, et promisi, sed ejus culpa est, qui radicem arboris infecit, et inepta dolia praeparavit. Et sic patet quod, secundum quod justitia dicitur divinae bonitatis condecentia, hoc exigit, videlicet ut animae talibus corporibus infundantur. Si autem justitia dicitur proprie, secundum quod respicit meritorum exigentiam, sic nulla est quaestio, utrum Deus animam tali corpori infundat juste, vel injuste. Justitia enim hic non respicit rerum conditionem, sed respicit retributionum distributionem. Aliud autem est animam creare et infundere, et aliud est pro meritis sibi retribuere. Cum enim eam creat, non considerat, quid anima meruit, sed

quod anima appetitui naturali uniri appetit. Posset tamen dici, quod etsi non sit assignare justitiam isto modo, secundum quod habetur respectus ad ipsam animam in se, contingit tamen reperire in comparatione ad demeritum Adae. Et hoc est, quod dicit Anselmus *(de concept. Virg. c. 27):* Si quis vir et uxor ad magnam quandam dignitatem et possessionem nullo suo merito, sed sola gratia provecti sunt, si crimen grave inexcusabiliter committant, et pro eo juste dejiciuntur, et in servitutem rediguntur, quis dicet filios, quos post damnationem genuerunt, eidem non subjacere servituti, sed potius ad bona, quae parentes amiserunt juste, gratis debere restitui? Tales sunt primi parentes et eorum filii, quos juste pro culpa sua de beatitudine in miseriam dejecti, in eodem generant exilio, de quibus tanto districtius debet esse judicium, quanto delictum eorum potest probari improbius. Haec ille. Sic igitur patet, quomodo decet divinam justitiam infundere animas corporibus propagatis ab Adam." *2. dist. 32. a. 3. q. 2.*

[9] „Originale peccatum, prout est vitium, inchoat a parte sensitiva, et ab ea ascendit ad partem rationalem, in qua solum, prout est culpa, reperitur peccatum originale." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui dicere voluerunt originale peccatum sic traduci et contrahi ab anima, ut primo insit animae ratione substantiae suae, quae primo carni conjungitur, et consequenter mediante substantia ab ipso potentiae inficiuntur, pro eo quod non uniuntur potentiae carni infectae nisi per unionem substantiae; et sicut una est gratia, quae reformat animam et ejus potentias, quae, inquam, dicitur una, quia primo respicit animae substantiam, ut dicunt; sic est unum originale, quod omnes potentias animae inficit et deordinat. Sed si istud quis ita intelligeret, quod per originale peccatum primo haberet infici substantia, quam potentia, ita quod originale insit animae non ratione potentiae, sed ratione ipsius substantiae unitae, hoc non videtur intelligibile; tum quia originale est carentia debitae justitiae, justitia autem, cum sit rectitudo voluntatis, est primo in voluntate; tum etiam quia originale est concupiscentia, concupiscere autem non est actus substantiae, nisi ratione potentiae; tum etiam quia in originali est deordinatio ipsius animae, deordinatio autem non est in anima nisi ratione potentiae, quia per ipsam solum potest ordinari et deordinari. Unde, sicut supra dictum est de gratia, quod ipsa respicit substantiam, non quia possit esse in animae substantia, circumscripta potentia, sed quia est in potentiis animae, secundum quod continuantur ad unam substantiam; sic et in proposito intelligendum est, ut originale peccatum dicatur substantiam animae respicere, quia inest potentiis non ex actibus propriis, sed prout continuari habent in una substantia animae, prout est unita carni infectae, ita tamen quod primo insit ipsa deordinatio potentiae, quam substantiae, non enim dicitur substantia ordinata vel deordinata, nisi ratione potentiae. Hoc ergo supposito, quod originale insit animae primo ratione potentiae, intelligendum est quod dupliciter est loqui de originali peccato; aut prout est culpa reddens animam Deo odiosam, aut prout est vitium deordinans ipsam potentiam. Primo modo accipiendo, proprie inest animae secundum liberum arbitrium, et maxime secundum voluntatem, ipsum enim solum est, secundum quod anima culpatur vel laudatur, cum est in actu, et secundum quod est culpabilis vel laudabilis a suo ortu. Secundo modo accipiendo, scilicet prout dicit vitium deordinans potentiam, sic quia fomentum istius deordinationis ortum habet a carne, et rationalis motiva curvari habet per appetitum, sive concupiscentiam sensitivae, quae ad illicitum impellit et movet, dicendum est quod peccatum originale, sive vitium, quod nascendo contrahimus, inest animae primo ratione partis sensitivae. Et sic patet responsio ad propositam quaestionem: patet et in parte responsio ad objecta. Concedo enim, quod originale, prout est vitium in nobis, primo inchoat a parte sensitiva, quia modus corrumpendi e contrario est in nobis, quam fuit in Adam. Ibi enim persona corrupit naturam, et ratio partem sensibilem, et voluntas carnem; sed cum e converso sit in nobis, originalis corruptio ascendit ad partem rationalem mediante portione sensibili, secundum quod est vitiositas, licet secundum quod est culpa, habeat esse in sola parte rationali, in qua est libertas arbitrii." *2. dist. 31. a. 1. q. 2.*

[10] „Potest intelligi peccatum originale contrahi ab anima per naturalem appetitum ipsius animae ad carnem, ita ut principalis ratio ponatur ex parte carnis, et appetitus ille naturalis sit causa sine qua non: et hoc quidem habet veritatem, et necesse est ponere. Nunquam enim caro posset animam inficere, nisi anima haberet naturalem colligantiam ad ipsam. Naturalis autem colligantia non est nisi per appetitum ipsius animae ad corpus, per quem anima adeo alligatur carni, ut, sicut dictum fuit supra, nisi virtutem habeat, per quam carnem regat, necesse habet deorsum ferri cum carne, ac per hoc captivari in servitutem peccati. Propter hoc simpliciter concedendum est, peccatum originale esse contractum, et nullo modo debet dici actum. Et hoc ipsum nomen indicat, quod dicitur peccatum originale, non actuale, dicitur naturale, non voluntarium." *2. dist. 31. a. 2. q. 2.*

[11] „Ad intelligendum autem, quo modo anima possit infici corruptione culpabili ex tali foeditate, haec tria supponenda sunt tanquam manifesta, quorum unum est, quod foeditas carnis potest facere carnem rebellem spiritui, quod patuit in Adam, qui post peccatum sensit carnis suae rebellionem. Secundum est illud, quod anima unita carni, propter conjunctionem ipsius ad carnem, vel trahit eam sursum, vel ab ipsa trahitur deorsum, propter vinculum, quod est ipsius carnis ad animam. Tertium est illud, quod anima propria virtute non potest regere carnem rebellem, nisi juvetur per divinam gratiam, secundum quod exclamat Apostolus: *Infelix ego homo etc. (Rom. 7, 24).* Ex his igitur tribus suppositis necessario sequitur, quod si anima tali carni unitur, ab ipsa trahitur deorsum, et per concupiscentiam incurvatur; sed animam incurvari non est aliud, quam eam perverti; perversitas autem in substantia rationali, quae est capax justitiae, non est aliud, quam injustitia et culpa. Ex hoc igitur clarum est, quod foeditas, quae est in carne, potest animam sibi unitam facere peccatricem. Et quia illa foeditas a primo parente traduci habet in omnes posteros genitos secundum legem propagationis; hinc est, quod mediante carne ad omnes transfundit originale." *2. dist. 31. a. 2. q. 1.*

[12] Vide *cap. praeced. not. 4.*

[13] „Quamvis Deus videret aliquod malum inde provenire,

non tamen debuit ordinem, quem requirebat divina sapientia, immutare. Eliciendo enim bona ex malis subsequentibus totum reducit ad ordinem sapientiae competentem, et dum ex magnis malis majora elicit bona, commendabilior redditur et potentia et sapientia et bonitas. Propter quod exclamat Gregorius et dicit: O felix culpa, quae talem meruit habere Redemptorem. Et ideo si quis velit attendere, quantum sit commendabilis Deus in operibus suis, non debet aspicere solum ad illud, quod praesentialiter videt, verum etiam ad antecedentia et futura; quia sicut pulchritudo metri non percipitur una syllaba, sed in versus integritate, sic pulchritudinem divinorum operum et laudabilitatem respicere non potest, qui respicit ea in parte." *2. dist. 32. a. 3. q. 2. ad 6.*

[14] „Libido tripliciter dicitur. Uno modo libido dicitur improba voluntas. Alio modo dicitur delectatio immoderata ... Tertio modo corruptio vitiosa, quam dicimus esse in semine, et etiam in virtute generativa, praeter actum generandi, secundum quam ipsa vis generativa dicitur esse corrupta et infecta. Omnibus his modis contingit libidinem esse circa actum generationis humanae, quoniam ibi est corruptio vitiosa et delectatio immoderata et voluntas improba. Sine prima tamen libidine, hoc est improba voluntate, contingit generari frequenter: sine secunda, hoc est immoderata delectatione, vix aut nunquam: et sine tertia nunquam, si sit generatio secundum legem naturae. Cum ergo dicitur, quod peccatum non transmittit ad posteros propagatio, sed libido, hoc non intelligitur de libidine primo et secundo modo, sed tertio." *2. dist. 31. a. 2. q. 3.*

APPENDIX.

Quum de peccati originalis essentia nihil adhuc definitum sit, in varias Theologi abiere sententias. Nonnulli enim ex Scholasticis, inter quos ipsemet Magister Sententiarum, ipsum constituunt in morbida quadam non carnis, sed animae, qualitate, ex corruptione tamen carnalis appetitus derivata. Quidam etiam, Pighius nempe et Catharinus, nil aliud esse dixerunt quam culpam protoparentis, qua ipse primo, ac deinde ejus posteri, rei constituti sunt. In horum igitur sententia non inest cuique suum originale peccatum, sed unum dumtaxat est peccatum, quo omnes peccatores fiunt, „licet fomes et concupiscentia, et similiter aliae poenae sint in diversis diversae *(Cathar. in opusc. de laps. hom. et pecc. orig.)*". Haec tamen opinio satis difficulter conciliari posse videtur cum Decretis Tridentini, *sess. V*, ubi profitetur peccatum Adae *propagatione transfundi*, et *esse unicuique* proprium. Verum receptissima est et communis apud Theologos sententia a nostro Seraphico Doctore in textu expressa, peccatum nempe originale esse privationem rectitudinis originalis justitiae. Quae definitio, uti patet, respicit peccatum non pro actione cum lege divina pugnante, ita enim acceptum est prima inobedientia ab Adamo, qui personam totius humani generis gerebat, patrata; sed pro eo, quod remanet in homine post actionem, et quo homo non peccans, sed peccator denominatur.

CAPUT VII.

De originalis peccati curatione.

(Curatur macula in mente, sed remanet infectio in carne: — curatur in parente, sed transmittitur in prolem: — curatur quantum ad reatum poenae aeternae, sed remanet quantum ad actum et motum concupiscentiae: — curatur culpa originalis, sed remanet poena temporalis.)

Postremo diligenter attende, quod modus curationis culpae originalis est iste [a], scilicet, quod sic curatur culpa [b] originalis [c], quod remanet poena temporalis, sicut patet in parvulis [d] baptizatis. Sic curatur quantum ad reatum poenae aeternae, quod remanet quantum ad actum et motum concupiscentiae. Sic curatur in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est per baptismum, transmittitur in prolem originale peccatum (I).

a) Ille ed. 1484
b) A culpa ibid.
c) Originalis om. ibid et ABCDEFG.
d) Pueris ed. 1484.

(I) Pelagiani, quos secuti sunt saec. XII Albigenses, et saec. XVI Anabaptistae, baptismi necessitatem non ad peccatum originale delendum, sed tantummodo ad adipiscendam adoptionem filiorum Dei, atque acquirendum jus ad regnum caeleste agnoverunt.

Lutherani autem, quum peccatum originale in fomite concupiscentiae reposuerint, qui etiam post baptismum remanet, effutierunt ipsum peccatum per baptismum minime remitti, sed tantum tegi, aut radi, vel etiam non imputari.

Porro contra utrosque est definitio Conc. Tridentini, *sess. V can. 5:* „Si quis per Jesu Christi Do-

e) Massa ibid.

Sic tollitur originalis peccati macula [1 e)], quod remanet sequela, cum qua oportet pugnare, quamdiu vivimus in hac vita; quia in nullo prorsus extinguitur concupiscentia per gratiam communem, quod dico propter Virginem beatissimam Mariam, in qua in conceptione Filii Dei extincta fuit per gratiam singularem.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia sicut infectio derivatur

f) Fuit ibid.

in omnes a principio creato, a quo fit [f)] propagatio corporum, et hoc a parte inferiori,

g) Primo principio ibid.

scilicet carnis; sic curatio fieri habet a principio [g)] increato, a quo fit infusio animarum, et hoc a parte superiori, scilicet mentis. Quoniam igitur ex parte mentis distinctio est

h) Omnibus ibid.

in hominibus [h)], ita quod secundum illam unus non propagatur ab altero, sed immediate exit a Deo, gratia curativa menti nostrae a Deo infusa respicit unumquemque, in quantum tenet rationem personae singularis et individuae, non in quantum tenet rationem productivi secundum virtutem naturae. Quoniam igitur originale peccatum est morbus inficiens personam pariter et naturam, personam in voluntate, naturam in carne; ideo sic curatur macula originalis in mente, quod remanet infectio et sequela in carne. Et quia homo generat, non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus in carne, non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis; hinc est,

i) Sic om. ex edit. cit. 1484.

quod quamvis [i)] baptizatus sit ab originali mundatus in se, transmittit tamen in prolem originale [2].

j) Motus autem deletis verbis actus et sive, ABC DEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

Rursus, quia reatus aeternae poenae respicit deformitatem mentis et personae, actus autem sive motus [j)] respicit inclinationem carnis [k)] et naturae; ideo transit originale

k) Carni ed. 1484.

per baptismum, quantum ad reatum [3], et remanet quantum ad actum [4 l)]. Postremo,

l) Transit originale per substantiam quantum ad reatum, ibid. male.

quia afflictio temporalis conditionem respicit ex parte carnis, cum caro remaneat semper subjecta cuidam infectioni, remanere debet semper [m)] subjecta poenalitati; et ideo sicut

m) Semper om. ibid.

poenalitas et corruptio per gratiam non aufertur [n)] a carne, sic sequela illa, sive con-

n) Auferuntur ibid.

cupiscentia [5] et languor membrorum, simul stare potest cum gratia curativa [6]. Et ideo quamvis paulatim minuatur, quia tamen radix non tollitur, nunquam omnino aufertur in viatore, nisi in beata Virgine per gratiam singularem [7 *)]. Quia enim Virgo concepit

mini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati radicem habet, sed illum dicit tantum radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem: qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur."

*) Neminem latet tempore Seraphici sententiam negantem Beatissimam Virginem ab originali peccato a primo instanti suae conceptionis praeservatam fuisse, ita invaluisse in scholis, ut vix ab ea recedere in publicis disputationibus quis auderet, etsi fortasse affirmantem sententiam teneret in corde. Quod et nostro Doctori contigisse satis manifeste eruitur. Quamvis enim in libris Sententiarum exponendis *(3. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 2)* pro opinione negativa conclusisset, attamen argumenta pro privilegio asserendo tam lucide ac subtiliter exposuit, ut ejus propensio pro eodem non obscure pateat. Quin imo Scotum ipsum praevenit, qui a Seraphico sua argumenta pro Conceptione Immaculata deprompsisse videtur. En igitur verba S. Doctoris in *quaest. cit.*: — „An anima beatae Virginis sanctificata fuerit ante originalis peccati contractionem." — „Et quod sic, videtur. Anselmus *de Conceptu Virginali (cap. 18)*: Decebat, ut illius conceptus fieret de matre purissima, ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi; sed major est puritas, ubi nec actualis, nec originalis culpa invenitur, quam ubi est aliqua earum; si ergo beata Virgo fuit purissima, non videtur quod contraxerit originalem culpam; ergo videtur, quod sanctificata fuerit ante originalem culpam." — 2. „Item Augustinus *de natura et gratia (cap. 36)*: De Matre Domini, cum de peccatis agitur, nullam volo prorsus habere quaestionem; ergo non videtur in ea fuisse peccatum nec actum, nec contractum." — 3. „Item ratione videtur. Honor matris refertur ad filium, ut dicit Damascenus *(l. 4 de fid. orth. c. 17)*; sed omnis honor matris debetur Filio gloriosae Virginis, maxime

eum, qui erat expiatio omnis culpae; ideo data fuit sibi gratia singularis, qua extincta fuit in ea radicitus omnis concupiscentia ad concipiendum Dei Filium absque omnis

quantum ad immunitatem peccati; si ergo ad honorem filii spectat habere matrem puram et sanctam; videtur quod Mater Christi immunis fuerit ab omni culpa, tam originali, quam actuali." — 4. „Item, si est ponere extrema, convenit ponere medium; sed convenit ponere habentes originale peccatum in anima et in carne, sicut filii Adam habent communiter, convenit invenire carentem in anima et carne, sicut in Christo; ergo convenit reperire medium, scilicet habentem in carne et non in anima, vel in anima et non in carne; sed habere in anima et non in carne est impossibile, quia originale ortum habet a carne, anima enim non traducitur, sed caro; restat ergo, quod aliqua persona fuit, quae haberet originale solum in carne et non in anima; haec autem fuit illa, quae maxime accedit ad Christum puritate; et haec est Virgo Maria; ergo etc." — 5. „Item sanctificatio beatae Virginis superexcellit sanctificationem aliorum Sanctorum; ergo cum beatus Joannes sanctificatus fuerit quantum ad nativitatem ex utero, quam Ecclesia celebrat; videtur quod Virgo Maria non tantum sanctificata sic fuerit, sed etiam in quantum ad nativitatem in utero; sed nativitas in utero est in animae infusione; ergo beata Virgo in instanti infusionis animae sanctitatem habuit divinae gratiae; ergo nunquam habuit infectionem originalis culpae." — 6. „Item possibile fuit gratiam dari animae beatae Virginis in primo instanti suae creationis; sed congruum est ponere, quod animae illi id Deus dederit, quod congruebat ei suscipere; ergo videtur, quod in primo instanti suae conceptionis dederit ei gratiam; ergo cum gratia non possit simul stare cum culpa, aut gratiam perdidit, aut originalem culpam non contraxit; sed non est dicere, quod gratiam perdidit; ergo videtur esse dicendum, quod non habuit culpam originalem." — „Quidam voluerunt dicere in anima gloriosae Virginis gratiam sanctificationis praevenisse maculam peccati originalis. Rationem autem hujus assignant; quia decebat animam gloriosae Virginis sanctificari excellentissime super animas aliorum Sanctorum, non solum quantum ad abundantiam sanctitatis, sed etiam quantum ad accelerationem temporis; ideo in instanti suae creationis fuit sibi gratia infusa, et in eodem instanti anima infusa est carni. Et quia *omnium mobilium mobilior est sapientia (Sap. 7, 24)*, et nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, et multo potentior est gratia, quam natura; hinc est, quod effectus gratiae sanctitatis magis praevaluit in carnem, quam effectus foeditatis in animam; et ideo culpam non contraxit. Haec autem positio videtur posse fulciri multiplici congruentia; tum propter Christi praecipuum honorem, quem decebat de matre purissima fieri; tum propter Virginis praerogativam singularem, quae debuit in dignitate sanctificationis ceteros Sanctos et Sanctas praeire; tum etiam propter ordinis decorem, ut sicut fuit persona immunis ab originali et in carne et in anima, sive in causa et in effectu, et persona utroque modo habens originale, sic esset persona media, quae quodammodo haberet, et quodam modo non haberet; et ista est beata Virgo, quae mediatrix est inter nos et Christum, sicut Christus inter nos et Deum. Et hoc dicunt sonare verbum Anselmi, cum dicit, quod beata Virgo purissima fuit ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi. In hoc enim notat gradum suae puritatis inferiorem esse respectu Filii, et superiorem respectu aliorum Sanctorum. Et ideo quasi rationem mediam hujus multiplicis congruentiae voluerunt quidam apponere, addentes insuper illud, quod non repugnat veritati sacrae Scripturae, et fidei Christianae. Veritati, inquam, non repugnat, imo potius consonat, si quis mysteria ejus attendat. Beata enim Virgo Maria signata fuit per arcam, anima vero beatae Virginis signata fuit per urnam, in qua positum fuit manna. Cum ergo urna illa prius fuerit impleta manna, quam posita in arca, prius saltem per naturam sanctificata fuit anima beatae Virginis, quam carni unita. Fidei etiam Christianae, ut dicit positio praedicta, non repugnat, pro eo quod dicunt ipsam Virginem ab originali peccato liberatam per gratiam, quae quidem pendebat, et ortum habebat a fide, et capite Christo, sicut aliae gratiae Sanctorum. Et iterum, licet illa gratia praeveniret animae infectionem, non tamen praevenit carnis foeditatem. Et ideo ratione illius foeditatis juste remanserunt in Virgine poenalitates, gratia enim sanctificationis non obviat poenae, sed culpae. Et hinc est, quod beata Virgo poenalitatibus fuit obnoxia, et per Christum liberata ab originali peccato, sed aliter quam alii. Nam alii post casum erecti sunt, Virgo Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret, sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto; et per istam viam effugiunt auctoritates et rationes, quae contra eos adducuntur, dicentes non concludere, quod beata Virgo habuerit infectionem originalis peccati quantum ad effectum, sed quantum ad causam solum."

Clarius tamen mentem suam de hac re S. Doctor aperuit in *Serm. II* de B. V., ubi haec habet: „Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservativa contra foeditatem originalis culpae, quam contraxisset ex corruptione naturae, nisi speciali gratia praeventa praeservataque fuisset. Solus enim Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, et ipsa Mater ejus Virgo. Credendum est enim, quod novo sanctificationis genere in ejus conceptionis primordio Spiritus sanctus eam a peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia praeservavit."

Neque silentio praetereundum est ipsum Bonaventuram, totius Ordinis tunc temporis Generalem Ministrum, anno 1263 in generalibus Comitiis Pisis congregatis, festum Conceptionis B. Virginis in toto Ordine quotannis celebrandum statuisse *(Chronol. Seraph. Ord. Vol. I. pag. 27)*.

Hic autem non solum ponenda est sacrosanctae Tridentinae Synodi declaratio, „non esse suae intentionis comprehendere in Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem"; sed adjicienda etiam dogmatica definitio a S. P. Pio IX die octava decembris an. 1854 solemniter prolata, in qua sancitum fuit: „Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam." — Ex qua definitione, ut recte animadvertit cl. P. Seraphinus a Ss. Corde Jesu, Passionista, in lib. *Grandeurs et Apostolat de Marie etc.* (Paris 1860, pag. 375) „apparet: 1. immunitatem Virginis ab omni originalis culpae labe, in ordine executionis consideratam, non solum fuisse *ex gratia Dei*, ut patet, sed etiam *ex Dei privilegio*, quod privilegium locum non habuit in Adamo. *Privilegium* enim dicit *exemptionem a lege communi*. Porro in creatione Adae lex *communis*, a Deo constituta, erat *status ipse justitiae originalis*, in quo statu Adam reapse creatus fuit. Post ejus lapsum *culpa originalis*, filios Adam universim afficiens, *legem arguit generalem* succedentem primariae legi universali justitiae originalis perditae, quae, hoc ipso, post ruinam, evadit quoque *privilegium* pro Adae filiis, si quos Deus separare vellet, sicut de facto mirabiliter separavit Virginem Deiparam, a massa corruptionis universae. Apparet 2. Mariam Virginem praeservatam fuisse immunem ab originali culpa *intuitu meritorum Christi Salvatoris generis humani*, scilicet dependenter a meri-

peccati labe et corruptela [8]. „Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum [o], quem de corde suo genitum [p] sibi aequalem, tanquam [q] seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter [r] facere sibi matrem eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat et [s] operaturus erat, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedebat *(Anselmus, de Concept. Virgin. c. 18).*“

o) Ita in opp. S. Anselmi, edit. Colon. an. 1612. p. Genuit ibid. q) Et tanquam ibid. r) Ita ibid. et in cit. edit. opp. S. Anselmi; alibi specialiter. s) Et om. ibid

tis praevisis Christi Jesu, qui Salvator est *humani generis* per originalem culpam *sauciati;* non quod Maria *sauciata* et ipsa fuerit cum ceteris Adae filiis, cum quibus naturâ tantum communicavit, non culpa, ut sentit Ecclesia, sed quatenus ipsa *specialiter* constituta fuerat sub *Christo capite,* qui eam sibi Matrem elegerat sibique reservaverat, quique, primitias meritorum suorum super eam transfundere in executione copiosissime volens, eam voluit a lapsu prae ceteris praeservare. Hic sistit fides. Quod autem Virgo beata constituta *specialiter* fuerit sub *Christo capite cum dependentia* ab Adamo, et solum post praevisum hujus lapsum, an vero *independenter* ab ipso Adamo, tanquam *a capite morali humani generis,* et ante praevisionem sui lapsus, quaestio adhuc est, quam Ecclesia in sua definitione non tangit, nec definitam supponit, nec consequenter vel implicite definit.“

Ad Caput VII.

[1] „Deordinatio in anima ratione aversionis dicitur deformitas, ratione vero conversionis dicitur macula.“ *2. dist. 42. dub. 1.* — „Deformitas respicit tria, scilicet privationem boni gratuiti, privationem boni naturalis, sive habilitatis, et ulterius inclinationem ad actum inordinatum, quae dicitur habilitatio quaedam.“ *Expos. in Ecclen. c. 9. v. 18.*

[2] „Si loquamur de causa originalis respectu alterius propagandi, sic per baptismum non deletur originale quantum ad causam, sive radicem. Et ratio hujus potissima, ut credo, est, quia corruptio, quae est causa originalis peccati propagandi, est corruptio naturae consistens penes vim, quae habet radicari in carne. Unde originale, prout est vitium personae, respicit voluntatem; prout autem est vitium naturae, respicit generativam virtutem et carnem; gratia autem sacramentalis proprie respicit corruptionem personae, contra vero corruptionem naturae non habet ordinari directe; et hinc est, quod cum infunditur gratia baptismalis, deletur originalis culpa, secundum quod erat peccatum ipsius animae; remanet tamen aliquis languor in carne, quae est causa originalis in prole. Si autem quaeratur, quare remedium gratiae sacramentalis ordinatur directe contra originale, prout corrumpit personam, et non prout corrumpit naturam, dicendum quod summus medicus hoc instituit ratione congrua exigente, tum ex parte medici, tum ex parte aegroti, tum ex parte medicamenti. Ex parte, inquam, medici, quia sic Dominus debuit nos curare, ut salutem nostram unusquisque ab ipso immediate recognosceret; ideo unumquemque voluit curari a suo baptismate immediate et in se: et propterea baptismus delet originale in homine, secundum quod est individuum, non secundum quod est alterius principium, ut ex hoc unusquisque reddat obsequium Deo debitum, et magis recognoscat salvationis suae beneficium. Ex parte etiam aegroti congruentia erat; Deus enim neminem vult salvari, nisi salva arbitrii sui libertate; et ideo talem efficaciam medicamento dedit, ut salva esset libertas, et meritum liberi arbitrii. Ideo etiam ut fides habeat locum, occultat Dominus sacramenti sui effectum; et ideo non curatur naturae morbus. Ex parte etiam medicamenti ratio est, quia virtus regenerativa in sacramento est ipsa fides, unde a fide passionis dicuntur sacramenta habere efficaciam. Quoniam ergo haec virtus regenerativa principaliter respicit voluntatem et mentem, virtus autem generativa principaliter respicit decisionem carnis a carne; hinc est, quod baptismus sanat, sive curat, originale, secundum quod est morbus personae, dum in eo datur gratia, per quam rectificatur personalis voluntas, remanente nihilominus corruptione in carne et in vi generativa, quae causa est transfundendi originalem culpam.“ *2. dist. 32. a. 1. q. 2.*

[3] „Sicut videmus, quod in culpa actuali et est conversio, et est aversio, et in ipso actu peccandi, et in ipso habitu peccati est privatio habitus boni, et quaedam habilitatio ad actum peccati; sic in originali intelligimus esse debitae justitiae carentiam, et concupiscentiam. Et quemadmodum in actuali privatio habilitatis bonae est ipsum peccatum, formaliter loquendo, ipsa vero habilitatio, sive pronitas ad actum peccati, non est peccatum, nisi materialiter loquendo, pro eo quod non est culpa, nisi quamdiu manet ibi privatio; sic intelligendum est in proposito. Et quemadmodum in actualis peccati deletione, cum gratia infunditur, statim removetur culpa, in quantum erat deformitas et privatio, nihilominus tamen simul cum hoc manet quaedam pronitas ad actum, licet remissa, in his potissime, qui peccaverunt peccato consuetudinis; sic quando gratia baptismalis infunditur animae, statim removetur originale peccatum, eatenus qua erat carentia debitae justitiae, etiam cum statim gratia est in anima, simul cum ea est et justitia: concupiscentia vero non omnino tollitur, sed minuitur, pro eo quod pronitas ad culpam simul potest stare cum gratia, quia, sicut dictum est, talis pronitas non erat ipsum peccatum, loquendo formaliter, sed materialiter. Unde *(August. de nup. et concup. lib. 1. c. 27)* cum excluditur carentia debitae justitiae per gratiam baptismalem, remanet concupiscentia ratione poenae. Et hinc est, quod dicit Magister, quod transit reatu, et remanet actu, quia jam non est culpa,

per quam homo sit dignus poena, sed poena est ex praecedenti culpa relicta. Pro tanto dicit, quod originale peccatum duplici ratione dicitur remitti in baptismo, et quia concupiscentia extenuatur, et quia debitum solvitur. Solvitur namque debitum, dum per justitiam gratiae recompensatur justitia originalis innocentiae. Concupiscentia vero remittitur, dum potestas datur spiritui per gratiam regendi et vincendi carnem." *2. dist. 32. a. 1. q. 1.*

[4] „Dicitur originale peccatum remanere actu, quia cum sit ibi privatio originalis justitiae, per quam homo est reus carentiae visionis Dei, sit etiam pronitas, per quam homo ordinatus est ad actum concupiscendi; ideo aufertur illa privatio justitiae originalis, et relinquitur illa inclinatio habitualis." *2. dist. 32. dub. 4.*

[5] „Concupiscentia est in carne et in sensualitate et in ratione; ibi quidem causaliter, in ratione formaliter, in sensu vero utroque modo." — „Ideo dico, quod in rationali parte et in sensualitate est formaliter, quoniam actus, qui est concupiscere, sicut vult Augustinus, est proprie ipsius animae. Ideo vero causaliter dicitur esse in carne, quia caro infecta juncta animae ex sua infectione reddit eam concupiscentem. Unde si quis vellet proprie subjectum concupiscentiae carnalis assignare, nec tantum diceret carnem, nec tantum diceret animam, sed ipsum totum conjunctum, ut sicut sentire est actus conjuncti, sic etiam actus conjuncti est delectari carnaliter et concupiscere." — „Concupiscentia, secundum quod poenam dicit ad culpam ordinatam, est a Deo: ut vero dicit appetitus excessum, nequaquam; prout dicit appetitum, qui est de genere entium et bonorum, similiter est a Deo." *2. dist. 32. a. 2. qq. 1. 2.*

[6] „Concupiscentia, quae remanet post baptismum, non est poena suffocans, quia non praecludit aditum vitae spiritualis; stat enim simul cum gratia prima, etsi incitet ad illicitum, non tamen praevalet, quia subter nos est appetitus noster, et nos dominari possumus illius. Remanet autem haec concupiscentia in membris nostris, ut poena promovens, maxime quantum ad exercitium pugnae, quae facit ad augmentum meriti et coronae, quod bene significatum est in ingressu filiorum Israël in terram promissionis, in qua reliquit eis Dominus adversarios, cum quibus pugnare possent, et per quos Deus eos probaret, utrum ipsi Deum diligerent, an non, sicut patet in libro Judicum. Sunt et aliae plures utilitates, ad quas movetur homo occasione concupiscentiae in se relictae." — „Concupiscentia duo dicit. Dicit enim appetitum immoderatum boni commutabilis; et sic dico, quod ista immoderantia circa appetitum potest esse dupliciter. Aut ita quod ratio captivetur et anima pervertatur, ut necessitatem habeat praeponendi bonum commutabile bono incommutabili; et sic dicitur esse concupiscentia intensa, et hoc modo tenet rationem culpae, ratione videlicet illius immoderantiae. Alio modo concupiscentia dicit immoderantiam, non quia ratio succumbat sensualitati, sed quia sensualitas non perfecte obtemperat rationi; et hoc modo tenet rationem poenae. Primo modo, quia tenet rationem culpae, directe opponitur ipsi gratiae; et ideo gratia superveniens aufert illam immoderantiam, pro eo quod talis immoderantia ponebat debitae justitiae carentiam. Aliam autem immoderantiam, quae, sicut dictum est, dicit rationem poenae, non tollit gratia in suo adventu, propter hoc quod non opponitur formaliter ei. Sed quoniam gratia et concupiscentia relicta, respectu ejus ad quod inclinant, quamdam habent oppositionem; hinc est quod, secundum quod homo plus exercitatur in gratia, magis et magis remittitur concupiscentia, nunquam tamen omnino tollitur concupiscentia, quia semper remanet radix ejus in homine, nisi auferatur per donum gratiae speciale." — „Concupiscentia augetur per consensum illicitum, sicut dicit Augustinus *(De pecc. mer. et remiss. lib. 2, c. 28)*, et hoc duplici ex causa. Primo, quia gratia expellitur, ex cujus praesentia ratio sensualitati praeerat, et per consequens remittebatur concupiscentia. Alia est ratio, quia potentia ex frequentia actus magis prompta efficitur ad exeundum in actum consimilem; et quia actus illicitus dicit actum concupiscendi, hinc est, quod concupiscentia augetur ab actu illicito, quasi a simili. Ad illud ergo quod objicitur, quod tunc redit originale peccatum, dicendum quod hoc non sequitur duplici ex causa. Primo quidem quia concupiscentia regnans non dicitur peccatum originale, nisi in quantum habet regnum et dominium ab ipsa hominis origine; cum autem illud habet per illicitum actum, non habet rationem originalis peccati, sed potius actualis. Alia est etiam ratio, quia aliter diminuitur concupiscentia per baptismum, aliter augetur per illicitum consensum. Per baptismum enim sic diminuitur, ut auferatur illud, quod formaliter erat peccatum originale, videlicet carentia debitae justitiae. Ibi enim absolvitur quis a debito originalis justitiae, ad quam omnes tenebantur ex ipsa obligatione Adae; sed per illicitum consensum augeri dicitur, pro eo quod, dum homo peccat, magis efficitur pronus ad malum, saltem intensive et quantum ad aliquod peccati genus determinatum. Ad illud quod objicitur, quod sunt diversorum generum, concupiscentia, prout est culpa et prout est poena, dicendum quod, etsi sint diversorum generum in genere moris, non tamen in genere naturae, utriusque enim actus est concupiscere. Praeterea, etsi concupiscentia, prout est poena, non sit ejusdem generis cum concupiscentia, prout est culpa, formaliter loquendo, quia tamen est poena vitiosa, ad illam de se ordinat, et per hoc una augmentatur per alteram, sicut docet ipsa experientia." *2. dist. 32. dub. 1. 2 et 3.*

[7] „Quaedam est gratia, quae opponitur ipsi concupiscentiae secundum id, quod est: quaedam vero, quae opponitur ipsi solum secundum id, ad quod est. Et prima est quaedam gratia gratis data, et totaliter potest tollere concupiscentiam, dum sanat et reintegrat naturam vitiatam. Alia vero est gratia gratum faciens. Et de hac dicit Augustinus, quod, quamvis diminuat concupiscentiam, nunquam tamen finit eam." *2. dist. 35. a. 2. q. 3. ad 4.*

[8] „Est loqui de beata Virgine quantum ad tres conditiones, scilicet quantum ad gratiam conceptionis, quantum ad gratiam justificationis, quantum ad naturam corporis. Si quantum ad conceptionem prolis, sic quia fuit Mater Dei, quo nihil nobilius cogitari potest, et mater nobilissimi filii; sic tantam habuit bonitatis dignitatem, quod nulla mulier amplius capere potuit. Si enim omnes creaturae, quantumcumque ascenderent in gradibus nobilitatis, essent praesentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei. Si autem loquamur quantum ad gratiam justifica-

tionis, tantam habuit, quantam pura creatura humana, sive rationalis, quae facta est, sic recipere potuit. Si quantum ad corpus, naturalia optima habuit, secundum quod fini competens fuit; simpliciter tamen meliora potuit recipere, et Deus dare. Et ita patet quod . . Deus . . capacitatem gratiae complevit et implevit . . . in matre, secundum quod capit pura creatura rationalis, in sexu feminino, quantum ad ea, quae spectant ad corpus, et in anima humana, quantum ad ea, quae sunt gratiae." *1. dist. 44. dub. 3.*

CAPUT VIII.

De origine peccatorum actualium.

(Peccatum oritur a libera voluntate, — per suggestionem, — delectationem, — consensum — et operationem.)

a) Autem om. ACDEFGH et editt. Aug. Nor.
b) Peccati om. ed. 1484.

Postquam autem [a] dictum est de traductione peccati [b] originalis, dicenda sunt aliqua de origine peccati actualis. De ortu igitur peccati actualis haec tenenda sunt in summa, videlicet quod peccatum actuale originem trahit a libera voluntate uniuscujusque per suggestionem, delectationem, consensum et operationem. Juxta quod dicit Scriptura: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, peccatum parit: peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem (Jacob. 1, 14).* Si autem suggestio et delectatio sistat citra consensum, est veniale peccatum. Si vero consequatur consensus, et opus in his, quae divina lege prohibita sunt, peccatum est mortale consummatum. Quod si medio modo fit, ut consensus sine opere sit, aut quia vult in opus procedere, sed non potest; tunc voluntas pro facto reputatur,

c) Tamen ibid.
d) Sed quia ibid.

nec [c] minus culpabilis est, quam si in ipso facto deprehenderetur; aut quia non vult in opus procedere, sed [d] vult interius voluptari in delectatione; et tunc manducat mulier, sed non vir; et licet non sit peccatum plene consummatum, est tamen inter mortalia computandum, quia, muliere manducante, totus homo damnari meretur, quod maxime intelligi habet in peccatis carnalibus.

e) Quia om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia [e] cum peccatum dicat recessum voluntatis a primo principio, in quantum ipsa voluntas nata est agi ab ipso, et secundum ipsum, et propter ipsum [1]; omne peccatum est inordinatio mentis sive voluntatis [2] (I), circa quam nata sunt esse virtus et vitium [3]. Peccatum igitur actuale est

f) Illa ibid.

actualis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista [f], aut est tanta, quod ordinem justitiae exterminat; et hoc modo dicitur mortale peccatum, quia natum est auferre vitam, separando ipsam a Deo, per quem vivificatur anima justa. Aut est tam modica, quod ordinem illum non perimit, sed tantum in aliquo perturbat [4]; et tunc dicitur veniale peccatum, quia de ipso adipisci possumus cito veniam, pro eo quod gratia non

g) Nec incurritur inimicitia divina CDEFG H1 et ed. Ven. et 1484.
h) Propriae ed. 1484.

tollitur per ipsum, nec inimicitiam divinam incurrit homo [5 g]. Est autem ordo justitiae, ut bonum incommutabile praeferatur commutabili, ut bonum honestum praeferatur utili, et voluntas Dei praeferatur voluntati nostrae [h], ut judicium rationis rectae praesit sen-

(I) Quum *omne peccatum* sit *inordinatio voluntatis,* sequitur nullum dari peccatum philosophicum. Quid porro pro peccato philosophico intelligatur, patet ex propositione ab Alexandro VIII damnata die 24 augusti an. 1690, „uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea," quae haec est: „Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi: theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum."

sualitati humanae (II). Et quoniam lex Dei istum [i] ordinem praecipit et vetat oppositum, quando bonum commutabile praefertur aeterno, et bonum utile [j] praefertur honesto, et voluntas nostra praefertur divinae voluntati, et sensualis appetitus praefertur rationi rectae, tunc committitur mortale peccatum. De quo dicit Ambrosius *(De parad. c. 8)*, quod est praevaricatio legis divinae [k] et caelestium inobedientia [l] mandatorum [6]. Haec [m] autem committitur, sive omittatur quod lex divina praecipit [7], sive fiat id, quod prohibet. Ex quo duplex genus peccati oritur, delictum scilicet et commissum [8]. Quando vero bonum commutabile plus debito diligitur, sed non praefertur incommutabili, et utilitas non praefertur honestati, et [n] voluntas nostra plus debito amatur, ita tamen quod non praefertur divinae; et caro concupiscit, non tamen praefertur judicio rationis rectae; tunc non est mortale, sed veniale, quia licet hoc sit praeter legem, non tamen directe est contra legem [9]. Sensualis autem appetitus rationi rectae non praefertur, nisi quando ei ratio consentit [o], et ideo peccatum mortale citra consensum non committitur. Si tamen sensualitas inordinate moveatur, cum illa inordinatio ad malum inclinet [10], licet ratio non consentiat, peccatum est aliquod, quia aliquo modo laedit ordinem justitiae. Et quia in statu innocentiae non movebatur sensualitas [11], nisi secundum rationis motum; ideo, stante homine, non poterat ibi esse veniale peccatum [12]. Nunc autem, quia rationi repugnat sensualitas, velimus, nolimus; ideo necesse habemus committere aliquod veniale peccatum per primos motus, qui etsi particulariter et singillatim possint declinari, omnes tamen nullo modo possunt caveri (III); quia [p] sic sunt peccata, quod [q] sunt etiam poenae peccati, et ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipso digna sunt venia [13]. Verum quia ratio his consentire non compellitur, si post consensum delectationis consentiatur in opus, tunc est plenus consensus, ac per hoc peccatum consummatum [14], quia pervenit

i) Justum ibid.
j) Acterno et bonum utile om. ibid.
k) Aeternae sive divinae ibid.
l) Praeceptorum vel ante mandatorum bene om. AB CDF et ed. Aug.
m) Hoc ed. 1484.
n) Et om. ibid.
o) Ita CDEF GH et editt. Nor. Ven. et 1484. In cet. consensit.
p) Quia AB CDEFGH Ven. et 1484; qui ed. Rom.
q) Quae ed. 1484.

(II) Contra ordinem justitiae, de quo hîc agit S. Doctor, a lege divina praeceptum, quo bonum incommutabile commutabili, honestum utili, voluntas divina humanae praefertur, miserrimis hisce temporibus a perditissimis hominibus errores divulgati fuerunt, quos Pius IX in *Syllabo* reprobavit. Hi sunt: n. 56. „Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim accipiant." — n. 57. „Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare." — n. 58. „Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, ac in voluptatibus explendis." — n. 59. „Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent." — n. 60. „Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa." — n. 61. „Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert." — n. 62. „Proclamandum est et observandum principium, quod vocant de *non interventu*." — n. 63. „Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet." — n. 64. „Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur." — Ex hisce autem erroribus prona est via ad Communismum et ad Socialismum, sive Radicalismum, inter quos hoc videtur esse discrimen, quod Communismus diversis sub formis ac gradibus proprietatis dominium vel impugnat, vel plus minusve aggreditur; Socialismus vero fundamentalia jura regiminis, sive jurisdictionis dominium, juxta diversa systemata, plus minusve impetit. Uterque tamen totam civilem societatem subvertit, atque imis eruit radicibus.

(III) Huic doctrinae nunc accessit definitio Concilii Tridentini, quod postquam *sess. 6. cap. 11* statuisset, quod „licet in hac mortali vita, quantumvis sancti et justi, in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est et humilis et verax: *Dimitte nobis debita nostra (Matth. 6, 12)*"; *can. 23* definivit: „Si quis hominem semel justificatum dixerit . . . posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit."

r) Et ibid. usque ad virum, id est[r] usque ad partem supremam rationis, ex qua pendet plenitudo consensus[15]. Quia vero non solum in opus, verum etiam in delectationem est consensus, in quo inferior portio sequitur sensualitatem; ideo si in delectatione sensuali[s] ratio sensualitati succumbat, mulier[t] serpenti obtemperat[u]; ac per hoc fit subversio recti ordinis, et ita subversio justitiae, propter quod[v] committitur mortale peccatum, licet minus grave[16]; quod non solum imputatur mulieri, verum etiam viro[17], a quo mulier compesci debuit et cohiberi, ne obtemperaret serpenti[18]. Et sic patet, quod in perpetratione omnis peccati actualis fit aliqualis imitatio primi peccati[19], secundum explanationem Doctoris praecipui Augustini *(De Trinit. l. 12. c. 12).*

s) Delectationem sensualem ibid.

t) Et mulier ibid.

u) Obedit ibid.

v) Hoc ibid.

Ad Caput VIII.

[1] „Voluntas est bona ex ordinatione ad bonum finem. Ad hoc autem, quod sit recta ordinatio ad bonum finem, requiritur quod finis bonus sit duobus modis, videlicet secundum id quod est, et sub ratione finiendi. Aliquid enim est bonum in se, quod tamen non recte ordinatur ad alterum in ratione finis, sicut minus bonum, quamvis sit bonum, non tamen est bonus finis majoris boni, pro eo quod finis melior debet esse his, quae sunt ad finem. Similiter ex parte ordinationis duo requiruntur, videlicet idoneitas ex parte ordinabilis, et actualis conversio ex parte voluntatis ordinantis. Et cum ista concurrunt, tunc absque dubio voluntas bona ex fine bono judicatur: cum autem horum aliquid deficit, bonitas finis non sufficit ad bonitatem voluntatis, utpote si sit finis bonus in se, non tamen sufficit ad finiendum vel ad complendum illud, quod fit propter ipsum.“ *2. dist. 38. a. 1. q. 1.*

[2] „Peccatum quodcumque actuale voluntarium est, sive sit mortale, quod est voluntarium simpliciter, vel sit veniale ex deliberatione factum, quod etiam est simpliciter voluntarium, sive ex surreptione, quod secundum quid voluntarium est.“ — „Peccatum, ut dicit culpam, est tantum in voluntate: ut autem dicit vitium, si materialiter capiatur, est etiam in aliis potentiis; si autem causaliter, adhuc etiam tantum in voluntate.“ *2. dist. 41. a. 2. qq. 1. 2.* — „Peccatum, cum essentialiter in se claudat aversionem et conversionem, non distinguitur per illas tanquam per differentias diversas; et ita aversio et conversio in ipso repertae, non faciunt duo peccata.“ *2. dist. 42. a. 3. q. 2.* — Novem sunt gradus voluntarii, secundum quos peccata voluntaria dicuntur secundum plus et minus. Primo enim et principaliter dicitur voluntarium, quod est a voluntate, nullo inclinante, nec exterius, nec interius: sic fuit peccatum Luciferi voluntarium. Secundo modo voluntarium dicitur, quod est a voluntate, aliquo suggerente exterius, sed nullo inclinante interius: et sic fuit peccatum primi hominis voluntarium. Tertio modo dicitur voluntarium, quod est a voluntate, aliquo tamen inclinante exterius et interius: et sic est peccatum mortale, quod aliquis perpetrat ex deliberatione et intentione post lapsum naturae. Quarto modo aliquid est voluntarium, quod est a voluntate non movente ad illud directe, movente tamen ad illud ex consequenti, sicut est peccatum omissionis, quo quis omittit ad matutinum surgere, quia voluntarie se inebriavit. Quinto modo est aliquid voluntarium, quod est a voluntate non movente ad illud directe, nec appetente, sed aliud refugiente: sic est peccatum, quod homo facit mortis timore. Sexto modo est aliquid voluntarium, quod est a voluntate non plene id quod agit cognoscente: et sic peccatum ex ignorantia dicitur voluntarium. Septimo modo dicitur aliquid voluntarium, quia consequitur ad aliquid, quod voluntarie factum est ab illo eodem, a quo illud fit: et sic peccata, quae consequuntur ebrietatem, in quam homo se scienter induxit, dicuntur aliquo modo voluntaria. Octavo modo dicitur aliquid voluntarium, quia est ab aliquo potente prohibere, non tamen prohibente: et sic peccatum veniale, quod est primus motus, dicitur esse voluntarium. Nono modo dicitur aliquid voluntarium, quod introductum est a voluntate aliena, sicut a causa prima: et sic peccatum originale dicitur voluntarium. In omnibus istis modis praedictis aliquo modo salvatur ratio voluntarii, proprie tamen et principaliter in duobus modis primis.“ *2. dist. 42. dub. 3.*

[3] „Actionis divisio per bonum et malum non est per differentias immediatas, cum tertium genus reperiatur operis, quod non est neque bonum, neque malum, tam respectu sui generis, quam respectu operantis.“ — „Cum quaeritur, utrum actio dividatur per bonum et malum, tamquam per differentias immediatas, est quaestio de actione voluntatis deliberativae, secundum quod deliberativa est, illa enim est, quae dividitur per bonum et malum. Et quoniam de actione voluntatis deliberativae dupliciter est loqui, scilicet quantum ad genus actionis, et in comparatione ad operantem, dupliciter possunt istae differentiae ad actionem comparari, aut secundum genus operis, aut respectu operantis. Si primo modo; sic planum est, quod non est divisio per immediata, immo inter actionem bonam et malam actionem indifferentem contingit reperiri mediam. Et hoc manifestum est, quia cum triplex sit differentia boni moris, quia est bonum secundum se, sive principale, et bonum ex circumstantia, et bonum in genere; et e contra, cum triplex sit malum, scilicet malum in genere, et malum ex circumstantia, et malum secundum se, inter haec omnia contingit reperiri medium. Nam inter bonum et malum secundum se quasi media

sunt illa, quae nec sunt bona secundum se, nec sunt mala secundum se, sicut sunt bona vel mala in genere, vel ex circumstantia. Inter bonum ex circumstantia et malum ex circumstantia media sunt tam indifferentia, quam bona et mala in genere, omnia enim illa indifferenter possunt fieri bona vel mala ex circumstantia. Inter bonum autem in genere et malum in genere cadit medium indifferens simpliciter, sicut velle comedere, vel velle levare festucam de terra, quae non dicunt bonitatem moris, vel malitiam. Et sic patet, quod divisio actionis per bonam et malam, quantum ad genus operis, non est per differentias immediatas, immo est reperiri differentiam tertiam: et in hoc communiter omnes concordant. Si autem loquamur de bonitate et malitia actionis in comparatione ad operantem, sic sunt diversae opiniones. Nam quidam dicunt, quod est divisio immediata; nihil enim facit homo ex deliberatione, quod Deus non reputet ei ad praemium, vel non imputet ei ad aliquod demeritum. Unde in die judicii, ut dicunt, de omni actu deliberativo rationem reddemus. Et huic positioni videntur consonare verba Sanctorum, qui dicunt, quod non peribit capillus de capite, nec momentum de tempore, de quo rationem non reddemus, sicut dicit Bernardus. Et hoc idem videtur dicere Anselmus, quod exigetur a nobis omne tempus impensum, qualiter fuerit expensum. Et ipsa Veritas videtur huic consonare, cum dicit *(Matth. 12, 36)*, quod de omni verbo otioso rationem reddemus. Sed iste modus dicendi aut multum ampliat viam salutis, aut multum coarctat. Nam ad hoc, quod sit opus meritorium, aut dicent requiri actualem relationem illius operis ad Deum et in particulari, aut dicent sufficere relationem in habitu et in universali. Si dicunt, quod requiritur relatio in particulari, nimis est arcta via salutis, quia tunc in omni opere, quod homo non refert actualiter in Deum, demeretur et peccat, quod valde severum est dicere. Si vero sufficeret intentio habitualis et in universali, tunc quando aliquis proposuisset in corde suo servire Deo in principio anni, vel mensis, vel septimanae, vel diei, omnia opera, quae postea faceret, etiam nihil cogitans de Deo, essent sibi meritoria. Sed si hoc dicatur, valde ampliatur et laxatur via salutis; et in hoc auctoritatibus Sanctorum obviatur, qui dicunt eam esse valde arctam. Et ideo est alius modus dicendi quodammodo magis temperatus, quam sit ille, videlicet quod quaedam sunt actiones deliberativae voluntatis, quae respiciunt ipsam directe; quaedam vero sunt, quae respiciunt ipsam, secundum quod regit potentias naturales. Prima operatio est locutio, quae quidem est rationalis, secundum quod ratione utitur. Secunda vero est comestio vel ambulatio et consimiles. Dicunt ergo, quod circa illas operationes, quae respiciunt voluntatem rationalem, secundum quod rationalis est, non contingit reperiri medium inter bonitatem et malitiam, circa alias vero contingit. Unde bene concedunt, quod non omnis actio deliberativa vel bona est, vel mala. Locutio autem omnis vel bona est, vel mala; aut enim est utilis, aut otiosa; et si otiosa, tunc est mala; si utilis, tunc est bona. Et propterea Dominus dixit: De omni verbo otioso reddetis rationem, non de omni facto. Et beatus Jacobus *(3, 2)* dicit, quod *qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Et propterea dicit quidam, quod verbum prius debet venire ad limam, quam ad linguam. Sed tamen adhuc iste modus dicendi non videtur plene satisfacere. Nam velle cogitare de veritate est actus voluntatis, secundum quod movetur rationabiliter, et tamen frequenter homo cogitat de veritate, ita quod non refert ad Deum; et tamen durum est dicere, quod peccet. Ulterius potest aliquis loqui alii ex naturali pietate, vel ex civili urbanitate, sicut qui salvat hominem in via; et tunc valde durum est dicere, quod peccet; nec potest dici, quod omnis talis locutio sit meritoria. Item, si plus est facere quam dicere, potius reddemus rationem de facto otioso, quam de verbo. Unde Sancti concludunt hoc a minori ex verbo Evangelii. Et ideo est tertius modus dicendi, quod in operibus voluntatis deliberativae, est ponere medium inter malitiam et bonitatem. Nam quaedam actio a voluntate deliberativa procedens est ordinata in finem debitum, scilicet ad Deum: et haec quidem est bona, et si sit ex caritate, est meritoria vitae aeternae merito condigni; si autem fiat extra caritatem, meritoria est merito congrui. Quaedam vero actio deliberativa ex voluntate procedens est non ordinata: et haec est divisio per immediata. Sed non omnis actio non ordinata ad Deum tamquam ad finem est mala. Quia quaedam non ordinatur propter inordinatam conversionem ad creaturam, quaedam vero non ordinatur propter operantis negligentiam, quaedam vero non ordinatur propter operantis infirmitatem et miseriam. Prima differentia actionis non ordinatae est mala malitiâ commissionis, secunda est mala malitiâ omissionis, tertia vero neutro modo est mala, sed est indifferens. Talis autem actio est, quando quis facit aliquam operationem, ita quod circa creaturam non afficitur inordinate, nec tamen illam operationem comparat ad Deum, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam naturae, ut cum aliquis ambulat ut recreetur, vel comedit ut reficiatur: talis actio indifferens judicatur, quia Deus nec illam remunerat, nec imputat in culpam, et hoc quia in tali actione non est malitia commissionis, quia non est inordinata dilectio, nec etiam omissionis, non enim semper omittit homo, quando actiones suas non refert in Deum. Indulgetur enim naturae fragili et infirmae, ut multa possit talia facere, nec Deus requirit ab homine in tali statu distractionis et miseriae, quod omnia quae facit, referat ad se; requirit tamen aliquando, quando est locus et tempus, et tunc, si homo non referat, omittendo peccat. Concedendum est igitur, quod divisio actionis per bonam et malam non est per differentias immediatas, pro eo quod inter has differentias contingit reperiri medium, sive actio consideretur secundum genus operis, sive respectu operantis.“ *2. dist. 41. a. 1. q. 3.* — „Ad illud quod objicitur, quod reddemus rationem de omni verbo otioso, dicendum quod otiosum non dicitur verbum, quia non sit ordinatum in finem solum, sed quia omni caret utilitate, dum tamen aliquam deberet habere. Et inter tale otiosum et meritorium, sive bonum, cadit medium, quando aliquis facit aliquid, quod non est omnimoda utilitate privatum, nec tamen est ordinatum in Deum, tamquam in finem ultimum. Unde non dicitur homo esse otiosus semper, quando non laborat, sed tunc dicitur esse otiosus, quando non laborat et deberet laborare. Frequenter tamen illa verba, quae videntur esse inutilia, utilia fiunt, dum ordinantur ad recreationem aliquam

spiritus et exclusionem acediae, secundum quod refertur beatus Bernardus dixisse, cum quemdam fecit cespitare: otiosum, inquit, fuit factum, sed non otiose factum; fecerat enim hoc ad laetificandum illum, quem viderat moestum." *Ibid. ad 2.*

[4] „Absque dubio peccatum veniale non communicat cum mortali in aversione, secundum quod aversio dicitur proprie, importat enim Dei contemptum, et contemptus Dei iram incurrit et meretur mortem: peccatum autem, quo quis meretur iram et mortem, non debet dici veniale, imo potius mortale. Et propterea communiter tenetur, quod aversio, proprie loquendo, reperitur in peccato mortali, non in veniali. Et istud melius patet, si modum attendamus, per quem homo dicitur averti a Deo et contemnere Deum, committendo aliquod peccatum, in quo nihil cogitat de Deo. Aut enim avertitur homo a Deo, quia facit contra divinum mandatum; aut quia ponit sibi bonum creatum tamquam finem ultimum. In hoc namque, quod facit contra divinum mandatum, recte a Deo avertitur, quia mandatum est via recte perveniendi ad Deum et tendendi in Deum. Qui igitur facit contra mandatum, incedit directe via contraria; ideo quasi faciem suam retrorsum convertens, tergum vertit ad illum, in quem debebat per mandatum tendere. Similiter cum statuit sibi creaturam tamquam finem ultimum, recte dicitur a Deo averti. Anima enim media est inter creaturam et Deum, in quantum est imago Dei. Dum ergo ad creaturam se tamquam ad finem convertit, faciem suam, quae debebat esse sursum versa, deorsum inclinat; et ideo se avertit a Deo. Et utroque dictorum modorum non est aversio sine contemptu, nam qui mandatum Dei transgreditur, contemnit mandantem: similiter qui creaturam sibi finem statuit principalem, magis appretiat creaturam quam Deum; et hoc non potest esse sine Dei contemptu. Veniale autem peccatum nec est directe contra Dei mandatum, nec statuit creaturam tamquam finem ultimum; et ideo non est in eo nec aversio, nec contemptus. Sed quia veniale fit praeter Dei mandatum, in veniali etiam peccato creatura non refertur in Deum; hinc est, quod per veniale quodam modo recedit homo a via mandati, quodam modo etiam morose adhaeret ei, per quod deberet transire. Unde et in veniali est quaedam elongatio et quaedam retardatio. Unde conceditur, quod veniale a Deo non avertit, sed elongat a Deo; non separat, sed retardat. Et si large nomen aversionis acciperetur, ut se extenderet ad elongationem et retardationem, in veniali esset aversio quaedam. Quia tamen nomen aversionis sonat in contemptum, ideo tenendum est, quod avertere a Deo sit mortalis peccati proprie." *2. dist. 42. a. 2. q. 1.* — „Si intentio bona perfecta sit, ut dicit bonitatem finis et ordinationem ejus, quod est ad finem, ipsa facit opus bonum: si autem imperfecta sit, ut dicat tantum bonitatem finis, non sufficit ad operis bonitatem." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc ab antiquo duplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod generaliter verum est, quod opera bona vel mala pensantur ex intentione. Alii vero dixerunt, quod opera non pensantur generaliter bona vel mala, sed solum illa, quae indifferentia sunt ad hoc, quod fiant bene, vel male: illa autem opera, quae sunt mala secundum se, ex intentione pensari non possunt, quia quacumque intentione fiant, semper mala sunt. Quaelibet autem harum opinionum verum dicit, si recte intelligatur. Intentionis enim qualitas dupliciter potest accipi, secundum quod intentio dupliciter dicitur. Uno enim modo intentio dicit bonitatem finis, alio vero modo non tantum dicit bonitatem finis, sed etiam ordinationem ejus, quod est ad finem, quem appetit. Et secundum hoc dupliciter potest dici intentio bona, vel mala. Uno modo dicitur intentio bona, in qua est perfecta et bona ordinatio operis ad finem intentum, et e contra dicitur mala, in qua est ordinatio indirecta: et hoc modo bonitas intentionis non tantummodo respicit bonitatem finis, sed etiam rectum ordinem ejus, quod est ad ipsum finem, haec enim duo necessario requiruntur ad hoc, quod oculus sit simplex, sicut dicit Bernardus ad Eugenium *(de dispensat. circ. med.)*, videlicet quod veritas sit in electione et caritas in intentione. Et hoc est dicere, quod tunc est oculus mentis simplex, sive intentio bona, quando hoc amat finaliter, quod est amandum, et eligit, quod est eligendum; et hoc modo qualitas operis semper respondet qualitati intentionis, nec habet instantiam; immo si oculus est simplex, totum corpus erit luminosum *(Matth. 6, 22)*; et si oculus est tenebrosus, hoc est intentio mala, et opus judicatur malum. Alio modo dicitur intentio bona, quia illud, quod finaliter intendit, est bonum; et mala, quia illud, quod finaliter intenditur, est malum. Et hoc modo non est generaliter verum, quod qualitas operis causetur a qualitate intentionis: et hoc dico quantum ad qualitatem, quae est bonitas. Si quis enim mentitur, utpote ad liberationem innocentis; vel furatur, ut pascat pauperem, non dicitur benefacere, sicut dicit Augustinus *(lib. cont. mendac. c. 1)* et etiam Apostolus *(Rom. 3, 8)*: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quantum autem ad qualitatem malitiae, non habet instantiam; immo necessario malitia operis correspondet intentioni malae antecedenti, qualecumque enim sit opus, dum facit illud homo mala intentione, Deus, qui scrutatur corda, malum reputat. Cum enim ad bonitatem operis necessario requiratur intentio boni finis, sola illa desistente, opus judicatur esse malum, non tamen illa sola assistente judicatur esse bonum, quia plura exiguntur ad construendum, quam ad destruendum." *2. dist. 40. a. 1. q. 1.*

[5] „Peccatum veniale non punitur, neque obligat ad poenam aeternam, cum possit stare simul cum gratia, sed tantum ad poenam temporalem, et hoc quantum est de se: quod si mortali conjungatur, ratione talis conjunctionis, aeterno debet puniri supplicio." — „Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod sicut fides nostra dicit, peccato mortali debetur poena aeterna. Quare autem peccato mortali debeatur poena aeterna, multiplex consuevit assignari ratio . . . Praecipua est, quia, dum homo peccat mortaliter, separat se a vita gratiae, et subjicit se perpetuae impotentiae exeundi de culpa, quantum est de se; nemo enim potest a culpa mortali resurgere nisi per creationem et infusionem novae gratiae et novae vitae. Et propterea ratione istius impotentiae peccato mortali annexa est obligatio ad aeternitatem poenae. Haec autem poena aeterna, etsi omni peccato mortali debeatur, non tamen omni persolvitur, quia quamvis mortale peccatum reddat hominem impotentem ad resurgendum per se ipsum, contingit tamen

hominem relevari per divinum auxilium. Debetur igitur peccato mortali poena aeterna, quia separat hominem a vita, persolvitur autem poena aeterna in eo, quod tenet hominem in aeternum separatum a vita. Quoniam igitur veniale peccatum nec separat hominem a vita, quia non excludit gratiam, nec tenet hominem in perpetuum separatum a vita; hinc est, quod peccatum veniale nec de se obligat ad poenam aeternam, nec ei secundum se redditur poena aeterna. Quia vero peccatum veniale conjungi habet ei, quod separat a vita, et etiam ei, quod tenet separatum a vita; hinc est, quod ratione adjuncti poena ei debetur aeterna, et poena aeterna persolvitur. Unde si aliquis decedat cum mortali simul et cum veniali, aeternaliter punietur. Et ratio hujus est, quia nullum peccatum deleri potest absque gratia, et quamdiu durat culpa, debet durare et poena; et ideo cum venialis culpa duret cum mortali in infinitum, ratione conjunctionis cum illa in infinitum punitur. Nihilominus ei, quantum est de se, debetur poena temporalis, cum simul possit stare cum gratia; et propterea veniale nominatur, ut in hoc distinguatur a genere peccati mortalis, quia mortale aufert principium vitae et veniae, videlicet ipsam gratiam, veniale autem, quantum est de se, non aufert, imo simul cum illa manet." *2. dist. 42. a. 2. q. 2.*

[6] „Lex aliquando accipitur stricte pro lege scripta vel data: aliquando large, prout comprehendit legem naturae et legem Scripturae et legem gratiae. Et in praedicta notificatione lex accipitur large ... Obedientia dupliciter accipitur, uno modo prout dicit observantiam mandatorum Dei; et sic est communis omnibus virtutibus: alio modo prout specialiter considerat rationem praecepti; et sic est virtus divisa ab aliis, quia potissime habet usum suum in his, quae ideo sunt bona, quia praecepta. Et sic obedientia dupliciter accipitur, scilicet large et stricte; et in praedicta notificatione accipitur large." *2. dist. 35. dub. 4.*

[7] „Cum quaeritur, utrum intentio et voluntas interior sufficiat ad meritum absque opere exteriori, distinguendum est. Aut enim ille, qui habet intentionem, habet facultatem bene operandi, aut non. Si non habet facultatem, cum nemo obligetur ad impossibile, si bonam habet voluntatem et directam intentionem, tunc sola plenitudo voluntatis internae sufficit ei ad meritum vitae aeternae absque exteriori operatione. Si autem adsit facultas, et se offert opportunitas, intentio non potest ad meritum sufficere absque opere. Ratio autem hujus est divini mandati obligatio, et virtutis perfectio, et voluntatis plenitudo. Divini mandati obligatio facit, ut intentio sine operibus non sufficiat, cum se offert opportunitas et facultas. Mandata enim Dei non solum obligant ad volendum, sed etiam ad faciendum; ideo qui non implet divina mandata, cum possit, potius meretur iram, quam mereatur gloriam. Virtutis enim perfectio est ratio, quare non sufficit sola intentio, quoniam virtus est ultimum potentiae; et ideo elevat potentiam ad aliquod magnum et arduum, potentiae autem animae non habent suam virtutem, sive perfectionem completam, nisi exeant in opera sibi debita, quando adest facultas et opportunitas. Et ideo illa intentio, qua quis vult et intendit bonum, et tamen non facit, cum possit, non est intentio virtuosa, ac per hoc nec meritoria. Voluntatis enim plenitudo ratio est, quare non sufficit sola intentio; quoniam plena voluntas ponit effectum, si adsit facultas, alioquin non dicitur plene homo aliquid velle, si non facit, cum possit facere, sed semiplene et pigre vult, sicut *piger, qui vult et non vult (Prov. 13, 4).* Et propterea dicit Gregorius, quod nemo debet sibi blandiri de bona voluntate, immo ad dilectionem conditoris lingua, mens et manus requiritur; et sicut hortatur nos Joannes *(1, 3. 18),* diligere debemus non solum verbo et lingua, *sed opere et veritate.* Quoniam igitur, cum adest facultas, et se offert opportunitas, absque operibus nec est mandatorum Dei impletio, nec virtutis perfectio, nec voluntatis plenitudo, et absque his non est sufficientia meriti; hinc est, quod ad meritum vitae aeternae non sufficit bonitas intentionis absque bonitate operis exterioris." *2. dist. 40. a. 1. q. 3.*

[8] „Praevaricatio praeceptorum est delictum, hoc est transgressio praeceptorum affirmativorum. Praevaricatio prohibitionum est commissum, hoc est transgressio praeceptorum negativorum. Differentiae delicti sunt ignorantia, omissio, negligentia. Delictum dicitur quasi derelictum, id est boni desertio." *Centiloq. q. 1. sect. 7.* De peccato omissionis vide S. D. *2. dist. 5. a. 1. q. 1. ad 1.*

[9] „Bonae voluntatis unus solus est finis principalis. Propter quod intelligendum, quod plures fines statuere, hoc potest esse tripliciter. Uno modo, ita quod finis sit sub fine et propter finem. Alio modo, ita quod unus sit finis principalis, alter non principalis, ita tamen quod finis non principalis non referatur ad principalem actualiter. Tertio modo, ita quod uterque sit finis principalis ... Primo modo statuere diversos fines est bonum et meritorium, et pertinet ad bonam voluntatem. Secundo modo statuere diversos fines non est bonae voluntatis, loquendo formaliter; attamen non sic repugnat, quin possit cum ea stare, est enim ibi peccatum veniale, non mortale ... Tertio vero modo statuere diversos fines non est bonae voluntatis, immo contra bonam voluntatem, talis enim vult duobus dominis servire, et hoc est impossibile, sicut dicitur *(Matth. 6, 24).* Quando enim sic principaliter duos intendit fines, verificatur illud propheticum *(Isai. 28, 20): Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, et pallium breve utrumque operire non potest.* Et talis est voluntas hypocritarum, quibus vae damnationis aeternae comminatur Scriptura *(Eccli. 2, 14),* pro eo quod terram ingrediuntur duabus viis. Et ideo dicitur *(Eccli. 1, 36): Ne accesseris ad ipsum duplici corde,* qui enim accedit in corde et corde, hypocrita est: et quia gaudium hypocritae ad instar puncti est, ideo dicitur *(Os. 10, 2): Divisum est cor eorum, nunc interibunt."* *2. dist. 38. a. 1. q. 3.* — „Quantitas bonitatis et malitiae in opere correspondet quantitati bonitatis et malitiae in intentione, quantum ad actum intendendi, licet non semper prout ipsa attenditur ex parte intenti." *2. dist. 40. a. 1. q. 2.*

[10] „Cum tentatio sit quidam tactus ad probandum ordinatus, et caro nos pulset, ad cujus pulsationem sequitur approbatio vel reprobatio hominis, recte caro dicitur tentare." — „Si consideretur tentatio, ut est a movente primo, quamvis aliqua possit esse tentatio ab hoste, quae non est a carne, ut in Adam et Christo, nulla tamen est a carne, quae non sit ab hoste. Si autem consideretur, ut est a movente proximo, sic diaboli et carnis tentationes sunt

diversae, et una absque alia esse potest." — „Si tentatio hostis et carnis sit circa idem vitium, puta carnale, sic difficilior est tentatio carnis; si autem sit circa diversa, sic motus se excedunt, major tamen simpliciter est carnis excessus." *2. dist. 21. a. 2. qq. 1—3.*

[11] „Mortale peccatum nec in quantum culpa, nec in quantum vitium, ponendum est esse in sensualitate. Et ratio hujus est, quia aliter vitiat peccatum mortale, quam peccatum veniale. Peccatum enim mortale vitiat et deordinat deordinatione perfecta, ut ita dicam, quae quidem consistit in aversione a Deo, et ejus contemptu, et deliberationis consensu, haec autem solius rationis sunt; et ideo mortale peccatum in sola ratione consistit. Deordinatio autem venialis non est deordinatio consummata, sed inchoata. Et quia deordinatio inchoari debet in potentia inferiori, et consummari in superiori; hinc est, quod veniale peccatum, in quantum vitium est, in sensualitate reperitur, non enim recte opponitur habitui virtutis, sicut vitium mortalis peccati, sed solum ex quadam inclinatione et comparatione ad terminum, ad quem disponit; vitiositas autem et deordinatio mortalis simpliciter excludit habitum virtutis; et propterea omne peccatum tale in ratione ponitur et nullum in sensualitate." *2. dist. 24. p. 2. a. 3. q. 2.* Cfr. *ibid. q. 1.*

[12] „Circa hoc duplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod Adam primo peccato peccavit mortaliter; potuisset tamen peccare venialiter, non tamen omni genere venialis . . . Verumtamen communiter non approbant eam (positionem) doctores theologiae; nam improbabilitatem habet, si quis attendat ad perfectionem status et regulam rectitudinis, in qua erat, a qua etiam, cum nullum haberet impellens, exire non poterat nisi contemnendo divinam justitiam, et foedando suam innocentiam, et corrumpendo naturam suam, quae omnia faciunt primam culpam Adae non venialem, sed mortalem fuisse, nec potuisse aliter esse. Et ideo est communis opinio, quam hodie approbant doctores, quod Adam in statu innocentiae primo peccato peccavit mortaliter, nec primum ejus peccatum veniale esse potuit." *2. dist. 21. a. 3. q. 1.*

[13] „Voluntarium partim voluntate propria, partim voluntate aliena, est veniale peccatum, illud maxime, quod consurgit ex repugnantia carnis ad spiritum, vel ex corruptione virium animae. Hoc, inquam, peccatum, quia partim est a voluntate aliena, partim a voluntate propria; ideo quodammodo secundum Augustinum tenet rationem poenae, quodammodo culpae. Propterea, dicit Augustinus, quia homo non voluit vitare peccatum, dum valuit, inflictum est ei, ut non possit, dum velit. Voluntarium, inquam, dicitur per comparationem ad voluntatem Adae, quia Adam deliberative voluit; unde et corruptio subsecuta est, ex qua oriuntur in nobis motus inordinati, qui dicuntur esse peccata venialia. Voluntarium autem voluntate propria, sive peccantis, non est omne peccatum veniale simpliciter, sed secundum quid. Illud enim est voluntarium simpliciter, quod est a voluntate praeambula et movente. Illud autem, quod oritur concomitante voluntate, et non prohibente vel praecavente, dum possit prohibere vel praecavere, dicitur voluntarium quodammodo, sive interpretative, pro eo quod talis deordinatio voluntati imputatur: et hoc modo saltem omne peccatum veniale dicitur voluntarium, quia nemo peccat venialiter, nisi cum habet voluntatis usum, nemo etiam venialiter peccat in eo, quod nullo modo potest prohibere, nec etiam potuit praecavere. Venialia enim peccata etsi omnia non possint praecaveri, nec prohiberi, nullum tamen est singulare peccatum, quod non possit prohiberi, vel quod saltem non potuerit praecaveri. Licet enim aliquis sit status, in quo necesse est aliquem cadere in aliquod peccatum determinatum, illum tamen statum potuit quis praecavere; et ideo, si non praecaverit, voluntati ejus imputatur, quamvis tunc illud prohibere non possit." *2. dist. 41. a. 2. q. 1.*

[14] „Voluntas peccandi et actus exterior peccandi, si ordinata sint ad invicem, non sunt duo peccata formaliter, quia interior voluntas et exterior actus unum dumtaxat complent peccatum." — „Opus exterius non addit iniquitatem quantum ad majorem Dei contemptum, quantum vero ad libidinem et delectationem utique aggravat, similiter quantum ad damnificationem, maxime autem quantum ad peccatum, quo quis laedit proximum." *2. dist. 42. a. 1. qq. 1. 2.*

[15] „Etsi possibile sit mulierem comedere sine viro, non tamen est possibile mulierem peccare mortaliter sine viro, sive inferiorem portionem absque superiore: et hoc patet sic. Aliud enim est peccatum mortale committere, aliud cibum vetitum degustare. Peccatum enim mortale dicit deordinationem a Deo, quae est cum consensu et contemptu: inordinatio autem talis est per aversionem et contemptum, et hoc est superioris partis, ejus enim est averti, cujus est converti; consentire autem ad illam potentiam spectat, apud quam residet judiciaria potestas et regiminis auctoritas; haec autem est superior portio rationis. Et ideo impossibile est aliquod peccatum esse mortale in nobis, quod superiori portioni non imputetur, et in quo ipsa non deordinetur propter naturam peccati mortalis, quae exigit ibi esse et contemptum aversionis et consensum deliberationis, quorum utrumque est superioris partis." *2. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 2.*

[16] „Multis modis dicitur peccatum unum esse gravius, sive majus altero. Primo modo causalitate: et sic peccatum diaboli dicitur esse majus, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Secundo modo generalitate: et sic peccatum primi parentis dicitur fuisse majus, quia in totum genus humanum se diffudit. Tertio modo enormitate: et sic peccatum Judae dicitur esse maximum, quia vendidit Deum. Quarto modo ingratitudine: et sic peccatum illius dicitur esse majus, qui plura percepit dona gratiarum. Quinto modo periculositate: et sic peccatum ignorantiae dicitur esse maximum, quia periculosum. Sexto modo inseparabilitate: et sic peccatum cupiditatis dicitur esse maximum, quia quum alia vitia cum homine consenescant, sola avaritia juvenescit. Septimo modo importunitate: et sic superbia dicitur esse maximum, quia etiam ex ipsis bonis operibus consurgit. Octavo modo pronitate: et sic luxuria dicitur esse gravius, ad quam homines magis sunt proni. Nono modo majoris gratiae impugnatione: et sic peccatum in Spiritum sanctum dicitur esse maximum. Decimo modo ratione majoris offensae: et sic peccatum idololatriae dicitur esse maximum. Undecimo modo ratione facilitatis resistendi: et sic dicit Magister, quod peccatum Adae fuerit gravissimum. Duodecimo modo ratione

improbitatis atque libidinis: et sic cujusque generis peccatum majus potest fieri ab altero." *2. dist. 33. dub. 2.*

[17] „Est ratio ex istarum potentiarum connexione, quoniam inter superiorem portionem et inferiorem lex conjugii est; et ideo una tenetur alteram regere et reprimere. Non sic autem est inter sensualitatem et inferiorem portionem: et propter hoc, cum inferior portio deordinatur, negligentiae viri, qui debuit eam reprimere, imputatur, et pariter cum illa culpabilis judicatur." *2. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 2.*

[18] „Mora temporis, quantum est de se, non facit, ut quod prius erat veniale, fiat mortale, sed solum occasionaliter, videlicet quod inducit consensum verum vel interpretativum. Tunc autem inducit consensum verum, quando ex diuturnitate delectationis crescit libido, adeo ut homo velit omnino in vitiorum delectatione persistere et morari. Tunc vero inducit consensum interpretativum, quando homo advertens periculum delectationis retentae, negligit eam reprimere; hoc enim non est absque contemptu salutis propriae, pro eo quod discrimini se exponit. Illa enim delectatio subintrat sicut serpens, et venena diffundit, per quae rationalis spiritus interit morte culpae. Sicut igitur salutem suam corporalem negligeret, qui serpentem juxta se scienter collocaret; sic in tali delectatione advertens periculum, vel debens advertere, voluntarie versatur, exponit se discrimini, quando negligit repellere." *2. dist. 24. p. 2. dub. 1.*

[19] Aliqualis tantum fit imitatio primi peccati in actuali, nam „peccata parentum non transfunduntur in filios, quoad culpam." — „Ratio autem hujus est, quia duo sunt in peccato, videlicet privatio debiti et conversio indebita: et secundum hoc duo ponuntur in peccato, deformitas et macula. Macula namque ponitur ex conversione, sed deformitas ex debiti privatione, manente obligatione. Ad hoc igitur, quod aliquis possit peccatum ex patre contrahere, necesse est, quod in illo possit ad aliquid obligari, et possit eo bono, ad quod obligatur, in ipso privari, et quod possit etiam maculari. Hoc autem solum fuit in primo parente. Ad aliquid enim tota humana natura et omnes ejus posteri in illo obligati sunt, videlicet ad habendam rectitudinem justitiae, sive non concupiscendum, et in illo per ejus aversionem illa rectitudine privati sumus. Et quia illa obligatio carnem suam infecit infectione foeditatis et passione mortalitatis, et caro nostra habet propagari ex illa; hinc est, quod in illo habemus infici, et ab illo traducimus singulariter peccatum secundum plenam rationem. In nullo autem posterorum nova obligatione obligantur filii in parente, nec etiam caro transfundenda inficitur nova infectione ex alicujus culpae actualis perpetratione. Et hinc est, quod nullus parens proximus potest in prolem suam culpam actualem transfundere." *2. dist. 33. a. 1. q. 1.*

CAPUT IX.

De origine et distinctione capitalium peccatorum [a].

a) Peccatorum om. ed. 1484.

(Peccatorum capitalium unum est initium, — duplex radix, — triplex fomentum, — septiforme caput.)

Consequenter descendendum est ad ortum peccatorum in speciali [1], inter quae quaedam sunt capitalia, quaedam poenalia, quaedam finalia, sive irremissibilia; quasi prima, media et postrema. Circa ortum vero peccatorum capitalium hoc est in summa tenendum, videlicet quod peccatorum actualium unum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput, sive capitale peccatum [2]. Unum, inquam, est initium [b], scilicet superbia, juxta quod dicit Scriptura: *Initium omnis peccati superbia (Eccli. 10, 15).* Duplex radix, scilicet timor male humilians et amor male accendens [c]. Triplex fomentum, secundum tria, quae sunt in mundo, scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum* et *superbia vitae (1. Jo. 2, 16).* Septiforme vero caput, scilicet superbia, invidia, ira, acidia, avaritia, gula et [d] luxuria. Inter quae quinque praecedentia sunt peccata spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia [3].

b) Capitale ante initium recte om. A BD et ed. Aug.

c) Accendens ex ed. 1484. In cet. accedens minus recte.

d) Et om. ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum [e] haec est: quia cum peccatum mortale sit actualis a primo principio recessus, recessus autem a primo principio non potest esse nisi per contemptum ipsius, vel in seipso, vel in suo praecepto, contemptus autem primi principii cum sit superbia; necesse est, quod omnis mortalis peccati [f] culpa, sive offensa, initium sumat a superbia. Quia vero nullus contemnit primum et [g] summum principium, vel ejus praeceptum per se, nisi per hoc quod aliquid aliud ab ipso vel vult acquirere, vel timet perdere; hinc est, quod necesse est omne peccatum actuale

e) Ita ABCD EFGH et editt. Arg. Aug. Nor.; horum ed. Rom. et 1484.

f) Peccati om. ed. 1484.

g) Primum et om. ibid.

originem trahere a duplici radice, scilicet timore et amore, qui radices sunt malorum, licet non aeque primae. Nam omnis timor ortum habet ab amore, nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere; et ideo per ea habet foveri timor, per quae fovetur et amor. Amor autem inordinatus est respectu commutabilis boni. Et quoniam illud est triplex, scilicet interius excellentia, exterius pecunia, inferius carnalis lascivia; hinc est, quod necesse est esse tria peccatorum actualium radicalia fomenta, quae superius sunt praetacta, ad quae dum anima inordinate fertur [4], omnia peccata actualia oriuntur.

Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo septem sunt peccata capitalia, ex quibus generatur universitas vitiorum. Voluntas enim nostra aut deordinatur, quia appetit, quod non est appetendum; aut quia refugit, quod non est refugiendum. Si quia appetit, quod non est appetendum, utpote bonum ut nunc, sive commutabile, sive apparens bonum; aut est interius, et sic est privata excellentia, quam amat superbia [5]; aut exterius, et sic est sufficientia, quam amat avaritia [6]; aut inferius, et sic aut delectabile, quia ad conservationem individui, et [h] sic alimentum, quod est delectabile secundum gustum, et appetitur a gula [7]; aut quia ad conservationem speciei, et sic coitus, qui est delectabilis secundum tactum *(Aug. serm. 159 de verb. apost.)*, et appetitur a luxuria [8]. Si autem voluntas deordinatur, quia refugit, quod non est refugiendum; hoc potest esse tripliciter, secundum triplicem modum refugiendi. Aut enim refugit secundum perversum instinctum ipsius [i] rationalis, et sic est invidia [9]; aut secundum instinctum irascibilis, et sic ira [10]; aut secundum instinctum concupiscibilis, et sic est [j] acidia [11]. Unde quia quatuor sunt principalia appetibilia, et tres vires, secundum quarum instinctum est fuga; ideo tantum septem sunt capitalia peccata. Rursus, quia sensus appetibilis est cum delectatione, sensus autem rei fugiendae est cum dolore; hinc est, quod quatuor habent conjunctam laetitiam, tria vero alia habent adjunctam tristitiam et poenam; omnia tamen dicuntur capitalia, quia deordinationes sunt principales, et multarum aliarum deordinationum sunt principia suo modo influentia. Unde licet quaedam ex his principaliter fugam respiciant, habent tamen et [k] ipsa delectabilia sua. Nam invidia vult privatum bonum possidere sine socio, et ita integraliter: ira sine contrario, et ita imperturbabiliter: acidia sine labore aliquo, et ita infatigabiliter. Et quia haec non de facili obtinentur, ideo magnum exercitum [l] vitiorum secum trahunt ad hujusmodi, quae appetunt exequenda, vel ad ea, quae respuunt [m] declinanda, respectu quorum dicuntur capitalia peccata, quasi capita, ex quibus manant alia quamplurima.

h) Et om. ibid.

i) Ipsius om. ABCDEFGK et editt. Arg. Aug. Nor.

j) Est om. ed. 1484.

k) Et ACDE FGH et editt. Aug. Nor. Ven. et 1484; ex ed. Rom.

l) Ita editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484; exercitium Rom.

m) Respiciunt ed. 1484.

Ad Caput IX.

[1] „Dupliciter contingit loqui de peccato, aut in concretione, aut in abstractione. Si in abstractione, sic dicendum est, quod quemadmodum peccatum, cum sit privatio, non habet ordinari in genere, nisi per accidens, scilicet per comparationem ad suum oppositum, sic etiam non habet formaliter distingui nisi ratione sui oppositi, privationes enim distinguuntur per habitus. Unde sicut castitas et fortitudo sunt virtutes formaliter differentes in genere virtutis, sic etiam luxuria et pusillanimitas, quae opposita sunt istarum duarum virtutum, formaliter dicuntur differre in genere vitiorum, non tamen secundum formam suam, sed secundum formam sui oppositi. Si autem loquamur de peccato in concretione, sic non tantum dicit privationem, sed etiam actum, vel habitum substractum. Et quoniam actus vel habitus substratus peccato non tantummodo diversificat materialiter, immo etiam formali differentia, alia enim est pronitas ad luxuriam, alia pronitas ad superbiam, et alius actus, quo superbit aliquis,

et alius quo luxuriatur, non tantummodo secundum materiam, sed etiam secundum formam, propter formalem differentiam objectorum; hinc est, quod peccatum, secundum quod concretive accipitur, dividi habet per differentias non tantum materiales, verum etiam formales, formales dico non respectu deformitatis, sed respectu habitus, vel actus substrati." *2. dist. 42. a. 3. q. 1.*

[2] „Capitale vitium dicitur, quia sicut caput est membrum principale et completum, et aliorum membrorum principium quantum ad motum et sensum; sic vitium, quod dicitur capitale, nominat peccatum completum, a quo alia vitia oriuntur. Initium vero nominat proprie illud, in quo actus inchoatur. Radix autem illud, a quo nutrimentum trahitur et fomentum. Unde cum peccatum nutrimentum trahat ex parte appetibilis, et dicat recessum a Deo; hinc est, quod initium peccati attenditur ex parte aversionis, radix vero ex parte conversionis. Et sic aversio est ratione contemptus, conversio vero est ratione cupiditatis et libidinis. Et ideo superbia dicitur initium omnis peccati, cupiditas radix omnium malorum." *Centilog. p. 1. sect. 16.* Vide etiam *2. dist. 42. dub. 4.*

[3] „Ordinantur vitia capitalia secundum connexionem, qua fit, ut unum ex altero proferatur. Nam superbus non vult subesse majoribus, vult praeferri aequalibus, vult conculcare minores. Et si non potest, invidet majoribus, quia principantur; aequalibus, quia prosperantur; minoribus, quia exaltantur. Et cum sic nihil proficiat, concipit iram de facili ad majores, mediocres et minores. Deinde decidit in acidiam, qua mentis tranquillitas perturbatur. Et tunc, cum interiorem consolationem amiserit, ad exteriorem per avaritiam se convertit; et sic factus opulentus immoderate per ingluviem farcit ventrem, et postremo ad luxuriam resolvit carnem, a summo rationis vertice usque ad carnis infimum depravatus. Sic patet, quod quinque prima sunt spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia." *Cent. p. 1. sect. 15.*

[4] „E contrario est in bonis voluntatibus et in malis. Nam bonarum voluntatum unicus est finis ... Sive enim sic, sive sic, licet contingat plures fines proximos et proprios assignare; tamen finem ultimum et principalem necesse est esse unicum, videlicet ipsum Deum. Et ratio hujus est perfectio amoris moventis, et perfectio appetibilis quietantis. Quia enim amor caritatis liberalis est, et non quaerit quod suum est, sed commune bonum; hinc est, quod plures homines ex caritate moti idem bonum appetunt finaliter. Rursus, quia appetibile illud completissimum est, in quo non solum contingit reperiri bonum perfectum, sed etiam omne bonum; hinc est, quod omnes voluntates, quantumcumque diversae, ibi inveniunt finem suum, in quo quietantur. E contra est in malis voluntatibus propter imperfectionem amoris et appetibilis. Propter imperfectionem namque amoris libidinosi voluntates solo numero differentes diversos habent fines, propterea quod amor libidinosus semper quaerit quod suum est: et quia semper quaerit bonum proprium, ideo etsi multi ex amore libidinoso conveniant in actum unum, tamen unusquisque quaerit finem suum proprium ... Propter imperfectionem etiam appetibilis necesse est diversas voluntates formaliter differentes habere diversos fines: quia enim luxuria appetit jucunditatem et laetitiam, et avaritia sufficientiam, et superbia excellentiam, et haec omnia non contingit reperiri circa eamdem rem creatam, sed circa diversas; hinc est, quod voluntates malae differentes formaliter non unum, sed diversos fines sibi constituunt." *2. dist. 38. a. 1. q. 4.*

[5] „Circa superbiam tria sunt attendenda, scilicet definitio, differentia et gradus. Superbia definitur sic a Bernardo *(epist. 42 ant. med.)*: Superbia est propriae excellentiae appetitus ... Secundum Gregorium habet quatuor differentias. Prima est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet. Secunda est, quando, etsi non sibi, tamen suis meritis. Tertia est, quando jactat se habere, quod non habet. Quarta est, quando se existimat aliis praevalere; unde versus: *A se, pro meritis, falso, plus omnibus inflat* ... Gradus superbiae secundum Bernardum *(tract. de grad. humil. § 1)* sunt duodecim, scilicet curiositas, levitas mentis, inepta laetitia, jactantia, singularitas, arrogantia, praesumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo. His, quasi quibusdam passibus, superbus diligenter ad finem, quem intendit, pervenit. Curiositas est, quando superbus diligenter inquirit rumores, scilicet quid de ipso dicatur. Levitas mentis est, quando leviter aliquis mutatur de delectatione ex verbis laudis in tristitiam propter verba vituperii. Inepta laetitia est, quando laetatur ex defectibus et criminibus aliorum. Jactantia est, quando narrat ea, quae habet, ut laudetur. Singularitas est, quando propter consuetudinem aliqua singulariter operatur, ut solus appareat, et laudetur. Arrogantia est, quando jactat se habere, quod non habet. Praesumptio est, quando ingerit se ad faciendum, quod ad eum non pertinet. Defensio peccati est, quando peccatum suum et errorem defendit, et excusat quis manifeste et aperte. Simulata confessio est, quando peccatum suum excusat occulte. Rebellio, quando dissidet, scilicet superioribus, paribus et inferioribus: superioribus obviat, inferiores opprimit, pares molestat et perturbat. *Centilog. p. 1. sec. 17.*

[6] „Augustinus, super Genesim ad literam, definit sic avaritiam: Avaritia est appetitus non solum pecuniae, sed etiam altitudinis et scientiae ... Duplex est actus avaritiae, scilicet diligere pecuniam, et retinere, sive non dare. Ratione primi actus, avaritia opponitur caritati, quae bonum diligit incommutabile. Ratione vero secundi actus, opponitur largitati, sive liberalitati, quae dat danda, et retinet retinenda. Duplex quidem est actus largitatis, scilicet dare danda, et retinere retinenda. Cujus duplex est extremitas vitiosa, scilicet prodigalitas, quae dat non danda, et avaritia, quae retinet non retinenda. Largitas sive parcitas, quod idem est, est virtus, tamen ratione actuum differens erit medietas. Si autem attendatur oppositio secundum actum dandi, prodigalitas est superfluitas, quae dat non danda; avaritia est diminutio, quae nihil dat; largitas est medietas. Si vero ordinatur secundum actum retinendi, avaritia est superfluitas, quae retinet retinenda, et non retinenda; prodigalitas est diminutio, quae nihil retinet; parcitas vero est medietas. Differentiae avaritiae sunt quinque, scilicet beneficii subtractio, furtum, rapina, usura, simonia. Subtractio beneficii est avaritia retinens beneficium, quod tenetur dare pauperibus in tempore necessitatis, ut dives indigenti. Furtum est avaritia retinens rem alienam invito domino. Rapina est avaritia per vim

occupans rem alienam. Usura est avaritia acquirens per mutuum aliquid praeter sortem. Simonia est avaritia studiose appetens vendere, vel emere spiritualia, vel spirituali annexum. Filiae avaritiae, secundum Gregorium *(lib. 31. Mor. c. 17)*, sunt septem, scilicet proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo mentis, violentia, obduratio mentis contra misericordiam. Proditio est voluntas per deceptionem domesticorum acquirendis inhians. Fraus est voluntas profectum proximi decipiens, propter terrenum emolumentum. Fallacia est voluntas per verba decipiens proximum, causa lucrandi. Perjurium est voluntas violans sacramentum et juramentum. Inquietudo mentis est voluntas cogitare non cessans, qualiter possit divitias congregare. Violentia est voluntas per vim aliorum bona rapiens. Obduratio mentis contra misericordiam est voluntas concitata adversus postulationem indigentis, ex nimio ardore pecuniae retinendae." *Centiloq. p. 1. sect. 22;* et *Pharet. l. 2. c. 11.*

[7] „Definitur gula quantum ad excessum in cibo sic: Gula est immoderatus amor edendi. Quantum vero ad excessum in potu dicitur ebrietas, quam definit Seneca *(epist. ad Lucil. 83)* sic: Nihil aliud definio ebrietatem, quam insaniam voluntariam. Quantum vero ad excessum cibi et potus, sic potest definiri: Gula est immoderatus amor alimenti ... Differentiae sive conditiones gulae, secundum Isidorum *(sen. l. 2. c. 42);* sunt quatuor, scilicet quid, quantum, quando, quomodo. Quid, ad ipsam rem pertinet; quando, si ante legitimum tempus appetat; quantum, ad immoderantiam refertur; quomodo, si nimis ardenter appetat ... Quinque sunt filiae gulae secundum Gregorium *(l. 31. Mor. c. 17)*, scilicet inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis, vel sensus circa intelligentiam. Inepta laetitia est voluntas per exteriores lusus excitans libidinem in gustu, et ex ipsa postmodum excitata. Scurrilitas est voluntas per verba carnalia libidinem gustus commovens, et ex ipsa postmodum commota. Immunditia est voluntas per nimiam cibi sumptionem, libidinem in gustu continuare desiderans. Multiloquium est voluntas per multiplicationem verborum, intendens in gustu conservare libidinem. Hebetudo mentis est voluntas libidinis conservandae propriae carnis absorpta, intelligere spiritualia fastidiens." *Centiloq. p. 1. sec. 23;* et *Pharet. l. 2. c. 12.*

[8] „Luxuria est libidinosae voluptatis appetitus ... Quintuplex tentatio est luxuriae, secundum quod in hoc versu continetur: *Visus et alloquium, contactus et oscula, factum.* Hoc quippe ordine tentatio luxuriae consummatur. Primo enim inchoatur in visu exteriori, sive interiori, ut in cogitatione; deinde venitur ad alloquium; postea transitur ad contactum; deinde prorumpitur ad osculum; postea consummatur per factum. Differentiae luxuriae sunt sex, scilicet fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, peccatum contra naturam. Fornicatio est luxuria, qua solutus cognoscit solutam naturali usu. Et intelligitur, et solutus et soluta a vinculo conjugii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis et religionis, vel voti continentiae. Adulterium est luxuria, qua conjugalis thorus violatur. Stuprum est luxuria, qua virginalis incorruptio violatur, seu defloratur. Sacrilegium hîc appellatur sacrae personae laesio per vitium luxuriae; et melius luxuria sacrilega diceretur. Haec est luxuria, qua votum continentiae violatur; et hoc in se, vel quando in sacris ordinibus constitutus, vel religiosus aliquis fornicatur cum aliqua soluta, vel soluta aliqua cum religioso, vel sacerdote. Incestus est coitus contra consanguinitatem, affinitatem, vel compaternitatem commissus. Peccatum contra naturam est luxuria, qua naturalis usus coëundi maris et feminae dissipatur. Filiae luxuriae secundum Gregorium *(lib. 31. Moral. c. 17)*, sunt octo, scilicet caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror, sive desperatio futuri saeculi. Caecitas mentis est voluntas fastidiens, et despiciens superiora et spiritualia. Inconsideratio est voluntas, praevidere renuens agenda inferiora. Inconstantia est voluntas libidine carnis confracta, statum suum tenere non valens. Praecipitatio est voluntas ad aggredi quaelibet impetuose. Amor sui est voluntas affectione carnis imbuta, sibi propter se super omnia adhaerens. Odium Dei est voluntas Deum, tanquam impedimentum propriae voluntatis carnalis, vel voluptatis, detestans. Affectus praesentis saeculi est voluntas praesens saeculum semper manere desiderans, propter fruitionem voluptatis carnis. Desperatio, sive horror futuri saeculi, est voluntas voluptate praesenti caecata, de aeterna jucunditate desperans." *Cent. p. 1. sect. 24;* et *Pharet. l. 2. c. 13.*

[9] „Invidia est odium felicitatis alienae *(Aug. Enarr. in Ps. 104)* ... Differentiae invidiae materialiter assignatae secundum Augustinum *(l. 11. in gen. cap. 13)*, sunt tres, scilicet invidere superioribus, paribus et minoribus, sive inferioribus. Invidet enim homo superioribus, quia eis non aequatur: paribus, quia in melius prosperantur: inferioribus, ne ei aequentur ... Filiae invidiae secundum beatum Gregorium sunt quinque, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis ipsius. Odium est voluntas affectans proximo malum, ut careat contristante bono. Susurratio est voluntas loquendi seminans discordias inter fratres, ut persequatur proximum propter ipsius bonum contristans. Detractio est voluntas famam proximorum per verba denigrans, ut destruat in aliorum opinione ... contristans bonum. Exultatio in adversis proximorum est voluntas procurata in proximi adversitate delectans. Afflictio in bonis proximi est voluntas procurans malum suo desiderio, per eventum prosperitatis contrariae defraudata." *Cent. p. 1. sect. 19;* et *Pharet. l. 2. c. 3.*

[10] „Ira est animi motus concitatus, ad poenam provocans inferendam ... Species, sive differentiae irae sunt tres secundum Damascenum *(Orth. fid. l. 2. c. 16)*, scilicet fel, mania, cotus. Fel, sive fellea passio, dicitur subitus animi motus impatiens laesionis. Et accidit ex parte corporis, ex commotione fellis; et ex parte animae, ex corruptione vis irascibilis: et tunc movetur fel ad vindictam, ut expellatur tristitia ... Filiae irae, secundum beatum Gregorium, sunt sex *(l. 31. Moral. c. 17)*, scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. Rixa est audax vindicandi voluntas, in injuriam facti procedens. Tumor mentis est voluntas vindicandi, fugiens adversantem, propter aestimatas inimicitias. Contumelia est voluntas vindicans per exprobrationem malorum. Clamor est voluntas se vindicans in exaltando vocem, per

vituperium, ad aliorum aures perveniens. Indignatio est voluntas se vindicans per signum molestiae exterius declaratum. Blasphemia est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum.“ *Centiloq. p. 1. sect. 20;* et *Pharet. l. 2. c. 9.*

[11] „Acidia est taedium interni boni. Secundum beatum Gregorium *(l. 31. Mor. c. 17)*, habet sex filias, quae sunt videlicet malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis circa illicita. Malitia est voluntas gravedinis impatiens, machinans malum illius, quem aestimat inferentem. Rancor est voluntas ex impotentia repellendae gravedinis amaricata, amaritudinem intus clausam per signum exterius manifestans. Pusillanimitas est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum, sive de propriis viribus immoderate diffidens. Desperatio est voluntas gravedinem reprimens, de adjutorio ad perficienda agenda diffidens, sive de remuneratione divina, propter sustinentiam gravedinis, quae est in implendis praeceptis diffidens. Torpor est voluntas gravedinis impatiens, tepida, vel pigra ad expletionem agendorum inchoatorum. Vagatio mentis circa illicita est voluntas interno gaudio destituta, in rebus exterioribus illicitis quietem, vel consolationem quaerens.“ *Cent. p. 1. sect. 21;* et *Phar. l. 2. c. 10.*

CAPUT X.

De origine et qualitate poenalium peccatorum [a].

a) Peccatorum om. ed. 1484.

(Malum est duplex, culpae et poenae: — inter se differunt. — Quaedam peccata sunt etiam poenae peccati. — Quaelibet poena, qua talis, est a Deo: — nulla culpa est a Deo, sed a libero arbitrio: — poena mere poena est a Deo: — poena conjuncta culpae, vel ad culpam inclinans, est contracta vel acta.)

De peccatis [b] poenalibus hoc tenendum est, quod licet malum culpae et malum poenae sint diversae malorum differentiae; quaedam tamen sic sunt peccata, quod etiam [c] sunt poenae peccati. Speciali namque modo peccata et poenae peccati dicuntur illa, quae habent adjunctum dolorem et moestitiam, sicut acidia, invidia et consimilia. Minus specialiter dicuntur illa, quae habent adjunctam vel meram depravationem naturae, vel ignominiam [d] vel ignorantiam, sicut sunt illa, propter quae dicitur peccator *in reprobum sensum tradi (Rom. 1, 28).* Generaliter autem peccata, quae sunt inter primam apostasiam et ultimam gehennae poenam, et peccata possunt dici, et poenae peccati, juxta quod dicit Gregorius *(lib. 25. Moral. c. 9):* Crimina criminibus vindicari. Licet autem idem dicatur peccatum et poena peccati, tenendum tamen est, quod omnis poena, in quantum poena, justa est, et a Deo: nulla vero culpa justa est, nec a Deo, sed tantum a liberae [e] voluntatis arbitrio. Poena vero, quae mere est poena, a Deo est inflicta: quae vero est culpa vel inclinans ad culpam [f], est contracta vel acta.

b) Autem add. ABCDE FGH.
c) Et ed. 1484.
d) Vel ignorantiam om. ABCDEFG et editt. Arg. Nor. E contra editt. Aug. Ven. et 1484 habent: vel ignorantiam, sed om. vel ignominiam.
e) Libero ed. 1484.
f) Culpa est ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum malum dicat recessum a primo principio, per hoc quod nocet bono, non autem nocet bono, nisi aliquid adimendo de bono, bonum autem consistit in modo, specie et ordine; nullum [g] est malum, quod non sit modi, speciei et ordinis corruptivum *(Aug. de nat. bon. c. 4).* Ordo autem duplex est, scilicet ordo [h] naturae et ordo justitiae. Ordo autem naturae est in bono naturali, ordo justitiae in bono morali. Et quia [i] bonum naturale in omni natura, bonum morale in voluntate habet consistere; ideo ordo naturae est in omni natura, ordo autem justitiae in voluntate electiva habet consistere. Et quia voluntas est instrumentum seipsum movens, natura vero non; hinc est, quod ordo justitiae est ordo non tantum factus, sed etiam factivus, ordo autem naturae est [j] ordo factus. Quoniam ergo malum potest privare ordinem justitiae et ordinem naturae; hinc est, quod duplex est malum, scilicet culpae et poenae [1]. Rursus, quia ordo justitiae est ordo voluntarius; hinc est, quod malum culpae est affectio voluntaria, malum autem poenae est affectio

g) Enim add. ibid.
h) Ordo hic et inferius om. ibid.
i) Quod ibid.
j) Est om. ibid.

involuntaria. Postremo, quia ordo justitiae, qui inest voluntati, est ordo factivus [k]; ideo malum culpae, quod est ejus privatio, est malum, quod facimus, et malum poenae est malum, quod patimur [2]. Et quia non est passio, nisi naturaliter praecedat actio, nec est actio, ad quam non sequatur aliqua passio; hinc est, quod nulla est poena sine praecedente merito culpae [3], nulla est et [l] culpa, quin comitetur aliqua poena [4]. Et quoniam quod facimus, a nobis est, quod nos vero patimur, potest esse a nobis et ab aliis, utpote a causa superiori vel inferiori; ideo licet omnis culpa sit a nobis, non tamen omnis poena est a nobis, immo quaedam est a nobis acta, quaedam inflicta, quaedam contracta. Et quia eum, qui facit, quod non debet, justum est pati, quod debet; ideo omnis poena, in quantum poena, justa est, et a divina providentia, quia est [m] ad culpam ordinata, et ipsius culpae ordinativa [5]. Quia vero passio illa potest esse per ademptionem boni naturalis, vel boni moralis cum naturali; hinc est, quod quaedam poena est mere poena, quaedam vero est poena et culpa; quia bonum morale, quod est justitia, non adimitur [n] nisi per injustitiam, quae est culpa. Prima igitur poena est a Deo, et secundum quod poena, et secundum id, quod est [o] [6]: a Deo, inquam, non instituente, sed vindicante [7]. Secunda vero, cum sit culpa, secundum id, quod culpa [p] est, a Deo non est, nisi [q] solum quantum ad ordinem [r] [8]; ipsa vero, vel est acta, si sequatur ad actuale [s], vel [t] est contracta, si sequatur ad originale. Si igitur proprie accipiatur malum, secundum quod est privatio boni naturalis, et affectio involuntaria, et malum quod patimur, sic non coincidit cum malo culpae in idem, licet sit annexum eidem. Si vero accipiatur [u] large, ut dicatur malum, quod patimur, sive a nobis, sive aliunde, sive in natura, sive in voluntate; sic coincidunt in idem, sed non ad idem, vel secundum idem; quia quod est in se culpa, dicitur respectu [v] praecedentis culpae poena [9], vel culpa ratione actionis, poena dicitur esse ratione passionis [10]. Et sic patet, quo modo, pro quanto, et quare [x] aliquid simul dicatur esse peccatum et poena peccati.

k) Postremo ordo justitiae, quia voluntarius in voluntate est ordo factivus, ed. 1484.
l) Etiam ibid.
m) Est om. ibid.
n) Amittitur ibid.
o) Secundum id, quod est, a Deo est: a Deo inquam etc. ibid.
p) Culpa om. ibid.
q) Sed ibid.
r) Originem ibid.
s) Actualia ibid.
t) Vel om. ibid.
u) Accipias ibid.
v) Respectu om. ibid.
x) Qualiter ibid.

Ad Caput X.

[1] „Malum culpae est carentia debitae honestatis: malum poenae est abstinentia debitae delectationis cum sensu sui contrarii.“ *Decl. Term. Theol.*

[2] „Poena ratione poenae duo nominat, videlicet nocumentum naturae et instrumentum divinae justitiae, unum tanquam materiale, reliquum tanquam formale. Unde poena est et ultio, et est etiam passio. Cum ergo poena comparatur ad aliquid, hoc potest esse aut in quantum ultio, aut in quantum passio. Si in quantum ultio, sic proprie habet comparari ad ipsam voluntatem. Deus enim non ulciscitur se de manu, vel pede, vel aliqua potentia sensitiva, sed de voluntate deliberativa, de qua ulciscitur Deus non solum affligendo ipsam in se, sed etiam affligendo eam in ceteris membris corporis, in quibus ipsa cupiebat delectari. Si autem comparetur poena ad aliquid, in quantum est passio, sic dicendum est, quod cum non quaecumque passio poena sit secundum completam rationem poenae, sed passio laedens, passio affligens, passio displicens; sic poena, secundum quod plene tenet rationem poenae, scilicet poena, quae facit hominem esse miserum, adhuc respicit voluntatem ratione sui completivi. Nemo enim plene miser est, sicut dicit Augustinus, ex hoc quod patitur solum, sed ex hoc quod patitur, et scit se pati, et non vult se pati. Secundum autem quod passio tenet semiplenam rationem poenae, prout dicitur passio laedens vel affligens, in eo, in quo non est nata esse, quantum est de prima conditione naturae, sic non tantum respicit voluntatem, sed etiam omnes potentias animae et omnia membra corporis, non tamen respicit illa sine voluntate, quia in nullo potest esse poena, nisi in quo est rationalis voluntas. Unde bruta, quamvis patiantur, non tamen puniuntur. Sic igitur patet, quod poena, et in quantum est ultio, et in quantum est passio plene tenens rationem poenae, directe respicit ipsam voluntatem, ita quod proprium est ipsius voluntatis puniri ... In quantum tamen est passio laedens, vel affligens, habet respicere alias potentias, et etiam corporis organa.“ *2. dist. 41. a. 2. q. 3.*

[3] „Cum dicitur culpa praecedens esse meritum sequentis, hoc non est quantum ad meritum condigni, sed congrui; quae quidem congruitas in alia congruitate de facili

potest recompensari. Sicut enim est congruum, quod Deus peccatorem permittat labi in aliud peccatum, sic est etiam congruum, ut quia male usus est vitâ, eam sibi auferat, et in infernum demergat. Sicut etiam congruum est, ut dimittat eum cadere in aliud peccatum, sic etiam congruum est, ut, si velit abstinere, det ei auxilium, ut in aliam culpam non corruat." *2. dist. 36. a. 1. q. 1 ad 3.*

[4] „Impossibile est culpam in aliquo esse, quin ad ipsam sequatur poena inseparabiliter. Et ratio hujus potest sumi ex perfectione divinae aequitatis, et ex pulchritudine universitatis, et ex inordinatione culpae, et ex conditione peccantis naturae. Ex perfectione divinae aequitatis ratio sumitur sic. Tantae enim aequitatis est Deus, qui est judex omnium, ut non patiatur dedecus peccati ad modicum esse sine decore justitiae, omni enim modo debet justitia injustitiam superare. Ex pulchritudine universitatis ratio sumitur. Universum enim ex ordine pulchritudinem habet, et talis est ista pulchritudo, qualem decuit fieri ad ostensionem summae sapientiae; et ideo nullo modo foedari potest, ac per hoc nec ad momentum esse in ea aliquid inordinatum, et ita nec peccatum a poena separatum. Ex corruptione culpae ratio sumitur. Nunquam enim culpa committitur, quin modus, species et ordo circa actionem voluntatis privetur; et dum voluntas se voluntarie in actu suo deordinat, semetipsam incurvat, et dum incurvat, modo, specie et ordine privatur quantum ad habilitatem ad bonum: talis autem privatio magna est in ipsa anima damnificatio et laesio ... Ex conditione peccantis naturae ratio sumitur. Quia voluntas rationalis, quae est causa peccati, quasi media est inter sensualitatem et synderesim, media est etiam inter Deum et alias creaturas; et cum se convertit ad haec inferiora, ab eo recedit, qui sursum est; et dum acquirit parvum bonum, amittit magnum bonum, quia dum acquirit ut nunc bonum, amittit simpliciter bonum; et quae erat media, facit seipsam infimam. Similiter cum peccando concordat cum sensualitate, discordat cum synderesi; et dum cum synderesi discordat, incurrit ex illa repugnantia remorsum quemdam et afflictionem internam; et ita dum peccat, perdit magnum bonum, perdit honorem proprium, perdit solatium, et incurrit remorsum. Et sic patet, quod ad culpam inseparabiliter sequitur poena." *2. dist. 36. a. 2. q. 1.*

[5] „Malum poenae dupliciter potest ordinari. Uno modo ad malum culpae, quod puniendo ordinat. Alio modo in comparatione ad bonum, quod Deus elicit ex illa poena. Dico igitur, quod si aliqua poena infligatur, cujus ordinatio principaliter consistat in comparatione ad malum culpae puniendum, necesse est aliquam culpam praecessisse; nec tantum praecessisse, sed etiam aliquo modo concomitari inseparabiliter. Poena enim ordinata ad puniendum culpam, aut est directe ordinata ad solum puniendum, aut est ordinata principaliter ad malum excludendum. Primo modo est poena infernalis, et secundo modo est poena purgatoria. Et primo modo requirit poena praesentiam culpae secundum deformitatem et maculam. Secundo modo requirit culpae praesentiam secundum reatum et sequelam. Si autem poena infligatur principaliter propter ordinem, quem habet ad bonum, quod inde elicitur; aut ergo propter bonum proprium, aut propter bonum alienum. Si propter bonum proprium, sic requirit, quod in subjecto illo aliquando fuerit culpa, et quod possit esse de futuro. Si autem propter bonum alienum, sic sufficit poenae, ut fuerit culpa in alio, quam in eo qui punitur, in eo videlicet, pro quo poena illa sustinetur, per quem modum fuit in Christo, cujus mors et passio erat ordinata ad redimendum genus humanum, et liberandum, et reparandum a lapsu, in quem ceciderat ex peccato primi parentis." *2. dist. 36. a. 2. q. 2.* — „Omne flagellum contingit et est ordinatum aut ad utilitatem flagellati, aut ad gloriam flagellantis. Si ad utilitatem flagellati, aut ut promoveatur in bono; et est exemplum de Job: aut ut conservetur; et est exemplum in beato Paulo: aut ut reducatur ad bonum; et est exemplum in Maria sorore Moysi. Aut ad gloriam flagellantis, et hoc dupliciter, aut ut manifestetur potentia in miserendo; et est exemplum in caeco nato, quem Dominus illuminavit *(Jo. 9, 1)*: aut ut manifestetur potentia in judicando; et est exemplum in Antiocho. Aliter possunt distingui, quia omne flagellum aut est ordinatum ad bonum, aut contra malum. Si ad bonum, aut promovendum, aut demonstrandum: si contra malum, aut evitandum, aut corrigendum, aut vindicandum ... Sunt et alii modi speciales et utilitates ... Erudit: Per omne flagellum erudieris Jerusalem *(Jerem. 6, 8)*. Vertit, id est convertit: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt (Ps. 15, 4)*. Probat: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Eccli. 27, 6)*. Laetum facit: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis (Jacob. 1, 2)*. Arctat: *Vexatio dabit intellectum auditui (Isai. 28, 19)*. Confortat: *Haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat (Job 6, 10)*. Satiat, id est, foecundat: *Quanto magis opprimebant, tanto magis multiplicabantur (Exod. 1, 12)*. Consummat: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam istorum est regnum caelorum (Matth. 5, 10)*. Coronat: *Id, quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis (2. Cor. 4, 17)*." *4. dist. 15. p. 1. dub. 2.*

[6] „Poena comparatur ad punitum; et sic non placet Deo, non enim creavit nos Deus ad puniendum. Comparatur ad meritum, scilicet ad existentem culpam, et sic est in ea manifestatio justitiae et ordinis; et sic placet Deo in quantum justus. Comparatur ad finem, vel effectum, ut puta justificationem rei; et sic placet ei in quantum misericors. Unde in punitione, quae est in via ad justificationem, relucet misericordia et justitia; et ita est Deo placens." *4. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 1 ad 1.*

[7] „Poena plus dicit quam malum. Malum enim plus importat absentiam, sive defectum boni, ubi debet esse; poena vero importat ordinem ad ipsum meritum culpae, et simul cum hoc dispositionem aliquam significat circa ipsum punibile. Quoniam igitur tam ordo, quam dispositio rei dicitur esse a Deo sicut a principio; hinc est, quod rationabiliter conceditur, quod poena sit a Deo, illa potissime, quae importat ordinem fundatum super realem dispositionem. Et quoniam dicit aliquo modo ordinem ad culpam praecedentem, et culpa praecedens non est ex constitutione naturae, sed potius ex voluntatis inordinatione; hinc est quod, etsi poena dicatur a Deo, non tamen dicitur a Deo faciente, sed a Deo vindicante." *2. dist. 36.*

a. 3. q. 1. — „Voluntas in Deo duplex est, videlicet antecedens et consequens. Et quamvis poena non sit a voluntate antecedente, nihilominus tamen est a voluntate consequente.“ *2. dist. 37. dub. 5.* — „Quantum ad voluntatem antecedentem, sic omne, quod Deus nobis facit et infligit in praesenti vita, ordinationem aliquam habet ad gloriam, quia secundum voluntatem istam vult fieri. Si autem quantum ad voluntatem consequentem, quia secundum hanc voluntatem vult Deus secundum quod praescit, et praescit istum in malitia permansurum, poenam dicitur infligere in vindictam gravis culpae.“ *4. dist. 15. p. 1. dub. 4.*

[8] „Notandum est, quod poena de sui generali acceptione dicit nocumentum ordinatum; nocumentum autem comparationem habet et ad ipsum nocivum, et ad illud, quod patitur nocumentum, et ad illud, secundum cujus privationem nocumentum illud attenditur. Et secundum istam triplicem comparationem nomen poenae habet triplicem acceptionem. Unde dicitur poena aliquando actio rei laedentis, secundum quod adustio ignis infernalis dicitur esse poena reproborum. Dicitur etiam poena passio rei laesae, sive punitae, secundum quod dicitur, quod afflictio reproborum est eorum poena aeterna. Dicitur etiam defectus alicujus boni, in quem incurritur ex illa passione, sicut defectus quietis, salutis et pacis est poena reproborum. Quocumque autem istorum modorum dicatur poena, sive actio, sive passio, sive defectus, semper nomen poenae, ut sic, impositum est ab ordine, et quod dicit, nominat ut ordinatum. Et quoniam omne ordinatum, ut tale, procedit a Deo, a quo est omnis ordo, quocumque modo dicatur poena, et quidquid dicitur poena, in quantum poena, a Deo est: et quoniam omne ordinatum a Deo est, a Deo enim habet, quod sit ordinatum, Deo placet omnis ordo, idem est enim fieri Deo auctore, et Deo volente. Si autem loquamur de poena secundum illud, quod subest huic ordini, a quo imponitur nomen poenae, tunc dicendum est, quod si poena dicatur defectus, sive carentia alicujus boni, sic dicendum est, quod talis defectus non est a Deo; non enim habet causam efficientem, sed deficientem, nec poena, quae talem defectum nominat, est a Deo. Si autem poena dicatur ipsa passio rei punitae, quae est via ad defectum alicujus boni, tunc distinguendum est: quia quaedam est passio, quae est ordinata simpliciter; quaedam vero, quae quamvis sit ordinata secundum quid, est tamen deordinata simpliciter; quaedam vero medio modo se habens. Passio illa, quae est ordinata simpliciter, est illa passio, quae est pure poenalis, sicut passio famis et sitis: et talis passio a Deo est, unde fames et sitis a Deo dicitur esse. Passio vero, quae est deordinata simpliciter, sed ordinata secundum quid, est illa, quae est culpabilis, sicut est deformatio imaginis et corruptio habilitatis ad bonum: et talis non est concedenda esse a Deo. Passio vero media est illa, quae est passio vitiosa, utpote illa, quae est ex rebellione carnis ad spiritum, quae quodam modo ordinata est ad culpam praecedentem, quodam modo deordinata est, quia est inclinativa ad culpam sequentem: et haec non conceditur esse a Deo. Et Magister dixit supra *(dist. 22)*, quod fomes et concupiscentia non habent Deum auctorem, sed diabolum, aut hominem. Et sic distinguendum est de poena, prout dicitur actio rei punitivae. Ex praedictis igitur patet, quod etsi omnis poena sit a Deo, in quantum tenet rationem poenae, non omne tamen, quod dicitur poena, a Deo est; imo quaedam est a Deo, quaedam non. Illa est a Deo, quae dicit positionem aliquam, ita quod non nominat deordinationem; et haec est simpliciter poena. Illa vero non est concedenda esse a Deo, quae nominat simpliciter defectum, vel quae nominat positionem aliquam cum deordinatione. Unde nec conceditur a Deo esse excaecatio, nec obduratio, nec imaginis deformatio, nec gratiae subtractio, sive exspoliatio, nec error, nec ignorantia, nec concupiscentia, nec his consimilia; omnia enim haec vel dicunt defectum, vel deordinationem aliquam.“ *2. dist. 36. a. 3. q. 2.*

[9] „Peccatum sequens non tantum causaliter, sed etiam essentialiter, ut sic loquamur, est poena peccati praecedentis; et hoc dicendo, sicut Magister dicit, in nullo fit praejudicium veritati, imo hoc est satis planum. Nam poena dicit duo, et dicit malum, sive damnum, et dicit ordinem ad praecedens meritum: et haec duo contingit reperiri circa sequens peccatum. Damnificatio enim et nocumentum est in ipso, secundum quod peccatum; eo enim est peccatum, quo nocet, et magnum malum incurrit quis, cum incidit in peccatum, etiam si nihil aliud deberet habere posterius. Ordinationem vero habet in eo quod sequens; hoc ipso enim quod homo est in peccato, dignus est dimitti cadere in aliud, juxta illud Apocalypsis *(22, 11)*, sicut dicitur in Glossa: Justum est, ut *qui in sordibus* est *sordescat adhuc*. Concedendum est igitur simpliciter, quod peccatum potest esse poena peccati, ut expresse dicunt auctoritates Sanctorum.“ *2. dist. 36. a. 1. q. 1.*

[10] „Multae sunt passiones animae, quae non sunt solum poenales, verum etiam culpabiles, sicut ira et invidia. Licet autem hujusmodi passiones peccata sint, tamen non sunt peccata in quantum passiones, sicut idem Augustinus *(l. 83. q. 77)* dicit, et habetur in litera. Omnis autem passio, in quantum ipsâ aliquis patitur, non est peccatum; sed hujusmodi passiones peccata sunt ratione inordinationis voluntatis conjunctae, vel antecedenter, vel consequenter. Propter quod notandum est, quod quaedam est passio illata ab extrinseco; et circa hanc non consistit meritum, nec demeritum, nisi in quantum a voluntate respuitur, vel acceptatur. Unde occidi pro Christo non est meritorium, nisi in quantum volitum est ab eo, qui occiditur; unde, proprie loquendo, in talibus passionibus non est quid meritorium, sed sufferentia passionis. Est et alia passio, quae ortum habet ab intrinseco. Et haec dupliciter potest oriri, quia quaedam oritur ex corruptione naturae, quaedam vero ex conversione voluntatis liberae. Et illa, quae oritur ex corruptione naturae, in duplici differentia est; quoniam natura corrupta est vitiosa corruptione per concupiscentiam, et corrupta est corruptione poenali per mortalitatem inflictam. Illae igitur passiones, quae oriuntur ex corruptione naturae, ut est corrupta poenali corruptione, tenent rationem poenae tantum, ut fames et sitis; illae vero, quae oriuntur ab ipsa, ut est corrupta corruptione vitiosa, non tantum habent rationem poenae, sed etiam culpae, sicut sunt inordinatae affectiones animae, quae consurgunt ex morbo concupiscentiae; et tales sunt passiones irae, et invidiae, et consimiles. Secundum autem quod hujusmodi passiones animae oriuntur ex voluntatis conversione ad aliquod bonum amabile, sic

secundum quod voluntas habet converti dupliciter, passiones hujusmodi sunt in duplici genere. Voluntas enim aliquando convertitur ad bonum simpliciter, et tunc detestatur et odit, quod adversatur illi bono, utpote peccatum: et hoc modo passiones inde consurgentes sunt justae et meritoriae. Convertitur etiam voluntas aliquando ad bonum proprium, et ad bonum ut nunc: et tunc passiones, quae inde consurgunt, culpabiles sunt et malae, sicut et voluntas, a qua oriuntur; sed non habent plenam rationem mali et culpae, nisi quando voluntate consummantur, utpote cum aliquis vult irasci, vel etiam vult contristari. Et sic patet, quod hujusmodi passiones animae peccata sunt, et in quantum oriuntur ex corruptione concupiscentiae, et in quantum ortum habent ex inordinato amore voluntatis deliberativae.“ *2. dist. 36. a. 1. q. 2.*

CAPUT XI.

De origine peccatorum finalium, quae sunt peccata [a] in Spiritum sanctum.

a) Peccata om. ed. 1484.

(Sunt peccata in Spiritum sanctum: — cur haec dicantur irremissibilia, — et sint sex.)

De peccatis autem finalibus, sive irremissibilibus, cujusmodi sunt peccata in Spiritum sanctum, hoc est tenendum, quod licet omne peccatum generaliter sit contra Deum trinum et unum; appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum sanctum. Hoc autem peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicitur in hoc saeculo et in futuro; non quia in hoc saeculo non possit dimitti, sed quia raro dimittitur, aut vix in hoc saeculo, quantum ad culpam, modicum autem et quasi nihil fiet remissio sibi in futuro, quantum ad poenam. Hujus autem peccati sex sunt differentiae [b], scilicet invidia fraternae gratiae, impugnatio veritatis agnitae, desperatio, praesumptio, obstinatio mentis et impoenitentia finalis.

b) Seu species add. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum peccatum dicat recessum a primo principio trino et uno, omne peccatum imaginem Trinitatis deformat, et ipsam animam foedat, quantum ad triplicem potentiam, scilicet irascibilem, rationalem [c] et concupiscibilem; et a libero arbitrio procedit, quod gerit in se insigne Trinitatis, scilicet Patris, ratione facultatis, Filii, ratione rationis, Spiritus sancti, ratione voluntatis. Licet autem haec tria concurrant simul ad omnem culpam, quaelibet tamen harum per suum defectum potest esse ratio deordinandi alias. Defectus autem circa facultatem est impotentia, circa rationem est ignorantia, circa voluntatem est malitia. Et hinc est, quod, cum quaedam sint peccata ex impotentia [1], quaedam ex ignorantia [2], quaedam ex malitia [3]; et potentia attribuatur [d] Patri, sapientia Filio, et voluntas Spiritui sancto; quaedam dicuntur esse in Patrem, quaedam in Filium, quaedam in Spiritum sanctum. Et quoniam nihil magis est in voluntate, quam ipsa voluntas, et voluntas ipsa est origo peccati; nullum peccatum est adeo voluntarium et mere, sicut est illud, quod provenit ex corruptione existente in voluntate. Cum enim dupliciter dicatur involuntarium, scilicet per violentiam et per ignorantiam [4], primum per defectum potentiae, secundum per defectum scientiae [5]; quando voluntas sola corruptione sua, licet possit resistere, et sciat hoc malum esse, aliquid eligit, tunc dicitur peccare ex certa malitia; et peccatum tale mere procedit ex improbitate voluntatis liberi arbitrii [6], et directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati [e] [7]. Et quia mere procedit ex libertate arbitrii, ideo non habet colorem excusationis; et propterea modicum et quasi nihil debet ei, qui punitur, de poena relaxari. Quia vero directe impugnat gratiam

c) Rationabilem ibid.

d) Ita ABCD EFGH.

e) Per quam fit remissio peccati om. ABCDEFGH et edit. Arg. Aug. Nor.

Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati; ideo dicitur irremissibile, non quia nullo modo possit remitti, sed quia, quantum est de se, directe est impugnativum medicamenti et remedii, per quod fieri habet remissio peccati. Et quoniam peccati remissio fit a Deo per gratiam poenitentialem intra ecclesiasticam unitatem; ideo differentiae hujus peccati accipiuntur, secundum quod directe impugnant illa tria [8]. Aut enim impugnant ipsam gratiam poenitentialem in se, aut in comparatione ad Deum, a quo datur, aut in comparatione ad Ecclesiam, in qua suscipitur. Si [f] in comparatione ad unitatem Ecclesiae, sic quia unitas Ecclesiae consistit in fide [g] et caritate, sive in gratia et veritate; sic est duplex peccatum, scilicet invidia fraternae gratiae [9], et impugnatio veritatis agnitae [10]. Si in comparatione ad Deum dantem, quia [h] *universae viae ejus,* quantum ad justificationem, maxime sunt [i] *misericordia et veritas (Psalm. 24, 10);* sic est duplex peccatum, unum quod impugnat misericordiam, et hoc est desperatio [11], aliud quod impugnat justitiam, et hoc est impunitatis praesumptio [12]. Si vero impugnat ipsam gratiam poenitentialem in se, vel secundum se, sic est duplex; quia gratia poenitentialis facit resilire a peccatis commissis, et praecavere a committendis. Contra primum est obstinatio mentis [13], contra secundum est impoenitentia finalis, secundum quod finalis impoenitentia dicitur propositum non poenitendi, sic enim est species peccati in Spiritum sanctum [14]. Secundum autem quod finalis impoenitentia dicit continuationem peccati usque in finem, sic est sequela omnium mortalium, quae in hac vita non remittuntur, et maxime omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Et sic omne peccatum initium sumit a superbia, et consummationem sive finem habet in finali impoenitentia; in quam qui pervenerit [j], corruit in gehennam, a qua quidem impoenitentia finali nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi interveniat gratia mediatoris Christi; et ideo incarnationem ipsius desiderabat universitas salvandorum, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

f) Si vero ed. 1484.
g) In spe, fide ibid.
h) Cum pro quia ABCDE FGH et ed. Ven. et 1484.
i) Sint ABD EFGH et editt. cit.
j) Pervenit ABCDEFGH.

Ad Caput XI.

[1] „Peccandi potestas, secundum quod dicit potentiam in se, et secundum quod dicit ordinabilitatem ad actum substratum, utique est a Deo: secundum autem quod dicit ordinabilitatem ad deformitatem actus, non est a Deo; sic enim dicit defectibilitatem, quae inest potentiae, in quantum est ex nihilo, et illa potius impotentia est, quam potentia.“ — „Potentia peccandi secundum se non est mala, ut consideratur sine actuali deordinatione ad defectum.“ *2. dist. 44. a. 1. qq. 1. 2.*

[2] „Ignorantia, quae est privatio cognitionis necessariae ad virtutem et ad salutem nobis possibilis, culpa est, cum sit in nobis, et a nobis. Et est triplex, erronea, affectata et crassa. Si vero sit privatio cognitionis non necessariae, sive nobis impossibilis, quamvis necessariae, nulla est culpa.“ *2. dist. 22. a. 2. q. 2.* Vide quoque *Centil. p. 1. sect. 7.*

[3] „Peccatum aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia, sive industria, perpetratur ... Peccatum ex infirmitate est aversio voluntatis male humiliatae, vel male accensae ab infirma creatura, a Deo omnipotente. Duae sunt differentiae hujus peccati effectivae, timor male humilians, et amor male accendens ... Peccatum ex ignorantia est aversio voluntatis ignorantis et perpetrantis, quod malum est, ab omni scientia Dei. Nota tamen, quod aliud est peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiae. Peccatum ignorantiae est omissio debitae scientiae: peccatum ex ignorantia est peccatum, quod committitur ignoranter ... Peccatum ex industria, sive in Spiritum sanctum, est aversio voluntatis malignantis a summo clemente Deo.“ *Centil. p. 1. sect. 25.*

[4] „Ad illud, quod quaeritur, quae ignorantia excuset et quantum, dicendum quod est ignorantia facti et ignorantia juris. Ignorantia facti potest esse dupliciter, aut adhibita debita diligentia, aut non. Si adhibita debita diligentia, excusat a toto: si non adhibita, non excusat a toto, sed a tanto. Si autem sit ignorantia juris, hoc potest esse dupliciter: aut est vincibilis, aut non vincibilis. Si vincibilis, tunc est ignorantia, quae est culpa. Et haec, aut est ex consensu vero, ut ignorantia affectata; et ista sic ex una parte excusat, quod ex alia parte magis aggravat: aut est ex negligentia et ignavia, sicut ignorantia crassa et supina; et ista si aliquo modo excuset, non tamen ita excusat, ut sempiterno igne non ardeat, sicut dicit

Augustinus *(de grat. et lib. arb. c. 3)* et Magister in littera. Si autem sit ignorantia invincibilis, hoc potest esse dupliciter. Aut ista ignorantia est in nobis introducta per culpam praeambulam, aut praeter omnem culpam. Si praeter omnem culpam, aut simpliciter privat cognitionem juris, sicut in infantibus et furiosis, qui omnino carent usu rationis: et haec excusat a toto . . . Aut non tollit omnino usum rationis, sed semiplenum: et tunc non excusat a toto, sed a tanto, sicut est in his, qui non sunt plene furiosi, sed aliquo modo habent lucida intervalla, et in pueris, qui aliquando sunt capaces praecepti, licet non plene. Si autem ignorantia est introducta per culpam propriam, sicut est in ebrio et in furioso, quorum uterque se praecipitavit in hoc per culpam suam; sic non excusat a toto, sed a tanto . . . Quantum autem et qualiter excuset subsequentem culpam, diversimode quidam determinant. Quidam enim dicunt, quod nec ebrius nec furiosus, qui usu rationis caret, committere potest novam culpam, sed ex inordinatione sequenti aggravatur culpa prima, potest enim culpa aggravari ex eventu sequenti. Aliis autem videtur, quod nec sic excuset, quin novam culpam committat, non tamen est adeo gravis, sicut si illam faceret ex certa scientia. Primus tamen modus dicendi probabilior esse videtur." *2. dist. 22. a. 2. q. 3 ad 7.*

[5] „Ad illud quod quaeritur, quae magis excuset, utrum ignorantia vel infirmitas, responderi potest quod duo sunt de ratione voluntarii, videlicet cognitio singularium, sive circumstantiarum, et quod operationis principium sit intrinsecum. Igitur ignorantia excusat, quia privat de ratione cognoscendi; infirmitas excusat, quia privat de ratione perfecte principiandi. Et quoniam privato priori, privatur posterius, et non convertitur, et cognoscere praeambulum est ad facere; plus tollit de ratione voluntarii ignorantia, quam infirmitas vel impotentia; et ideo magis excusat, ceteris paribus. Adeo tamen potest infirmitas praecellere, et ignorantia parva esse, sive ex culpa nostra procedere, quod erit e converso. Unde etsi in generalitate loquendo verum sit dicere, quod magis excusat ignorantia, quam infirmitas, descendendo tamen ad specialia peccata, possunt se habere sicut excedentia et excessa." *Ibid. ad 6.*

[6] „Peccatum in Spiritum sanctum est peccatum gravissimum, et quia naturam maxime laedit, et quia oculos Dei maxime offendit. Naturam, inquam, maxime laedit, dum non solum aufert ei sanitatem, sed etiam praecludit viam ad sanitatem. Unde sicut morbus periculosior est, qui non tantum laedit naturam, sed etiam praecludit viam ad sumptionem cibi vel medicamenti, sic intelligendum est de illo morbo spirituali. Oculos Dei maxime offendit, quia nullum habet colorem excusationis; et ideo peccans hoc genere peccati meretur severius judicari. Et propter haec duo dicit Magister, quod hoc peccatum ceteris est gravius et abominabilius, ut gravius dicatur ratione majoris laesionis, abominabilius ratione defectus excusationis. Ratio autem hujus est, quia peccatum in Spiritum sanctum est ex malitia, et non solum ex malitia, sed ex malitia et industria. Peccat enim tunc quis peccato in Spiritum sanctum, quando ad malum movetur ex nequitia spiritus, sciens se moveri ad malum. Unde peccatum in Spiritum sanctum est ex malitia, conflata ex concursu malitiae ex originali peccato contractae, et malitiae actualis conjunctae industriae; et ideo non tantum dicitur esse ex malitia, sed ex certa malitia. Prima autem malitia, scilicet ex originali relicta, hoc peccatum non excusat, quia talis malitia est in ipsa voluntate secundum se; et ideo, cum voluntati subjacet, non minuit rationem voluntarii, sicut facit infirmitas et ignorantia; et quia non minuit rationem voluntarii, non diminuit de ratione peccati, et propterea non excusat. Alia autem malitia non solum non excusat, sed etiam multum aggravat, tum ratione improbitatis propriae, tum ratione cognitionis adjunctae, utriusque enim est aggravare. Et sic patet, quare peccatum in Spiritum sanctum maxime oculos Dei offendit, scilicet quia est ex certa malitia. Ex hac etiam eadem causa naturam laedit; laesio enim peccati principaliter consistit in deordinatione voluntatis; et quanto voluntas magis improbe ad aliquid se inclinat, tanto magis se deordinat et depravat. Et quia ex certa malitia hoc peccatum procedit; ideo in hoc peccati genere scienter et prudenter, imo etiam imprudenter, peccator praeeligit malum; et ideo voluntas ejus in hoc peccato magis respuit bonum, quam in aliis, quia amplius inficitur voluntatis gustus; et hinc est etiam, quod respuit medicamentum, quemadmodum gustus maxime infectus respuit bonum cibum. Quoniam ergo hoc peccatum ex certa malitia procedit; hinc est, quod est ceteris gravius et abominabilius, quantum est ex genere peccati. Hinc est etiam, quod est maxime naturae laesivum, et maxime oculorum divinae Majestatis offensivum. Et ideo concedendae sunt rationes ostendentes hoc peccatum esse gravissimum." *2. dist. 43. a. 2. q. 1.*

[7] „Peccatum in Spiritum sanctum directe est contra effectum Spiritus sancti, qui quidem dicitur gratia poenitentialis. Haec autem poenitentialis gratia, secundum quod in sacramento consideratur, tria respicit, videlicet medicum et aegrotum et ministrum. Ex parte medici ista duo concurrunt, misericordia et justitia; misericordia, per quam remittit offensam, et justitia, per quam exigit emendam: contra misericordiam est desperatio, contra justitiam est praesumptio. Similiter ex parte aegroti duo concurrunt, videlicet detestatio peccati praeteriti, et propositum non peccandi; nisi enim haec duo in se habeat, non est idoneus ad hoc, quod gratia Spiritus sancti habeat in ipsum efficaciam: contra detestationem peccati est obstinatio, contra vero propositum non peccandi est finalis impoenitentia. Similiter ex parte ministri duo concurrunt, videlicet veritas doctrinae, per quam peccatorem instruat, et sanctitas gratiae, per quam ipsum adjuvet et sublevet: contra veritatem doctrinae est impugnatio veritatis agnitae, contra sanctitatem gratiae est invidentia fraternae gratiae. Et sic patet numerus et sufficientia, quare scilicet tot sunt species peccati, nec plures, nec pauciores." *2. dist. 43. a. 3. q. 1.*

[8] „Peccatum in Spiritum sanctum ratione sui principii, quod est malitia, ratione actus substrati, qui est spiritualis, et ratione sui oppositi, quod est gratia poenitentialis, est genus peccati distinctum a ceteris generibus peccatorum." *2. dist. 43. a. 1. q. 1.* Cfr. quoque *Centiloq. p. 1. sect. 25.*

[9] „Dupliciter potest quis invidere gratiae alienae; aut quia ex hoc minuitur bonum proprium, cujus promotionem appetit singulariter; et sic est peccatum capitale: aut quia

CLERICS' LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

visus animae sic est depravatus, ut sicut non videt bonum in se, sic etiam nollet videre bonum in alio; et tunc est peccatum in Spiritum sanctum. Hoc autem est in illis maxime, qui vix possunt in aliquo homine videre bonum; et ita alio modo est peccatum capitale, alio modo est peccatum in Spiritum sanctum. Et isto ultimo modo non procedit nisi ex magna corruptione et malitia voluntatis, quae adeo gustum ejus pervertit, ut bonum faciat apparere malum, et malum faciat apparere bonum." *2. dist. 43. a. 3. q. 2 ad 5.*

[10] „Veritas agnita tripliciter potest intelligi impugnari, aut propter ipsam veritatem, aut propter ipsum dicentem, aut propter effectum consequentem. Primo modo nullus impugnat, cum omnes homines naturâ scire desiderent. Secundo modo et tertio potest impugnari ex infirmitate, et etiam ex malitia. Et cum quis impugnat eam pertinaciter, sive in confusionem dicentis, sive propter excusationem sui, quasi semper habet adjunctam malitiam, maxime autem cum est veritas ad salutem pertinens, ut est veritas christianae religionis; et sic est peccatum in Spiritum sanctum. Tunc autem dico aliquam veritatem pertinaciter impugnare, quando ex sua impugnatione propter odium dicentis, vel effectus non sequentis facit; vel vult facere praejudicium veritati, ita quod, quamvis non odiat veritatem, secundum quod veritas est, tamen ratione adjuncti omnino eam adhorret, sicut aliquis odit Deum ratione justitiae; et ratione illius odii contingit, quod homo delectetur in contumeliis Dei et in confutatione veritatis; et tunc recte dicitur moveri ex malitia et pertinacia. Si autem quis resistat non pertinaciter, tunc potest bene procedere talis impugnatio ex quadam infirmitate; nec talis impugnatio peccatum est in Spiritum sanctum. Nec valet illud, quod objicitur, quod veritas et agnitio veritatis appropriatur Filio; quia talis impugnatio non procedit ex ipsa agnitione, sed potius procedit ex malitiosa voluntate. Unde Magister supra dixit in prologo: Dissentientibus voluntatibus dissentiens fit animorum sensus; et dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, veritati vel non intellectae, vel offendenti impietatis error obnititur, et voluntatis invidia resultat; et illud est, quod movet ad veritatem impugnandam." *2. dist. 43. a. 3. q. 2 ad 4.*

[11] „Aliquando desperat aliquis ex pusillanimitate, ita quod in ipsa desperatione non invenit complacentiam, sed dolet, et renititur contra ipsam; et tunc non est dicendum esse peccatum in Spiritum sanctum, quia ex tali desperatione homo non projicitur in profundum. Est et alia desperatio, qua quis desperat diffiditive, abscondens se quasi a facie divinae misericordiae, secundum quod fecit Cain, qui dixit *(Gen. 4, 14): Ecce a facie tua ejicies me hodie;* et haec semper est peccatum in Spiritum sanctum, quia est in contumeliam divinae misericordiae, cui suam praefert iniquitatem, sicut dixit Cain: *Major est iniquitas mea,* et cetera. Ex hoc tamen non judicatur infidelis, aut quia talis bene sentit de aliis, sed male de se, aut certe quia non aestimat Deum misereri non posse, sed potius misereri nolle: et tale peccatum semper habet conjunctam malitiam, pro eo quod, qui sic desperat, in tali culpa vult vitam suam finire; unde tales desperatissimi frequentissime sibi ipsis inferunt mortem." *2. dist. 43. a. 3. q. 2 ad 1.*

[12] „Est praesumptio de meritis, et praesumptio de impunitate. Prima praesumptio, qua quis praesumit de meritis suis, sive de aliquo, quod habet in se, est peccatum superbiae. Secunda vero praesumptio, qua quis praesumit de impunitate, dans totum divinae misericordiae, et auferens ei rigorem omnino justitiae, hoc est peccatum in Spiritum sanctum, quia claudit viam ad gratiam, et viam ampliat ad peccatum. Et sic patet, quod aliter pertinet ad peccatum capitale, et aliter ad peccatum in Spiritum sanctum." *2. dist. 43. a. 3. q. 2 ad 2.*

[13] „Obstinatio dicitur dupliciter. Uno modo dicitur obstinatio continua permansio in culpa. Alio modo dicitur obstinatio voluntas complacens sibi in culpa perpetrata, et priorem culpam non detestans, sed approbans: et hoc modo dicit actum, actum, inquam, procedentem ex malitia; ideo est peccatum in Spiritum sanctum. Differt autem ab impotentia, secundum quod hîc proprie accipitur, nam unum est respectu praeteriti, et reliquum respectu futuri. Et quamvis una sit virtus, cujus est praeterita plangere, et plangenda non committere; tamen contra istos duos actus possunt esse diversa vitia, sicut largitas, cum sit una virtus, tamen secundum duos actus, qui ad ipsam concurrunt, videlicet dare et tenere, habet duo vitia opposita, videlicet prodigalitatem et avaritiam." *2. dist. 42. a. 3. q. 2 ad 3.* — „Obduratio, ut dicit inhabilitatem ad impressionem gratiae, sic est poena peccati: ut vero significat stabilitatem in peccato, est dispositio praecedentis peccati: ut vero dicit voluntatem impugnandi Deum, praecepta et gratiam suam, est peccatum in Spiritum sanctum." — „Obduratio in spiritibus est translative dicta ab obduratione in corporibus. In corporibus autem duritiam sequitur triplex proprietas, quamvis insit corpori per eamdem naturam: non sic spiritui. Durum enim est, quod est inhabile ad suscipiendum, est stabile ad permanendum, est iterum forte ad rebellandum, sive resistendum. Secundum hunc triplicem modum cor obdurari dicitur tripliciter. Primo modo dicitur cor obdurari ex hoc, quod est inhabile ad impressionem gratiae suscipiendam: et hoc modo sonat in passionem, et est poena consequens culpam. Secundo modo dicitur cor obduratum, quod est in peccato stabilitum, quod est multum compactum ad amorem peccati: et hoc modo obduratio est peccatum cum dispositione, sive dispositio peccati praecedentis. Tertio modo dicitur cor obduratum cor rebelle, quod vult Deum et ejus mandata et gratiam impugnare: et hoc modo est speciale peccati genus, scilicet peccatum in Spiritum sanctum." *1. dist. 40. a. 4. q. 1.*

[14] „Impoenitentia dicitur dupliciter. Uno modo dicitur impoenitentia propositum non poenitendi; alio modo dicitur impoenitentia continua permanentia in malo usque ad diem extremum inclusive. Et secundum istum modum peccatum in Spiritum sanctum, quod claudit in se impoenitentiam, dupliciter potest dici. Uno modo, prout claudit in se impoenitentiam, quae quidem est finalis persistentia in malo: et sic dicitur irremissibile, quia non potest remitti, sicut finalis gratia non potest perdi. Sed hoc modo peccare peccato in Spiritum sanctum nemini est attribuendum, usque ad illud instans, in quo possit dici de isto, quod finaliter sit impoenitens ... Alio modo dicitur peccatum in Spiritum sanctum, prout claudit in se impoenitentiam, id est, propositum non poenitendi: hoc modo di-

citur irremissibile, id est, in consuetum remitti. Quamvis enim non sit impossibile ad remissionem, quia tale propositum mutari potest, raro tamen et vix remittitur, quia tale propositum claudit viam ad gratiam, et impedit Spiritus sancti ingressum. Illud enim, quod gratiam introducit, et quod ad gratiam disponit de congruo, est voluntas recedendi a peccato: et ideo, cum voluntas faciem suam obfirmavit ad oppositum, nisi fiat ei specialis vocationis donum et adjutorium, non pervenit ad remissionis beneficium. Quoniam ergo alia peccatorum genera, etsi privent bonam voluntatem et justitiam, non tamen reddunt voluntatem rebellem et repugnantem contra vocationem divinam; hinc est, quod etsi nunquam remittantur propter negligentiam peccatoris, vel propter praeoccupationem mortis, non tamen dicuntur esse irremissibilia." *2. dist. 43. a. 2. q. 2.*

Pars tertia

in tabulas distributa.

C. I. DE ORIGINE MALI IN COMMUNI.

Peccatum est voluntatis creatae liberae defectus { a causa efficienti . corrumpens *modum* / a causa exemplari corrumpens *speciem* / a causa finali . . . corrumpens *ordinem* } in creatura.

C. II. DE PRIMORUM PARENTUM TENTATIONE.

Tentatio
- ex parte *Dei permittentis* — fuit
  - quoad *tentatum* . . . . . in homine libertate arbitrii praedito
  - quoad *tentatorem* . . . . . in forma serpentis
  - quoad *objectum tentationis* . . de praecepto disciplinae.
- ex parte *diaboli tentantis* . . . . .
  - quoad *initium* — incepit a muliere
  - quoad *modum* — processit
    - experiendo, per *interrogationem*, ut rationem duceret in *dubium*
    - impellendo, per *assecurationem*, ut irascibilem duceret in *contemptum*
    - alliciendo, per *promissionem*, ut concupiscibilem duceret in *appetitum*.
    - trahendo liberum arbitrium ad consensum
      - in rationali — per scientiam *(concupiscentia oculorum)*
      - in irascibili — per excellentiam *(superbia vitae)*
      - in concupiscibili — per suavitatem ligni *(concupiscentia carnis)*.

C. III. DE PRIMORUM PARENTUM TRANSGRESSIONE.

Transgressio
- quoad *personas* . . prius in muliere, deinde in viro fuit.
- quoad *processum* . . . . . in utrisque fuit culpae
  - *initium* . . . . { per auditionem suggestionis in sensu — hinc ab imo / per conversionem . . . . . in appetitu . . . . . } *tentatio*
  - *commissio* — per superbiam . . . . . in mente { ad summum / a summo . . }
  - *progressus* — per gulam . . . . . in sensualitate . . . . .
  - *consummatio* — per inobedientiam . . . . . in opere ad imum . . } *deordinatio.*

C. IV. DE PRIMORUM PARENTUM PUNITIONE.

- Inflicta fuit culpae
  - *inobedientiae*
    - in utrisque poena rebellionis
    - in muliere poena multiplicis aerumnae in conceptu
  - *gulae* . . . .
    - in utrisque poena laboris et doloris
    - in muliere poena doloris in partu
  - *superbiae* . .
    - in utrisque poena mortis atque incinerationis
    - in muliere poena subjectionis ad virum in convictu.

C. V. DE ORIGINALIS PECCATI CORRUPTIONE.

- Originalis culpa hominem corrumpit
  - *immediate* — per privationem rectitudinis originalis.
  - *mediate*
    - in hac vita
      - quoad *animam*
        - ex recessu a
          - summa virtute — per infirmitatem in irascibili
          - summa veritate — per ignorantiam in rationali
          - summa bonitate — per malitiam in voluntate
        - ex accessu ad bonum commutabile, per concupiscentiam in concupiscibili.
      - quoad *corpus*
        - per rebellionem
        - per multiplicem corruptionem
        - per mortem et incinerationem.
    - in altera vita
      - quoad *adultos*
        - per poenam damni
        - per poenam sensus
      - quoad *parvulos* per poenam damni.

C. VI. DE ORIGINALIS PECCATI TRANSFUSIONE.

- Transfusio culpae
  - non est contra divinam justitiam, quia in ea servatur
    - ordo *sapientiae in conditione*, quo homo
      - ex parte corporis propagatur a primo homine
      - ex parte animae est immediate a Deo
    - ordo *naturae in propagatione*, quo . .
      - homo posteris carnem rebellem transmittit
      - Deus animam ipsi carni rebelli infundit
    - ordo *justitiae in punitione*, quo anima
      - cum uniatur carni rebelli, incurrit privationem justitiae
      - cum a carne trahatur, incurrit morbum concupiscentiae.
  - non est a Deo, sed a deordinatione humanae voluntatis.

C. VII. DE ORIGINALIS PECCATI CURATIONE.

Quia curatio fit a primo principio, idcirco peccatum originis sic tollitur
- quantum *ad culpam* . . . quod remanet poena temporalis
- quantum *ad reatum* . . . quod remanet actus et motus concupiscentiae
- *in parente* . . . . . quod transmittitur in prolem
- quantum *ad maculam* . . quod remanet sequela.

C. VIII. DE ORIGINE PECCATORUM ACTUALIUM.

A libera voluntate
- per *suggestionem* . . . . . *nullum*
- per *delectationem* . . . . . *veniale*
- per *consensum* . . (in delectationem, a concupiscibili / in operationem, ab irascibili . . .) ratum . . . . . *mortale*
- per *operationem* . . . . . consummatum *mortale*

} peccatum.

C. IX. DE ORIGINE ET DISTINCTIONE CAPITALIUM PECCATORUM.

Quoad capitalium

originem, est
- unum *initium* — superbia
- duplex *radix* . . (timor male humilians / amor male accendens)
- triplex *fomentum* (concupiscentia carnis / concupiscentia oculorum / superbia vitae.)

distinctionem, est ex deordinata
- appetitione boni
  - interioris . . . *superbia* . . . ex superbia vitae . . . . . } per *amorem*
  - exterioris . . . *avaritia* . . . ex concupiscentia oculorum } per *amorem*
  - inferioris . . (*luxuria* . . . / *gula* . . . .) ex concupiscentia carnis . . } per *amorem*
- fuga a malo . .
  - interiori . . . *invidia* . . . . ex superbia vitae . . . . . } per *timorem*
  - exteriori . . . *ira* . . . . . ex concupiscentia oculorum } per *timorem*
  - inferiori . . . *acidia* . . . . ex concupiscentia carnis . . } per *timorem*

} a superbia.

C. X. DE ORIGINE ET QUALITATE POENALIUM PECCATORUM.

- Peccata poenalia
  - distinguuntur
    - in *specialia* . . . . . quae habent adjunctam moestitiam et dolorem.
    - in *minus specialia* . . quae habent adjunctam depravationem naturae aut ignorantiam, etc.
    - in *generalia* . . . . . omnia peccata, praeter primum.
  - oriuntur — quoad malum
    - *culpae* . . . . . a nobis
    - *poenae*
      - mere poenae a Deo
      - cum culpa . a nobis
        - actum
        - contractum.

C. XI. DE ORIGINE PECCATORUM FINALIUM, QUAE SUNT PECCATA IN SPIRITUM SANCTUM.

- Peccata finalia sunt
  - appropriate in Spiritum sanctum.
  - irremissibilia
    - ex parte *principii* — quia ex mera voluntate procedunt
    - ex parte *termini* — quia gratiam poenitentialem impugnant.
  - sex — nam gratia potest impugnari
    - relate . .
      - *ad Ecclesiam* . . contra ejus unitatem
        - in fide . . . . per *impugnationem veritatis agnitae*
        - in caritate . . per *invidiam fraternae gratiae*
      - *ad Deum* . . . . contra ejus
        - misericordiam . . . . per *desperationem*
        - justitiam . . . . . per *praesumptionem*
    - *in seipsa*
      - contra dolorem de peccatis commissis . . . . . per *obstinationem mentis*
      - contra propositum de futuris praecavendis . . . . . per *impoenitentiam finalem.*

TABULA GENERALIS

HUJUS III. PARTIS

IN QUA DE CORRUPTELA PECCATI AGITUR.

- De peccato agitur
  - in *communi*, seu prout est voluntatis creatae liberae deordinatio corrumpens in creaturis
    - modum
    - speciem
    - ordinem.
  - in *particulari*, nempe
    - de *lapsu protoparentum*, in quo occurrunt
      - *tentatio* . . . .
        - ex parte Dei permittentis
        - ex parte diaboli tentantis
      - *transgressio* .
        - quoad personas
        - quoad processum
      - *poena inflicta*
        - inobedientiae
        - gulae
        - superbiae.
    - de *traductione culpae*, in qua occurrunt
      - modus *corruptionis*
      - modus *transfusionis*
      - modus *curationis*.
    - de *origine peccati actualis*, seu . . . . . .
      - in genere — de origine peccati . .
        - venialis
        - mortalis
          - rati
          - consummati.
      - in specie — de origine peccatorum
        - capitalium
        - poenalium
        - finalium.

IV. PARS,

IN QUA DE INCARNATIONE VERBI AGITUR.

CAPUT I.

De ratione, qua decuit Verbum Dei [a] incarnari.

a) Dei om. ed. 1484.

(Ad salutem generis humani nullus alius modus ita conveniens erat reparatori, — reparabili — et ipsi reparationi.)

Postquam praedicta sunt aliqua de Trinitate Dei, de creatura mundi et corruptela peccati, restat nunc aliqua breviter dicere de incarnatione Verbi [1] (I), per quod quidem Verbum incarnatum facta est salus et reparatio generis humani [2], non quia aliter Deus humanum genus salvare vel liberare non potuerit [3], sed quia nullus alius modus ita congruus et conveniens erat ipsi reparatori, et reparabili et reparationi.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium effectivum rerum non potuerit, nec decuerit [b] esse nisi Deus, et non minus sit res conditas reparare, quam in esse producere, sicut non minus est bene esse, quam simpliciter esse; decentissimum fuit rerum principium reparativum esse Deum summum [4], ut sicut omnia creaverat Deus per Verbum increatum, sic omnia repararet [c] per Verbum incarnatum. Quoniam ergo Deus omnia fecit [d] potenter et sapienter et optime sive benevolenter, decuit, ut sic repararet reparanda, quod suam potentiam, sapientiam [e] et benevolentiam ostenderet. Quid autem potentius, quam conjungere extrema summe distantia in unam personam [5]? Quid sapientius et congruentius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret conjunctio primi et ultimi, Verbi scilicet Dei, quod est omnium principium, et humanae naturae, quae fuit ultima omnium creaturarum [6]? Quid benevolentius, quam quod Dominus propter servi salutem accipiat *servi formam (Philipp. 2, 7)?* Immo hoc tantae benignitatis est, ut nihil clementius, nihil amicabilius, nihil benignius cogitari possit [7]. Convenientissimus ergo erat [f] hic modus Deo reparatori propter commendandam divinam potentiam, sapientiam et [g] benevolentiam [8].

b) Ita ABD EFG et ed. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484. In cet. poterat . . . decuit.

c) Recrearet ed. 1484.

d) Facit ibid.

e) Et sapientiam ibid.

f) Erit ibid.

g) Et om. ibid.

(I) Judaei, ut omnes norunt, Messiam nondum advenisse jactitant, in ejusque exspectatione adhuc perseverant. Contra ipsos, praeter integrum Novum Testamentum, sunt etiam ea omnia Testamenti veteris loca, in quibus epocha et officia Messiae ita determinantur, ut nonnisi Jesu Nazareno ad amussim convenire queant. Loca autem, in quibus praecipue epocha promissi Messiae indicatur, sunt vaticinia Jacobi, cum in extremo vitae articulo constitutus benediceret filio suo Judae, *Gen. 49, 8*; vaticinium Danielis, *9, 24* de septuaginta hebdomadibus; et vaticinia Aggaei *2, 4 seqq.*, et Malachiae *3, 1.*

Rationalistae e contra et increduli vel sub Messiae nomine designari autumant individuum vagum atque indeterminatum, ad humanam naturam moraliter instaurandam, aut etiam ad politicam libertatem vindicandam ordinatum; vel Messiae nomen ideale effutiunt ad quamdam vitae socialis felicem epocham indicandam. Eorum figmentum damnatur in *Syllabo n. 7:* „Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et in utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa, ipseque Jesus Christus est mythica fictio.“

Rursus, quia homo cadens in culpam averterat se, et recesserat a principio potentissimo, sapientissimo et benevolentissimo [h]; ideo corruerat in infirmitatem, ignorantiam et malignitatem, ac per hoc de spirituali effectus [i] carnalis, animalis et sensualis; et [j] ideo ineptus erat [k] ad divinam virtutem imitandam, ad lucem cognoscendam, ad bonitatem diligendam. Ad hoc igitur, quod homo ab isto statu repararetur, congruentissimum fuit, ut ei condescenderet primum principium, reddendo se illi noscibile, amabile et imitabile. Et quia homo carnalis, animalis et sensualis non noverat, nec amabat, nec sequebatur, nisi sibi proportionalia et consimilia; ideo ad eripiendum [l] hominem de hoc statu, *Verbum caro factum est (Jo. 1, 14),* ut ab homine, qui caro erat, et cognosci posset, et amari et imitari [9]; ac per hoc, et homo Deum cognoscens et amans et imitans remediaretur a morbo peccati.

h) Benignissimo ibid.
i) Effectus est ibid.
j) Et om. ibid.
k) Est ibid.
l) Reparandum ibid.

Postremo, quia homo perfecte reparari non poterat, nisi recuperaret mentis innocentiam, Dei amicitiam et suam excellentiam, qua soli Deo suberat, et hoc non poterat [m] fieri nisi per Deum in forma servi; ideo congruum fuit Verbum incarnari. Excellentiam namque recuperare non poterat, nisi reparator esset Deus; quia si mera creatura, tunc homo esset subjectus merae creaturae, et sic non recuperaret statum prioris [n] excellentiae. Amicitiam quoque Dei recuperare non poterat, nisi per mediatorem convenientem, qui manum posset ponere in utrumque, et utrique parti conformis esset, et utrique [o] amicus; et ideo sicut similis Deo per divinitatem, sic similis homini per humanitatem. Innocentiam vero mentis recuperare non poterat, nisi dimissa culpa, quam dimittere non decebat divinam justitiam, nisi per satisfactionem condignam [10]. Et quia satisfacere non poterat, nisi Deus pro toto humano genere [11], nec debebat nisi homo, qui peccaverat; ideo congruentissimum fuit humanum genus reparari per Deum hominem, natum de genere Adae [12]. Quoniam ergo excellentia recuperari non poterat, nisi per reparatorem excellentissimum; nec amicitia reformari poterat, nisi per mediatorem amicabilissimum; nec innocentia reacquiri poterat, nisi per satisfactorem sufficientissimum; excellentissimus autem reparator non est, nisi sit Deus; amicabilissimus mediator non est, nisi sit homo; sufficientissimus satisfactor non est, nisi sit Deus pariter et homo: congruissima fuit nostrae reparationi incarnatio Verbi [13], ut sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, et in culpam ceciderat deserendo Verbum inspiratum*), sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum [14].

m) Ita ABC DEFGH et editt. Arg. Aug. Nor In cet. potuit.
n) Prioris om. ABCDE FGH et ed. Aug.
o) Utriusque ed. 1484.

*) *In nonnullis editionibus, sive antiquis, sive recentioribus, imo et in recentissima Tubingana, vox* deserendo *in textu desideratur, ipsique substituitur particula* per. *Perperam quidem, et omnino contra mentem S. Doctoris, qui saepissime eamdem distinctionem exhibet. Sic e. g. in* Itinerario, cap. 4. n. 2, *ait:* Anima credens, sperans et amans Jesum Christum, qui est Verbum Patris incarnatum, increatum et inspiratum, scilicet via, veritas et vita etc.“ *Ad rem cl. P. Bonelli in Nota ad* Comment. de plantatione paradisi n. 9, *postquam textum emendatum retulisset, subjungit:* Ita ibi *(in Breviloquio)* secundum editionem antiquissimam an. 1475 per Antonium Sorg in Augusta ... et hoc ad emendandum gravissimum errorem, qui irrepserat in alias editiones, tam antiquas, quam recentiores, etiam in novissimam Venetam, in qua pro *in culpam ceciderat deserendo Verbum inspiratum,* legitur: *in culpam ceciderat per Verbum inspiratum*, quod absit D. Bonaventuram scripsisse, ne Verbum inspiratum fiat caussa peccati.“ *Supplem. Opp. S. Bonav. vol. 1. col. 14. not. e.*

Ad Caput I.

[1] „Incarnatio est unio carnis ad naturam divinam in personam distinctam.“ *3. dist. 1. a. 1. q. 2 ad 1.*

[2] „Incarnationis Dominicae praecipua ratio est humani generis redemptio, quamvis huic rationi aliae sint annexae rationes.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc duplex est magistrorum opinio. Quidam

enim dicere volunt, quod de incarnatione loqui est dupliciter. Est enim incarnatio carnis assumptio. De carne autem assumpta est loqui dupliciter, aut quantum ad substantiam, aut quantum ad defectum passibilitatis et mortalitatis. Si fiat sermo de ipsa quantum ad defectum passibilitatis et mortalitatis, dicunt quod incarnationis praecipua ratio fuit humani generis redemptio. Nisi enim homo peccasset, et lapsus fuisset, et redimendus esset, Christus carnem mortalem non assumpsisset. Si autem loquimur de incarnatione, secundum quod dicit assumptionem humanae naturae, loquendo simpliciter, sic dixerunt, quod praecipua ratio incarnationis non est liberatio generis humani, quia etiamsi homo non peccasset, Christus incarnatus esset. Sed hujus ratio est perfectio multiplex surgens ex dignitate illius operis. Incarnatio enim facit ad perfectionem hominis, et per consequens ad perfectionem totius universi, in hoc quod complet, et completionem dat humano generi secundum illud, quod respicit naturam, et secundum illud, quod respicit gratiam, et secundum illud, quod respicit gloriam. Secundum illud, quod respicit naturam; quia in incarnatione est consummatio modorum ducendi hominem in esse. Est etiam consummatio in comparatione ad perfectionem agentis, in hoc quod in incarnatione homo, qui est ultimus, conjungitur cum suo principio unione, qua sub Deo nulla est major. Facit etiam ad perfectionem hominis quantum ad illud, quod respicit gratiam; quia in incarnatione assumit Christus humanam naturam, ratione cujus plene habet esse caput totius Ecclesiae, cujus corporis membra uniri habent ratione caritatis et gratiae; et simul cum hoc facit ad perfectionem meriti, quia omnia merita pendent, et meliorantur merito Christi. Facit etiam ad perfectionem gloriae, in eo quod homo in Deo suo invenit pascua quantum ad partem corporalem, et quantum ad partem spiritualem, sive ingrediatur, sive egrediatur, quod non faceret, si Deus non esset incarnatus. Completus etiam est totius humanae naturae appetitus, dum per opus incarnationis nobilissima idoneitas, quae erat in humana natura, secundum quam unibilis erat divinae, ad actum perfectum reducitur: et ratione hujus multiplicis perfectionis, quae surgit ex opere incarnationis, congruum fuit Deum incarnari. Et quia haec multiplex perfectio non respicit tantum statum naturae lapsae, imo respicit etiam statum naturae institutae; ideo si homo lapsus non fuisset, nihilominus incarnatus esset, quia ita competebat hominem perfectum esse et secundum naturam et secundum gratiam et secundum gloriam, sicut si esset in statu lapso, et quodam modo amplius. Et haec secundum istam opinionem. Et qui hanc opinionem sequuntur, concedunt rationes, quae ad hanc partem adducuntur. Rationes vero ad oppositum et auctoritates per hoc effugiunt, quia dicunt eas intelligi, secundum quod incarnatio dicitur carnis mortalis et passibilis assumptio. Loquitur enim Scriptura et litera de incarnatione secundum eum modum, qui fuit post lapsum, non per eum modum, qui fuisset, homine persistente in statu innocentiae. Aliorum vero positio fuit, quod praecipua ratio incarnationis fuit reparatio generis humani, quamvis multae sint rationes congruentiae huic annexae. Ista tamen est praecipua respectu omnium, quia nisi genus humanum fuisset lapsum, Verbum Dei non fuisset incarnatum. Et ratio hujus est, quia incarnatio Dei est superexcedentis dignationis; et ideo, cum sit ibi quidam excessus, non fuisset introductum incarnationis mysterium, nisi praecessisset excessus oppositus per ipsum corrigendus et restaurandus. Unde nisi Deus ovem suam perdidisset *(Matth. 18, 12; Luc. 15, 4)*, non de coelo ad terram descendisset. Quis autem horum modorum melior sit, novit iste, qui pro nobis incarnatus est. Quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est videre, pro eo quod uterque modus catholicus est, et a viris catholicis sustinetur. Uterque etiam modus excitat animam ad devotionem secundum diversas consideraciones. Videtur autem primus modus magis consonare judicio rationis: secundus tamen, sicut apparet, plus consonat pietati fidei. Primo, quia auctoritatibus Sanctorum et sacrae Scripturae magis concordat; nam tam novum, quam vetus Testamentum, ubi de Filii Dei descensu loquuntur, generis humani liberationem rationem reddunt, quod patet singula discurrendo. Sancti etiam hoc dicunt, sicut patet in auctoritatibus suprapositis. Et ideo si divina eloquia nobilissimam et praecipuam incarnationis rationem assignant, et nihil etiam a nobis dicendum est praeter ea, quae nobis ex sacris eloquiis clarent; ideo magis videtur pietati fidei consonum, quod praecipua incarnationis ratio sit liberatio generis humani, quam aliter sentire. Et hoc aperte dicit Augustinus in libro de verbis Apostoli in serm. 70, tractans illud Lucae *(19, 10): Venit Filius hominis salvum facere quod perierat.* Si homo non periisset, Filius hominis non venisset. Et expressius idem tractans illud *(1. Tim. 1, 15): Venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Nulla causa veniendi fuit Christo, nisi peccatores salvos facere. Et idem plura dicit ad hoc pertinentia. Et in illa oratione, quae incipit: „A cella aromatica," quae dicitur esse Augustini, hoc ipsum habetur expressius. Ad hoc etiam concordant verba Bernardi et Glossae super dictum locum epistolae ad Timotheum. Secundo vero, praedictus modus magis concordat pietati fidei, quia Deum magis honorificat, quam praecedens. Nam praecedens dicit, quod Deum congruebat incarnari ad perfectionem universitatis; et ideo quodam modo Deum intra perfectionem universi concludit, et quamdam necessitatem incarnationis ponit ei, cum dicit opera ejus aliter ad perfectionem non perduci. Hic autem modus dicendi, cum dicit, quod incarnationis mysterium est super omnem perfectionem, ponit Christum esse supra omnem perfectionem universitatis, sive quantum ad naturam, sive quantum ad gratiam, sive quantum ad gloriam. Et hoc recte facit; quia, sicut dicit Philosophus *(lib. 11 primae philosophiae 11. Met. contex. 44):* Deus supra omnem universi ordinem ponendus est, sicut non dicitur esse dux de exercitu, sed supra exercitum. Tertio, modus iste dicendi incarnationis mysterium magis commendat, dum dicitur hoc mysterium tantum esse, quod non debuit fieri nisi ex maxima causa, utpote propter placandam divinam iram, et restaurandi omnia, sive quae in caelis sunt, sive quae in terra. Et ideo dicunt, quod tantum mysterium non fuisset introductum, nisi praecessisset lapsus nobilissimae creaturae, et offensio majestatis divinae. Quarto, etiam fidelem affectum magis inflammat. Plus enim excitat devotionem animae fidelis, quod Deus sit incarnatus ad delenda scelera nostra, quam propter consummanda inchoata opera sua. Quoniam ergo hic modus dicendi,

etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat pietati fidei, in hoc quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat, et Deum magis honorificat, etiam incarnationis mysterium magis commendat, et affectum nostrum ardentius inflammat; ideo concedendum est, ut praedictae auctoritates et rationes ostendunt, quod praecipua ratio incarnationis fuit redemptio generis humani, quamvis multae aliae rationes congruentiae huic rationi sint annexae." *3. dist. 1. a. 2. q. 2.*

[3] „Genus humanum potuit alia via quam per mortem Christi reparari, quantum ex parte Dei, licet ex parte reparati aliter non potuerit." — „Cum quaeritur, utrum alio modo genus humanum potuerit reparari, quam per mortem Christi, potest quaeri vel de potentia Dei reparantis, vel ex parte generis humani reparati. Si ex parte Dei reparantis, sic absque dubio aliter potuit genus humanum liberari et reparari, sicut Sancti dicunt. Et magister Hugo de sancto Victore alium modum assignat in libro de sacramentis, et Magister recitat in litera. Non est enim limitanda divina potentia, imo etiam sicut solo nutu mentis et imperio voluntatis potuit creare, ita potuit etiam reparare. Si autem quaeritur de potentia ex parte generis humani reparati et liberati, sic dicendum, quod determinatum fuit sibi posse ad hanc viam, et isto modo subintelligendo potest concedi, quod genus humanum non potuit aliter reparari, sicut conceditur, quod nullus homo potest salvari, nisi credat in Christum. Non enim patet nobis alia via salutis, *nec aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri (Act. Ap. 4, 12).* Potuisset tamen Deus, si voluisset, aliud nomen dare, in quo salus nostra consisteret." *3. dist. 20. a. 1. q. 6.*

[4] „Absque dubio congruum est et decens reparari genus humanum . . . non solum ex parte Dei, sed etiam ex parte hominis. Ex parte Dei, quia decet Dei potentiam, sapientiam et misericordiam . . . Ex parte vero hominis congruentia est similiter, si consideretur dignitas hominis conditi, et modus labendi, et status lapsi. Dignitas namque hominis conditi tanta erat, ut propter ipsum facta sint universa. Si ergo homo careret suo fine, jam omnia essent suo fine defraudata. Modus vero labendi fuit, quod humana natura totaliter cecidit alio peccante, et alio suggerente; et ideo decens fuit ipsam per alium relevari, ut sicut filii peccaverunt in parente, et parens peccavit diabolo suggerente, sic etiam homo repararetur Domino relevante. Status etiam hominis lapsi reparationi congruit, quia in illo statu simul fuit poenitentia cum miseria; et poenitentia quodam modo placabat divinam justitiam, miseria vero provocabat misericordiam. Et sic patet, quod per omnem modum congruum fuit reparari genus humanum. Congruum, inquam, ex parte opificis, et congruum ex parte operis. Sed congruitas ex parte operis pura congruentia est, ita quod non ponit necessitatem. Congruitas vero ex parte opificis ponit necessitatem, necessitatem, inquam, non inevitabilitatis, quae dividitur in coactionem et prohibitionem, sed necessitatem immutabilitatis, quae consurgit ex stabilitate et immutabilitate divinae dispositionis: haec autem non arctat divinam potentiam ad oppositum, sed eam determinat ad tale propositum." *3. dist. 20. a. 1. q. 1.*

[5] „Iste puer reparavit hierarchiam caelestem et subcaelestem, quae tota corruerat; ergo necesse fuit, ut tangeret coelum et tangeret terram. Iste Hierarcha debet esse praecelsus, qui solus possit salvare. Unde dicitur admirabilis: *Multifarie enim olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, qui cum sit splendor gloriae,* et cetera, usque *purgationem peccatorum faciens (Heb. 1, 3).* Ab isto admirabili procedunt mirabilia. Unde et in suae temporalis nativitatis exordio fecit miraculum miraculorum, quod omnia alia miracula respiciunt. Habuit enim naturam corpoream et naturam incorpoream; naturam divinam, naturam humanam; naturam temporalem, naturam aeternam; matrem et virginem; unitum est primum ultimo, summum imo, Deus limo. *Vide arcum,* qui habet multiformitatem colorum et naturarum, *et benedic, qui fecit illum,* quia *valde speciosus est in splendore suo (Eccl. 43, 12).* Hic est sol, qui descendit per decem gradus in horologio Achaz *(Isa. 32, 8),* id est verbum incarnatum, per novem ordines angelorum usque ad hominem, qui decimus computatur. In hoc miraculorum miraculo, scilicet quod Deus est homo, fides accipit vires suas. Unde Moyses, postquam minavit gregem ad interiora deserti, vidit rubum, qui ardebat et non comburebatur: *Vadam,* inquit, *et videbo visionem hanc magnam (Exod. 3, 3);* et ibi fuit illustratus. Rubus spinosa, passibilitas carnis; flamma, anima Christi plena luminibus et igne caritatis; lux, divinitas; lux conjuncta rubo, mediante flamma, est divinitas conjuncta carni, mediante anima. Ut ergo possit hierarcha de mortuis facere vivos, de hominibus Dei filios, necesse est, ut sit praecelsus et admirabilis." *Serm. 3. in Hexaëm. post medium.*

[6] „Absque dubio major fuit congruentia ad unionem in creatura humana, quam in angelica. Et hoc quidem satis manifestat ipsa operatio divina: *Deus enim nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit (Hebr. 2, 16).* Ratio autem majoris congruentiae dupliciter accipitur, videlicet secundum humanae naturae institutionem, et secundum ejusdem reparationem. Secundum namque humanae naturae institutionem, major est congruitas in humana natura, quam in angelica. Et hoc triplici de causa. Prima est propter personalem distinctionem, quae quidem in humana reperitur secundum originem, et non in angelica; et ideo magis congruebat, quod persona Filii, quae distinguitur a persona Patris secundum originem, eam naturam acciperet, in qua proprietatem filiationis retineret: et hoc quidem factum est in humanae naturae assumptione. Nam idem ipse, qui ab aeterno erat Patris Filius, ex tempore factus est Filius Virginis Matris. Secunda est propter majorem divini exemplaris repraesentationem, ratione cujus homo dicitur minor mundus. Anima enim rationalis non tantum repraesentat Deum prout consideratur in se, sed in quantum unitur corpori, quod regit, et in quo toto inhabitat, sicut Deus in majori mundo. Et hoc pluries dicit Augustinus, quod ratione majoris hujus conformitatis major erat ratio unibilitatis. Tertia ratio est propter multiplicem hominis compositionem. Quia enim homo compositus est ex natura corporali et spirituali, et quodam modo communicat cum omni creatura, sicut dicit Gregorius *(hom. 29 in Ev.);* hinc est, quod cum humana natura assumitur et deificatur, quodam modo omnis natura in ea exaltatur, dum in suo simil deitati unitur. Et hinc

est, quod assumptio humanae naturae plus facit ad totius universi perfectionem, quam angelicae; et ideo major est in ea congruitas ad unionem etiam secundum suam institutionem. Similiter et secundum reparationem major congruitas in ea reperitur ad unionem triplici de causa, scilicet quia homo magis indigebat, et minus indignus erat, et amplius ei proderat, ut Filius Dei assumeret naturam suam. Magis indigebat, quia totus lapsus fuerat; minus indignus erat, quia per alium corruerat; plus ei proderat, quia adhuc in malo obstinatus non erat. Quoniam ergo divina misericordia ista tria pensat in beneficiis, quae impendit; hinc est, quod Deus, *qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos (Ephes. 2, 4)*, magis assumpsit humanam naturam, quam angelicam, quia major reperiebatur in ea congruentia ad suscipiendum fantum beneficium divinae misericordiae, et ut per illud relevaretur a miseria. Haec autem ratio, quae sumpta est ab humani generis reparatione, efficacior et principalior est, quam praecedens. Quia . . . praecipua ratio incarnationis fuit humani generis reparatio.“ *3. dist. 2. a. 1. q. 2.*

[7] „Currite gentes undique, et miramini erga vos caritatem Dei, et erga ipsum caecitatem et malitiam vestram. Si enim Dei Filius voluit inseparabiliter conjungi naturae humanae, quanto magis anima vestra deberet sibi inseparabiliter copulari? Si enim Dei Filius voluit tanto caritatis fervore sic vilissimos cineres sibi unire, quanto avidius deberet unusquisque ad recipiendum ipsum devotissime cor suum aperire?“ *Stimul. div. amor. p. 1. c. 1.*

[8] „Absque dubio congruum fuit, et Deum decuit incarnari. Et hoc propter suae potentiae et sapientiae et bonitatis eminentem manifestationem, quae quidem facta est in humani generis assumptione. Congruum etiam fuit propter divinorum operum excellentem consummationem, quae quidem facta est in humani generis assumptione, cum ultimum conjunctum est primo. Ibi enim est perfectionis consummatio, sicut patet in circulo, qui est perfectissima figurarum, qui etiam ad idem punctum terminatur, a quo incepit. Decebat etiam propter superabundantem pretii solutionem ad liberationem hominis captivi, quia sola persona divina erat, quae praeponderabat toti humano generi. Postremo decebat propter superfluentem hominis glorificationem, ut non tantummodo inveniret homo in Deo pascua interius, imo etiam pascua exterius. Et sic patet, quod opus incarnationis multum quidem per omnem modum Deo congruebat, et quantum ad ejus infinitatem, et quantum ad ejus perfectionem, et quantum ad pietatem, et quantum ad liberalitatem. Ad infinitatem in seipso, ad perfectionem in operando, ad pietatem in liberando, et quantum ad liberalitatem in remunerando.“ *3. dist. 1. a. 2. q. 1.*

[9] „Cum Christus sit Verbum increatum et incarnatum, duplex est in eo ratio exemplaritatis, aeternae videlicet et temporalis. Aeternae, inquam, secundum quod est splendor aeternae gloriae et figura substantiae Dei Patris *(Hebr. 1, 3)*, atque *candor lucis aeternae et speculum sine macula majestatis Dei (Sap. 7, 26)*. In quo quidem speculo exemplariter cuncta creata relucent, quae a principio conditionis mundi usque in finem ad perfectionem universi totius, tam spiritualiter, quam sensibiliter producuntur. Et secundum hoc est Christus, ut Verbum increatum, speculum intellectuale et exemplum aeternum totius machinae mundialis. In quantum autem Verbum incarnatum in assumptae humanitatis conversatione exemplum et speculum est omnium gratiarum et virtutum et meritorum, ad cujus exemplaris imitationem erigendum est tabernaculum militantis Ecclesiae, juxta quod Moysi ministerialiter dictum est *(Exod. 25, 40): Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Et quemadmodum ab illo uno aeterno exemplari indiviso tam diversae manant creaturarum naturae et naturarum perfectiones, secundum variam ipsius summi boni participationem, quod perfecte ab una aliqua creatura capi non poterat, propter quod et diversas constituit Deus rerum species ad universi completionem; sic et a Verbo illo incarnato, tamquam ab originali principio gratiae, de cujus *plenitudine accepimus omnes (Jo. 1, 16)*, et tamquam a speculo, in quo et a quo omnis sanctitatis et sapientiae plenitudo et pulchritudo refulget, diversi status, gradus et ordines, secundum variam distributionem donorum et varium imitandi modum exemplariter derivantur, in quibus secundum multiformem participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, ut simul reperiatur in omnibus, nec tamen in aliquo uno solo secundum omnimodae plenitudinis totalitatem refulgeat, sed quilibet gradus et status pro suae mensurae modulo, secundum plus et minus, istius exemplaris influentiam suscipit, et ad ipsius imitationem accedit. Refulgent autem a Christo tamquam a totius nostrae salutis exemplari et originali principio actus multiformes. Nam quidam actus in ipso respiciunt sublimitatem potentiae, ut super aquas siccis pedibus ambulare, elementa convertere, panes multiplicare, se ipsum transfigurare et cetera miracula facere. Quidam sapientiae lucem, ut arcana caelestia referre, secreta cordium scrutari et futura praedicere. Quidam severitatem judicii, sicut vendentes ejicere de templo, cathedras vendentium columbas evertere, et dura increpatione ferire pontifices. Quidam officii dignitatem, ut sacramentum conficere sacratissimi corporis sui, manus imponere et relaxare peccata. Quidam condescensionem miseriae, ut latere in persecutione, trepidare et contristari in morte et pro amotione calicis Patrem rogare. Quidam informationem vitae perfectae, ut paupertatem servare, virginitatem custodire, Deo et hominibus seipsum subjicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare et morti se summa caritate etiam pro inimicis offerre. Cum igitur sex sint hujusmodi actuum varietates, in his ultimis dumtaxat ipsum imitari est perfectum. Nam in his, quae sunt excellentiae singularis, est impium et luciferianum, nisi fuerit alicui privilegii singularis dono concessum. In his autem, quae sunt severitatis et dignitatis, est praesidentium et praelatorum. In his, quae condescensionis, est infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinsecum. Nequaquam igitur summa christianae perfectionis consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantum illorum, qui vitae perfectae imitationem respiciunt.“ *Apolog. pauper. Resp. 1. c. 2.*

[10] „Modus nostrae satisfactionis factae per Christum fuit conveniens et maxime a Deo acceptandus.“ — „Modum istum ultra ceteros modos debuit Deus acceptare, quia nobilissimus est inter omnes, qui possunt esse, vel excogitari. Fuit enim acceptissimus ad placandum Deum,

congruissimus ad curandum morbum, efficacissimus ad attrahendum genus humanum, prudentissimus ad expugnandum generis humani inimicum. Primo quidem fuit acceptissimus ad placandum Deum, propter quod dicit Anselmus *(lib. Cur Deus homo, cap. 11):* Nihil asperius et difficilius potest homo ad honorem Dei pati sponte et non ex debito, quam mortem. Et nullatenus potest magis seipsum dare homo, quam cum se morti tradit ad honorem ipsius. Et hoc est, quod dicitur: *Tradidit seipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. 5, 2).* Secundo etiam fuit congruentissimus ad curandum morbum. Primus enim homo peccaverat per superbiam et gulam et inobedientiam, sicut dicit Gregorius, et in secundo libro fuit ostensum *(dist. 21 et 22);* voluit enim Deo assimilari per scientiae sublimitatem, gustare ligni suavitatem et transgredi praecepti divini limitem. Et quoniam curatio habet fieri per contrarium; ideo modus satisfaciendi congruentissimus fuit per afflictionem et humiliationem et divinae voluntatis impletionem. Et haec omnia satis relucent in ipsa passione, et de his dicit Apostolus *(Philip. 2, 8): Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Tertio autem fuit efficacissimus ad attrahendum genus humanum. His enim solis passio ad salutem valebat, qui voluntate mera per amorem Deo adhaerebant. Non enim decrevit Deus aliter genus humanum salvare, nisi liberae voluntatis arbitrio, et nullo alio modo, salvo voluntatis arbitrio, Deus hominem magis potuit attrahere ad amorem suum, quam suscipiendo pro eo crucis patibulum, propter quod dicitur *(Joan. 12, 32): Ego si exaltatus fuero a terra, traham omnia ad meipsum.* Et Hugo *(de arrha sponsae):* Ut ostenderet tibi quantum te diligeret, non nisi moriendo te a morte liberavit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verum etiam caritatis monstraret affectum. Quarto etiam fuit ad vincendum adversarium prudentissimus. Decebat enim ut Christus sua prudentia superaret diabolum, sicut diabolus sua astutia decepit hominem primum. Propter quod dicitur: *Prudentia ejus percussit superbum (Job 26, 12);* Et ultra: *Numquid poteris capere Leviathan hamo (Ib. 40, 20)?* Propter quod dicitur distinc. praecedenti c. 1: Venit Redemptor et victus est deceptor, tetendit illi muscipulam crucem suam, posuit ei quasi escam sanguinem suum. Ex his quatuor rationibus satis apparet, quod modus iste satisfaciendi pro nobis fuit congruentissimus et Deo maxime acceptandus." *3. dist. 20. a. 1. q. 5.*

[11] „Nulla pura creatura potuit satisfacere pro toto genere humano, cum tam gravis fuerit injuria per peccatum Deo illata." — „Dicendum, quod de duobus consuevit fieri satisfactio, et requiri, videlicet de injuria et damno. Si ergo Deus requirit satisfactionem ab humano genere, aut requirit pro utroque, aut pro altero horum. Si pro utroque, planum est, quod impossibile est aliquam puram creaturam Deo satisfacere pro humano genere, pro eo quod tam gravis est injuria, quae infertur Deo ob excellentissimam ejus dignitatem, quod nulla pura creatura potest recompensare aliquid ei aequale. Si vero exigit sibi satisfactionem de solo damno condonando injuriam, nec sic potest pro toto genere humano satisfacere aliqua pura creatura. Aut enim illa pura creatura esset homo, aut non esset homo. Si homo, cum nullus purus homo possit aequivalere toti generi humano, talis homo offerendo seipsum Deo, nunquam recompensaret damnum, quod Adam intulit corrumpendo totum genus humanum. Si esset non homo, nec sic adhuc posset damnum recompensare, si pura creatura esset; aut si posset, non tamen satisfaceret, quia ad illud genus spectat satisfactio, ad quod spectavit transgressio. Aut si hoc posset, non tamen deceret, eo quod naturam humanam in statum pristinum non revocaret, esset enim ex hoc subjecta alii generi creaturae. Et ex hoc habetur, quod non solum pura creatura non posset Deo satisfacere, si esset alterius generis; sed etiam nec si esset a Deo assumpta, conveniret, ut pro humano genere satisfaceret. Et ideo, cum pura creatura non posset pro toto genere humano satisfacere, nec alterius generis creaturam deceret ad hoc assumi, oportuit, ut persona satisfacientis esset Deus et homo." *3. dist. 20. a. 1. q. 3.* — „Nullus, quantumvis gratia fulcitus, potuit pro culpa actuali pro seipso satisfacere satisfactione plena, damnum et injuriam complectente; sed neque semiplena pro originali." — „Dicendum, quod est satisfactio plena, et est satisfactio semiplena. Satisfactio plena est, quando simul fit satisfactio, de injuria et damno. Satisfactio vero semiplena est, quando, remissa offensa, satisfactio fit pro damno. Intelligendum est ergo, quod pro nullo peccato, in quo fit aversio a Deo, potest satisfacere aliquis purus homo satisfactione plenaria, nec pro seipso, nec pro aliis, propter hoc quod offensa et injuria illa omnino excedit puram creaturam. Si vero loquamur de satisfactione semiplena, illa videlicet, in qua, remissa offensa, requiritur emenda de damno; sic dicendum, quod homo potest satisfacere pro suo actuali peccato, sed non pro originali peccato. Ratio autem hujus est, quia peccatum actuale dicit depravationem voluntatis, sed originale dicit depravationem naturae. In hoc autem differt depravatio naturae a depravatione voluntatis, quia corruptio voluntatis respicit ipsam personam, ut est individuum, sed corruptio naturae, ut est alterius principium. Item, quia voluntas est vertibilis, et corruptio in ea existens est facile mobilis; quia vero natura uno modo movetur, corruptio in ea existens est difficile mobilis. Quoniam ergo deordinatio voluntatis introducta pro actuali est personae singularis et facile mobilis, recompensari potest per usum gratiae gratum facientis, quae respicit personam singularem. Quia vero depravatio naturae est respiciens propagationem, et ita naturam communem, et ulterius eradicari non potest omnino; ideo pro damno illato nemo potest satisfacere per gratiam singularis personae. Illa enim non tollit omnino peccati originalis radicem ab eo, in quo est, nec per se, nec per usum suum; et ideo non potest omnino tollere reatum et obligationem. Impossibile ergo fuit, quod aliquis pro peccato originali alicujus hominis satisfaceret, nisi omnino a peccato originali mundus esset, nisi etiam haberet gratiam communem, hoc est gratiam capitis, cujus plenitudo nata est in alios redundare; talis autem non potuit esse nisi homo et Deus, qui esset aliorum caput, sicut in praecedentibus fuit ostensum, quia nullus nisi Deus potest influere aliis motum et sensum. Et sic patet, quod pro minimo peccato originali, nec quantum ad satisfactionem plenariam, nec quantum ad satisfactionem semiplenam potuit satisfacere, nisi Christus, id est homo et Deus. De

actuali verò potest quidem purus homo adjutus gratia satisfacere, sed satisfactione semiplena, quae suppletionem et complementum recipit a passione Christi. Christus enim satisfaciens pro omni offensa, omnibus impetravit gratiam quantum ad sufficientiam, et merito illius satisfactionis homo suscipiens gratiam, satisfacit postea Deo pro laesione, quam intulit sibi actualis culpa. Ex hoc patet, quo modo passio Christi influit in Sacramenta, et quare amplius influit in Sacramentum baptismi, quod est remedium contra originale, quam in Sacramentum poenitentiae ... Concedendum est ergo, quod nullus adjutus gratia satisfacere potuit pro seipso." *Ibid. q. 4.*

[12] „Absque dubio Dei filius potuisset carnem assumere aliunde quam de massa corrupta, sive aliunde quam ex his, qui processerunt de genere Adam; magis tamen congruebat, quod de genere Adae carnem assumeret. Et licet multae sint congruentiae, quae nos latent, juxta multiformitatem sapientiae Dei, tamen secundum verba et dicta Sanctorum quatuor possunt rationes congruentiae assignari. Prima est propter conservandam rectitudinem justitiae, ut videlicet ejusdem generis esset satisfactor et praevaricator. Nam si alterius generis esset, non attribueretur eidem generi satisfactio, cui et offensio, ac per hoc non recte servaretur justitiae rectitudo, quae ab illo genere requirit emendam, in quo reperit praecedentem offensam. Secunda est propter manifestandam dulcedinem misericordiae, ut videlicet ipse Dominus, qui ab homine contemptus fuerat tanquam ab adversario et inimico, ipse idem generi humano uniretur in Christo in unitatem personae, in quo manifestatur mira Dei condescensio, in hoc quod ipse genus humanum sibi inimicum conjungere voluit in indissolubile vinculum, juxta illud, quod dicitur *(Rom. 5, 6): Commendat autem caritatem suam etc.* Tertia autem ratio est ad declarandam ordinationem divinae sapientiae, quae quidem ordinatio nullo potest infringi vitio. Decreverat enim Deus et ordinaverat, ut genus humanum totum multiplicaretur et disseminaretur ex uno, propter repraesentationem illius universalis principii, quod Deus est, nec hoc per peccatum infringi debuit; et ideo Christus, mediator Dei et hominum, homo verus, non aliunde, sed de massa totius generis humani debuit formari. Quarta vero ratio est ad conservandam dignitatem et altitudinem humanae naturae, quam Deus in tanta dignitate constituerat, ut nulli alii generi creaturae, sed soli Deo esset obnoxia. Si ergo non modicum est obnoxia Redemptori, decens est, ut Redemptor, aut solum esset Deus, aut si haberet in se genus naturae creatae, hoc esset de genere illius massae, quae ortum habet a lumbis Adae. Propter has ergo rationes congruentiae, quae apparent manifeste, et a verbis Sanctorum habent firmitatem, concedendum est, quod non solum fuit congruum, quod Christus assumeret carnem de nostro genere ad reparationem humanae naturae, verum etiam hoc magis fuit congruum, quam quod alio modo faceret, licet alio modo facere potuisset." *3. dist. 12. a. 1. q. 1.*

[13] „Cum loquimur de Christo quantum ad ejus incarnationem et passionem, vel etiam cogitamus, repleri debemus devotione, ne dum tam magna et immensa beneficia corde arido cogitamus, per elationem inflemur, et per ingratitudinem arescamus." *3. dist. 22. dub. 5.*

[14] „Humana natura est exaltata propter incarnationem; ... sed ex hoc non sequitur, quod reportaverit ex malitia commodum, quia hoc non fuit ex sua malitia, sed ex summa benignitate divina et sapientia. Quia enim sapientia Dei vincit malitiam; hinc est, quod non patitur esse malum aliquod, de quo non eliciat bonum, et etiam majus bonum, alioquin non perfecte malitiam vinceret. Et propterea contra praevaricationem Adae, qui totum genus humanum infecit, statuit rectitudinem secundi Adae, qui pro toto genere humano possit satisfacere, et cujus obedientia multo plus sibi placeret, quam inobedientia primi Adae potuit displicere. Similiter hoc fuit ex bonitate divina, ex qua Deus plenus est dilectione et misericordia. Et ideo diligentibus se, quos sanctos vocavit secundum propositum suum, omnia fecit eis cooperari in bonum *(Rom. 8, 28)*. Unde Filium Dei incarnari non fecit nostra malitia, sed Dei caritas nimia et misericordia: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam etc. (Ephes. 2, 4)*." *3. dist. 1. a. 2. q. 2 ad 6.*

CAPUT II.

De incarnatione Verbi, quantum ad unionem naturarum.

(Incarnatio opus est totius Trinitatis. — Reparator debuit assumere carnem et animam. — Ista assumptio appellanda Incarnatio. — Deitas et humanitas uniuntur in unitate personae divinae assumentis; — ideoque una est ibi personalitas, nempe divina. — Decuit secundam personam incarnari. — In Christo datur communicatio idiomatum.)

Circa ipsum [a] igitur Verbum incarnatum tria nobis consideranda occurrunt, scilicet unio naturarum, plenitudo charismatum et perpessio passionum propter redimendum genus humanum. Circa naturarum unionem haec tria consideranda sunt ad intelligendum incarnationis mysterium, scilicet opus, modus et tempus. De opere autem incarnationis haec tenenda sunt secundum fidem christianam (I), scilicet quod incarnatio est operatio [b]

a) Ipsum om. ed. 1484.

b) b) Operatio ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484; Opus ed. Rom.

(I) Cum opus Incarnationis sit unio hypostatica, seu conjunctio duarum naturarum divinae et humanae in una divini Verbi persona, et haeretici passim sive naturam seorsim spectatam, sive ipsam hypostati-

Trinitatis, per quam [e] fit assumptio carnis [1] a divinitate et unio divinitatis cum carne [2]; ita quod assumptio non tantum est carnis sensibilis, sed etiam spiritus rationalis secun-

e) Scil. operationem: Edit.Tubing.

cam unionem adorti sint; majoris perspicuitatis gratia eosdem haereticos sub distinctis classibus enumerare nobis visum fuit.

Porro ut ab humana natura exordiamur, contra ipsam errarunt primo, quotquot in Christo carnem umbratilem ac apparentem tantum agnoverunt, quique nomine generico Docetae, sive Phantasiastae, appellantur. Error hujusmodi tribuitur Tatiano, Marcioni aliisque saeculi II haereticis, et Manichaeis. Insuper errarunt, qui Christum carnem suam de caelo detulisse, non autem ex beatissima Virgine Maria sumpsisse dixerunt. Haec est haeresis Valentinianorum ipsius saeculi II, instaurata saec. XVI ab Anabaptistis et a Quackeris. Erravit denique Apollinaris saec. IV, effutiens Verbum Dei non assumpsisse animam, vel ad summum eam assumpsisse ratione destitutam, animae autem vices ipsum Verbum sustinuisse. Sed contra hos omnes, in Symbolo Athanasiano Christus dicitur: „Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens." Et Conc. Oecum. IV Chalcedon. *Action. V* definivit: „Christum perfectum in humanitate; Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque peccato."

Jesu Christi divinitatem impugnarunt, praeter Arium, de quo suo loco disseruimus, etiam saec. III Paulus Samosatenus, saec. IV Photinus, saec. XVI Sociniani; novissime vero Rationalistae, qui praeterea ipsum ut sapientem quemdam agnoscentes, cum Confucio, Zoroastro, Mahumede ceterisque id genus turpissime confundunt. Contra eos vide superius, *ad cap. II. part. I.*

Qui autem directe, licet opposita via procedentes, contra Incarnationis opus insurgere ausi sunt, fuere Nestorius et Eutyches. Ille, ex monacho Patriarcha Constantinopolitanus, saec. V, erroribus Theodori Mopsuesteni imbutus, in Christo Jesu duas adseruit personas, divinam et humanam, Jesum nempe a Christo distinxit, et Christum purum hominem, Jesum purum Deum agnovit. Ex quo intulit in utero B. Virginis Mariae conceptum fuisse quidem Christum, minime vero Jesum, qui postea Christo se conjunxit non unione hypostatica, sed tantummodo morali; ac proinde divinam Maternitatem Mariae Virginis denegare sacrilega lingua haud dubitavit, eam *Christotocon*, minime vero *Theotocon* appellandam esse contendens; et Christi passionem nullius meriti fuisse, neque ad Deum placandum, et ad humanum genus redimendum suffecisse affirmavit.

Nestorio restitit in primis, cum eoque constanter et gloriose dimicavit S. Cyrillus Alexandrinus. Anathema autem ei indictum fuit an. 430 in Conc. Romae et Alexandriae habitis, solemnius vero anno sequenti in III. Conc. Oecum. Ephesi celebrato sub Caelestino I. Rom. Pontif., praeside ipso S. Cyrillo; et tandem in V. Oecum. Conc. Constantinopolitano II an. 552. Contra Nestorium, duplicem in Christo agnoscentem personam, Conc. Chalcedon. Oecum. IV explicans verba symb. Nicaeno-Constantinopolitani: „Et in unum Dominum Jesum Christum," subjunxit: „Non in duas personas partitum aut divisum, sed unum et eundem Filium Unigenitum, Deum verum, Dominum nostrum Jesum Christum confitemur." Et in Conc. Constant. II *Collat. 8. can. 5:* „Si quis introducere conatur in Mysterio Christi duas substantias, sive duas personas, anathema sit."

Ex haeresi Nestoriana, veluti rivulus e sua fonte, profluit Adoptianismus, in Hispania ortus sub fine saec. IX opera Felicis Episcopi Urgellitani, et Elipandi Archiepiscopi Toletani, qui duos in Christo filios distinguentes, alterum natura, alterum gratia et adoptione Filium Dei asserebant. Haec haeresis simul ac erupit, reprobata fuit a Pontifice Adriano I in epistola ad Hispaniarum Episcopos, et, Carolo Magno operam navante, plures Synodi contra ipsam convocatae fuere, nempe Narbonensis an. 788, Ratisponensis an. 792, Francofordiensis an. 794, Forojuliensis an. 796. Inter Adoptianismi oppugnatores recensendi sunt prae ceteris S. Paulinus Patriarcha Aquilejensis, et celebris Alcuinus. Igitur contra Adoptianos, Concilium Francofordiense in *Epist. Synodica n. 20:* „Dico tibi, quia neque Apostoli eum sic nominaverunt, nec sancta Dei et Catholica Ecclesia consuetudinem habuit eum sic appellare, imo nec credere eum adoptivum esse, sed proprium Filium."

Eutyches, cujusdam monasterii Constantinopolis Archimandrita, ut unitatem personae contra Nestorium in Christo servaret, dixit, *in Christo esse etiam unam naturam,* ita quod, quamvis ante unionem essent duae naturae distinctae, divina et humana, in unione tamen coierunt in unam naturam; et sic dicebat *Christi personam ex duabus naturis esse, non autem in duabus naturis subsistere.* Porro Eutyches damnatus primo fuit a S. Flaviano Patriarcha Constant.; sed quamplures ac potentes nactus fautores, in Latrocinio Ephesino an. 449, violentia potissimum Dioscori Patriarchae Alexandrini, absolutus fuit. Attamen in Conc. Oecum. IV Chalcedone an. 451 convocato, actibus Latrocinii Ephesini rescissis, solemniter condemnatus fuit. Praeter

dum potentiam vegetandi, sentiendi et intelligendi; ita etiam quod unio non fit in unitate naturae, sed personae, non humanae, sed divinae, non assumptae, sed assumentis [3]; non personae cujuslibet, sed personae solius Verbi, in qua tanta fit [d] unio, ut quidquid dicitur de filio Dei, dicatur de filio hominis, et e converso; his tantum [e] exceptis, in quibus exprimitur unio, vel clauditur negatio [4].

d) Fuit edit. 1484.

e) Ita ACE GH et ed. Ven. et 1484, tamen ed. Rom.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia incarnationis opus non solum est a primo principio, in quantum est effectivum in producendo, verum etiam in quantum reparativum remediando, satisfaciendo et reconciliando. Quoniam ergo incarnatio, in quantum dicit aliquem effectum, est a primo principio, quod omnia facit, ratione summae virtutis; et summa virtus [f] et operatio unita est et indivisa omnimode in tribus personis; hinc est, quod necesse est incarnationis operationem a tota Trinitate emanare [g]. Quia vero est a primo principio, in quantum est reparativum remediando, et totum genus humanum lapsum fuerat et vitiatum, non solum ratione animae, verum etiam et carnis; hinc est, quod necesse fuit, quod totum assumeretur, ut totum curaretur [5]. Et quoniam nobis magis nota est pars carnis, et magis a Deo distat; ut expressior fiat nominatio et major exprimatur humiliatio, et profundior explicetur dignatio; hinc est, quod opus istud [h] non inanimatio [i], sed incarnatio nominatur.

f) Ita ed. Ven. et 1484. Plures codd. et editt. (e. g. Rom.) male habent: substantia virtus pro summa virtus.

g) Manare ABCDEF et ed. 1484.

h) Illud ed. 1484.

i) Animatio ABCEFG et ed. Aug. Nor Ven. et 1484.

Rursus, quia est [j] a primo principio, in quantum est reparativum satisfaciendo, et satisfactio non fit, nisi ab eo, qui debet et potest, et non debet nisi homo, nec potest nisi Deus; oportuit, quod in satisfactione simul esset concursus utriusque naturae, divinae scilicet et humanae. Et quia impossibile est [6], quod divina natura concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertii, nec quod ipsa transeat in aliam naturam, nec alia natura transeat in ipsam, propter simplicitatem et immutabilitatem ipsius perfectissimam; hinc est, quod deitas et humanitas non uniuntur in unitate naturae [7], nec accidentis, uniuntur igitur in unitate personae et hypostasis [8]. Et quoniam divina natura in nullo supposito potest subsistere, praeter quam in propria hypostasi; ideo unio illa non po-

j) Ita ed. 1484. In cet. cum sit.

laudatum S. Flavianum, qui proprio sanguine catholicum dogma confirmavit, contra Eutychetem mysterium Incarnationis disertissime vindicarunt SS. Pontifices Leo Magnus et Gelasius, et S. Petrus Chrysologus. Igitur contra Eutychetem, Conc. Chalcedon. *Act. 5* definivit: „Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis, inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia post unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentem concurrente".

Sicut ex Nestorianismo Adoptianismus, ita ex haeresi Monophysitarum, sive Eutychianorum, veluti ejus surculus, prodiit haeresis Monothelitarum, qui ita appellati sunt ex unitate voluntatis atque operationis, quam in Christo Jesu esse contendebant. Hujus haeresis auctor fuisse perhibetur quidam Theodorus Episcopus Pharanitanus in Arabia an. 626 circiter; praecipui vero propagatores habentur Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, Cyrus Phasidis Episcopus ac deinceps Patriarcha Alexandrinus, et Pyrrhus monachus et in sede Patriarchali Sergii successor. Honorius Rom. Pontifex, a Sergio fraude circumventus, de hac quaestione ipsi false exposita silentium imposuit. Verum contra Sergium acriter dimicavit S. Sophronius, tunc simplex monachus ac deinde ad Jerosolymitanam sedem assumptus; processu vero temporis Monothelitas perstrinxerunt S. Martinus I Rom. Pontif. et S. Maximus Abbas, qui ambo martyrii palmam in fidei defensione consequi meruerunt. Multis in Conciliis proscripta fuit haec haeresis, nempe in Jerosolymitano sub S. Sophronio an. 633, in Romano sub Pont. Severino an. 640, in quo *Ecthesis* Heraclii damnata fuit; in Aurelianensi an. 645, in secundo Romano sub Pont. S. Theodoro an. 646; in tertio Romano an. 649 sub S. Martino I; in Anglicano et Mediolanensi an. 679, et tandem in Oecum. VI Constant. III an. 680 sub S. Agathone Rom. Pontifice. Porro contra Monothelitas, Conc. Constant. III in fidei professione definivit: „Confitemur unum Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum, ... et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum sanctorum Patrum doctrinam adaequate praedicamus".

test esse in hypostasi seu persona hominis[9], sed Dei[10]; ac per hoc per illam[k] unionem[11] primum principium in una suarum hypostasum[12 l] fecit seipsum suppositum humanae naturae[13]; et ita una tantum est ibi personalitas[14] et unitas personalis[15], ex parte scilicet assumentis[16].

k) Illam om. ibid.

l) Hypostasium ibid.

Postremo, quia est a primo principio, ut est reparativum reconciliando, et reconcilians est mediator, mediatio autem proprie convenit Dei filio[17]; ideo et incarnatio. Mediatoris namque est esse medium inter hominem et Deum, ad reducendum hominem ad divinam cognitionem, ad divinam conformitatem et ad divinam filiationem. Nullum autem decet magis esse medium quam personam, quae producit et producitur, quae est media trium personarum. Nullumque magis decet reducere hominem[m] ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo se Pater declarat[18], quod est unibile carni, sicut et verbum voci. Nullumque magis decet reducere ad divinam[n] conformitatem, quam eum, qui est imago Patris. Nullumque magis decet ad filiationem adoptivam reducere[19 o], quam filium naturalem[20]; ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam ipsum filium Dei[21].

m) Hominem om. ibid.

n) Divinam om. ibid.

o) Reducere om. ABCDH.

Quoniam igitur idem omnino est filius hominis et Dei, ratione incarnationis, et quaecumque uni et eidem[p] sunt eadem, inter se sunt eadem; hinc est, quod necessario fit communicatio idiomatum[22], nisi sit vocabulum, in quo aliqua repugnantia includatur; sicut sunt ista[q], in quibus includitur respectus unionis unius naturae ad alteram, sicut unire, incarnari, assumere et assumi; vel negatio alicujus, cujus oppositum alteri competit, sicut incipere esse, creari[r] et consimilia, in quibus instantia fertur contra regulam praehabitam, propter causam praedictam[23].

p) Uni et idem ed. 1484.

q) Illa ABC DFG et 1484.

r) Ita editt. Arg. Aug. Ven. et 1484; incipere, esse, creare ed. Rom.

Ad Caput II.

[1] „Tam per verbum uniendi, quam per verbum assumendi importatur unio divinae naturae ad humanam. Differunt tamen quantum ad modum significandi, quia verbum uniendi dicitur ab unione, quae magis importat relationem, quam actionem. Verbum autem assumendi dicitur ab assumptione, quae principalius importat actionem. Unde quamvis concedatur, quod divina natura uniat sibi humanam et eidem etiam uniatur, nullo tamen modo conceditur, quod divina natura assumatur. Alia etiam est differentia, quia unire, quantum est de se, non dicit terminum relationis vel actionis determinate, potest enim aliquis aliquid unire sibi et alii. Assumere autem importat terminum intrinsecum, tam actionis, quam relationis, assumere enim est ad se sumere. Cum ergo vocabulum assumendi importet simul relationem et actionem, ille terminus interius intellectus potest referri ad utrumque, vel ad alterum tantum, videlicet ad relationem. Si ad utrumque referatur, cum actio illa terminetur ad unitatem aliquam, tunc assumere dictum de aliquo signat non solum unionem, sed etiam illam unionem terminari ad unitatem assumentis. Et quoniam illa unio non terminatur ad unitatem naturae, sed potius ad unitatem personae; ideo secundum istum intellectum assumere non convenit divinae naturae. Divina enim natura non assumpsit humanam in unitate naturae; et isto modo non conceditur, quod eam assumpserit divina natura, hoc est ad se, sivé ad propriam unitatem sumpserit. Si autem terminus ille habeat respectum ad relationem unionis tantum, tunc conceditur, quod divina natura humanam assumpserit, hoc est sibi unierit, univit enim sibi humanam naturam, quamvis non in seipsa, sed in una persona.“ *3. dist. 5. a. 1. q. 1.*

[2] „Vere et proprie loquendo, concedi potest et debet, humanam naturam a Deo assumptam esse, pro eo quod, sicut dicit Philosophus *(2. Phys. 11, 21 et 31)*: Natura accipitur et pro vera materia, et pro vera forma, et de his dicitur secundum analogiam quandam. Quoniam ergo Deus assumpsit carnem et animam humanam, et caro est principium hominis materiale, anima vero formale; hinc est, quod non solum vere humanam naturam, sed etiam totam humanam naturam dicitur assumpsisse.“ *3. dist. 5. a. 2. q. 1.*

[3] „Assumptio dicit actionem et relationem et terminum utriusque, et ratione horum omnium potest divinae personae convenire. Nam divinae personae competit esse principium activum, et rationalis naturae suppositum; et utrumque spectat ad ejus dignitatem et nobilitatem. Et ideo divina persona potest humanam naturam fabricare, tanquam principium effectivum, et stabilire tanquam pro-

prium suppositum, ita quod ejusdem naturae erit causale principium et suppositum personale; et ita per hoc se habet in ratione principii, et in ratione medii, et in ratione termini. Ratione principii competit ei actio, ratione medii relatio, ratione termini competit utriusque terminatio. Divina enim persona fecit, ut plures naturae unirentur in se: et ideo concedendum est, quod ipsa assumptio competit divinae personae." — „Cum tria sint de intellectu illius vocabuli, quod est *assumere,* videlicet actio et relatio et terminatio, primum competit personae ratione naturae, ultimum competit naturae ratione personae, medium vero communiter convenit utrique. Ipsa namque assumptionis actio personae convenit ratione naturae, quia persona agit virtute naturae. Unde illa virtus et operatio competunt cuilibet personae, terminus vero assumptionis respicit ipsam personam proprie et per se. Unde ad unitatem personalem et unius solius personae terminatur ipsa assumptionis actio et unionis relatio. Sed medium, videlicet relatio, communiter convenit utrique. Nam divina natura et divina persona unitur humanae, et humana natura unita est divinae naturae et divinae personae, quia ad utramque habet ordinem et distinctionem formalem et gratuitam conjunctionem, quae implicantur in illa relatione." *3. dist. 5. a. 1. qq. 2. 3.* Cfr. etiam *q. 5.*

[4] „Idiomata non communicantur ipsi naturae assumptae, id est in abstracto captae, vel partibus ejus, sed communicantur ipsi rei naturae, id est, naturae in concreto acceptae." *3. dist. 2. a. 2. q. 1 ad 5.* — „Communicatio idiomatum est in omnibus, exceptis nominibus unionem importantibus . . . et illis, ex quibus consurgit intellectuum repugnantia." *3. dist. 7. a. 2. q. 1 ad 2.* — „Unio facit idiomata communicari non partibus rei unibilis, sed magis ipsi rei naturae, quae nominat totam naturam, ut in supposito. Unde idiomata Filii Dei non communicantur ipsi animae, sed communicantur ipsi homini. Et quoniam anima unitur ipsi Verbo ut pars humanae naturae, ideo non oportet ipsi idiomata communicari." *3. dist. 21. a. 1. q. 1 ad 2.* — „Propter unionem est communicatio idiomatum . . . Si autem quaeratur, quid ibi communicet idiomata, respondendum quod non natura naturae, secundum quod considerantur in abstractione, sed hypostasis divinae naturae communicat sibi idiomata sua, secundum quod est hypostasis in humana natura, non quia ipsa sit diversa in se, sed quia diversis naturis est supposita. Vel certe ipsae naturae, secundum quod dicuntur in concretione, possunt sibi ipsis idiomata communicare, ut dicatur: Deus est homo, et: Homo est Deus. Quando intelliguntur sic accipi, dicuntur ut res naturae, quia medium tenent inter naturam abstractive consideratam, et ipsam hypostasim. Et hoc modo est ibi recte communicatio idiomatum, quia est ibi diversitas in res naturae, habito respectu ad ipsas naturas; et est ibi unitas, habito respectu ad ipsam personam." *3. dist. 6. a. 1. q. 1 ad 6.* — „Ab hac generalitate excipiuntur illa nomina, quae important unionem. Unde non sequitur: Divina natura assumpsit humanam naturam; ergo homo assumpsit humanam naturam. Sic nec et in proposito sequitur. Cum enim dico hominem esse factum Deum, dico hominem esse Deo unitum: et tale idioma Deo non communicatur per unionem, pro eo quod ipsa unio inter unibilia importat diversitatem et distinctionem, et eam praesupponi oportet ad idiomatum communicationem; et ideo talia idiomata unionem importantia non sunt communicabilia." *3. dist. 7. a. 1. q. 3 ad 3.* De communicatione idiomatum plura habet S. D. *3. dist. 10 et 11* per integrum.

[5] „Verbum assumpsit veram carnem, verumque corpus de eodem genere, quod nos habemus, ex utero beatae Virginis." — „Verbum incarnatum vere animam rationalem assumpsit, ut esset perfectus homo, habens animam et corpus." — „In Christo Jesu secundum humanam naturam est accipere communem speciem cum aliis hominibus, licet secundum quod Deus et homo, speciem communem non possimus habere." *3. dist. 2. a. 2. qq. 1, 2, 3.* Vide quoque *3. dist. 5. a. 2. qq. 4, 5.*

[6] „Nos judicamus aliquid impossibile quatuor causis. Uno modo per limitationem naturalis potentiae, ut de trunco fieri vitulum, et virginem parere, mulier enim sine semine non potest concipere naturaliter; item, partus, clausa porta propter corpulentiam, non potest exire; similiter natura, statim non potest truncum in vitulum convertere, cum habeat potentiam limitatam. Secundo modo dicitur impossibile non propter limitationem potentiae, sed propter limitationem nostrae intelligentiae, ut duo corpora esse in eodem loco, vel idem corpus in diversis, vel majus in minori loco, quia nullo modo possumus capere, cum nostra imaginatio semper dicat oppositum. Unde etiam quando Deus sic facit in sacramento altaris, necesse est ut ratio contra se elevetur, ut credat. Tertio modo dicitur impossibile propter privationem omnis existentiae secundum omnem comparationem scilicet principii, medii et ultimi, ut praeteritum non fuisse praeteritum. Omnis enim potentia, quae intelligitur aliquid facere, respicit ens vel in ratione principii, vel termini, vel utroque modo. Unde de ente potest facere non ens, et e converso, et de uno aliud; sed de non ente facere non ens, hoc nullius omnino potentiae est. Unde quamvis Deus de omni ente creato possit facere quod non sit, sive de oratione, sive de re; tamen de eo quod fuit, et non est, facere quod non fuerit, hoc omnino Deo est impossibile, quia hoc facere est nihil facere. Quarto modo dicitur impossibile secundum illustrationem veritatis aeternae et ordinem divinae sapientiae, ut v. gr. quod duo opposita insint eidem et secundum idem, hoc ipsa veritas aeterna, et ipso quod veritas est, judicat et illustrat, ut judicetur impossibile; sicut et hoc, duo et tria non esse quinque." *1. dist. 42. a. 1. q. 3.*

[7] „Quaedam est unio, in qua est unius unibilis in naturam alterius conversio: et hoc est, quia unius est ad alterum repugnantia, et praedominantia, sicut si gutta aquae uniatur amphorae vini. Quaedam vero est unio, in qua est utriusque unibilis alteratio, et tertiae naturae productio: et hoc quia est ibi repugnantia, et non excellens praedominatio, sicut uniuntur elementa ad constituenda corpora mixta. Quaedam vera est unio, in qua non est unitorum transmutatio, sed tertiae naturae constitutio: et hoc est, quia unibilia non habent repugnantiam, sed habent mutuam dependentiam, sicut uniuntur corpus et anima ad constitutionem hominis. Quaedam vero est unio, in qua nec est transmutatio, nec tertiae naturae constitutio, sed unum unibilium fundatur tantum in altero. Et hoc est, quia nec est ibi repugnantia, nec essentialis dependentia

mutua, est tamen excellens praedominatio: sicut quando arbor una inseritur stipiti alterius arboris, tunc utraque arbor servat naturam propriam, et tamen una arbor substantificatur in stipite alterius arboris, ita quod unus est stipes utriusque. Hoc tantum quarto unionis genere habet uniri natura divina humanae. Quia enim nulla est repugnantia inter naturam divinam et humanam; ideo nulla est ibi transmutatio, nec conversio. Quia vero non est mutua dependentia, non est tertiae naturae constitutio. Sed quia est ibi alterius, scilicet divinae naturae, praedominatio, necesse est, quod divina natura humanam naturam trahat ad unitatem. Sed ad unitatem naturae non potest trahere sine transmutatione et conversione; necesse est ergo, quod eam trahat ad unitatem personae, et una et eadem hypostasis sit divinae naturae et humanae, ut quasi humana natura fundetur et substantificetur in divino stipite. Et ideo multum assimilatur ista unio ei unioni, quae est per insertionem. Propter quod etiam fortassis dicit beatus Jacobus *(1, 21): In mansuetudine suscipite insitum Verbum.* Concedendum est ergo, quod illa unio terminatur ad unitatem personae." *3. dist. 6. a. 2. q. 1.*

[8] „Circumscriptis accidentibus et proprietatibus, quae individuationem non faciunt, sed ostendunt, individuatio est a principio intrinseco, secundum quod unum constituunt suppositum, in quo totum esse rei stabilitur. Et quia ex concursu illorum principiorum constituitur individuum, et resultat forma totius, quae est forma specifica; hinc est, quemadmodum dicit Boëtius, quod species est totum esse individui. In Christo autem anima et caro, sive materia et forma, uniuntur non solum in eo quod constituunt, sed etiam in hypostasi Verbi aeterni; et ideo forma specifica non dicit totum esse Christi, ac per hoc Christus, secundum quod homo, non habet omnino plenam rationem individui. Unde quasi medium tenet individuum proprie dictum, et individuum, secundum quod accidens dicitur aliquid individuum. Nam in individuo proprie dicto est principiorum substantialium unio, et primi suppositi constitutio in seipso, non in altero. Utrumque tamen horum deest in accidentibus, quae nec in se, nec per se subsistunt. Medio modo est in Christo, ubi principia conveniunt secundum humanam naturam, tamen primum suppositum est alterius naturae non ab eis constitutum." *3. dist. 10. a. 2. q. 1.*

[9] Verbum, si assumpsit personam humanam, „aut consumpsit, aut conservavit. Constat, quod non consumpsit; quia divina natura humanae naturae nihil nobilitatis abstulit. Si conservavit: ergo, cum assumens non sit assumptum, restat quod in Christo sint duae naturae et duae personae, scilicet humana et divina: ergo nec Deus est homo, nec homo est Deus: ergo non est ibi aliqua unio, ac per hoc nec assumptio: si ergo est ibi assumptio vera, manifestum est, quod persona non est assumpta." *3. dist. 5. a. 2. q. 2. fund. 4.*

[10] „Omnino falsum est, quod persona personam assumpsit. Hoc enim tripliciter potest intelligi, aut quod ipsum assumptum fuerit persona ante assumptionem, aut quod fuerit persona in assumptione, aut quod fuerit persona post assumptionem. Quolibet istorum trium modorum sumpta sententia praedicti sermonis est falsa. Nam primus repugnat veritati conceptionis, secundus veritati assumptionis, et tertius veritati unionis. Primus namque, qui hoc ponit, quod ante assumptionem fuerit persona, veritati conceptionis repugnat. Si enim fuit ante persona, quam esset Deus, Virgo Maria non concepit Deum, sed hominem purum, quod est contra Evangelium, et conceptionis articulum. Secundus vero modus, qui ponit hominem illum tempore assumptionis fuisse personam, veritati assumptionis repugnat. Si enim in assumptione fuit persona, et post assumptionem desiit esse persona, potius in assumptione ipsa persona consumebatur, quam assumebatur: non ergo fuit illa vera assumptio, sed magis consumptio. Tertius vero modus intelligendi, quod fuerit persona post assumptionem illud, quod assumptum est, veritati unionis repugnat. Si enim assumens differt ab assumpto, et illud quod assumptum est, est persona, et qui assumpsit similiter est persona; ergo in Christo sunt duae personae, et duae sunt in eodem naturae: hoc constat, ac per hoc nulla est ibi unio; et si hoc, nulla est ibi incarnatio, nec humani generis reparatio, quod adeo est absurdum, ut totius fidei christianae perimat fundamentum. In hunc autem errorem pessimum incidit Nestorius, ut dicit Boëtius *(de duabus naturis et una persona Christi cap. 5 in prin. et cap. 6 in fin.)*, pro eo quod nescivit distinguere inter personam et naturam. Pro eo enim quod vidit in Christo duplicem esse naturam, intellexit duplicem esse personam. Eutyches vero ex eadem causa erravit, sed non eodem modo: quia enim nescivit discernere inter personam et naturam, et vidit, quod in Christo non poterat esse nisi una persona, ex hoc compulsus est ponere, quod in Christo non est nisi una natura. Et ideo, sicut duo fuerunt errores in divinis, scilicet Arii et Sabellii, pro eo quod nesciverunt distinguere inter naturam et personam; sic duo fuerunt errores circa incarnationem Christi, videlicet Eutychis et Nestorii. Catholica vero Ecclesia per medium istorum errorum pertransiit, dicens in deitate plures esse personas et unam naturam, et in Christo plures naturas et unam personam. Et ideo simpliciter concedit personam assumpsisse naturam, et negat personam assumpsisse personam." *3. dist. 5. a. 2. q. 2.*

[11] „Unio duarum naturarum in personae unitate superexcellit omnem naturalem rationem, et supernaturalis dicitur." — „Sicut nulla creatura perfecte Deo assimilatur, sed quodam modo est similis, quodam modo dissimilis, et ubi in uno creatura habet similitudinem, frequenter in alio habet dissimilitudinem; per hunc modum intelligendum est circa hanc sacratissimam unionem. Si enim loquamur de ipsa quantum ad ejus speciales conditiones singillatim acceptas, sic potest habere convenientiam cum modis unitatum in creaturis repertis. Si autem loquamur quantum ad collectionem suarum proprietatum, sic dicit modum unitatis singularis. Et hoc patet sic. In hac enim unione est considerare distantiam unibilium, unionis principium, unionis terminum et unitorum vinculum. Quantum ad distantiam unibilium, qua unitur Creator creaturae, convenit cum unitate votiva. Quantum ad unionis principium, convenit cum unitate potestativa, quia talis unitas est ex divina virtute et mera gratia. Quantum autem ad unionis terminum, convenit cum unitate nativa, quae quidem terminatur ad unitatem personae. Quantum autem ad unionis

vinculum, convenit cum unitate conjugativa, in qua est vinculum perpetuum et individua copula. Quantum autem ad omnes conditiones simul collectas, nullum modum habet unitatis sibi consimilem, quia superexcedit omnem naturam et omnem aliam gratiam communem, videlicet quod divina natura et humana uniantur in unam personam indissolubiliter per Dei potentiam. Et ideo concedendum est, quod talis unio superexcellit omnem considerationem philosophicam; nec mirum, quia ad ipsam vix pertingit ratio per fidem elevata. Et ideo Bernardus secundum istam unionem assignavit specialem unitatis differentiam, vocans eam unitatem dignativam." *3. dist. 6. a. 2. q. 2.*

[12] „Una divinarum personarum sine altera naturae humanae potuit uniri, cum ibi non modo sit habitudo causae quoad efficientiam, sed suppositi quoad substentationem." — „Sine dubio una persona incarnari potest, ita quod non alia incarnetur, sicut operis evidentia manifestat. Et ratio hujus est ista: quia cum contingat dupliciter comparari creaturam ad Creatorem, videlicet secundum susceptionem alicujus completionis et secundum relationis habitudinem, prima comparatio necessario respicit tres personas indistincte et indivisim, pro eo quod in eis est una perfectio essentialis. Comparatio vero secundum habitudinem relationis potest esse respectu alicujus personae determinate et distincte, pro eo quod istae personae relationibus distinguuntur. Similiter Deus dupliciter habet comparari ad creaturam, videlicet in ratione principii causantis, et in ratione suppositi sustentificantis. In prima comparatione necessario sibi communicant tres personae, pro eo quod in Deo unica est natura, et unica est virtus operativa, per quam Deus creaturarum est causa. Secunda vero comparatio potest respicere aliquam personam distincte, pro eo quod, etsi una persona conveniat cum altera in natura et ejus virtute, distinguitur tamen ab alia in supposito et personali proprietate. Quoniam ergo in unione naturarum, sive incarnatione, persona divina fit suppositum, sive hypostasis humanae naturae, ita quod unio sive incarnatio non tantum dicit habitudinem Dei ad creaturam per modum causae, imo etiam per modum suppositi; similiter ex parte creaturae non dicit comparationem solum quantum ad susceptionem completionis, sed etiam quantum ad habitudinem relationis: hinc est, quod incarnatio potest convenire uni personae, ita quod non conveniat alteri." *3. dist. 1. a. 1. q. 2.*

[13] „Absque dubio non congruit ita totam speciem, sive individuorum multitudinem, assumi a Filio Dei, sicut competit ipsum assumere naturam in singulari. Et hoc tum ratione ipsius unionis in se, tum ratione reparationis nostrae, tum ratione exaltationis naturae assumptae. Ratione unionis in se magis congruebat, quod assumeret unam naturam quam plures, sicut decens erat unum uniri uni, et unigenitum Patris fieri unigenitum Matris; ut sic per unionem naturae nec fieret recessus ab unitate, nec fieret confusio in personali proprietate. Ratione vero reparationis nostrae magis congruebat, quia unio fiebat propter mediatorem. Mediator autem unus est, ut reducat ad unitatem et concordiam Deum et hominem. Si ergo plures essent, aut unus sufficeret, aut non. Si sufficeret, tunc alii superfluerent. Si non sufficeret, jam imperfectus mediator esset. Unde sicut *Christus semel pro peccatis mortuus est (1. Petr. 3, 18)*, quia *una oblatione consummavit in aeternum sanctificatus (Hebr. 10, 14)*; ita semel, et in unica natura debuit incarnari. Ratione vero exaltationis naturae assumptae magis congruebat, quia decebat illum hominem, qui Deus erat, sic exaltari, ut daretur ei *nomen, quod est super omne nomen (Philipp. 2, 9)*. Et quoniam illud, quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit; sic Deus est unus, qui non habet aliam naturam aequalem, sed summus est inter omnia; sic natura assumpta unica est, cui non aequatur aliqua creatura, sed ipse excellit inter omnia creata, tanquam cui *data est omnis potestas in caelo et in terra (Matth. 28, 18)*." *3. dist. 2. a. 1. q. 3.*

[14] „Individuum constat ex proprietatibus, quarum collectionem impossibile est in altero reperiri; sed quidquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, et e converso: ergo Filius Dei et Filius hominis in Christo non differunt numero, sicut individua duo: ergo Christus non potest dici dua individua, sive supposita." *3. dist. 6. a. 1. q. 1. fund. 7.* — „Circularis, imo circulus perfectissimus, est ipse Christus, in quo duae extremitates lineae velut in puncto uniuntur. Nam divinitas, quae omnium rerum caput est et principium, cum natura humana, quae finis erat omnium creaturarum, et ultimo in esse producta, in ipso Christo, velut in puncto, in unione personae est conjuncta, et tanta firmitate roborata. Firmatae enim sunt duae naturae in una persona sic, quod una ab altera nunquam poterit separari." *De Eccl. Hier. p. 4. c. 6.*

[15] „Si fiat sermo de unitate, qua aliqua dicuntur unum per convenientiam in persona, sic, simpliciter loquendo, unitas illa, quae est in Christo, unitas est super omnes unitates suprema. Et hoc quadruplici ex causa, videlicet propter illius personae simplicitatem, propter unibilium dignitatem, propter unitorum inseparabilitatem et propter unionis singularitatem. Propter personae simplicitatem, quia unio est in persona Verbi, quae quidem est simplicissima. Propter unibilium dignitatem, quia tam natura assumens, quam assumpta, inter cetera quae sunt, habet excellentiam. Propter inseparabilitatem, quia tanto vinculo fortificata est illarum naturarum unio, ut nunquam fiat, nec possit fieri separatio, natura enim illa inter ceteras naturas adhaesit aeterno Verbo, quo portatur et sustentatur omne, quod est sub Deo *(Hebr. 1, 3)*. Propter singularitatem, quia nunquam ulla unio fuit huic unioni similis, haec enim fuit excellentissimae dignationis; et ideo nomen dignitatis et dignationis sibi appropriat, ut dicatur unitas dignativa." *3. dist. 6. a. 2. q. 3.*

[16] „Divinam naturam humanae uniri in unitatem personae non est aliud, quam divinam personam, quae ab aeterno fuit hypostasis respectu divinae naturae, esse hypostasim respectu humanae naturae in tempore. Hoc autem non dicit aliquam imperfectionem, sed potius dignitatem et nobilitatem. Sicut enim, cum Deus ab aeterno sit bonus, in nullo fit derogatio bonitatis suae, dum est causa bonitatis creatae in tempore, quamvis bonitas creata longe sit inferior bonitate increata; sic cum persona Filii Dei sit hypostasis intellectualis et spiritualis, et increata ab aeterno, in nullo derogat ei, si sit hypostasis rationalis naturae creatae in tempore. Et quemadmodum Deus de non creante fit creans in actu absque sui aliqua mutatione,

vel innovatione, sed solum facta immutatione ex parte naturae creatae; sic persona Filii Dei, quae non erat hypostasis humanae naturae in actu, habet ejus esse hypostasis absque aliqua sui mutatione, vel innovatione, sola facta mutatione ex parte naturae assumptae. Et quemadmodum Deus, qui est in creatura per essentiam, praesentiam et potentiam, in nullo dependet ab ipsa, sed potius dependet ab ipso creatura, tanquam a causa conservante et sustentante; sic Deus, cum est in creatura rationali per unionem, non dependet ex ipsa, sed potius e converso rationalis creatura dependet ex hypostasi divina, et habet sustentificari in illa, sicut natura sustentatur in persona." *3. dist. 1. a. 1. q. 1.*

[17] *3. dist. 19. a. 2. q. 2.* Vide inferius *ad cap. VIII.*

[18] „Dicere est idem quod loqui, loqui autem est dupliciter, vel ad se, id est apud se, vel ad alterum. Loqui ad se nihil aliud est, quam aliquid mente concipere. Mens autem concipit intelligendo, et intelligendo aliud, concipit simile alii; intelligendo se, concipit simile sibi, quia intelligentia assimilatur intellecto. Mens igitur dicendo se, apud se concipit per omnia simile sibi, et hoc est verbum conceptum. Loqui autem, sive dicere ad alterum, est conceptum mentis exprimere, et huic dicere respondet verbum prolatum. Dicendum ergo, quod sicut in nobis dupliciter accipitur dicere, ita in Deo. Nam dicere Dei apud se vel ad se, hoc est intelligendo concipere, et hoc est generare prolem similem: et huic dicere respondet verbum natum, id est verbum aeternum. Alio modo dicere est exterius se exprimere; et sic idem est dicere, quod se per creaturam declarare: et huic dicere respondet verbum creatum et verbum temporale." *1. dist. 27. p. 2. a. 1. q. 1.*

[19] „Humana natura in Christo potest dici nata, non tamen potest dici filia, quia filiatio proprie respicit personam. Et quia in Christo est pluralitas naturarum et unitas personae; ideo possunt dici plures generationes, quamvis non possint dici plures filiationes." *3. dist. 8. a. 2. q. 2 ad 1.*

[20] „Penes utramque nativitatem Christus est Filius naturalis. Et ratio hujus est, quia utraque nativitas consistit in productione similis ex simili secundum similitudinem et convenientiam in natura. Unde secundum nativitatem aeternam generatur similis Patri, secundum nativitatem temporalem generatur similis Matri; ideo utraque nativitas est naturalis, et ratione utriusque nativitatis Christus naturalis filius debet dici." *3. dist. 8. a. 2. q. 3.*

[21] „Persona Verbi ad incarnationem inter ceteras personas fuit magis idonea, sive loquamur de ipsa incarnatione in se, sive prout ordinata est ad humani generis redemptionem. Si enim loquamur de ipsa incarnatione in se, magis congruum fuit personam Filii incarnari, et in quantum est imago, et in quantum est Verbum, et in quantum est Filius. In quantum est imago, quia homo assumptibilis erat ratione dignitatis imaginis; et quia filius est imago patris, ideo magis conveniens erat Filii personam assumere carnem. Rursus, quia Filius Dei Verbum est Patris, sic procedit ab ipso, ut Pater se manifestet per ipsum; et ideo, sicut ad intentionis manifestationem verbum intellectuale copulatur voci sensibili, sic ad divinitatis revelationem Verbum Patris congruum fuit uniri carni. Postremo, quia Filius est semel genitus ab aeterno, et sic congruebat eum carnem assumere, ut esset de genere hominum, et ita hominis filium; ideo decebat ipsum magis incarnari, quam Patrem et Spiritum sanctum. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(de fide ad Petr. c. 1)*, et Magister in litera, quod Dei Filius non quaesivit nisi matrem in terris, quia jam habebat Patrem in caelis. Magis ergo decens fuit Filium incarnari, quam aliam personam, si loquamur de ipsa incarnatione secundum se. Fuit etiam magis congruum, si loquamur de ipsa incarnatione secundum comparationem ad generis humani redemptionem: et hoc apparet, si consideremus hominis lapsum, et reparandi modum, et reparationis fructum. Si consideremus hominis lapsum, videbimus quod lapsus fuit appetendo falsam Dei similitudinem et aequalitatem: et quia Filio primo attribuitur aequalitas; hinc est, quod quasi ex ipso sumpsit homo lapsus occasionem; et ideo inde sumere debuit reparationem. Et hoc dicit Bernardus explanans illud Jonae *(1, 12): Propter me orta est haec tempestas; tollite me, et mittite in mare.* Aut certe in hoc quod homo praesumpserat Dei similitudinem, directe contra Filium peccavit; et ideo Filio magis competebat vindicta et indulgentia. Et hoc est, quod dicit Anselmus *(Cur Deus homo lib. 2. c. 9. et l. 1. c. 7):* Homo, pro quo erat moriturus, et diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam Dei similitudinem praesumpserant; unde specialius adversus Filium peccaverunt. Illi itaque, cui specialiter fit injuria, convenientius attribuitur culpae vindicta et indulgentia. Rursus, si consideremus modum reparationis, magis competit Filio. Reparati enim sumus per mediatoris obedientiam et supplicationem; et quia magis competit filium supplicare patri et obedire; hinc est, quod magis competit personae Filii incarnari, quam alii. Unde Anselmus *ibid.:* Convenientius sonat filium supplicare patri, quam aliam personam. Postremo, si consideremus reparationis fructum, vel effectum, magis competebat Filio incarnari, quia incarnatio ad hoc ordinatur, ut simus Filii Dei. Si ergo posterius per illud habet reduci, quod est prius in eodem genere, congruum fuit, ut Filii Dei efficeremur per eum, qui est Filius naturalis. Unde Augustinus *(3. de Trinitate c. 3):* Ut homo ex Deo nasceretur, primo ex ipsis natus est Deus. Oportuit enim, ut per eum efficeremur filii adoptivi, qui est filius naturalis." *3. dist. 1. a. 2. q. 3.*

[22] „Secundum catholicam veritatem absque dubio necesse est concedere hominem esse Deum, et Deum hominem, pro eo quod duae naturae ibi unitae sunt in unam personam: quae autem in uno supposito uniuntur, necessario de se invicem praedicantur, si accipiantur concrete, propter illam maximam, qua dicitur: Quaecumque uni, et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem; per quam etiam fundari debet virtus syllogismi expositorii, quod probat Philosophus *(lib. 1. priorum tract. 3. cap. 10)*, ea scilicet, quae dicuntur de uno et eodem, praedicari de se invicem. Si ergo unus est Christus, qui est Deus et homo, necessario oportet concedere Deum esse hominem, et hominem esse Deum. Et hoc quidem attestantur Sanctorum auctoritates, et communiter fatentur doctores theologi." *3. dist. 7. a. 1. q. 1.*

[23] „Sicut in beatissima Trinitate distinctae sunt personae ad invicem, et earum proprietates; sic in Christo

naturae sunt distinctae ad invicem, et earum proprietates, quamvis conveniant in supposito: et ideo proprietas unius naturae non debet praedicari de altera natura in abstractione considerata, ne ex hoc intelligatur, quod divina natura et humana sint una essentia. Quod enim praedicatur de altero in abstractione, non intelligitur convenire ei solum ratione suppositi, verum etiam ratione formae." *3. dist. 8. a. 1. q. 1.* — „Quod convenit Christo secundum humanam naturam, etiam secundum divinam simpliciter et vere potest ei attribui. Unde vere dicitur: Christus est Creator omnium; Christus natus est de Virgine. Vere etiam dicitur: Christus est mortalis; Christus est immortalis. Quamvis autem aliquid conveniat Christo secundum naturam assumptam, quod non convenit ei secundum divinam, non potest tamen ab ea simpliciter removeri, quia plus tollit negatio, quam ponat affirmatio. Et ideo affirmativae concedendae sunt tamquam verae, negativae vero negandae sunt tamquam falsae, nisi proponantur, vel intelligantur cum addita determinatione. Unde haec est vera: Christus non est mortuus secundum deitatem; haec autem simpliciter prolata: Christus non est mortuus, falsa est." 3. *dist. 21. dub. 3.*

CAPUT III.

De incarnatione, quantum ad modum.

(Modus Incarnationis opponitur modo, quo lapsus est homo. — Incarnatio appropriatur Spiritui sancto: — fieri debuit per concursum trium de triplici hierarchia: — in instanti: — per virtutem summi operatoris. — Virgo Maria Mater fuit completissimo modo.)

De modo incarnationis hoc tenendum est, quod, Angelo nuntiante Virgini mysterium incarnationis perficiendum in ipsa *(Luc. 1, 26 seqq.)*, Virgo credidit, appetiit et consensit; Spiritus sanctus in eam supervenit ad sanctificandum et [a] fecundandum, cujus virtute Virgo concepit Dei Filium (I), quem virgo peperit, et post partum virgo permansit (II). Concepit autem non solum carnem, verum etiam carnem animatam et Verbo unitam (III), nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam et immaculatam, ratione cujus mater Dei dicitur et est dulcissima Virgo Maria [b] [1].

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia incarnatio est opus manans a primo principio, in quantum est reparativum modo congruentissimo [c], modo communissimo [d] et modo completissimo. Decet enim ejus sapientiam operari congrue, decet ejus largitatem operari [e] communiter, et virtutem operari perfecte. Quoniam ergo incarnatio [f] est a primo principio reparante modo congruentissimo, et congruus modus

a) Ad ed. 1484.

b) Pro dulcissima Virgo Maria ed. 1484 habet Virgo et mater.

c) Congruissimo ibid. Sic et inferius.

d) Convenientissimo ibid.

e) Decet ejus . . . operari om. ibid.

f) Incarnatio om. ABDFG H et ed. Arg. Aug. Nor.

(I) Praecipui haeretici primi et secundi saeculi, nempe Ebionitae et Cerinthiani saec. I, et Carpocratiani sive Gnostici et Helcesitae saec. II, effutierunt Christum purum hominem fuisse a Beatissima Virgine et a S. Josepho genitum. Contra eos integrum opponitur Evangelium Joannis, et potissimum primum caput, ad eos enim refellendos sacram historiam ipse conscripsit. His accessit Nestorius, qui ex suo principio maternitatis divinae dignitatem Beatae Mariae auferre sacrilega lingua ausus est. Igitur contra ipsum Conc. Constantin. II, *Collat. VIII. Anath. VI:* „Beata Virgo proprie et veraciter Dei Genitrix est."

(II) Virginitatem intemeratam ipsius Deiparae profana lingua impetere ausi sunt saec. IV Antidicomariani, ducibus Joviniano et Helvidio, quorum primus ipsi Beatae Virgini hanc praerogativam in partu, secundus post partum denegavit. Hanc haeresim acriter perstrinxit S. Hieronymus, et in Hispaniis saec. VII reviviscentem S. Ildephonsus Toletanus. Adversus hos impios adsertores, praeterquam in omnibus fidei professionibus Christus natus ex Maria Virgine praedicetur, in Concil. Lateran. an. 649 sub S. Martino I definitum fuit: „Si quis, secundum sanctos Patres, non confitetur proprie et secundum veritatem Dei Genitricem, sanctam semperque Virginem immaculatam, Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit."

(III) Origenes autumavit animam Christi incarnationi praeextitisse, unionemque hypostaticam promeruisse. Hanc haeresim anathemate perculsit Conc. Constantinop. II Oecum. V, can. II definiendo: „Si quis dicit, aut sentit, animam Domini praeextitisse, unitamque Dei Verbo ante incarnationem et nativitatem ex Virgine; anathema sit."

est, quod medicina ex opposito respondeat morbo, et reparatio lapsui, et remedium nocumento; cum [g] genus humanum lapsum fuerit per diabolicam suggestionem, et per consensum mulieris deceptae, et per [h] generationem concupiscentialem transfundentem originale in prolem; oportuit, quod e contrario hîc [i] esset angelus bonus, suadens bonum, et Virgo credens et consentiens in bonum suasum, et caritas Spiritus sancti [j] sanctificans et fecundans ad conceptum immaculatum, ut sic contraria contrariis curarentur. Ac per hoc sicut mulier per diabolum decepta, et per virum concupiscibiliter [k] cognita et corrupta, transfudit in omnes culpam, morbum et mortem; sic mulier per angelum erudita, et per Spiritum sanctum sanctificata et fecundata [2], absque omni corruptione tam mentis, quam corporis, prolem generaret, quae omnibus ad ipsam venientibus daret gratiam, sanitatem et vitam.

Rursus, quia incarnatio est a primo principio reparante modo communissimo [l], nam per Verbum incarnatum reparatur lapsus hominum et angelorum, utpote caelestium et terrestrium [3], et hominum lapsus reparatur secundum utrumque sexum; ut medicamentum sit commune omnibus, decentissimum fuit, quod ad incarnationis mysterium fieret concursus angeli, mulieris et viri; angeli, ut denuntiantis; mulieris Virginis, ut concipientis [4]; viri vero, ut conceptae prolis [5]; ut sic angelus Gabriel esset nuntius Patris aeterni, Virgo immaculata esset templum Spiritus sancti, proles concepta esset ipsa persona Verbi; ac per hoc in communi reparatione omnium communis fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica et humana, ad insinuandum non solum Trinitatem Dei, verum etiam generalitatem beneficii, et liberalitatem reparatoris summi. Et quoniam liberalitas Spiritui sancto appropriatur, et sanctificatio Virginis, in qua peracta fuit Verbi conceptio [6]; hinc est, quod, licet opus illud sit a tota Trinitate [7], per appropriationem tamen dicitur Virgo concepisse de Spiritu sancto [8].

Postremo, quoniam est a primo principio reparante modo completissimo; hinc est, quod in conceptione completio debita fuit in prole, fuit in conceptu, fuit et in virtute concipiente. Et [m] quia completio [n] debita debuit [o] esse in prole; hinc est, quod in instanti conceptionis, non tantum fuit seminis decisio, verum etiam consolidatio, configuratio, vivificatio per animam [9], et deificatio [10] per deitatem unitam [11]; ut sic Virgo Dei Filium vere conciperet per unionem carnis ad deitatem, mediante spiritu rationali, per quem, tanquam per medium congruentiae, caro erat idonea ad unionem [12]. Quia vero completio debita debuit esse in conceptu, cum ex quatuor modis tres modi producendi hominem praecessissent: primus nec de viro, nec de muliere, sicut in [p] Adam: secundus de viro sine muliere, sicut in Eva: tertius de muliere et viro, sicut in omnibus concupiscibiliter natis; decuit [q] ad complementum universi quartum modum introduci, qui scilicet esset de muliere sine semine virili, per virtutem summi operatoris. Quia vero completio debita [r] debuit esse in virtute; hinc est, quod in conceptione Filii Dei simul concurrit virtus innata [s], virtus infusa et virtus increata. Virtus innata materiam praeparavit, virtus infusa purificando segregavit [13], virtus increata subito perfecit [14], quod non poterat a virtute creata nisi successive fieri [15]. Et sic beatissima [t] Virgo Maria mater fuit completissimo modo, ipsum Dei Filium concipiendo absque viro, fecundante Spiritu sancto [16]. Quia enim [u] in mente Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat [17]; ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti miracula faciebat, gratiâ scilicet [v] partim excitante,

g) Ergo recte om. ed. 1484.
h) Per add. ABDEFGH et ed. Ven. et 1484.
i) Hic om. ed. 1484.
j) Scilicet add. ibid.
k) Concupiscentialiter BCDEF et ed. Ven.
l) Convenientissimo ed. 1484.
m) Et om. A BCDEFGH et ed. Ven. et 1484.
n) Conceptio ed. 1484.
o) Debet om. ibid.
p) In om. ibid.
q) Autem add. ibid.
r) Debita om. ibid.
s) Et add. ibid.
t) Beatissima om. ibid.
u) Ita ABCD EFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. In cet. Et quia.
v) Pro scilicet ed. 1484. habet Spiritus sancti.

et partim adjuvante, et partim elevante naturam, juxta quod conceptus ille mirabilis exigebat[18].

Ad Caput III.

[1] „Propterea quia beata Virgo illum concepit, qui non tantum dicendus est Christus propter unionem, sed etiam Deus verus propter aeternam generationem, Dei genitrix debet dici, ut ex ipso vocabulo honoretur, et impietatis error extinguatur, qui dicit Mariam concepisse purum hominem.“ *3. dist. 4. a. 3. q. 3.*

[2] „*Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. 1, 35).* Dicendum, quod per nomen Altissimi intelligitur Pater per appropriationem, Patri enim appropriatur potentia, et in persona Patris principaliter est auctoritas. Per virtutem autem intelligimus Filium, quia *Christum* dicimus *Dei virtutem et Dei sapientiam (1. Cor. 1, 24).* Quoniam ergo sermo praecesserat de Spiritu sancto, subjungitur etiam de Patre et Filio; ut sicut illi tres mundum fabricaverant, sic etiam intelligantur mundum reparasse opere indivisibili, et hoc per fabricam uteri virginalis. Ratio autem, quare magis Patrem vocavit Altissimum, quam Patrem appellaret, est, ut ostendatur in opere incarnationis mira fuisse dignatio, in hoc quod nostram humilitatem suae celsitudini copulare voluit. Virtus vero Altissimi Virginem potius dicitur obumbrare, quam illuminare. Obumbratio enim visum adjuvat, et calorem refrigerat, et in adventu Filii Dei Virgo Maria refrigerata fuit fomitis extinctione: fuit etiam ad Dei contuitum adjuta per carnis conjunctionem cum Verbo, ut quae non poterat Deum sentire in se propter suae lucis immensitatem, sentiret et cogitaret intra se per assumptam carnis humanitatem.“ *3. dist. 3. p. 1. dub. 2.*

[3] „Humani generis redemptio non tantum faciebat ad reparationem lapsus humani, verum etiam ad reparationem ruinae angelicae.“ *3. dist. 2. dub. 4.* Vide inferius ad *caput quintum hujus partis.*

[4] „Multiplici ratione congruentiae magis decebat, ut Christus carnem assumeret de sola muliere. Prima est ad servandam dignitatem matris, quae ob conceptionem Filii Dei non amisit privilegium virginitatis. Secunda est propter servandam honorificentiam Patris; Christus enim secundum generationem aeternam habebat Patrem, et cum iste plene sibi sufficeret in caelis, non venit in terris patrem quaerere, sed solum matrem, ne duobus patribus filius existens, neutrius esset filius plene, et sic injuria primo patri quodam modo fieret. Tertia est propter complendam perfectionem universitatis in modis educendi hominem in esse ... Quarta ratio propter correspondentiam congruitatis lapsus et reparationis, ut sicut lapsus est factus in utroque sexu, sed primo in muliere est inchoatus, et in viro consummatus, sic esset in reparatione, ut mulier credendo et concipiendo inciperet diabolum superare in abscondito, et postea filius in manifesto eum vinceret in duello, scilicet in crucis patibulo.“ *3. dist. 12. a. 3. q. 2.*

[5] „Quoniam in Verbo assumente naturam humanam est praecipua dignitas in principiando, et virtus in agendo, et dominium in praesidendo; hinc est, quod magis decuit sexum virilem, quam muliebrem assumi a Verbo increato, quia illi naturae assumptae debuerunt haec tria communicari excellenter.“ *3. dist. 12. a. 3. q. 1.*

[6] „Opus incarnationis manifestativum est divinae potentiae, sapientiae et bonitatis secundum diversas conditiones in ipso repertas. Contingit enim loqui de ipso quantum ad ipsa unibilia, et quantum ad unionis modum, et quantum ad unionis fructum. In comparatione ad unibilia, inter quae est infinita distantia, manifestatur divina potentia. In comparatione vero ad unionis modum congruentissimum, prout competebat ad humanum remedium, manifestatur Dei sapientia. In comparatione vero ad fructum, sive effectum consequentem, quo se obtulit Deo et Patri in odorem suavitatis, manifestatur divina bonitas, misericordia et caritas. Et hoc est, quod dicit Damascenus *(de fid. orth. lib. 3. c. 1).* Monstratur simul in incarnatione bonitas, justitia et sapientia Dei. Bonitas quidem, quia non despexit proprii plasmatis infirmitatem, sed viscera ejus commota sunt, ipso cadente, et manum porrexit. Justitia, quoniam, homine victo, per illum et non alium fecit vincere tyrannum. Sapientia, quoniam invenit aporiam, id est vulneris difficilis curam, vel solutionem decentissimam. Quoniam ergo in incarnationis opere secundum considerationes diversas convenit invenire appropriata tribus personis valde excellenter et praecipue; hinc est, quod conceptio, cum sit opus trium personarum, appropriari potest tribus personis, secundum diversas considerationes, sicut ostendunt rationes, quae prius inductae sunt. Scriptura tamen magis appropriat Spiritui sancto, quam alicui trium personarum. Et hoc duplici ratione, videlicet propter erroris exclusionem, et propter veritatis manifestationem. Propter erroris exclusionem; quia in conceptione humana consuevit se immiscere foeditatis concupiscentia, ac per hoc originalis culpa. Ne illud ergo dicatur fuisse in conceptione Christi, dicitur conceptus fuisse de Spiritu sancto; ad excludendum enim carnalem commixtionem, dicitur conceptus fuisse de Spiritu: ad excludendum vero concupiscentiae foeditatem, dicitur non solum conceptus fuisse de Spiritu, sed de Spiritu sancto. Alia vero ratio propter veritatis manifestationem. Illud enim, quod maxime praeparavit Virginem ad Filii Dei conceptionem, fuit amor divinus. Unde quemadmodum mulier concipit per viri dilectionem, vel delectationem, et ipsius adhaesionem, quae est cum desiderio et amore virtutis generativae; sic beata Virgo propter amoris singularitatem, singulariter concepit Deum ex Deo; et ideo concepisse dicitur de Spiritu sancto. Et hanc rationem assignat Hugo de sancto Victore in quodam suo libro, ubi sic dicit: Concepit Virgo Maria de Spiritu sancto, non quod de Spiritus sancti substantia semen partus acceperit, sed quia per amorem et operationem Spiritus sancti, ex carne Virginis divino partui substantiam ministravit. Nam quia Dei amor singulariter in corde Virginis ardebat, ideo in carne ejus mirabilia faciebat; cujus dilectio, quia in corde non suscepit socium, operatio in carne illius non habet exemplum. Et sic patet,

quod propter erroris exclusionem, et veritatis manifestationem incarnatio Filii Dei potissime appropriari debet Spiritui sancto. Et propter has rationes duas frequenter in Scriptura fit appropriatio.“ *3. dist. 4. a. 1. q. 1.*

[7] „Christus, cum sit Filius unigenitus Dei Patris, non recipitur quod sit Filius Trinitatis simpliciter, propter hoc quod talis locutio appropinquat errori Sabellii, qui posuit proprietatem Patris cuilibet trium personarum convenienter posse attribui. Non recipitur etiam, quod sit Filius totius Trinitatis per creationem, quia talis locutio appropinquat errori Arii, qui posuit Christum esse puram creaturam. Non recipitur etiam, quod sit Filius totius Trinitatis per gratiam, quia talis locutio appropinquat errori Nestorii, qui posuit in Christo duas naturas et duas personas, divinam scilicet et humanam, et quantum ad humanam personam dixit Christum Filium Dei per gratiam. Ergo sermo praedictus omnino errori impietatis appropinquat; et ideo respuitur ab his, qui periti sunt in sacra Scriptura.“ *3. dist. 4. a. 1. q. 3.* — „Redemptionis opus dupliciter potest alicui attribui, aut sicut principali auctori, aut sicut exequenti. Et utroque modo competit Christo, Christo, inquam, Deo competit sicut auctori, Christo vero homini competit sicut exequenti. Cum ergo dicitur aliquis redemptor, hoc dupliciter potest dici, aut ab auctoritate redemptionis, aut ab auctoritate simul et executione. Si ab auctoritate, sic non tantum competit Filio, immo etiam Patri et Spiritui sancto, pro eo quod indivisa sunt opera Trinitatis. Si autem ab executione, sic respicit humanitatem, quae assumpta est a solo Verbo, et hoc modo competit soli Filio: et hoc est quod Magister dicit: Redemptor aliquando Pater et Spiritus sanctus dicitur; sed hoc propter usum potestatis, non propter exhibitionem humilitatis. Nam secundum usum potestatis simul et obedientiae Filius proprie Redemptor dicitur. Et post concludit: Est ergo Redemptor in quantum Deus potestatis usu, in quantum homo humilitatis effectu. Ex his patet, qualiter esse Redemptorem convenit Filio, et secundum quam naturam; quodam enim modo convenit ei secundum humanam naturam, quodam modo secundum divinam. Et primo modo competit soli Filio, secundo modo competit Filio una cum Patre et Spiritu sancto.“ *3. dist. 19. a. 2. q. 1.*

[8] „Licet Christus sit conceptus de Spiritu sancto, non tamen est admittendum, quod Christus possit dici Filius Spiritus sancti, propter vitandum errorem tam circa generationem temporalem, quam aeternam.“ — „Absque dubio ista locutio non admittitur, nec est admittenda, propter vitandum errorem, tum circa generationem temporalem, tum circa generationem aeternam. Ad vitandum errorem circa generationem temporalem; quia, cum secundum illam dicitur Christus conceptus de Virgine et Spiritu sancto, si diceretur Spiritus sanctus ejus Pater, sicut Virgo ejus Mater, jam videretur ex hoc Christus natus esse de Maria et Spiritu sancto, sicut nascitur proles de muliere et viro. Quod si hoc falsum est, quia proles partem accipit a patre, et partem a matre accipit, in qua assimilatur patri et matri in eadem forma et natura, et hoc non est reperire in Christo, quantum ad ejus conceptionem, imo soli matri assimilatur in natura assumpta; ideo non debet admitti Christum esse Filium Spiritus sancti, sed solius Virginis matris, ad manifestandam et servandam veritatem et proprietatem temporalis generationis. Sumitur etiam ratio ex parte generationis aeternae, quare catholici talem sermonem non admittant, ne scilicet confusio fiat aeternarum relationum et proprietatum. Unde cum proprium sit personae Patris generare respectu personae Filii, nullatenus admittitur Christum esse Filium Spiritus sancti, in quo Christo non est alia persona, vel hypostasis, quam illa, quam Pater ab aeterno genuit: ideo propter vitandos errores tam circa generationem temporalem, quam circa aeternam, non recipiunt Theologi praedictam locutionem.“ *3. dist. 4. a. 1. q. 2.*

[9] „Anima Christi non fuit assumpta a Verbo, mediante habitu gratuito se habente ut causa cooperans, licet congruum fuerit habitum gratuitum adesse.“ — „Dicendum, quod, cum quaeritur, utrum anima uniatur ipsi Verbo mediante aliquo habitu gratuito, hoc dupliciter potest intelligi, aut quod ille habitus in illa unione teneat rationem congruentiae, vel rationem causae. Si ita, quod teneat rationem congruentiae, sic concedi potest, quod anima unitur ipsi verbo mediante habitu gratuito, quia non decet ipsam verbo uniri, nisi assimiletur habitu perfectae deiformitatis. Unde anima Christi non tantum fuit grata in instanti unionis, sed etiam glorificata super omnes animas beatas, quia non decet animam Dei carere deiformitate. Si autem unio illa intelligatur fieri mediante habitu gratuito, ita quod ille habitus respectu unionis teneat rationem causae, sic veritatem non habet. Quoniam illa unio, quae est per habitum infusum, sicut est unio amoris et cognitionis, convenienter respicit tres personas; unio autem ista respicit unam solam. Rursus, unio illa facit hominem conformem esse Deo et ad Deum, quia gratia est influentia a Deo exiens, et ad Deum reducens. Sed haec unio facit hominem esse Deum, et ideo nullus habitus creatus potest hoc efficere; nec per collationem alicujus boni creati fit, ut homo sit Deus, sed per hoc quod ipsa persona verbi seipsam facit humanae naturae hypostasim et suppositum; hoc autem non facit secundum mutationem factam in se, sed secundum mutationem factam in natura assumpta. Illa autem mutatio in natura assumpta fuit in ipsius naturae formatione, ita quod careret personali distinctione in genere proprio, et inniteretur personae divinae. Sed quia hoc totum Deus gratuita bonitate facit, ideo maxima gratia dicitur esse in unione divinae naturae ad humanam, non quod illa unio perficiatur, vel compleatur per aliquam influentiam creatam, sed quia fit per gratuitam Dei bonitatem, simul coëxistente influentia doni gratuiti ad congruitatem, non ad causalitatem. Unde rationes, quae ostendunt, quod non fiat unio illa mediante aliquo habitu gratuito, sunt concedendae, quoniam ea via procedunt, secundum quod dicitur aliquid fieri per habitum gratuitum cooperantem per modum causae, sicut homo justificatur mediante gratia informante, et meretur mediante caritate movente et regulante.“ *3. dist. 2. a. 3. q. 2.*

[10] „Etsi similior fuit anima Christi Deo ceteris creaturis, tamen improportionabiliter distat a Deo. Quoniam Deus, cum sit summe potens in se, per se et ex se, non potest deficere, nec habere potentiam deficiendi, nec quantum ad ordinationem, nec quantum ad radicem. Sed anima Christi est creata sicut animae aliae, et ex hoc

ipso per naturam suam est vertibilis et defectibilis, et potentiam habet deficiendi: sed quod non deficiat, hoc habet beneficio ejus, qui longe distabat ab omni defectu." *3. dist. 12. a. 2. q. 2 ad 4.* — Christus „non esset Deus, nisi corpus ejus et anima assumeretur a Verbo; nec anima esset idonea, ut assumeretur a Verbo, nisi esset deiformis et Deo assimilata perfecte per gratiam." *3. dist. 13. a. 1. q. 1 ad 3.*

[11] „Verbum non est unitum animae humanae mediante Spiritu sancto, tanquam vinculo talis unionis, licet Spiritus sanctus effective concurrerit ad talem unionem." — „Dicendum, quod, cum quaeritur, utrum persona Verbi habeat uniri humanae naturae mediante Spiritu sancto, hoc dupliciter potest intelligi. Aut ita quod illa unio fiat mediante Spiritu sancto sicut vinculo interveniente; aut ita quod fiat sicut principio efficiente. Si primo modo intelligatur, sic non habet veritatem, pro eo quod persona Verbi per se unitur humanae naturae, non persona aliqua mediante. Nequaquam enim persona Spiritus sancti intercedit media inter personam Verbi et naturam assumptam. Si autem unio illa intelligatur fieri mediante Spiritu sancto, sicut principio efficiente per modum cujusdam subauctoritatis et appropriationis, sic veritatem habet; incarnatio enim Verbi fuit a Patre et a Filio mediante Spiritu sancto. Sed hoc modo non est hic quaestio, sed illa erit suo loco, cum quaeritur, utrum incarnationis opus appropriari debeat Spiritui sancto. Nunc autem est quaestio, utrum unio Verbi fiat mediante Spiritu sancto sicut vinculo interveniente. Ad hanc quaestionem respondendum est, quod hoc falsum est et non intelligibile, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae." *3. dist. 2. a. 3. q. 3.*

[12] „Cum quaeritur, utrum caro assumpta fuerit a Verbo mediante spiritu humano, hoc dupliciter potest intelligi, secundum quod ad conjunctionem aliquorum potest concurrere medium secundum duplicem rationem. Est enim medium colligantiae, et est medium congruentiae. Medium colligantiae est, per quod extrema ligantur ad invicem, sicut duo corpora ad invicem junguntur interveniente glutino. Medium congruentiae dicitur, ratione cujus congruum est aliqua duo extrema perduci ad aliquam unionem; sicut mulier nobilis mediante nobilitate congruentiam habet, ut sit sponsa regis; cum tamen rex sibi unitur, magis unitur sicut conjugi, quam sicut nobili. Si ergo intelligitur de medio colligantiae; tunc quaeritur, utrum Verbum unitur carni mediante Spiritu creato. Respondendum est, quod pro eo quod immediate et inseparabiliter Verbum unitur tam carni, quam animae; ideo non cadit ibi anima medium quasi glutinum, vel vinculum inter corpus et Deum. Si autem intelligitur de medio congruentiae, sic absque dubio concedendum est, quod caro unitur Christi Verbo mediante spiritu creato. Non enim erat congruum, quod Dei Verbum, quod est vita, acciperet corpus, nisi vivificatum; nec congruebat eum, qui est spiritus immortalis, uniri corpori, nisi vivificato spiritu immortali, unde illud corpus esset idoneum ad incorruptionem." *3. dist. 2. a. 3. q. 1.*

[13] „Absque dubio, cum Virgo Maria sit Mater Christi, et vere ipsum concepisse dicatur, vere cooperata fuit Spiritui sancto in Filii sui conceptione. Et hoc communiter et generaliter tenent doctores Theologiae. De modo autem cooperandi diversi sentiunt diversa. Quidam enim dicere voluerunt, quod Virgo Maria solum cooperata fuit ministrando principium materiale. Alii vero quod cooperata fuit in ultimae formae inductione, et in materiae praeparatione, quamvis non in tota operatione. Alii vero tenent medium inter utrumque ... Et quoniam prima opinio parum dicit, et secunda multum excedit, suis obliquitatibus dirigunt nos in veritatis viam. Et propterea melius sentire videntur, qui dicunt medium, videlicet quod beata Virgo habuit virtutem sibi divinitus datam, per quam administraret materiam illi conceptui, materiam, inquam, quae non solum habuit rationem materiae, sive potentiae passivae, sed etiam sufficientiam et virtutem ad prolis productionem. Illa tamen virtus per se non poterat prodire ad perfectum actum, nisi per successionem in tempore. Sed quoniam non decebat carnem Christi formari successive, sicut in praecedentibus ostensum est; ideo Spiritus sanctus sua infinita virtute perduxit illam materiam ad actum completum: et per hoc in nullo Virgini derogatur, si Deus sua virtute acceleravit, quod in aliis mulieribus successive perducit ad esse. Non enim fuit minor potentia in Virgine, quam in alia muliere, imo multo major, quia potentiam naturalem et supernaturalem habuit, qua subministrare poterat materiam, et ipsa sola adeo sicut mulier viro commixta; unde tota substantia Christi fuit de matre sua. Et ideo si velimus sentire recte et loqui, veriori modo fuit Virgo Mater Christi, quam sit aliqua mater filii sui. Unde et per illam virtutem ipsum in ventre per novem menses confovit. Et sic patet, quod Virgo Maria aliquo modo fuit in conceptione Filii cooperata, videlicet subministrando sufficientem materiam virtuti activae, quae tamen supra suum posse accelerata fuit, et ad complementum perducta per virtutem infinitam. Et in hoc consonat sacra Scriptura, quae modo dicit Christum natum de Virgine, modo dicit factum. Consonat etiam verbum Damasceni *(l. 3. de fide orth. c. 2)*, qui dicit, quod virtutem habuit verbi susceptivam et generativam; generativam, quia potuit seminarium corpori Christi ministrare per virtutem sibi collatam divino munere; susceptivam vero, quia solum Dei Verbum potuit carnem assumptam in instanti formare, quod quidem Verbum susceptum est a Virgine." *3. dist. 4. a. 3. q. 1.*

[14] „Ratio hujus sumi potest ex parte Verbi assumentis, et ex parte virtutis efficientis, et ex parte Virginis concipientis. Ex parte Verbi assumentis; quia non decebat Verbum assumere partem humanae naturae, et esse hominem secundum quid, sed totam humanam naturam, et ita carnem et animam, maxime cum anima det carni congruentiam, ut uniatur cum divina natura. Et quoniam anima non est nata uniri nisi carni formatae et organizatae; ideo in primo instanti conceptionis necesse fuit corpus Christi ad perfectionis organizationem perduci. Ratio etiam est ex parte virtutis operantis; quia ibi virtus divina operabatur mirabiliter, hoc enim est miraculum miraculorum, quod femina concipiat Deum. Et ideo ad suae mirabilis potentiae ostensionem subito formavit illud corpus, quod natura non potest formare nisi successive. Ratio vero nihilominus est ex parte Virginis concipientis, quae statim ut consensit, repleta fuit Spiritu sancto, et Mater Dei effecta, juxta illud, quod angelus annuntiabat.

Et quoniam mater Dei non esset, nisi Deus unitus esset carni, quam conceperat, et caro nec Deo, nec animae congrueret, nisi haberet membrorum distinctionem convenientem; hinc est, quod ab instanti conceptionis corpus Christi debuit in membrorum distinctione perfectum esse." *3. dist. 3. p. 2. a. 3. q. 2.*

[15] Etsi „corpus Christi ab instanti suae conceptionis subito formatum, et membrorum habuit distinctionem;" attamen, „quantum ad quantitatem molis ad perfectionem deductum est per successionem temporis. Et ratio hujus est, quia perfectio quantitatis illius corporis fuit operatione naturae, cujus est operari secundum successionem temporis. Si autem quaeratur, unde est quod Deus corpus illud ad perfectionem voluit deduci mediante naturae operatione, dicendum quod hoc fecit Deus valde congrue. Hoc enim, quamvis alio modo facere posset, sic tamen fecit ad confirmandam fidei veritatem, et ad commendandam humilitatis virtutem, et ad conservandam universitatis legem. In hoc enim fidei veritas confirmatur, dum manifeste ostenditur per conversationem diutinam, et similem modum proficiendi in aetate, quod Christus non phantasticam, sed veram carnem assumpsit: et hoc quidem valde fuit opportunum, quia sine fidei veritate nullus est incarnationis fructus. Humilitatis etiam virtus in hoc commendatur, dum Dei Filius, qui est Rex regum et Dominus dominantium, factus est parvulus; et qui prius nullo indigebat, lacte materno, sicut alii parvuli pascebatur, pannis involvebatur, et alia plura gessit, quibus humilitatis utilitas commendatur: et hoc valde opportunum fuit, quia propter hoc potissime Deus descendit de caelo, ut superbiam exstirparet. Universitatis etiam lex et ordo conservatur, quia Deus unicuique naturae concessit propriam operationem, nec utitur miraculis, ubi natura per se sufficienter potest operari. Et quia natura in Christo satis sufficienter poterat corpus Christi ad perfectam quantitatem deducere, ita quod in nullo derogabatur ejus dignitati; ideo noluit Deus tempus anticipare, ut tamquam universitatis justus administrator, unumquodque juxta virtutem sibi competentem operari sineret. Et hoc quidem conveniebat, quia naturam nolebat perimere, sed reparare. Et in hoc insinuatur, quod major potestas usum inferioris potestatis non debet absque causa privare." *3. dist. 3. p. 2. a. 3. q. 1.*

[16] „Decuit Virginem Deo virginitatem vovere triplici ratione. Prima est, ut ei esset decentissimum habitaculum. Quia enim *sapientia candor est lucis aeternae, et speculum sine macula, quod nihil inquinatum incurrit (Sap. 7, 25. 26),* decebat, ut ex matre incorrupta et re et voluntate firma conciperetur, perfecta autem incorruptio voluntatis in voto consistit virginitatis. Secunda ratio est, ut esset mulieribus totius virginitatis exemplum. Sicut enim Deus Pater Christum viris praeposuit in exemplum, sic ejus matrem in exemplum praeposuit mulieribus; et quoniam hoc est maxime imitandum et laudandum, scilicet votum virginitatis, ideo in illa esse debuit. Tertia ratio est, quia debet in ea esse omnis nobilitatis et sanctitatis privilegium; absit enim, quod aliqua alia virgo beatam Mariam excellat: imo Altissimus, qui fundavit eam, omnis dignitatis privilegio ipsam adornavit, ut sicut ipse eam prae ceteris adamavit, sic ipsa omnibus esset sanctior, et amabilior esset universis. Unde, circumscripta maternitate Dei, adhuc ipsa prae ceteris Sanctis debet amari et laudari; et ideo Spiritus sanctus, qui aliis inspiravit virginitatis votum, ab ea non retinuit celatum. Non solum autem conveniens fuit ut voveret, sed etiam ut nuberet, ex triplici causa. Primo propter signationem, secundo propter infamiae vitationem, tertio propter divini consilii occultationem. Propter signationem, quia Ecclesia est spiritualis sponsa, et virgo et mater; et hoc signari debuit: et nulla alia ad hoc signandum idonea fuit nisi haec, quae simul fuit virgo et mater: et ideo ut perfecte signaret, debuit etiam desponsari. Secunda ratio est propter infamiae vitationem, quia, ut dicit Bernardus *(in med. homil. 2. sup.* Missus est), omnes credidissent, quod esset fornicaria, et non decebat hoc credi de matre Dei, nec etiam de Christo, quod esset natus ex adulterio; tolerabilius autem fuit ad tempus credi, quod esset natus ex conjugio. Si enim virgo fuisset infamata, et filius ejus, tunc color excusationis Pharisaeis esset relictus, et velamen ipsis mulieribus infamibus. Tertia ratio est propter consilii divini occultationem, ne adversario notum fieret consilium Dei. Hoc autem occultatum fuit adversario per hunc modum, quia, sicut Bernardus *(ibidem)* dicit, non poterat latere diabolum, quod scirent homines, unde per homines scire non potuit, nec per se, quia a virgine procul repellebatur. Decens etiam fuit, ut tali homini nuberet, triplici ex causa, scilicet ratione generis et ratione fidelitatis et ratione paupertatis. Ratione generis, quia erat de tribu Juda, et de semine David, et propinquus beatae Virginis: et per ipsum descripta est genealogia Christi, quae non debet per feminas describi, sicut Hieronymus super Matthaeum dicit. Secunda ratio est, quia fuit vir castus et justus, sicut dicit Evangelium; et ut esset virgini in solatium et in testimonium eunti in Aegyptum, datus est ei a Deo in virum. Tertia ratio est propter paupertatem, quia Christus super omnia venit confundere superbiam, non voluit vocari filius regis, sed magis filius fabri. In quo ostenditur Christi humilitas, et etiam ipsius Virginis gloriosae; et confusa est mundanorum superbia." *4. dist. 30. a. 1. q. 2.*

[17] „Maria merito condigni non potuit mereri concipere Christum, licet merito congrui et ex dignitate meruerit." — „Dicendum, quod est loqui de merito secundum triplicem gradum et differentiam. Est enim meritum congrui, in quo peccator dicitur gratiam sibi mereri, cum ad gratiam se disponit. Et est meritum digni, quo scilicet vir justus orat pro alio et meretur exaudiri. Et est meritum condigni, quo quis ex tanta caritate meretur tantam gloriam. Dico ergo, quod beata Virgo Maria concipere Filium Dei ante annuntiationem meruit merito congrui, quoniam prae nimia sua puritate, humilitate et benignitate idonea erat, ut efficeretur Dei Mater. Post annuntiationem vero, postquam consensit, et Spiritus sanctus in copiositate gratiae in eam descendit, non solum habuit congruitatem, sed et dignitatem; et ex tunc meruit non solum merito congruitatis, sed dignitatis obumbrari et impraegnari virtute Altissimi. Sed merito condigni non potuit mereri concipere Filium Dei, pro eo quod hoc excedit omne meritum, et etiam quia erat ipsius meriti gloriosae Virginis fundamentum. Sive enim dicamus Deum fieri hominem, sive dicamus mulierem fieri Matrem Dei, utrumque est supra statum, qui debetur creaturae; et ideo tam

hoc, quam illud fuit benignitatis et gratiae. Et propterea, sicut dixi, quod gratiam primam potest mereri justus peccatori merito dignitatis, non tantum merito congrui, licet justus non possit ipsam primam gratiam mereri peccatori merito condigni, ne gratia perdat rationem gratiae; sic potest concedi, quod beata Virgo non tantum merito congrui, sed merito dignitatis meruit conceptionem Filii Dei, quia per copiosam gratiam Spiritus sancti ad conceptionem illam non solum congrua, sed et digna fuit, quamvis eamdem conceptionem Verbi divini numquam meruerit merito condigni, ne tantum beneficium incarnationis Filii Dei perderet rationem gratiae, benignitatis et misericordiae." *3. dist. 4. a. 2. q. 2.*

[18] „Cooperatio gloriosae Virginis ad conceptionem non fuit simpliciter naturalis, sed multum habuit supernaturalitatis." — „Generativa potentia in Virgine fuit excitata a Spiritu sancto, et fuit supra posse suum elevata. Excitata fuit, ut posset praeparare materiam conceptui, secundum quod competit sexui muliebri; sed supra naturam fuit elevata, dum data est ei potentia praeparandi materiam, secundum quod tam nobili et tam perfectae conceptioni competebat. Et ideo Virgo Maria potentiam habuit supra naturam, et potentiam secundum naturam. Et potentia supra naturam fuit ei in sanctificatione collata, et utraque erat in illa conceptionis tempore, in complemento suae operationis constituta. Et ideo operatio sive cooperatio partim quodam modo fuit naturalis, et quodam modo supra naturam. Et est simile: si Deus daret mihi potentiam unum intelligere, et multa simul intelligerem, partim esset naturale in hoc, quod unum intelligerem, partim supra naturam in hoc, quod duarum illarum rerum intellectus non possunt simul per naturam stare; sic et in proposito intelligendum est, quia hoc erat naturae consonum, ut Virgo ministraret humorem sufficientem ad conceptum, quantum ministrat sexus muliebris: sed quod per se sola ministraret, quantum ministrat mulier conjuncta viro, hoc erat supra naturam; et ideo admirabile et insolitum. Concedendum est ergo, quod illa operatio non fuerit naturalis omnino, imo aliquid habuit supra naturam; quia hoc inter omnia mirabilia fuit mirabile praecipuum, virginalem scilicet uterum esse simul integrum et fecundum." *3. dist. 4. a. 3. q. 2.*

CAPUT IV.

De incarnatione, quantum ad plenitudinem temporum.

(Incarnatio fieri debuit post legem naturae et figurae, — post Patriarchas et Prophetas, — sexta mundi aetate, — in plenitudine temporum.)

De tempore vero incarnationis hoc tenendum est: quod, licet Deus in principio potuerit incarnari, noluit tamen nisi in fine saeculorum [a], praecedente lege naturae et lege figurae, post Patriarchas et Prophetas, quibus et per quos fuit incarnatio repromissa. Post quos incarnari dignatus est, tanquam in fine temporum et plenitudine, juxta quod dicit Apostolus: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret (Galat. 4, 4).*

a) Temporum ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum [b] haec est: quia incarnatio est opus primi principii reparantis, juxta quod decet et convenit secundum libertatem arbitrii, secundum sublimitatem remedii et secundum integritatem universi [1]; nam sapientissimus artifex in agendo omnia haec attendit. Quoniam ergo libertas arbitrii hoc requirit, ut ad nihil trahatur invita; sic debuit Deus genus humanum reparare, ut salutem inveniret, qui vellet quaerere Salvatorem, qui vero nollet quaerere Salvatorem, nec salutem per consequens inveniret. Nullus autem quaerit medicum, nisi recognoscat se aegrotantem [c]; nullus quaerit doctorem, nisi recognoscat se ignorantem; nullus quaerit adjutorem, nisi recognoscat se impotentem. Quia igitur homo in principio sui lapsus adhuc superbiebat de scientia et virtute; ideo praemisit Deus tempus legis [d] naturae, in quo convinceretur [e] de ignorantia. Et post, cognita ignorantia, sed permanente superbia de virtute, qua dicebant: „non deest, qui faciat [f], sed deest, qui jubeat, addidit legem praeceptis moralibus erudientem, et caeremonialibus aggravantem; ut, habita scientia et cognita impotentia, confugeret homo [g] ad divinam misericordiam et gratiam postulandam, quae data

b) Ita ABCD EFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484; horum ed. Rom.

c) Ita ed. 1484. In cet. morbum.

d) Deus legem ed. 1484.

e) Vinceretur ibid.

f) Impleat om. ibid.

g) Homo om. ibid.

est nobis in adventu Christi: ideo post legem naturae, et Scripturae subsequi debuit incarnatio Verbi (I) [2].

Rursus, quoniam sublimitas remedii requirit, ut credatur fide firmissima, et ametur caritate ardentissima, tanquam mysterium secretissimum et saluberrimum; ideo congruentissimum fuit, ut ante Christi adventum praeirent multa testimonia Prophetarum, tam explicita in verbis, quam implicita in figuris *(1. Cor. 10—11),* ut multis et firmis testimoniis, quod erat secretum, fieret certum et indubitabile ad credendum; praeirent etiam multiplicia promissa [3] et ardentissima desideria, ut promissum beneficium expectaretur, expectatum differretur, dilatum [h] amplius desideraretur [4], et diu desideratum ferventius amaretur, et amatum [i] gratiosius susciperetur, et susceptum sollicitius servaretur [5].

h) Dilatatum ibid.

i) Amatum et infra susceptum om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. Amatum om. etiam ed. 1484.

Postremo, quoniam integritas et perfectio universi requirit, ut universa sint ordinata quantum ad loca, et quantum ad tempora [j], et hoc opus, scilicet [k] incarnationis, erat perfectissimum inter omnia opera divina; et processus debet esse ab imperfecto ad perfectum, et non e converso; hinc est, quod opus illud debuit fieri in fine temporum, ut sicut primus homo, qui erat totius mundi sensibilis ornamentum, ultimo fuerat conditus, scilicet sexto die, ad totius mundi [l] completionem; sic secundus homo totius mundi reparati complementum *(1. Cor. 15, 45—47),* in quo primum principium conjungitur cum ultimo, scilicet Deus cum limo, fieret [m] in fine temporum, hoc est in sexta aetate [6], quae est aetas apta ad exercitium sapientiae, et ad enervationem concupiscentiae, et ad transitum a statu turbinis ad quietem, quae omnia competunt sextae aetati decursus mundi propter incarnationem Filii Dei.

j) Quantum om. ABCDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

k) Scilicet om. ed. 1484.

l) Totius mundi ABCDEFGH et ed. Ven. et 1484.

m) Fieri debuit ed. 1484.

Quoniam ergo adventus Christi fuit in tempore legis gratiae [7], et in exhibitione misericordiae repromissae, et in principio aetatis sextae, et haec omnia dicunt plenitudinem, quia lex gratiae implet legem Scripturae *(Matth. 5, 17),* et solutio promissi implet promissionem, et sexta aetas ratione perfectionis senarii [8] sonat in plenitudinem [9]; hinc est, quod in adventu Filii Dei dicitur esse plenitudo temporum, non propter hoc, quod in ejus adventu tempus finiatur, sed quia temporalia mysteria [n] impleantur [10]. Sicut autem Christus non debuit venire in principio temporis, quia adventus ejus nimis fuisset festi-

n) Ministeria ibid.

(I) Haec doctrina non est confundenda cum figmentis Synodi Pistoriensis *(propos. 18, 19, 20)* a Pio VI in Const. *Auctorem fidei* his verbis damnatis: „18. Doctrina Synodi enuntians — post lapsum Adami Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat; *tamen* Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum; *ac primum, ut in statu naturae* homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis: — Doctrina, ut jacet, *captiosa;* atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere, *suspecta,* favens haeresi semipelagianae. — 19. Item quae subjungit — hominem sub lege, cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit; *superadditque,* legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris: — Qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem, pro eo quod non potuit evitare, qui pius est, *falsa, scandalosa, impia, in Bajo damnata.* — 20. Qua parte datur intelligi — hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum; quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis, propositio, ut jacet, *captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.*“

nus; sic nec debuit [o] differre usque in finem ultimum, quia tunc nimium esset tardus. Decebat enim Salvatorem venire inter tempus morbi et tempus judicii, ut in medio introduceretur tempus remedii [p]. Decebat mediatorem quaedam suorum membrorum praecedere, quaedam sequi. Decebat ductorem perfectum tunc se ostendere, cum esset opportunitas currendi ad bravium, et hoc est in fine temporum, et [q] citra [r] terminum, et in [s] approximatione ad finale judicium; ut per timorem judicii stimulati, et per spem praemii attracti, et per perfectionem exempli animati, vigorose et perfecte sequamur ducem *de virtute in virtutem (Psalm. 83, 8)*, usque quo perveniamus *ad bravium felicitatis aeternae (Philipp. 3, 14)*.

o) Debuit om. ABCDEFGH et ed. Ven. et 1484.

p) Ita ex editt. Ven. et 1484. In medio introducere ABC DEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

q) Et om. ed. 1484.

r) Circa ibid.

s) In om. ibid.

Ad Caput IV.

[1] „Magis congruum fuit Filium Dei incarnari quasi in fine saeculorum, quam in principio ... propter peccatum hominis puniendum ... propter morbum melius curandum ... propter ordinem universi servandum ... propter incarnationis beneficium amplius commendandum.“ *3. dist. 1. a. 2. q. 4.*

[2] „Gratia Spiritus sancti non est nisi in homine grato. Gratus autem esse non potest, nisi cognoscat suam indigentiam. Indigentia autem est in nobis triplex, scilicet virtutis cognitivae, amativae, operativae, quia caeci sumus, infirmi, maligni. Oportet ergo, ut homo prius cognosceret caecitatem, infirmitatem, malignitatem, quam salvus fieret, vel gratia ei daretur; ergo fuit tempus, in quo fuit caecitas, ut in tempore ante legem, ubi vix cognoscebat aliquis Deum, imo lapides et opera manuum suarum pro Deo colebant; et ideo necesse fuit, quod homo convinceretur de ignorantia. Postea data fuit lex illuminans, et tamen *sunt multiplicatae infirmitates eorum (Ps. 15, 4)*; et occasio fuit lex majoris transgressionis, quia, *occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est concupiscentiam (Rom. 7, 8)*; et ideo convinci debebant de infirmitate sive impotentia. Postea fuit tempus Prophetarum, qui eis manifeste ostendebant non posse salvari per legem. Unde *solemnitates vestras odivit anima mea. Holocausta arietum, et adipem pinguium et taurorum et hircorum nolui (Is. 1, 11)*. Et ipsi eos interficiebant, et non solum ipsos, sed ipsis adhaerentes, et Prophetas falsos recipiebant; et in hoc apparuit eorum malitia. Et sic *conclusit Scriptura omnia sub peccato (Gal. 3, 22)*, quia primo per ignorantiam, secundo per infirmitatem, tertio per malitiam, ut Christus veniens omnium misereretur; et hoc etiam admiratur Apostolus *(Rom. 3, 11)*, et allegat auctoritatem Psalmi *(13, 3): Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.“ Serm. 14. in Hexaëm. circa med.*

[3] „Fides est credulitas rerum arduissimarum et difficillimarum; ideo oportuit, quod promissa miracula et signa multiformia (Scriptura) praemitteret. Sicut materia primo adaptatur, secundo introducitur forma; sic primo aliqua facilia Patriarchis fecit, ut promissa, ut quod Abrahae filius nasceretur, et quod etiam gentes sibi obedirent; quod crederet, quod filius interficeretur, quod posset resurgere, et quod Deus posset eum resuscitare. Unde ibi per promissa ductus est homo ad fidem. Post per mysteria et miracula in deserto, et per signa maxima, ut patet in transitu maris et flagellatione Aegypti *(Exod. 7, et seqq.)*. Post per oracula Prophetarum, qui praedicabant eis ventura, ut de Christi resurrectione et passione; et ipsi eis credebant. Quia ex quo videbant, quod eis eveniebant, quae eis prophetabant, et de Christo venturo eis credebant, homo sic dispositus est ad fidem recipiendam. Unde si primo dixisset Christus: Venite et credite in me, ego sum Christus; forsitan respondissent: Non possumus credere; ideo sic manuducendi erant ... Sapientia habet duas radices, scilicet timorem et amorem. Prima radix timor, quia prius est homo animalis, postea spiritualis *(1. Cor. 15, 46)*, et quando per timorem est affectus, tunc fit spiritualis; et ideo secundum has duas radices sunt duo testamenta, unum vetus in servitutem generans, alterum novum in amorem generans. Testamentum vetus in servitutem generans, promittit temporalia, timorem incutiens per poenam. Necesse autem fuit, ut in veteri testamento esset promissum, quia si semper homo plecteretur poena, et nihil sibi promitteretur, fugeret; ideo adjuncta est promissio repromissionis terrae. Testamentum autem novum promittit spiritualia, scilicet vitam aeternam. Unde timor non potuit incuti, nec aliquod temporale promitti, nisi genti jam multiplicatae; ideo ante legem oportuit esse tempus naturae. Lex similiter in infirmitatem generabat promittens temporalia. Et quia non est facilis transitus a temporali ad aeterna, ab animali ad spirituale; ideo medium fuit tempus Prophetarum, ad aptandum homines ad spirituale testamentum. Ad hoc ergo, quod homo haberet veram sapientiam, necesse erat ut testamentum vetus praecederet novum, et Patriarcharum tempus praecederet legem. Et sic in quolibet homine est iste ordo. Primo est sensibilis, totus deditus sensibus, ut puerulus; deinde fit animalis, cum incipit loqui, et phantasmata incipiunt eum occupare; deinde rationalis, cum incipit legere et considerare; deinde intellectualis, cum fit sapiens ... Salus non nisi per Christum restauratur. Non enim restauratur, nisi sit desiderata, amata, custodita. Ideo dilata est, ut custodiretur et desideraretur; quia, secundum Augustinum, ideo fit dilatio sponsae, ut carior habeatur. Similiter salus promissa est in Patriarchis, figurata in lege, praenuntiata a Prophetis, persoluta a Christo. Unde oportuit, ut prius fieret Patriarcharum fixio, deinde legalium productio, tertio Prophetarum pullulatio, ultimo fructus Evangelii, et salutis per Christum plenitudo. Secundum hoc ergo nota, quod in ornamento summi pontificis qua-

tuor erant ordines lapidum *(Exod. 28, 17)*. *In veste,* inquit, *poderis totus erat orbis terrarum: et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta (Sap. 18, 24):* et in illis sunt quadriformes ordines mysteriorum, quibus plantatae sunt Scripturae. Et in primo ordine, seu tempore, tria sunt mysteria, scilicet conditionis rerum, purgationis scelerum, vocationis patrum. Conditio rerum respondet prudentiae Patris; purgatio scelerum sapientiae Filii, qua judicat; vocatio patrum bonitati Spiritus sancti. Similiter sub lege tria sunt mysteria, scilicet mysterium lationis legum in quatuor libris Moysi, scilicet tribus, in quibus describitur latio legis, et in quarto est reparatio legis. Genesis autem datur tempori naturae, ubi et in quo sunt magna mysteria, quia uberrimus est mysteriis. Mysterium secundum est prostrationis hostium in Josue. Tertium est promotio judicum, ut in libro Judicum et Ruth. Primum mysterium respondet Patri, ratione auctoritatis; secundum Filio, quia est Verbum mundans et purgans; tertium Spiritui sancto, ratione gratiae. Hoc tempus dicitur legis, quia adhuc Prophetae non apparuerunt. Tempus prophetiae a Samuele incepit, quod habet similiter tria mysteria; primum inunctionis regum, ut in libro Regum et Paralipomenon; secundum fuit revelationis Prophetarum, ut in Psalmis, et duodecim Prophetis minoribus et quatuor majoribus; tertium restaurationis principum et sacerdotum, et illud est Esdrae, Nehemiae et Machabaeorum. In quarto tempore sunt tria mysteria, primum redemptionis hominum in Evangelio; secundum diffusionis charismatum in Actibus Apostolorum et epistolis Pauli et canonicis, ubi ostenduntur septem dona Spiritus sancti; tertium reserationis Scripturarum in Apocalypsi, post quod non potest esse aliud. In his duodecim mysteriis est tota sacra Scriptura. Job autem et Esther, Thobias et Judith cohaerentes sunt aliis, quia Job cohaeret legi et Prophetis, alii tres cohaerent libris restaurationis. Unde dixit Hieronymus, quod aliquando liber Job tantae auctoritatis fuit apud Judaeos, ut poneretur in arca cum virga. Haec sunt duodecim ligna pullulantia in paradiso. In quolibet istorum sunt duodecim lumina trium intelligentiarum Scripturarum, scilicet allegoria, anagogia et tropologia, et duodecim duodecies sunt centum quadraginta quatuor, et resultat numerus signatorum *(Apoc. 7, 4; 14, 1),* et numerus civitatis *(Apoc. 21, 17)*. Unde dicitur *(Ps. 118, 18): Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* De his lignis volo aedificare et erigere tabernaculum in corde. In paradiso fuit lignum vitae, et lignum scientiae boni et mali, quia in omnibus mysteriis explicatur Christus cum corpore suo, et Antichristus cum corpore suo, et diabolus. Et hoc modo Augustinus fecit librum de Civitate Dei, ubi incipit a Cain et Abel. In primis quatuor libris agit de Deo, et reprobat idolatriam, et in quatuor aliis de initio Ecclesiae, in aliis quatuor de progressu, in ultimis quatuor de Ecclesiae consummatione. Omnes enim Sancti praesignaverunt Christum tam facto quam verbo, et Job etiam magis facto quam verbo, ut dicit Gregorius. Dicamus ergo de Christo, quod est lignum vitae in medio paradisi, qui signatur in quatuor, quae sunt in primo mysterio, ab illo loco: *In principio creavit* usque ibi *corrupta est.* Signatur igitur per luminare majus, per lignum vitae, per Adae connubium, maxime per Abel occisum; quia Christus interfectus est a fratribus suis, et signum positum est Judaeis, ut non interficiantur, sed sint vagi et profugi super terram. In secundo mysterio, scilicet purgationis scelerum, signatur per Noë hierarcham, qui habuit tres filios, et signat Christum, qui habuit tres filios, scilicet Graecos, Judaeos et Latinos, quia scriptus erat titulus literis graecis, hebraicis et latinis. Signatur etiam per arcam fabricatam, quae respondet corpori Christi principaliter, secundario Ecclesiae; signatur per arcum in nubibus, qui est signum foederis; signatur per Noë nudatum, jacentem in tabernaculo ebrium. Inebriatus fuit Christus amore sponsae suae, et nudatus in cruce, quem derisit ille pessimus Cham. In mysterio vocationis signatur per quatuor: per sacrificium Isaac, quia proprie per Abraham Deus Pater signatur, per Isaac Filius, qui sicut ligna in collo portavit, sic lignum crucis Christus; signatur per Jacob fecundantem uxores; per Judam, qui habuit duos filios, Zaram et Phares, de quo multa dicuntur in benedictionibus, scilicet: *Catulus leonis Juda etc. (Gen. 49, 9).* Unde etiam legislator interseruit figuram illam de duobus filiis Juda de Thamar. Signatur etiam per Joseph rectissime, qui venditus a suis, exaltatus fuit inter alienos. Haec sunt duodecim mysteria principalia ante tempus legis Moysi. Sub lege, in mysterio lationis legis signatur per virgam Moysi, per quam flagellatur Aegyptus, quae siccavit maria, quae est virga virtutis. Signatur per arcam testamenti, per multa in ea recondita; signatur per ornatum pontificis, mitram, superhumerale, in cujus morte profugi debebant redire ad propria. Signatur etiam per ritum sacrificii, per agnum, arietem, vitulum, quae omnia referuntur in Christum. In mysterio prostrationis hostium similiter Christus signatur per Josue ingressum, qui divisit Jordanem, ubi datur forma baptismi, et aquas, quae descendebant in mare mortuum, fecit redire in suam originem, hoc est, animas. Signatur per suum conflictum, signatur per suum triumphum, qui destruxit Jerico, suspendit reges, et post funiculis terram divisit, et est introductor in terram promissionis. Ita Christus introducit nos in caelum per suum introitum. In mysterio promotionis judicum signatur per Caleb, cui virtus duravit, qui explorator terrae fuit de tribu Juda; per Othoniel, qui propter victoriam Axam habuit uxorem; per Gedeon, de quo in Isaia *(9, 4)* dicitur: *Sicut in die Madian;* per Samsonem, qui in omnibus refertur ad Christum, per interfectionem leonis, per portas asportatas, qui etiam plures interfecit in morte quam vivus. Per amissionem capillorum signare non potest Christum, sed signat christianum, qui amittit septiformem gratiam Spiritus sancti. Unde quando non potest aliquid mysticari in capite, transferendum est ad membra. In mysterio inunctionis regum signatur per David, per Salomonem, per Ezechiam, per Josiam. Per David signatus est in multis. Salomon signat Christum, praeterquam in mulieribus, in quibus nullum bonum significare potest. Unde in Cantico *(6, 7): Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus,* de uxoribus non loquitur ad literam, imo mysterialiter ponuntur ibi, in quibus signantur animae perfectae et imperfectae. Signatur per Ezechiam *(Is. 38, 10): Ego,* inquit, *dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Josias etiam signat Christum,

de cujus morte factae sunt lamentationes: *Quomodo sedet sola civitas etc. (Thren. 1, 1).* Melius autem dicitur sic, quia Christus ostenditur per visum, per signum, per factum. Per visum, sicut vidit Jeremias *(1, 13) ollam succensam;* et sic de aliis. Per signum, sicut de Elisaeo et Giezi, qui portavit baculum super puerum, et non revixit, et postea ipse incubuit super ipsum *(4. Reg. 4, 31—34);* et secundum Gregorium *(l. 9. mor. c. 21),* signat legem et Christum. Per verbum, quod audiebant et non videbant, sicut dicebant: *Verbum, quod locutus est Dominus etc.* Per factum, ut Jonas. In mysterio revelationis Prophetarum signatur per cantum harmoniae, etiam in psalterio decachordo, ubi David addiscit prophetare. Per lumen sapientiae in libris sapientialibus. Per canticum laetitiae, quod est sponsae Christi, in Cantico. Per visum prophetiae, quod est diversimode, unus sicut virgam vigilantem vidit Christum *(Jer. 1, 11),* alius super solium excelsum *(Is. 6, 1),* alius vestitum *(Ezech. 9, 2).* In mysterio restaurationis primum signatur per Esdram, qui scripturam et literas reparavit; per Nehemiam, qui civitatem reparavit; per Zorobabel, qui templum reparavit; per Jesum filium Josedech, qui ritum colendi reparavit. In mysterio redemptionis hominum signatur Christus ut homo mansuetus in Matthaeo, ut leo triumphans in Marco, ut vitulus occisus in Luca, unde *fuit in diebus Herodis sacerdos (Luc. 1, 5),* et oculum habet ad passionem; ut aquila volans ad divinitatem in Joanne. In mysterio diffusionis signatur per Joannem ut doctor; ut diffusor largus in Actibus, cum dedit Spiritum sanctum; ut diffusor pius ut in Paulo, in quo consummantur Actus Apostolorum. Unde Lucas pauca dicit de aliis Apostolis, et statim transit ad Paulum, qui dedit Spiritum sanctum, sicut patet de illis duodecim, qui baptizati erant baptismo Joannis *(Act. 19, 7);* nec mirum, quia ipse *Benjamin,* ut *lupus rapax (Gen. 49, 27),* ultimus Apostolorum, per quem signatur ordo futurus. Signatur ut diffusor prudens in canonicis; ut diffusor sapiens in epistolis Pauli. In mysterio reserationis Scripturae signatur per modum praesidentis, ut patet per filium hominis in medio candelabrorum, qui habebat septem stellas et septem ecclesias *(Apoc. 1, 11 et seqq.).* Per modum praeliantis, ut agnus cum bestia, cum dracone *(Ib. 12, 9).* Per modum triumphantis, quia habebat gladium et falcem acutam *(Ib. 14, 14 et seqq.).* Per modum beatificantis, quia vidit caelum novum et terram novam *(Ib. 21, 1).* Haec sunt mysteria circa lignum vitae, scilicet Scripturae, quae incipit ab aeternitate, et terminata est ad aeternitatem. *In principio creavit Deus caelum et terram (Gen. 1, 1);* in fine vidit Deus *caelum novum et terram novam (Apoc. 21, 1).* Hae quadragintaocto tabulae tabernaculi *(Exod. 26, 18—25),* viginti in uno latere, et viginti in alio; in posteriori octo, in quibus ponitur arca, scilicet Christus, continens in se omnes thesauros sapientiae et scientiae *(Coloss. 2, 3),* in quem Cherubim respiciunt. Haec sunt duodecim ligna circa lignum vitae." *Serm. 14 in Hexaëm.*

[4] „Utrum Christi conceptio, vel incarnatio, fuerit ex mera gratia, an hoc impetraverint plura Patrum sanctorum merita. Et quod fuerit ex mera gratia, videtur. Apostolus ad Titum *(3, 4—5): Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiae;* sed apparitio illa benignitatis et humanitatis est Filii Dei humanatio, sicut in Glossa dicitur: Cum benignus et humanatus Deus noster apparuerit; ergo videtur, quod Filii Dei humanatio non fuerit mediantibus nostris meritis. Item super illud Psalmi *(73, 20): Respice in testamentum tuum,* Glossa: Meminerunt promissionis, quia merita defecerunt; et loquitur de promissione incarnationis; ergo etc. ... Item quod est fundamentum totius meriti Ecclesiae, meritis ejus non potest reddi; sed Christi incarnatio est fundamentum totius meriti Ecclesiae, quia per ipsum, quotquot sunt, reconciliati sunt Deo et Patri, nec aliquis salvatur nisi per eum; ergo non videtur, quod incarnatio Christi per merita Patrum, sive ipsius Ecclesiae, potuerit impetrari." — „Incarnatio Christi quantum ad essentiam non cadit sub merito, sed est ex mera gratia, licet quoad circumstantiam temporis cadat sub merito; sed quoad efficaciam mediam quodam modo sic, quodam modo non." — „De beneficio incarnationis, sicut de aliis beneficiis divinis, loqui est tripliciter, videlicet quantum ad substantiam vel essentiam, et quantum ad efficaciam, et quantum ad circumstantiam temporis. Si loquamur de ipso quantum ad essentiam, sic dicendum, quod illud beneficium erat supra sanctorum Patrum merita, propterea quia non est justae retributionis, sed dignationis eminentissimae, et non sequitur merita hominis lapsi, sed potius est fundamentum omnis meriti, quia nullus Deo placere potest post lapsum absque fide istius beneficii vel in generali, vel in speciali ... Si vero loquamur de beneficio incarnationis quantum ad efficaciam, sic, cum ejus efficacia sit duplex, videlicet quod ordinabatur ad liberationem a servitute culpae, et a reatu carentiae visionis Dei, quodam modo cadit sub merito, quodam modo non. Nam quantum ad liberationem a reatu carentiae divinae visionis et captivationis diaboli, hoc meruerunt sancti Patres, et cadit sub merito: quantum vero ad erectionem de statu culpae, non cadit sub merito, nisi quis large sumat meritum ad meritum congrui et condigni. Si vero loquamur de beneficio incarnationis quantum ad temporis circumstantiam, potest concedi absque calumnia, quod cadit sub merito praecedentis Ecclesiae, sancti enim Patres flagrantissimis desideriis meruerunt incarnationis accelerationem, in quorum persona dicit Isaias *(64, 1): Utinam disrumperes caelos, et descenderes.*" *3. dist. 4. a. 2. q. 1. fund. et concl.*

[5] A principio quidem conditionis naturae, collocatis in paradiso parentibus primis, dehinc propter esum ligni vetiti per divini decreti severitatem expulsis, superna misericordia non distulit hominem errabundum revocare ad poenitentiae viam, spem veniae dando per repromissum Salvatoris adventum. Et ne forte per ignorantiam et ingratitudinem tanta Dei dignatio nostrae saluti foret inefficax, in quinque saeculi hujus aetatibus per Patriarchas, Judices, Sacerdotes, Reges et Prophetas, ab Abel justo usque ad Joannem Baptistam, Filii sui adventum praenuntiare, promittere ac praefigurare non destitit, ut per multa millia temporum et annorum, magnis, miris, multiplicatis oraculis, intelligentias nostras ad finem erigeret, et affectus per viva desideria inflammaret." *Lign. vitae,* Jesus praefiguratus.

[6] „Distinguit Scriptura tempora originalia, figuralia, gratiosa, seu salutifera. Tempora originalia consistunt in primis septem diebus, figuralia ab initio mundi usque

ad Christum ... et post sunt tempora gratiosa. A temporibus originalibus incepit Moyses, et ita debuit facere, quia Scriptura debuit facere seminaria, tanquam terra germinans, et post, arbores figurarum, et postea fructum: ponuntur ergo septem dies, ut tempore originali. Primus dies lucis formatae, secundus dies aquae divisae, tertius dies terrae fecundatae, quartus lucis sidereae, quintus motivae vitae, sextus humanae formae, septimus quietis primae. Septem autem sunt tempora figuralia, tempus naturae conditae, purgandae culpae, gentis electae, legis statutae, regalis gloriae, vocis propheticae, quietis mediae. In novo testamento similiter sunt septem tempora gratiosa, tempus collatae gratiae, baptismi in sanguine, normae fidei catholicae, normae legis justitiae, sublimis cathedrae, clarae doctrinae, pacis postremae. Accipe correspondentiam. Formatio lucis est seminarium formationis naturae, et formatio naturae, collationis gratiae. Tempus aquae divisae respondet tempori purgationis culpae, baptismi in sanguine; quia sicut dividitur aqua ab aquis, sic purgatio in aqua facta formam baptismi gerit, secundum beatum Petrum *(1. Petr. 3, 21)*, tam baptismi sanguinis, quam fluminis, quam flaminis. Dies terrae fecundae, tempus gentis electae, normae fidei catholicae. Terra germinavit Abraham, et Abraham Isaac genuit, et Isaac Jacob etc. Et Ecclesia normam fidei statuit, secundum quam succedunt fideles fidelibus. Dies lucis sidereae, tempus legis statutae, tempus normae justitiae. Lex enim distincta fuit per solem, lunam et stellas, hoc est secundum ritum Dei colendi, caeremoniam, censuram judicandi, formam vivendi, sive secundum moralia, judicialia, caeremonialia: sic in Ecclesia canones; deinde leges per Justinianum in unum corpus redactae, quae primo erant paganorum, factae sunt Christianorum; et regulae monasticae, ut beati Benedicti. Canones respondent caeremonialibus, leges judicialibus, monastica moralibus. Dies vitae motivae, tempus regalis gloriae, tempus sublimis cathedrae respondent. Sicut enim una pars vitae motivae fuit repentium, altera volatilium; sic in Ecclesia una pars est Regum et Pontificum, alia subditorum. Dies humanae formae, tempus vocis propheticae, tempus clarae doctrinae, in quo esset vita prophetica, respondent. Et necesse fuit, ut in hoc tempore veniret unus ordo, scilicet habitus propheticus similis ordini Jesu Christi, cujus caput esset angelus, ascendens ab ortu solis, conformis Christo *(Apoc. 7, 2)*. Et dixit, quod jam venerat dies quietis sabati, tempus quietis mediae, tempus quietis sive pacis postremae. Tempus quietis mediae fuit, quando Prophetae nihil scripserunt; et tunc fuit silentium Prophetarum, medium inter primam quietem et ultimam. Fuit etiam tempus quietum, quia tunc in maxima pace fuit mundus totus; unde et per duodecim annos templum Romae Jani clausum fuit ante adventum Christi, quod tempore belli semper apertum fuit, et tempore pacis clausum, unde etiam portae ruinosae factae sunt, unde et Imperator describi fecit mundum. Et Deus ponebat hoc in corde pagani, ut describeretur mundus, ut Virgo iret in Bethleem, et ibi pareret in diversorio *(Luc. 2, 7)*. Et frequentissime inculcabam, quod non sunt a casu et a fortuna ista consimilia posita in Scriptura, sed maxima ratione, maximo mysterio: sed qui non considerat, nihil intelligit. Fuit etiam *nox in suo cursu (Sap. 18, 14)*, quia tunc erat summa idolatria. Secundum hoc ergo tempus naturae conditae durat ab Adam usque ad Noë; tempus culpae purgandae, a Noë usque ad Abraham; tempus gentis electae, ab Abraham usque ad Moysen. Elegit enim Deus Abraham, non Lot; Isaac, non Ismaël; Jacob, non Esau; et Judam, de quo natus est Christus, non fratres alios. Tempus legis statutae, a Moyse usque ad Samuelem, qui unum regem reprobum, et alium electum inunxerat. Tempus regalis gloriae, a David usque ad Ezechiam, in quo transmigratio decem tribuum facta est. Tempus vocis propheticae, ab Ezechia, stricte loquendo, large ab Ozia, qui fuit leprosus, usque ad Zorobabel. Sub Ezechia factum est illud miraculum, quod dies habuit triginta duas horas per reversionem solis. Tempus pacis et quietis, a Zorobabel usque ad Christum. In novo testamento, tempus collatae gratiae, a Christo et Apostolis, comprehendendo mortem Joannis, usque ad Clementem Papam. Tempus baptismi in sanguine, a Clemente usque ad Silvestrum, quia sub Clemente incepit magna persecutio, quando Judaei venditi fuerunt, expulsi de Jerusalem, et Clemens missus est Chersonam cum populo in exilium in Graeciam. Et in illo tempore medio, a Clemente usque ad Silvestrum, fuerunt decem maximae persecutiones. Tempus normae catholicae, a Silvestro usque ad Leonem primum, sub quo datum est symbolum. Tempus legis justitiae, a Leone usque ad Gregorium Doctorem, in quo statutae sunt leges justitiae, et canones et regulae catholicae et monasticae, in quo beatus Benedictus fuit, qui etiam prophetavit de beato Gregorio, et benedixit matrem praegnantem. Tempus sublimis cathedrae, a Gregorio usque ad Adrianum, sub quo mutatum est imperium, et divisum in Constantinopolim. Carolus in Ecclesia Occidentali fuit primus Imperator et Rex Italiae de Francia, quia, cum insultum alienarum gentium non possent sustinere, fecerunt eum regem Italiae, et pugnavit contra regem Longobardorum, et praevaluit. Tempus clarae doctrinae ab Adriano. Sed quantum durabit, quis potest dicere? Certum est, quod in illo sumus. Certum est etiam, quod durabit usque ad dejectionem bestiae ascendentis de abysso *(Apoc. 17, 8)*, quando confundetur Babylon, et dejicietur; et post dabitur pax. Primum tamen necesse est, ut veniat tribulatio, et non est ponendus terminus, quia nullus scit, quantum tempus illud pacis duret, quia *cum dixerint pax et securitas, repente veniet super eos interitus (1. Thess. 5, 3)*. Tempus autem septimum, scilicet ultimae quietis, incipit a clamore angeli *(Apoc. 10, 5)*, qui jurabit per viventem in saecula saeculorum, quod tempus amplius non erit, sed in diebus septimi angeli consummabitur. Sed septem tempora Joannes in Apocalypsi comprehendit in septem visionibus: quaelibet illarum est septiformis, et consurgit ad numerum jubilaei." *Serm. 16. in Hexaëm. circa med.* Cfr. etiam *serm. 15,* et superius § 3 *Proëmii.*

[7] „In tempore praecedenti gratia Christi non defuit; attamen non debet dici tempus gratiae, sed umbra diei, quia non erat tanta redundantia gratiae, quae velamen figurarum effugaret, et onus legis alleviaret. Nunc autem, cum manifesta est veritas, et per amorem alleviata sunt mandata, vere dicendum est tempus gratiae advenisse. Unde Christus efficaciam habuit in his, qui praeibant et sequebantur, ut botrus in palmite vel palo portabatur ab

antecedentibus et sequentibus *(Num. 13, 24)*, sed praeeuntes ferebant et non videbant, sequentes vero et ferebant et aperte videbant." *3. dist. 13. a. 2. q. 3 ad 6.*

[8] „Senarius dicitur primus perfectorum, quia constat ex omnibus partibus suis aliquotis, scilicet tribus, duobus et uno." *1. dist. 2. a. 1. q. 5.*

[9] „Numerus senarius convenienter jungitur Christi vitae et virtutibus ... Vita Christi fuit perfecta et operosa, sicut et numerus significans perfectionem operum: unde et sex diebus perfecit Deus opera creationis, et sex aetatibus perfecturus est opera reparationis. Vita etiam Christi fuit vita perfecta in omnibus partibus et circumstantiis virtualibus integre, sicut senarius constat ex partibus aliquotis." *Comment. de Doctr. Evang. n. 11.* Supplem. vol. 11.

[10] „Tempus incarnationis dicitur tempus plenitudinis multiplici de causa. Prima, quia Deus implevit, quod praefinierat. Unde super illud: *At ubi venit plenitudo temporis (Gal. 4, 4)*, Glossa: Completum est tempus, quod praefinierat Pater, quando mitteret Filium suum. Alia ratio est propter impletionem promissionis, quia ille nobis datus est, qui fuerat repromissus. Unde super: *Plenum gratiae et veritatis (Jo. 1, 14)*, Glossa: Quoad impletionem promissorum. Tertia ratio est quantum ad completionem figurarum, quia in Christi adventu figurae illae, quae erant in veteri testamento, impletae sunt veritate: *Non veni legem solvere, sed adimplere (Matth. 5, 17)*. Quarta ratio est propter plenitudinem gratiae, quae fuit in Christo, quae fuit principium omnium plenitudinum. Unde: *In Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Coloss. 2, 9)*. Quinta ratio propter plenitudinem generationis, quia cum sit quadruplex modus generationis, prima quidem nec de viro, nec de muliere, sed de terra; secunda, mulieris de solo viro; tertia vero, prolis de viro et muliere; quarta vero, viri de sola muliere; ista quarta est consummata in Christi incarnatione. Sexta vero ratio est, quia tempus incarnationis est tempus sextae aetatis, in qua quidem est plenitudo et perfectio; ut sicut mundus in sexto die est consummatus, sic in sexta aetate sit reparatus ... His ergo sex rationibus dicitur tempus incarnationis tempus plenitudinis." *3. dist. 1. dub. 1.*

CAPUT V.

De plenitudine gratiae Christi, quantum ad charismata in affectu.

(In Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiae, scilicet gratiae personalis, — qua fuit immunis ab omni culpa: — plenitudo gratiae unionis, qua dignus est gloria et latria: — plenitudo gratiae capitis, qua influit gratiam in omnibus justis.)

Postquam innotuit nobis Verbum incarnatum, quantum ad unionem naturarum, considerandum est quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium. Circa quae primo consideranda est plenitudo gratiae in affectu, deinde plenitudo sapientiae in intellectu, et postremo plenitudo meriti in opere et [a] effectu.

a) In om. ed. 1484.

De plenitudine igitur gratiae in affectu in Christo hoc tenendum est [b], quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiae, quantum ad gratiam singularis personae, quantum ad gratiam capitis, et quantum ad gratiam unionis [1], ita quod per gratiam singularis personae habuit omnis culpae immunitatem, et quantum ad actum et quantum ad posse, quia nec [c] peccavit, nec peccatum potuit habere. Per gratiam [d] unionis dignus est non tantum felicitate gloriae, verum etiam adoratione latriae, quae est cultus reverentiae soli Deo debitae (I). Per gratiam vero capitis influit motum et

b) Haec tenenda sunt ACDEG et editt. Arg. Nor. Ven. et 1484.

c) Non ed. 1484.

d) Autem add. ABCD EG et editt. Arg. Aug. Nor.

(I) Etsi S. Doctor in hoc capite de cultu sacratissimae Humanitati Jesu Christi praestando principaliter agat, attamen quum ex hoc occasionem nacti fuerimus exponendi etiam dogma de cultu Sanctorum, errores hîc juverit apponere, qui contra cultum sive erga Ss. Humanitatem Christi, sive erga Sanctos irrepsere. Ariani igitur, qui puram creaturam in Christo agnoscebant, ipsum nullatenus adoratione dignum contendebant. Apollinaristae autem et Eutychiani, ex haeretico ipsorum principio de naturarum confusione et permixtione, unam latriae adorationem admittebant; dum e contra Nestoriani quemdam cultum latreuticum etiam Christo ut homini concesserunt, verum longe diversum ab eo, quo honorandus est Christus ut Deus. Wicleffus autem Christo et a divinitate separato adorationem tribuendam autumavit; demum ex Socinianis quidam adorant Christum, licet ab ipsis purus homo habeatur, ut nuntius Dei; quidam vero hoc omnino respuunt. — Contra quos Conc. Constantin. II Oecum. V *can. IV* definivit: „Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, et semotim homini; aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose

sensum in universos, qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramenta, sive adventum ejus praecesserint, sive fuerint subsecuti. Nam turbae, quae praeibant, et quae sequebantur[e], clamabant: *Osanna filio David (Matth. 21, 9).*

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparatio est operatio primi principii, ita quod ab ipso manat[f] secundum liberalitatem[g], et ad ipsum reducit[h] secundum conformitatem; ideo oportet, quod fiat per gratiam et deiformitatem. Gratia enim et[i] manat a Deo liberaliter, et reddit hominem deiformem. Quoniam ergo reparativum principium per gratiam reparat, et omnis res plenius et perfectius est in suo fonte et origine, quam in suo rivulo et effectu[j]; necesse est, quod in principio nostro

e) Nam qui praeibant, et qui seq. AB CD et editt. Arg. Ven. et 1484.

f) Emanat ed. 1484. Sic et infra.

g) Libertatem ibid.

h) Reformat AC et ed. Ven. et 1484.

i) Et om. ed. 1484.

j) Ita ibid. rectius. In cet. alibi.

dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit."

Quoad ipsam Christi adorationem secundo veniunt Jansenistae, qui pro virili devotionem erga sacratissimum Cor Jesu impugnantes, catholicos uti Christicolas per summam injuriam traducunt. Eos autem anathematizavit Pius VI in Dogm. Constit. *Auctorem Fidei,* censuram ferendo in 62 propositionem Synodi Pistoriensis: „Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (ipsa Synodus) velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata: *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.*" Et in censura proposit. 63: „Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit (Synodus), quod non advertunt sanctissimam Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: *captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.*"

Quoad vero cultum beatae Mariae semper Virgini debitum, quidam haeretici, quibus nomen Collyridiani, saec. IV nimium ei dederant, eam veluti quoddam numen adorantes; quidam e converso, Antidiricomariani nuncupati, ipsam omni honore spoliabant.

Quoad cultum erga Crucem, eum impugnarunt saec. XII Petrobusiani, saec. XIV Wicleffus, saec. XVI Lutherus et Calvinus.

Cultum denique sacrarum Imaginum et Reliquiarum impugnarunt saec. II Gnostici, a Tertulliano in libro *Scorpiace* confutati; saec. IV Vigilantius Gallus Presbyter, quem S. Hieronymus stricto calamo exagitavit; saec. VIII et IX Imperatores Constantinopolitani Leo Isauricus, Constantinus Copronymus et nonnulli ex eorum successoribus, qui sacras imagines et reliquias furentibus edictis confringendas et comburendas mandarunt, dicti propterea Iconoclastae et Stauromachi. Sanctorum causam tuiti sunt in primis SS. Gregorius II et III Romani Pontifices, S. Germanus Patriarch. Constant. et S. Joannes Damascenus. Contra Iconoclastas, praeter nonnulla particularia, indictum fuit Conc. Oecum. VII Nicaenum II an. 787, sub Adriano I Rom. Pont., in quo cultus erga imagines ac reliquias Sanctorum adprobatus fuit. Quantum autem contra hoc dogma Novatores saec. XVI debacchati sint, omnes norunt. Synodus etiam Pistoriensis novitates erroneas quoad cultum Sanctorum, eorumque imaginum invexit, a Pio VI in prop. 69—74 censuris confixas.

Porro contra omnes Concilium Tridentinum *sess. 25* decrevit, et Episcopis, ut fideles docerent, mandavit: „Sanctorum quoque Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur; ita ut affirmantes Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandi sint, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, praesertim vero secundae Nicaenae Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum ... Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit."

reparativo, scilicet Christo Domino, fuerit omnis gratiae plenitudo. Et quoniam reparativum principium in reparando non tantum tenet rationem principii, verum etiam medii et extremi, extremi quidem in satisfaciendo, medii in reconciliando, et principii in superfluendo; ideo necesse est, quod in Christo fuerit plenitudo gratiae, ratione extremi satisfacientis, medii reconciliantis et principii superinfluentis. Quoniam igitur extremum ad satisfaciendum idoneum necesse est esse Deo placens, ac per hoc ab omni peccato perfecte immune [2], et hoc non potest esse nisi per donum divinae gratiae in aliquo homine; necesse fuit ponere in Christo gratiam ipsam sanctificantem et confirmantem, quam vocamus gratiam singularis personae [3].

Rursus, quoniam medium ad reconciliandum conveniens non est, nisi habeat in se utramque naturam, superiorem et inferiorem, scilicet [k] adorabilem et adorantem, et hoc nullo modo fieri potest, nisi per summe dignativam et gratuitam unionem; ideo necesse est in Christo ponere gratiam super omnem gratiam, et omnimoda reverentia venerandam, quam vocamus gratiam unionis [4], ratione cujus Christus homo *est super omnia benedictus Deus (Rom. 9, 5),* et ideo cultu latriae [5] venerandus [6].

k) Scilicet om. ABCDE GH et editt. Arg. Aug. Nor.

Postremo, quia principium ad influendum efficax non est, nisi habeat in se plenitudinem fontalem et originalem, quae non tantum est plenitudo sufficientiae, sed etiam superabundantiae [7]; ideo necesse est Verbum incarnatum esse *plenum gratiae et veritatis (Jo. 1, 14),* ita quod de plenitudine ejus accipere valeant universi justi, sicut universa membra a capite recipiunt [l] influentiam motus et sensus. Et propter hoc vocatur haec gratia [8], gratia capitis [9], pro eo quod sicut caput habet in se sensuum plenitudinem, et ceteris membris est conforme, ceterisque praesidet, ac ceteris [m] beneficium praestat influentiae, quae ipsi capiti connectuntur; sic Christus habens in se gratiam superabundantem [n], et nobis consimilis est in natura, prae ceteris sanctus et justus, ceteris, qui ad ipsum accedunt, praestat beneficium gratiae et spiritus [o], per quae fit sensus et motus in spiritualibus [10].

l) Accipiunt ed. 1484.

m) Et add. ibid.

n) Gratiae superabundantiam ibid.

o) Spiritus sancti ibid.

Et quoniam ad ipsum accedere est per fidem, vel per fidei sacramentum, et fides Christi eadem est in praeteritis, praesentibus et futuris; ideo ratio influendi in Christo ponitur respectu omnium tam praeteritorum, quam praesentium, quam etiam futurorum in Christum credentium, et in ipso [p] renatorum, qui per fidem copulantur Christo, et per gratiam influentem fiunt membra Christi, et *templa Spiritus sancti (1. Cor. 6, 19),* ac per hoc filii Dei Patris [11], connexi ad invicem per indissolubile [q] vinculum caritatis, quod sicut distantia locorum non dividitur, sic nec diuturnitate temporum separatur; ac per hoc omnes justi [12], ubicumque sint [r], et quandocumque fuerint [s], unum efficiunt corpus Christi mysticum, sensum et motum suscipiendo ab [t] uno capite influente secundum fontalem, radicalem et originalem plenitudinem omnis gratiae in Christo [u] habitantis, sicut in fonte.

p) Ipso ABC FGH et ed. Ven. et 1484; Christo ed. Rom.

q) Indivisibile ABCEF GH et editt. Arg. Aug. Nor.

r) Sunt ed. 1484.

s) Sunt ibid.

t) De ibid.

u) In isto A BCDEFH et editt. Arg. Aug. Nor.; in ipso ed. Ven. et 1484.

Ad Caput V.

[1] „Christo considerato in se, quantum est singulare, sive individuum, competit gratia ipsum sanctificans et confirmans, quam vocamus gratiam singularis personae. In comparatione ad Verbum unitum, competit ei gratia unionis ... In comparatione vero ad corpus mysticum, competit ei gratia capitis.“ *Centil. p. 3. sect. 28.*

[2] „Anima Christi non potuit depravari aliqua culpa. Et ratio hujus est triplex, scilicet plenitudo gratiae, con-

summatio gloriae, et unio divinae naturae et humanae." *3. dist. 12. a. 2. q. 1.*

[3] „In Christo est ponere donum gratiae, quae quidem gratia dicitur gratia singularis personae: et haec quidem donum est creatum. Et ratio hujus est, quia tale donum gratiae animam Deo assimilat, et ad bonas operationes et meritorias exercendas habilitat. Quoniam ergo anima Christi fuit deiformis, et ad bene operandum habilis, alioquin non fuisset idonea ad unionem, nec ad meriti perfectionem; ideo necesse fuit in Christi anima reperiri donum talis gratiae. Et ex eadem causa necesse fuit ipsum esse creatum, ut animam posset informare, tanquam perfectissimum suum perfectibile, quod informare habet, et ut potentias posset habilitare, sicut qualitas suum subjectum habet qualificare." *3. dist. 13. a. 1. q. 1.* — „Gratia, quae fuit in Christo, in seipsa considerata, absolute fuit finita: quod si in comparatione ad gratias aliorum consideratur, propter conjunctionem cum Verbo potest dici infinita." *Ibid. q. 2.* — „Si loquamur quantum ad gratiam singularis personae, sic concedendum quod Deus potuit plus dare, sed rationalis creatura non potuit amplius recipere, non quia capacitas animae ad gratiam per collationem gratiae minuatur, quia nec minuitur, nec augetur, sed consummatur et completur; et ideo non est possibilis ad amplius." *1. dist. 44. dub. 3.*

[4] „Gratia unionis dicitur tripliciter. Uno namque modo dicitur gratia unionis gratia faciens unionem; et sic nominat divinam essentiam, quae sola est illius unionis causa. Alio modo gratia unionis dicitur gratia disponens ad unionem de congruo; et sic nominat qualitatem creatam, scilicet habitum animae. Tertio modo dicitur gratia unionis, id est, ipsa unio gratis facta; et sic nominat ipsam relationem." *3. dist. 13. a. 2. q. 2.* — „Et quocumque horum modorum dicatur gratia unionis, verum est, quod tenet rationem gratuiti; verum est etiam, quod aliquo modo habet proprietatem rei naturalis. Et hoc insinuat ipsa littera Augustini *(Ench. c. 40)*, cum dicit, quod quodam modo fieret illi homini gratia naturalis: non dicit, simpliciter fieri, sed quodam modo. Si enim dicatur gratia unionis, id est, gratia disponens ad unionem, quodam modo est naturalis, quodam modo non. Nam proprietas naturalis comparatur ad aliquid sicut ad subjectum et sicut ad causam. Secundum comparationem, quam habet ad subjectum, naturaliter dicitur inesse, quod inest a primordio ipsius rei et inseparabiliter, et ab ea non recedit. Secundum comparationem, quam habet ad causam, dicitur naturaliter inesse proprietas, quae causatur a principiis subjecti, et per quam ipsum subjectum efficit operationem naturalem. Primo modo dicitur gratia Christi fuisse naturalis, per quam ad unionem disponebatur, quia gratiam habuit a primordio suae nativitatis, et gratiam perdere non potuit. Secundo vero modo non fuit naturalis, sed potius ordinabatur ad operationem supra naturam: non habebat etiam ortum a principiis naturae, sed potius a divina voluntate. Et propterea, secundum istum modum accipiendi, verum dicitur, quod gratia quodam modo fuit Christo naturalis, quodam modo non ... Similiter si gratia unionis dicatur ipsa unio gratis facta, quodam modo fuit naturalis, quodam modo non. Naturalis, inquam, fuit propter inseparabilitatem, quia natura humana sic fuit unita divinae a sua prima formatione, quod ab ipsa separari non potuit. Quodam modo non fuit naturalis, sed gratuita, in hoc scilicet quod terminos naturae excedit, et ex mera Dei voluntate processit. Similiter si tertio modo dicatur gratia ipsa virtus gratis faciens unionem, sicut ipse Spiritus sanctus, sic quodam modo fuit illi homini naturalis, quodam modo non. Naturalis fuit per communicationem idiomatum ratione personae Verbi, cui Spiritus sanctus connaturalis est, non enim habuit Filius Spiritum sanctum per influentiam, sed potius quia habet in se a Patre vim spirativam. Et propterea dicitur in Joanne *(3, 34)*, quod non est ei datus spiritus ad mensuram. Per comparationem autem ad naturam assumptam gratia illa non erat illi homini connaturalis, quia Spiritus sanctus non erat in eo per principia naturae creatae, sed per gratiam inhabitantem. Et sic patet, quod omni modo intelligendi gratia illa quodam modo fuit illi homini connaturalis, quodam modo non." *3. dist. 4. a. 2. q. 3.*

[5] „Latria, ut respicit Deum non modo sub ratione finis et objecti, sed sub ratione honorabilis, est virtus specialis." — „Est virtus cardinalis ad justitiam pertinens, cum non modo interiorem, sed exteriorem Dei cultum dicat, cujus proprium genus est religio." — „Latria et dulia virtutes distinctae sunt ... Et ratio hujus est, quia latria et dulia considerant exteriores cultus, qui formalem habent differentiam, secundum quod creaturae et Creatori exhibentur. Alius enim est modus adorandi Creatorem, et alius adorandi creaturam, et alia ratio motiva; et ideo alia virtus directiva in hac et in illa." *3. dist. 9. a. 2. qq. 2—4.* — „Tres personae unica et simplici adoratione sunt adorandae. Et ratio hujus est, quia illud secundum quod competit adorari summa majestas, est unicum, nullo modo multiplicatum; et ita sicut unica dilectione diliguntur, quia in eis est una summa bonitas, sic unica adoratione adorantur. Ad illud quod objicitur, quod illae personae distinguuntur, dicendum quod, etsi distinguantur ratione emanationis et originis, non tamen ratione adorationis; ideo non sequitur, quod respectu harum habeant diversas adorationes, sed quod habeant diversas relationes: et hoc quidem dictat fides sana, quam consequitur adoratio. Et per hoc patet sequens objectio, quod scilicet adoratio sequitur fidem, non in quantum distinguit tres personas per relationum pluralitatem, sed in quantum unit per majestatis unitatem." *Ibid. dub. 2.* — „Non magis adorandus est Christus, quam Pater et Spiritus sanctus, nec Verbum incarnatum plus debet adorari post incarnationem quam ante. Et hujus ratio est, quia adoratio respicit majestatem et dignitatem. Et quoniam Verbo nulla accrevit dignitas ex humanae naturae assumptione; ideo non debet adorari majori adoratione ... Ad illud quod opponitur, quod tenemur ad majorem gratiarum actionem, dicendum quod non est simile, quia gratiarum actio non tantum respicit excellentiam dantis, sed etiam excellentiam muneris: non sic autem est de adoratione." *Ibid. dub. 3.*

[6] „Quia est una persona in Christo, cui debetur reverentia summa, una adoratione adoranda est, scilicet latria, quantum ad utramque naturam, scilicet deitatem et humanitatem, sicut eadem adoratione adoratur in uno homine caput et pes. Concedendum est ergo, quod non solum Christus homo adorandus est latria, sed etiam humanitas

ejus, in quantum est Verbo unita, quamvis per se considerata nunquam ei debeatur nisi dulia. Et quoniam caro Christi nunquam est separata a Verbo, ideo semper consideranda est ut conjuncta, et semper adoranda est latria, licet humanitati, ut per se consideratae, non debeatur nisi dulia." *3. dist. 9. a. 1. q. 1.* — „Quoniam imago Christi introducta est ad repraesentandum eum, qui pro nobis crucifixus est, nec offert se nobis pro se, sed pro illo; ideo omnis reverentia, quae ei offertur, exhibetur Christo. Et propterea imagini Christi debet cultus latriae exhiberi. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(lib. de Doctrina Christiana c. 9):* Qui veneratur tale signum divinitus institutum, ejus vim significationemque intelligit: non hoc veneratur, quod videtur, et transit, sed illud potius, ad quod talia cuncta sunt referenda." *Ibid. q. 2.* — Duplici modo exhibetur alicui honor. Aliquando in obsequium reverentiae, et iste est honor venerationis. Aliquando in testimonium virtutis, et famulatum complacentiae, et iste est honor adorationis. Uterque autem honor istorum offertur ipsi cruci. Nam crucem adoramus, et crucem veneramur; sed in hoc est differentia, quia honor venerationis exhibetur ipsi cruci tanquam instrumento nostrae salutis. Unde sicut exhibemus reverentiam sacramentis, quia est in eis aliquo modo nostrae salutis causalitas; sic cruci Christi et clavis ejus aliqua reverentia est exhibenda, et respectu istius honoris habet crux in se aliquid, propter quod habet honorari. Honor autem adorationis offertur ipsi cruci Christi ratione Crucifixi. Nemo enim intendit ei placere, vel aliquid impetrare ab ea, sed ei, qui in ea affixus fuit; et sic debetur ei adoratio latriae. Sic enim cruci duplex honor debetur, et unus quidem est latria, alius vero non debet dici nec latria, nec dulia, quia non est species adorationis, sed vocari potest honor venerationis." *Ibid. q. 4.* — „Quoniam latria debetur Creatori, ratione suae majestatis et excellentiae; hinc est, quod membris Christi non competit cultus latriae." *Ibid. q. 5.* — „Beatissima Virgo Maria pura creatura est; et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest; ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, quod Virgo existens, Dei mater est; quod quidem ita tantae dignitatis est, quod non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari.*) ... Ad illud quod objicitur, quod honor matris refertur ad filium, dicendum quod honorem referri ad aliquem est dupliciter, aut sicut ad subjectum, aut sicut ad finem. Honor, qui exhibetur matri, refertur ad filium sicut ad finem; honor vero, quo adoramus imaginem Christi, refertur ad ipsum sicut ad subjectum. Unde qui adorat Christi imaginem, Christum adorat, non imaginem; qui autem adorat Christi Matrem, etiam adorat Christum et Matrem suam." *Ibid. q. 3. concl. et ad 1.* — „Imaginum introductio in Ecclesia non fuit absque rationabili causa. Introductae enim fuerunt propter triplicem causam, videlicet propter simplicium ruditatem, propter affectuum tarditatem et propter memoriae labilitatem. Propter simplicium ruditatem inventae sunt, ut simplices, qui non possunt legere, in hujusmodi sculpturis et picturis tamquam in scripturis apertius possint sacramenta nostrae fidei legere. Propter affectus tarditatem similiter introductae sunt, videlicet ut homines, qui non excitantur ad devotionem in his, quae pro nobis Christus gessit, dum illa aure percipiunt, saltem excitentur, dum eadem in sculpturis et picturis tamquam praesentia oculis corporeis cernunt, plus enim excitatur affectus noster per ea, quae videt, quam per ea, quae audit. Unde Horatius *(de arte poëtica):*

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus; et quae
> Ipse sibi tradit spectator.

Propter memoriae labilitatem, quia ea quae audiuntur solum, facilius traduntur oblivioni, quam ea, quae videntur, frequenter enim verificatur in multis illud, quod consuevit dici: Verbum intrat per unam aurem, et exit per aliam. Praeterea non semper est praesto, qui beneficia nobis praestita ad memoriam reducat per verba. Ideo dispensatione Dei factum est, ut imagines fierent, praecipue in ecclesiis, ut videntes eas recordemur de beneficiis nobis impensis et Sanctorum operibus virtuosis ... Ad illud quod objicitur, quod creatura vivens est nobilior non vivente, dicendum quod verum est de nobilitate reali, sed non oportet, quod hoc sit verum de nobilitate significationis, quia res parvi valoris rem nobilem significare potest. Cum ergo adoratur imago, non adoratur ratione nobilitatis, quam habet in se, sed ratione nobilitatis significatae per se." *3. dist. 9. a. 1. q. 2. concl. et ad 3.*

[7] „In Christo secundum humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit gratia perfecta et ordinata, et consummata plenitudo. Non enim decebat Verbum increatum uniri animae perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personae, quin anima esset deiformis, secundum quod erat possibile. Et ideo non tantum deiformitatem habuit gratiae et gloriae, sed etiam super omnem gratiam et gloriam. Nec tantum fuit in eo plenitudo sufficientiae, sicut in Sanctis, de qua plenitudine dicitur: *Stephanus plenus gratia et fortitudine (Act. 6, 8).* Nec tantum plenitudo praerogativae, sicut in Virgine Maria, de qua plenitudine dicitur: *Ave gratia plena (Luc. 1, 28).* Nec tantum plenitudo numerositatis et copiae, sicut in tota Ecclesia, de qua plenitudine: *Ascendit super caelos, ut adimpleret omnia etc. (Eph. 4, 10).* Sed etiam plenitudo superabundantiae, de qua: *Vidimus gloriam ejus etc. (Jo. 1, 14).* Plenum, inquam, plenitudine superabundantiae, propter quod subdit ad hoc probandum: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus (Ibid.) 3. dist. 13. a. 1. q. 3.*

*) Quum S. R. U. Inquisitio Decreto 13 januarii an. 1875 duo prohibuisset opuscula, in quibus de sacratissimo sanguine B. Mariae Virg. disserebatur, Pius IX eadem die „mandavit per hujusmodi promulgationem monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia acuunt super iis aliisque id genus argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et causam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati."

[8] „Ista triplex gratia non est triplex ratione diversitatis habituum, sed ratione diversae comparationis ejusdem habitus. Nam ille habitus dicitur gratia singularis personae, in quantum disponit ad Dei assimilationem, et in quantum facit animam deiformem; et per hoc consequenter disponit ad unionem personalem, et dicitur gratia unionis, et consequenter per hoc ipsum disponit ad redundantiam, sive influentiam motus et sensus in cetera membra Christi; et sic dicitur gratia capitis.“ *3. dist. 13. a. 2. q. 2.*

[9] „Scriptura quandoque dicit Christum caput, quia ab eo derivatur omnis sensus devotionis, et omnis motus sanctae operationis, et fluunt ab eo omnia charismata gratiarum. Influit autem Christus meritorie, secundum quod unitum est membris per conformitatem naturae. Influit etiam Christus effective, secundum quod Deus, caput enim Christi Deus *(1. Cor. 11, 3)*. Similiter Christus caput, secundum quod Deus et homo. Diffundit ergo Spiritum in membra Ecclesiae sibi unita, non separata. Unde sicut in corpore physico non est diffusio a capite in membra, nisi sint unita, sic in corpore mystico.“ *Serm. 1. in Hexaëm.* — „Gratia capitis, quae fuit in Christo, ratione conformitatis naturae, et influxus per modum praeparantis, aut merentis, quid increatum dicit. Increatum vero ratione principii et influxus per modum impartientis, seu efficientis.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod caput in spiritualibus transsumptive dicitur a capite in corporalibus; omnes autem transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt: et ideo caput in spiritualibus dicitur secundum concomitantiam ad aliquam proprietatem capitis materialis. In capite autem materiali haec tria reperiuntur, scilicet quod est membris conforme, est membrorum principium, est etiam influxivum sensus et motus. Et propterea in capite reperiuntur omnes sensus perfectiori modo, quam in aliis membris. Omnes autem has proprietates est in Christo reperire respectu bonorum. Et ideo valde rationabiliter sancta Scriptura dicit Christum esse caput Ecclesiae. Sed prima proprietas, scilicet conformitas, competit ei ratione humanae naturae. Unde Augustinus super Joannem *(tract. 80 in princ.)*: Unius naturae sunt vitis et palmites. Propter quod, cum Deus esset, cujus naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus; omnino enim idem est de capite, quod de vite intelligendum. Secunda autem proprietas, scilicet principiandi, competit ratione divinae naturae, secundum quod est omnium principium. Unde *ipse caput corporis Ecclesiae, qui est principium etc. (Col. 1, 18)*. Glossa: Qui est principium secundum divinitatem, id est, fundator Ecclesiae, quia omnes justi, qui ab Abel usque ad ultimum justum generantur, virtute divinitatis illuminantur. Tertia vero proprietas, scilicet influendi motum et sensum, competit ei ratione divinitatis et humanitatis. Dupliciter enim convenit sensum et motum gratiae influere, aut per modum praeparantis, aut per modum impartientis. Si per modum praeparantis; sic est ipsius Christi ratione humanae naturae, in qua passus est propter nos, et patiendo satisfecit, et removit inimicitias, et disposuit ad suscipiendam gratiam perfectam. Si per modum impartientis et conferentis; sic est ipsius Christi ratione divinae naturae, quia solus Deus est, qui illuminat pias mentes, solus est, qui baptizat interius, pro eo quod mens nostra immediate ab ipsa veritate formatur, sicut saepe dicit Augustinus: et ita influere per modum praeparantis est Christi hominis, per modum impartientis est Christi Dei. Vel per alia verba, et in idem redit, influere per modum merentis, Christi hominis; per modum efficientis, Christi Dei. Vel influere quantum ad remissionem poenae, Christi hominis; quantum ad remissionem culpae, Christi Dei: et sic influentia uno modo respicit Christum secundum humanam naturam creatam, alio modo secundum naturam divinam increatam. Si ergo gratia capitis dicitur illa gratia, secundum quam Christus habet influere motum et sensum in membra, restat hoc esse ponendum, quod gratia capitis uno modo nominat gratiam increatam, alio etiam modo nominat non tantum increatam, sed etiam creatam.“ *3. dist. 13. a. 2. q. 1.*

[10] „Sensus in spiritualibus attenditur quantum ad cognitionem, motus vero quantum ad affectionem et dilectionem, quae est pondus inclinans unumquemque spiritum, et trahens ad locum sibi debitum. Influere ergo motum et sensum est causare in nobis fidem et dilectionem, sive fidem operantem per dilectionem, sive cognitionem et amorem.“ *3. dist. 13. a. 2. q. 3.*

[11] „Cum quaeritur, utrum simus filii adoptionis per Christum, hoc potest intelligi dupliciter, quia praepositio illa *per* potest importare causam effectivam, vel meritoriam, sive dispositivam. Et si importat causam meritoriam vel dispositivam, absque dubio verum est, quod sumus filii adoptionis per Christum. Ipse enim nobis meruit gratiam, per quam sumus filii adoptivi, in quantum est caput Ecclesiae. Et hoc non solum respicit divinam naturam, sed etiam naturam assumptam. Si vero importat causam effectivam, sic adhuc verum est. Pater enim nos adoptavit per Filium et Spiritum sanctum. Et si per appropriationem loquamur, per Filium nos adoptavit quoad inchoationem, per Spiritum sanctum quoad consummationem. Ad nostram enim adoptionem duo concurrunt, scilicet redemptio, quae facta est per Filii missionem, et gratificatio, quae facta est per missionem Spiritus sancti. Et hoc est quod dicitur *(Aug. de anima et spir. c. 6)*: A Patre per Filium et Spiritum sanctum ad nos divina descendunt. Pater siquidem tradidit Filium, quo redimeret nos; misit Spiritum sanctum, qui servos adoptaret in filios: Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in privilegium adoptionis. Et sic patet, quod per omnem modum ... verum est, quod sumus filii adoptivi per Christum.“ *3. dist. 10. a. 2. q. 2.*

[12] „Gratia Christi influit in omnes, tam in angelos, quam in homines, et qui praecesserunt ipsum, et qui secuti sunt, licet secundum magis et minus.“ — „Sensus in spiritualibus attenditur quantum ad cognitionem, motus vero quantum ad affectionem et dilectionem, quae est pondus inclinans unumquemque spiritum, et trahens ad locum sibi debitum. Influere ergo motum et sensum est causare in nobis fidem, et dilectionem, sive fidem operantem per dilectionem, sive cognitionem et amorem. Attendendum autem, quod cognitio et dilectio est in triplici differentia. Quaedam, quae respicit statum meriti; et haec dicitur gratuita. Quaedam vero, in qua consistit substantia praemii; et haec dicitur gloriosa. Quaedam,

quae est utrique annexa, quae nec est de essentia meriti, nec praemii, sed de bene esse. Secundum hanc triplicem differentiam cognitionis et dilectionis est dicere, quod gratia capitis influat in membra gratiâ increatâ effective, sed gratiâ creatâ meritorie et dispositive. Nam propter meritum passionis Christi promissum patribus praecedentibus dedit Deus gratiam reconciliationis; et propter exhibitum dat nobis gratiam reconciliationis abundantius, in qua quidem gratia est sensus cognitionis et motus affectionis; et rursus, propter illam passionem aperta est janua, ut omnibus membris Christi detur dilectio et cognitio gloriosa, in quibus consistit perfectio motus et sensus. Ex hoc eodem angelis mysteria multa revelantur, et gaudia multa referuntur de restauratione sua, quae invenitur facta per Christum. Et ideo etiam ipsi accipiunt motum et sensum; non, inquam, illum, qui est de essentia gratiae et gloriae, sed qui est de bene esse et perfectione. Concedendum est ergo, quod gratia capitis redundat in omnes cives supernae Jerusalem, licet secundum plus et minus; nam magis in homines qui redimuntur, quam in angelos qui reintegrantur; magisque in eos, qui sequuntur ejus adventum, quam in eos qui praecesserunt, quia clarius vident et credunt, et charismatum donis amplius perfunduntur. Propter hoc si passio promissa tantum illis valuit, ut illos per viam salutis perduceret, amplius passio exhibita et soluta hoc debuit facere.“ *3. dist. 13. a. 2. q. 3.*

CAPUT VI.

De plenitudine sapientiae Christi in intellectu.

(Christus cognovit res in arte aeterna, — in mente sua, — et in proprio genere.)

De plenitudine vero sapientiae Christi in intellectu, hoc tenendum est, quod in Verbo incarnato, Christo scilicet Domino nostro, fuit omnis sapientiae plenitudo, non solum quantum ad cognita, verum etiam quoad cognoscendi modos et differentias. In Christo [a] namque fuit cognitio sempiternalis [b] ex parte deitatis, cognitio sensibilis [c] ex parte sensualitatis et carnis, cognitio scientialis ex parte mentis et spiritus. Et haec fuit triplex, quaedam scilicet per naturam, quaedam per gratiam et quaedam per gloriam. Unde sapientiam habuit, et ut Deus et ut homo; et ut comprehensor et ut viator; et ut illuminatus [d] per gratiam, et ut recte formatus per naturam: et ita in universo fuerunt [e] in Christo quinque modi cognoscendi. Primus est secundum divinam naturam; et hoc modo cognovit omnia actualia et potentialia, finita et infinita, cognitione actuali et comprehensiva. Secundus est [f] per gloriam; et hoc modo cognovit omnia actualia et finita, cognitione actuali et comprehensiva, infinita vero cognitione habituali vel excessiva. Tertius est [g] per gratiam; et hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem. Quartus est secundum naturam integram, cujusmodi fuit in Adam; et hoc modo cognovit omnia, quae spectant ad universi constitutionem. Quintus est secundum sensibilem experientiam; et hoc modo cognovit omnia [h], quae veniunt ad organa sensuum, secundum quem modum dicitur, quod *didicit ex his, quae passus est, obedientiam (Hebr. 5, 8).*

a) In ipso ed. 1484.
b) Spiritualis ibid.
c) Sensualis ibid.
d) Illuminans ed. Nor. Illuminator ed. Aug.
e) Sunt ed. 1484.
f) Est om. ibid.
g) Ita ibid.
h) Ea ABCE FGH et ed. Arg. Aug. Nor.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia, sicut reparativi principii est nos reparare per liberalissimam gratiam, sic etiam per providentissimam sapientiam. Quod enim secundum ordinem sapientiae conditum fuerat [i], non potest absque luce et ordine sapientiae reparari; et ideo, sicut Christus debuit esse immunis ab omni culpa, sic elongatus debuit esse ab omni ignorantia, ac per hoc totaliter repletus supernae sapientiae luce et circumfulgentia. Quapropter cognitionem perfectam habuit secundum utramque naturam, et potentiam cognoscitivam, et [j] secundum omnem [k] rerum existentiam [l]. Quia ergo res habent esse in aeterna arte, et [l] in humana mente, et in

i) Fuit ABC DEFGH et ed. Ven. et 1484.
j) Et om. ed. 1484.
k) Ita ABC D FGH, in cet. edit. Omnium.
l) Et hic et inferius om. ed. 1484.

proprio genere; necesse fuit Christum habere hanc triformem rerum cognitionem. Quia vero res dupliciter potest cognosci in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio contemplante artem; similiter habet dupliciter [m] cognosci in mente, etiam praeter acquisitionem, quae Christo non competit propter imperfectionem, scilicet vel secundum habitum innatum, vel secundum habitum infusum; hinc est, quod necessarium fuit, ad perfectam sapientiae plenitudinem, quinque modos praedictos reperiri in Christo Deo et homine, ut in arte aeterna cognosceret res et per naturam deitatis et per gloriam comprehensionis; in mente autem sua per habitum naturalem et innatum, sicut cognoverunt Adam [n] et angeli; et per habitum gratuitum et infusum, sicut sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati; in proprio vero genere cognosceret via sensus, et [o] memoriae et experientiae, quae in nobis facit rem incognitam cognosci, in Christo vero rem cognitam [p] secundum unum modum cognosci fecit secundum alium modum. Quoniam autem divina substantia, virtus et operatio est immensa; hinc est, quod secundum primum modum, qui est per naturam deitatis, infinita actualiter comprehendit [2], quodam enim ineffabili [q] modo summe infinito omnis infinitas est finita. Quia vero creaturae quantumcumque sublimatae finita est substantia, virtus et operatio, ita tamen quod mens humana non quiescit, nisi in bono infinito, nec tamen illud proprie [r] comprehendit, quia infinitum non comprehenditur a finito, accepta comprehensione proprie; hinc est, quod quantum ad secundum modum cognoscendi, anima Christi per gloriam comprehensionis [3] capit quantumcumque potest capere natura finita per bonum infinitum beatificata [4], cui est summe unita; ac per hoc ad finita se extendit actualiter comprehendendo [s], ad infinita vero habitualiter [5], vel etiam excedendo [t] [6], non enim potest anima Christi aequari Verbo, nec in scientia, nec in aliquo alio [7].

m) Et similiter habet esse dupliciter, et ibid.

n) Et Eva post Adam om. ABCDE FGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven.; cognovit Adam et Angeli ed. 1484.

o) Et om. 1484.

p) Notum ibid.

q) Infallibili ibid.

r) Proprie ibid.

s) Apprehendendo ibid.

t) Extendendo ibid.

Rursus, quia gratia maxime respicit opus reparationis; hinc est, quod secundum tertium modum cognoscendi per gratiam perfectissimam, cognovit Christus omnia, quae spectant ad reparationem nostram longe excellentius et melius, quam aliquis Prophetarum vel etiam angelorum. Amplius [u], quia natura hominis bene instituta nata erat omnibus creaturis praeesse, et ipsas nosse tanquam eas, quae debebant sibi servire, sicut patuit in primi hominis conditione; hinc est, quod quantum ad quartum modum cognoscendi, cognovit Christus omnia, quae spectant ad mundanam machinam construendam, longe excellentius quam Adam.

u) Amplius om. ibid.

Postremo, quia sensus non est perceptivus rerum, nisi ad objecti praesentiam; hinc est, quod secundum cognitionem sensitivam non simul cognoscebat omnia, sed modo haec, modo illa, juxta quod opportunum erat ad reparationem humani generis faciendam [8].

Ad Caput VI.

[1] *3. dist. 14. a. 3. q. 1.*

[2] „Convenit aliquid cognosci cognitione habituali et cognitione actuali, sive cognitione, quae est sicut scientia, et cognitione, quae est sicut consideratio. Si ergo loquamur de cognitione quantum ad actum considerationis, sic dicendum est, quod anima Christi nunquam tot cognoscit, quot cognoscit ipsum Verbum. Per nullam enim gloriam potest adeo sublevari creatura, ut simul et in actu judicet de infinitis, cum hoc sit infinitae virtutis. Si vero loquamur de cognitione habituali, sic concedi potest, quod scit omnia, quae cognoscit ipsum Verbum sibi unitum. Et hoc patet sic; quia cum anima Christi cognoscat ipsum Verbum habitu glorioso ita perfecte, quod non potest ipsum perfectius cognoscere; et ipsum Verbum aeternum promptam habeat voluntatem ad aperiendum ipsi animae omnia, quae in ipso relucent; nec aliquid in ipso reluceat,

quod non sit natum cognosci ab anima Christi; anima Christi habet aliquid, quo facilis est ad cognoscendum omnia, quae Verbum cognoscit. Et hujus signum est, quia ad hoc quod cognoscat aliquid, quod Verbum cognoscit, quidquid illud sit, non oportet, quod detur ei novus habitus cognoscendi, sed omne quod vult, in eo potest legere.“ *3. dist. 14. a. 2. q. 3.*

[3] „Quoniam Verbum aeternum est sufficientissima ratio cognoscendi omnia alia a se, quod patet, quia seipso cognoscit omnia; ideo ad hoc quod aliquis cognoscat res in Verbo, non oportet in ipso esse geminam cognitionem ipsius Verbi, et ipsius rei cognitae. Geminam dico quantum ad habitum cognoscendi; propter hoc quod habens deiformitatem gloriae, per quam cognoscit ipsum Verbum, habet unde assimiletur ipsi Verbo, quod est perfecta ratio cognoscendi omnia alia; et ita cognoscendo Verbum habet habitum, quo possit cognoscere alia, ita quod habitus ille, prout dicitur esse Verbi, et aliorum a Verbo, non differt nisi sola comparatione. Per idem enim quod ipsum Verbum aeternum est lux et veritas in se, est exemplar aliarum rerum; et ideo qui habet, unde conformetur ipsi summae veritati, habet unde conformetur rationi cognoscendi omnia. Quoniam ergo Verbum aeternum per idem est ratio cognoscendi se et alia; ideo dico, quod anima Christi eodem habitu, quo cognoscit ipsum Verbum, cognoscit res in Verbo, existente solum differentia quantum ad comparationem, sive respectum.“ *3. dist. 14. a. 2. q. 1.*

[4] „Anima Christi, sicut et animae aliorum Sanctorum, Verbum increatum cognoscit per sapientiam creatam, quae disponit ipsarum animarum potentias cognitivas, et conformes reddit, ut illud lumen aeternum cognoscant. Nec aliter potest intelligi. Quo modo enim potest anima lumen aeternum cognoscere, et claritatem summam intueri, quin ipsa efficiatur clara et luminosa? Anima autem Christi, quia est a Verbo assumpta, majorem habet deiformitatem, ac per hoc perfectiorem et eminentiorem cognitionem, quam aliqua anima beata per gloriam. Unde non est intelligendum, quod scientia unionis distinguatur a scientia comprehensionis, quasi non sit per aliquem habitum medium, sed quia excellentior et amplior deiformitas et claritas collata est animae Christi, ex hoc quod Verbo unita est, quam ex hoc quod simpliciter est beata.“ *3. dist. 14. a. 1. q. 1.*

[5] „Notandum quod anima Christi beata habet cognitionem aliquorum, quae sunt essentialia gloriae, et aliquorum, quae non sunt de essentia gloriae. Si ergo loquamur de cognitione eorum, quae sunt essentialia gloriae, dico quod anima Christi omnia, quae cognoscit in habitu, cognoscit in actu, quia gloria est habitus in actu. Unde sicut non potest anima ejus non esse gloriosa, sic impossibile est actualem considerationem eorum, quae sunt de essentia gloriae, in ipso interrumpi. Si autem loquamur de cognitione eorum, quae non sunt essentialia gloriae, sic non est necesse, quod omnia, quae cognoscit in habitu, cognoscat in actu. Et hujus signum est, quod Deus beatis existentibus in gloria, hoc est sanctis angelis, aliquid de novo revelat, et ostendit in se, quod prius tamen non ostendebat. Et ideo statui gloriae non repugnat considerare aliquid nunc, quod prius non considerabatur. Nec repugnat etiam perfectioni creaturae, quoniam creaturam perfici est ejus capacitatem impleri. Creatura autem plurium est capax secundum cognitionem habitualem, quam secundum considerationem actualem. Et ideo non solum in angelis, verum etiam in anima Christi hoc verum est, quod plura cognoscit in habitu, quam consideret in actu.“ *3. dist. 14. a. 2. q. 2.*

[6] „Anima Christi beatissima, et aliae beatae animae vident ipsum luminis fontem, in quo reficiuntur, quiescunt, delectantur, et quodam modo a claritate illius luminis absorbentur, ut Deus ab eis undique conspiciatur, et videatur etiam in ipsis, et hoc potissime verum est in anima Christi ... Ad intelligentiam autem auctoritatum adductarum in contrarium et consimilium, notandum est, quod quinque modis habent exponi auctoritates Sanctorum, quae videntur dicere Deum in sua substantia non posse videri. Primo modo sic. Non potest videri, scilicet viribus nostris; potest tamen munere Dei. Unde super illud: *Lucem habitat inaccessibilem (1. Tim. 6, 16)*, Glossa: Inaccessibilis est viribus nostris, accessibilis muneribus suis. Secundo sic. Non potest videri substantia, scilicet in via. Unde super illud: *Quem nullus hominum videre potest (ibid.)*, Glossa: Poterit autem aliquando. Et sic illud Exodi *(33, 20): Non videbit me homo, et vivet.* Tertio modo sic. Non potest substantia videri, id est, plene comprehendi. Unde super illud Job *(11, 7): Forsitan vestigia Dei comprehendes?* Glossa: Ejus essentia a nullo plene videbitur, scilicet circumscribendo. Quarto modo sic. Non potest videri substantia, id est, ratio substantiae. Unde super illud: *Quod notum est Dei (Rom. 1, 19)*, Glossa: Ratio substantiae ejus latet omnem creaturam; et hoc modo potest dici Trinitas sibi soli nota esse. Quinto modo sic. Nemo Dei substantiam novit, vel aliquid tale, quia non facit nosse. *(Matth. 24, 36): De die autem illa et hora nemo novit, neque angelus etc.;* sicut fovea caeca dicitur, quia non manifestat, quod habet in se. Et sic dicit Chrysostomus, quod angeli non vident, quid sit Deus.“ *3. dist. 14. a. 1. q. 1.*

[7] „Nec anima Christi, nec aliqua creatura comprehendere potest immensitatem Verbi increati, sive ipsius Dei; et tamen ipsum totum cognoscit. Et possunt ista duo simul stare, imo necesse est ponere, quamvis difficile sit intellectui nostro capere. Si enim vere ponimus Deum simplicem, imo quia necessarium est sic credere et ponere; si cognoscitur, jam non secundum partem et partem, sed totus cognoscitur. Rursus, si Deum ponimus immensum, quia hoc credimus et fatemur, necesse est ponere, quod nunquam ab intellectu finito comprehenditur totaliter: et sic Deus a quacumque creatura ipsum cognoscente totus cognoscitur, sed tamen non totaliter. Si autem quaeratur, quo modo illud possit intelligi, dicendum quod difficillimum est intelligere, quia plus reperitur in creaturis de dissimilitudine, quam de similitudine ... Et ideo exemplum ponendum est in substantia spirituali, quae est imago Dei; quia ipsa tota est in una parte corporis, et tamen in illa non definitur, quia ratione suae simplicitatis sic est tota in illa, quod tota extra illam in parte altera. Sic et Deus in una creatura totus, et totus extra. Per hunc etiam modum oportet intelligere circa potentiam intellectivam; sed hoc melius intelligitur ratiocinatione quam exemplorum suppositione. Si quis enim videt, quod in Deo simplicitas non opponitur infinitati, videre potest, quo

modo Deus potest cognosci totus, et tamen non comprehendi." *3. dist. 14. a. 1. q. 2.*

[8] „Ille profectus scientiae experimentalis in Christo in duobus differebat a profectu cognitionis nostrae. In uno videlicet, quod Christus non proficiebat veniendo in notitiam rei prius incognitae; sed quod prius cognoscebat uno modo, scilicet per simplicem notitiam, cognoscebat alio modo, scilicet per experientiam. In alio etiam differebat; quia profectus noster est secundum existentiam, profectus vero Christi erat solum secundum apparentiam." *3. dist. 14. a. 3. q. 2.* — „Duplex est modus cognoscendi per experientiam; unus, qui est via in acquisitionem scientiae; alius vero, qui est via in exercitium scientiae, ut quod prius sciebatur theorice, postmodum sciatur practice. Et primus modus experientiae reperitur in scientiae inventione, secundus vero consistit in usu scientiae jam adeptae. Et in primo est motus ab incognito ad cognitum; in secundo vero est via, sive processus, a cognito uno modo, ut cognoscatur alio modo. Et primus modus respicit imperfectionem naturae lapsae, propter ignorantiam annexam. Secundus vero respicit statum innocentiae, in quo habitus scientiae praecessisset usum, et cognitio simplicis notitiae praecessisset cognitionem experientiae. Et iste modus fuit in Christo, et non alius, quia de statu naturae lapsae Christus non debuit assumere defectum ignorantiae." *Ibid. ad 3.*

CAPUT VII.

De plenitudine meriti Christi [a] in effectu.

a) Christi om. ed. 1484.

(In Christo fuit plenitudo meriti, quantum ad eum, qui merebatur; — quantum ad tempus, in quo merebatur; — quantum ad id, per quod merebatur; — quantum ad eum, cui merebatur; — quantum ad illud, quod merebatur nobis, et quod merebatur sibi; — et quantum ad modum, quo merebatur.)

De plenitudine autem meriti Christi hoc tenendum est, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio et plenitudo [1]. Primo quantum ad eum, qui merebatur; quia non tantum fuit [b] homo, verum etiam Deus. Secundo quantum ad tempus, in quo merebatur; quia ab instanti conceptionis suae [c] usque ad horam mortis suae [2]. Tertio quantum ad id [d], per quod merebatur; quia per perfectissimum habitum caritatis, et perfectissimum exercitium virtutis in orando, in agendo et [e] in patiendo [3]. Quarto quantum ad eum, cui merebatur; quia non tantum sibi (I), verum etiam [f] nobis, imo omnibus justis. Quinto quantum ad illud, quod merebatur nobis; quia non tantum gloriam, verum etiam gratiam et veniam, et non tantum gloriam spiritus, sed etiam stolam carnis, et apertionem januae caelestis. Sexto quantum ad id, quod merebatur sibi; quia licet non mereretur sibi [g] glorificationem mentis, quam jam [h] habebat, merebatur tamen glorificationem corporis [i], et accelerationem resurrectionis, et clarificationem sui nominis [4], et dignitatem judiciariae potestatis [5]. Septimo quantum ad modum, quo merebatur. Cum enim tripliciter dicatur aliquis mereri, vel de indebito faciendo debitum, vel de debito faciendo [j] magis debitum, vel de debito uno modo faciendo debitum alio modo; omnibus his modis meruit nobis, tertio tantum modo meruit sibi, faciente hoc plenitudine gratiae Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus, et in statu merendi; ita quod super [k] ejus meritum omnia merita nostra habent fundari [6].

b) Erat ABC DEFGH et editt. Nor. Arg. Ven. et 1484.
c) Suae bis om. ibid. et Aug.
d) Illud ed. 1484.
e) Et om. ibid.
f) Etiam et ibid.
g) Sibi om. ibid. et ABC DEFGH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven.
h) Jam om. ed. 1484.
i) Carnis ibid.
j) Faciendo om. ibid.
k) Supra ibid.

(I) Calvinus veterum quorumdam haeresim restaurans, asseruit Christum nihil sibi per passionem et mortem promeruisse. — „Sed contra, *Philipp. 2, 8—11:* Christus „humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris."

Quotquot praeterea in Christo divinitatem denegarunt, eo ipso veram meriti actionem per suam passionem et mortem infitiati sunt. Inter hos recensendi sunt Ariani et Nestoriani, recentiori autem aevo Sociniani et Rationalistae.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum [l] haec est: quia cum in principio reparativo, Christo scilicet Domino nostro, necessaria fuerit [m] plenitudo gratiae et sapientiae, quae sunt nobis origo recte et sancte vivendi; necesse est, quod in Christo fuerit plenitudo et perfectio omnis meriti, secundum omnem modum plenitudinis. Quia enim in Christo fuit plenitudo gratiae unionis, per quam erat Deus ab instanti conceptionis, habens gloriam comprehensionis et motum liberi arbitrii; hinc est, quod necessario fuit in Christo perfectio meriti, et quantum ad excellentissimam dignitatem [n] merentis, et quantum ad celerrimam opportunitatem temporis.

Rursus, quia fuit in eo plenitudo gratiae singularis personae, per quam habuit firmam [o] caritatem, et omnes virtutes perfectas [p], quantum ad habitus et exercitia; necesse fuit, quod in eo esset [q] plenitudo meriti, quantum ad id, per quod contingit mereri, cujusmodi est radix caritatis, et actus multiplicis virtutis [r]. Amplius, quia fuit in eo plenitudo gratiae capitis, per quam plenissimam habuit influentiam in membra sua; hinc est, quod plenitudinem habuit meriti, non tantum respectu sui, sed etiam respectu nostri, quibus sicut omnia spiritualia, quae habemus, influit ratione deitatis [s], sic meruit ratione assumptae humanitatis, sive sint bona status praesentis, sive aeternae felicitatis.

Postremo, quia tantorum charismatum plenitudo necessario ponebat in Christo summam et perfectam felicitatem, secundum sui partem superiorem, licet dispensative propter nos esset in statu viae; hinc est, quod perfectionem habuit meriti, quantum ad id, quod meruit sibi; quia non meruit gloriam et beatitudinem animae concreatam, quae naturaliter in ipso omne meritum anteibat [t] [7], sed solum illa, cum quibus status viae stare non poterat, sicut stolam carnis [u] [8] cum glorificatione suae excellentissimae dignitatis. Hinc est, quod perfectionem habuit meriti, quantum ad modum merendi. Quia enim in ipso ab instanti conceptionis fuit perfectissima plenitudo, statim omnia meruit [9], quae potuit mereri respectu sui; ac per hoc de debito uno modo facere potuit debitum alio modo; de indebito autem debitum, vel de debito magis debitum, facere non potuit sibi, quia nullo modo potuit in sanctitate proficere [10], cum a principio esset sanctissimus; fecit tamen hoc nobis, qui merito ipsius justificamur per gratiam, et [v] proficimus in justitia, et per aeternam gloriam coronamur [11]. Ac per hoc in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria poenae, sive meritoria vitae aeternae; quia nec ab offensa summi boni digni sumus absolvi, nec immensitatem aeterni praemii, quae Deus est, digni sumus lucrari, nisi per meritum hominis Dei [12], cui dicere possumus et debemus: *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine (Isai. 26, 12).* Ipse, inquam, est Dominus [x], cui Propheta dixit: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges (Psalm. 15, 8).*

l) Ita ibid. et ABCDEF GH et ed. Ven., horum ed. Rom.
m) Fuit ed. 1484.
n) Excellentiam et dignitatem ibid.
o) Firmissimam ibid. et ADEFGH et editt. Arg. Nor. Ven.
p) Perfecte ed. 1484.
q) Fuerit ibid.
r) Nobilitatis ibid.
s) Divinitatis ibid.
t) Antecedebat ibid.
u) Corporis ibid.
v) Et om. ibid.
x) Deus ibid.

Ad Caput VII.

[1] „Mereri dicitur tripliciter, uno modo simpliciter abusive, alio modo partim proprie et partim improprie, tertio modo simpliciter proprie. Simpliciter abusive dicitur mereri, qui facit aliquod de genere bonorum, tamen facit illud malo modo, id est, mala intentione, sicut ille, qui dat eleemosynam cum murmure; talia enim opera aliquando remunerantur a Deo ex immensa largitate, sicut innuitur de Nabuchodonosor. Ille vero meretur partim proprie, partim abusive, qui facit opus de genere bonorum, et bona intentione, verumtamen non ex caritate; sicut aliquis peccator facit opera de genere bonorum et propter Deum, in quibus de congruo se disponit ad gratiam. Ille vero meretur simpliciter proprie, qui facit bonum opus, et bona intentione, et ex caritate. Et primum quidem meritum

dicitur meritum interpretativum, secundum dicitur meritum congrui, tertium dicitur meritum condigni. Cum ergo quaeritur, an Christus meruerit, non quaeritur de primo et secundo modo, sed quaeritur de tertio.“ *3. dist. 18. a. 1. q. 2.*

[2] „Non profecit Christus secundum meritum quantum ad virtutem meriti, profecit tamen quantum ad numerum meritorum, plura enim habuit merita in passione, quam in conceptione.“ *Ibid.*

[3] „Christus non tantum meruit in actione, sed etiam in passione. Non enim passus fuit frustra, sed ex rationabili causa; nec passus fuit propter demeritum culpae, sed propter amorem veritatis et justitiae. Et propterea notandum, quod in passione est duo considerare, videlicet passionis causam, et passionis sustinentiam. Passionis causa est a violentia agentis, sed passionis sustinentia est a voluntate patientis. Quantum ad primum, passio non est meritoria, nec demeritoria, quia est ab extra. Quantum ad secundum, potest esse meritoria et demeritoria. Meritoria autem, si quis eam perferat ex voluntate bona, demeritoria autem, si quis eam sustineat impatienter, et ex voluntate iniqua. Quoniam ergo Christus passionem pertulit non tantum ex voluntate bona, imo etiam ex voluntate optima; hinc est, quod passio ejus fuit meritoria, non solum sicut passiones Sanctorum, sed inter omnia merita tenuit principatum.“ *3. dist. 18. a. 1. q. 3.*

[4] „Absque dubio Christus per passionem suam meruit sui nominis clarificationem. Clarificatio autem nominis ipsius Christi in hoc consistit, quod communiter homines noverint illum, qui in humana natura apparebat, esse Filium Dei et Redemptorem mundi. Ad illud vero, quod objicitur, quod illud jam notum erat, dicendum quod est notitia certa, et est notitia per quandam conjecturam; et Christus ante passionem cognitus fuit habere nomen, quod est super omne nomen, notitia conjecturali; sed notitia certitudinali non est cognitus nisi post passionem . . . Vel aliter. Est notitia universalis, et est notitia particularis. Quamvis autem Christus esset notus aliquibus, quod esset vere Christus; tamen non fuit universaliter cognitus usque post passionem. Vel aliter. Est notitia nominis duplex, quantum ad vocem, et quantum ad imponendi rationem. Quantum ad vocem, cum cognoscitur quod aliquis sic vocetur; et sic multi cognoverunt Christum vocari Jesum ante passionem; sed ratione quare sic vocaretur, videlicet quia venerat salvare populum a peccatis eorum, non cognoverunt usque post passionem. Et sic clarificatio nominis Christi est manifestatio cognitionis habitae de Christo, qua cognoscitur esse Dei Filius, et Christus et Jesus. Et quodlibet istorum est nomen, quod est super omne nomen, nam Filius Dei nominat personam in una natura, Christus autem et Jesus nominant personam in duabus naturis; sed Christus nominat personam in humana natura relatam ad divinam, quia Christus dicitur unctus; Jesus autem nominat personam in divina natura relatam ad humanam, quia Jesus dicitur Salvator esse; et ideo in nomine Jesu Christi debet omne genu curvari, sicut in nomine Filii Dei *(Philipp. 2, 10—11)*. Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam, quia nomen Filii Dei tripliciter dicitur clarificari secundum ejus triplex nomen, sive quantum ad certificationem, sive quantum ad diffusionem, sive quantum ad rationis nominandi expressionem; ita quod certificatio respicit notitiam nominis Filii Dei, diffusio notitiam nominis Christi, expressio rationis nominandi notitiam nominis Jesu. Patet etiam responsio ad objecta, quia Christus secundum haec tria nomina fuit cognitus quodam modo, fuit etiam quodam modo ignoratus. Secundum eum modum, secundum quem ignoratus fuit, meruit nomen suum per passionem clarificandum esse.“ *3. dist. 18. dub. 2.*

[5] *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum (Jo. 12, 31—32). Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est (Ibid. 5, 27). Hic est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (Act. 10, 42).* Vide Seraph. *4. dist. 48. a. 1. per integrum;* et inferius *part. VII. cap. 1.*

[6] *3. dist. 18. a. 1. q. 2.*

[7] „Communiter non conceditur, quod Christus sibi meruit substantiale praemium . . . Ratio autem hujus est. Nam meritum dicit ordinationem ad praemium, sicut dispositio ad complementum, sicut via ad terminum; et ideo necesse est meritum praecedere praemium vel tempore, vel secundum ordinem naturae. Neutro autem modo debuit in Christo praecedere, nec praecessit, propter hoc quod anima Christi non esset ad unionem idonea, nisi esset beatissima et deiformissima, quod quidem fit per gloriae influentiam. Si ergo necesse fuit unionem illam antecedere omnia merita secundum ordinem naturae, necesse etiam fuit deiformitatem gloriae in Christo praecedere omnem usum gratiae; ideo gloria in Christo praecessit omnia merita propter summam dignitatem, quae fuit in anima Christi a sua creatione, videlicet propter unionem ipsius ad Verbum.“ *3. dist. 18. a. 2. q. 1.*

[8] „Christus Dei et hominum mediator simul debuit esse comprehensor et viator, comprehensor propter suam dignitatem, et viator propter nostram necessitatem; et ideo partim debuit esse in statu gloriae, partim in statu miseriae. In statu autem miseriae non debuit esse secundum superiorem partem, sed secundum inferiorem, id est, secundum carnem. Et ideo secundum divinam dispositionem necessarium fuit differri corporis Christi glorificationem, ut Christus esset in statu, in quo pro nobis posset mereri et satisfacere. Dum autem Christus nobis merebatur, et pro nobis satisfaciebat, faciebat opus Deo placentissimum, et ita remunerabile secundum aliquam partem gloriae. Cum ergo remunerari non posset quantum ad stolam primam, sed quantum ad stolam secundam, merebatur utique tunc Christus proprii corporis gloriam.“ *3. dist. 18. a. 2. q. 2.*

[9] „Christus meruit ab instanti suae conceptionis, quia omni bono et praemio dignus fuit propter plenitudinem gratiae, quam Deus animae suae infudit.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ad perfectionem meriti duo concurrunt, videlicet ipse habitus gratuitus, et ipsius habitus actus vel usus. Si ergo loquamur de merito quantum ad habitum, qui reddit habentem dignum praemio, sic absque dubio concedendum est, quod a principio suae conceptionis Christus meruit, quia omni bono et praemio dignus fuit propter plenitudinem gratiae, quam Deus animae suae contulit et infudit. Et ab hoc

non discordat aliquis doctor catholicus. Si autem fiat sermo de merito quantum ad virtutis actum, sive usum, in quo proprie attenditur completa ratio merendi, sic est duplex modus dicendi. Unus, quod Christus meruit statim post principium conceptionis, non autem in ipso primo instanti. Et ratio hujus est, quia operatio debet sequi esse substantiae; ideo necesse fuit animam Christi prius esse quam agere, praecipue eo actionis genere, quod spectat ad usum voluntatis deliberativae; talis autem est actus meritorius. Et ideo si dicatur alicubi Christum a primordio suae conceptionis meruisse, dicunt verum esse secundum quod dicit ordinem ad principium extra sumptum, non intra. Est et alius modus dicendi, quod Christus quantum ad virtutis usum et actum meruit in ipso conceptionis primordio; hoc enim datum est ei per gratiam perfectissimam, ut in primo instanti, in quo incepit esse, non tantum haberet habitum virtutum, sed etiam actum: unde simul coepit esse, et usum comprehensionis habere, et anima Christi in eodem instanti habuit creari, et infundi, et gratia informari, et exire in actum meriti, quae quidem consistit in motu bonae voluntatis. Uterque tamen istorum modorum satis est rationabilis, sed primus facilior est et communior, et secundum istam viam plana est ad objecta responsio. Nam quod dicitur Christus ab instanti conceptionis suae fuisse vir, et quod dicitur ab instanti suae conceptionis meruisse, hoc dicitur quantum ad habitum; et hoc innuit ipsum verbum Gregorii, cum dicit: Non sibi Christus plus meruit per crucis patibulum, quam ab ipsa conceptione per gratiam virtutum. Notabile est, quod dicit per virtutum gratiam, non per virtutum usum. Habuit enim gratiam a principio, ita quod in ipso principio; usum vero habuit a principio, ita quod post principium. Et si tu objicias de beatitudine et de luce; qui hoc tenent, generaliter respondent, quod in omni creatura esse praecedit operari, tam in corporali, quam in spirituali: tam in actu naturae, quam in actu gratiae; tam etiam in actu gratiae, quam in actu gloriae. Nec obstat illud, quod objicitur de merito animae. Anima enim habet originale peccatum in sua infusione per modum habitus, non autem quantum ad actum. Et sic secundum istam viam patet responsio ad omnia objecta. Si quis autem aliam viam teneret, videlicet quod Christus in primo instanti suae conceptionis habuit usum liberi arbitrii propter excellentissimum gratiae donum, et quantum ad actum viatoris, et quantum ad actum comprehensoris, satis faciliter poterit ad objecta in contrarium respondere." *3. dist. 18. a. 1. q. 1.*

[10] „Defectus aetatis in corpore faciebat ad humiliationem et verae naturae ostensionem, et sic ad fidei confirmationem: sed defectus gratiae in anima in nullo nobis prodesset, nec Deum deceret." *3. dist. 13. a. 1. q. 3 ad 5.*

[11] „Praedestinatio Christi non est causa exemplaris interior nostrae justificationis, licet sit causa exterior exemplaris directiva respectu nostri de credendis, expectandis et operandis." — „Est loqui de praedestinatione Christi et natura dupliciter, aut quantum ad principale significatum, aut quantum ad connotatum. Si loquamur quantum ad principale significatum, quod quidem est divina essentia, sic nulla praedestinatio exemplar habet ab alia, cum omnes unum sint, scilicet divina essentia. Si autem loquamur quantum ad connotatum, quod quidem est gratia et gloria, tunc distinguendum est, quod duplex est exemplar. Quoddam interius in mente artificis, sicut ratio, secundum quam artifex producit sua opera. Quoddam exterius, ad quod aspiciens ille, qui ignorat artem, aliquo modo regulatur ... Si ergo primo modo loquamur de praedestinatione Christi ratione connotati, adhuc praedestinatio Christi non est nostrae praedestinationis exemplar; Deus enim non praedestinavit nos aspiciens ad aliquod aliud a se, sed unumquodque praevidit in se, et disposuit secundum rationem propriam. Si vero loquamur de exemplari secundo modo, sic praedestinatio Christi est exemplar nostrae praedestinationis, exemplar, inquam, directivum, non respectu summi artificis, sed respectu nostri tam in credendis, quam in expectandis, quam etiam in operandis. Tunc enim est in nobis recte gratia Dei, quando Christo efficimur conformes: et talia etiam per gratiam futura sunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit, secundum quod dicunt Sancti. Et nos ipsi, si volumus ad ultimum praedestinationis terminum pervenire, necesse habemus *in auctorem fidei et consummatorem*, qui est Christus, aspicere *(Hebr. 12, 2)*, qui exemplum dedit nobis, ut quemadmodum ipse fecit, et nos faciamus, quemadmodum etiam Petrus *(1. Petr. 2, 21)* dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Et pro tanto dicit Augustinus *(l. 1. de praed. Sanct. c. 15 in princ.)*, quod ipse est praeclarissimum lumen nostrae praedestinationis, quasi Deus ad unumquemque nostrum dicat: *Aspice, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est (Exod. 25, 40)*, hoc est in Christo, cujus omnia illa veteris Testamenti apparamenta fuerunt signa. Et in hoc sensu concedi potest, quod praedestinatio Christi exemplaris forma sit nostrae praedestinationis." *3. dist. 11. a. 1. q. 2.* — „Si loquamur de causa effectiva proprie, sic praedestinatio Christi ratione connotati non potest esse causa nostrae, quoniam effectus nostrae praedestinationis a solo Deo est, tamquam a principio effectivo, *gratiam* etiam *et gloriam dabit Dominus (Ps. 83, 12)*. Si vero loquamur secundum alios duos modos, scilicet de causa dispositiva per rationem meriti, et excitativa secundum efficaciam exempli, praedestinatio Christi, quantum ad connotatum, est causa nostrae, Christus enim per suam gratiam meruit nobis gratiam et gloriam. Christus etiam per suae gratiae et gloriae eminentiam manifestam excitavit nos ad currendum ad patriam supernam, ad quam praeordinati sumus secundum electionem aeternam." *Ibid. q. 3.*

[12] „Possibile est homini satisfacere Deo, et per satisfactionem se reconciliare Deo, licet offensa fuerit infinita, quia libido fuit finita, et nostra satisfactio innititur satisfactioni Christi, a qua accipit virtutem." — „Hic est unus modus dicendi satis probabilis, quod de omni eo, quod est in peccato, non fit satisfactio, quoniam hoc est impossibile. Unde et Deus non exigit satisfactionem de omni eo, quod est in culpa, sed aliquid condonat per misericordiam, de aliquo requirit satisfactionem per justitiam, ut simul sit hic misericordia et veritas. Nec unquam est satisfactio, nisi praecedat condonatio, sicut nunquam est meritum, nisi praecedat donum gratuitum. Unde notandum, quod in peccato duo sunt, scilicet offensa Dei et

libido deordinata. Sed offensa Dei est infinita, et pro illa non fit satisfactio, sed Dei misericordia illam remittit, suam dando gratiam; libido autem perversa finita est. Et quia Deus justus est, non totum remittit, sed pro illa exigit poenam condignam: et quantum ad hoc possibile est Deo satisfacere. Et sic patet responsio ad duo prima. Ad primum, quod non fit satisfactio de offensa. Ad secundum, quod diabolus non potest satisfacere propter impossibilitatem percipiendi gratiam, in qua remittatur sibi divina offensa. Patet etiam responsio ad tertium. Deus enim per misericordiam relinquit omnino offensam dando gratiam, sed satisfactionem exigit de ipso, dando quod intulit sibi peccator per culpam et delectationem libidinosam. Et quia Adam intulit sibi damnum mortis, et toti posteritati; ideo non potuit plene satisfacere, nisi ille, qui non esset mortis debitor, et valeret totum genus humanum. Sed peccator quilibet, dum peccat, infert damnum in imaginis deformatione, quae reparabilis est, et infert damnum sibi, non aliis; et ideo non est simile. Alius est modus dicendi etiam satis probabilis, et videtur rationabilis, quod etsi divina misericordia relinquat offensam homini dando gratiam, non tamen ita omnino relinquit, quin etiam exigat de offensa satisfactionem per justitiam. Et quia homo non potuit pro tanta offensa satisfacere; ideo Deus dedit ei mediatorem, qui satisfaceret pro offensa. Unde in sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa, et sine fide ejus nullus justificatur. Et secundum hoc dicunt, quod omnis satisfactio nostra virtutem habet a satisfactione Christi. Sed ipsa satisfactio Christi habet effectum in membris per sacramentum baptismi plenum, per sacramentum poenitentiae secundum partem, per fidem ante novam legem, et etiam post in iis, qui non possunt confiteri, effectum habet adhuc minorem. Unde omnis satisfactio non tantum de peccato primi parentis, sed etiam de aliis, fundata est super satisfactionem mediatoris." *4. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 1.*

CAPUT VIII.

De passione Christi, in quantum ad statum patientis.

(Christus debuit assumere humanam naturam, et etiam defectus circa eam, — tum corporales, — tum spirituales; — non tamen omnes, — nec qualitercumque. — Nihil potuit pati invite. — Ejus passio fuit contra voluntatem carnis.)

Postquam circa Verbum incarnatum considerata est unio naturarum, considerata est nihilominus plenitudo charismatum; deinde consideranda est tolerantia passionum. Circa quam considerandus est status patientis, et modus patiendi [a], et exitus passionis. De statu vero patientis haec tenenda sunt, scilicet quod Christus assumpsit non tantum humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam. Assumpsit enim poenalitates corporales, ut famem, sitim et lassitudinem. Assumpsit et spirituales, ut tristitiam, gemitum et timorem [b]. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus aegritudinum corporalium [c] multiformium. Nec omnes spirituales, sicut sunt ignorantia et rebelliones carnis ad spiritum. Nec qualitercumque, quia sic necessitatem patiendi [d] suscepit, ut tamen nihil pati posset invite, nec secundum voluntatem divinitatis [e], nec secundum voluntatem rationis, licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis et carnis, sicut exprimit oratio Salvatoris, quae dicit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis (Matth. 26, 39).*

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum principium reparativum in reconciliando necessario habeat mediatoris officium; ideo necesse est, quod habeat convenientiam cum utroque extremorum, non solum quantum ad naturam, verum etiam quantum ad ea, quae sunt circa naturam. Quoniam ergo Deus est justus et beatus, impassibilis et immortalis; homo vero lapsus est peccator et miser, passibilis et [f] mortalis: necesse fuit mediatorem Dei et hominum, ut posset hominem reducere ad Deum, cum Deo communicare in justitia et beatitudine, cum homine vero in passibilitate et mortalitate [g]; ut sic habendo mortalitatem transeuntem, et beatitudinem permanentem, hominem reduceret de praesenti miseria ad vitam beatam [1], sicut e contra angelus malus, habendo immortalitatem cum miseria et injustitia, fuit mediator faciens

a) Compatiendi ed. 1484.
b) Terrorem ibid.
c) Corporalium om. ibid.
d) Patiendi om. ibid.
e) Deitatis ibid.
f) Et om. ibid.
g) Morte ibid.

cadere in culpam et miseriam per suggestionem suam. Quoniam ergo Christus mediator debuit habere innocentiam ac beatitudinem fruitionis cum mortalitate et passibilitate; hinc est, quod simul debuit esse viator et comprehensor. De omni enim [h] statu aliquid habuit in se, secundum quod dicitur assumpsisse de statu innocentiae peccati immunitatem, de statu naturae lapsae mortalitatem, de statu vero gloriae beatitudinem fruitionis perfectae.

h) Etiam ibid.

Rursus, quoniam poenalitates vitiosae, sicut sunt illae quatuor propter peccatum originale [i] inflictae [j], scilicet ignorantia [2], infirmitas, malitia [k] et concupiscentia, stare non possunt cum perfectissima innocentia; hinc est, quod has nec assumere [l] debuit, nec assumpsit [3]. Quia [m] vero poenae, quae sunt exercitativae virtutis perfectae, et testificativae humanitatis verae, non simulatae, potissimae illae sunt, quae respiciunt nostram naturam in communi, sicut fames et sitis in absentia alimenti, tristitia [4] et timor in praesentia nocumenti [5]; hinc est, quod illas debuit assumere [6], et assumpsit [7].

i) Ita ibid. et ABCDEF GH et editt. Nor. Arg. Aug. Ven.; mortale ed. Rom.
j) Illae . . . inflictae, ita ed. 1484; in ceter. illa inflicta.
k) Et malitia ibid.
l) Assumere non ibid.

Postremo, quia nullus innocens debet invitus aliquam poenam sustinere, quia hoc esset contra ordinem divinae justitiae, nullus etiam mortalis vult mori et pati secundum appetitum naturae, quia [n] naturaliter refugit mortem; hinc est, quod Christus debuit habere hujusmodi poenalitates [8], sic tamen, ut nihil posset pati invite secundum rationem, non solum propter beatitudinem et deitatem [o] omnipotentem sibi unitam [9], per quam poterat repellere omnia; sed etiam propter perfectissimam innocentiam, qua secundum ordinem naturalis justitiae nihil permittitur pati invite: sic etiam pateretur, ut tamen [p] hoc esset contra naturalem inclinationem et appetitum naturae, qui est in sensualitate et carne [10]. Et hinc est, quod Christus orans [11] secundum rationem, voluntatem carnis exprimebat, qua [q] passionem refugiebat [12], cum dicebat: *Transeat a me calix iste (Matth. 26, 39)* [13]; voluntatem tamen [r] rationis voluntati patris conformabat, et appetitui carnis praeponebat, cum dicebat: *Non mea voluntas, sed tua fiat (Luc. 22, 42)* [14]. Et sic una voluntas non erat alteri contraria [15]; quia secundum voluntatem divinam, quod justum erat, voluit, secundum voluntatem rationis, justitiae consensit, sed secundum voluntatem carnis poenam recusavit [16], sed tamen justitiam non accusavit [17]. Et sic unaquaeque voluntas [18], quod suum erat, operabatur, et quod ad se pertinebat, sequebatur [19], voluntas scilicet [s] divina justitiam, voluntas rationalis obedientiam, voluntas carnis naturam [20]; ac per hoc non erat in Christo colluctatio et pugna, sed pacata ordinatio et tranquillitas ordinata.

m) Quia om. ibid.
n) Quae ibid.
o) Divinitatem ibid.
p) Ita ibid., in cet. editt. etiam.
q) Ita ibid. et ABCDEF GH et editt. Arg. Aug. Ven. In cet. Quae.
r) Ita ABCE H et ed. 1484; in cet. om.
s) Scilicet om. ed. 1484.

Ad Caput VIII.

[1] „Si quaeratur, qualiter sit medius, responderi potest quod medium inter duas naturas potest aliquid dici tripliciter. Aut ita quod in eo concurrant duae naturae sicut in una natura tertia. Aut ita quod in eo concurrant duae naturae, sicut in una persona. Aut ita quod in eo concurrant proprietates duabus naturis conformes. Primo modo accipiendo medium nihil potest esse medium inter humanam naturam et divinam, nec Christus, nec aliud, quia non potest ex humana natura et divina constitui aliquod tertium. Secundo modo accipiendo medium, sic Christus est medium inter humanam naturam et divinam, in quantum est una persona in duabus naturis, non ratione humanae naturae tantum, nec ratione divinae tantum, sed ratione utriusque. Tertio modo accipiendo medium, Christus est medium inter Deum et homines, secundum humanitatem, in quantum habet mortalitatem simul et beatitudinem. Mortalitatem, inquam, in qua communicat cum hominibus; beatitudinem, in qua maxime communicat cum Deo. Si vero quaeratur, qualiter et secundum quam naturam Christus sit mediator, cum mediator dicat officium reconciliationis, et mediator debeat differre ab illis, quos reconciliat, et Christus secundum divinam naturam sit ille, cui fit reconciliatio, dicendum quod non potest esse mediator secundum divinam naturam, sed secundum humanam

naturam, in qua potest reconciliare secundum diversas proprietates, in quibus communicat cum Deo et cum homine. Habebat enim justitiam et innocentiam, in qua communicat cum Deo, et mortalitatem in qua communicat cum homine; et dum mors conjungitur justitiae, in eodem confoederatur homo peccator et mortalis Deo justo et immortali, reconciliati enim sumus Deo, per mortem hominis innocentis *(Rom. 5, 10).*" *3. dist. 19. a. 2. q. 2.*

[2] *3. dist. 15. a. 2. q. 1.*

[3] „Absque dubio Christus non omnes defectus nostros assumpsit, sicut dicit Magister in litera, sed illos tantum, quos ipsum assumere decuit, et nobis expediens fuit. Sed qui sint isti defectus, adhuc quaestione indiget, sicut et primum: et innuit Magister illos defectus decuisse et expedivisse illum assumere, qui faciunt vel ad veritatis naturae assumptae ostensionem, vel ad operis, propter quod venerat, consummationem. Sed adhuc qui sunt isti defectus, difficile est discernere. Voluerunt autem aliqui dicere, quod isti sunt defectus, quos Deus plantavit in nostra natura. Quidam enim defectus sunt, quia ortum habent ex absentia gratiae, sicut ignorantia et rebellio carnis ad spiritum, et similia. Quidam autem sunt, qui non solum ex hoc ortum habent, sed etiam ex compositione partium constituentium, sicut fames, sitis, mors, dolor et consimilia, quae ortum habent non tantum ex culpa, sed ex hoc quod humana natura est ex contrariis constituta: et tales defectus sunt, qui faciunt ad veritatis naturae assumptae manifestationem, et ad operis suscepti consummationem; alii vero minime. Sed illud habet adhuc calumniam, propter hoc quod aegritudines multae ortum habent ex complexione hominis, quas constat Christum non assumpsisse. Praeterea, omnes defectus nostri poenales magis videntur secuti esse ex nostra transgressione, et divina punitione, quam ex primaria plantatione. Et propterea potest alio modo dici, quod quidam sunt defectus, qui sunt ex culpa, quidam vero qui sunt ex culpa et ad culpam, sicut pronitas ad malum et difficultas ad bonum. Illos autem defectus, qui non tantum sunt ex culpa, sed etiam via ad culpam, non decuit Christum assumere; quia Christus fuit minister justitiae, omnino segregatus a peccato *(Hebr. 7, 26).* Alios autem defectus decuit ipsum assumere, sed non omnes; quia quidam sunt defectus naturales, quidam personales. Defectus autem naturales voco illos, qui respiciunt totam naturam humanam universaliter, sicut fames et sitis et defectus consimiles. Personales autem defectus sunt, qui respiciunt aliquas personas specialiter, sicut diversae aegritudinum species. Quoniam ergo Christus venerat naturam humanam redimere communiter sine personarum distinctione; hinc est, quod defectus naturales, non personales defectus, poenales tantum non vitiosos debuit in se habere." *3. dist. 15. a. 1. q. 2.* — „Christus tantum habuit affectum irae detestantem, et cum commotione partis sensualis secundum rationis judicium, non autem ut dicit perturbationem oculi mentalis." *Ibid. a. 2. q. 3.*

[4] „In Christo fuit vera tristitia, non tamen omni modo, quo in nobis est. Est enim quaedam tristitia, quae est praeter rationis imperium; et est tristitia, quae est contra rationis judicium rectum; et est tristitia, quae est subjecta rationis imperio et judicio . . . In Christo fuit tristitia tantum isto tertio modo; quia de nullo tristatus fuit, nisi secundum quod dictabat ei ratio. Et hoc idem innuit Joannes *(11, 33),* ubi dicitur: *Jesus autem infremuit spiritu, et turbavit semetipsum;* in quo ostenditur, quod turbatio et tristitia rationi non praesidebat, sed subjacebat. Primis autem duobus modis non fuit in Christo tristitia." *3. dist. 15. a. 2. q. 2.* — „Quaeritur hîc de hoc, quod dicitur, quod *turbavit semetipsum Jesus.* Contrarium videtur, quod dicitur Isaiae *(42, 4): Non erit tristis, neque turbulentus.* Si dicas, quod voluntarie turbavit se, non involuntarie, sicut nos; tunc objicitur, quia perturbatio obscurat oculum mentis; ergo si in Christo mentis oculus non potuit obscurari, ne quidem potuit perturbari. Item quando perturbatio est voluntaria, tunc non solum est sensualitatis, sed rationis, et completa est perturbatio; ergo si Christus voluntarie fuit perturbatus, patet ex hoc, quod plene perturbatus fuit. Resp. Dicendum, quod perturbatio uno modo est passio, sicut dicit Hieronymus *(in Matth. l. 4. c. 26. v. 37),* alio modo propassio; passio secundum quod ascendit in rationem, propassio secundum quod sistit in sentiente. Et hoc potest dupliciter esse. Quia aut est in sentiente de necessitate, quod non potest facere aliud; aut voluntate. Sic igitur duplex est perturbatio, scilicet rationis, et haec mala, et in malis; sensualitatis, et haec necessitate in bonis, voluntate in Christo. Quod ergo dicitur: *Non erit tristis, neque turbulentus,* intelligendum de illa, quae est rationis, vel sensualitatis involuntaria. Quod etiam objicitur, quod illa, quae est sensualitatis, obscurat mentem, saltem ad tempus, verum est, ubi est necessitatis; sed in Christo ascendebat, quantum dictante ratione volebat. Quod autem objicitur, quod voluntaria est plena, intelligitur, quando ratio turbat seipsam." *Comm. in Evang. Joann. c. 11. n. 817.* Supplem. vol. I.

[5] „Timor est in triplici differentia, quidam enim est gratuitus, quidam libidinosus, quidam naturalis inter utrumque medius. Timor autem gratuitus est in triplici differentia, quidam est timor poenae, quidam est timor offensae, quidam reverentiae. Prima et secunda differentia non fuit in Christo, pro eo quod *perfecta caritas foras mittit timorem (1. Jo. 3, 18)* utrumque, sed secundum tertiam differentiam fuit in Christo, quia sic a perfecta caritate non expellitur, sed potius consummatur, secundum illud: *Replebit eum spiritus timoris Domini (Isai. 11, 3);* et secundum illud: *Timor Domini sanctus permanens in saeculum saeculi (Psalm. 18, 10).* Est etiam alius timor libidinosus, et ille similiter in multiplici differentia est. Quia est timor mundanus, et est timor humanus; et nullus istorum fuit in Christo, nec etiam in viro perfecto; et sic intelligitur verbum Augustini, quod signum perfectionis est nullus timor. Est iterum timor in tertia differentia, timor scilicet naturalis; et iste est triplici differentia, quidam est sensualitatis praevenientis rationem, quidam sensualitatis subjacentis rationi, quidam vero ipsius partis rationalis. Primus timor est naturae corruptae, et quodam modo inordinatae, similiter et tertius; secundus vero est naturae corruptae, sed tamen ordinatae. Quoniam ergo in Christo, quamvis esset defectus passibilitatis, non tamen fuit defectus inordinationis et vitiositatis; hinc est, quod fuit in eo timor medio modo, non primo, vel tertio." *3. dist. 15. dub. 3.*

[6] „Congruum fuit Christum assumere naturam nostram cum defectibus et passibilitatibus. Et hoc triplici ex causa, principaliter videlicet propter pretium nostrae salutis, propter exemplum virtutis et propter fulcimentum nostrae fragilitatis. Propter pretium nostrae salutis, quia proposuerat nos redimere *non corruptibilibus auro et argento (1. Petr. 1, 18)*, sed pretiosissimo sanguine suo, et animam suam ponere pro animabus nostris. Ad hoc autem non esset idoneus, nisi naturam deficientem et passibilem assumpsisset; et propterea defectus nostros et poenalitates debuit in seipso habere. Alia etiam ex causa congruum fuit hoc ipsum, videlicet propter exemplum virtutis, specialiter autem humilitatis, patientiae et pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad caelum, et in quibus Christus voluit nos imitari ipsum, secundum illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde etc. (Matth. 11, 29)*. Tertia ratio est propter fulcimentum nostrae fragilitatis, ob quam natura rationalis habet in se difficultatem ad credendum vera, et irascibilis ad sperandum ardua, et concupiscibilis ad amandum bona. Et ideo voluit Christus non tantum nobis similari in natura, sed etiam in defectibus et poenalitatibus, ut manifestando in se veritatem humanae naturae, praeberet fulcimentum nostrae rationali ad credendum; ostendendo nihilominus immensitatem suae misericordiae per susceptionem nostrae miseriae, praeberet irascibili fulcimentum ad sperandum; ostendendo magnitudinem suae benevolentiae, praeberet concupiscibili incitamentum ad se amandum. Et ideo, licet incongruum videatur hujusmodi defectus reperiri in Christo, si per se considerentur; tamen si ad finem referantur, magna reperitur congruitatis condecentia." *3. dist. 15. a. 1. q. 1.* Vide quoque *dist. 16. dub. 2. 3. 4.*

[7] „Defectus, qui fuerunt in Christo, non fuerunt in eo necessitate generationis, sed voluntate dispensationis, voluntate divina praeveniente, et voluntate creata concomitante." — „Ex alia et alia causa sunt isti defectus in nobis et in Christo, in nobis enim sunt ex necessitate contracti, sed in Christo sunt ex voluntate assumpti. Et hoc patet sic. Nos enim istos defectus trahimus a parentibus propter legem propagationis, et legem concupiscentiae, quae militat in illis membris; nam passibilis generat passibilem, et habens legem concupiscentiae in membris generat filium subjectum concupiscentiae, ex cujus concupiscentiae reatu insunt proli omnes poenalitates. Et propterea dicuntur istae poenalitates in nobis contractae, quasi ex concursu duorum tractae, videlicet propagationis naturae et corruptionis concupiscentiae. In Christo autem secus est, ipse enim neutro modo fuit propagatus, nec secundum propagationem legis naturalis, nec secundum corruptionem libidinis. Sed Spiritus sanctus adveniens in ipsam Virginem, et ipsam fecundans, carnem ejus ab omni foeditate corruptionis purificavit, passibilitatem tamen reliquit. Ex illa autem carne sapientia Patris, scilicet ipse Filius Dei, aedificavit sibi corpus immaculatum, et illud corpus univit sibi cum anima rationali, quae quidem immunitatem habuit a culpa et in se et in carne conjuncta. Et sicut immunitatem habuit a reatu culpae, sic secundum ordinem divinae justitiae immunitatem habere debuisset a passibilitate miseriae. Quod ergo in carne illa remansit poenalitas, hoc fuit ex dispensatione ipsius assumentis, concurrente simul acceptione illius animae rationalis, quae in primo instanti suae creationis habuit usum cognitionis, et placuit sibi tali corpori uniri propter salutem generis humani. Et sic patet, quod tales defectus fuerunt in Christo non necessitate generationis, sed voluntate dispensationis, voluntate, inquam, divina praeveniente, sed voluntate creata concomitante. Dico autem ipsos fuisse a voluntate divina non tanquam infligente de novo, sed tanquam a relinquente et acceptante, cum in ejus potestate et arbitrio esset defectus illos excludere." *3. dist. 15. a. 1. q. 3.*

[8] „Christus assumpsit istum defectum, qui est necessitas patiendi. Quantum enim erat de lege naturae, corpus illud erat resolubile et mortale, et nisi fuisset conservatum miraculose, aliquando senio defecisset. Attendendum est tamen, quod non omni modo fuit necessitas patiendi in Christo, per quem modum est in nobis, sed quodam modo sic, quodam modo aliter. Habet enim necessitas patiendi comparari ad tria, videlicet ad causam, ad subjectum, ad virtutem corporis regitivam. Si consideretur per comparationem ad causam; sic est in nobis ex duplici causa, videlicet propter foeditatem corruptionis culpabilis, et propter qualitatem naturalis compositionis. Ideo enim habemus necessitatem ad patiendum, quia reatum originalis peccati contrahimus, et quia ex contrariis agentibus et patientibus constituti sumus, ita quod continua in corpore nostro sit resolutio. Christus autem necessitatem habuit solum ex altera causa, passibilis enim fuit non propter reatum peccati originalis, sed propter modum talis compositionis. Similiter per comparationem ad subjectum, alio modo est necessitas patiendi in Christo et in nobis. In nobis enim est necessitas patiendi, sive per comparationem ad naturam, sive per comparationem ad personam. In Christo autem necessitas erat ad patiendum non per comparationem ad personam, quia nulla poterat astringi necessitate, quia omnia erant ei subjecta, sed per comparationem ad naturam assumptam. Similiter per comparationem ad virtutem regitivam aliter est in nobis necessitas patiendi, quam in Christo. Est enim in nobis virtus regitiva et a parte naturae et a parte voluntatis regitivae; et respectu utriusque est necessitas patiendi in nobis. Etenim nec natura nec voluntas potest in nobis passionem prohibere, patimur enim, nolimus, velimus. In Christo autem necessitas fuit respectu virtutis naturalis, sed non respectu voluntatis. Nihil enim invitus sustinuit, nec sustinere potuit, quia non meruit. Et sic patet, quod necessitas patiendi assumpta fuit a Christo, et in Christo fuit per assumptionem; tamen non eo modo, quo in nobis est per contractionem. Ideo Christus quasi medium tenet inter nos et statum naturae institutae. Nam in nobis natura et voluntas passioni subest, in Adam vero tam natura quam voluntas passioni praeerat, in Christo vero passioni suberat natura, sed praeerat voluntas. Et hoc est, quod dicit Damascenus, quod in Christo, etsi passiones fiebant secundum legem naturae, non tamen coacte, sed voluntarie." *3. dist. 16. a. 1. q. 3.*

[9] „Animae Christi non fuit communicata omnipotentia, quoniam nulli creaturae ipsa communicari potest, anima autem Christi creatura est." — „Nec animae Christi, nec alicui creaturae potest omnipotentia communicari, nisi eatenus quatenus communicatur ei nomen et excellentia divini-

tatis, hoc est per communicationem idiomatum, quae ortum habet ex personali unione. Sicut enim possumus dicere, quod homo est Deus; ita possumus dicere, quod homo est omnipotens. Et sicut excellentia divinitatis nulli communicari potest sicut forma et proprietas eidem inhaerens substantialiter vel accidentaliter; sic etiam nec omnipotentia. Ratio autem quare omnipotentia communicari non potest alicui creaturae, est, quia omnis creatura, eo ipso quod ex nihilo est, deficit a summa stabilitate; unde non existit per seipsam. Deficit a summa simplicitate; unde non agit per se totam. Deficit a summa immensitate; unde distare potest in ipsa virtus a substantia. Et quoniam in se non subsistit, nec a se, nisi substentetur a divina potentia; ideo impossibile est ipsam esse omnipotentem, non enim potest seipsam sustinere. Rursus, quoniam ex se tota non agit, non potest in totam rei substantiam; et ideo non potest esse omnipotens, cum non possit totum producere. Postremo, quia virtus ejus distat a substantia, tantum potest elongari, quod omnino deficiat; unde non potest in omnia. Sicut ergo soli Deo convenit summa stabilitas, summa simplicitas, summa etiam immensitas; sic etiam omnipotentia, quae necessario requirit ista tria. Et ideo omnipotentia communicari non potest alicui creaturae, nec animae Christi, nec alii." *3. dist. 14. a. 3. q. 3.*

[10] „Propassio secundum generalem nominis sui acceptionem dicitur esse passio diminuta; haec autem est illa, quae sistitur infra rationem, ut ratio est; et ita propassio dicit passionem partis sensualis, vel virtutis naturalis: et hoc modo vult dicere Magister et Hieronymus *(in Matth. 26)* hujusmodi passiones fuisse in Christo. Erant enim ex horrore sensualitatis, non ratione partis rationalis." *3. dist. 15. dub. 4.*

[11] „Decens fuit Christum orare maxime in diebus carnis suae. Ratio autem hujus condecentiae potest assignari quadruplex, videlicet propter meritum, propter virtutis exemplum, propter veritatis argumentum et propter officium explendum. Propter meritum, quia sua petitione et postulatione merebat nobis, qui minus idonei eramus ad susceptionem beneficiorum Dei. Propter exemplum, ut scilicet discipulos suos, et per consequens alios invitaret ad orationis studium, in cujus exercitio maxime superatur adversarius; propter quod Dominus dicebat discipulis: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (Matth. 26, 41).* Propter veritatis argumentum, ut ostenderet se verum hominem, et vere a Deo missum; propter quod dicitur: *Gratias ago tibi, Domine, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quoniam me semper audis, sed propter populum istum, qui circumstat, ut credant, quia tu me misisti (Jo. 11, 41—42).* Propter officium, quia Christus habebat dignitatem sacerdotis et pontificis; unde sicut ad ipsius officium pertinebat sacrificium offerre pro peccatis, ita et pro peccatoribus exorare. Unde ad Hebraeos: *Omnis pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum (Hebr. 5, 1).* Et: *Talis decebat, ut esset nobis pontifex sanctus et innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus (Ib. 7, 26).* His ergo de causis congruum fuit et decens usum orationis in Christo reperiri." *3. dist. 17. a. 2. q. 1.*

[12] „Angelus non confortabat Christum confortatione potestativa, sicut confortat illos, quos custodit, sed solum ministeriali, sicut confortat armiger strenuum militem." *2. dist. 11. a. 1. q. 3 ad 2.*

[13] „Ante passionem calicem ipsius Patris a te transferri petisti, non ut passionem non amares, pro qua veneras patienda, et sine qua salus humano generi non adesset; sed ne putaret quis te verum hominem passionis amaritudinem non sensisse propter claritatis unionem, verbis petentibus calicem a te transferri semel et bis et tertio, summam acerbitatem passionis tuae dubitantibus indicasti. Nobis quoque te sequentibus doctrinae et exempli formam praescripsisti in imminentibus nobis periculis, etiam cum ad utilitatem nostram pertineant, posse et debere a nobis Dominum frequentius exorari, ut flagella iracundiae suae a nobis dignetur avertere; et nihilominus, etiam si ablata non sint, exemplo passionis tuae gratanter, patienter et viriliter cum omni perseverantia tolerare." *Tract. de Vite mystica, n. 45.* Supplem. vol. III.

[14] „Christi oratio in horto ad Patrem quantum ad materiam fuit sensualitatis, sed quantum ad formam et discretionem, fuit voluntatis rationalis." — „De praedicta oratione est loqui dupliciter, aut quantum ad materiam, aut quantum ad formam. Si loquamur de ipsa quantum ad materiam, cum materia orationis respiciat desiderium petentis, talis petitio fuit petitio sensualitatis tantum, cujus desiderium erat ad non moriendum. Si autem loquamur de praedicta oratione quantum ad formam, sic cum forma petitionis respiciat discretionem proponentis, et talis modus proponendi sit a discretione rationis, concedendum est, quod talis oratio fuerit voluntatis rationalis. Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam, et etiam ad objecta. Ad quaestionem propositam, quia non est simpliciter concedendum, quod talis oratio fuerit simpliciter rationis, vel simpliciter sensualitatis, sed quodam modo hujus, quodam modo illius, sensualitatis quantum ad materiam, sed rationis quantum ad formam. Item sensualitatis ut moventis, sed rationis ut proponentis. Item sensualitatis ut pro quo, sed rationis ut a quo. Unde bene et recte consuevit dici, quod ratio fuerit advocatrix sensualitatis. Et per hoc dissolvi possunt rationes ad utramque partem, quoniam procedunt his duabus viis, sicut patet aspicienti. Sed nunc restat quaestio, cum ratio sciret sensualitatem in hac petitione nec exaudiendam, nec dignam exaudiri, utpote quia petebat contrarium divini propositi, quomodo hanc petitionem proposuit, et pro ea allegavit. Et dicendum est ad hoc, quod hujus fuit ratio triplex. Prima ad manifestationem veritatis naturae assumptae, quae naturaliter refutabat passionem; et in hoc erudivit nostram fidem. Secunda vero ad confirmandam nostram imbecillitatem, ut non diffidamus, si passionum pericula exhorremus; et in hoc erexit nostram spem. Tertio ut ostenderet voluntatem nostram divinae voluntati esse per omnia subjiciendam, quod ostendit in conditione apposita, *non sicut ego volo, sed sicut tu;* et in hoc ordinavit caritatem in nobis, quae affectum nostrum divinae voluntati per omnia conatur subjicere; unde magis oravit in illa oratione pro nobis, quam oraret pro se. Et attendendum est, quod oratio illa in petitione illa servavit formam prudentis et fidelis advocati, qui desiderium sensualitatis proponit, servata tamen forma juris. Dictat enim

jus divinum, quod omnis appetitus debet esse Deo subjectus; et per hoc patet determinatio objectorum, patet etiam praedictae orationis finis et utilitas." *3. dist. 17. a. 2. q. 3.* — „Quod ergo objicitur, ad quid petebat? Dicendum, quod sicut Dominus aliqua praecipit non ad implendum, sed ad nos instruendum; sic aliquid petiit non ad impetrandum, sed ad nos instruendum. Et nos instruxit in hac petitione, quod licet nobis voluntate sensualitatis aliquid proprium velle; et iterum quod ipsa subdenda est voluntati divinae; et iterum quod diffidere non debemus, si formidamus mortem." *Comm. in Ev. Joan. c. 12. n. 878.* Supplem. vol. I.

[15] „Voluntates in Christo non fuerunt repugnantes, sed conformes fuerunt, licet non in volito, tamen in volendi ratione." — „Conformitatem in volito dico, quando diversae voluntates unum et idem volunt. Conformitatem in ratione volendi dico, quando idem eodem modo volunt, vel altera earum vult illud eodem modo, quo superior vult eam velle. Cum ergo ad perfectam conformitatem ista duo concurrant, alterum eorum est de necessitate conformitatis, videlicet conformitas in modo, alterum vero aliquando de necessitate, aliquando de congruitate, aliquando praeter necessitatem et congruitatem, videlicet conformitas in volito. Possibile est enim, quod voluntates sint conformes, ita quod una subsit alteri; et tamen non velint idem, quia voluntas superior non vult inferiorem velle, quod ipsa vult, sed magis velle contrarium." *3. dist. 17. a. 1. q. 3.*

[16] „Dissensus potest esse sensualitatis ad rationem et quantum ad volitum et quantum ad actum volendi, et hoc quidem pertinet ad naturam lapsam per poenam et culpam. Et est ponere consensum quantum ad utrumque, ita quod sensualitas subjaceat rationi; et hoc pertinet ad naturam institutam. Et est ponere medium, ita quod consentiat ratio sensualitati respectu actus volendi, sed non respectu voliti; et hoc pertinet ad naturam habentem poenam absque culpa, qualis fuit natura a Christo assumpta, quae aliquid habuit de natura assumpta, aliquid de natura lapsa." *3. dist. 17. a. 1. q. 3 ad 6.*

[17] „Cum oratio sit petitio procedens ex voluntate et desiderio, secundum quod voluntas humana fuit in Christo secundum triplicem differentiam, sic et oratio. Nam quaedam oratio fuit exprimens, sive procedens a voluntate rationis, quaedam a voluntate pietatis, quaedam a voluntate carnis. Oratio procedens a voluntate rationis procedebat a voluntate, quae quidem requirebat exaudiri. Et talis oratio in omnibus est exaudita; tum propter hoc quod ista voluntas erat per omnia conformis voluntati divinae; tum etiam, quia adeo petebat digne et sancte, quod in omnibus erat exaudita pro sua reverentia *(Hebr. 5, 7)* et dignitate. Oratio autem procedens a voluntate pietatis et voluntate carnis non fuit in Christo exaudita per omnia; tum quia hac voluntate non conformabatur Deo in omni volito, sicut habitum est prius; tum etiam quia illa petitio plus ordinatur ad nostram instructionem quam ad divinam exauditionem. Magis enim petebat hac voluntate, ut nos erudiret, quam ut Deum ad suam petitionem inclinaret." *3. dist. 17. a. 2. q. 2.*

[18] „Cum in Christo sint plures naturae intellectuales, videlicet divina et humana, necesse est in Christo plures esse voluntates. Sicut enim in una natura corporali nobili ista duo se concomitantur, videlicet lux et calor; sic et in natura spirituali perfecta necesse est duo reperiri his duobus correspondentia, videlicet cognitionem et affectionem; sed cognitio est actus rationis, et affectio actus voluntatis. Cum ergo in Christo sint plures naturae spirituales, necessarium est in Christo ponere plures intellectus et plures voluntates." *3. dist. 17. a. 1. q. 1.* — „Christi voluntates respiciendo naturas, duae fuerunt; si vero potentias respicias, fuit triplex voluntas; quod si modum intuearis volendi, fuit quadruplex." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod voluntas Christi tripliciter habet considerari, aut secundum naturalem voluntatem, aut secundum potentiam, per quam quis vult, aut secundum modum volendi; et secundum istam triplicem considerationem tripliciter habet dividi voluntas in Christo. Secundum enim comparationem ad naturam dividi habet divisione bimembri. Duplex enim in Christo est voluntas, divina videlicet et humana, secundum duas naturas: et sic considerat Damascenus voluntatem Christi, cum eam dividit in duo membra. Si autem consideretur voluntas secundum potentias, per quas quis vult, sic dividi habet divisione trimembri. Nam in Christo fuit potentia divina, et potentia rationalis creata, et potentia sensitiva, per quarum quamlibet in actu volendi exibat . . . Per comparationem autem voluntatis ad modum volendi habet multiplicari voluntas in Christo divisione quadrimembri; et sic consideravit Magister Hugo voluntatem Christi, cum eam per quatuor membra divisit, ait enim sic: In Christo fuit voluntas divinitatis, et voluntas rationis, et voluntas pietatis, et voluntas carnis. Voluntas divinitatis per justitiam sententiam dictabat, voluntas rationalis per obedientiam veritatem approbabat, voluntas pietatis per compassionem in malo alieno suspirabat, voluntas carnis per passionem in malo proprio murmurabat." *Ibidem q. 2.*

[19] „Unitas, quae est operationis, non sequitur unitatem personae, sed naturae. Et quia Patris et Filii una est natura, quamvis duae sint personae; ideo unam habent operationem. Quia vero humanitas et divinitas in Christo sunt diversae naturae, ideo diversas operationes habent." *4. dist. 5. a. 3. q. 2 ad 3.*

[20] „Ad illud, quod objicitur de Christo et B. Virgine et aliis compatientibus, dicendum, quod voluntate absoluta volebant, quod Deus volebat; tamen voluntate conditionata, sive voluntate pietatis, debebant velle contrarium: et hac voluntate merebantur, quoniam hoc non est naturae tantum, sed etiam rationis. Praecipue autem hac voluntate merebatur in Christi Filii passione beatissima Mater et Virgo Maria, cui patienti, quantum sexus muliebris fragilitas sustinere poterat, compatiebatur. Nullo tamen modo est dubitandum, quin virilis ejus animus, et ratio constantissima vellet etiam Filium suum pro salute generis humani, ut Mater per omnia conformis esset Patri. Et in hoc miro modo debet laudari et amari, quod placuit ei, quod Unigenitus suus pro salute generis humani offerretur. Et tantum etiam compassa est, ut si fieri potuisset, omnia tormenta, quae Filius pertulit, ipsa multo libentius sustinuisset. Vere ergo fuit fortis et pia, dulcis pariter et severa, parca et nobis largissima. Haec ergo praecipue est amanda et veneranda post Trinitatem summam,

et ejus prolem beatissimam Dominum nostrum Jesum Christum, a cujus divinitatis mysterio enarrando cunctae linguae deficiunt, quia consummatio sermonum ipse est.“ *1. dist. 48. a. 2. q. 2 ad ultim.*

CAPUT IX.

De passione Christi, quantum ad modum patiendi.

(Christus passus est passione generalissima, — acerbissima, – ignominiosissima, · · interemptoria, -- sed vivificativa.)

a) Autem om. ed. 1484.

De modo autem [a] patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima, passione interemptoria, sed vivificativa. Passione, inquam, generalissima, quantum ad naturam humanam, non solum secundum omnia membra corporis principalia, verum etiam secundum omnem animae potentiam (I), licet nihil pati posset secundum divinam naturam. Passus est etiam passione acerbissima, quia non solum dolendo, ut patiens per vulnera, sed etiam

b) Prout ibid.

condolendo, ut [b] compatiens propter nostra delicta. Passus est etiam passione igno-

c) Quod ibid.

miniosissima, et propter patibulum [1] crucis, quae [c] erat supplicium pessimorum, et propter consortium iniquorum, videlicet latronum, *cum quibus fuit deputatus (Isai. 53, 12).* Pas-

d) Vero ibid.

sus est etiam [d] passione interemptoria, per separationem animae a corpore, salva tamen unione utriusque cum deitate. Anathema enim est, qui dicit Dei filium naturam, quam semel assumpsit, aliquando reliquisse.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparativum principium, sicut ordinate produxit, sic et ordinate reparare debuit genus humanum. Sic igitur reparare debet, ut salva sit libertas arbitrii, salvus sit nihilominus honor Dei, salvus

e) Sit om. ibid.

sit [e] etiam ordo regiminis universi [2]. Quia ergo reparare debuit, salva libertate arbitrii, reparavit dando exemplum efficacissimum; exemplum autem illud efficacissimum est,

f) Hominem om. ibid.

quod invitat et informat hominem [f] ad culmen virtutum [3]. Nihil autem magis informat hominem ad virtutem, quam exemplum tolerandi mortem propter justitiam et obedientiam divinam, mortem, inquam, non quamcumque, sed poenalissimam [4]. Nihil vero magis incitat, quam tanta benignitas, qua pro nobis altissimus Dei Filius absque nostris meritis, imo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam: quae benignitas tanto major ostenditur, quanto pro nobis graviora et abjectiora pati voluit Deus. *Qui enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum*

g) Invitatur ibid.

illo omnia nobis donavit (Rom. 8, 32)? Ex quo invitamur [g] ad ipsum amandum, et amatum imitandum [5].

Rursus, quia reparare debuit salvo honore Dei, ideo reparavit offerendo obsequium

h) Ita ibid. et ABCDEF GH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven.; satisfactivum ed. Rom.

satisfactorium [h]. Est autem satisfacere, honorem Deo debitum rependere [i]. Honor autem Deo subtractus per superbiam et inobedientiam, respectu rei, ad quam homo astringitur, nullo modo melius restituitur, quam per humiliationem et obedientiam ad eam rem,

i) Impendere ed. 1484.

ad quam nullatenus tenebatur [6 j]. Quoniam ergo Christus Jesus, in quantum Deus,

j) Tenetur ibid.

(I) Quotquot Christum carnem umbratilem ac phantasticam assumpsisse arbitrati sunt, ipsum nonnisi apparenter dolores sustinuisse censuerunt.

Contra eos autem Conc. Ephes. an. 431, *anath. 12:* „Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne et crucifixum carne . . . anathema sit.“

aequalis erat Patri *in forma Dei (Philipp. 2, 6)*, in quantum homo innocens, nullatenus erat debitor mortis, dum semetipsum exinanivit, et *factus est obediens usque ad mortem (Ibid. 2, 8), exsolvit Deo, quae non rapuit (Psalm. 68, 5)*, per obsequium satisfactionis perfectae, et obtulit sacrificium suavitatis summae pro perfecta Dei placatione *(Ephes. 5, 2)*.

Postremo, quia reparare debuit salvo ordine regiminis universi, ideo per remedium convenientissimum reparavit. Convenientissimum autem est, ut contraria contrariis curentur. Quia ergo homo volens esse sapiens, ut Deus, peccavit in ligno vetito volens delectari, ita quod inclinatus est ad libidinem, erectus in praesumptione, ac per hoc totum genus humanum infectum est, et perdidit immortalitatem, et incurrit debitam mortem; hinc est, quod ad hoc, quod homo repararetur convenienti remedio, Deus, factus homo, voluit humiliari, et in ligno pati; et contra universalem infectionem pati passione generalissima, contra libidinem passione acerbissima, contra praesumptionem passione ignominiosissima, contra mortem debitam et invitam pati voluit [k] mortem [l] non invitam, sed voluntariam.

k) Voluit om. ABCDEF GH.

l) Mortem debitam ed. 1484.

Quia ergo generalitas corruptionis in nobis infecerat non solum corpus et animam, sed etiam omnem corporis partem et omnem animae potentiam; hinc est, quod Christus passus est in omni corporis parte, et in omni potentia animae [7], et in superiori portione rationis, quae summe in Deo delectabatur ut ratio, et propter unionem sui ad superius; et summe patiebatur ut natura, et propter conjunctionem ad inferius [8], quia Christus erat viàtor et comprehensor simul (II).

Rursus, quia libido vehementer infecerat in nobis animam et carnem, et quantum ad carnalia et quantum ad spiritualia peccata; hinc est, quod Christus et acerbissima passione [m] passus est in carne, et amarissima compassus est in anima [9]. Et quia in carne erat maxima [n] aequalitas complexionis et perfecta vivacitas sensuum, in anima vero summa caritas ad Deum et summa piètas ad proximum; hinc est, quod uterque dolor fuit intensissimus [10]. Amplius, quia tumor superbiae aliquando consurgit interius ex praesumptione, et [o] aliquando exterius ex ostentatione et aliena laude; ideo ad remediandum omnem superbiam Christus passus est utrumque genus ignominiae, et in se patiente, et in comitatu, quem habuit in passione [11].

m) Acerbissimam passionem ... amarissimam ibid.

n) Maxime ibid.

o) Et om. ibid.

Postremo, quia haec omnia non attingebant divinam naturam impassibilem, sed solum humanam; hinc est, quod in morte Christi sic facta est divisio animae a carne [12], ut tamen salva esset unitas personae, et unio tam carnis [13], quam animae [14] cum deitate [p]. Et quia unio animae cum corpore facit hominem [15], et facit vivum; hinc est, quod Christus non fuit homo [16] in illo triduo [17], licet anima et caro essent unitae cum Verbo [18]. Unde, quia mors in humana natura non potuit mortem inducere in personam, quae semper fuit viva; ideo [q] mortua est mors in vita, et per Christi mortem *absorpta est mors in victoria (Os. 13, 14; 1. Cor. 15, 54)*, et devictus princeps mortis [19], ac per hoc homo a morte, et causa mortis [20] per meritum [r] mortis Christi [21], tanquam per remedium [s] efficacissimum liberatus [22].

p) Ad deitatem ibid.

q) Et ideo ibid.

r) Ita ed. Rom. et 1484; remedium ABCD EFGH et editt. Arg. Aug. Nor.

s) Ita ed. 1484; in cet. medium.

(II) Contra ham doctrinam est propositio 13 Francisci de Fenelon, Archiep. Cameracensis, ab Innocentio XII die 12. Martii an. 1699 damnata, quae ita sonat: „Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes."

Ad Caput IX.

[1] „Quia de sancta cruce hîc mentio habita est, pauca de mysterio crucis hîc inserantur. Ipsa namque crux est imperium super humerum Salvatoris *(Isa. 9, 6)*. O signum inaestimabile et sacramentorum ubertate refertum! Crux est lignum vitae in medio paradisi, quod quatuor Evangeliorum flumina rigant *(Gen. 2, 9—10)*. Crux est caritas, id est cubitus, in quo consummata est arca *(Gen. 6, 16)*, id est Ecclesia. Crux est ara, super quam Abraham immolavit Isaac filium *(Gen. 22, 9)*, id est Pater caelestis Dominum Jesum Christum. Crux est lignum, quod missum est in Marath, id est in mundum, et dulcoratae sunt aquae legis *(Exod. 15, 25)*, quia per crucem discimus inimicos diligere, quod utique legi veteris Testamenti contrarium est, ipsa enim dicit: *Odio habebis inimicum tuum (Matth. 5, 43)*; et: *Oculum pro oculo, dentem pro dente (Deut. 19, 21)*. Crux est virga, cum qua petra percussa est *(Num. 20, 11)*, id est Christus; et egressa sunt flumina largissima sanguinis et aquae, quibus animae nostrae sanantur et lavantur. Crux est palus, in quo erecto serpente aeneo *(Num. 21, 9)*, id est Christo, omnes qui eum fideliter aspiciunt, liberantur a morsibus serpentum ignitorum, id est diabolorum. Crux est cithara, in qua noster David, id est Christus, psallebat *(1. Reg. 16, 23)*, quando in ea pendebat, et malignorum spirituum impetus a Saule, id est ab humano genere refraenabat. Crux est duo ligna, quae colligebat vidua Sareptana *(3. Reg. 17, 12)*, id est Ecclesia, ut sibi et filio panem faceret, quia in cruce panis, id est Christus Dominus, decoctus est. Crux est lignum Elisaei, ad quod ferrum de profundo natavit *(4. Reg. 6, 6)*, quia per lignum crucis de abysso mortis sumus extracti, et hoc ab Elisaeo calvo habemus, id est Christo in cruce denudato, vel in monte Calvariae crucifixo. Crux est lignum, de quo dicunt Judaei per Jeremiam prophetam *(11, 19)*: Venite, *mittamus lignum in panem ejus*, id est Christum in cruce interficiamus. Crux est palma, quam Christus ascendit, et fructus ejus apprehendit *(Cant. 7, 8)*, id est redemptionem nostram. Crux est clavis David *(Apoc. 3, 7)*, quae januam caeli aperuit, et nos intromisit.“ *Expos. Missae, cap. 4.*

[2] „Modus nostrae satisfactionis factae per Christum fuit conveniens, et maxime a Deo acceptandus ... Fuit enim acceptissimus ad placandum Deum, congruentissimus ad curandum morbum, efficacissimus ad attrahendum genus humanum, prudentissimus ad expugnandum generis humani inimicum.“ *3. dist. 20. a. 1. q. 5.* Vide *cap. 1. hujus partis, not. 7.*

[3] „Haec est enim summa et perfectissima christiani imitatio, haec est summa et perfecta religio et religiosa perfectio, haec est regula et exemplar perfectionis omnis vitae et virtutis, scilicet Christum imitari in passione et morte. Sit ergo regula nostra vivendi passio Salvatoris, et tanto amplius in hoc consolemur, quanto amplius Christo conformamur, et tanto amplius desolemur, quanto ab hoc exemplari et regula amplius elongamur.“ *Stimul. div. amor. p. 1. c. 4.*

[4] „Hujus enim passionis Christi meditatio continua mentem elevabit; quid agendum, quid meditandum, quidque sciendum et sentiendum sit, indicabit; te deinde ad ardua inflammabit, teque vilificari et contemni et affligi faciet affectare; et tam in cogitatione, quam in locutione ac etiam operatione regulabit. O passio desiderabilis! O mors admirabilis! Quid mirabilius, quam quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat et mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi conjungat? Sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis extinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat. Sed vere mirabile est, quod Christus in cruce sitiens inebriat, nudus existens virtutum vestimentis ornat, sed et ejus manus ligno conclavatae nos solvunt, pedes confossi nos currere faciunt, emittens spiritum vitam inspirat, in ligno decedens ad caelestia vocat. O passio amabilis et mirabilis, quae suum meditatorem alienat, et non solum reddit angelicum, sed divinum! Nam per meditationem commorans in Christi tormentis etiam seipsum non videt, semper intuetur Dominum suum passum, vult secum crucem bajulare, et pro ipso levissime omne bonum et malum vult portare, et ipsum in corde portat caelum et terram pugillo tenentem. Vult secum spinis coronari, et ipse spe gloriae coronatur. Vult secum in ligno sine vestimentis frigescere, et nimio amoris ardore accenditur. Vult secum acetum gustare, et vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult secum in cruce existens sibi illudi, et ipse ab angelis honoratur, et a beata Virgine in filium adoptatur. Secum volens tristari, laetatur; secum volens affligi, consolatur et nimium jucundatur. Cum Christo vult in cruce pendere, et eum dulcissime Christus amplexatur. Secum vult faciem mortis pavore perfusam inclinare, et ejus caput Christus elevans suavissime osculatur. O mors amabilis! O mors delectabilis! ... Crede mihi, homo, quia si in ipsum per haec angusta foramina intrare volueris, non solum anima, sed etiam quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet corpus tuum, et quod carnale est et ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeo spirituale, ut ceteras, praeter eas, quas ibi sentiet, delicias, reputes esse nihil; immo fortasse aliquando anima propter aliquam obedientiam vel utilitatem dictabit esse recedendum, et caro allecta illa dulcedine dicet ibi esse immorandum. Et si ita accidit de corpore, quanta credis animam frui dulcedine, quae per illa foramina conjungitur cordi Christi? Certo exprimere tibi nequeo, sed experire, et scies.“ *Stimul. div. amor. p. 1. c. 1.*

[5] „Quoniam devotionis fervor per frequentem passionis Christi memoriam nutritur et conservatur in homine; ideo est dicendum consequenter, ut semper oculis cordis sui Christum in cruce tanquam morientem videat, qui devotionem in se vult conservare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Levitico *(6, 12)*: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna per singulos dies.* Audi, soror devotissima. Altare Dei est cor tuum: in hoc altari debet semper ardere ignis fervidae devotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna

crucis Christi, et memoriam passionis ipsius. Et hoc est, quod dicit Isaias propheta *(12, 3): Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ac si diceret: Quicumque desiderat aquas gratiarum, aquas lacrymarum, iste hauriat de fontibus Salvatoris, id est, de vulneribus Jesu Christi. Accede ergo tu pedibus affectionum tuarum ad Jesum vulneratum, ad Jesum spinis coronatum, ad Jesum patibulo crucis affixum, et cum beato Thoma Apostolo non solum intuere in manibus ejus fixuras clavorum, non solum mitte manum tuam in latus ejus, sed totaliter per ostium lateris ejus ingredere usque ad cor ipsius Jesu, ibique ardentissimo amore crucifixi in Christum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea praecordialis dilectionis transfixa, intimae compassionis transverberata, nihil aliud quaeras, nihil aliud desideres, et in nullo alio velis consolari, quam ut cum Christo tu possis mori in cruce. Et tunc cum Apostolo Paulo exclames, dicens: *Christo confixus sum cruci. Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus (Galat. 2, 19—20).*" *De perfect. vitae ad sorores, cap. 6.*

[6] „Modus reparandi naturam humanam per satisfactionem fuit congruentissimus ex parte Dei, ut scilicet in ipso appareret misericordia et veritas; ex parte nostra propter nostram glorificationem et nostram justificationem." — „Dicendum, quod absque dubio magis congruum fuit genus humanum reparari per satisfactionem, quam per aliam viam, secundum quod dicit Anselmus *(lib. 1. c. 19 Cur Deus homo)* et Augustinus *(Aug. lib. 13 de Tr. c. 10).* Et ratio hujus est ex parte Dei et ex parte nostra. Ex parte, inquam, Dei, quia *universae viae Domini misericordia et veritas (Psalm. 24, 10),* cum ipse sit summe justus et misericors. Et ideo in reparatione generis humani, quae est excellentissima viarum Dei, congruum est, ut simul currat misericordia cum justitia. Et ideo decens fuit, ut Deus ab homine satisfactionem exigeret pro injuria sibi facta. Et si homo non posset, tunc misericordia divina subveniret dando sibi Mediatorem, qui pro eo satisfaceret; et iste modus magis fuit congruus, quam alius. Nam si Deus culpam non dimisisset, sed vindictam exegisset, non manifestaretur ejus misericordia. Si vero omnino dimisisset, nec satisfactionem exegisset, non manifestaretur ejus justitia. Si ergo istae duae conditiones sunt in Dei opere servandae praecipue, magis congruebat humanam naturam reparari per satisfactionem, quam per aliam viam ex parte Dei reparantis. Magis etiam congruebat ex parte nostri, pro eo quod reparatio nostra ad hoc erat, ut nos reduceret a culpa ad justitiam, a miseria ad gloriam. Sicut ergo cum genus humanum cecidit per culpam, Deum inhonoravit per praevaricationem et inordinatam delectationem; sic cum redit a culpa ad justitiam, decens est, ut Deum honoret sustinendo poenam; et in hoc magis reparatur ad normam justitiae. Rursus, sicut gloriosius est acquirere vitam aeternam per merita, quam sine meritis eam acquirere; sic gloriosius est reconciliari Deo per satisfactionem, quam sine. Modus ergo reparandi per satisfactionem plus convenit nostrae justificationi et nostrae glorificationi. Si ergo haec duo principaliter considerantur in reparatione generis humani, planum est, quod hic modus reparandi magis conveniens est, tam ex parte Dei reparantis, quam ex parte humani generis reparati." *3. dist. 20. a. 1. q. 2.*

[7] „In anima passibili duplex est genus passionum. Unum, quod patitur in se per affectiones; aliud, quo compatitur corpori propter corporis laesiones." *3. dist. 18. dub. 1.* — „Sicut lux potest dupliciter obfuscari, vel in se, vel in sua irradiatione; sic et delectatio potest dupliciter removeri ab anima rationali; aut quia ipsa desinit in se delectari, aut quia desinit redundare in partem inferiorem. Cum ergo dicitur, quod delectatio divinitatis remota fuit in morte ab anima Christi, hoc non intelligitur a ratione, quod mens ejus desineret frui divinitate, sed quod dispensative subtracta fuit redundantia in partem sensibilem, et exposita fuit passioni acerbissimae. Propter quod clamat in passione: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me (Matth. 27, 46),* quod non intelligitur, quod dereliquit solvendo vinculum unionis, sed exponendo ad supplicium passionis." *3. dist. 21. a. 1. q. 1 ad 4.*

[8] „Secundum communem sententiam Magistrorum passio Christi non solum stetit in sensualitate, nec tantum pervenit ad rationem inferiorem, sed extendit se usque ad superiorem portionem. Sicut enim anima nostra ex conjunctione sui ad corpus infectum tota corrumpitur, et tota inficitur secundum omnem sui vim, et secundum omnem partem, scilicet tam superiorem, quam inferiorem; sic anima Christi ex conjunctione sui ad corpus patiens et afflictum tota patiebatur et affligebatur, ut per illam passionem et dolorem illum tota peccatrix anima curaretur: et sic dolor et passio fuit in Christo secundum supremam rationis partem, quamvis in ea fuerit gaudium fruitionis. Licet autem hoc teneatur tanquam verum, difficile tamen est ad intelligendum, qualiter in anima Christi secundum eandem potentiam et secundum eundem statum potentiae fuerit dolor et gaudium, nec dolor superveniens discontinuaverit gaudium, imo fuerit simul. Nec iterum, quod majus est, dolor intensus valde fecerat gaudium esse minus perfectum. Ad haec autem intelligenda, tria oportet supponere, quae sunt vera et probabilia, videlicet quod gaudium fruitionis et dolor passionis non sunt affectiones contrariae, quia non sunt respectu ejusdem, nec omnino eodem modo insunt eidem; sed unum inest per se, alterum per accidens, quia gaudium inest propter conjunctionem gratuitam ipsius cum deitate, sed dolor propter naturalem conjunctionem ipsius cum carne: et quia non sunt affectiones contrariae, possunt in anima esse secundum eamdem partem. Secunda suppositio est, quod non tantum hujusmodi dolor et gaudium non sunt contraria, sed unum est materiale respectu alterius; et ideo simul eidem inesse potuerunt, sicut in vero poenitente videmus, quod simul dolet, et de dolore gaudet; sic et anima Christi secundum naturam corpori patienti compatiebatur, tamen de illa passione et compassione laetabatur. Tertia suppositio est, quod Christus simul erat viator et comprehensor, ita quod viatoris cognitio non impediebat comprehensoris cognitionem, nec affectio affectionem; et illud fuit in Christo singulare propter officium mediatoris, quo debebat experiri et divina et humana. Unde sicut simul et semel poterat perfecte converti ad Deum et converti ad nos, ita quod una illarum conversionum alteram non impediebat, nec retardabat; sic potuit secundum eamdem partem animae simul et semel gaudere in Deo, et compati corpori suo; ita quod nec dolor a gaudio, nec gaudium a dolore

pateretur aliquam diminutionem, sive remissionem. Concedendum est ergo Christum secundum superiorem portionem rationis doluisse in passione, in quantum tamen ratio illa consideratur per modum naturae." *3. dist. 16. a. 2. q. 2.*

[9] „In Christo duplex dolor fuit, secundum quod dicunt Sancti, videlicet dolor passionis et dolor compassionis, et uterque dolor intensus fuit et acerbus. Multum enim in se doluit, et multum nobis condoluit; et uterque istorum dolorum in sensualitate fuit et in ratione, sed ordine permutato. Nam dolor passionis et carnis primo attingebat animam secundum sensualitatem, et deinde secundum alias vires. Dolor vero compassionis primo erat in ratione, et ex ratione redundabat in sensualitatem. Sicut enim ratione nostra dolente pro peccatis nostris, gemit sensualitas et lacrymatur; sic et Christus, quia multum pro peccatis nostris doluit, de peccatis nostris flevit." *3. dist. 16. a. 2. q. 3.*

[10] „Christi dolor acerbissimus fuit tum ex modo patiendi, tum ex causa passionis, tum ex conditione patientis." — „Dicendum quod dolor passionis Christi inter ceteros dolores et passiones fuit acerbissimus et acutissimus. Et hoc patet, si illa considerentur, quae doloris passionem acerbiorem reddunt. Haec autem sunt tria, videlicet causa passionis, et modus patiendi, et conditio patientis. Si consideretur causa, ob quam Christus passus est, fuit in eo doloris afflictio magna. Non enim patiebatur pro culpa propria, imo pro aliena; non pro amicis tantum, sed etiam pro inimicis, et etiam pro his, quos videbat ingratos. Si autem consideretur modus patiendi, fuit in eo passio doloris acerbior, tum propter generalitatem, quia in omnibus membris affligebatur, tum etiam propter continuitatem, quia suspendium ejus continuabatur, et clavi adeo affligebant pendentem, sicut afflixerunt, quando manus ejus et pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio propter nervos et musculos ibidem concurrentes, in quibus praecipue viget sensus. Si autem consideretur qualitas, sive conditio patientis, maxima erat afflictio propter maximam complexionis aequalitatem et propter sensus vivacitatem. Unde quia nullus potuit ei aequari, nec aequalitate complexionis, nec vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus. Et ideo rationes, quae hoc ostendunt, concedamus; et ei gratias, quantas possumus et supra quam possumus, referamus, si quo modo donetur nobis, ut tam graviter patienti compatiamur. Rationes vero, quae objiciuntur ad contrarium, quae ostendunt mitigationem doloris Christi, non obviant veritati, si recte intelligantur. Convenit enim esse acerbitatem in dolore quantum ad duo, videlicet quantum ad experientiam sensus, et quantum ad repugnationem rationis. Licet autem in Christo fuerit maxima doloris afflictio quantum ad experientiam sensus, ratio tamen Christi modicos reputabat omnes illos cruciatus, nec tamen auferebat acerbitatem, sed rationis subversionem." *3. dist. 16. a. 1. q. 2.*

[11] „Septimum vinculum, quo ligatus est *(Christus)* in cruce, ferreum fuit. Hoc autem vinculum multo fortius et ferocius ceteris, quia non solum manuum pedumque sanctissimorum compagem divisit, verum etiam illam purissimam animam a mundissimi corporis hospitio separavit. Nunc enim, *o filiae Sion, egredimini, et videte (Cant. 3, 11)* pacificum vestrum, pugnantem pro libertate vestra, in bello occumbere. Videte vitae vestrae auctorem pro vobis mortis januas introire, ut vos ad vitae viam revocaret. Videte vincula durissima, clavos ferreos, manus et pedes, qui ad salutem semper directi fuerunt, et salutem nostram operabantur in medio terrae *(Ps. 73, 12)*, crudeliter penetrare. Videte lignum crucis missum in panem nostrum *(Jerem. 11, 19)*, panem candidissimum, panem delicatum, panem angelorum, *qui de caelo descendit (Jo. 6, 59)*, ut se nobis daret in cibum, et animas nostras, continuo subjectas labori, semetipso, non alio cibo reficeret; et se nobis incorporando, non ut in nostram carnem se, sed ut nos in suum spiritum transformaret. Videte ergo, carissimae, quomodo justus ligatur, quomodo *cum iniquis deputatus est (Is. 53, 12)* liberrimus et optimus sponsus vester. Moritur vita vestra, non quidem pro necessitatibus suis, sed pro vestris necessitatibus. Date lacrymarum flumina in tantis vinculis morienti, quia et ipse prior pro nobis lacrymatus est. Astate pendenti, vacate et videte, quam amara, quam turpissima morte condemnetur. Sustinet enim adhuc, et diligenter considerat, si quis sit qui simul contristetur, et si quem inveniat, qui consolationem impendat, qui sanguinis rivos abstergat, qui oculos componat, qui clavos, cum quibus ligatus est, extrahat, et de cruce depositum munda sindone non panni, sed cordis involvat, et flens, cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum prosequatur. Quaecumque anima fecerit haec assidue, spero etiam, quod laetissime resurrectionis quandoque mereatur gaudio recreari; *si enim compatimur, et conregnabimus (2. Tim. 2, 12).* Quod bene sponsa in Cantico amoris ostendit, praemittens: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur.* Et subjungit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi (Cant. 1, 12 et seq.).* Quid est fasciculus myrrhae? Myrrha amara amaritudinem passionis significat, fasciculus vero coadunationem multarum passionum ostendit. Fit ergo sponsus sponsae suae fasciculus myrrhae, quando ipsum multiplicibus affectum injuriis ad mentem reducit, quarum quaedam jam enumeratae, aliae vero enumerandae sunt. Quae sunt autem ubera sponsae, inter quae illum commoraturum affirmat? Duo ubera sponsae prosperitas et adversitas sunt. His tamquam uberibus nutritur, dum adversitate fovetur, ne in prosperis elevetur. Ponit autem dilectum suum inter haec ubera, dum illius et in adversis et in prosperis recordatur. Ex quo evenit, ut ille, qui modo fuerat fasciculus myrrhae, id est, qui mentem sponsae passionum suarum amaritudinibus amaricaverat, subito sit botrus Cypri, continens in se vinum jucunditatis et laetitiae. Quod fit, dum sponsum, quem tot viderat oppressum injuriis, et morte turpissima condemnatum, per resurrectionis triumphum gloria videt et honore coronatum, et cum humanitate, quam assumpserat, ad Patris dexteram considere, confidens se certissime per diversas tribulationes ad idem Domini sui gaudium intraturam. *Exeamus ergo* et nos, secundum monita beati Pauli Apostoli *(Hebr. 13, 13)*, cum sponso nostro bono et optimo Jesu *extra castra;* id est, extra concupiscentias praesentis saeculi, *improperium* crucis et vinculorum asperitatem cum illo *portantes*, quia non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo, nec ad capitis corpus judicatur pertinere membrum, quod capiti compassum non fuit. Vinciamur ergo vinculis passionis boni et amantissimi Jesu, ut etiam vinculis caritatis cum illo vinciri possimus. Ipse enim vinculis caritatis de-

vinctus, ad suscipienda vincula carnis et passionis de caelo tractus fuit ad terram. Et nos ergo, qui de terra trahi desideramus ad caelum, prius passionis vinculis nostro capiti colligemur, ut per hoc ad caritatis vincula pervenientes, unum efficiamur cum ipso, secundum quod oravit Patrem, dicens: *Rogo, Pater, ut quos dedisti mihi,* confirmati in caritate, *sint unum in nobis, sicut et tu et ego unum sumus (Jo. 17, 22).* Quid hac unitate gloriosius? Quid ultra vel optare poteris, vel habere? Unum cum sponso tu eris. O felix, felicior, imo omnium felicissima unitas. Hac unitate se Apostolus Christo unitum sentiebat, cum dixit: *Quis separabit nos a caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a caritate, quae est in Christo Jesu (Rom. 8, 35—38).* Optemus totis desideriis hujus caritatis vinculis sponso et Domino nostro colligari, ita ut ejus sequentes vestigia illuc pervenire possimus, ubi ipse est, qui dixit *(Jo. 17, 24; 12, 26): Volo, Pater, ut ubi ego sum, et illi sint mecum. Ubi ego sum, ibi sit et minister meus.“ Tract. de Vite mystica, nn. 16—18;* Supplem. vol. III.

[12] „Omnis vita est ab aliquo informante vivificante; sed caro post separationem animae uniebatur alicui vivificanti per modum formae; ergo post separationem animae caro non habebat vitam.“ — „Omne, quod vivit, habet aliquem usum vitae, utpote uti alimento, vel sensu, vel motu, vel intellectu; sed nullum istorum caro Christi habebat post separationem animae; ergo non vivebat.“ — „Nihil vivum suscitatur vel resurgit, quia suscitatio et resurrectio non est nisi mortui; sed caro Christi resurrexit et suscitata fuit; ergo post separationem animae vitam non habuit.“ *3. dist. 21. a. 2. q. 2. fund. 2—4.* — „Absque dubio caro Christi post separationem animae mortua fuit, caruit enim usu et complemento vitae. Res enim corporalis non est nata vivificari nisi ab aliqua forma spirituali ipsam complente, et sibi proportionabili. Quoniam ergo in ipsa separatione animae caro Christi caruit hujusmodi forma; ideo vere fuit mortua. Et quamvis haberet divinitatem unitam, non tamen ab ea vivificabatur, non propter defectum a parte vivificantis, sed propter improportionem vivificabilis.“ *Ibid. concl.*

[13] „In morte Christi non fuit divinitas separata a carne. Et hujus ratio triplex est, videlicet liberalitas a parte assumentis, dignitas a parte assumptibilis, utilitas ex parte assumptionis. Liberalitas, inquam, ex parte assumentis; quia cum Deus dat aliquod donum, non subtrahit illud sine culpa. Si ergo nulla culpa intervenit, non decuit divinam liberalitatem carnem, quam sibi liberaliter unierat, separari a se. Dignitas etiam ex parte assumptibilis fuit in causa, quare ista unio non debuit separari. Caro enim illa non debuit videre corruptionem, secundum illud quod dicitur in Psalmo *(15, 10): Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Sicut ergo nunquam decuit ipsam incinerari, sic nunquam decuit ipsam a Verbo separari. Utilitas autem ex parte assumptionis ad hoc ipsum faciebat. Ad hoc enim fiebat illa unio divinitatis ad humanam naturam, et carnis ad animam, ut procuraretur nostra salus. Et quoniam separatio carnis a divinitate in nullo faceret ad nostram salutem, pro eo quod non potest per eam fieri satisfactio, cum divinitas non possit sentire dolorem et poenam in separatione ipsius a carne; hinc est, quod non erat conveniens carnem separari a divinitate.“ *3. dist. 21. a. 1. q. 2.* — „Ad illud quod objicitur, quod anima non potuit uniri ipsi Verbo, quin vivificaretur ab ipso; ergo nec caro: dicendum quod non est simile, pro eo quod ipsa anima, cum sit imago Dei, et immediate nata ferri in Deum, capax ejus est, et particeps esse potest, et ita immediate habet ab illo et in illo vivere per cognitionem et amorem; sic autem non est de carne, non enim est nata Deum cognoscere vel amare.“ *Ibid. a. 2. q. 2 ad 2.*

[14] „In morte non fuit anima separata a Verbo. Et ratio hujus est; quia nec Deum decebat, nec nobis expediebat, nec illi animae congruebat. Deum non decebat, quia indissolubili matrimonio eam sibi conjunxerat. Unde sicut non decet virum relinquere uxorem, sic non decuit Verbum Dei ab anima separari. Nobis non expediebat, quia si facta fuisset separatio, anima illa non habuisset potentiam ad redimendum genus humanum captivum, nec Mediatoris officium ad reconciliandum; et neutrum erat nobis expediens, sed potius ejus oppositum. Animae etiam illi non congruebat, tum quia innocentissima, tum etiam quia beatissima. Quia beatissima erat, non poterat contra voluntatem suam separari ab eo. Quia innocentissima erat, non poterat velle separari a Verbo. Et ideo concedendum est, quod in morte anima separata a Verbo non fuit. Nam si quis contrarium diceret, injuriam faceret deitati et nobis et animae Christi; et ideo dignus esset anathematizari. Et ideo dicit Damascenus *(lib. 3. de fide orth. c. 27),* quod quicumque hoc dixerit, anathema sit.“ *3. dist. 21. a. 1. q. 1.*

[15] „Anima separata a corpore non est plene persona . . . Ratio hujus est, quoniam ad completam rationem personae requiritur distinctio singularitatis et incommunicabilitatis et supereminentis dignitatis. Quamvis autem in anima separata sit reperire singularitatem et dignitatem, non est tamen reperire incommunicabilitatem, quia appetitum et aptitudinem habet, ut uniatur corpori ad constitutionem tertii; et ideo necesse est ipsam carere distinctione personalitatis. Quoniam si completior est anima, dum appetitus ejus terminatur, quem habet respectu corporis resumendi, sicut vult Augustinus *(12. in Gen. ad lit. c. 35),* et tunc non habet in se intentionem personae; necessario sequitur, quod personalitate careat, cum est separata a corpore: alioquin sequerentur praedicta inconvenientia, videlicet quod unio esset praeternaturalis, et separatio non esset poenalis: iterum, quod unio esset in animae praejudicium, et separatio in praemium, quorum quodlibet falsum est.“ *3. dist. 5. a. 2. q. 3.*

[16] „Christus in triduo secundum esse actuale non fuit homo, licet secus dicat Magister et Hugo.“ — „Secundum naturalem philosophum, homo est quid compositum ex anima rationali et carne; sed Christus in triduo non erat hujusmodi; ergo Christus in triduo non erat homo vere.“ — „Nulla forma praedicatur de toto ut forma est, sed quia est forma consequens totum compositum. Si ergo homo praedicatur de Christo, necesse est, quod nominet formam consequentem totum compositum; sed in Christo soluta erat compositio in triduo; ergo in triduo non po-

terat dici homo. Major propositio manifesta est per inductionem et per auctoritatem Avicennae, qui eam ponit, et per auctoritatem Boëtii, qui dicit, quod species est totum esse individui." — „Corrupto superiori essentiali, necesse est corrumpi inferius; sed esse vivum superius est ad esse hominem, et est ei essentiale, quia vivere est esse viventis; ergo si Christus in triduo desiit esse vivens; ergo in triduo desiit esse homo; non ergo Christus in triduo erat homo." — „Christus in triduo nec videre poterat, nec audire, nec loqui; ergo si erat homo, erat homo caecus, surdus et mutus; sed hoc est absurdum dicere de Christo; ergo falsum est dicere, quod Christus in triduo fuerit homo." — „Sicut unio divinae naturae et humanae facit Deum esse hominem, ita unio animae ad carnem facit esse animatum; ergo, cessante unione animae ad carnem, cessat esse animatum; et si cessat esse animatum, cessat esse animal; et si cessat esse animal, necessario cessat esse homo: ergo a primo, cum in Christo fuerit separatio animae a carne in triduo, Christus desiit esse homo in triduo; ergo non fuit homo in triduo." — „Ad hoc ipsum sunt rationes Magistri in littera, quae super hoc fundantur. Omnis homo aut est mortalis, aut immortalis; omnis etiam homo est alicubi homo; sed Christus in triduo nec erat mortalis, nec erat immortalis, nec erat alicubi homo; quia non in sepulchro, cum non esset ibi nisi corpus; non in inferno, cum non esset ibi nisi anima; ergo Christus non fuit homo in triduo." *3. dist. 22. a. 1. q. 1;* et *fundam. 2—7.*

[17] „De quiete corporis in sepulchro, utrum corpus Christi per triduum fuerit in sepulchro. Et quod sic videtur: *Sicut Jonas fuit tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti; sic filius hominis erit tribus diebus et tribus noctibus in corde terrae (Matth. 12, 40);* ergo corpus ejus fuit tribus diebus et tribus noctibus in sepulchro." — „Item: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud (Jo. 2, 19).* Et subjungit Evangelista, quod hoc *dicebat de templo corporis sui;* ergo redit idem quod prius." — „Item in symbolo: Tertia die resurrexit a mortuis; ergo corpus ejus jacuit per triduum in sepulchro." — „Item hoc ipsum probatur per communem Ecclesiae observantiam, quae mortem ejus in die veneris celebrat, et resurrectionem in die tertia sequenti, scilicet in die dominico; si ergo jacuit in sepulchro a morte usque ad resurrectionem, patet etc." — „Christus requievit per triduum in sepulchro, quod per synecdochen est intelligendum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod non conveniebat corpus Christi statim post mortem suscitari, nec tamen conveniebat suscitationem ejus usque ad generalem resurrectionem differri. Et ratio hujus est, quia nostrae fidei certitudo, qua credimus nos resurrecturos, fundata est supra veram resurrectionem Christi. Ad hoc autem quod constet nobis de veritate resurrectionis Christi, duo concurrunt. Primum est, quod opportunum est, quod constet de veritate mortis. Secundum est, quod oportet, quod constet de veritate conjunctionis iteratae animae et carnis. Veritas mortis non constitisset nobis, si Christus statim resurrexisset, sed potuisset aliquis suspicari ipsum finxisse se mortuum. Veritas iteratae conjunctionis non constitisset, si Christus adhuc non resurrexisset; ergo potius posset quis desperare, quam expectare: imo certe si non resurrexisset, fides in Apostolis omnino defecisset, nec aliquis fuisse Christum Deum crederet, sed hominem purum; necesse ergo fuit propter nostrae fidei veritatem et firmitatem, resurrectionem Christi accelerari, nec tamen adeo accelerari, quin manifestaretur veritas mortis; ideo usque ad tertium diem distulit et non amplius, quia per tempus illud vere poterat manifestari fuisse mortuus. Requievit ergo, sicut dicit fides nostra, per triduum in sepulchro; non tamen per tres dies integros et completos, sed per ultimam partem diei veneris et per primam partem dominicae diei et per totam diem sabbati, ita quod requietio illa per triduum intelligenda est per synecdochen. Et in hoc omnes Sancti concordant, licet de hora temporis videatur esse controversia." *3. dist. 22. a. 1. q. 3;* et *fundam.*

[18] „Verbum unica unione, quae est relatio, fuit unitum animae et carni, unica vero actu, sed pluribus in potentia, quae fiunt actu in separatione animae a corpore. Unio dicitur in tribus modis, uno modo dicitur actio unientis, alio modo dicitur passio unibilis, tertio modo dicitur relatio unitorum. Cum ergo quaeritur, utrum anima et corpus uniantur ipsi hypostasi Verbi unione duplici, respondendum est: Si loquamur de unione actione, non est ibi nisi unica unio. Unica enim unione univit sibi Verbum carnem et animam, sicut unica assumptione assumpsit corpus et animam. Similiter si loquamur de unione passione, non fuit ibi nisi unica unio. Caro enim et anima non fuerunt unita ipsi Verbo in unionis primordio ut divisa, sed ut conjuncta in unam substantiam et naturam; ideo assumpta et unita fuerunt assumptione et unione unica. Si autem loquamur de unione, secundum quod est relatio unibilium, sic dicendum est, quod cum relatio non numeretur nisi per extrema, eo modo habet multiplicari, quo habet plurificari ipsum unibile. Quoniam ergo unibile ex parte humanae naturae fuit unum in actu, et plura in potentia; quia extremum illud erat humana natura constans ex corpore et anima, quae concurrebant in unum secundum actum, et poterant esse divisa et distincta; hinc est, quod quamdiu corpus et anima fuerunt conjuncta, unica unione uniebantur Verbo, unica, inquam, in actu, sed pluribus in potentia; quando vero ad invicem in morte fuerunt separata, in morte uniebantur unionibus pluribus. Caro enim dicebatur unita Verbo, et anima unita; et haec relatio ex parte carnis et animae erat alia et alia. Intellecto enim, quod caro non esset unita, adhuc posset intelligi unita esse anima." *3. dist. 21. a. 1. q. 3.*

[19] „Per passionem Christi sumus a potestate diaboli liberati, omnes quidem quantum ad sufficientiam, sed illi soli, qui sunt de ejus corpore, hoc est Ecclesia, quantum ad efficaciam. Et hoc patet sic. Diabolus enim ante passionem Christi habebat duplicem manum, videlicet attrahentem et impellentem. Manus attrahens erat potestas trahendi ad limbum etiam justos et sanctos. Manus impellens erat potestas praecipitandi in malum vel per fallaciam, vel per violentiam, quia tentabat ut draco, tentabat ut leo. Et prima manus, scilicet attractiva, erat tantae potentiae, ut nullus posset ei resistere; et haec fuit ei omnino amputata per passionem. Jam enim nullum justum potest ad limbum trahere, quia per passionem Christi deletum est chirographum peccati Adae. Manum autem im-

pellentem habebat ita fortem, ut cum magna difficultate posset quis ei resistere. Et ideo in multis regnabat, imo fere in omnibus, omnes enim vel superabat per fraudulentiam, vel per violentiam: et haec potestas debilitata est per passionem, per quam lumen veritatis aperitur contra diabolicam fraudulentiam, et adjutorium virtutis attribuitur contra diabolicam violentiam. Apparuit autem lumen veritatis, et interius per divinam inspirationem, et exterius per humanam instructionem. Jam enim fere omnibus est veritas propalata; et ideo est destructa idololatria, quae prius regnabat. Adjutorium etiam virtutis tribuitur per gratiae infusionem, quae reprimit concupiscentiam, et per angelicam protectionem, quae comprimit et reprimit potestates adversas; et hoc idem virtute passionis, merito cujus mittitur nobis Spiritus sanctus, mittuntur etiam et ipsi angelici spiritus, ut superetur adversarius. Unde diabolus super omnia abhorret memoriam passionis et figuram crucis, per quam sumus a potestate ejus liberati." *3. dist. 19. a. 1. q. 3.*

[20] „Christus per passionem suam delevit chirographa culparum, quia per passionem suam impetravit remissionem culparum, quoad maculam et quoad reatum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sermo iste est metaphoricus, quo dicitur per passionem Christi deleri chirographa culparum. Dicitur enim chirographum a chiros, quod est manus, et graphia, quod est scriptura, quasi scriptura manu facta. Quae autem sit ista scriptura, quae dicitur chirographum decreti et chirographum culpae, diversimode potest assignari, secundum diversas expositiones, quae innuuntur ad Colossenses *(2, 14)*. Secundum tamen expositionem, quae magis consonat verbo Apostoli et dicto Augustini, sciendum quod chirographum culpae dicitur esse memoriale, quo anima tenetur adstricta et obligata alicui poenae, sicut aliquis quando obligat se alteri, facit ei chirographum: et hoc innuit Augustinus in litera *(de pec. mer. et rem. l. 2. c. 30)*, cum dicit: Culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores ante diabolo tenebantur. Et dicitur illud chirographum culpae et chirographum decreti, quia talis obligatio consurgit ex nostra culpa tanquam ex merito, et ex divina sententia tanquam ex decreto; et sic chirographum dicitur esse memoriale illud, quo quidem peccatum manet quantum ad reatum, ratione cujus divina justitia habet nos punire, diabolica malitia potest accusare et detinere, et conscientia nostra potest contra nos remurmurare. Et illud chirographum adversum nos habet inscribi non solum pro peccatis nostris actualibus, sed etiam pro peccato primi parentis; et ratione hujus diabolus habet in nos aliquam potestatem vel simpliciter, vel ad tempus. Quoniam ergo Christus per passionem suam non solum impetravit nobis remissionem culpae quantum ad maculam, sed etiam quantum ad reatum; hinc est, quod dicit Apostolus et Augustinus, quod Christus per passionem suam delevit chirographa culparum. Sed Apostolus dicit singulariter delens chirographum decreti, quia loquitur de memoriali transgressionis primi parentis; Augustinus vero pluraliter, quia loquitur de remissione omnium peccatorum quantum ad reatum, ut perfectum exprimat ipsius passionis effectum. Concedendum est ergo, quod per passionem Christi delentur chirographa culparum." *3. dist. 19. a. 1. q. 2.*

[21] „Justificatio nostra attribuitur passioni Christi per modum meriti, sed per modum quietantis attribuitur resurrectioni, utrique autem per modum excitantis et regulantis." — „Est notandum, quod nostra justificatio attribuitur tam passioni quam resurrectioni, sicut habetur in textu et Glossa in pluribus locis. Unde super illud ad Romanos *(4, 25)* dicitur: *Mortuus est propter nostra delicta etc.* Utraque, scilicet mors et resurrectio Christi, delicta nostra tollunt, et utraque justificant. Attamen neutri, id est, nec resurrectioni, nec passioni attribui potest proprie causalitas justificationis, sive deletio culpae, quia non invenitur ibi proprie aliquod genus causae, sicut in opponendo ostensum est. Habent tamen nihilominus aliquam causalitatem in hoc, quod habent aliquam causae proprietatem. Attribuitur enim his justificatio nostra per modum meriti intervenientis, quod quidem habet dispositionis rationem, et reduci habet ad causam materialem. Per modum exempli provocantis et excitantis, quod quidem habet reduci ad causam moventem et efficientem. Per modum exemplaris regulantis, quod quidem habet reduci ad causam formalem. Per modum termini quietantis, quod quidem habet reduci ad causam finalem. Et ita his duobus attribuitur justificatio, secundum proprietatem cujuslibet generis causae. Attamen ratio merendi justificationem attribuitur soli passioni, non resurrectioni. Ratio vero terminandi et quietandi attribuitur resurrectioni, ad quam ordinatur justificatio, non passioni. Duo vero intermedia, scilicet excitatio et regulatio, attribuuntur utrique. Nam passio excitat nos ad Dei dilectionem, et ulterius insinuat nobis, qualiter mori debeamus peccatis; et ita est exemplum provocans et exemplar regulans. Et quod sit exemplum, habetur ex prima Petri *(2, 21): Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.* Quod sit exemplar, habetur ad Romanos *(6, 5): Si complantati sumus similitudini mortis ipsius etc.* Similiter et resurrectio habet rationem exempli provocantis et exemplaris dirigentis. Provocat enim nos ad justitiam, per quam acquirimus illam gloriam, quam credimus Christum habuisse in sua resurrectione, ut talia sint corpora nostra, qualia Christus in sua resurrectione monstravit, sicut dicitur in quadam Glossa. Dirigit etiam nos, dum ad ejus exemplar conamur ambulare in novitate vitae, juxta illud, quod dicitur ad Romanos *(6, 4): Quo modo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Et sic tam passio quam resurrectio habet rationem excitantis et regulantis, respectu nostrae justificationis, secundum duo, quae in nostra justificatione habent considerari, scilicet ablatio mali et collatio boni. Ablatio mali appropriatur ipsi passioni; collatio vero boni ipsi resurrectioni. Et hoc est, quod dicitur in Glossa: *Traditus est propter delicta nostra etc.* Mors Christi sola interitum vitae veteris significat, et in resurrectione sola nova vita significatur. Ex his ergo, quae dicta sunt, patet responsio ad quaestionem supra propositam, videlicet qualiter nostra justificatio, sive deletio culpae, sit a passione Christi. Est enim ab ea per modum meriti et per modum exemplaris et signi. Patet etiam, qualiter sit a resurrectione." *3. dist. 19. a. 1. q. 1.* — „Justificatio potest attribui passioni, ratione termini a quo, scilicet ratione amotionis mali; et resurrectioni, ratione termini ad quem, scilicet ratione collationis boni." *Ibid. q. 4 ad 1.*

[22] „Cum agnus innocens, qui et verus justitiae sol, trium horarum spatio pependisset in cruce, et eodem tempore sol iste visibilis, factori suo compatiens, lucis suae radios occultasset, jam omnibus consummatis, fons ipse vitae hora nona siccatur, dum Deus et homo, Jesus, *cum clamore valido et lacrymis (Hebr. 5, 7)*, ad miserationis manifestandum affectum, et divinitatis declarandam potentiam, spiritum in manus Patris commendans, expiravit. Tunc *velum templi scissum est a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt (Matth. 27, 51 et seqq.)*. Tunc ipse Centurio Deum verum ipsum esse cognovit. Tunc qui ad spectaculum insultaturi convenerant, *revertebantur percutientes pectora sua (Luc. 23, 48)*. Tunc *speciosus forma prae filiis hominum (Psalm. 44, 3)*, caligantibus oculis et pallentibus genis, pro filiis hominum deformis apparuit, factus holocaustum suavissimi odoris in conspectu paternae gloriae, ut averteret iram suam a nobis. Respice igitur, Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, et de excelso caelorum habitaculo, respice, inquam, in faciem Christi tui. Respice hanc sacratissimam hostiam, quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris, et esto placabilis super nequitia populi tui. Considera et tu, homo redempte, quis, qualis et quantus est ille, qui pro te pendet in cruce; cujus mors vivificat mortuos, et cujus transitum et caelum luget et terra, et lapides duri quasi naturali compassione scinduntur. O cor humanum omni lapidum duritia durius, si ad tanti commemorationem piaculi nec terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate molliris! Porro ut de latere Christi morientis formaretur Ecclesia, et Scriptura impleretur, quae dicit *(Zach. 12, 10; et Joan. 19, 37): Videbunt, in quem transfixerunt;* divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus, sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte, scilicet cordis arcano, profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiae ad vitam gratiae conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam aeternam *(Joan. 4, 14)*. Ecce jam nunc lancea Saulis, perfidia populi, scilicet Judaici, reprobati *(1. Reg. 18, 11)*, casso vulnere in parietem divina miseratione perlata, foramen fecit in petra, et cavernam in maceria *(Cant. 2, 14)*, tanquam habitaculum columbinum. Surge igitur, amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis, ibi ut passer inveniens domum *(Psalm. 83, 4)*, vigilare non cesses; ibi tanquam turtur casti amoris pullos absconde, ibi os appone, ut haurias *aquas de fontibus Salvatoris (Isa. 12, 3)*. Hic enim est fons egrediens de medio paradisi *(Gen. 2, 10)*, qui in quatuor divisus capita, et in corda devota diffusus, fecundat et irrigat universam terram. Cruentatus enim Christus Dominus sanguine proprio primum sanguineo sudore, secundo flagellis, dehinc spinarum aculeis, post clavis et tandem lancea, copiose effuso, ut *apud Deum* esset *copiosa redemptio (Psalm. 129, 7)*, vestem pontificalem habuit rubricatam, quatenus vere *rubrum* appareret *indumentum ipsius*, et *vestimenta ejus quasi calcantium in torculari (Isai. 63, 2)*. Et sic, vero Joseph in veterem dimisso cisternam *(Gen. 37, 24)*, tunica ipsius intincta sanguine haedi, propter similitudinem carnis peccati, approbationis notitia discernenda mitteretur ad Patrem. Cognosce igitur, clementissime Pater, tunicam praedilecti filii tui Joseph, quem invidia fratrum secundum carnem, tanquam fera pessima, devoravit, et conculcavit in furore vestimentum ipsius, et omnem decorem illius reliquiis cruoris inquinavit, nam et quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc enim est, Domine, vestimentum, quod in manu meretricis Aegyptiae *(Gen. 39, 12)*, videlicet Synagogae, innocens puer tuus sponte dimisit, magis eligens spoliatus a carnis pallio in carcerem mortis descendere, quam adulterinae plebis acquiescendo voci, temporaliter gloriari. Nam et *proposito sibi gaudio, crucem sustinuit, confusione contempta (Hebr. 12, 2)*. Sed et tu, misericordiosissima Domina, aspice illam dilecti filii tui sacratissimam vestem, de castissimis membris et visceribus tuis, Spiritus sancti artificiositate contextam, et una cum ipso confugientibus nobis ad te veniam postula, ut digni habeamur effugere ab ira ventura.“ *Lign. Vitae, Jesus sol morte pallidus, translanceatus, cruore madidus.* — „O Domine Deus, quid tibi retribuemus pro omnibus, quae dedisti nobis? Quid tibi faciemus, aut facere possumus, quod nobis in amaricatione amaritudinis constitutis, tenebris undique circumseptis, a portu salutis nimium elongatis, turbinibus et procellis ad naufragium agitatis, imo pene tempestate nimia submersis, tam nobile solatium, tam dulce consortium, tam efficax auxilium, tam pium subsidium, Virginem Mariam irradiantem stellam dedisti? O certe beata nox! o felix tenebra! o gloriosa caligo, quae tali stella radiaris! Certe haec *nox illuminatio mea in deliciis meis (Psalm. 138, 11)*. O gloriosa Virgo, si es stella maris, semper volo in hac vita esse in mari, ut sis semper mea stella; semper in mari sim perfectae amaritudinis, de peccatis meis gemendo, Christo crucifixo intime compatiendo, proximorum miseriis et vitiis condolendo. Semper volo in hoc triplici pelago navigare, ut habeam hujus stellae ducatum. Vae illis, qui sunt in deliciis, et nolunt in hoc mare intrare, quia hac dulcissima stella carebunt. Currant undique tribulationes, et sepiant amaritudinibus inauditis, *non timebo mala, quoniam tu mecum es (Psalm. 22, 4)*. Imo tunc vere mihi refulges, cum vallatus fuero angustiis; cum humano auxilio destitutus, *intraverint aquae usque ad animam meam (Psalm. 68, 2);* cum abjectus fuero et reprobatus ab omnibus creaturis. Me peccatorum nequissimum, et in omni malo dignissimum impugnet et stimulet, obsecro, tota mundi machina, ut mecum sit haec stella maris Maria. O quam felix ero, cum fuero ab omnibus exprobratus et conculcatus, et ab hac stella susceptus! Est enim stella maris, et in amaritudine positis ipsa relucet. O quam dulce et delectabile oculis videre hanc lucem *(Eccle. 11, 7)*. O quam bona et amabilis commutatio omnem mundi consolationem abhorrere, et longe a se irrecuperabiliter ejicere pro refulgente stella maris! Qui ergo omnis amaritudinis, compassionis et passionis mare intraverit, gaudeat quod refulgeat haec stella. Nec paveat cor imperfectum, quia impossibile est naufragium fieri, hac stella radiante; nec potest nubes aliqua interponi, nisi illa volente. O Domina mea, tu in hoc mari es navis sustentans et portans, anchora stabiliens et firmans, gubernaculum dirigens et rectificans, velum deducens et obumbrans, stella refulgens et salutis portum demonstrans, imo impetrans et conservans. Quis ergo hoc mare compunctionis, compassionis

et passionis non libenter intrabit, ubi tu in omnibus subvenis et ministras? Imo ut plus dicere audeam, tu es, Maria, amarum mare facta propter Filii tui passionem et nostrarum iniquitatum compassionem. Non quod modo tristabile aliquid patiaris; sed considero mentem tuam, secundum quod in hac vita juxta crucem vivebas. Hoc modo in duplex intremus mare, scilicet Filio tuo crucifixo, et tuo cordi sibi infixo compatiendo, et de nostris iniquitatibus, quae tantae necis fuerunt occasio, intime contristando; si volumus in cor tuum intrare, quod factum est *mare magnum et spatiosum (Psalm. 103, 25)* nimis. Quis ergo non libenter intrabit in hoc mare, ut possit in cor Virginis introire? Hi certe bene intrant in cor tuum, et sunt continuo in corde tuo, qui Filii tui passionem continuo ruminant. Impossibile enim est, o Mater piissima, in Filii tui intrare vulnera, et non intrare in cor tuum; quoniam illa vulnera in corde tuo sunt perpetuo collocata. Sicut enim illa stigmata semper erunt in corpore Filii tui, sic semper in Matris mente. Quis ergo amplius tardabit et pigritabit in hoc navigium introire? Dulce est de te audire, dulcius de te cogitare; imo dulcissimum et suavissimum per Christi vulnera in cor tuum intrare. Non recedat ergo homo a Christi passione, contumelia et vulneribus, si non vult de tuo corde exire. Ibi enim fit homo totus virgineus, totus sanctissimus, totus divinus. Ibi obliviscitur homo sui, solum recogitans quae sunt Matris et Filii. Quod nobis concedat ipse, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen." *Medit. super Salut. Angel. nn. 13—18.* Supplem. vol. III.

CAPUT X.

De passione Christi [a], quantum ad exitum passionis.

a) Christi om. ed. 1484.

(Christus post passionem descendit ad limbum ad liberandum detentos: — resurrexit a mortuis ad vivificandum mortuos: — ascendit ad caelos reducendo captivitatem ad reintegrandam Jerusalem caelestem: — misit Spiritum sanctum ad aedificandam Jerusalem terrestrem.)

De exitu autem passionis Christi et fructu haec indubitanter tenenda sunt, quod anima Christi post passionem descendit ad infernum, sive ad limbum, ad liberationem non omnium, sed eorum, qui inter membra Christi decesserunt per fidem vivam, vel per [b] fidei sacramenta. Post haec [c] tertia die resurrexit a mortuis (I) resumendo corpus, quod primo [d] vivificaverat (II), sed non tale, quale prius fuerat; quia prius fuerat [e] passibile et [f] mortale, postea autem resurrexit impassibile et immortale [1], vivens perpetuo [g]. Deinde post quadraginta dies ascendit ad caelos, ubi super omnem creaturam exaltatus, sedet ad dexteram Dei Patris. Quod dictum intelligitur non quantum ad situm, qui non competit [h] Deo Patri, sed quantum ad excellentiam bonorum; quia scilicet residet in potioribus bonis Patris [2]. Postremo, interjectis decem diebus, misit in Apostolos promissum Spiritum sanctum *(Act. Apost. 2, 3),* per quem congregata est Ecclesia gentium, et ordinata secundum diversas distributiones officiorum et gratiarum.

b) Per om. ibid.
c) Hoc ibid.
d) Prius AB CDEFGH et editt. Arg. Aug. Nor.; primo ed. Rom. corpus vivificatum ed. Ven. et 1484.
e) Fuit ABD EFGH et editt. Nor. Aug.
f) Et om. ed. 1484.
g) In sempiterno ibid.
h) Convenit ACGH.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia sicut Christus, in quantum Verbum increatum, perfectissime omnia formavit; sic, in quantum incarnatum, omnia perfectissime reformare debuit. Decet enim perfectissimum principium opus non dimittere

(I) Praetermissa execranda blasphemia Calvini, qui asserere ausus est Christum ita ad inferos descendisse, ut ejus anima in desperationem acta poenas damnatorum ad tempus perpessa fuerit, Christi resurrectionem inficiati sunt Albanenses, quibus praeluserat saec. I Cerinthus, qui tamen docuit Christum quandoque fore surrecturum. Quod quidem dogma in omnibus fidei professionibus adstruitur; et S. Paulus *1. ad Cor. 15, 17—18* scribit: „Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra; adhuc enim estis in peccatis vestris. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium."

(II) Origenes effutiit Christum post resurrectionem corpus spirituale et sphaericum assumpsisse. Contra hoc figmentum Concil. Oecum. Constantin. II can. 10 definivit: „Si quis dixerit, Domini corpus post resurrectionem fuisse aethereum et figura sphaerica . . . anathema sit."

citra perfectum. Debuit ergo reparatorium principium redemptionis humanae per remedium ducere ad perfectum [i]. Ad hoc autem quod esset perfectissimum, oportuit quod esset sufficientissimum et efficacissimum. Quia sufficientissimum, ideo se extendit ad caelestia, terrestria et infernalia. Quia ergo per Christum sunt infernalia recuperata, terrestria remediata, caelestia reintegrata, ita quod primum horum fecit per veniam, secundum per gratiam et tertium per gloriam; ideo post passionem anima descendit ad inferos ad liberandum in inferno detentos [3]; deinde resurrexit a mortuis, ad vivificandum [j] in peccatis mortuos [4]; ascendit ad caelos reducendo captivitatem *(Ephes. 4, 8—10)*, ad redintegrandum Jerusalem caelestem [5]; misit Spiritum sanctum, ad aedificandum Jerusalem terrestrem. Quae omnia necessario consequuntur et exiguntur ad sufficientiam reparationis humanae [6].

i) Ita recte ex ed. 1484; in cet. remedium perducere ad perfectum.

j) Vivificandos ibid.

Rursus, quia remedium illud fuit efficacissimum tam in eos, qui Christi adventum praecesserunt, quam in eos, qui sequuntur, qui tamen ad ipsum Christum accesserunt et accedunt, et ejus membra fuerunt et sunt, tales autem sunt, qui adhaerent ei per fidem, spem et caritatem [7]; ideo remedium illud habere debuit efficaciam primo in eos, qui in Christum crediderunt, credendo speraverunt, et sperando amaverunt; ac per hoc statim debuit ad inferos descendere ad ipsorum liberationem [8]. Unde aperta janua caeli per Christi passionem, qui satisfaciendo amoverat romphaeam [9], mutando sententiam divinam, eripuit de inferno omnia membra sua. Debuit etiam habere efficaciam praecipuam in eos, qui Christi adventum sequuntur, ut attrahendo ad fidem, spem et caritatem, tandem ad gloriam perduceret caelestem.

Ut igitur aedificaret ad fidem, qua credimus Christum verum hominem et verum Deum, qua etiam credimus eum voluisse nos redimere per mortem, et ad vitam nos reducere posse per resurrectionem; ideo voluit resurgere ad vitam immortalem [10], interjecto tamen spatio temporis debito, scilicet triginta sex horarum, in quo ostenditur, quod [k] vere mortuus fuit; nec magis accelerare debuit [l], ne si citius resurgeret, crederetur, quod non vere mortuus fuisset, sed se mortuum finxisset; nec amplius differre, ne si semper jaceret in morte, crederetur impotens, et quod nullos posset ad vitam revocare, ideoque [m] resurrexit tertia die.

k) Quia ibid.

l) Debuit ibid.

m) Ideo ibid.

Amplius, ut erigeret ad spem, ad caelestem ascendit gloriam [11], quam speramus [12]. Sed quia spes non oritur, nisi ex fide immortalitatis futurae; ideo non statim ascendit, sed spatio quadraginta dierum interjecto, in quo per multa signa et argumenta veram ostenderet [n] resurrectionem, per quam animus solidaretur in fide, et sublevaretur ad sperandam [o] gloriam caelestem [13].

n) Astrueret ABCDEFH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

o) Ita ABCD EGH et editt. Aug. Nor. Ven. et 1484; sperandum ed. Rom.

Postremo, ut inflammaret ad caritatem [14], misit ignem Spiritus sancti [15] in die Pentecostes. Et quia nullus hoc igne repletur, nisi qui petit, quaerit et pulsat cum instanti et importuno spei desiderio; ideo non statim post ascensionem misit, sed decem dierum spatio interjecto [16], in quo discipuli jejunantes, orantes et gementes disposuerunt se ad Spiritus sancti susceptionem [17]. Ac per hoc sicut debitam servavit horam in patiendo, sic in resurgendo, sic in ascendendo in caelum, sic in mittendo Spiritum sanctum, et propter fundationem trium virtutum praedictarum, et propter multa mysteria, quae in his temporibus implicantur.

Et quoniam Spiritus sanctus, qui caritas est, et per caritatem habetur, est omnium

origo charismatum[18]; ideo cum descendit Spiritus sanctus, effusa est plenitudo charismatum[19] ad corpus Christi mysticum consummandum[20]. Et quia diversa membra debent esse in corpore perfecto, et diversorum membrorum diversa sunt [p)] officia et exercitia, et diversorum officiorum diversa charismata[21]; hinc est, quod uni *datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum; quae omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*[22] *(1. Cor. 12, 8—11)*, secundum suam liberalissimam providentiam et providentissimam largitatem[23].

p) Sunt add. ed. 1484.

Ad Caput X.

[1] „Cicatrices Dominus servavit, ut dicit Beda *(in Luc. 34)*, quatuor de causis. Prima est, ut fidem resurrectionis astrueret. Secunda, ut Patrem pro nobis supplicans, quale genus mortis pertulerit, semper ostendat. Tertia, ut sua morte redemptis, quam misericorditer sint adjuti, praepositis ejusdem mortis indiciis, insinuet. Quarta, ut in judicio quam recte damnentur impii, denuntiat: *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt (Apoc. 1, 7)*. Posset et quinta ratio assignari, scilicet ad affectum nostrum inflammandum, ut dicit Ambrosius. Et sexta in victoriae signum; unde Beda *(l. c.)*: Non ex impotentia servavit cicatrices, sed ut in perpetuae victoriae suae circumferat triumphum. Septima in dilectionis indicium praecipuum; unde Isaias *(49, 16)*: *Ecce in manibus meis descripsi te.* Et *(Cant. 8, 6)*: *Pone me ut signaculum super cor tuum.*“ *Expos. in Luc. cap. 24. v. 38.*

[2] *Suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia subjecit sub pedibus ejus: et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Ephes. 1, 20—22.* — „Iste ascensus non est ascensus ad locum, sed potius ad dignitatem et aequalitatem Patris. Nec est secundum acquisitionem novae dignitatis in Christo, sed propter manifestationem ejus, quod habuit ab aeterno. Unde sicut dicitur descendisse, non propter hoc quod in eo fuerit divinitas minorata, sed propter hoc quod in assumptione humanitatis apparuit minorata; sic etiam dicitur ascendisse, quia in ascensione ejus sublimitas est manifestata. Unde iste descensus et ascensus conveniebat divinae personae secundum divinam naturam, relatam tamen ad humanam.“ *3. dist. 22. dub. 4.*

[3] „Nomine inferni aliquando intelligitur poena, aliquando locus poenae. Et secundum hoc dupliciter potest aliquis dici descendere ad inferos. Aut quia descendit ad poenam, aut quia descendit ad locum poenae. Primo modo non convenit Christo, in eo enim nec fuit poena damni, nec fuit poena sensus. Secundo vero modo competit Christo. Descendit enim quantum ad illam partem, in qua erant justi, qui detinebantur merito peccati primi parentis, quae quidem pars consuevit limbus appellari. Ad illam, inquam, partem descendit non compulsus necessitate, sed sua voluntate et potestate. Ratio autem, quare voluit descendere ad eripiendos illos, qui tenebantur ibi compediti, cum etiam posset facere hoc non descendendo, fuit duplex, videlicet propter consolationem victorum, et propter confusionem adversariorum. Propter consolationem victorum, quia magna fuit eis consolatio de praesentia ipsius animae Jesu Christi; et maximae fuit dignationis ostensio in hoc, quod ipse personaliter voluit descendere ad eos. Propter hoc dicit Damascenus *(lib. 3. de fide orthodox. c. 29)*, quod descendit, ut his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, superlucescat, sicut in sua nativitate descendit, ut luceret his, qui in terris erant: propter confusionem adversariorum, ut ipsi daemones confunderentur ex sua praesentia: et sicut vicerat eos in terra in natura assumpta, sic anima ejus de eisdem triumpharet apud inferos, ipsos invitos expoliando.“ *3. dist. 22. a. 1. q. 4.*

[4] „Convivificati sumus per Christum. Et hoc notat Apostolus, cum dicit *(Ephes. 2, 5)*: *Convivificavit nos Christo*, quia Deus vivificavit nos in Christo, cum Christo, per Christum et secundum Christum. Primo ergo Deus convivificavit nos in Christo, quia in persona ejus mortalitatem nostram vitae sociavit, secundum illud Joannis *(5, 26)*: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita et Filio dedit habere vitam in semetipso.* Si ergo vitam habet Filius in semetipso, dum sibi mortalitatem nostram assumpsit, nos immortali vitae sociavit, ac per hoc in semetipso convivificavit. Convivificavit nos etiam cum Christo, dum ipse Christus, qui *vita erat (Jo. 1, 4)*, inter mortales homines vixit, secundum illud, quod dicitur in Joanne *(1. Jo. 1, 1—2)*: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam.* Et sic, dum *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (Baruch 3, 38)*, Deus nos convivificavit cum Christo, dum vivere nos fecit cum ipso. Convivificavit etiam nos per Christum, dum nos a morte eripuit per mortem ipsius, secundum illud Petri *(1. 3, 18)*: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Dum ergo Christus vitam suam pro nobis posuit, Deus per ipsum genus humanum mortuum vivificavit. Postremo secundum Christum nos vivificavit, dum ad ejus exemplum nos per viam vitae direxit, juxta illud Psalmi *(15, 10)*: *Notas mihi fecisti vias vitae*, dum nobis fidem et spem et caritatem et dona gratiarum distribuit, et mandata adjunxit, in quibus ipse Christus ambulavit, et in quibus con-

sistit via vitae, per quam Christus nos docuit ambulare. Deus ergo nos vivificavit secundum Christum, quia ad viam dirigit imitatores ipsius. De his quatuor simul habetur ad Philippenses *(2, 7—9): Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, ecce primum, scilicet quod mortalitatem nostram vitae suae univit. *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*, ecce secundum, videlicet quod cum hominibus ut homo vixit. *Humiliavit semetipsum usque ad mortem*, ecce tertium, videlicet quod per mortem suam nos a morte liberavit. *Propter quod et Deus exaltavit illum*, ecce quartum, quod videlicet post mortem multos habuit sequaces et imitatores credentes in eum." *3. Proëm.*

[5] „Si angelus nunquam peccasset, homo factus esset, et ad beatitudinem perveniret, sed non assumeretur ad restaurandos angelorum ordines; ergo si non careret ordine, in aliquo ordine poneretur; sed sive in uno, sive in pluribus, novem ordinibus adjiceretur ordo ulterius. Si ergo civitas Jerusalem per Christum perfecte restaurata est, videtur quod non sit status ordinum in novenario, immo quod eis adjiciatur saltem decimus ordo." — „Quia rationes praedictae solum sunt congruitatis, et auctoritates super hoc non inveniuntur expresse, super hoc sunt opiniones variae. Quidam namque dicere voluerunt, quod omnes homines assumerentur ad angelorum ordines, nec essent in illa superna Jerusalem nisi ordines novem: et sic competebat, ut esset expressa configuratio ad supermundanam hierarchiam, quae in Trinitate consistit; et si angeli stetissent, ad ordines eorum assumpti essent, sicut nunc assumuntur. In hoc tamen differt, quod tunc illa assumptio esset hominum beatificatio solum, nunc autem est hominum beatificatio, et ruinae angelorum per quamdam aequivalentiam reparatio. Nec obstant rationes ad hoc inductae, quia solum congruitatis sunt, nec illud, quod objicitur de beata Virgine. Quia sicut privilegium speciale non est reducendum ad legem communem, sic singularis praerogativa, quae est in beata Virgine, non est numeranda cum ordinum distinctione, quae est secundum legem communem. Et ista opinio satis probabilis esse videtur. Verumtamen, quia textus evangelicus hoc sonare videtur, dum hominem decimam drachmam vocat *(Luc. 15, 8)*, et Anselmus hoc videtur innuere *(l. de casu diab. c. 6)*; videtur aliis magis esse probabile, quod homines per se constituant communiter unum ordinem, quem vocant decimum, respectu novem ordinum angelorum. Non enim decet, ut dicunt, quod homines assumantur ad ordines angelorum, nisi illi, qui in hac vita eis similes extiterunt. Hi autem sunt virgines, qui nec nubentur, nec nubent; ideo solae virgines ad ordines angelorum debent assumi, et ex eis solum ruina angelica restaurari, pro eo quod angelis multum est cognata virginitas. Sed haec positio non videtur esse conveniens, tum quia per decimam drachmam non solummodo corrupti, sed etiam virgines homines intelliguntur; tum etiam quia multi carne corrupti multis virginibus praeferuntur, ut beata Maria Magdalena et Petrus Apostolus multis aliis virginibus masculis et feminis absque dubio sunt superiores. Et ideo tertia positio est adhuc, quod supra novem ordines angelorum addetur ordo decimus ex his, qui in vita ista non pervenerunt ad tantam meritorum excellentiam, ut exaltentur ad ordines angelorum; sed meritis Christi salvati, decimum tenent gradum, sicut pro eorum salute sol justitiae Christus per decem gradus descendit, quod signatum fuit in facto miraculo Ezechiae *(4. Reg. 20, 11)*. Et ista positio videtur esse satis probabilis, tum propter imperfectionem meritorum, quam habent multi in via; tum propter perfectionem electorum quantum ad numerum, quae erit in Jerusalem superna . . . Et ideo positionem istam possumus sustinere, quia eam probabilem reddit decimationis signatio, et decimae drachmae inventio, et solis per decem gradus descensio." *2. dist. 9. a. unic. q. 7. fund. 2 et concl.*

[6] „In redemptione fuit usus potestatis et usus humilitatis, sed usus humilitatis apparuit in primordio, usus potestatis apparuit in fine, vicit enim mortem et auctorem mortis patiendo et resurgendo." *3. dist. 19. dub. 5.*

[7] „Dominus in inferno non liberavit nisi animas electorum suorum, et eorum, qui erant membra ipsius. Quamvis enim passio Christi omnibus suffecerit, non tamen influit nisi in ejus membra; et ideo soli per passionem Christi salvati sunt, qui vel erant ejus membra, quando passus est, vel futuri erant per conversionem ad ipsum. Quoniam ergo multi erant in inferno, qui nec membra Christi erant, nec membra Christi futuri erant, quia non erant in statu merendi; ideo non omnes Dominus eripuit de inferno, sed tantum electos. Et hoc est, quod dicit Gregorius in quadam homilia infra octavam Paschae *(hom. 22 in Evang.)*. Ait enim sic: Quod ante passionem suam dixit, in resurrectione sua Dominus implevit: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me (Jo. 12, 32)*. Omnia enim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, utique electa. Unde etiam recte per Oseam *(13, 14)* dixit: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* Quia enim in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia vero in inferno partem abstulit et partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Concedendum est ergo, quod Christus in suo descensu ad inferos non omnes liberavit de inferno." *3. dist. 22. a. 1. q. 5.*

[8] „Animae Sanctorum non statim post mortem Christi perductae sunt in caelum, quantum ad locum, statim tamen post resolutionem animae a corpore in Christi descensu ad inferos viderunt lumen aeternum, et beatae factae sunt, et patefactum est caelum eis quantum ad praemium. Unde in loco etiam infernali existentes habuerunt paradisum et apertam Dei visionem, quae non est aliud quam vita aeterna. Licet autem beatitudinem statim post mortem Christi haberent, non tamen locum beatitudinis statim adeptae sunt, quoniam ipse Christus debuit in omnibus primatum tenere, et *primogenitus* esse *in multis fratribus (Rom. 8, 29)*, tamquam caput omnium. Resurrectio autem Christi et ejus ascensio differri debuit propter nostrae fidei confirmationem, ideo enim dilata fuit resurrectio, ut ostenderetur, quod vere Christus mortuus fuerit. Et ideo etiam dilata fuit ascensio, ut per multa argumenta ostenderetur, quod vere resurrexit, secundum quod dicitur *(Act. Apost. 1, 3): Praebuit semetipsum in multis argumentis, apparens eis etc.* Quoniam ergo nulla anima in caelum debuit ascendere ante Christum, et Christi ascensio propter nostram salutem debuit differri; hinc est, quod animae Sanctorum nec statim fuerunt de limbo eductae, nec

statim in caelesti paradiso fuerunt locatae, divina dispensatione hoc faciente ad nostram salutem.“ *3. dist. 22. a. 1. q. 6.* — „Infernus dicitur locus poenarum, et locus, qui est inferior tum ratione status, qui vilis est, tum ratione situs. Potest ergo infernus denominari a suo summo; et tunc dicitur infernus locus, in quo est maxima poena, et locus infimus; et iste non competit nisi damnatis, qui puniuntur poena sensus, et sine spe inferius projiciuntur. Potest iterum appellari locus inferior, in quo quis punitur poena damni; et iste dicitur limbus. Et in hunc descendebant ante Christi adventum sancti Patres, et descendunt nunc parvuli non baptizati. Sed attendendum, quod Patres fuerunt in parte superiori, et parvuli in parte inferiori. Et ratio hujus est, quia isti habent carentiam visionis sine expectatione, illi habebant cum expectatione; et ideo, quia in parte superiori erant, et visionem expectabant, non tantum in limbo, sed in sinu Abrahae *(Luc. 16, 22)* dicebantur esse. Ille ergo locus dicebatur infernus, et quia inferior, et quia aliquo modo locus erat miseriae; limbus, quia erat poena carentiae, sed sinus Abrahae, quia erat expectatio gloriae.“ *4. dist. 45. a. 1. q. 1.*

[9] „Est paradisus terrestris, et est paradisus caelestis, et Adam peccante utriusque janua clausa fuit. Clausio autem januae paradisi terrestris signum fuit clausionis januae paradisi caelestis. Est autem paradisus caelestis aperta visio Dei; clausio autem hujus januae fuit impossibilitas videndi Deum facie ad faciem, quae impossibilitas consurgebat ex merito peccati Adae, et ex decreto divinae sententiae, quo scilicet Deus determinaverat neminem ad sui aspectum admittere, nisi facta esset sibi emenda et satisfactio pro illo peccato. Et quoniam emenda et satisfactio facta est per Christum; hinc est, quod per meritum Christi patuit nobis ingressus in caelum.“ *3. dist. 18. a. 2. q. 3.*

[10] „Dominica resurrectio quantum habuit, habeatque dulcedinis, quis explicet? Ponat aliquis tamen, si quis potest, in corde suo magnitudinem ineffabilem illius beatissimae et tristissimae passionis; videat quanto desperationis maerore illa dilectorum passi Jesu corda percussa fuerunt; videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quae dulcissimum Jesum ad passionis locum euntem, cum sibi crucem bajularet, et cum dulcissimam animam expiraret, non deseruerunt. Videat praecipue illam, tunc spectantem mulierculam, nunc vero mundi Dominam, Matrem Domini, quam acutus doloris gladius animam pertransierit *(Luc. 2, 35)*. Videat totius mundi machinam fabricatori suo compatientem, terram caligine involutam. Videat, inquam, haec, et tantae turbationi serenitatem tertiae diei, et insperatam laetitiam laetissimae resurrectionis annectat, recogitetque propensius, cum quanta exultatione susceperint Dominum a mortuis resurgentem, quem cum ingenti tristitia viderant morientem. Vide, cum quanta jucunditate recompensaverit in resurrectione discipulis suis tristitiam illam, et sanctissimam extremae comestionis suae coenam, in qua dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum (Matth. 26, 29)*. Ecce jam nunc resurrexit in gloria vitis vera; comeditque et bibit cum eisdem discipulis cum gaudio maximo procul dubio, seque dubitantibus aliquibus videndum pariter et tangendum exhibuit. Nec putet quisquam, quod resurrexerit ad gaudium solis discipulis, imo et resurrexit nobis et toti mundo, beatificans omnes, qui, quamvis non videant, credunt tamen ipsum passum fuisse propter delicta nostra, et resurrexisse propter justificationem nostram *(Rom. 4, 25)*; quibus docemur, quoniam si socii fuerimus passionis, erimus et resurrectionis *(Rom. 6, 5)*; et ut non dubitemus mortalia corpora nostra resurrectionis gloria sublimanda, cum caput nostrum morte turpissima condemnatum resurrexisse credamus. Nam *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (1. Cor. 15, 22). Primitiae* enim *dormientium Christus (Ibid. 20)*; deinde hi, qui sunt Christi, in adventus ejus; qui ad exemplum Christi resurgentis, ad gloriam ultra non morituri resurgent.“ *Tract. de Vite mystica, nn. 170—171;* Supplem. vol. III.

[11] „Tunc impletum est illud *(Psalm. 46, 6): Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubae.* Et iterum *(Ephes. 4, 8): Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Hujus ascensio fuit praefigurata in ascensione nubeculae parvae, de qua dicitur: *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat etc. (3. Reg. 18, 44).* Et in ascensione Eliae: *Ascendit Elias per turbinem in caelum (4. Reg. 2, 11).* Et per ascensum solis, unde Abacuc *(3, 11)*, secundum aliam translationem: *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.* Et per hoc quod Christus ascendit ad caelestia, fuit Christi Ecclesia ordinata in suis gradibus. Unde dicitur *(Ephes. 4, 10): Qui descendit, ipse est et qui ascendit supra omnes caelos, ut impleret omnia.* Aliter autem ferebatur Christus, aliter Elias. Nam Elias virtute angelorum et currus ignei; Christus autem virtute propria, serviente creatura, tam spirituali quam corporali. Et ideo in Psalmo *(67, 5): Qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.* Et *(Isa. 63, 1): Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Expos. in Luc. cap. 24 in fine.*

[12] „Est et ascensio granum in botro redemptionis per passionem factae, dulce quidem granum, plurimum in se continens dulcedinis, faciens gaudium caelis et terris. Quis enim dubitet gaudium magnum factum discipulis, cum eum ut hominem viderent caelestia penetrantem? Stabant animis simul et cordibus in caelum erectis, animi sui gaudium non capientes, sed in voce jubilationis eunti Domino gratulantes. Exultavit procul dubio et caelum, omnes videlicet angelorum chori, purpurato suo Domino nostrae carnis trabea occurrentes, et summa cum laude summum suscipientes victorem. Quod si in unius justi, sive martyris, animae adventu omnis angelorum exultat chorus; quantum putas in singularis sui imperatoris adventu omnium ordinum spiritus exultasse? Humano igitur intellectu ad hujus laudis et gaudii magnitudinem succumbente, gaudeamus et nos, dulcedinem hujus grani recolendam admirando et diligendo sugamus, exultantes in Spiritu sancto, pro eo quod carnis nostrae portio, in dulcissimo Domino, in summo Trinitatis throno excellentissime sit collocata; intendentes animos nostros, quantum possumus, post ipsum et in ipsum, ipsi *in humilitatis spiritu (Dan. 3, 39)* supplicantes, quatenus nos post se trahere dignetur *(Cant. 1, 3)*, ut in odorem unguentorum ipsius currentes, in illa cellaria, in illam supremam apothecam aromatum,

in illa interiora sancta sanctorum mereamur introduci, quo ipse Christus caput nostrum praecessit." *Tract. de Vite mystica, n. 172;* Supplem. vol. III.

[13] „*Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno (Luc. 24, 52).* Cum gaudio revertuntur, propter victoriam Domini, quem videbant penetrasse suprema caelorum. Unde Glossa: Quia Deum ac Dominum suum post triumphum resurrectionis caelos vident penetrasse, laetantur. Christus enim triumphavit plenarie, secundum illud *(Coloss. 2, 15): Expolians principatus et potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Et de hoc gaudebant, secundum illud *(Isa. 9, 3): Laetabuntur coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut exultant victores, capta praeda, quando dividunt spolia.* Et quia gaudium spirituale disponit nos ad actus spirituales, scilicet ad laudandum et orandum; ideo subdit *(Evangelista): Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum. Amen.* In templo erant ad orandum et expectandum Spiritum sanctum, secundum illud *(Luc. 12, 36): Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis etc.*" *Expos. in Luc. cap. 24. in fine.*

[14] „Quintum botri nostri granum missio Spiritus sancti est. Quis vinum jucundissimum hujus grani valeat explicare? Vinum, inquam, et, si magis placet, mustum. Mox enim accepto ab Apostolis et aliis, qui cum eis erant, expectantibus, Spiritu sancto, inebriati sunt, eructaverunt verbum bonum *(Psalm. 44, 2)*, loquebantur variis linguis magnalia Dei *(Act. Apost. 2, 11).* Ante timore absconditi, nunc cucurrerunt foras; non jam timuerunt aquam populi frementis, caritatis igne succensi, tunc pro certo experientes verum esse, quod scriptum est *(Cant. 8, 7): Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.* Irruerunt enim in eos flumina potestatum, fluxerunt aquae populosae multitudinis, flaverunt venti ac procellae comminationum, verborum, et ignis caritatis non est extinctus, imo etiam auctus est; *ibant* enim *Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. 5, 41).* Est autem auctus ignis caritatis, pluribus per eorum praedicationem accensis, et eadem, qua ipsi ardebant, jucunditate succensis." *Tract. de Vite mystica n. 173;* Suppl. vol. III. — „*Effundam de spiritu meo super omnem carnem (Act. 2, 17)*, quo tria notantur; largitas dantis: *Effundam;* pretiositas muneris: *de spiritu meo;* et dispositio recipientis: *super omnem carnem.*" *Ars concion. n. 18;* Suppl. vol. III.

[15] „Per adventum Spiritus sancti tria manifestata sunt mundo, peccatum, justitia et judicium. Peccatum mundi, justitia Christi, judicium diaboli. Et ratio horum trium est, quia Christus Redemptor erat mundi, diabolus deceptor, et mundus detinebatur a diabolo propter peccatum infidelitatis; *(Ephes. 6, 12): Adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Et de hoc peccato Spiritus sanctus arguit mundum, dum ostendit ei suam infidelitatem. Et huic concordat litera dicens: *De peccato, quia non crediderunt.* Christus vero mundum redemit sua justitia; quia enim justus fuit, et pati non meruit, patiendo pro mundo ipsum salvavit; in cujus justitiae attestationem sublimatus est ad dexteram Patris. Et huic concordat litera: *De justitia,* scilicet mea, *quia ad Patrem vado* per sublimationem; et hoc merito justitiae *(Philipp. 2, 8—9): Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Diabolus vero injuste mundum detinebat, et injuste contra Christum pugnavit; ideo judicatus est, quia amisit dominium in genus humanum. Et huic consonat sequens litera: *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est,* id est, in causa Salvatoris reus factus est." *Comm. in Jo. c. 16. n. 1069;* Suppl. vol. I.

[16] „Triplici ex causa non fuit datus Spiritus sanctus ante ascensum Christi. Una ratio est ex parte suscipientium, quia consolati sensibiliter praesentia corporali Christi, non desiderabant aliam consolationem. Deus autem non vult dona sua contemni, et ideo non dat nisi merentibus; ideoque oportuit Christum ab eis separari. Alia ratio ex parte mittentis, quia non decet miserum (cujusmodi erat Christus in carne mortali) donare suos servitores munere tam excellenti, nisi ipse appareat gloriosus; et ideo dicitur supra *(Jo. 7, 39): Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Tertia ratio est ex parte utriusque, quia adhuc manebant inimicitiae inter nos et Deum; et ideo primo oportuit fieri reconciliationem, quam Spiritus sancti donationem. Ideo prius oportuit Christum pati, quam Spiritum sanctum mitti." *Ibid. l. c. n. 1075.*

[17] „Licet Dominus statim Spiritum sanctum posset dare, voluit tamen differre, tum propter desiderium discipulorum inflammandum ad petendum, secundum illud: *Petite, et dabitur vobis (Matth. 7, 7).* Sequitur: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester caelestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Tum propter mysterium servandum, quod quinquagesima die post passionem, qui est numerus remissionis, et conficitur ex septem septenariis dierum, superaddita una unitate, ad designandum septiforme Spiritus sancti donum. Et postremo propter exemplum; unde Glossa: Cum repente, si vellet, posset eos roborare, distulit, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti ante tempus praedicare praesumerent. Ideo dicitur: *Tempus tacendi et tempus loquendi (Eccle. 3, 7).* Et: *Antequam loquaris, disce (Eccli. 18, 19).*" *Exposit. in Luc. cap. 24. v. 49.*

[18] „Apparitio Spiritus sancti fuit ad manifestandam plenitudinem redundantiae; et quoniam redundantia potest esse triplex, ideo tribus modis apparuit. Potuit enim esse haec plenitudo per redemptionem; et ita fuit in Christo, et haec est perfecta gratia per omnem modum: ideo in Christo apparuit in columba, quia erat pretium redemptionis primogenitorum, et erat animal integrum et perfectum. Potest etiam esse per vitae influentiam quantum ad sensum et motum, et hoc mediantibus Sacramentis; et haec plenitudo est in sacerdotibus: et ideo datus est eis Spiritus sanctus in specie flatus, ut habetur in Joanne *(20, 22—23): Insufflavit* in eos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.* Potest etiam tertio modo esse per cognitionis administrationem, sive doctrinam; et haec plenitudo est in Apostolis et Doctoribus; et ideo Spiritus sanctus apparuit eis in linguis igneis." *1. dist. 16. a. 1. q. 3 ad 5.*

[19] „Quaeritur, utrum post Incarnationem plenius sit datus Filius et Spiritus sanctus. Et quod sic videtur, quia status legis fuit status imperfectionis, status Evangelii,

status perfectionis, lex enim neminem ducit ad perfectionem *(Hebr. 7, 19)*; sed Evangelium dicit *(Matth. 5, 48)*: *Estote perfecti*; ergo etc. Item de Spiritu sancto videtur hoc specialiter, quia scribitur per Joannem *(7, 39)*: *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*: hoc non dicitur, quod nullo modo ante fuerit datus, sed quia non ita abundanter; ergo etc. Item major cognitio et dilectio est tempore legis gratiae, quam tempore legis scriptae; ergo etc. — Resp. Dicendum, quod plenius dari potest dupliciter intelligi, aut intensive, aut extensive. Si extensive, sic pluribus datus est Spiritus sanctus tempore legis gratiae, quia *in omnem terram exivit sonus eorum etc. (Ps. 18, 5)*, non tantum ad unam gentem. Si intensive, hoc est dupliciter, aut quantum ad generalem statum, aut quantum ad speciales personas. Quantum ad generalem statum, in novo Testamento; quantum ad speciales personas in veteri Testamento; et sic se habent ut excedentia et excessa, quia in veteri Testamento fuerunt aliqui viri evangelici: et sic procedunt rationes ad utramque partem. In veteri Testamento fuerunt aliqui abundantes in sapientia, ut Salomon, aliqui in patientia, ut Job, aliqui in mansuetudine, ut Moyses, aliqui in fide, ut Abraham, aliqui in devotione, ut David, aliqui in miraculorum opere, ut Elias." *1. dist. 15. p. 2. dub. 3.*

[20] „Sicut nubes ascendit, ut postmodum pluat; sic Christus, ut dona sua mittat, existens enim in terra, dedit Spiritum sanctum occulte, ascendens manifeste. Fuit autem Christus per missionem Spiritus sancti hierarcha purgans: *Factus est repente de caelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis (Act. 2, 2)*; ecce purgatio. Hierarcha illuminans: *Apparuerunt illis dispertitae linguae, tanquam ignis (Ibid.)*; ecce illuminatio. Hierarcha consummans: *Seditque super singulos eorum (Ibid.)*; ecce perfectio." *Serm. 3. in Hexaëm. post med.*

[21] „Gratiae gratis datae multiplicantnr propter hoc, quod ordinantur ad opera exteriora, ita quod secundum primam et immediatam rationem effectus diversos respiciunt." *2. dist. 27. a. 1. q. 1 ad 2.* — „Gratia gratis data communiter a Theologis dicitur gratia, quae bonis et malis potest esse communis, et plurificatur in homine secundum munificentiam largitoris." *Centilog. p. 3. sect. 35.* — „Mirabile illud dicitur, quod est supra facultatem naturae. Hoc autem potest esse dupliciter, secundum quod est operatio naturae simpliciter, et naturae rationalis. Facere autem mirabilia supra posse naturae simpliciter, hoc est per gratiam gratis datam, quam vocat Apostolus *(1. Cor. 12, 10)* operationem virtutum; et haec non omnibus est data. Facere vero mirabilia supra posse naturae rationalis, hoc est per gratiam gratum facientem, utpote per fidem et caritatem. Per fidem enim credimus multa, quae non possemus credere sine ea, et quae videntur infidelibus nimis incredibilia. Et per caritatem amamus ea, quae videntur caritatem non habentibus odibilia." *3. dist. 30. a. 1. q. 4 ad 3.* — „Gratia Spiritus sancti, per quam dicitur in nobis operari, duplex est, scilicet gratum faciens; et sic operatur opera nostra ad salutem ejus, in quo est: et gratia gratis data, per hanc operatur salutem in altero; et haec manet in homine, gratia gratum faciente recedente, ex dispensatione divina, ut subditi salus non impediatur malitia praelati." *4. dist. 7. a. 1. q. 3 ad 2.* — Gratia gratis data „est potestas ad aliquod officium deputata". *4. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 1 ad 5.*

[22] „Spiritus sanctus est in semetipso simplex, et ideo in se indivisus; sed in effectibus est multiplex, et ideo quantum ad effectum dividitur, quia non datur singulis ad omnia." *1. dist. 17. p. 2. dub. 4.*

[23] „*Magnificatus es, et invaluisti, et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad caelos, et potestas tua usque ad terminos universae terrae (Dan. 4, 19)* . . . O Christe, quia carnem sumpsisti: *magnificatus es.* De lacu nos eduxisti *(Zach. 9, 11)*: *invaluisti.* Super caelos ascendisti: *magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad caelos.* Apostolos et nos illuminasti: *et potestas tua usque ad terminos universae terrae. Magnificatus es* ergo in Incarnatione; *invaluisti* in Passione; *magnitudo tua crevit usque ad caelos* in Ascensione; *et potestas tua usque ad terminos universae terrae* in Spiritus sancti missione." *Ars concionandi n. 12.* Supplem. vol. III.

Pars quarta

in tabulas distributa.

C. I. DE RATIONE, QUA DECUIT VERBUM DEI INCARNARI.

- Incarnatio Verbi fuit conveniens
  - *reparatori* . . . . . quia in ea commendatur
    - divina *potentia* . . . . in conjunctione summe distantium in una persona.
    - divina *sapientia* . . . . in perfectione universi ex conjunctione primi et ultimi.
    - divina *benevolentia* . . in assumptione formae servi a Domino pro servis.
  - *reparabili* . . . . . quia in Verbo incarnato Deus se praebet homini inepto ad divinam
    - virtutem imitandam . . . *imitabilem*
    - lucem cognoscendam . . *noscibilem*
    - bonitatem diligendam . . *amabilem.*
  - *ipsi reparationi* . . quia in ea homo recuperat
    - *suam excellentiam* . . . per reparatorem excellentissimum, qui est *Deus*
    - *Dei amicitiam* . . . . . per mediatorem amicabilissimum, qui est *homo*
    - *mentis innocentiam* . . per satisfactorem sufficientissimum, qui est *Deus-homo.*

C. II. DE INCARNATIONE VERBI, QUANTUM AD UNIONEM NATURARUM.

- Incarnatio Verbi fuit, in quantum est a primo principio
  - *effectivo* . . . . . *opus Trinitatis.*
  - *reparativo*
    - remediando . . . . . *assumptio carnis et animae secundum triplicem potentiam.*
    - satisfaciendo
      - ab eo qui debet
      - ab eo qui potest

      } *in unitate divinae personae,* in qua communio datur idiomatum.
    - reconciliando . . . . . *in persona Verbi,* quae est apta
      - ad mediationem — quia media
      - ad officia
        - quia Verbum
        - quia Imago
        - quia Filius naturalis.

C. III. DE INCARNATIONE, QUANTUM AD MODUM.

- Incarnatio fuit
  - secundum *sapientiam* . . modo *congruentissimo,* opponendo
    - suggestioni diabolicae . . . . . angelicam annuntiationem.
    - consensui mulieris deceptae . . consensum Virginis in bonum.
    - generationi concupiscentiali . . caritatem Spiritus sancti
      - sanctificantem
      - confirmantem.
  - secundum *bonitatem* . . . modo *communissimo,* concurrens ad ipsam de hierarchiâ
    - angelicâ . . . . . Gabriel . . . nuntius Patris
    - humanâ
      - mulier, Virgo . . . . . templum Spiritus sancti
      - vir, proles concepta
    - divinâ . . . . . persona Verbi.
  - secundum *virtutem* . . . modo *completissimo*
    - in prole, in instanti
      - vivificatâ
      - deificatâ
    - in conceptu complente modos producendi homines
    - in virtute concipiente, per virtutem
      - innatam
      - infusam
      - increatam.

C. IV. DE INCARNATIONE, QUANTUM AD PLENITUDINEM TEMPORUM.

- Incarnatio quoad tempus fuit
  - *differenda*
    - propter *libertatem arbitrii* . .
      - post legem naturae . . . . ut de ignorantia
      - post legem scripturae . . ut de impotentia

      } convictus homo ad Deum confugeret.
    - propter *sublimitatem remedii*
      - secretissimi — post testimonia Prophetarum, ut firmissime crederetur
      - saluberrimi — post desideria Patriarcharum, ut ardentissime amaretur.
    - propter *integritatem universi* — post quinque aetates, ut processus fieret de imperfecto ad perfectum.
  - *perficienda* in plenitudine temporum scil.
    - in *tempore legis gratiae,* quae implet legem scripturae.
    - in *exhibitione misericordiae repromissae,* quae implet promissionem.
    - in *principio sextae aetatis,* quae est idonea
      - ad exercitium sapientiae
      - ad enervationem concupiscentiae
      - ad transitum a statu turbinis ad quietem.
  - *praemittenda* ante finem mundi, quia sic decebat
    - *salvatorem*
    - *mediatorem*
    - *ductorem perfectum.*

C. V. DE PLENITUDINE GRATIAE CHRISTI, QUANTUM AD CHARISMATA.

In Christo fuit, ratione
- *extremi satisfacientis* . . . gratia *personalis* { sanctificans / confirmans.
- *medii reconciliantis* . . . . gratia *unionis*, qua dignus est { felicitate gloriae / adoratione latriae.
- *principii superinfluentis* . . gratia *capitis* secundum plenitudinem { *fontalem* . . ut Deus-homo / *radicalem* . ut homo / *originalem* . ut Deus.

C. VI. DE PLENITUDINE SAPIENTIAE CHRISTI IN INTELLECTU.

Christus cognovit
- ut *Deus* . . . . . per *deitatem*, . . . { infinita / finita . } actualiter et comprehensive — in *arte aeterna.*
- ut *homo*
  - comprehensor . . . . per *gloriam*, ... finita .
  - viator
    - justus . . . . per *gratiam*, ... spectantia ad redemptionem . . . . . } in *mente sua.*
    - rationalis . . per *intellectum*, . . spectantia ad universi constitutionem . . }
    - sensibilis . . per *experientiam*, . quae per organa sensuum veniunt . . . . in *proprio genere.*

C. VII. DE PLENITUDINE MERITI CHRISTI IN EFFECTU.

In Christo fuit plenitudo meriti, ratione
- *gratiae*
  - *unionis*
    - quantum *ad merentem* . . . . . quia Deus-homo
    - quantum *ad tempus* . . . . . quia ab instanti conceptionis suae.
  - *personae* . quantum *ad id, per quod meruit*, . quia { per perfectissimam caritatem / per exercitia perfectarum virtutum.
  - *capitis*
    - quantum *ad eum, cui meruit*, ... quia meruit { sibi / nobis.
    - quantum *ad id, quod meruit nobis*, quia meruit { veniam / gratiam / gloriam.
- *perfectae felicitatis*
  - quantum *ad id, quod meruit sibi*, . quia meruit { glorificationem carnis / accelerationem resurrectionis / clarificationem nominis / judiciariam potestatem.
  - quantum *ad modum, quo meruit*
    - *nobis*, scil. { de indebito faciendo debitum — per justificationem. / de debito faciendo magis debitum — per profectum in justitia. / de debito uno modo faciendo debitum alio modo — per coronam gloriae.
    - *sibi*, scil. de debito uno modo faciendo debitum alio modo — per redemptionem.

C. VIII. DE PASSIONE CHRISTI, QUANTUM AD STATUM PATIENTIS.

Christus, quia mediator, habuit convenientiam
- *cum Deo* ..
  - quantum ad naturam ..... in justitia
  - quantum ad ea, quae sunt circa naturam, ... in beatitudine.
- *cum homine*
  - quantum ad naturam
    - innocentem ..... in immunitate a culpa
    - lapsam ..... in mortalitate.
  - quantum ad ea, quae sunt circa naturam, scil. ad poenalitates
    - non in omnibus, scil. .....
      - in defectibus .
        - exercitativis virtutis
        - testificativis humanitatis
      - non in vitiosis
        - ignorantiae
        - infirmitatis
        - malitiae
        - concupiscentiae.
    - nec qualitercumque, quia pati invite
      - non potuit
        - secundum voluntatem divinam
        - secundum voluntatem rationis
      - potuit .... secundum voluntatem carnis.

C. IX. DE PASSIONE CHRISTI, QUANTUM AD MODUM PATIENDI.

Christus passus est
- *salva libertate arbitrii* ... dando exemplum efficacissimum ad eum amandum et imitandum.
- *salvo honore Dei* ..... satisfaciendo ipsi per humiliationem et obedientiam.
- *salvo regimine universi* .. opponendo passionem —
  - *generalissimam* ..
    - secundum omnia membra .... *corporis*
    - secundum omnes potentias ... *animae*

    } *generali corruptioni.*
  - *acerbissimam* ...
    - dolens in corpore ..... quantum ad peccata carnalia
    - condolens in anima ..... quantum ad peccata spiritualia

    } *libidini.*
  - *ignominiosissimam*
    - in se patiente ..... *internae,* seu ex praesumptione
    - in comitatu ..... *externae,* seu ex ostentatione ..

    } *superbiae.*
  - *interemptoriam* seu mortem voluntariam ..... *morti debitae et invitae.*
  - *vivificativam* ....
    - absorbens mortem in victoria .. *ipsi morti*
    - devincens principem ..... *principi mortis.*

C. X. DE PASSIONE CHRISTI, QUANTUM AD EXITUM PASSIONIS.

Exitus passionis fuit perfectissimus, quia
- *sufficientissimus*
  - quoad *infernalia* per descensionem ad inferos
  - quoad *terrestria* per resurrectionem a mortuis
  - quoad *caelestia* . per ascensionem ad caelum
  - quoad *ecclesiam* per missionem Spiritus sancti.
- *efficacissimus* — quantum *ad eos, qui*
  - *praecesserunt* — per descensionem ad inferos
  - *subsecuti sunt,* eos
    - aedificando ad fidem ..... per resurrectionem
    - erigendo ad spem ..... per ascensionem
    - inflammando ad caritatem
      - per missionem Spiritus sancti
      - per effusionem charismatum.

TABULA GENERALIS

HUJUS IV. PARTIS

IN QUA DE INCARNATIONE VERBI AGITUR.

- Incarnatio spectata
  - *in seipsa* — fuit conveniens
    - *Deo reparatori*
    - *homini reparabili*
    - *ipsi reparationi.*
  - *in Verbo incarnato*, complectitur
    - *unionem naturarum*, quae fuit
      - quoad *opus* — a primo principio
        - *effectivo*
        - *reparativo*
          - remediando
          - satisfaciendo
          - reconciliando.
      - quoad *modum*,
        - secundum *sapientiam* — modo *congruissimo*
        - secundum *bonitatem* — modo *communissimo*
        - secundum *virtutem* — modo *completissimo.*
      - quoad *tempus*,
        - *differenda* propter
          - libertatem arbitrii
          - sublimitatem doni
          - integritatem universi.
        - *perficienda* in plenitudine temporum
        - *praemittenda* ante finem mundi.
    - *plenitudinem charismatum in Christo*, scil.
      - *gratiae in affectu*, ratione
        - extremi satisfacientis
        - medii reconciliantis
        - principii superinfluentis.
      - *sapientiae in intellectu*
        - ut Deus
        - ut homo
          - comprehensor
          - viator
            - justus
            - rationalis
            - sensibilis.
      - *meriti in effectu*, ratione
        - gratiae
          - unionis
          - personae
          - capitis
        - perfectae felicitatis.
    - *perpessionem passionum*, in quibus
      - *patiens* habuit convenientiam
        - cum Deo
        - cum homine.
      - *modus patiendi* fuit
        - salva libertate arbitrii
        - salvo honore Dei
        - salvo regimine universi.
      - *exitus passionis* fuit
        - sufficientissimus
        - efficacissimus.

V. PARS,

IN QUA DE GRATIA SPIRITUS SANCTI AGITUR.

CAPUT I.

De gratia, in quantum est donum divinitus datum.

(Gratia est donum a Deo immediate donatum — et infusum. — Cum ea, et in ea datur Spiritus sanctus. — Ejus effectus in anima enumerantur.)

Post tractatum de incarnatione Verbi, quod est origo et fons omnis doni gratuiti, dicenda sunt aliqua de gratia Spiritus sancti, quae nobis quadrupliciter consideranda occurrit [a]. Primo in quantum est donum divinitus datum; secundo in comparatione ad liberum arbitrium; tertio in comparatione ad habitus virtutum; quarto in comparatione ad exercitia meritorum. De gratia igitur, in quantum est donum divinitus datum, haec tenenda sunt, scilicet quod ipsa est donum, quod a Deo immediate donatur et infunditur. Etenim [b] cum ipsa et in ipsa datur Spiritus sanctus [1], qui est donum increatum, *optimum et perfectum, quod descendit a Patre luminum (Jacob. 1, 17)* per Verbum incarnatum [2], secundum quod Joannes in Apocalypsi vidit fluvium [c] splendidum ad modum crystalli procedere [d] de sede Dei et agni *(Apocal. 22, 1 seqq.)*. Ipsa nihilominus est donum, per quod anima efficitur sponsa Christi, filia Patris aeterni, et templum Spiritus sancti; quod nullo modo fit nisi ex dignativa [e] condescensione, et condescensiva dignatione majestatis aeternae per donum gratiae suae [3]. Ipsa denique est donum, quod animam purgat, illuminat et perficit: vivificat, reformat et stabilit: elevat, assimilat et Deo jungit, ac per hoc acceptabilem facit; propter quod donum hujusmodi gratia gratum faciens recte dicitur, et debuit appellari [4].

a) Circa quam nobis quaedam consideranda quadrupliciter occurrunt, ed. 1484.

b) Et etiam ibid.

c) Fluvium aquae vivae ibid.

d) Tamquam crystallum procedentem ibid.

e) Ex condigna ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium productivum pro sua summa benevolentia fecerit [f] spiritum rationalem capacem beatitudinis aeternae; et reparativum principium capacitatem illam infirmatam per peccatum reparaverit [g] ad salutem; et beatitudo aeterna consistit in habendo summum bonum, et hoc est Deus, et bonum excellens improportionabiliter [h] omnem humani obsequii dignitatem; nullus omnino ad illud summum bonum dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites naturae, nisi a [i] Deo condescendente sibi elevetur ipse supra se. Deus autem non condescendit per sui essentiam incommutabilem, sed per suam [j] influentiam ab ipso manantem; nec spiritus elevatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem [5]. Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus fiat aeternae beatitudinis, quod particeps fiat influentiae deiformis. Haec autem influentia deiformis, quia est a Deo, et secundum Deum, et propter Deum; ideo reddit imaginem nostrae mentis conformem beatissimae Trinitati, non tantum secundum ordinem originis, verum

f) Ita ibid. et ABCDFG H et editt. Aug. Nor., in cet. fecit.

g) Ita ed. 1484; in cet. reparavit.

h) Improportionaliter ibid.

i) A om. ibid.

j) Suam om. ABCDEFH et editt. Arg. Aug. Nor. Ven. et 1484.

etiam secundum rectitudinem electionis, et secundum quietudinem fruitionis. Et quoniam qui hoc habet, immediate ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur; ideo donum illud immediate donatur a Deo, tanquam a principio influxivo, ut sicut immediate emanat a Deo Dei imago, sic immediate manat[k] ab ipso Dei similitudo, quae est divinae imaginis perfectio deiformis[6], et ideo dicitur imago recreationis[7].

k) Emanat ed. 1484.

Rursus, quoniam qui fruitur Deo, Deum habet; ideo cum gratia, quae sua deiformitate disponit ad Dei fruitionem, datur donum increatum[8], quod est Spiritus sanctus[9], quod qui habet, habet Deum[10]. Et quoniam nullus Deum habet, quin ab ipso[l] specialiter[m] habeatur; nullus habet et habetur a Deo, quin ipsum praecipue et incomparabiliter diligat et diligatur ab eo, sicut sponsa a sponso; nullus sic diligitur, quin ad aeternam beatitudinis haereditatem adoptetur pro filio: hinc est, quod gratia gratum faciens facit animam templum Dei[11], sponsam Christi *(Cant. 1, seqq.)*, et filiam Patris aeterni[12]. Et quia hoc non potest esse, nisi ex summa dignatione et condescensione Dei; ideo illud non potest esse per habitum aliquem naturaliter insertum, sed solum per donum divinitus gratis infusum[13], quod expresse apparet, si quis ponderet quantum est esse Dei templum, Dei filium, Deo nihilominus indissolubiliter et quasi matrimonialiter per amoris et gratiae vinculum copulatum[14].

l) Ab eo ibid.

m) Specialius ibid.

Postremo, quia mens nostra non efficitur conformis beatissimae Trinitati secundum rectitudinem electionis[15], nisi per vigorem virtutis, splendorem[n] veritatis et fervorem caritatis; et vigor virtutis animam purgat[16], stabilit[17], et elevat[18]; splendor veritatis animam illuminat[19 o], reformat[20], et Deo assimilat[21]; fervor caritatis animam perficit[22], vivificat[23], et Deo conjungit[24 p], et ex his omnibus homo Deo placens et acceptus existit: hinc est, quod illa influentia deiformis[25] dicitur habere omnes decem actus praedictos[q], ita tamen, quod denominatur ab ultimo, sicut a completissimo[r]. Dicitur enim gratia gratum faciens, quia habentem facit Deo gratum[26], cum non solum gratis detur a Deo, verum etiam sit secundum Deum et propter Deum; cum ad hoc sit, ut per ipsam opus manans a Deo revertatur in Deum[s], in quo, ad modum circuli intelligibilis, consistit omnium spirituum rationalium complementum.

n) Et splendorem ibid.

o) Illustrat add. ibid.

p) Jungit ibid.

q) Omnes actus sive decem praedictos ibid.

r) Seu completiva add. ibid.

s) Ad Deum ibid.

Ad Caput I.

[1] „Etsi Deus sit caritas effective, et Spiritus sanctus appropriate, et ipse Spiritus sanctus amborum unio sit caritas exemplariter, qua Deum diligimus, et affectio, vel motio, excitata a Spiritu sancto, dicatur caritas; ponendus est tamen habitus creatus animam informans, quae dicatur caritas formaliter.“ — „Et ratio hujus sumitur a parte essentiae ejus, virtutis et operationis. A parte essentiae, quia caritas est bonitas creaturae rationalis ipsam perficiens, et distinguens, et ordinans, et disponens ad vitam aeternam; ergo necesse est, quod sit formalis perfectio ... A parte etiam virtutis necesse est ponere caritatem habitum creatum. Nam caritas, qua diligimus Deum, est virtus, non tantum qua Deus cooperatur nobis, sed etiam qua nostra voluntas cooperatur Deo, *adjutores enim Dei sumus (1. Cor. 3, 9)*. Et quia cum cooperamur Deo, necesse est nos similiter conformari, necesse est, quod ab illa summa caritate relinquatur in nobis aliquod exemplatum in nostro affectu, per quod moveat illi conformiter. Voluntas enim libera est, et nata moveri ad opposita; et ideo ponitur virtus caritatis creatae in nobis, non propter defectum a parte Dei nobiscum operantis, sed voluntatis nostrae sibi cooperantis ... A parte etiam operationis ponitur necessitas, quia reformatio, vel recreatio, unio et dilectio, non tantum sunt ab aliquo, ut ab efficiente, sed etiam ab informante. Informans autem caritas creata est; et ex hoc patent objecta ex parte actus, sive operationis. Nam quod objicitur, quod creatio est ab increato, verum est per modum efficientis, sicut et recreatio, sed reformatio ulterius requirit formam; et ideo necesse est ponere habitum informantem.“ *1. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 1.*

[2] „Ortus gratiae, cum sit *datum optimum, et donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum (Jac. 1, 17)*.

Sed per quam viam spargitur lux gratiae super mentes humanas? Certe per Verbum incarnatum, crucifixum et inspiratum: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis etc.*, ut dicitur ibidem. Ortus ergo gratiae est per Verbum incarnatum; unde *(Joan. 1, 14): Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Homo enim per Verbum increatum factus erat in statu innocentiae perfectus, et paratus in omni gratia, cum dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1, 26);* sed per peccatum lapsus, et recedens ab innocentia, reparandus erat ad gratiam per Verbum incarnatum in Virgine beata, unde et sibi dictum est ab angelo: *Ave gratia plena;* et post: *Invenisti gratiam apud Deum (Luc. 1, 28—30). Adeamus,* sive accedamus, *ergo,* fratres, secundum Apostolum ad Hebraeos, *cum fiducia ad thronum gratiae ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus (4, 16).* Ortus item gratiae est per Verbum crucifixum; unde ad Ephesios *(2, 4. 5): Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.* Non enim solum recesseramus ab innocentia per ignorantiam, sed et per concupiscentiam; et ideo per acerbissimam mortem crucis voluit nos reparare, ubi mors unita est cum fonte vitae, sed mors absorpta est a fonte vitae. Non enim mors potuit absorbere fontem vitae, unde in nos fluunt rivi gratiarum, et non per legem, ut dicit Apostolus ad Galatas *(2, 21): Si enim per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* Hauriamus ergo, fratres, aquas gratiae in gaudio de fontibus Salvatoris *(Isai. 12, 3)*, id est, de vulneribus ejus. Ortus item gratiae est per Verbum inspiratum; quia nisi inspirentur nobis praedicta duo *) per fidem incarnationis Christi et passionis, non habebimus gratiam. Propter quod 2. ad Corinthios ultimo *(13, 13)* dicitur: *Gratia Domini nostri Jesu Christi,* quantum ad secundum, *et caritas Dei,* quantum ad primum, *et communicatio Spiritus sancti,* quantum ad tertium, *sit cum omnibus vobis.* Unde ad Titum secundo *(2, 11—12): Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo.* Gratia enim Dei amovens a nobis omnem inordinationem impietatis respectu Dei, et desideriorum respectu proximi, et respectu nostri, ordinat nos respectu nostri sobrie, respectu proximi juste, respectu Dei pie." *Collat. de sept. don. praedic., serm. 1. proëmial. nn. 1—4.* Supplem. vol. III. — „Si consideremus ortum gratiae et ejus originale principium, dico ex canonica Jacobi, ponens majorem universalem: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio (1, 17).* Minorem probandam sic assumo: Gratia est datum optimum et donum perfectum. Concludo: Ergo gratia desursum est, descendens a Patre luminum. Sed per quam viam spargitur lux gratiae, dividitur aestus amoris super terram. Descendit gratia super mentes rationales via triformi, per verbum incarnatum, per verbum inspiratum, per verbum crucifixum. Hujus probatio est, quia secundum Jacobum: *Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae ejus (1, 18).* Quod autem per Verbum incarnatum descendat in nos copia gratiarum, ostendit Joannes *(1, 14)*, sic inquiens: *Verbum caro factum est.* Et sequitur: *De plenitudine ejus omnes accepimus, gratiam pro gratia. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae.* Certum est, quod originale gratiae principium, quod Deus est, quando creavit hominem in statu innocentiae ad imaginem et similitudinem suam *(Gen. 1, 27)*, creavit ipsum ita propinquum, quod homo per Verbum increatum erat informabilis ad gratiam. Post lapsum vero usus est Deus via dignativae condescensionis, et per Verbum incarnatum aptavit hominem ad gratiam. Verum, quia Verbum carnem sumpsit in utero Virginis gloriosae, dictum est ei: *Ave, gratia plena, Dominus tecum (Luc. 1, 28).* Paulus etiam suadet volentibus gratiam Virginem adire: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Hebr. 4, 16).* Ecce occurrit nobis Pater misericordiarum cum gratia, Mater misericordiarum cum gratia, Filius, qui est lux misericordiarum, cum gratia. Ergo prima originatio gratiae in nobis fit per Verbum incarnatum. Infelices, qui ignorant Verbum, et ignorant gratiam. Benedictus Pater, benedicta Mater, benedictus Filius, benedicti, qui hoc cognoscunt, benedicta gratia, quae est datum optimum et donum perfectum. Secundo descendit gratia in nos per Verbum crucifixum. Non enim tantummodo eramus inepti ad gratiam propter ignorantiam divinorum praeceptorum, verum etiam propter nostram infirmissimam impotentiam. Ut ergo saluberrimis unguentis sanarentur languores nostri, descendit divina gratia in nos per Verbum crucifixum. Unde Isaias *(53, 4)* dicit: *Vere dolores nostros ipse tulit, et languores nostros ipse portavit.* Et Apostolus *(Ephes. 2, 4)* scribit: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia salvati sumus.* Nam Christus de morte triumphavit per mortem, quia non potuit mors absorbere vitam, sed fons vitae absorbuit mortem. Unde Oseae *(13, 14)* dicitur: *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, inferne.* Et Apostolus *(Gal. 2, 21)* dicit: *Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est;* mortuus ergo Christus, ut mortuos suscitaret, et participes faceret vitae gratiosae. Ergo gratia influitur in nos per Verbum crucifixum, de cujus latere exiit profluvium gratiarum, habens vim sanativam: *Ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquaeductus exivi de paradiso (Eccli. 24, 41).* Tertio datur gratia per Verbum inspiratum. Misit quidem Deus Filium suum in carnem. Verum, nisi credideris ipsum crucifixum, non consequeris gratiam. Unde Apostolus *(Tit. 3, 5—7)* dicit: *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nobis abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Spiritus sanctus, qui est dator formarum et distributor charismatum, amor est procedens a Patre et

*) Scilicet quod *cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Edit. Supplem.

Filio. Quidquid igitur agat Pater, quidquid patiatur Filius, non proficit ad salutem sine Spiritu sancto. Secundo, Spiritus sanctus est nexus Patris et Filii, nectens nos Patri et Filio. Unde Apostolus *(2. Cor. 13, 13)* dicit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, amen.* Si igitur vis habere amorem paternalis principii, et amorem Verbi prolati a principio, et amorem Spiritus sancti spirati a duobus uno principio, habe gratiam. Unde igitur oritur gratia? Certe per Verbum incarnatum, per Verbum crucifixum et per Verbum inspiratum. Nobilis influentia, quae a Verbo incarnato habet originem. Custodi igitur temetipsum et animam tuam solicite.“ *Serm. 2. in Hexaëm. in princip.*

[3] „Gratia est influentia a Deo exiens, et ad Deum reducens.“ *3. dist. 2. a. 3. q. 2.*

[4] „Secundum diversas comparationes diversae reperiuntur notificationes gratiae. Secundum comparationem ad suum principium, est illa Isidori *(l. 1. de sum. bon. c. 25. sen. 4)*: Gratia est misericordiae donum divinae, per quod bonae voluntatis est exitus. Per comparationem autem ad suum subjectum, sic est illa, quae datur super illud Psalmi *(103, 15)*: *Ut exhilaret faciem in oleo.* Gratia est quidam nitor animae ad conciliandum sanctum amorem *(Aug. ib.)*. Per comparationem ad suum oppositum, sic est illa, quae datur in Glossa super epistolam *(1. Cor. 12)*: Gratia est justificatio et remissio peccatorum. Per comparationem ad suum effectum, sic est illa Chrysostomi: Gratia est sanitas mentis, delectatio cordis. Per comparationem ad praemium, sic est illa: Gratia est similitudo gloriae. Secundum autem omnes comparationes istas, sic assignatur una diffinitio magistralis, quae talis est: Gratia est forma a Deo gratis data sine meritis, gratum faciens habentem, et bonum ejus opus reddens. Invenitur autem et alia notificatio gratiae, qua dicitur: Gratia est manifestatio spiritus ad utilitatem, quae sumpta est ex illo, quod dicitur *(1. Cor. 12, 7)*: *Unicuique datur manifestatio spiritus etc.;* sed ista est manifestatio gratiae gratis datae.“ *2. dist. 26. dub. 2.* — „Haec influentia recte dicitur gratia, tum quia datur ex mera liberalitate, nulla naturae cogente necessitate. Non enim oritur ex principiis subjecti, nec a Deo exit de necessitate, sed sua mera benignitate. Tum etiam quia gratum facit; dum enim hominem Deo conformat et assimilat, reddit ipsum Deo amicum, et facit Deo esse placitum et acceptum. Tum etiam quia facit hominem gratis facere ea, quae facit; affectus enim hominis recurvus est et mercenarius, quantum est de se, unde quod facit, intendendo proprium commodum facit; sed cum divina gratia supervenit, sic hominem totum gratum facit, ut sive ad utilitatem proximi, sive ad honorem Dei velit, totum gratis facit impendere. Et sic patet, quod talis influentia valde rationabiliter gratia nuncupatur.“ *2. dist. 26. a. 1. q. 2.*

[5] „Gratia, licet appropriate prius animae substantiam, quam potentias respiciat, proprie tamen inest animae per potentias.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod communis opinio tenet gratiam primo respicere animae substantiam, et virtutes primo respicere potentias, ut sic per gratiam in virtutibus fiat reformatio imaginis creatae, quae consistit in trinitate potentiarum et unitate substantiae. Haec autem positio potest dupliciter intelligi. Uno modo, ut intelligatur quod Deus prius influat gratiam in essentiam, et postmodum influentia illa in substantia redundet in potentias, ut sic sit conformitas gratiae ad animam, sive prout consideratur secundum rationem imaginis, sive prout consideratur ut perfectio corporis. Anima enim, ut est perfectio corporis, ratione suae substantiae, vel essentiae, respicit complexionis aequalitatem, ratione vero potentiarum respicit organorum diversitatem. Et iterum, anima in se et vivere habet et agere; sed vivere per seipsam, et propriam formam; agere vero per potentiam. Per hunc modum, si gratia in perficiendo conformatur animae sub ratione gratiae, prius debet respicere ipsam animae substantiam, et per virtutes debet esse perfectio potentiarum. Et secundum hunc modum dicendi, cum dicitur gratia respicere substantiam, et virtutes potentias, non tantum intelligitur esse dictum per appropriationem, verum etiam per proprietatem. Alio modo potest intelligi praedicta positio per appropriationem quamdam, non quia Deus prius influat gratiam in substantiam, quam in potentiam, sed quia cum anima suscipiat gratiam et virtutes, mediante potentia, et tam gratia, quam virtus insit animae per potentiam; aliter tamen inest haec, et illa. Virtus enim dicit perfectionem respectu operis, gratia vero dicit perfectionem respectu Dei acceptantis. Et quoniam respectu operum potentiae distinguuntur; hinc est, quod virtutes potentias respiciunt ut distinctas, et tunc sunt in actu, quando potentiae sunt in actu. Potentiae autem inquantum comparantur ad Deum acceptantem, unica acceptatione acceptantur cum ipsa substantia, cujus sunt, et secundum unam naturam in eis repertam. Et hinc est, quod gratia est una, sicut est substantia, et est semper in actu continuo; et primo dicitur respicere substantiam, non quia sit in illa absque potentia, vel per prius quam in potentia, sed quia habet esse in potentiis, ut continuantur ad unam essentiam; virtus vero dicitur esse in potentiis, quia in eis est, ut referuntur ad operationes diversas. Et hic modus intelligendi magis consonus est verbis Augustini *(de gr. et lib. arb. c. 17)*, qui dicit, quod gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum, qui etiam gratiam cooperantem et operantem describit per comparationem ad voluntatem. Magis etiam est consonus rationi. Si enim intelligimus gratiam tamquam habitum quendam et influentiam, quae inest animae ad Deum conversae, cum talis habilitatio, et influentiae susceptio, et conversio non possit intelligi nisi per potentiam, non videtur posse recte intelligi, quo modo gratia sit in anima, abstracta potentia. Rursus, si gratia eo dicitur gratia, quia gratificat, et eo ipso quod gratificat, habet oppositionem ad culpam, cum opposita secundum idem nata sint in esse, secundum idem ipsum anima nata est gratificari, secundum quod nata est et culpari; culpatio autem, et laus, et vituperium inest animae primo secundum liberum arbitrium, ac per hoc et gratiae donum. Non enim quaecumque acceptatio gratificatio dicitur, sed illa sola, qua Deus sic acceptat animam, ut reputet eam remuneratione dignam, et talis respicit ipsam arbitrii libertatem; et ideo gratia inest animae primo secundum libertatem arbitrii. Et hujus signum est, quia ad eas solas potentias se extendit gratia, ad quas se ex-

tendit arbitrii libertas.“ *2. dist. 26. a. 1. q. 5.* Vide etiam inferius *part. VII. c. 7.*

[6] Cfr. *Itinerar. ment. cap. 4;* et quae superius pertractavimus *part. II. cap. 12.*

[7] „Imago recreationis consistit in tribus virtutibus theologicis et unitate gratiae gratum facientis, ita quod fides repraesentat Filium, spes Patrem, caritas Spiritum sanctum, unitas gratiae unitatem essentiae.“ *Declar. Term. Theolog.*

[8] *Cum gratia . . . datur donum increatum.* — „Gratia, quae in gratificato ponitur, est aliquid creatum . . . Circa hanc quaestionem sapientes opinantur contrarium sapientibus . . . Actus *(gratiae)* quidam comparaverunt ad gratiam sicut ad principium effectivum. Et quoniam Deus sufficit ad hos actus vel effectus perficiendos in rationali creatura, et solum Deum decent pro sua dignitate, et soli Deo sunt possibiles pro sua difficultate; ideo dixerunt, quod donum creatum ponere ad hos effectus perficiendos in homine est superfluum et indecens et impossibile. Alii vero comparaverunt effectus praedictos ad gratiam, sicut ad formam; necessarium est enim, quod vivificatio et informatio ab aliquo sit sicut ab efficiente, et ab aliquo sicut ab informante. Et quoniam nec est possibile, nec decens Deum esse formam perfectivam alicujus creaturae; ideo praeter donum increatum, quod comparatur ad hos actus tamquam principium effectivum, conveniens est et opportunum ponere donum creatum, per quod anima informetur. Hanc autem positionem praeferendam credo priori, tum quia securior, tum quia etiam rationabilior.“ *2. dist. 26. a. 1. q. 2.*

[9] „Dare est ad aliquid habendum, vel possidendum; habere autem aliquid, vel possidere est, cum aliquid est in facultate habentis, vel possidentis. Esse autem in facultate habentis vel possidentis est esse praesto ad fruendum, vel utendum. Perfecta autem possessio est, cum homo habet illud, quo posset uti, et quo posset frui. Sed recte frui non est nisi Deo, et recte uti non convenit nisi per gratiam gratum facientem; ergo perfecta possessio est, in qua Deus habetur et ejus gratia. Sed perfectum donum est ad perfectam possessionem; ergo non est datum optimum et donum perfectum, nisi detur donum increatum, quod est Spiritus sanctus, et donum creatum, quod est gratia.“ *1. dist. 14. a. 2. q. 1.*

[10] *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Jo. 14, 23.*

[11] *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 1. Cor. 3, 16.*

[12] *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Jo. 1, 12.* — „Filii Dei sumus, in quantum sumus conformes imagini filii Dei naturalis, secundum illud *(Rom. 8, 29): Quos praedestinavit conformes fieri imagini filii ejus.* Hoc autem est dupliciter. Aut per remotionem a malo; et hoc est per gratiam baptismalem, quae in quantum est sacramentalis, medela est contra malum. Aut per ordinem ad bonum; et hoc potest esse dupliciter, aut ex parte intellectus, et sic est fides; aut ex parte affectus, et sic est caritas. Si autem dicatur timor vel humilitas facere filios, hoc est dispositive et praeparative.“ *3. dist. 10. a. 2. q. 2 ad 4.*

[13] „Infundi et diffundi proprie dicitur humoris. Ipsa autem caritas humori comparatur, quia sicut arbor fomentum et vitam et viriditatem habet ab humore, sic tota spiritualis machina ab amore. Iste autem amor infunditur, in quantum intra recipitur; diffunditur vero, in quantum ex intimis procedens dilatat affectum ad dilectionem multorum, et movet omnes animae vires ad bonas operationes, operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est, sicut dicit Gregorius *(hom. 30. in Ev.).* Et ideo dicit Dominus *(Jo. 7, 38): Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae.*“ *1. dist. 14. dub. 6.*

[14] „Est etiam alia acceptatio specialis, qua dicitur Deus acceptare illud, quod dignum reputatur aeterna beatitudine; et tali acceptatione non acceptat Deus nisi creaturam rationalem, illa enim sola est, quae ejus capax et particeps esse potest. Hanc autem creaturam rationalem tunc acceptat, cum consecrat in templum, et adoptat in filium, et assumit in conjugium. Nam animae sanctae, quae Deo placent, et dicuntur templum Dei, et dicuntur filii Dei, et dicuntur sponsae Dei, secundum quod colligitur ex novo et veteri Testamento. Primum genus acceptationis non requirit superaddi donum gratiae ultra ea, quae sunt de conditione naturae. Secundum vero genus acceptationis non potest non esse gratuitum, tum propter gratuitam Dei condescensionem, tum propter creaturae exaltationem ultra terminos, sive status naturae. Gratuita namque Dei condescensio in hujusmodi acceptatione necessario requiritur. Quod enim Deus immensus habitare velit in anima, ut in templo, quod iterum velit servum reputare pro filio, quod ancillam suam assumere velit in conjugium, hoc nemo dubitat esse mere gratiae et condescensionis liberalissimae. Creaturae etiam sublimatio in tali acceptatione ultra statum naturae reperitur. Quod enim creatura consecretur in templum, adoptetur in filium, assumatur in conjugium, hoc est supra naturale complementum omnis creaturae; et ideo nec consecratio, nec adoptatio, nec unio animae ad Deum fit per aliquam proprietatem naturae, sed per aliquod donum gratiae superadditum, quod animam consecret, ut sit templum; assimilet, ut sit Dei filia; quod faciem decoret animae, ut apta sit esse Dei sponsa: haec autem omnia facit gratia gratum faciens, cui est adeo juncta Dei conformitas, ut nullo modo possit Deo dissimilis fieri; adeo juncta spiritualis venustas, ut nullo modo possit deformari; et ideo reddit animam Deo acceptam.“ *2. dist. 29. a. 1. q. 1.*

[15] „Operatio virtutis electivae attenditur in consilio, judicio et desiderio. Consilium autem est in inquirendo, quid sit melius, hoc an illud. Sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum. Accessus autem est secundum majorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum hoc sit illo melius, nisi sciat illud optimo magis assimilari. Nullus autem scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud cognoscat. Non enim scio, hunc similem esse Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum. Omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi boni. Judicium autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter judicat per legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit, et quod ipsam judicare non debet. Sed mens nostra judicat de seipsa. Cum igitur non possit judicare de lege, per quam judicat, lex illa superior est mente nostra, et per hanc judicat,

secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille, qui fecit eam. Igitur in judicando deliberativa nostra pertingit ad divinas leges, si plena resolutione dissolvat. Desiderium autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum movet. Maxime autem movet, quod maxime amatur, maxime autem amatur esse beatum. Beatum autem esse non habetur, nisi per optimum et finem ultimum. Nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum, vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius. Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari. Quae tunc fallitur et errat, cum effigiem et simulacrum pro veritate acceptat.“ *Itin. mentis in Deum, c. 3.*

[16] *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato. 1. Jo. 1, 7.*

[17] *Omnia possum in eo, qui me confortat. Philipp. 4, 13.*

[18] *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Rom. 6, 22.*

[19] *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Ephes. 5, 8.* — „Gratia magis dicitur lux, quam calor, quoniam lux in se habet et virtutem illuminandi, et illuminando magis et magis virtutem calefaciendi; et ideo plus complectitur lux, quam calor. Et gratia, in quantum lux, non tantum respicit intellectum, verum etiam affectum; imo lux, ut dicitur de gratia, nominat eam, ut respicit totam animam. Quoniam sicut est forma totius orbis primi, per cujus influentiam fiunt generationes circa partes inferiores, et una est ratio actualitatis et diffusionis, secundum quod innuit et dicit aperte Dionysius in libro de divinis nominibus *(l. 2. cael. hier. p. 3. c. 2)*; et quia hoc competit gratiae, quae est radix omnium habituum gratuitorum, et principium omnis boni operis; hinc est, quod dicitur lux, et peccatum dicitur tenebra, quia tenebra non tantum privat actum lucis, secundum quem est in sensum visus, sed etiam alios actus, secundum quos est operativa: et ista tenebra non respicit intellectum tantum, sed intellectum ut extensum ad calorem affectus. Ex his patent objecta. Quod enim dicitur, quod intellectus viget in peccatoribus, dicendum quod verum est secundum actum, qui est pure speculationis, sed non prout extenditur ad effectum, vel opus. Unde aliter habuit prophetiam Balaam, aliter David. Ille enim solum videbat, iste videbat et gaudebat; et secundum hoc se in opere regulabat, et seipsum dirigebat. Exemplum est in musico et bono citharoedo; aliter enim novit consonantiam citharae musicus, aliter bonus citharoedus; et quantum ad hanc obtunditur intellectus manifeste, licet non quantum ad primum ita aperte; credo tamen firmiter, quod quantum ad utrumque.“ *4. dist. 18. p. 2. dub. 3.*

[20] *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. Rom. 5, 19.*

[21] *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Ibid. 8, 14.*

[22] *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. Et conresuscitavit, et consedere fecit in caelestibus in Christo Jesu. Ephes. 2, 5—6.*

[23] *Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus. Galat. 2, 20.* Consule superius, *part. IV. cap. 10. n. 4.*

[24] „Sic Deus est vita animae, sicut anima corporis quodam modo, et quodam modo non sic. In hoc enim est similitudo, quod quemadmodum corpus indiget anima, et ab ipsa vivificatur, quamdiu illi conjungitur, et per ejus separationem vilescit; sic quamdiu anima unitur Deo per caritatem, vivificatur, et quando separatur ab eo, moritur et vilescit. In hoc autem est dissimilitudo, quia anima conjungitur naturaliter, et naturaliter ex corruptione naturae separatur, ita quod appetitus et indigentia est in utroque, quia constituunt tertium; ex Deo autem et anima non fit unum. Et praeterea conjunctio illa est voluntatis ex utraque parte; et hinc est, quod, quia voluntas nostra naturaliter est vertibilis, et divina misericordia prompta est misereri, resuscitatio animae non est miraculosa, sed, ut proprius loquamur, est mirabilis.“ *4. dist. 17. p. 1. dub. 3.*

[25] „Etsi nonnulli satis probabiliter dicant gratiam et caritatem solo respectu differre, probabilis tamen est sententia eorum, qui dicunt essentialem habere differentiam ab invicem.“ — „Circa hoc est duplex modus dicendi. Quidam enim dicere voluerunt, quod caritas est omnino idem cum gratia per essentiam, sola relatione differens. Dicitur enim gratia, in quantum respicit totam animam, caritas vero in quantum regit et dirigit voluntatem. Et hoc videtur significare ipsum caritatis nomen, et Apostolus videtur innuere, et ratio approbare. Nomen ipsum significare videtur, quia caritas dicitur a *caris* graece, quod idem est quod gratia. Unde cum haec virtus non habeat aliam nominationem a gratia, non videtur quod aliquid superaddat secundum rem. Apostolus etiam hoc insinuare videtur, cum eam ceteris virtutibus anteponit et supponit, hoc enim non faceret, nisi magis pure haberet rationem boni. Et hoc ipsum ipsemet innuit, quod aliae virtutes possunt esse infructuosae, et recipere admixtionem mali, caritas vero minime. Et propterea videtur caritas secundum testimonium apostolicum esse mera et pura gratia gratum faciens, cum sit bonum purissimum et excellentissimum. Ratio etiam approbare videtur, quia cum ipsa voluntas sit supremum in anima, a qua pendet tota rectitudo virium inferiorum, et quae immediate unitur ipsi Deo; ideo vindicat sibi totum principium rectitudinis. Et hinc est, quod gratia, quae perficit alias potentias animae, specialiori modo perficit voluntatem. Et propterea, licet alias potentias perficiat cum habitu gratiae gratis datae, ipsam tamen potentiam diligendi perficit per se, et secundum quod illam perficit, sic caritas appellatur. Et sic videtur satis rationabile dicere, quod gratia et caritas idem sunt per essentiam, et differentes sola relatione. Et ratione illius relationis connumeratur cum aliis virtutibus, et ab eis distinguitur, et quodam modo specificatur ... Est et alius modus dicendi, quod caritas ultra gratiam gratum facientem dicit aliquem habitum, quo mediante assuescit ipsa potentia diligendi ad actum proprium. Et hoc quidem dicunt esse necessarium, tum propter essentialem differentiam, quae est inter alias virtutes et caritatem, quae quidem non potest esse per diversitatem, quae sit in gratia gratum faciente, cum ipsa sit una; tum etiam propter actus ipsius specialitatem et difficultatem, respectu cujus requiritur habitus specificans et determinans gratiam

ad talem usum, et habilitans potentiam, ut exeat in actum suum. Et huic modo dicendi satis concordat auctoritas Bernardi, qui dicit *(de amor. Dei, c. 11)*, quod libera voluntas data est homini, quae cum adjuvanti concordat gratiae, virtutis accipit profectum et nomen, et amor efficitur: cum vero sibi dimissa seipsa frui vult, in seipsa sui patitur defectum, et quot vitia, tot vitiorum sortitur nomina, ut cupiditatis, avaritiae, luxuriae. Ex quo innuitur, quod aliquid est ex parte voluntatis nostrae, quod, adveniente gratia, fit virtus, et non est nisi virtus caritatis, de qua loquitur ibi: ergo caritatis habitus ultra gratiam secundum ipsum aliquid dicit. Satis etiam videtur haec positio consona rationi, quia sicut fides concernit assensum, sic caritas concernit affectum; et sicut cognitio aliquid est differens a gratia gratum faciente, sic etiam et dilectio; et sicut fides concernit cognitionem, ita caritas affectionem, secundum illud, quod dicit Augustinus *(Solil.)*: Caritas est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum ... Satis ergo videtur rationi consonum dicere, quod sicut virtus fidei aliquem habitum concernit praeter gratiam gratum facientem, sic et habitus caritatis." *3. dist. 27. a. 1. q. 3.*

[26] „Dona gratiae gratum facientis non excludunt dona gratiae gratis datae, immo magis illa in suo adventu complent et perficiunt, et quodam modo ab eis vigorantur et perficiuntur." *3. dist. 23. a. 2. q. 4 ad 5.*

CAPUT II.

De gratia, in quantum juvat ad bonum meritorium [a].

a) In quantum educit liberum arbitrium extra peccatum, ed. 1484.

(Gratia vel dicitur generaliter, — vel specialiter, — vel proprie. — Haec postrema est adjutorium divinitus datum ad merendum, — et radix merendi: — non potest mereri de condigno: — augetur in via: — perficitur in patria.)

Secundo de Spiritus sancti gratia occurrit nobis considerandum in comparatione [b] ad liberum arbitrium, et hoc secundum duplicem modum, primo scilicet in quantum ipsa est adjutorium ad meritum, secundo vero in quantum est remedium contra peccatum. De gratia ergo Dei, in quantum est adjutorium ad merendum, haec tenenda sunt, quod gratia dicitur [c] generaliter, specialiter et proprie [1]. Generaliter dicitur adjutorium divinum creaturae liberaliter et gratis impensum [2], et indifferenter ad quemcumque actum; et sine hujusmodi [d] adjutorio gratiae nec possumus aliquid efficere, nec durare in esse [e]. Specialiter vero [f] dicitur gratia adjutorium divinitus datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad meriti statum; et talis dicitur gratia gratis data, et sine hac nullus sufficienter facit quod in se est, ut se praeparet ad salutem [g]. Proprie vero gratia dicitur adjutorium datum divinitus ad merendum, quod quidem dicitur donum gratiae [3] gratum facientis, sine quo nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad aeternam pervenire salutem. Ipsa enim tanquam radix merendi omnia merita antecedit [4]: propter quod dictum est, quod praevenit voluntatem, ut velit, subsequitur autem [h], ne frustra velit. Unde nullus ipsam mereri potest merito condigni [5], sed ipsa meretur augeri a Deo in via [6], ut aucta mereatur et perfici in patria et gloria sempiterna ab ipso Deo [7], cujus est gratiam infundere, augere et perficere, secundum cooperationem voluntatis nostrae, et secundum propositum sive beneplacitum praedestinationis aeternae (I).

b) In comparatione om. ibid.

c) Ita ibid.; in cet. cum gratia dicatur.

d) Hujus ibid.

e) In cit. edit. adduntur sequentia: Cuncta enim in nihilum tendunt, sicut de nihilo creata sunt, nisi manus conditoris sua gratuita bonitate ea conservet in esse; propter quod Deus omnia dicitur portare verbo virtutissuae; et Verbum Patris dicit: Sine me nihil potestis facere; et omnis creatura quantumcumque nobilis dicitur gratia, non natura immortalitem suscipere, secundum quod Damascenus et alii dicunt.

f) Vero om. ibid.

g) Ibid. add. seq. Propter quod dictum est, quod non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

h) Autem om. ibid.

(I) Quum doctrina de gratia actuali, quam S. Doctor *gratiam gratis datam* vocat, doctrinae de protoparentum conditione ac lapsu intime connectatur, duos oppositos errores circa hoc mysterium irrepsisse evidenter colligitur. Siquidem, ut superius *(ad cap. XI part. II, et ad cap. V part. III)*, indicatum fuit, Pelagiani statum elevationis in Adamo, ac proinde lapsum, ejusdemque lapsus in ejus posteros transfusionem inficiantes, gratiae actualis ne existentiam quidem agnoverunt, „cujus, ut scribit Augustinus *de haeres. c. 88*, tantum inimici fuerunt, ut sine hac posse hominem crederent facere omnia divina mandata." Quod si interdum nonnullam gratiam fateri visi sunt, gratiae nomine dona naturalia creationis ac providentiae, vel etiam legem et revelationem, immo et exempla Christi, gratias nempe exteriores, vel ad summum, ut ostendit cl. Gazzaniga, *Praelect. Theol. vol. VI, part. I. cap. 4. § 2*, quandam interiorem mentis illustrationem, nun-

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium sua omnipotenti virtute et benignissima largitate creaturam omnem de nihilo

quam vero gratiam inspirationis significabant. Pelagianis autem subscripserunt Sociniani et hodierni Rationalistae biblici, qui sicut in Christo, ita et in Adamo, typum quemdam idealem humanae felicitatis agnoscunt.

Porro catholicum dogma de gratiae actualis proprie dictae, gratiae scilicet inspirationis, necessitate ad omnes singulosque actus salutares, contra Pelagium et ejus sectatores, vindicatur ex Concil. Tridentino *sess. 6, can. 2:* „Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere, ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter, possit; anathema sit." *Et can. 3:* „Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse, sicut oportet. . . . anathema sit."

Pelagianae haeresi affinis est error Semipelagianorum, qui ultro necessitatem gratiae illustrationis una cum Pelagianis agnoscentes, necessitatem gratiae inspirationis ad initium fidei et ad finalem perseverantiam negabant. Hanc haeresim, quae Massiliensium etiam nuncupatur, eo quod apud quosdam presbyteros Massiliae degentes primo invaluit, ex Pelagianismo prodiisse nemo non videt, quippe quae Pelagianismum ipsum sit aliquatenus limitatum. Attamen fautores nacta est viros doctrina et sanctitate praestantes, inter quos est celebris Joannes Cassianus et nonnulli monachi coenobii Lirinensis, qui tamen errore intellectus decepti, magis quam voluntatis pertinacia contumaces fuere. Hos exagitavit ipsemet Pelagii insectator Augustinus, ac deinde SS. Prosper Aquitanus et Hilarius Massiliensis, et praecipue S. Fulgentius Ruspensis. Ecclesia autem eos damnavit in Concilio Arausicano II an. 529 congregato.

Contra Semipelagianos Conc. Arausican. II *cap. 7,* definivit: „Si quis per naturae vigorem . . . evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti . . . haeretico fallitur spiritu." Et Conc. Trident. *sess. 6, can. 22:* „Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum Deo non posse; anathema sit."

Toto autem caelo ab haeresi Pelagiana distant Novatores saec. XVI et Jansenistae, qui ex opposita doctrina de liberi arbitrii amissione post originalem lapsum, gratiam, nedum necessariam, verum etiam necessitantem statuerunt, ita ut, sicut superius nobis compertum fuit, omnes homines, sive ad bonum gratiâ, sive ad malum concupiscentiâ cogantur; vel, uti exponunt Jansenistae, alterutri subsint imperio, concupiscentiae scilicet, vel gratiae necessitantis. Ex quo fit, in eorum sententia, ut homo absque gratia nullos actus pios, non modo ordinis supernaturalis, sed neque ordinis naturalis elicere queat; atque idcirco quaelibet actio ab ipso absque gratia elicita, peccatum sit censenda; ita ut virtutes naturales, in quibus, sola ratione duce, gentiles et peccatores se exercent, totidem sint mortalia peccata. Ex eodem principio adoriuntur praeterea gratiae sufficientis existentiam, imo et necessitatem atque utilitatem cultus externi.

Porro ad hujusmodi haeresum confutationem satis esset, quod contra Protestantium ac Jansenistarum principium ex Concilio Tridentino in medium superius attulimus *(ad cap. V part. III).* Everso siquidem illorum principio de hominis essentiali sive integrali corruptione, totum systema illi principio innixum corruere necesse est. Attamen contra praecipuos saltem errores circa gratiam ex eo pullulantes, testimonia ex Ecclesiae definitionibus, ut de more, perspicuitatis causa, adducenda duximus.

Primo itaque, gratiam necessitantem omnino respuendam patet ex Concilii Tridentini definitione, *sess. 6, can. 4:* „Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit." Patet quoque ex censuris inflictis quinque propositionibus Jansenii, ex libro, cui titulus *Augustinus,* excerptis, quae sunt: I. „Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest etiam gratia, qua possibilia fiant." II. „Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur." III. „Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione." IV. „Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare." V. „Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse." Ex quibus prima propositio damnata fuit ut temeraria, blasphema, impia et haeretica; secunda et tertia, ut haeretica; quarta, ut falsa et haeretica; quinta, ut falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, quod Christus pro salute tantum praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, di-

produxit ad esse, ac per hoc creatura de se habet non esse [i], totum autem esse habeat aliunde; sic facta fuit, ut ipsa pro sua defectibilitate semper suo principio indigeret, et primum principium pro sua benignitate influere non cessaret. Cum ergo spiritus rationalis, hoc ipso, quod de nihilo est, sit in se defectivus; hoc ipso, quod natura limitata et egena, sit in se recurvus, amans proprium bonum; hoc ipso, quod totus [j] a Deo, sit totaliter Deo obnoxius; et quia defectivus est, de se tendit in non esse; quia [k] recurvus, per se non assurgit ad rectitudinem perfectae justitiae; quia totaliter Deo obnoxius, et Deus bonis ejus non indiget, nihil potest facere de se ex [l] propria virtute, propter quod Deum sibi constituat debitorem [8], et maxime mercedis aeternae, quae Deus est, nisi per divinam condescensionem [9]; hinc est, quod ad hoc, quod salvetur in esse, cum sit defectivus, indiget semper adjutorio divinae praesentiae, manutenentiae et influentiae, per quam manuteneatur in esse, quae quamvis sit generalis [m] in creaturas omnes, nominatur tamen nomine gratiae, quia non ex debito procedit, sed ex liberalitate bonitatis divinae. Hinc est etiam [n], quod ad hoc, ut se praeparet ad donum supernae gratiae, cum sit recurvus, indiget dono alterius gratiae gratis datae (II), maxime post naturam lapsam [10], per quam habilis efficiatur ad bona moralia, quae sunt bona ex circumstantia, quae nullo modo possunt dici bona, nisi procedant ex intentione recta, videlicet quod non propter nos, sed propter summum bonum fiant, ad quod non assurgit [11] spiritus noster recurvus, nisi praeveniatur a Deo per aliquam gratiam gratis datam [12]. Hinc nihilominus est, quod ad hoc, quod faciat bona opera meritoria mercedis aeternae, cum totaliter sit Deo obnoxius, et debitor sui totius, indiget dono gratiae gratum facientis, per quam Deus sibi condescendat, prius acceptans suam imaginem et voluntatem, quam operationem ex eo [o] manantem; quia cum causa nobilior sit suo [p] effectu, nullus potest se facere meliorem, nec facere opus Deo placens, nisi prius placeat ipse [13], ut Deus prius

i) Ita, ib.; in cet. non habeat esse.

j) Totus sit ibid.

k) Vero add. ibid. et Inferius.

l) Ita ib.; in cet. et.

m) Ibid. In cet. edit. universalis.

n) Etiam om. ibid.

o) Ex ipso ed. Ven. et 1484; ex ipsa editt. Arg. Nor.

p) Suo om. ed. 1484.

vinae pietati derogans, et haeretica. Ita Innocentius X in Constitut. *Cum occasione,* edita an. 1653. Cfr. etiam censuram propositionum 21—24 Synodi Pistoriensis.

Secundo, gratiam sufficientem, cui ex malitia humanae voluntatis resistitur, dari constat ex eodem Conc. Trident. *sess. 6, cap. 11:* „Nemo temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.“ Constat etiam ex censura primae et secundae propositionis Jansenii.

Tertio, non omnia infidelium opera esse peccata constat ex damnatione propositionum 25 et 27 Baji facta a S. Pio V, ex quibus prima est: „Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia.“ Altera: „Liberum arbitrium sine gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.“ Rationem adducit S. D. *2. dist. 41. dub. 2,* „nam quando eorum actio non repugnat fidei, nec bonis moribus, non est ratio aliqua, quare in ea debeat esse peccatum.“

Quarto, non omnia peccatorum opera esse peccata, constat ex definitione Tridentini *sess. 6, can. 7:* „Si quis dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata; anathema sit.“ Cui praeluserat Conc. Constantiense, quod *sess. 15* hunc articulum Hussii et Wicleffi damnaverat: „Peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi.“ Et ex censura prop. 35 Baji: „Omne, quod agit peccator, peccatum est“; et demum ex censura quamplurium propositionum Quesnelli eadem pice infecti.

(II) Ad rem contra Jansenianos, prout evincitur ex censura prop. 22 Synodi Pistoriensis.“ Propositio, quae innuit — fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt: — Perinde ac prior non esset gratia illa, quae ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem, *suspecta de haeresi, eamque sapiens, aliâs in Quesnello damnata, erronea.*“

ipsum respiciat, quam ad munera ejus. Et ideo omnis radix merendi fundatur in gratia gratum faciente[14], cujus est facere hominem Deo dignum[15]; propter quod nullus potest eam mereri merito condigni, sed solum merito congrui[16]. Ipsa autem habita, meretur sui ipsius augmentum in statu viae per bonum ejus usum[17] merito condigni. Nam cum solus Deus sit ipsius gratiae fontale principium influendi, ipse solus est principium augmentandi per modum infundentis [q], et gratia per modum meriti et dignitatis, et liberum arbitrium per modum cooperantis et merentis, pro eo quod liberum arbitrium cooperatur gratiae et, quod est gratiae, suum facit: et ideo non tantum liberum arbitrium per gratiam meretur gratiae augmentum in statu viae merito digni [r], verum etiam complementum in statu patriae merito condigni; tum propter sublimitatem doni Spiritus sancti in merito cooperantis; tum propter veracitatem Dei promittentis; tum propter vertibilitatem liberi arbitrii consentientis et finaliter perseverantis; tum propter difficultatem status merentis [s]; tum propter dignitatem Christi nostri capitis intervenientis, quod debet glorificari cum suis membris; tum etiam propter liberalitatem Dei retribuentis [t], quem non decet parva reddere propter obsequium sibi fideliter obtemperantis; tum propter nobilitatem operis[18], quod ex caritate procedit[19], quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor, ex quo procedit[20], qui Deum incomparabiliter praeponit omnibus [u] creaturis; et ideo non sufficienter et competenter potest nisi in Deo et summo bono [v] remunerari. Ex quibus omnibus, tanquam ex septem rationibus, gloriam aeternam merito non tantum congrui, sed etiam condigni, mereri facit gratia septiformis.

q) Influentis ibid.

r) Condigni ibid.

s) Ibid. In cet. merendi.

t) Ita ib.; in cet. tribuentis.

u) Ceteris ibid.

v) Summo et bono ibid.

Ad Caput II.

[1] „Cum gratia una sit, multiplices tamen habet divisiones secundum diversas considerationes. Habet enim gratia comparari ad suum principium a quo, habet comparari ad suum subjectum in quo, habet nihilominus comparari ad suum oppositum contra quod, habet comparari ad suum effectum, ad quem ordinatur. Per comparationem ad suum principium, sic dividitur gratia in gratiam praedestinationis, vocationis, justificationis et magnificationis. Primo enim Deus gratiam praeparat, secundo offert, tertio confert et quarto complet. Et secundum hoc attenditur praedicta divisio, quae sumitur de eo, quod dicit Apostolus *(Rom. 8, 30)*. Secundum autem quod gratia comparatur ad suum subjectum, sic dividitur in gratiam cogitationis, voluntatis et perfectionis, secundum triplicem potentiam ejus substantiae, in qua est gratia, videlicet secundum intellectivam et affectivam et operativam. Et haec divisio ponitur a Bernardo in libro de libero arbitrio *(ad fin. et ad med.)*. Secundum autem quod comparatur ad suum oppositum, sic est illa divisio gratiae, quia est gratia protectionis, liberationis et salvationis. Sumitur enim haec divisio, secundum quod gratia adjuvat contra multiplex malum, videlicet malum tentationis, sive pugnae, malum persecutionis, sive miseriae, malum culpae, et malum sequelae. A primo protegit, a secundo liberat a tertio extrahit et a quarto salvat. Et haec divisio sumitur pro eo, quod dicitur: *Protegat Dominus exercituum Judaeam et Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans (Isa. 31, 5)*. Secundum comparationem ad effectum ad quem est, dividitur in praevenientem et subsequentem, sive operantem et cooperantem, quae sunt differentiae gratiae secundum effectus, quos habet in ipsam voluntatem. Dicitur enim gratia praeveniens, in quantum ipsam voluntatem facit bonam; et ideo praevenit, quia non est a libero arbitrio, sed potius infunditur ab ipso Deo. Cooperans vero, sive subsequens, dicitur, in quantum adjuvat liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi. Et notandum quod, secundum quod nomen gratiae diversimode accipitur, sic etiam et istae duae differentiae, praeveniens et subsequens. Accipitur enim gratia uno modo largissime; et sic comprehendit dona naturalia et dona gratuita, utraque enim desursum est: et hoc modo gratia habet dividi in praevenientem et subsequentem, ita quod praeveniens vocantur dona naturalia, subsequens vero dona gratuita; et sic accipit Gregorius in Moralibus. Alio modo accipitur gratia minus communiter; et sic comprehendit gratiam gratis datam et gratum facientem: et tunc dividere gratiam in praevenientem et subsequentem nihil aliud est, quam dividere gratiam in gratis datam et gratum facientem. Et sic dividit Bernardus *(l. c.)*, cum dicit, quod quaedam est gratia, quae seminat cogitatum, et hanc vocat gratiam praevenientem; quaedam, quae perficit bonum, et hanc dicit gratiam subsequentem. Ait enim sic in libro de libero arbitrio: Haec tria in nobis operatur Deus, scilicet cogitare, velle, perficere. Primum sine nobis operatur,

secundum nobiscum, et tertium per nos. Accipitur et gratia stricte; et sic comprehendit gratiam gratum facientem et gloriam: et tunc dividere gratiam in praevenientem et subsequentem non est aliud, quam dividere in gratiam et gloriam; et sic dividit Augustinus in libro de natura et gratia *(c. 32)*, cum ait: Gratia praevenit, ut pie vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus. Nunc praevenit, ut vocemur; tunc subsequitur, ut glorificemur. Accipitur etiam gratia magis stricte; et tunc nominat solum gratiam gratum facientem: et tunc dividere eam per praevenientem et subsequentem, hoc est secundum duplicem effectum gratiae, qui potest distingui tripliciter. Vel ita ut unus effectus sit contra malum, et alter ad bonum; vel ita quod uterque sit ad bonum, sed unus competat gratiae, secundum quod informat, alter secundum quod movet; vel ita quod uterque attribuatur gratiae moventi, sed unus in ingressu et alter in profectu. Et sic tripliciter exponitur ab Augustino in libro de natura et gratia. Uno modo sic: Gratia praeveniens hominis voluntatem, liberat et praeparat; subsequens vero, in quantum eadem adjuvat. Secundo modo sic: Gratia praeveniens praevenit voluntatem, ut sanemur; et subsequitur, ut sanati vegetemur. Tertio modo sic: Gratia praevenit voluntatem, ut velit; et subsequitur, ne frustra velit.“ *2. dist. 27. dub. 1.* Cfr. quoque *Centil. p. 3. sect. 35.*

[2] „Donum dupliciter potest accipi, proprie et communiter. Proprie donum dicitur, quod simpliciter aliunde est, cujusmodi sunt gratiae infusae, sive dona infusa: et talis est gratia gratum faciens, vel ad eam habilitans. Alio modo dicitur donum, quod est per adjutorium divinum, nihilominus tamen per acquisitionem nostram: et illud non dicitur proprie donum, sed habito respectu ad hoc, quod non acquiritur sine Dei adjutorio; et hoc modo Deus dat dona bonis et malis. Quia enim Deus dedit lumen cognitionis ab initio, quod poterat in acquisitionem multorum scibilium, et ipse non subtrahit quod dedit, nec etiam conservationem, cum talia possint stare cum peccato mortali; ideo qui habet primum donum, potest multiplicare, etiam reprobus existens, et Deus dicitur docere non inspirando, sive infundendo, sed cooperando lumini dato, et conservando illud.“ *2. dist. 7. p. 2. a. 1. q. 1 ad 7.*

[3] „In una anima est tantum ponere unam gratiam gratum facientem. Ratio hujus sumitur et ex parte principii effectivi, et ex parte subjecti, et ex parte finis ultimi, et ex parte finis primi et etiam intermedii. Ex parte principii effectivi, quoniam gratia est influentia a Deo procedens in ipsam animam, secundum quam Deus totam animam sibi assimilat. Unde quia unius rei una est similitudo, in una anima una reperitur gratia procedens ab effectivo principio. Ex parte subjecti similiter necesse est gratiam gratum facientem esse unam, pro eo quod gratia comparatur ad animam sicut principium dans ei vitam in esse secundo. Et quoniam unius vivificabilis una est vita, sive principium vivificans; hinc est, quod in una anima tantum debet esse una gratia. Ex parte vero finis tam primi, quam ultimi, quam etiam intermedii, ratio sumitur. Gratia enim est ad hoc, quod faciat hominem Deo acceptum; est etiam ad hoc, ut per ipsam perveniat homo ad unum et summum bonum; est etiam ad hoc, ut opus a libero arbitrio egrediens, sit meritorium apud Deum. Quoniam igitur Deus non acceptat hominem secundum quid, sed si acceptat, totum acceptat, et opera ejusdem hominis secundum unum statum sunt aequaliter meritoria, et merces omnium meritorum est una; hinc est, quod necesse est ponere in uno homine gratiam esse unam, exigente hoc comparatione ad effectivum principium, et ad subjectum, et ad finem immediatum et ultimum.“ *2. dist. 27. a. 1. q. 1.*

[4] „Nihil plus requiritur ad rationem meriti, nisi merendi principium et status et ordo meriti ad praemium.“ *3. dist. 18. a. 2. q. 2. fund. 4.* — „Per usum gratiae consequentem non contingit mereri habitum gratiae praecedentem, nec quantum ad meritum congrui, nec quantum ad meritum condigni. Quantum ad meritum congrui non pro eo, quod usus gratiae ad ipsum habitum non comparatur sicut meritum ad praemium; tum quia non ordinatur ad ipsum habitum promerendum, sed ad aliud; tum etiam quia non habet ordinari ad illud, nisi sicut ad suum fundamentum et originem. Meritum autem omne, sive congrui, sive condigni, ordinatur ad praemium, tamquam quaedam via et dispositio praeambula. Multo minus vero quantum ad meritum condigni per usum gratiae contingit mereri ipsum donum gratiae, quod est ipsius usus principium. Tum quia ipsa gratia, quantum est de sua prima ratione et primaria infusione, sic habet rationem gratuiti, ut nullo modo compatiatur rationem debiti; si enim esset ex meritis, jam non esset gratia. Tum etiam quia si usus gratiae ipsam gratiam mereretur, quanto magis ipsa bene uteretur, tanto minus pro ipsa teneretur esse Deo gratus; quod si hoc repugnat perfectioni meriti, planum est quod gratiam non contingit mereri, nec merito condigni, quia tunc tolleretur perfectio gratiae et perfectio meriti, nec merito congrui, quia non salvatur ibi ordo, qui inter meritum et praemium debet attendi.“ *2. dist. 27. a. 2. q. 1.*

[5] „Gratiam primam non contingit mereri, tum quia est fundamentum omnis meriti et principium, tum etiam quia est donum pure gratuitum, nisi enim quis habeat gratiam Dei, nihil apud Deum mereri potest merito condigni, quia sine illa nihil acceptat Deus in operibus nostris. Rursus, ipsa est ita donum gratuitum, quod non redditur meritis. Sicut enim dicit Apostolus *(Rom. 11, 6)*: Si gratia est ex meritis, *jam gratia non est gratia.* Ex hoc patet, quantum Pelagius adversabatur divinae gratiae, qui dicebat aliquem eam posse mereri. Auferebat enim ipsi gratiae suam dignitatem et excellentiam, dum eam meritis liberi arbitrii supponebat. Auferebat etiam suam efficaciam, dum potestatem merendi alii quam gratiae attribuebat . . . Si autem quaeratur, utrum aliquis in statu gratiae existens possit sibi mereri primam gratiam post recidivum, et hoc orando et petendo, ut, si caderet, Deus illum relevaret, dicendum quod non potest ex merito condigni, sed solum ex merito congrui. Nam meritum condigni implicat in se perseverantiam, pro eo quod peccatum subsequens morticat, et in oblivionem ducit bona opera prius facta.“ *2. dist. 28. dub. 2.*

[6] „Sicut dicit Augustinus, absque dubio tenendum est, quod gratia meretur augeri; quis autem sit modus augendi et modus merendi, difficile est assignare. Cum enim multi sint modi augendi, quis eorum competat gratiae, non est facile discernere. Contingit enim aliquid augeri per im-

permixtionem cum contrario, sicut dicitur, quod albius est, quod est nigro impermixtius. Contingit nihilominus aliquid augeri propter hoc, quod minori succedit majus, sicut dies augeri dicuntur. Contingit etiam aliquid augeri propter aggregationem multorum, sicut lumen augetur in aëre propter multitudinem candelarum, ex quarum concursu fit aggregatio luminum. Contingit etiam aliquid augeri per additionem, sicut augetur corpus per alimentum. Contingit etiam aliquid augeri per magnificationem rei in seipsa, sicut augmentata fuit costa, cum de ea facta fuit Eva, et sicut augmentati fuerunt quinque panes, cum de eis quinque millia hominum pasti sunt. Contingit etiam sexto modo aliquid augeri per accessum ad suum summum, sicut aliquid dicitur magis pulchrum et magis luminosum, quod magis accedat ad perfectionem pulchritudinis et lucis. Omnibus his sex modis dixerunt aliqui gratiam augeri. Sed primi tres modi improbari possunt de facili, et in primo libro improbati sunt aliquo modo, cum agitur de caritatis augmento, eodem enim modo tam caritas quam gratia habent augeri. Tres autem modi sequentes sunt satis convenientes, nec improbari de facili possunt. Primus tamen eorum famosior est, pro eo quod magis consonat Sanctorum auctoritatibus, quae videntur dicere in augmento gratiae infundi novam gratiam, cum loquuntur de diversa sacramentorum efficacia . . . Ultimus autem modus non est minus intelligibilis, quam aliquis praedictorum; imo secundum hunc modum dicendi, objectiones, quae fiunt contra gratiae augmentum, facilius declinari possunt. Quamvis enim augmentum per oppositionem videatur repugnare simplicibus, maxime cum in spiritualibus quanto aliquid est simplicius, tanto fit virtute majus, augmentum tamen per accessum ad summum valde videtur eis consonum. Quodcumque autem horum modorum trium sequentium dicatur, non est magna vis facienda, sed pro certo habentes gratiam Dei in nobis augeri posse, laborare debemus taliter, quod in nobis augeatur per bona opera. Per illa enim, ut dicit Augustinus *(ep. 106)*, meretur augeri, ut aucta mereatur perfici. Modum autem merendi gratiae augmentum sic videre possumus. Contingit enim aliquid mereri ex congruo, et contingit aliquid mereri ex condigno. Tunc est meritum ex condigno, quando ratio meriti reperitur ibi perfecte et plene; et tunc est ibi quaedam commensuratio et adaequatio meriti ad praemium. Et quia hoc non potest esse, cum gratia augetur; hinc est, quod non potest quis mereri gratiae augmentum merito condigni*). Si igitur contingit ipsum augmentum gratiae mereri, hoc est merito congrui. Meritum autem congrui dicitur, in quo est aliqua dispositio congruitatis respectu ejus, ad quod illa dispositio ordinatur, quae tamen deficit a ratione condignitatis. Et hoc potest esse tripliciter. Aut enim est congruitas sine dignitate; et sic peccator per bona opera in genere, facta extra caritatem, meretur de congruo primam gratiam; ibi est enim quaedam congruitas, quia facit quod in se est, non est tamen condignitas, quia inimicus Dei est, et indignus pane, quo vescitur. Aut est ibi dignitas cum indignitate, sicut est quando vir justus meretur peccatori primam gratiam, dignitas enim est ex parte viri justi, qui est amicus Dei, et dignus a Deo exaudiri, sed indignitas est ex parte peccatoris; et ideo non est ibi plena ratio meriti. Aut est ibi dignitas cum gradus inferioritate; et sic habens gratiam minorem meretur per bonum usum pervenire ad gratiae cumulum. Et hic modus merendi, etsi deficiat a merito condigni, et contineatur sub merito congrui, maxime tamen inter ceteros modos

*) Quamvis haec verba primo intuitu pugnare videantur cum *can. 32. sess. 6* Conc. Tridentini: „Si quis dixerit . . . justificatum bonis operibus . . . non vere mereri augmentum gratiae . . . anathema sit;“ nullam tamen repugnantiam existere fateri cogetur quisquis vim vocis *de condigno*, prout a Seraphico usurpatur, recte intelligat, et ejus verba cum consequentibus attente conferat, praesertim vero cum conclusione: *Et sic habens gratiam minorem meretur per bonum usum pervenire ad gratiae cumulum;* quam conclusionem cum relato canone ad amussim convenire nemo non videt.

Siquidem meritum condigni a nostro Doctore strictissime et differenter a communi Theologorum accipitur. Ipse enim non modo requirit ad meritum condigni constituendum, ut *justus operetur pro se ipso (1. dist. 41. a. 1. q. 1)*, et ut *ex tanta caritate mereatur tantam gloriam (3. dist. 4. a. 2. q. 2);* et idcirco quamquam *non necessario ponat obligationem in retribuente (2. dist. 27. a. 2. q. 3 ad 3), ponit* tamen *sufficientem ordinationem ejus, qui remuneratur, ad ipsam remunerationem, mediante aliqua laudabili remuneratione (ibid.):* verum etiam expresse asserit, quod *meritum condigni implicat in se perseverantiam (2. dist. 28. dub. 2),* et quod *tunc* tantum *est meritum ex condigno, quando ratio meriti reperitur ibi perfecte et plene (2. dist. 27. a. 2. q. 2),* quia *tunc* tantum *est ibi quaedam commensuratio et adaequatio meriti ad praemium (ibid.).* Huic doctrinae cohaerent illa verba textus: *non tantum liberum arbitrium per gratiam meretur gratiae augmentum in statu viae merito digni, verum etiam complementum in statu patriae merito condigni.* Ad meritum igitur condigni duo juxta S. D. requiruntur, scilicet *perfectio,* seu *complementum,* quoad objectum, et *plenitudo* quoad subjectum. Siquidem „ad perfectionem meriti duo concurrunt, videlicet ipse habitus gratuitus, et ipsius habitus actus vel usus“ *(3. dist. 18. a. 1. q. 1):* habitus „reddit habentem dignum praemio“; attamen in actu sive usu virtutis „proprie attenditur completa ratio merendi“ *(ibid.).* Ex quibus praemissis liquido patet, illud meritum quo *gratia augetur,* eo ipso quod gratia augeri potest ulterius, nondum apicem suae *perfectionis* attigisse, nova enim augmenta gratiae per novos actus, sive pro repetito usu virtutis, possunt adhuc mereri: et idcirco meritum hujusmodi esse non posse meritum de condigno eo sensu, quo a Seraphico accipitur, etiamsi ratio meriti ibi reperiatur plene, quia in eo est actus, sive usus virtutis, „in quo proprie attenditur completa ratio meriti.“ *Hic* tamen specialis *modus merendi,* nempe *quum gratia augetur, etsi deficiat a merito condigni,* accepto in sensu S. D., eo quod ratio meriti non reperitur ibi perfecte; et propterea *contineatur sub merito congrui:* nihilominus, juxta eumdem Seraphicum, non modo *maxime inter ceteros modos merendi* ex congruo *accedit ad perfectionem meriti* de condigno *(2. dist. 27. a. 2. q. 2);* sed est etiam meritum verum, quamquam si ad meritum de condigno comparetur, *sit cum gradus inferioritate (ib.).* Nam ratio meriti reperitur ibi plene, quia ibi est *habitus gratuitus,* seu *ibi est dignitas ex parte viri justi, qui est amicus Dei, et dignus a Deo exaudiri (ib.).* Et ideo S. D. dicit in textu, quod *gratia meretur augeri a Deo in via;* et hîc concludit: *Et sic habens gratiam minorem,* quia *amicus Dei, et dignus a Deo exaudiri, meretur per bonum usum pervenire ad gratiae cumulum;* quae doctrina in verba praecitati canonis Tridentini recidit.

praedictos merendi accedit ad perfectionem meriti; et ideo quasi medium tenet inter meritum congrui et meritum condigni.“ *2. dist. 27. a. 2. q. 2.* — „Caritas augetur per appositionem, et non per depurationem, vel impermixtionem; augetur tamen divina virtute, sicut ab ea creatur.“ — „Circa hoc fuit duplex opinio. Una est, quod augmentum caritatis est per depurationem, sive per impermixtionem cum contrario. Contrarium autem amoris Christi est amor concupiscentiae. Unde quanto magis in nobis extinguitur concupiscentia, tanto magis depuratur caritas; et quanto magis depuratur, tanto magis assimilatur Deo, et accedit ad terminum; et quanto magis accedit, tanto magis augetur: et isti posuerunt caritatem per se posse augeri per assuefactionem in bono et debilitationem concupiscentiae. Ratio autem, quae istos movit, fuit auctoritas Philosophi, qui dicit formas intendi per accessum ad terminum, et impermixtionem cum contrario. Fuit etiam cum hoc auctoritas Augustini, qui dicit *(l. 83. quaest.)*, quod sicut minuitur concupiscentia, sic crescit caritas; et tale augmentum per majorem depurationem simplici non repugnat. Sed ista positio non est conveniens, quia constans est caritatem majorem et minorem esse, omni sublata concupiscentia, sicut in primo homine, et etiam in angelis; ergo cum omnino sit ibi impermixta, in quolibet angelo, et etiam in statu innocentiae, esset in summo, quod stultum est dicere. Unde non est dicendum, quantum ad remissionem concupiscentiae augeri secundum substantiam; concedendum est tamen quantum ad remissionem concupiscentiae intendi per fervorem. Et hoc modo intendit Augustinus; et hoc modo loquitur etiam Philosophus de formis quantum ad intensionem, non quantum ad augmentum. Alia positio est, quod caritas augetur per appositionem; et hujus simile habetur in lumine, quod expresse caritati assimilatur. Unde sicut majus lumen additum minori ipsum auget, sic caritas superaddita auget minorem. Et haec positio ponit caritatem non augeri virtute propria, sed divina, idem enim est principium augendi et generandi. Unde sicut a solo Deo habet ortum, ita et augmentum.“ *1. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 2.* — „Caritas secundum substantiam non minuitur, cum non habeat nisi peccatum mortale pro opposito, a quo non minuitur, sed tota tollitur.“ — „Circa hoc duplex opinio est, fundata super duplicem opinionem praecedentem de modo augmentandi caritatem. Quidam enim dicunt caritatem augeri per impermixtionem, et cum impermixtio major sit secundum majorem liberi arbitrii habilitationem, et secundum concupiscentiae diminutionem, et e contrario permixtio per dehabilitationem liberi arbitrii et augmentationem concupiscentiae; dicunt per consequens eam diminui, secundum quod augetur cupiditas vel concupiscentia, et dehabilitatur liberum arbitrium; et hoc est per veniale peccatum. Sed quoniam veniale peccatum, manens veniale, nunquam totiens iteratur, quod concupiscentiam augeat ita, quod aliquid diligat supra Deum; ideo caritas per venialia potest diminui, sed non tolli; tollitur autem per mortale, quod auget concupiscentiam supra Deum. Sed haec opinio, ut supra probatum est, non habet stabile fundamentum, quoniam substantiale augmentum caritatis non venit a libero arbitrio; ideo nec a concupiscentia diminutio. Et propter hoc ponitur alia opinio probabilior, quod caritas non minuitur substantialiter. Et haec opinio fundatur super hoc, quod augmentum caritatis fieri habet per additionem, vel incrementum majoris influentiae. Quo supposito, dicendum quod caritas secundum substantiam non minuitur, sed augetur. Et ratio hujus sumitur a parte oppositi, sive agentis. Nam caritas non habet oppositum nisi mortale peccatum; per illud autem non minuitur, sed tollitur; concupiscentia autem, sive cupiditas, et veniale peccatum opponuntur caritati secundum fervorem solum, quia simul stant, et substantialiter sunt sese contingentia. Et ideo solvendum ad duo prima, quod illud Augustini de cupiditate et minori amore, similiter ad illud de venialis diminutione, locum habet solum quantum ad fervorem caritatis. Et sic patent duo prima. Sumitur et ratio, quare caritas non minuitur a parte ipsius subjecti, quod est liberum arbitrium secundum conversionem ad Deum. Liberum enim arbitrium ad augmentum caritatis se disponit per habilitatem, similiter ad diminutionem per dehabilitatem citra mortale; sed haec dispositio est de congruo, non de condigno. Et quoniam Deus est pronior ad miserendum, quam ad condemnandum, et ad donandum, quam ad abstrahendum; hinc est, quod caritatem tribuit, cum se liberum arbitrium disponit de congruo, sed non abstrahit, nisi quando necessario se disponit ad abstractionem vel subtractionem gratiae; hoc autem solum est per aversionem, et tunc totum tollitur.“ *Ibid. q. 3.* — „Caritas habet terminum in augmento, tum a parte agentis a proposito operantis, tum ex parte suscipientis.“ — „Dicendum, quod status est in augmento caritatis secundum omnem modum, secundum quem convenit esse statum et perfectionem in motu augmenti. Augmentum enim, sicut patet in corporalibus, habet statum a tribus, videlicet a virtute agente, et potentia suscipiente, et forma perficiente. Sic est in homine, cujus augmentum stat, quando virtus caloris et carnis secundum speciem non potest amplius convertere, quam deperdatur; quando potentia humidi radicalis non potest plus extendi; quando corpus perfectum est, secundum quod congruit perfectioni animae; sic dicendum, quod caritas stat a parte virtutis agentis. Sed hujusmodi status potest esse dupliciter, nam illa virtus, aut est operans naturaliter aut a proposito. Si naturaliter, tunc stat, quando non potest amplius; si a proposito, tunc stat, quando non disponit amplius. Et hoc modo stat caritatis augmentum, cum deventum est ad mensuram, quam mensus est Deus homini secundum distributionem suae sapientiae. Et ideo, licet virtus augmentans sit infinita, tamen operatur secundum dispositionem sapientiae limitantis effectus varios, secundum quod placet sibi; non enim operatur secundum omnimodam possibilitatem. Stat etiam a parte suscipientis; quia, sicut dicitur per Matthaeum *(25, 15): Dedit unicuique secundum propriam virtutem.* Et hujusmodi status potest intelligi tripliciter. Aut secundum actum, cum amplius non procedit; et sic stat in viris perfectis, qui non assurgunt ad majora. Aut secundum aptitudinem; et sic stat in beatis, qui amplius non possunt se disponere, et tantum habent, quantum se disposuerunt; unde status est in eis. Aut secundum possibilitatem suscipientis; et sic statum habet in Christo, et credo etiam quod in beata Virgine, et aliqui dicunt quod in angelis. Utrum in aliquibus aliis nescio. Scio tamen

de Christo, quia tantum habet de gloria, quantum potest recipere creatura unita; et credo hoc ipsum de Matre dulcissima. Stat etiam a parte augmentabilis, cum pervenit ad quantitatem perfectam. Sed notandum, quod quantitas virtutis perfecta est dupliciter, vel simpliciter, vel in genere. Simpliciter perfecta est in summo et simplicissimo, ut in Deo; in genere vero in omnibus, qui pertingunt ad actum completum, ad quem sunt; et hoc est diligere Deum *ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute (Deuter. 6, 5).* Primo modo non est status, sed secundo solum." *Ibid. q. 4.*

[7] „Gratiae complementum et praemium aeternum non solum merito congrui, sed merito condigni promereri possumus." — „Circa istam quaestionem aliqui doctores senserunt diversimode. Quidam enim dicere voluerunt, quod quia meritum condigni dicit quandam obligationem in retribuente et quandam commensurationem in servitio et retributione, et Deus non potest alicui obligari, et praemio gloriae nihil aliud potest commensurari; ideo dixerunt, quod nullus potest caelestem gloriam mereri ex condigno, sed si meretur, hoc est tantum ex congruo. Et ad istam suam positionem adstruendam multis fulciuntur auctoritatibus sacrae Scripturae, et etiam expositorum, qui hoc sentire videntur. Sed quoniam in Scriptura etiam saepe reperitur, quod Deus unicuique retribuet secundum opera sua, et in parabola, qua exprimitur meritum et retributio, dicitur: *Tolle quod tuum est, etc. (Matth. 20, 14),* et plura consimilia reperiuntur; ideo aliorum positio est, quod gloria non tantum contingit mereri merito congrui, tale enim meritum reperiri potest in gratia gratis data, sed etiam contingit mereri merito condigni, pro eo quod gratiae et gloriae quaedam est commensuratio, et in Deo quaedam cadit obligatio, non ex necessitate, sed ex sua mera benignitate, qua voluit promittere, et pactum firmare cum iis, qui eum diligunt, quod seipsum mercedem eis retribueret, sicut in Abraham apparet *(Gen. 15, 1).* Si autem velimus considerare, quis istorum duorum modorum dicendi sit verior, inveniemus quod, secundum diversas comparationes operis meritorii, reperitur in eo et meritum congrui et meritum condigni. Opus enim meritorium comparationem habet ad principium a quo exit, et ad finem pro quo fit, et ad statum in quo fit. Si loquamur de ipso per comparationem ad principium; sic opus et ortum habet a voluntate libera, et ortum habet a gratia. Et in quantum ortum habet a voluntate libera, est meritorium merito congrui; sic enim quodam modo nostrum est, et quasi alterius generis est, quam sit ipsum praemium, quod debet ei retribui. In quantum autem ortum habet a gratia; sic, cum gratia reddat hominem acceptum Deo, et sit quid divinum, et ad hoc sit ordinata, ut ducat ad Deum, opus illud est meritorium merito condigni. Si autem comparemus opus meritorium ad eum, pro quo fit, hoc potest esse dupliciter, vel ad largitatem dispensantis, vel ad veritatem pollicentis. Si comparetur ad largitatem dispensantis; sic est meritorium merito congrui, nam pro suae liberalitatis immensitate decet ipsam pro modico obsequio retribuere magnum praemium. Si vero comparetur ad veritatem pollicentis, ex quo promisit, et quodam modo se voluntarie obligavit, quod tanto operi tantum reddit praemium; sic opus illud meritorium est merito condigni. Si autem tertio modo comparemus opus meritorium ad statum; hoc potest esse dupliciter, aut quantum ad temporis opportunitatem, aut quantum ad operis difficultatem. Si quantum ad temporis opportunitatem, quia nunc est tempus seminandi, sicut dicit Apostolus *(Gal. 6, 8),* et qui facit opera meritoria, semen projicit in terram bonam *(Marc. 4, 20;* et *Luc. 8, 15);* congruum est, ut ex hac terra fructum magnum suscipiat. Et ideo recte Deus ei, qui in praesenti dimittit modicum, promittit reddere centuplum *(Matth. 19, 29).* Si autem consideretur operis arduitas, quia opus tale sic est in voluntate facientis, ut sit supra vires, et homo elevetur in faciendo ipsum supra se, et bono proprio praeponat bonum aeternum; hinc est, quod tale genus operis aeterna remuneratione est dignum, et sic per ipsum mereri contingit merito condigni. Patet igitur, quod opus meritorium consideratum in comparatione ad voluntatis libertatem, et dispensatoris liberalitatem, et temporis opportunitatem, est meritorium merito congrui. Comparatum vero ad gratiae dignitatem, ad illius pollicentis veritatem, et ad sui ipsius difficultatem, est meritorium merito condigni." *2. dist. 27. a. 2. q. 3.*

[8] „Debitum ex commisso est debitum proprie, quia praeit voluntatem, velit enim, nolit, obligatus est qui accepit beneficium, si necessario eget beneficio. Debitum autem ex promisso, quod est merae liberalitatis, est debitum, quod sequitur largitatem promittentis; et ideo secundum rem plus habet de ratione gratiae quam debiti: et hoc modo Deus est debitor, primo modo non, ex sua enim liberalitate promittit, ut alliciat, sed nihil recipit. Unde obsequia nostra non acceptat propter indigentiam; ideo ratio debiti, secundum quod obligationem dicit, proprie in Deo non cadit; si autem abutamur nomine, ut debitum sonet incondecentiam bonitatis Dei, sic recipitur in Deo." *1. dist. 43. dub. 3.*

[9] „Hominis liberum arbitrium in puris naturalibus constitutum, cum generali Dei influxu, tametsi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponit ad gratiam, nec ad gloriam." — „Est notandum, quod opus aliquod tripliciter potest dici bonum. Uno modo dicitur aliquid bonum simpliciter; et hoc est bonum, quod est ordinatum in finem; et tale est bonum, quod est meritorium. Et in hujusmodi bonum non potest liberum arbitrium lapsum absque auxilio gratiae gratum facientis. Secundo modo aliquid dicitur bonum, ex hoc quod aliquo modo de congruo disponit ad bonum; et tale est bonum, quod fit extra caritatem, nihilominus tamen cum recta intentione. Et in tali non potest liberum arbitrium absque munere gratiae gratis datae, per quod illuminetur et dirigatur et excitetur, ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum. Et quod ad hoc sit munus gratiae necessarium, expresse innuitur in Sapientia *(8, 21),* ubi dicitur: *Scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det: et hoc ipsum erat sapientia, scire cujus donum hoc esset.* Unde non est parvum donum gratiae cognoscere ipsum munus gratiae, et cognoscere, quod sine gratia homo salvari non potest. Tertio modo dicitur aliquid bonum, quia in finem est ordinabile, et habet aliquam ordinationem intra se, sive ex transitu super materiam debitam, sicut pascere esurientem; sive ex debita circumstantia superaddita, videlicet cum hoc faciat, cum exigit tempus et

locus et opportunitas. Ad istud autem genus boni complendum, etsi gratia gratis data sit necessaria ad hoc, quod fiat faciliter, circumscripto tamen omni munere gratiae, et libero arbitrio relicto in puris naturalibus, per naturale judicatorium et instinctum potest in tale bonum, Deo sibi cooperante, sicut cooperatur aliis creaturis. Nam sine primo agente nullum agens potest agere, sicut suo loco infra manifestabitur, cum agetur, utrum omnis actio sit a Deo. Ad praesens autem tantum dixisse sufficiat, quod liberum arbitrium sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, licet difficiliter, potest exire in aliquod bonum morale; per illud tamen nec disponitur ad gratiam, nec ad gloriam, quia non est in finem ultimum ordinatum, sed tantum ordinabile*). In bonum autem, quod ducit ad bonum perfectum, sive merito congrui, sive merito condigni, non potest absque auxilio Dei, sicut expresse dicunt auctoritates Sanctorum ad contrarium adductae, et sic omnes intelligendae sunt. Et quod isto modo debeant intelligi, planum est. Nam si liberum arbitrium in solis naturalibus suis relinquatur, adhuc remanebit ei rationis judicium, per quod cognoscit parentes esse honorandos; et constat, quod si habet hoc naturale judicatorium, per illud, per quod potest nosse parentes esse honorandos, per illud potest cogitare; et cum habeat naturale instinctum, potest etiam id velle; et cum habeat exteriora organa sibi subservientia, potest opere implere: sed prout illud facit judicium rationis rectae absque munere gratiae, non dirigit ad obtinendum finem, qui Deus est, et mercedem aeternae beatitudinis, quam nosse non potest, nisi Deus revelet. Et propterea dicunt Sancti, quod nec cogitare nec velle nec facere potest bonum absque juvamine divinae gratiae, quia loquuntur de bono, secundum quod est ordinatum ad assequendam beatitudinem. Si autem intelligantur auctoritates de alio bono, tunc nomine gratiae non est intelligendus aliquis habitus superadditus naturalibus, sed intelligitur gratuita Dei influentia, per quam cetera conservat et adjuvat, ut compleant operationes suas. Et sic intelligitur illud verbum Joannis *(15, 5): Sine me nihil potestis facere.* Et illud Isaiae *(26, 12): Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine;* et consimilia. Et sic intelligendum est illud, quod dicitur in libro de Magistro, quod nullus potest aliquid addiscere, nisi Deus doceat *(August. in fine libri).* Hoc enim non dicitur, quia omnis cognitio sit infusa; sed quia lumen creatum non potest perficere operationem suam absque cooperatione luminis increati, per quod illuminatur omnis homo, qui venit in hunc mundum. Et hoc modo intelligenda sunt verba Dionysii *(de divin. nom. c. 4. p. 2)* et aliorum Sanctorum, qui dicunt, quod omnis essentia est a prima essentia, et omnis vita a prima vita, et omnis intelligentia a prima intelligentia, et omnis bonitas a prima bonitate. Haec enim dicta sunt, non quia Deus sit tota causa, sed quia sine ipso non potest agere aliqua virtus creata. Patet igitur ex praedictis, quantum sit necessaria libero arbitrio gratia gratum faciens, quia sine ea non potest a peccato resurgere, nec potest adversarium vincere, nec potest mandata Dei implere. Patet nihilominus, quantum sit necessaria gratia gratis data, quia sine ea non potest liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem sufficienter se disponere; non potest etiam omni tentationi resistere, non potest etiam in aliquod bonum quantumcumque modicum, quod sit ordinatum ad salutem. Et licet possit in aliquod bonum morale, vix aut nunquam tamen faceret nisi malum, propter peccati originalis corruptionem. Et ex his manifeste convincitur error Pelagii, et superbia, qua se contra divinam gratiam erigebat, et ingratus gratiae Dei, sibi, quod erat gratiae, usurpabat; et dum hoc agebat, seipsum a munere divinae gratiae elongabat; et propterea error iste cavendus est non modicum. Unde Bernardus in libro de libero arbitrio *(cap. 18 ad finem libri):* Cavendum est, ne cum bonum propositum invisibiliter intra nos, aut nobiscum excitari sentimus, aut voluntati nostrae attribuamus, quae infirma est, aut Dei necessitati, quae nulla est, sed soli gratiae, qua plenus est. Haec liberum arbitrium excitat, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sic autem cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo praeveniat, in ceteris comitetur; ad hoc itaque praeveniens, ut sibi deinceps cooperetur; ita tamen quod a sola gratia coeptum, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim non singillatim, simul non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc et totum illa, sed ut totum in hoc sit totum ex illa." *2. dist. 28. a. 2. q. 3.*

[10] „Hominis liberum arbitrium omni gratia destitutum non potest cuilibet tentationi resistere, licet necesse non sit, quod cuilibet succumbat." — „Est notandum quod aliqui senserunt, liberum arbitrium secundum statum, in quo nunc est, absque munere gratiae, omni posse tentationi resistere propria virtute, quia si hoc non esset, peccatum ei imputari non deberet. Sed haec positio plane falsa est, et contra sacram Scripturam, et contra Sanctorum testimonia. Si enim nemo potest resistere tentationi de luxuria, nisi per continentiam, nemo tentationi de infidelitate, nisi per fidem; continentiam autem et fidem non contingit habere absque dono gratiae divinae, juxta quod dicitur: *Non possem esse continens, etc. (Sap. 8, 21);* et *Alii datur fides in eodem spiritu (1. Cor. 12, 9);* planum est, quod ipsa sacra Scriptura dicit, quod liberum arbitrium absque munere gratiae non posset omni tentationi resistere. Hoc etiam multipliciter probat Augustinus in libro de perfectione justitiae hominis, et de natura et gratia; et in libro de vera religione *(cap. 45)* dicit expresse, quod qui non vult ab alio superari, necesse habet alii invidere, et ita vir superbus necesse habet peccare aliquando peccato invidiae; similiter et in aliis generibus peccatorum intelligendum est esse. Et propterea illa positio Pelagii tanquam erronea repudianda est. Hoc autem fuit, quod decepit Pelagium, quod liberum arbitrium nunquam destituitur omni gratia gratis data, et ipse posse gratiae attribuit ipsi naturae. Superbia enim excaecatus nescivit

*) Alexander VIII decreto 24 augusti an. 1690 „uti haereticam" declaravit et damnavit hanc propositionem: „Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis."

distinguere inter dona naturalia et gratuita. Aliorum vero positio fuit, quod liberum arbitrium lapsum omni gratia destitutum nulli posset tentationi resistere, pro eo quod lapsum est, et in lapsu suo adeo est infirmatum et obliquatum, quod nisi adsit divinae misericordiae donum, incurvatur ad omne malum, quod sibi suggeritur et offertur. Et innuitur per illam Glossam super illud Psalmi *(77, 49): Immissiones per angelos malos,* diabolus potestatem habet in peccatore, sicut in proprio pecore. Et ex hoc arguunt, quod nisi adsit divinum auxilium, faciet illum pro voluntate sua ruere de peccato in peccatum. Item alia Glossa super Abacuc *(1, 17):* Nesciebam eum tantam potestatem accepisse, ut viribus ejus nemo possit resistere. Hoc intelligendum est esse dictum per se absque auxilio divinae gratiae. Et si tu objicias, quod tunc homo culpandus non esset, respondent per illud, quod dicitur in Glossa: *Non ego operor, sed quod habitat in me peccatum (Rom. 7, 17);* ibi Glossa: Numquid quia invitum hominem dicit peccare, immunis videri debet a crimine? Non utique, ipsius enim vitio et desiderio haec coepta sunt, quia enim mancipavit se per assensum peccato, jure dominatur illius. Sed quia illud valde durum videtur dicere, quod liberum arbitrium in statu tali nulli possit tentationi resistere, cum naturale habeat judicatorium, et quendam instinctum naturalem remurmurantem contra malum, cum non sit etiam in malo confirmatum; ideo est tertia via medium tenens inter haec duo extrema, quod liberum arbitrium omni gratia destitutum nec omni possit tentationi resistere, nec necesse habeat omni tentationi succumbere. Non possit, inquam, omni resistere, propter suam instabilitatem et infirmitatem, juxta illud Thren. *(1, 8): Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Et Glossa super illud: *Misericordiae Domini etc. (Ib. 3, 22).* Non potest homo diu stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adjuvetur. Unde si contingeret hominem resistere uni tentationi, tantum possent multiplicari, quod nisi divinum auxilium adesset, necesse haberet homo dejici, sicut ponitur exemplum in foraminibus navis, per quae ingreditur aqua. Potest etiam exemplum poni in pugile, qui cum se cooperit ex una parte contra ictum, et ex altera discooperit, a magis experto pugnatore laeditur. Sic et diabolus frequenter facit pluribus, quibus praetendit tentationem de luxuria, et ex hoc quod non consentiunt, facit ipsos prosilire in superbiam; nec unquam potest evitare homo, quin in aliquam tentationem incidat, et hoc propter suam instabilitatem. Propter suam etiam infirmitatem necesse haberet in aliquam tentationem incidere; cum enim sit obtenebratus ignorantia, et alligatus carnis concupiscentia, tentationem carnis et infidelitatis non posset evadere, quin etiam aliquando consentiret, nisi adjuvaretur aliquo munere divinae gratiae." *2. dist. 28. a. 2. q. 2.* — „Homo, quamvis per liberum arbitrium sine gratia gratum faciente possit daemoni resistere, ut non consentiat suggerenti; non tamen potest adversarium vincere, ut proficiat dignitate meriti." *Ibid. a. 1. q. 2.*

[11] „Est manere in se, et hoc naturae est institutae; descendere vel inclinari infra se, hoc naturae corruptae; sed supra se elevari vel ascendere, hoc est naturae per gratiam sublimatae. Unde stare est naturae, descendere culpae, ascendere gratiae. Quoniam igitur natura corrupta est, et ad malum prona, si supra se elevetur, non tantum erit elevatio, sed propter inclinationem ad contrarium tractio. Quia igitur omnis, qui ad Deum venit, supra se elevatur, nemo venit, nisi trahatur. Propterea bene dicit: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.*" *Comm. in Evang. Joan. c. 6. vers. 52. n. 454.* Supplem. vol. I.

[12] „Quantulacumque caritas potest resistere quantaecumque tentationi, tum propter Dei auxilium, tum propter voluntatis libertatem; sed non attento vitio difficultatis ad bonum, et pronitatis ad malum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum quaeritur, utrum quantulacumque caritas possit resistere quantaecumque tentationi, hoc dupliciter potest intelligi, aut loquendo de potestate caritatis per comparationem ad adjutorium divinae providentiae gubernantis, aut per comparationem ad vires liberi arbitrii cooperantis. Secundum utrumque istorum modorum fuit hic duplex modus dicendi. Si enim loquamur per comparationem ad dispositionem divini regiminis, sic dixerunt aliqui, quod ex quantulacumque caritate potest quis resistere quantaecumque tentationi. Alii vero quod non. Et utrique verum dicere potuerunt; nec sibi contradicunt, si recte intelligantur. Si enim loquamur quantum ad tentationis exordium, quantulacumque caritas potest resistere quantaecumque tentationi, quia Deus hominem habentem caritatem nunquam deserit, nisi ille voluntarie ab eo recedat; quin potius, secundum quod augetur tentationis bellum, operatur Deus caritatis augmentum. Unde quantumcumque sit modica caritas in homine, nunquam potest invitus ab adversario dejici; quia secundum quod crescit bellum, crescit adjutorium, si tamen homo faciat quod in se est. Si autem loquamur de tentatione quantum ad consummationem victoriae, sic non potest esse, quod homo ex modica caritate resistat tentationi maximae; quia non patitur ordo divinae justitiae, quin ex victoria magni belli fiat amplificatio meriti. Unde sicut ista duo non contradicunt, sed simul vera sunt; possibile est, quod ex parva caritate in principio tentationis, et magna in fine, resistatur magnae tentationi. Et iterum possibile est, quod ex parva caritate in principio tentationis et in fine, non resistatur magnae tentationi. Sic non obviant sibi illae duae opiniones. Similiter si loquamur de potentia caritatis per comparationem ad vires liberi arbitrii cooperantis, duplex fuit opinio. Nam quidam dixerunt, quod ex quantulacumque caritate potest quis resistere quantaecumque tentationi, quidam quod non. Et ratio hujus est, quia de viribus liberi arbitrii et adjuti a gratia est loqui dupliciter, vel quantum ad libertatem voluntatis, vel quantum ad vitium difficultatis ad bonum, et pronitatis ad malum. Si ergo loquamur de gratia per comparationem ad libertatem voluntatis; sic cum ipsa voluntas de se sit libera ad consentiendum, et per gratiam sit liberata a servitute peccati, et cogi non possit, potest quantaecumque tentationi resistere. Si autem loquamur per comparationem ad vitium difficultatis et pronitatis, sic non potest resistere impulsui tentationis fortis, nisi caritas adeo fortis sit, quod suo vigore contra pronitatem refraenet a malo, et contra difficultatem accendat ad bonum. Liberum enim arbitrium ex una parte adjutum adjutorio gratiae, ex alia parte corruptum vitio concupiscentiae, quando excitatur in ipso per tentationem impetus concupiscentiae, secun-

dum quod magis et magis fortiter excitatur, per hoc indiget majori repressione. Et sic diversis considerationibus concedi potest de caritate per comparationem ad liberum arbitrium, quod quantulacumque caritas potest resistere quantaecumque tentationi, et quod non potest. Potest quidem, si comparetur ad dominium libertatis; non potest autem, si comparetur ad vitium pronitatis et difficultatis. Et hoc melius patet, si quis consideret et attendat, et experimento cognoscat statum et conflictum hominum tentatorum . . . Illa ratio, quam objicit de peccato, non valet. Quod enim dicitur, quod quantumcumque peccatum parvum sufficit ad expellendam quantamcumque gratiam, hoc non est quia peccatum agat in ipsam gratiam, sed quia facit liberum arbitrium deficere a gratiae complemento. Ex hoc autem non potest inferri, quod propter hoc quantulacumque gratia sufficiat ad vincendum omnem impulsum tentationis, quia facilius est deficere, quam benefacere. Inferri tamen potest, quod quantulacumque gratia expellere potest omne peccatum." *3. dist. 30. a. 1. q. 1.*

[13] „Aliqui dicunt, quod peccator nihil omnino meretur apud Deum, neque ex congruo, neque ex condigno; sed tamen Deus ratione abundantissimae largitatis bona ejus opera non dimittit irremunerata, imo remunerat, et est bonum peccatori bene operari, quamvis non sit justum eum remunerari, sed magis benignum. Alii dicunt, et probabilius, quod est mereri de congruo et de condigno: peccator autem apud Deum nihil meretur de condigno, sed mereri potest de congruo. Peccator enim aliquando facit bonum opus in genere ad gloriam suam, ut cum dat eleemosynam propter gloriam: et ex hoc opere non meretur mercedem, sed poenam, quia procedit ex contumelia. Aliquando facit ad Dei gloriam, et propter amorem Dei, quem habet: et hoc non potest esse sine aliqua gratia gratis data, quae disponit de congruo ad gratiam gratum facientem, quam Deus aliquo modo acceptat; et ex hoc meretur de congruo. Illud autem meritum, comparatum merito caritatis, est improportionabile, sicut linea latitudini et superficiei." *4. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 5.*

[14] „Aliqui voluerunt dicere, quod meritum primo et principaliter consistit circa actum, sive motum fidei, cum ipsa sit prima virtutum, et ejus actus principium aliorum. Alii vero e contra dicere voluerunt, quod actus caritatis primo et principaliter sit meritorius, cum ipsa secundum Gregorium et Ambrosium sit caput et radix omnium bonorum. Et utramque harum positionum magni clerici sustinuerunt. Et si volumus sane intelligere, sibi ad invicem non contradicunt, immo utrique verum sentire potuerunt. Propter quod notandum, quod secundum quod vult Philosophus, dupliciter dicitur aliquid altero prius. Est enim prius altero origine, et est prius complemento et definitione. Si loquamur de prioritate originis, ratio merendi per prius consistit in actu fidei, quoniam ipse est origo motuum aliarum virtutum: et cum procedit a virtute formata, dicere est ipsum esse meritorium. Si ergo motus fidei formatae est meritorius et prior origine, quam motus aliarum virtutum, loquendo de prioritate originis, efficacia merendi secundum prius attribuenda est actui, sive motui ipsius fidei. Si vero loquamur de prioritate completionis, sic efficacia merendi per prius attribuenda est actui caritatis, cum ipsa caritas completissima sit omnium virtutum, et in ipsius actu consummetur ipsum meritum. Ratio autem, quare caritas excellentior sit aliis, est quia maxime nos efficit deiformes, tum ratione liberalis exhibitionis, tum ratione conformis unionis, tum ratione finalis quietationis. Ratione liberalis exhibitionis, quia sicut Deus ex amore tribuit omnia dona, sic caritas liberaliter exequitur omnia obsequia et mandata. Ratione conformis unionis, quoniam sicut Pater et Filius nectuntur nexu amoris et uniuntur, sic homo per caritatem adhaerendo Deo efficitur unus spiritus; propter quod dicitur *(Jo. 17, 22—23): Ut sint consummati in unum, sicut et nos unum sumus.* Ratione finalis quietationis, quia cum amor sit pondus, facit in Deum tendere, et in Deum tendere est in Deo quiescere, sicut corporalia per sua pondera in propriis locis situari habent et stabiliri. His ergo de causis per caritatem efficitur homo maxime Deo conformis secundum triplex genus causae, secundum quod creatura habet ad Creatorem referri, videlicet secundum rationem principii moventis, formae exemplantis et finis quietantis; et ratione hujus primatum tenet inter ceteras virtutes, secundum quod dicit Apostolus. Et propterea si loquamur de prioritate completionis, motus ejus primo et principaliter est meritorius." *3. dist. 27. a. 2. q. 1.*

[15] „Homo quamdiu vivit, nec de se, nec de alio potest scire certitudinaliter, quod sit in caritate, nisi per revelationem; quamquam per signa probabilia probabiliter possit cognoscere." — „Caritatem cognosci certitudinaliter est dupliciter, vel in universali quid sit, et qualis esse debeat; et sic utique cognosci potest: alio modo est cognosci caritatem in speciali, sive in hoc; et hoc modo nec de se, nec de alio, quamdiu homo vivit, potest certitudinaliter scire. De alio non, quia nemo novit, quae sunt in homine, nisi per signa, quae fallacia sunt. De se non, et hujusmodi potest esse quadruplex ratio. Una et praecipua est divinae acceptationis implicatio; quia caritas juncta est gratiae gratum facienti, quae ideo dicitur gratum faciens, quia reddit hominem Deo acceptum; et ideo caritas sic vocatur, non tantum quia habet carum amatum, sed quia etiam facit hominem Deo carum: et quia nescimus Dei acceptationem certitudinaliter nisi per revelationem, ideo nescimus nos habere caritatem, nisi per revelationem doceamur. Secunda ratio est similitudo ipsius ad dilectionem acquisitam. Potest enim contingere aliquem inflammari ad amandum Deum per assuefactionem, qui corruet per aliquod peccatum spirituale, et tamen semper afficietur, sicut expresse patet per beatum Bernardum *(lib. de amore Dei)*, ubi reprehendit superbientes de devotione. Tertia ratio est nostri oculi lippitudo, quia oculus noster est sicut oculus noctuae ad manifestissima naturae, sicut dicit Philosophus *(2. Met. c. 1)*. Unde sicut oculus lippus nescit distinguere inter lumen diei et lumen flammae, vel lunae; ita oculus noster spiritualis inter lumen gratiae gratis datae et gratum facientis. Quarta ratio est divinorum judiciorum dispensatio, Deus enim claudit oculos servorum suorum, quantum ad ea, quae spectant ad eorum dignitatem, et de quibus possunt efferri. Unde gratia contraria est superbiae. Superbia enim aperit oculos ad videndum praerogativas, et claudit ad videndum indigentias et defectus, juxta illud: *Dicis, quia dives sum et locupletatus, et nullius indigeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis et pauper*

et caecus et nudus (Apoc. 3, 17). Sed e contra, vir sanctus dicit se nihil esse, quia claudit oculos suos Deus ad bona, et aperit ad videnda mala. Et haec est ratio, quare homo non cognoscat caritatem, quae quamvis per se non sufficiat, tamen cum aliis bona est. Credo tamen, quod illa est praecipua, quae primo dicta est. Quamvis autem caritas non possit certitudinaliter cognosci esse in aliquo eam habente, respectu sui tamen potest per signa probabilia cognosci, maxime per mortificationem concupiscentiae et amoris vani, sive mundani, et per multa alia signa probabilia, quae Sancti dicunt et ponunt." *1. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 3.*

[16] „Non secundum capacitatem naturalium dantur semper dona gratuita, quia non semper correspondet dispositio requisita . . . Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod gratiam dare secundum majorem capacitatem naturalium potest intelligi tripliciter. Aut ita quod hoc, quod est *secundum,* dicat efficaciam causalitatis; et sic secundum omnes falsum est, quia naturalia non sunt causae gratiae. Aut ita quod dicat dispositionem congruitatis; et sic, ubi non est obstaculum, secundum omnes verum est, quia naturalia bona de congruo disponunt ad gratiam. Aut ita quod dicat dispositionem necessitatis; et sic secundum communem opinionem est falsum, et a doctoribus reprobatum." *2. dist. 9. a. unic. q. 3.*

[17] „Usus gratiae est promotivus in profectum meritorium operationum. Requiritur autem ad hujusmodi promotionem, quod usus gratiae sit fidelis respectu Domini, virilis in se et liberalis in proximum. Debet igitur usus gratiae fidelis esse respectu Domini. Unde Apostolus *(Gal. 1, 15—16)* dicit: *Cum placuit ei, qui me segregavit de utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Quando quaeris aliquid praeter Deum, quod non quaeris propter Deum, non es fidelis Deo. Unde Augustinus in libro Confessionum *(l. 10 c. 29)*, ait: Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Ideo dicit Apostolus: *Non acquievi carni et sanguini,* id est, non quaesivi humanam gloriam, sed divinam. Perspectivi dicunt, quod si radius perpendicularis cadat super corpus tersum et politum, necesse est, quod per eandem viam et per eundem incessum reflectatur in suum principium; non sic de radio incidentiae. Influxus gratiae gratis datae est sicut radius incidentiae, influxus gratiae gratum facientis est sicut radius perpendicularis. Qui gratiam Dei suscipit, necesse est, ut Deo gratiam et gloriam reddat. Origo fontium et fluminum mare; origo virtutum et scientiarum est Christus, ait Bernardus *(in Cant. ser. 13 in princ.). Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant,* inquit Ecclesiastes *(1, 7).* Sicut fons non habet durationem, nisi habeat continuam conjunctionem cum sua origine; sic nec lux gratiae potest vigere in anima, nisi per reversionem in suum originale principium. Hanc reversionem et conjunctionem conservat humilitas, et dissolvit superbia; quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. 4, 6).* Humilis omnia bona attribuit suo originali principio, superbus attribuit sibi; humilis continuatur cum sua origine, superbus discontinuatur; Lucifer recedens a suo originali principio, tenebrifer factus est. Christum, qui semper se reduxit per humilitatem in suum originale principium, clarificavit Pater. *Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam,* dicit Ecclesiasticus *(3, 20).* Si rex ditasset aliquem, et ille nollet recognoscere, infidelissimus et ingratissimus esset. Aliqui exaltati per Deum, eriguntur contra Deum, dicentes: *Manus nostra excelsa, et non Dominus fecit haec omnia (Deut. 32, 27).* Secunda differentia usus gratiae est, quia debet esse virilis in se, *optimum est enim gratia stabiliri cor, non escis, quae non profuerunt ambulantibus in eis (Hebr. 13, 9).* Qui vult habere brachia fortia, oportet quod exerceat se in operibus virtutum. Unde Apostolus *(1. Cor. 15, 10)* sic inquit: *Gratia Dei sum id, quod sum, sed gratia ejus in me vacua non fuit.* Sequitur: *Abundantius illis omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.* Vide quam virtuosos facit gratia Spiritus sancti. Samson capillatus fortissimus fuit: *In septem capillis fortitudo ejus (Jud. 16, 19),* id est, in septiformi gratia Spiritus sancti; quando vero attonsus est per Dalilam, factus est imbecillis, sicut ceteri homines. Des unum sine gratia, qui possit sustinere, quod Laurentius sustinuit. Nihil possumus facere sine gratia; nihil ita durum, quod non possimus sustinere cum gratia. *Sine me nihil potestis facere (Joan. 15, 5),* dicit Christus; *Omnia possum in eo, qui me confortat,* dicit Apostolus *(Philipp. 4, 13).* Tertio, usus gratiae debet esse liberalis in proximum. *Gratis accepistis, gratis date,* ait Dominus *(Matth. 10, 8).* Quare non vendis, o Sol, lucem tuam? Gratis accepi, gratis communico. Quare non vendis, Rhene, aquam tuam? Gratis accepi, gratis fundo. Solus miser homo vendit gratiam sibi collatam. Venit autem haec venditio primo a Simone mago. Heu, Simon mage, verticem Apostolorum, Petrum voluisti facere simoniacum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possideri (Act. 8, 18. 20).* Petrus dicit: *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni administratores multiformis gratiae Dei (1. Petr. 4, 10).* Dionysius *(de cael. hier. c. 15)* determinat usum gratiae in angelica hierarchia, dicens, quod si superiores angeli nollent influere in inferiores, clauderent sibi viam influentiae a superiori: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo (1. Joan. 3, 17)? Serm. 2. in Hexaëm. ante med.*

[18] „Bona opera quantum ad quantitatem dati supra bonam intentionem addunt aliquid ad meritum bonae intentionis dispositive." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod de quantitate dati est loqui dupliciter, aut comparando datum ad datum solum, aut comparando haec ad invicem, et ad dantis facultatem. Primo modo loquendo, major quantitas dati aliquid addit ad bonitatem intentionis, non, inquam, respectu praemii essentialis directe, sed quia aliquo modo disponit hominem ad proficiendum in bono, et ad recedendum a malo. Qui enim majus munus tribuit, ut sibi faciat amicum de mammona iniquitatis, magis recipientem obligat ad orandum pro se, et quodam modo in obligando illum obligat Deum; et ideo plus se disponit ad gratiam, quam ille qui dat minus munus. Similiter plus se disponit ad recedendum a malo; quia in hoc, quod facit majorem eleemosynam, absolvi meretur a majori poena, secundum quod dicitur: *Date*

eleemosynam, et omnia munda sunt vobis (Luc. 11, 41); et: *Eleemosyna a morte liberat (Tob. 12, 9);* et: *Peccata tua eleemosynis redime (Dan. 4, 24).* Similiter si comparemus quantitates datorum in comparatione ad facultatem dantium, major quantitas non addit quantum ad meritum praemii substantialis directe, sed quodam modo dispositive. Qui enim pensatis suis viribus plus dat, quam alter suis viribus pensatis, magis ad donum gratiae se disponit, magis etiam a peccato recedit; et sic, generaliter loquendo, quantitas dati, praesupposita aequalitate bonae intentionis, sive voluntatis, quantum ad praemium essentiale non addit directe et proprie, sed quodam modo dispositive, vel quia disponendo ad caritatem disponit ad majorem gloriam, vel quia eripiendo a malo celerius facit hominem pertingere ad coronam. Et hoc quidem non habet instantiam, quando est excessus quantitatis dati, et in comparatione ad datum, et in comparatione ad facultatem dantis. Quando vero ex una parte datum unum excedit aliud in se, et e contra exceditur ab aliquo in comparatione ad facultatem dantis, per quem modum dixit Dominus *(Marc. 12, 43),* quod vidua plus miserat in gazophylacium, quam omnes divites, quia totum victum suum posuerat; tunc se habent sicut excedentia et excessa, secundum enim diversas conditiones unum datum plus promovet quam reliquum. Major enim quantitas dati plus valet ad evadendam poenam, quia sicut dicitur: *Redemptio animae viri* sunt propriae *divitiae (Prov. 13, 8).* Major vero quantitas dati secundum facultatem dantis plus valet ad acquirendam gratiam, pro eo quod talis se magis disponit ad perfectionem beatitudinis, scilicet paupertatis.“ *2. dist. 49. a. 2. q. 2.*

[19] „Notandum est tamen, quod ad hoc, quod aliqua actio sit meritoria, non oportet quod semper quis eam referat actualiter in Deum, sed sufficit relatio habitualis. Habitualem autem relationem voco, non quia habeat caritatem, per quam fit habilis ad referendum, sed quia in primordio operationis illius vel alterius, ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam. Unde si aliquis intendit dare pro Deo centum marcas, et incipit dare, et cogitat de Deo in prima marca, et in aliis non cogitat, nihilominus omnes dationes illae sunt ei meritoriae et fructuosae. Si autem opus alterius generis inciperet, oportet quod intentio renovaretur ad hoc, ut opus esset meritorium. Per hunc etiam modum intelligitur esse in viris religiosis, qui in principio ex caritate devoverunt portare religionis pondus. Quidquid enim faciunt, quod ad suae religionis observantiam spectat, ex prima intentione est eis meritorium ad salutem, nisi forte (quod absit) contraria intentio superveniat. In aliis autem, quae ad religionem non spectant, secus est, quia illa intentio non se extendit ad alia habitualiter: et ideo non est parvae securitatis et utilitatis religionem intrare. Fuerunt tamen, qui dixerunt, quod habitualis intentio solum sufficit ad meritum satisfactionis. Opus enim est satisfactorium, si fiat in caritate; ad hoc autem, quod opus sit meritorium vitae aeternae, dicunt necesse esse concurrere actualem intentionem, quia nullum opus est meritorium, nisi fiat a caritate actualiter movente. Probabilius tamen est dicere, sicut dictum est, quod ad utrumque sufficiat relatio habitualis. Relationem autem habitualem voco, non qua quis in generali refert ad Deum omnia opera diei vel anni, sed qua quis refert aliquod opus ad Deum, ita quod opus sequens directam habet ad opus primum ordinationem et consequentiam, sicut est in illo, qui dat centum marcas, vel intendit ire ad sanctum Jacobum; in aliis autem non habet locum. Habitualem etiam intentionem sive relationem voco, quando, non praecogitato in actu, ut tunc, fine ultimo, sive Deo, ex sola boni operis consideratione ipsa caritas prompta, vel aliqua alia virtus caritate informata, ad ipsum bonum opus inclinat, sicut vir obediens meretur obediendo praelato sibi praecipienti, etiam si nihil de Deo cogitet, sed solum consideret, quod bonum est obedire.“ *2. dist. 41. a. 1. q. 3 ad 6.*

[20] „Opus bonum exterius addit aliquid supra bonam intentionem, videlicet exemplum, vel accidentale praemium, et etiam augmentum gloriae quantum ad meritum congrui: quantum vero ad meritum condigni nihil addit, quia quantitas ejus pensatur ex quantitate radicis, quae est bona voluntas.“ — „Dicendum, quod majus bonum potest aliquid dici dupliciter, aut intensive, utpote quia plus Deo placet, aut extensive, utpote quia pluribus prodest: et secundum hoc dupliciter potest intelligi, quod opus privilegiatum addat ad bonitatem intentionis, aut quantum ad proximorum aedificationem, aut quantum ad Dei approbationem. Et primo modo attenditur augmentum quantum ad exemplum, secundo modo quantum ad meritum. Si igitur loquamur de additione quantum ad exemplum, sic absque dubio opus privilegiatum addit ad bonitatem intentionis, quia bonitas intentionis non lucet exterius nisi per ostensionem bonorum operum, et maxime privilegiatorum. Si autem loquamur secundo modo, scilicet quantum ad additionem, quae attenditur quantum ad meritum, sic distinguendum est, quod est loqui de merito respectu praemii substantialis, et respectu praemii accidentalis. Respectu praemii accidentalis opus privilegiatum addit supra bonam intentionem et voluntatem, quia praemium accidentale, quod est aureola, non debetur voluntati secundum se, sed voluntati in opere. Si autem loquamur de merito respectu praemii substantialis, adhuc oportet distinguere, quia est meritum congrui, et est meritum condigni. Quantum ad meritum congrui, absque dubio opus privilegiatum addit supra bonitatem intentionis, pro eo quod voluntas in illo opere praeparatur et disponitur ad susceptionem majoris gratiae, per quam digna est majori retributione. Si autem loquamur de merito condigni, sic absque dubio non addit, pro eo quod quantitas meriti condigni pensatur ex quantitate radicis: et tantum placet Deo ille, qui habet voluntatem plenam, et non potest habere opus, quantum et ille qui habet voluntatem et opus, quantum ad essentialis praemii retributionem, si sunt in aequali caritate. Et sic patet, quod opus privilegiatum ratione dignitatis suae aliquid addit supra bonitatem intentionis, licet non addat omni modo additionis.“ *2. dist. 40. a. 2. q. 1.*

APPENDIX.

Quamvis altissima divinae gratiae mysteria temerario ausu homini perscrutari nefas sit, *qui* enim *scrutator est majestatis, opprimetur a gloria (Prov. 25, 27);* nihilo tamen secius ex effectibus, quos in nobismetipsis cernimus, tantisper ad ipsa, duce infallibili Ecclesiae magisterio, et sacra Scriptura Patribusque facem praeferentibus, reverenter accedere, eaque pro humano captu indagare licet. Cum igitur de fide sit omnibus hominibus talem dari gratiam, cui, si vellent, assentiri possent, et ex experientia constet saepe huic gratiae praesto non esse effectum; idcirco gratia distingui solet in *sufficientem* et *efficacem.* Verum in quo gratiae efficacia reponenda sit, controvertitur a Theologis, qui juxta diversam de praedestinatione doctrinam in diversas dividuntur sententias. Augustinienses enim et Thomistae, praedestinationem gratuitam in se et adaequatam asserentes, ut superius ad *cap. IX part. I* ostensum fuit, efficaciam gratiae *ab intrinseco* repetendam esse dicunt. Nam si Deus talem gratiam praedestinationis non conferret, cui, licet possint, nunquam tamen resistent, divinum de praedestinatione decretum frustraneum prorsus atque irritum evaderet, semper enim in actu secundo gloria datur ut merces. Molinistae e converso, qui praedestinationem gratuitam in sua causa, et ad gloriam tantum propugnant, inferunt gratiae efficaciam nullatenus *ab intrinseco* esse repetendam, quippe quae in eadem mensura a Deo, juxta eorum placita, cunctis distribuitur, sed *ab extrinseco,* seu ab hominis consensu, ut contendit Molina, vel a congruitate circumstantiarum, in quibus homo versatur, cum ei gratia confertur, ut placet Congruistis. Has autem circumstantias Deum *scientia media,* seu scientia futuribilium, cognoscere docent. Verum neutra opinio ita amplectenda videtur, ut altera excludatur; in praxi enim saepe Deum circumstantiarum congruitate uti manifestum est, nonnunquam vero gratias conferre, nulla ejusdem congruitatis habita ratione, ipse enim quando, quomodo et cui vult, spirat. Neque Augustinienses et Thomistae inficiantur Deum congruis circumstantiis quandoque uti, sed, et quidem quanto dignius Deo, eas ajunt non a Deo scientiâ mediâ esse praevisas, sed vere ab ipso praeparatas.

Ex quibus praemissis ratio patefit, cur in definiendo gratiam sufficientem Scholae non conveniant. Siquidem gratia sufficiens ea dicitur ab iis, qui efficaciam ab intrinseco derivant, „quae in nobis excitat pias quasdam mentis illustrationes, ac aliquam boni cupiditatem, debiliter tamen et imperfecte, adeo ut bonum illud opus, ad quod gratia illa nos sollicitat, minime consequatur.“ Ex quo patet ipsam non dici *sufficientem* eo sensu, perinde ac si totum id contineat, quod ad bonum opus hic et nunc eliciendum exigitur, sed quod potentiam ad ipsum bonum exequendum tribuat, licet tali potentiae actus minime subsequatur. E contra juxta ceteros Theologos gratia sufficiens est „auxilium, praeter quod ex parte Dei non alio opus est homini, ut actu operetur.“

Hucusque in duas partes scholae dividuntur; rursus vero utraque schola duplicem sibi sternit viam, cum descendit ad assignandum id, in quo immediate gratiae efficacia consistit. Nam Molina, ut innuimus etiam superius ad *cap. VIII part. I,* efficaciam gratiae reposuit in consensu voluntatis, ita ut non gratia voluntatem, sed voluntas gratiam determinet, efficiatque per consensum, ut sit efficax, per dissensum vero, ut sit inefficax. Hanc tamen opinionem, quam ipsemet Bellarminus *lib. 1. de grat. et liber. arbitr. c. 12,* „alienam omnino a sententia B. Augustini et a sententia Scripturarum divinarum“ fatetur, quippe quae „evertit omnino fundamentum praedestinationis divinae, quam S. Augustinus ex divinis litteris solidissime comprobavit,“ eximius P. Suarez, suorum praelatorum jussu, temperans, docuit gratiae efficaciam esse repetendam ex congruitate et attemperatione illius cum libero arbitrio in talibus posito circumstantiis, in quibus Deus per scientiam mediam praevidet ipsum gratiae consensurum fore, si ei in hisce circumstantiis conferatur. Qui systemati Suaresii subscripserunt, Congruistae propterea appellati sunt.

Hactenus Theologi gratiae efficaciam *ab extrinseco* tuentes; ceteri pariter, licet inter se conveniant, quoad principium intrinsecum, adversus Theologos praedictos, ab invicem tamen dividuntur in statuendo medio proximo hujusce efficaciae. Siquidem Thomistae eam in promotione physice praedeterminante statuunt; Augustinienses vero in praeveniente delectatione, eaque victrice, non necessitante, sed moraliter, non physice, determinante. Quod S. Augustinus in ea Jesu Christi verba apud *Joannem 6, 44: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum,* aptissimis exemplis tum ovis, cui ramus viridis, tum pueri, cui nuces ostenduntur, declarat. Quoad porro nostrum Seraphicum, certum imprimis est eum gratiae efficaciam *ab intrinseco* passim asserere et propugnare; cuinam vero ex duabus postremis sententiis faveat, luculenter evincitur ex ejus expositione in praecitatum textum Evangelicum, ubi S. Augustini verba, nedum mentem, referens, ait: „Et quia *sensus et cogitatio hominis ab adolescentia sua prona sunt ad malum (Gen. 8, 21);* ideo propter pronitatem et inclinationem ad malum, sublimatio animae ad Deum dicitur tractio; non sicut

in motu corporali, sed divina revelatione, vel doctrinae sacrae eruditione, vel dilectionis divinae infusione, vel caelica consolatione, vel praemii promissione." Alibi tamen *(2. dist. 26. a. 1. q. 6)* utramque opinionem conciliare videtur, distinguendo gratiam praevenientem a gratia subsequenti. „Nam primus modus (seu motio moralis) competit gratiae cooperanti, sive subsequenti. Secundus (nempe motio physica) competit gratiae operanti, sive praevenienti. Gratia enim operans liberum arbitrium praevenit et movet, quia Deus illam infundendo voluntatem hominis sanat et praeparat. Gratia vero cooperans, sive subsequens, liberum arbitrium dicitur movere, quia voluntas tali dono gratiae informata movet seipsam. Hanc enim potentiam habet voluntas, scilicet movendi seipsam, quia est potentia materiae non alligata." Gratiae igitur est motio et physica et moralis, physica quidem ex parte principii interius moventis et efficaciter determinantis, moralis vero ex parte objecti amati et sancta delectatione trahentis. Ceterum, ut alibi *(2. dist. 26. a. 1. q. 2)* nos docet, „hoc piarum mentium est, ut nihil sibi tribuant, sed totum gratiae Dei. Unde quantumcumque aliquis det gratiae Dei, a pietate non recedit, etiam si multa tribuendo gratiae Dei, aliquid subtrahat potestati naturae, vel libero arbitrio. Cum vero aliquid gratiae subtrahitur, et naturae attribuitur quod est gratiae, ibi potest periculum intervenire."

Quot autem turbas praedictae quaestiones excitaverint labente saeculo XVI, quibus ansam praebuit novum systema a Molina excogitatum, ad quas componendas Rom. Pontifices Clemens VIII et Paulus V Congregationes *De Auxiliis* nuncupatas instituerunt, neque hujus loci, nec nostri instituti est referre. Hoc unum nobis sciendum est, liberum omnino esse quamlibet ex hisce opinionibus amplecti, nulla enim anathemate perculsa hucusque fuit; quin imo ab ipso Paulo V sub gravissimis poenis prohibitum fuit, ne quis oppositam doctrinam aliqua censura inurere auderet.

CAPUT III.

De gratia, in quantum est remedium peccati [a].

a) In quantum juvat ad bonum meritorium, ed. 1484.

(Gratia liberum arbitrium revocat a malo, et excitat ad bonum. — Liberi arbitrii est consentire vel dissentire; — consentiendo, gratiam suscipit; — eamque suscipiendo, eidem cooperatur. — Ad justificationem impii quatuor concurrunt.)

De gratia vero, in quantum est remedium contra peccatum, haec tenenda sunt, scilicet quod liberum arbitrium, licet sit sub Deo potentissimum, potest tamen per se in peccatum corruere, sed nullatenus potest resurgere sine adjutorio divinae gratiae, quae dicitur gratia gratum faciens [1]. Illa autem gratia, licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infunditur adulto, nisi adsit liberi arbitrii consensus. Ex quo colligitur, quod ad justificationem impii [2] quatuor concurrunt [b], scilicet infusio gratiae, expulsio culpae, contritio, et motus liberi arbitrii [c] [3]. Expellitur ergo culpa a Dei dono, non a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gratiae gratis datae est liberum arbitrium revocare a malo, et excitare ad bonum; et liberi arbitrii est consentire vel dissentire; et consentientis est gratiam suscipere; et suscipientis cooperari eidem, ut tandem perveniat ad salutem (I).

b) Concurrant ibid.

c) Liberi arbitrii om. ibid.

(I) Gratiam habitualem, seu sanctificantem, quam S. Doctor *gratiam gratum facientem* appellat, adorti potissimum sunt Protestantes; quum enim homo, in eorum sententia, per peccatum originale libertate arbitrii destitutus sit, nullimode ad justificationem se disponere potest. Justificatio proinde a sola fide formaliter producitur absque ulla hominis cooperatione, et est externa tantum, et in sola non imputatione peccatorum consistit, neque est justitia et sanctitas propria justificati, sed justitia ac sanctitas Christi ipsi per fidem imputata. Ex quibus praemissis omnem etiam meriti rationem tolli nemo non videt. Novatorum igitur errores versantur circa gratiae habitualis naturam, proprietates et conditiones, et circa meritum. Circa naturam, quia in justificatione non veram peccatorum remissionem, sed solam extrinsecam meritorum Christi imputationem, qua ipsa peccata teguntur, vel etiam raduntur, agnoscunt. Circa proprietates, quia ex propriis principiis statuunt justificationem certam esse certitudine fidei, aequalem in omnibus, et inamissibilem, quoadusque fides

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium, hoc ipso quod primum et potentissimum, sit causativum[d] omnium, quae fiunt in universo, praeter quam peccatorum, quae sunt transgressiones legis divinae et caelestium inobedientiae mandatorum *(Ambros. de paradiso c. 3);* nihil habet sibi rebelle, injuriosum et offensivum, nisi peccatum, quod contemnendo Dei praeceptum, et aver-

d) Creativum ibid.

permaneat. Circa dispositiones ad ipsam necessarias, quia, juxta eosdem, sola fides, seu in eorum sensu, fiducia, sufficit ad justificationis consecutionem. Circa meritum demum, quia ipsum prorsus respuunt.

Porro contra errores circa gratiae habitualis naturam versantes; 1. In justificatione vere remittuntur peccata. Ita Conc. Trident. *sess. 5, can. 5:* „Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit." — 2. „Justificatio fit per justitiam intrinsecam." — Concil. Trident. *sess. 6, can. 10:* „Si quis dixerit, homines per eam ipsam *(justitiam Christi)* formaliter justos esse, anathema sit." Et *can. 11*: „Si quis dixerit, homines justificari, vel sola imputatione justitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit."

Contra errores vero circa gratiae habitualis proprietates; — 1. Justificatio non est certa certitudine fidei, prout contendit Catherinus, nec proinde tenemur fide credere esse justificatos, prout effutiunt Protestantes. Contra primum, est aperta Tridentini sententia *sess. 6, cap. 9,* ubi dicitur: „Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest; cum nullus scire valeat *certitudine fidei,* cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum." Quod omnino concordat cum doctrina Seraphici, qui in *Exposit. in Ecclen. c. 9. v. 2* ita docet: „Duplex est cognitio, scilicet necessaria et infallibilis; et hanc habere non possumus, quia nemo certitudinaliter potest cognoscere, utrum habeat gratiam, nisi per revelationem, sicut Apostolus. Est alia probabilis et per signa; et haec quidem haberi potest, et habetur, quia multi per signa probabilia cognoscunt se esse in gratia." Cfr. etiam superius *c. 2 hujus partis, n. 15.* — Contra secundos autem est ipsum Conc. Trident. *sess. 6, can. 13:* „Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit." Et *can. 14*: „Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credit se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem ac justificationem perfici; anathema sit." — 2. Gratia habitualis non est aequalis in omnibus. — Ita Concil. Trident. *sess. 6, can. 24:* „Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptae, non autem ipsius augendae causam; anathema sit." — 3. Gratia habitualis non est inamissibilis. — Conc. Trident. *sess. 6, can. 23:* „Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere; atque ideo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum . . . anathema sit."

Contra errores circa dispositiones ad ipsam gratiam habitualem spectantes; — 1. Sola fides nullo modo justificat. — Conc. Trident. *sess. 6, can. 9:* „Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi; anathema sit." — 2. Fides proprie dicta, seu firmus assensus ad ea, quae Deus revelavit, non vero fiducia, requiritur ad justificationem. — Conc. Trident. *sess. 6, can. 12:* „Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit."

Denique quoad meritum; — Conc. Trident. *sess. 6, can. 26:* „Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerunt facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint; anathema sit." Et *can. 32:* „Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit."

tendo nos a bono incommutabili, offendit Deum, deformat liberum arbitrium, perimit donum gratuitum, et obligat ad supplicium aeternum. Cum igitur deformatio imaginis et peremptio gratiae sit quasi annihilatio in esse moris et vitae gratuitae, cum offensa Dei sit tantum ponderanda, quantus est ipse, cum reatus poenae aeternae rationem teneat infiniti; impossibile est, quod homo resurgat a culpa, nisi recreetur [e] in vita gratuita [4], nisi [f] remittatur offensa, et poena relaxetur aeterna. Solus igitur, qui fuit principium creativum, est et principium recreativum et reparativum [g], Verbum scilicet Patris aeternum, quod est *Jesus Christus mediator Dei et hominum (1. Tim. 2, 5)*, quod [h] quia omnia de [i] nihilo creat, ideo creat seipso solo sine aliquo intermedio.

e) Recreatur ibid.
f) Nisi om. ibid.
g) Et reparativum om. ibid.
h) Quod om. ibid.
i) Ex ibid.

Quia vero recreat deformatum per vitium culpae, reformando per habitum gratiae et justitiae, obligatum ad poenam, absolvendo per satisfactionem condignam; hinc est, quod nos reparat, sustinendo pro nobis poenam in natura assumpta, et infundendo gratiam reformativam [5], quae, quoniam continuat nos suae origini, facit nos membra Christi, ac per hoc animam peccatricem, quae fuerat inimica Dei, prostibulum diaboli et serva peccati, facit sponsam Christi, templum Spiritus sancti et filiam Patris aeterni; quod totum fit per gratuitam et condescensivam infusionem doni gratuiti [6]. Rursus, quoniam Deus sic reformat, quod leges naturae inditas non infirmat; ideo sic hanc gratiam tribuit libero arbitrio, ut tamen ipsum non cogat [7], sed ejus consensus liber maneat; et ideo ad hoc, quod culpa expellatur, non solum necesse est, quod gratia introducatur, verum etiam quod liberum arbitrium in adultis (in adultis [j], dico, quia in parvulis sufficit fides Ecclesiae et meritum Christi, et excusat impotentia sui) necesse est, inquam, quod conformet se expulsioni culpae per detestationem omnium peccatorum [8], quam vocamus contritionem [9]. Est etiam necesse, quod conformet se introductioni gratiae per complacentiam et acceptationem [k] doni divini [10], quam vocamus motum liberi arbitrii [11]. Et sic necesse est ista quatuor concurrere ad justificationem impii [12].

j) In adultis om. ibid.
k) Acceptionem ibid.

Postremo, quia praedispositio ad formam completivam debet esse ei conformis; ad hoc, quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam gratum facientem, indiget adminiculo gratiae gratis datae. Et quia gratiae est liberum arbitrium non cogere, sed praevenire, et simul utriusque est [l] in actum prodire; hinc est, quod in nostra justificatione concurrit actus liberi arbitrii et gratiae consone quidem et ordinate [13], ita quod gratiae gratis datae est excitare liberum arbitrium, liberi arbitrii autem est hujusmodi excitationi consentire, vel dissentire, et consentientis est ad gratiam gratum facientem se praeparare [14], quia hoc est facere quod in se est [15]; et sic disposito [m] gratia gratum faciens habet infundi [16], cui liberum arbitrium potest cooperari, si vult, et tunc meretur; vel contrariari per peccatum, et tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem [17], meretur pervenire ad aeternam salutem. Verum est igitur, quod dicit Augustinus *(Serm. 169, c. 11)*, quod [n] „qui creavit te sine te, non justificabit te sine te“. Verum est etiam, quod *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis (Rom. 9, 16)*. Verum est etiam, quod nullus potest superbire de meritis, quia „nihil in nobis Deus praeter sua dona coronat *(August. ep. 194 ad Xystum, c. 5)*“. Reservavit enim sibi Deus munera gratiae liberaliter largienda, ut discat homo non esse ingratus, nec in se, quasi non acceperit, sed in Domino gloriari. Verum est etiam, quod, licet liberum arbitrium per se legem implere non possit, nec gratiam in se efficere, inexcusabile tamen est, si

l) Est om. ibid.
m) Animae dispositae ibid.
n) Quod om. ibid.

non facit, quod in se est[18] o); quia gratia gratis data semper est praesto ad communicationem[19] p), cujus adminiculo facere potest, quod in se est[20], quo facto, habet gratiam gratum facientem, qua obtenta, divinam impleat legem, et faciat voluntatem; qua facta, tandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, quae totaliter sunt a gratia, totaliter etiam a libero arbitrio[21], licet principalius a gratia. Quia, ut dicit Augustinus, gratia comparatur q) ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum *), qui quidem sessor liberum arbitrium dirigit, deducit et perducit r) ad portum aeternae felicitatis[22], exercendo nos in operibus perfectae virtutis secundum donum ipsius gratiae septiformis.

o) Ita ibid.; in cet. quod potest.

p) Ita ibid.; in cet. ed. commonitionem; male.

q) Ita ed. Ven. et 1484, et recte, ut apparet ex laudato libro Augustini(?), ubi legitur: Recte namque arbitror comparari liberum arbitrium jumento etc.: cooperatur ed. Rom.

r) Et perducit om. ed. 1484.

*) *Opus hic a Nostro laudatum* (Hypomnesticon Lib. III c. II) *non est Augustini, sed vel Marii Mercatoris vel alius cujuspiam antiqui auctoris. Cfr. Opp. S. Augustini T. X. Append. p. 3. et p. 21; et* Fessler, *Patrol. T. II. p. 345. Not.* Edit. Tub.

Ad Caput III.

[1] „Hominis liberum arbitrium, si excitetur per gratiam gratis datam, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere: sed sine omni dono nequaquam.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod vix aut nunquam liberum arbitrium destituitur omni gratia gratis data. Quoniam nomine gratiae gratis datae non solummodo intelligimus illa, quae enumerat Apostolus *(1. Cor. 12, 8): Alii datur per Spiritum etc.*, sed etiam vocatur hîc gratia gratis data, quidquid illud sit, quod superadditum est naturalibus, adjuvans aliquo modo, et praeparans voluntatem ad habitum, vel usum gratiae, sive illud gratis datum sit habitus, sicut timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis actus, sicut aliqua vocatio vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, ut se praeparet. Sine hac quidem gratia gratis data vix aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur; et sine hac concedendum est liberum arbitrium nunquam sufficienter disponi, nec posse se disponere ad gratiam gratum facientem, sicut dicit Bernardus expresse *(de lib. arb. c. 17):* Conatus liberi arbitrii ad bonum cassi sunt, si a gratia non adjuvantur, et nulli, si non excitantur. Et postmodum dicit: Gratia excitat liberum arbitrium, dum seminat cogitatum. Si igitur prima dispositio, quae fit ad gratiam gratum facientem, est cogitatio, et haec non est absque dono gratiae gratis datae; impossibile est, quod liberum arbitrium omni gratia destitutum ad gratiam gratum facientem disponat seipsum. Ratio autem hujus est haec; non quia gratia gratum faciens necessario praeexigat dispositionem gratiae gratis datae, sed quia ipsa est quid divinum, et res existens super liberum arbitrium, et etiam super naturale judicium; ideo liberum arbitrium nunquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam, nec ad petendam, nisi aliquo modo a sursum excitetur, et per adjutorium gratiae gratis datae, quod tenet quasi medium inter donum gratiae gratum facientis, et naturalem libertatem voluntatis. Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiae gratis datae, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam posset ad illam disponi.“ — „Ad illud quod objicitur, quod liberum arbitrium potest detestari culpam virtute propriae naturae, dicendum quod dupliciter contingit detestari culpam, aut quia est offensiva majestatis et aequitatis divinae, aut quia est laesiva propriae naturae. Primus modus detestandi disponit ad gratiam gratum facientem, nec unquam est absque dono gratiae gratis datae, in statu naturae lapsae. Cognoscere enim quod per culpam offenditur Deus, donum Dei est. Alio modo est detestari peccatum, in quantum est laesivum naturae, sicut aliquis detestatur fornicationem, quia per ipsam amisit usum, vel incurrit alium morbum; et talis detestatio potest esse a virtute naturae, sed hoc non disponit ad gratiam gratum facientem. Et sic patet, qualiter erraverit Pelagius, qui liberum arbitrium non solum dixit habere potentiam disponendi se ad gratiam gratum facientem, sed etiam merendi eam propria virtute. Dupliciter enim mendax fuit, et in hoc quod dixit primam gratiam sub merito cadere, et in hoc quod dixit etiam liberum arbitrium propriis viribus ad gratiam posse se disponere.“ *2. dist. 28. a. 2. q. 1. concl. et ad 6.*

[2] „Gratia aliquando dicitur habitus, aliquando actus, aliquando status est in habitu gratiae. Justificatio autem dicitur magis actus gratiae vel status, quam dicatur ipse habitus.“ *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 1 ad 5.* — „Justificatio non cadit sub merito condigni, cadit tamen sub merito congrui; dicitur autem reparatio animae justificatio. Peccatum enim actuale est deordinatio, sive obliquatio circa aliquem actum animae; et per hanc separatur anima a Deo, et ex hoc incurrit duplex malum, scilicet difficultatem ad bonum, et ideo dicitur vetustas, qua anima jam inveterata est; et pronitatem ad malum, et haec dicitur infirmitas; unde omne peccatum dicitur injustitia, dicitur mors, dicitur vetustas, dicitur infirmitas. Per oppositum igitur anima in adventu gratiae vivificatur, et ex susceptione virtutum ordinantium universas potentias justificatur; et hoc quidem fit in instanti. Unde justificatio dicitur a justitia generali; sed sanatur ulterius per gratiam sacramentorum, et renovatur per bonum exercitium, et fit semper ad bonum habilior. Unde Apostolus *(2. Cor. 4, 16):*

Quod renovatur de die in diem, sicut *exterior* de die in diem *corrumpitur.* Unde notandum, quod peccatum uno modo dicitur infirmitas et vetustas, alio modo sequela peccati. Et primo quidem modo statim fit sanatio et renovatio, secundo modo successive. Nec pervenitur ad perfectam sanitatem et novitatem nisi in gloria, eo quod semper manet pronitas et difficultas in via. Quod ergo quaeritur, quare dicitur justificatio, dicendum quod dicitur a justitia generali, non a justitia cardinali.“ *4. dist. 17. p. 1. dub. 1.*

[3] „Gratia est accidens, et habet ortum realiter ab alio, quam a subjecto proprio, scilicet a Deo. Unde triplicem habet comparationem, ad principium, a quo procedit; ad peccatum contrarium, quod expellit; ad subjectum, quod perficit; et omnes istae comparationes sunt simul tempore, tamen naturaliter prius gratia comparatur ad principium, a quo procedit; secundo ad peccatum, quod expellit; tertio ad subjectum, quod perficit. Unde, proprie loquendo, prius est gratia ab efficiente, quam expellat culpam per naturam ... Prius est gratiam creari per naturam, quam subjectum esse gratia informatum. Unde sicut in actione et productione aliarum formarum intelligimus, quod forma prius se habeat in ratione virtutis agentis, quam qualitatis informantis, sic in proposito intelligatur; tamen haec prioritas non est temporis, sed naturae.“ *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 1 ad 4.*

[4] „Sic Deus est vita animae, sicut anima corporis quodam modo, et quodam modo non sic. In hoc enim est similitudo, quod quemadmodum corpus indiget anima, et ab ipsa vivificatur, quamdiu illi conjungitur, et per ejus separationem vilescit; sic quamdiu anima unitur Deo per caritatem, vivificatur, et quando separatur ab eo, moritur et vilescit. In hoc autem est dissimilitudo, quia anima conjungitur naturaliter, et naturaliter ex corruptione naturae separatur; ita quod appetitus et indigentia est in utroque, quia constituunt tertium; ex Deo autem et anima non fit unum: et praeterea conjunctio illa est voluntatis ex utraque parte; et hinc est, quod, quia voluntas nostra naturaliter est vertibilis, et divina misericordia prompta est misereri, resuscitatio animae non est miraculosa, sed, ut proprius loquamur, est mirabilis.“ *4. dist. 17. p. 1. dub. 3.*

[5] „Dona gratis data in homine ante lapsum et post lapsum se habent sicut excedentia et excessa; gratum facientia vero aequalia sunt, si perfectionem dicant.“ — „Cum fit comparatio multitudinis donorum gratiae ad statum naturae lapsae et statum naturae institutae, hoc potest intelligi vel de donis gratiae gratis datae, vel de donis gratiae gratum facientis. Si intelligatur de donis gratiae gratis datae, sic se habent sicut excedentia et excessa, pro eo quod aliqua dona gratiae gratis datae habuit Adam in statu illo, utpote immortalitatem et impassibilitatem, quae non habuit aliquis posterorum ejus, et aliqua dona gratiae gratis datae habent posteri sui, quae ipse non habuit, sicut gratiam sanitatum, et operationem virtutum, et genera linguarum, et consimilia. Ratio autem hujus diversitatis venit ex hoc, quod alia dona expediebant illi tempori, et alia competunt isti. Si autem loquamur de donis gratiae gratum facientis, sic quia illa dona connexionem habent quantum ad habitus et quantum ad actus, qui perfectionis sunt; concedendum est, quod in aequali multitudine fuerunt in primo homine, in qua reperiuntur in ejus posteritate. Hoc dico quantum ad habitus et quantum ad actus, qui perfectionis sunt, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt. Quantum vero ad actus, qui habent imperfectionem annexam, non contingebat virtutes secundum statum illum in Adam ponere.“ *2. dist. 29. a. 3. q. 1.* — „Homo in communi post lapsum efficaciora dona gratuita habuit, ratione tum difficultatis, tum majoris caritatis; licet oppositum sit ratione promptitudinis voluntatis.“ — „Dicendum, quod efficacia meriti principaliter ex tribus venit, videlicet ex difficultate operis, ex promptitudine voluntatis et ex magnitudine caritatis. Difficultas operis multum facit ad meritum, et adeo facit, ut homo, qui est multo minoris caritatis quam angelus, possit mereri, ut perveniat ad sublimitatem angelicam, secundum quod colligitur ex illo, quod dicitur de Joanne Baptista *(Matth. 11, 11): Qui minor est in regno caelorum, major est eo.* Non enim est dubitandum, quin Joannes sit exaltatus ad ordines excellentium angelorum; et tamen, secundum statum viae, minoris caritatis erat quam aliquis eorum. Promptitudo etiam voluntatis plurimum facit, sed voluntas prompta secundum illud quod habet, accepta est ad meritum. Quantumcumque enim sit in homine gratia, nisi sit voluntas gratiae consentanea, nunquam eliciet opera meritoria; et quanto magis voluntas gratiae subjacet et conformatur, tanto magis homo in operibus meritoriis exercetur. Magnitudo caritatis est principalior inter omnia, quae faciunt ad meritum, quia secundum illius quantitatem attenditur remuneratio praemii substantialis, pondus enim amoris est, quod dat valorem operibus meritoriis. Si igitur fiat comparatio efficaciae merendi in donis gratuitis secundum statum post lapsum, et secundum statum ante lapsum, responderi potest, quod quantum ad primam conditionem, videlicet quantum ad difficultatem, efficaciores sunt virtutes nunc, quam tunc fuerunt. Nunc enim magis impugnatur, et impugnando probatur et examinatur virtus quam tunc, sicut patet in sanctis martyribus. Et sic procedunt rationes ostendentes dona gratuita ad merendum esse nunc efficaciora. Quantum autem ad secundam conditionem, scilicet quantum ad promptitudinem voluntatis, efficaciores fuissent virtutes in merendo tunc quam nunc, pro eo quod voluntas tunc quasi continue fuisset in bonis operibus Deo placentibus sine retardatione; nunc autem, sive ex lassitudine, sive ex surreptione, frequenter cessat a bonis operibus, et intendit aliquando rebus nocivis, aliquando inutilibus, tum propter difficultatem ad bonum, tum propter pronitatem ad malum. Et quantum ad hanc conditionem procedunt rationes probantes, quod dona gratuita in statu naturae institutae fuissent ad merendum efficaciora. Et per hoc patet responsio ad utramque partem, procedunt enim secundum diversas vias, secundum quas se habent dona gratuita in merendo sicut excedentia et excessa, et reperitur in eis secundum diversas conditiones major et minor efficacia. Et sic nulla est inter rationes illas repugnantia, utraeque enim verum concludunt secundum diversam viam. Si autem quaeratur ulterius de majoritate efficaciae quantum ad tertiam conditionem, tunc respondendum est, quod aut fit comparatio particularis personae ad particularem personam, aut status ad statum. Si primo modo, dicendum

est, quod se habent sicut excedentia et excessa. Satis enim probabiliter credi potest, quod aliqui sunt, qui habent majorem gratiam aliquibus, qui fuissent in statu innocentiae, si Adam stetisset, alii vero minorem aliquibus, sicut dici consuevit, cum comparatur status legis scriptae ad statum legis evangelicae. Si autem comparetur generaliter status ad statum, tunc non videtur usquequaque certum, in quo statu Dominus homini majus munus caritatis et gratiae tribuisset, pro eo quod secundum diversas conditiones reperitur major et minor idoneitas in homine suscipiente, et, quod plus est, magnitudo gratiae distributae plus attenditur secundum distinctionem distribuentis, quae cognitionem nostram latet. Haec tamen pars probabilior videtur, et magis auctoritatibus consonat, ut dicamus, quod Deus majora munera gratiae elargitus est homini lapso, quam dedisset homini, si in statu innocentiae permansisset, tum quia homo majori adjutorio gratiae indiget, tum etiam quia decet Deum de malo majus bonum elicere, quam sit illud bonum, quod adimendo malum nocet, tum etiam quia mediator et intercessor pro nobis interpellat *(Rom. 8, 34)*, quem decet exaudiri in omnibus pro sua reverentia *(Hebr. 5, 7)*. Unde cum appareat vultui Dei semper ad interpellandum pro nobis *(Hebr. 7, 25)*, et pro nobis in cruce oblatus fuerit, et quotidie offeratur, valde probabile videtur, quod majus munus gratiae tribuatur nobis, quam si ipse non fuisset incarnatus, vel pro nobis oblatus. Et hoc expresse videtur innui, cum dicitur, quod *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (Jo. 7, 39)*. Unde *cum ascendit in altum,* tunc *dedit dona hominibus (Ephes. 4, 8)*. Ex hac igitur triplici ratione, quarum una est in commendatione misericordiae, et secunda in commendatione sapientiae, et tertia in commendatione divinae justitiae, satis rationabiliter colligitur, quod nunc magis sint efficacia dona gratuita ad merendum, quam in statu innocentiae, non solum ratione difficultatis, verum etiam ratione gratiae et caritatis; quamvis non absurde dici possit, quod major efficacia in merendo erat tunc quam nunc, ratione promptitudinis voluntatis." *Ibid. q. 2.*

[6] „Quia in omni opere Domini est misericordia et veritas, haec maxime in nobili opere oportet esse, scilicet in opere justificationis. Quoniam igitur homo peccavit, et nihil ante gratiae infusionem apud Deum meruit, Deus justo judicio non omnino effectum culpae tollit, imo poenam relinquit; et ideo in priorem statum hominem non statim restituit. Et quoniam misericors est, ideo etiam amplius bonum reddit; quia magis indiget, ideo non tantum restituit innocentiam, sed etiam dat gratiam; ideo quamvis delere posset Deus sine medio culpam, decrevit tamen delere per gratiam, quae non tantum faceret innocentem, imo etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum." *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 1.*

[7] „Differt dicere voluntatem induci et voluntatem mutari et voluntatem cogi. Tunc enim induci dicitur, quando aliqua persuasio fit, qua disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinetur, quae si valde intensa sit, nomen coactionis sortitur, quamvis non sit vera coactio *(Cfr. part. III. c. 3. n. 1.)* ... Tunc autem voluntas mutatur, quando ipsa volente unum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarium, et de volente fit nolens, ita quod una affectio expellitur, et contraria inducitur, sicut patet, cum Deus de amatore temporalium facit temporalium contemptorem. Et haec dicitur esse quaedam compulsio et tractio divina, ut voluntas ab eo separetur, cui per amoris glutinum fortiter jungebatur. Tunc autem voluntas dicitur cogi, quando intelligitur ipsam invitam aliquid velle, et repugnante actu voluntatis deliberativae aliena virtute movente, et repugnantia manente, ad idem aliquid volendo inclinari; et haec duo opposita implicat ... Voluntas igitur induci potest ab agente creato, mutari vero ab alio non potest, nisi ab agente increato, cogi vero ab aliquo non potest. Et pro tanto dicit Bernardus *(de lib. arb. inter princ. et med.)*, quod libertas voluntatis est ita plena suo modo in creatura, sicut in Creatore; et quod in omnibus reperitur aequaliter, hoc enim intelligitur quantum ad coactionis privationem ... Quod dicitur in Scripturis, Deum voluntatem hominis impellere ... trahere et ... ad quodcumque voluerit, inclinare, sicut ostendunt illae tres auctoritates: *Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea (Luc. 14, 23): Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit illum (Joan. 6, 44): Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud (Prov. 21, 1);* hoc intelligitur non quia voluntatem cogat, sed quia voluntatem creatam non solum inducit, sicut agens creatum, verum etiam immutat immittendo affectiones varias, in qua immissione non est coactio, pro eo quod ita voluntarie volo illud, quod Deus immittit, sicut illud quod ex meipso volo; et si aliquid volo, volens volo, non invitus, et ita in volendo ad nihil compellor." *2. dist. 25. p. 2. a. 1. q. 5.*

[8] „Ad hoc dicunt aliqui, quod justificatio tripliciter dicitur. Uno modo dicitur justificatio ad justitiam praeparatio; et huic quidem necessaria est attritio, vel dolor. Alio modo justitiae infusio; et huic necessaria est infusio gratiae et expulsio culpae. Tertio modo justificatio est in justitia exercitatio; et huic quidem necessaria sunt duo a gratia et duo ab anima, scilicet motus liberi arbitrii et contritio; et dicunt verbum Augustini de ista justificatione intelligi: Qui creavit te etc. Sed certe si ad hoc quod gratia infundatur, necesse est, quod homo se praeparet consentiendo gratiae, et detestando peccatum, necesse est in ipsa gratiae infusione ista quatuor esse, scilicet gratiae infusionem, et liberi arbitrii motum, et contritionem, et peccati expulsionem. Deus enim expellit culpam infundendo gratiam, sed non infundit nisi ei, qui concordat; et necesse est concordare gratiae advenienti, et peccatum expellenti. Gratiae sic advenienti concordat per motum liberi arbitrii: gratiae ut peccatum expellenti, per motum contritionis. Unde duo sunt ibi a Deo, scilicet gratiae infusio et peccati expulsio, et duo a nobis his duobus modis consona. Et haec quatuor tanguntur in illo versiculo Psalmi *(59, 4): Commovisti terram, et conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota est.* Gratia enim adveniens in animam commovet rationem, secundum quod est pars liberi arbitrii, et conturbat voluntatem per contritionem, et postmodum sanat per peccati expulsionem. Et ratio hujus redditur, quia praecessit duplex commotio, per quam anima ipsa se gratiae justificanti conformavit; et ideo subjungit: *Quia commota est.*" *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 3.*

[9] „Venialia peccata possunt deleri sine contritione, solo libero arbitrio consonante, et aliquo exterius adjuvante, ut memoria passionis, episcopali benedictione, aquae benedictae aspersione etc.“ — „Ut intelligamus modum deletionis venialium, notandum est quod triplex est genus peccati, scilicet originale, actuale mortale, et actuale veniale. Et primum quidem minimam habet rationem voluntarii, imo nullam habet rationem voluntarii in nobis. Alterum autem genus peccati, scilicet mortale, simpliciter tenet rationem voluntarii, licet non ita sicut peccatum Adae, quod nullum habuit inclinativum. Veniale peccatum quodam modo tenet medium; unde quodam modo habet rationem poenae, quodam modo culpae; et rursus quodam modo est voluntarium, quodam modo involuntarium, habemus enim necessitatem committendi aliquod veniale in communi, quamvis nullum in particulari. Primum igitur peccatum, quoniam aliunde contractum est, potest deleri libero arbitrio nihil omnino agente, sed sacramento solo exterius adjuvante, sicut patet in parvulis. Secundum genus peccati, quoniam voluntarie contractum est, non potest deleri nisi libero arbitrio consonante et gratia adjuvante; ideo in justificatione impii requiritur motus liberi arbitrii, per quem consonet gratiae, et ulterius contritio, per quam adjuvatur. Veniale vero peccatum potest deleri libero arbitrio consonante et aliquo exterius adjuvante. Unde si liberum arbitrium gratiae non repugnat volendo persistere in culpa, et gratia virtute sacramenti vel rei sacramentalis vigoratur, culpam venialem delet vel universaliter, vel particulariter. Unde credendum, quod aliquo nihil de peccatis suis cogitante, sed tantum passionem Christi recolente in sacramento Eucharistiae, recogitante, inquam, ferventer, venialia peccata, vel omnia, vel quaedam, remittantur ei per gratiam sic adjutam. Et omnia illa, sive sacramenta, sive sacramentalia, ut Eucharistia et Unctio et Baptismus, et aquae aspersio et episcopalis benedictio et contritio et misericordiae exhibitio et orationis dominicae devota exoratio faciunt ad venialium deletionem, non per propriam naturam, sed per eam naturam, qua gratiam gratum facientem ad hunc actum adjuvant et vigorant. Si quaeras, quomodo adjuvant, dicendum quod in talibus ut plurimum est humiliatio et devotio, quae est actus gratia informatus, repugnans ipsi veniali peccato, quod fervorem caritatis et devotionem, quantum est ex se, diminuit. Vel ea ratione, qua est in eis poenalitas, quae repugnat inordinatae delectationi, et prout illa poena juncta est ordinanti gratiae. Et sic potest responderi, quod quamvis peccata venialia valde congrue per poenitentiam deleantur, possunt tamen per gratiam aliter adjutam deleri.“ *4. dist. 21. p. 1. a. 1. q. 2.*

[10] „Aliquorum positio fuit, quod venialia sine gratia gratum faciente deleri possint per gratiam gratis datam. Et rationem hujus ostendere voluerunt, pro eo videlicet, quod veniale peccatum non repugnat gratiae gratum facienti, sed gratis datae, nec offendit majestatem divinam, quia ibi non diligitur aliquid supra Deum, sed aliquantulum inordinate sub Deo; et ideo sicut mortale potest deleri per gratiam, quia ei repugnat, quia gratia Deo offenso reconciliat, et quia Deum contemptum amare facit super omnia; sic veniale potest deleri per gratiam gratis datam, quae illam modicam inordinationem removet, et illam occasionem minus amandi Deum ab ipsa anima tollit, nec oportet ibi esse gratiam elevantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per veniale nihil amatur supra Deum. Sed haec positio, licet probabilis videatur, a veritate tamen deviat, si quis inspiciat. Omne enim peccatum, eo ipso quod peccatum est, aliquo modo animam defoedat, et aliquo modo ipsam deordinat, et necesse est ex hoc, quod aliquo modo Deo displiceat. Quoniam igitur nota displicentiae minima, quae esse possit, sine habitu gratiae, qui reducit ad complacentiam et ad amicitiam, auferri non potest, tenendum est omnino de omni peccato generaliter, quod nullum omnino potest deleri sine gratia gratum faciente, sic enim decrevit nos sanare divina misericordia. Et hoc dicunt Sancti, et sonat Scriptura, quae maxime ponit gratiam esse necessariam ad delenda peccata.“ *4. dist. 21. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Veniale sine veniali potest deleri, quia neutrum fundamentum virtutis vivificantis et sanantis evertit, scilicet gratiam: sed mortale exstirpat gratiam, non enim simul stat cum vita. Et quoniam non potest deleri aliqua culpa sine gratia, ideo nullus morbus etiam minimus potest deleri, quia deleatur omnis mortalis culpa: non sic autem est in veniali, pro eo quod utrumque simul stat cum gratia.“ *Ibid. ad 4.*

[11] „Sicut justificatio non est nisi volentis, sic etiam non dat eam Deus nisi volenti, dummodo sit in tali statu, quod consentire et dissentire possit; ideo ad susceptionem justificationis in adulto requiritur motus liberi arbitrii, secundum quem consentit gratiae. Et quia primus motus, per quem consentit gratiae, est motus fidei; ideo motus iste est motus fidei. Unde: *Justificati per fidem (Rom. 5, 1);* Glossa prima: Ex motu liberi arbitrii, qui est ex fide. Ideo dicitur: *Fide purificans corda (Act. 15, 9),* quia motus fidei primo requiritur ad purificationem.“ *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 2.* — „Etsi simul stet motus liberi arbitrii cum contritione, qui quidem motus a pluribus dicitur motus fidei, tamen gratia adveniens per modum reparantis, et expellentis culpam, immediate respicit motum, vel actum poenitentiae. Sicut enim gratia prius culpam expellit per naturam, quam habilitet ad bonum; sic necesse est, quod homo ex parte sua in justificatione primo aspernetur culpam, quam dirigatur in bonum opus.“ *4. dist. 14. p. 1. a. 2. q. 3.*

[12] „Ad justificationem impii non est necessaria confessio, si justificatio dicatur justitiae infusio.“ — „Dicendum, quod si justificatio dicatur justitiae infusio, non est necessaria confessio, sicut expresse ostendunt illae rationes, quae inductae sunt. Unde solum ista quatuor necessaria sunt, scilicet gratiae infusio, motus liberi arbitrii, contritio et peccati expulsio. Secundum enim rectum ordinem, sicut patebit, confessio sequitur tempore et natura contritionem; et si sequitur contritionem, cum ipsa contritio non sit sine justificatione, nec e converso, ipsa justificatio potest esse sine confessione.“ — „Ad illud ergo, quod objicitur in contrarium de illis auctoritatibus, dicendum quod, sicut dicit Augustinus *(lib. 4. cont. Donatist. c. 25),* quamvis aliquis justificari possit sine sacramentis, tamen nullus justificatur contemnens sacramenta. Quoniam igitur confessio est peccantibus imposita, impossibile est aliquem justificari, qui non habeat confessionem in facto, vel in proposito. Si enim confessionem contemnat, quantumcumque doleat, non acquirit justitiam. Si autem con-

fessionem habeat in proposito, cum Deus bonam voluntatem et propositum in talibus reputet pro facto, si bona et efficax est; tunc, si adsit dolor, potest esse justificatus. Ideo pro tanto dicunt auctoritates Sanctorum et rationes praedictae, quod confessio necessaria sit ad justificationem, voluntatem enim confitendi confessionem vocant, ut patet discurrendo per singulas. Nam quod primo dicitur: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur (Prov. 28, 13);* constans est, quod loquitur de hypocrita, qui non tantum caret proposito confitendi, imo etiam habet malitiam celandi et excusandi." — „Ad illud similiter quod dicitur: Dic tu iniquitates, etc. *(Narra, si quid habes, ut justificeris, Isa. 43, 26),* dicendum quod, quando homo vult huic mandato obedire, se disponit de congruo ad gratiam; et divina misericordia largissima, cum invenit animam dispositam, gratiam tribuit, ac si esset confessa per sermonem. Aliae duae auctoritates ita intelligendae sunt. Vel si intelligantur de actu confitendi, tunc sumunt confessionem pro peccati recognitione, quae interius est inter animam et Deum; et sic non concludunt." — „Ad illud quod objicitur, quod nullus intrat sine potestate clavium, dicendum quod sine potestate clavium intrare, dupliciter potest intelligi; aut sine potestate, ita quod intelligatur contrarie, sicut contemnens clavem Petri; vel sine potestate, ita quod privative. Et adhuc dupliciter, vel simpliciter privative, ita quod non habet effectum absolutionis, nec in opere, nec in devotione, sive in desiderio; aut ita quod habet in devotione et proposito; et ita quodam modo habet. Primo et secundo modo non intrat, nec justificatur, sed tertio modo intrat, et aliquo modo per clavem, licet non sic sicut illi, qui absolvuntur actualiter." — „Ad illud quod objicitur, quod poenitentia est sacramentum necessarium, dicendum quod nullum sacramentum est adeo necessarium, quin fides et devotio suppleat locum ejus, sicut patet in baptismo; et ideo sine sacramento poenitentiae salus alicui esse potest. Et quod objicitur de contritione, quod est necessaria, dicendum quod non est necessaria, secundum quod est pars poenitentiae sacramenti, sed secundum quod est actus poenitentiae virtutis; et illa est prima virtus, sine qua non est salus peccatori adulto. Et simul est in actu et habitu virtus illa in ipsa infusione gratiae, quia invenit liberum arbitrium in actu sibi conformi in justificatione, ut visum est. Praeterea, esto quod contritio poenitentialis, prout est sacramentalis, esset necessaria, non sequitur propter hoc de confessione, quae est actus exterior superaddens contritioni." *4. dist. 17. p. 1. a. 1. q. 4 et ad 1—6.*

[13] „Aliquorum opinio fuit, quod remissio culpae antecederet contritionem, secundum quod remissio culpae dicitur quantum ad maculae ablationem, sed quantum ad poenam, vel sequelam, sequitur. Sed, sicut supra dictum est, contritio necessaria est in ipsius gratiae infusione, unde et praecedit peccati expulsionem naturâ. Et hoc patet sic; quia anima per detestationem peccati se disponit ad gratiam, dispositione quanta potest; gratia vero adveniens in anima, quia illa detestatio erat quasi dispositio media ad introducendam gratiam, per naturam prius respicit illam, et per illam culpam delendam. Sic ex comparatione, vel respectu gratiae ad illam detestationem, est contritio, ex respectu ad culpam est remissio; ideo contritio praecedit remissionem per naturam ... Exemplum autem hujus videri potest sic. Intelligamus aërem obtenebratum per praesentiam nubium et nebularum; et quod nubes illae non possint expelli eatenus, qua obtenebrant, nisi per motum aëris, et irradiationem luminis; tunc ad hoc quod aër reciperet primam illuminationem, oportet simul cum irradiatione solis concurrere ventum; et post ad perfectam restitutionem luminis oporteret adhuc ventum sequi, qui nebulas expelleret. Per hunc modum est intelligere de contritione et gratiae infusione, ut tamen causalitas activa attribuatur ipsi irradiationi, secundum illud Psalmi *(17, 13): Prae fulgore in conspectu ejus nubes transierunt etc.*" *4. dist. 17. p. 1. a. 2. q. 2.*

[14] „Secundum speciale privilegium potest Deus justificare sine omni praeparatione; tamen secundum legem communem non justificat nisi eos, qui se praeparant, sicut dicitur in Zacharia *(1, 3): Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Et quia praeparatio debet esse secundum convenientiam ad justificationem, in qua est motus liberi arbitrii et contritio, necesse est, quod homo se praeparet motu fidei et doloris, ita quod gratia inveniat liberum arbitrium in utroque istorum actuum, vel etiam summe paratum ad utrumque, ita quod in eodem instanti paratum sit moveri, in quo gratia advenit." *4. dist. 17. p. 1. a. 2. q. 3.*

[15] „Facere quod in se est, potest dupliciter intelligi. Uno modo positive, quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, et tantum facit quantum potest; et hoc modo veritatem habet sermo praedictus. Alio modo potest intelligi privative, ut dicatur facere quod in se est, quia facit quod potest, quamvis illud non sit ordinatum ad gratiae susceptionem; et hoc modo liberum arbitrium gratia destitutum potest facere quod in se est; et sic praedictus sermo non habet veritatem." *2. dist. 28. a. 2. q. 1 ad 4.*

[16] „Gratiae infusio in justificatione naturaliter praecedit expulsionem peccati, cum causa suum effectum praecedat." — „Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod Deus se ipso expellit culpam. Nam ipse de se dicit in Isaia *(43, 25): Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Unde secundum hos prius Deus mundat animam, et postmodum dat gratiam simul tempore, tamen posterius natura. Sed quia communiter ponitur, et verum esse credo, quod Deus expellit peccatum per gratiam, sicut sol per radios tenebras, sicut dicitur: *Fide purificans etc. (Act. 15, 9),* et hoc supra monstratum est; ideo, cum causa praecedat effectum, infusio gratiae naturaliter prior est expulsione peccati, sicut lux praeit effugationem tenebrarum. Ad quod intelligendum notandum est, quod qualitas aliqua, quae agit in aliud, habet triplicem comparationem, scilicet ad principium a quo exit, et ad contrarium oppositum quod expellit, et ad subjectum quod perficit. Et sunt istae comparationes ordinatae. Primo enim comparatur ad principium, a quo producitur; secundo ad oppositum, quod expellitur; tertio ad subjectum, quod perficit. Subjectum enim informatum aliqua qualitate, vel deformatum vitio, non potest intelligi informari aliqua bona qualitate, vel perfectione, nisi prius intelligatur expulsio contrariae. Et impossibile est, quod aliquod intelligatur expulsum ab aliquo, quin prius intelligatur illud, scilicet expellens egredi a suo principio. Quoniam igitur gratiae infusio non dicit perfectionem subjecti nisi per concomitantiam, sed potius

ipsius gratiae productionem ab agente; ideo patet, quod prior est quam expulsio, sicut et causa prior est suo causato.“ — „Ad illud ergo, quod primo objicitur in contrarium, quod prius est terminus a quo, dicendum quod terminus ad quem non est gratiae infusio, sed magis subjectum esse gratum, et mundatum, et a gratia informatum. Unde bene concedo, quod gratia prius per naturam habet rationem agentis quam informantis; et secundum quod prius habet rationem agentis, quam informantis, sic est principium justificationis, secundum vero quod habet rationem informantis, sic est terminus.“ — „Ad illud quod dicitur, quod prius est esse mundum, quam gratum, dicendum quod, quamvis prior sit mundatio per naturam, quam gratificatio, non tamen est prior, quam ipse mundans; et quia gratia non tantum est gratificans, sed etiam mundans, ideo praecedit. Unde ratio illa bona esset, si mundatio non esset a gratia tanquam a principio immediato et creato; nunc autem ratio illa tantum valet, quod prius per naturam competit gratiae expellere culpam, quam subjectum informare: et hoc verum est. Forma enim, quae inducitur in materiam aliquam, prius est ibi ut potentia, sive agens, quam sit ut perficiens, sive ut actus. Sive igitur expulsio culpae sit idem quod mundificatio, sive non, sequitur infusionem gratiae, gratia enim mundificat, et hoc per naturam prius habet facere, quam subjectum denominare.“ — „Ad illud quod objicitur, quod munditia, vel innocentia, est medium inter gratiam et culpam, dicendum quod verum est; sed non propter hoc est prius animae mundificatio, quam gratiae infusio. Gratia enim creata in anima ipsam informat; et quia informare non potest, quamdiu ibi obstaculum est, ideo subjectum opposito habitu informat, et culpam expellit. Unde prius est culpae expulsio naturaliter, quam animae informatio. Et ante haec duo prius est gratiae creatio, quam aliquod horum; gratiae autem infusio non est aliud, quam ipsius creatio. Unde cum dicit, quod gratiae infusio est ipsius subjecti habilitatio, hoc dictum est per concomitantiam.“ — „Ad illud quod quaeritur, quando culpa expellitur, aut quando est, aut quando non est, dicendum quod, quia expulsio est mutatio subita, et in mutatione subita simul est fieri et factum esse; ideo simul est expulsio, et expulsum esse; unde expellitur, quando primo non est. Dicitur ergo pro tanto expelli, quia prius fuit, et adhuc esset, nisi contrarium repugnaret; et non semper dicitur expelli, sed solum in primo instanti, in quo esse desinit, et tunc quidem non est. Aliqui tamen volunt aliter dicere, quod culpa habet esse temporale, ideo non est in sui termino, sed gratia est in termino et in initio; et ideo dicunt, quod cum gratia infunditur, et incipit, et est tunc; peccatum autem, cum desinit esse, non est. Sed quidquid sit de verbo desinendi, quod habet duplicem expositionem, tamen credo, quod culpa bene habet esse in instanti sicut et gratia, et est in sui termino, termino, inquam, intra; sed expulsio est terminus extra, quia simul est cum expulsum esse. Et si tu objicias, quod duo instantia sunt immediata; tunc respondendum, sicut superius responsum fuit de transitione panis in Corpus Christi, ubi positae sunt quinque responsiones, quas non oportet iterare propter brevitatem, et in ultima credo esse standum.“ — „Ad illud quod objicitur, si Deus operaretur successive, dicendum quod per aliud mundaret animam, quam gratiam; et tunc esset alius ordo naturae. Nunc autem, cum mundet per gratiam, necesse est ordine naturae ipsam praecedere expulsionem culpae; hoc autem posito, quod per gratiam mundet, impossibile est intelligere quod successive, quia tunc simul esset gratia cum culpa; gratia autem talis proprietas est, quae culpae nullatenus possit permisceri.“ *4. dist. 17. p. 1. a. 2. q. 1 et ad 1—5.*

[17] „Perseverantia uno modo dicitur propositum perseverandi in bono; et hoc modo est virtus, vel dispositio consequens virtutes inseparabiliter. Alio modo perseverantia est continuatio in bono usque in finem; et sic non dicit habitum, sed potius dicit statum.“ *2. dist. 29. a. 3. q. 1 ad 4.*

[18] „Origo poenitentiae virtutis effectiva Deus est, sed dispositiva a nobis, quia qui creavit nos sine nobis, non justificat nos sine nobis *(Aug. serm. 15 de verb. Apost.)*. Dispositio autem hoc ordine procedit. Primo necesse est Dei bonitatem et justitiam cognoscere, cui displicet omne malum et inordinatio, et ab illa offenditur, et nullo modo malum relinquit impunitum; et se debet cognoscere aliquid fecisse, quod suae displicere debeat bonitati. Et haec est cognitio culpae; et ex hoc cognoscit se homo ex divina sententia obligatum ad poenam. Necesse est etiam secundo cognoscere Dei misericordiam, qua paratus est omni revertenti, et dolenti de culpa commissa, sibi remittere et indulgere. Ex prima cognitione generatur timor, ex secunda generatur spes remissionis; et ex his voluntas revertendi, confoederandi Deo et satisfaciendi per gemitum et alias poenas: et si incipiat facere quod in se est, dispositus est ad justificationem.“ *4. dist. 14. p. 1. a. 2. q. 2.*

[19] „Liberum arbitrium lapsum nunquam ad Deum converteretur, nisi aliquo munere gratiae excitaretur; quod quia praesto est, ideo dicit Dominus: *Convertimini ad me (Zach. 1, 3)*. Hoc enim ipso quod invitat et vocat, exhibet homini aliquod donum gratuitum, per quod excitetur, excitatusque aliqualiter ad ipsum convertatur, et conversus per gratiam gratum facientem a Deo acceptetur; et ex hoc dicitur Deus converti ad ipsum. Unde si quis velit attendere ordinem liberi arbitrii et gratiae divinae, expresse insinuat Augustinus *(lib. de ecclesiast. dogmat. c. 21)*, ponens quatuor gradus, inter quos gratia praevenit liberum arbitrium. Ait enim sic: Initium salutis nostrae Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutari inspirationi, nostrae potestatis est: ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris: ut non privemur jam adeptae salutis munere, sollicitudinis nostrae est, et caelestis pariter adjutorii. In hoc ergo verbo si quis diligenter inspiciat, insinuatur valde clare quantum possit liberum arbitrium respectu gratiae. Nam cum sint in salutis opere ista quatuor, videlicet invitare, acquiescere, adjuvare et permanere, primum est inspirationis Dei, secundum libertatis arbitrii, tertium muneris divini, quartum sollicitudinis nostrae et divini pariter adjutorii.“ *2. dist. 28. a. 2. q. 1 ad 1.*

[20] „Ad illud, quod objicitur de obstinato, dicendum quod nullus est adeo obstinatus, quod non possit facere quod in se est, et qui non possit redire ad cor; et ideo tenetur sicut et alii, licet non pro quolibet instanti, sed pro loco et tempore. Si autem tu quaeras, quid sit locus

et tempus, melius docet unctio quam ars; tamen quando Dominus visitat eum interiori allocutione, vel exteriori praedicatione, vel aliquo tali, in quo est opportunitas redeundi ad cor, si tunc negligat, incidit in contemptum et omissionis peccatum." *1. dist. 48. a. 2. q. 1 ad 5.*

[21] „Operatio tota est a Deo, et tota a libero arbitrio. Non enim est intelligendum, quod Deus cooperetur libero arbitrio, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri; sed quia Deus est intime agens in omni actione, et intimus est ipsi potentiae operanti, ita quod potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso." *2. dist. 37. a. 1. q. 1 ad 5.* — „Gratia comparatur ad liberum arbitrium tanquam motor, quia voluntas est ipsius gratiae pedissequa, a qua elevatur." — „Absque dubio, sicut auctoritates Sanctorum dicunt, necesse est ponere liberum arbitrium a gratia moveri et excitari. Ab ipsa enim gratia operante praevenitur, et a cooperante ad opera meritoria elevatur, ita quod respectu operis meritorii gratia est sicut principalis motrix, et voluntas sicut pedissequa. Qualiter autem ipsa gratia, cum sit accidens animae, ipsam habeat movere, hoc habet difficultatem. Ad hujus autem difficultatis explicationem duplex est modus dicendi, sive intelligendi, secundum quem liberum arbitrium dicitur a gratia moveri. Unus modus dicendi est, quod gratia movere dicitur liberum arbitrium, quoniam ipsa est dispositio ad quemdam spiritualem motum. Sicut enim pondus in corporibus disponit ad motum, sic et suo modo pondus in spiritibus; gratia autem est quoddam spirituale pondus datum animae, per quod habet sursum tendere. Et quoniam liberum arbitrium est natum seipsum movere secundum actus, in quos potest de se, cum est adjutum et informatum gratia, excellentius movet seipsum; ita quod cum liberum arbitrium sit movens et motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis; et pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratia informatum movet seipsum, per quem modum amor dicitur movere hominem ad magna opera facienda. Alius est modus intelligendi, secundum quem liberum arbitrium dicitur a gratia moveri. Gratia enim est sicut quaedam influentia procedens a luce superna, quae semper habet conjunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole. Et quia semper suae origini conjungitur; ideo non tantum attribuitur ei operatio ratione subjecti, in quo est, sed etiam ratione subjecti, a quo est. Unde sicut lumen non solum operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem, ratione continuationis cum suo fonte; sic et gratia non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, et liberum arbitrium movet. Unde non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse Spiritus sancti instrumentum ad movendum liberum arbitrium. Uterque horum modorum intelligendi conveniens est et rectus, nec ullus sine altero sufficit. Nam primus competit gratiae cooperanti, sive subsequenti, secundus competit gratiae operanti, sive praevenienti. Gratia enim operans liberum arbitrium praevenit et movet, quia Deus illam infundendo voluntatem hominis sanat et praeparat. Gratia vero cooperans, sive subsequens, liberum arbitrium dicitur movere, quia voluntas tali dono gratiae informata movet seipsam. Hanc enim potentiam habet voluntas, scilicet movendi seipsam, quia est potentia materiae non alligata . . . Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod gratia ad liberum arbitrium comparari habet in ratione motoris. Ad rationes autem ad oppositum plana est responsio ex jam dictis. Ad illud enim, quod primo objicitur de voluntate, quod seipsam movet, dicendum quod hoc non obstat, imo consonat ei, quod dicitur, quod movetur per gratiam. Sicut enim voluntas movet seipsam ad opera naturalia; sic, adjuta per gratiam, movet seipsam ad opera meritoria. Vel, secundum alium modum intelligendi, Deus per gratiam movet voluntatem; nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas vult sic moveri a Deo. Unde sic movetur a Deo, quod movetur etiam a seipsa; et ideo omne opus meritorium attribuitur gratiae et libero arbitrio. Ad illud quod objicitur, quod motor distat a mobili, dicendum quod illud intelligitur de eo motu, in quo moveri est vere pati, sicut est in motu corporali, et de eo motore, qui est tota causa efficiens et sufficiens, et tota causa motus. Talis autem motor non dicitur esse gratia, pro eo quod non movet nisi sicut dispositio, vel sicut instrumentum, sicut prius fuit explanatum. Ad illud quod quaeritur, aut movet naturaliter, aut violenter, aut voluntarie . . . Si naturaliter; ergo opera meritoria erunt naturalia. Rursus, si naturaliter movet, semper movet, quantum est de se; ergo nunquam quiescit homo ab operibus meritoriis. Si violenter; ergo nec salvatur ibi ratio meriti, nec liberum arbitrium, quorum utrumque patet esse falsum. Si voluntarie; sed nihil movet voluntarie, nisi habeat cognitionem et voluntatem; ergo gratia cognoscit et vult, et ita est substantia rationalis. Igitur vel gratia, si movet liberum arbitrium, non est aliquid creatum, vel si est aliquid creatum, non movet liberum arbitrium . . . Dicendum quod movet voluntarie, non a voluntate, qua ipsa gratia fit volens, sed a voluntate, qua Deus gratiam influens est volens, et a voluntate, qua liberum arbitrium gratificatum vult movere seipsum." *2. dist. 26. a. 1. q. 6 et ad 1—3.*

[22] „Bonitas operum ad bonae intentionis meritum, quantum ad praemium substantiale nihil addit, addit tamen ad accidentale." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod proficere in merito, vel ad meritum, potest esse duobus modis, secundum duplicem differentiam praemii. Quoddam enim est praemium substantiale, quod quidem consistit in visione et fruitione Dei, quod ideo dicitur praemium substantiale, quia fundamentum et substantia totius nostrae beatitudinis est Deus; et illo perfecte habito, perfecta est in nobis beatitudo. Aliud vero est praemium accidentale, quod quidem consistit in gaudio, quod habetur de bono creato, vel de liberatione ab aliquo malo. Accipiendo igitur meritum respectu praemii substantialis, contingit dicere, quod aliquid valet ad profectum meriti tripliciter. Aut quia per illud meretur homo majorem gloriam; et hoc modo major caritas, vel melior voluntas facit ad profectum meriti. Aut quia disponit ad merendam majorem gloriam; et talia sunt opera perfectionis, quae dicuntur facere ad meriti profectum. Aut quia conservat illud, per quod meretur homo gloriam; et sic omnia opera bona proficiunt ad meritum, quia in ipsis exercetur caritas et operatur, conservatur et radicatur, ut homo finaliter perseveret in illa. Et hoc non est parvum, quia quidquid homo faciat, non salvatur, nisi finaliter perseveret. Et sic patet, quod operum multiplicatio quodam

modo valet ad profectum in merito respectu praemii substantialis: et hoc dico disponendo et conservando, non autem merendo majorem gloriam ex condigno. Similiter ad profectum majoris praemii accidentalis potest aliquid valere tripliciter: aut ratione adeptionis aureolae, et sic opera specialis excellentiae faciunt ad profectum meriti voluntatis bonae: aut ratione adeptionis alicujus delectationis internae; et sic omnia opera, quae fiunt ex gratia, quodam modo valent ad profectum praemii accidentalis, quia secundum quod homo plura bona opera facit, secundum hoc de pluribus jucundabitur in conscientia sua: aut ratione diminutionis poenae; et sic opera difficilia et poenalia faciunt ad profectum meriti, et addunt ad meritum bonae voluntatis, quia remissionem alicujus poenae meretur homo ex voluntate cum opere, quam non meretur ex sola voluntate. Haec autem distinctio non solum valet ad terminandum quod dictum est, sed etiam ad duo praecedentia. Generaliter enim verum est quod operum dignitas, et dati quantitas, et operum numerositas ad profectum meriti facit respectu praemii accidentalis, licet differenter. Verum est etiam generaliter, quod illa omnia opera non faciunt ad profectum meriti respectu praemii substantialis, nisi solum disponendo et conservando.“ *2. dist. 40. a. 2. q. 3.*

CAPUT IV.

De ramificatione gratiae in habitus virtutum.

(Gratia, licet una, ramificatur in habitus rectificantes, seu virtutum; - - expedientes, seu donorum; — perficientes, seu beatitudinum. — Habitus virtutum sunt septem, — qui habent singuli propriam excellentiam; — quoad habitus connectuntur ad invicem in gratia; — quoad actus meritorios sunt aequales in caritate; — et possunt esse informes per culpam, — caritate excepta; — reformantur tamen per poenitentiam, adveniente gratia, — quae est virtutum origo, finis et forma.)

Tertio restat agere de gratia in comparatione ad habitus virtutum, circa quam consideranda sunt tria. Primum est, qualiter gratia una ramificatur in habitus virtutum; secundum, qualiter ramificatur in habitus donorum; tertium, qualiter ramificatur in habitus beatitudinum. De ramificatione igitur gratiae in habitus virtutum haec tenenda sunt [a], quod, cum una sit gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes gratuitae, quibus regitur vita humana; tres quidem theologicae, scilicet fides, spes et caritas: quatuor [b] cardinales, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo et justitia, quae uno modo est virtus communis et generalis, alio [c] modo specialis et propria. Hae autem septem virtutes, licet sint distinctae, et proprias excellentias habentes, sunt tamen connexae et aequales ad invicem in eodem; et licet sint gratuitae per gratiam informatae, possunt tamen fieri informes per culpam, sola caritate excepta, et iterum reformari per poenitentiam, adveniente gratia, quae est habituum virtualium origo, finis et forma.

a) Scilicet add. ed. 1484.

b) Et quatuor ibid.

c) Et alio ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia sicut principium productivum sua summa perfectione in dando vitam naturae, non tantum dat vivere quantum ad actum primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est operari; sic necesse est, quod principium reparativum vitam tribuat spiritui in esse gratuito, et quantum ad esse, et quantum ad operari. Et quoniam unius viventis secundum unam vitam primam membrorum multae sunt operationes vitales ad illius vitae perfectam manifestationem, cum actus diversificentur per objecta, et diversitas actuum requirat diversitatem, sive distinctionem habituum *(Aristot. l. 2. de anima, tex. 33);* hinc est, quod, licet una sit gratia vivificans, ramificari tamen necessario habet in varios habitus propter varias operationes. Et quoniam quaedam sunt opera moralia primaria, sicut credere; quaedam media, sicut intelligere credita; quaedam vero [d] postrema, sicut videre intellecta; et in primis anima rectificatur, in secundis expeditur, in tertiis perficitur; ideo gratia gratum faciens ramificatur in habitus virtutum, quorum est animam rectifi-

d) Vero om. ibid.

care[1]; in habitus donorum, quorum est animam expedire[2]; et in habitus beatitudinum, quorum est animam perficere[3].

Rursus, quoniam rectitudo animae perfecta requirit, quod ipsa rectificetur secundum duplicem faciem, scilicet superiorem et inferiorem, et respectu finis, et respectu eorum, quae sunt ad finem; ideo necesse est animam, quantum ad superiorem faciem, in qua consistit imago Trinitatis aeternae, rectificari per tres theologicas virtutes; ut sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiae, sic imago recreationis[e] in trinitate habituum cum unitate gratiae, per quos anima fertur recte in summam Trinitatem secundum tria appropriata[f] tribus personis; ita quod fides[4] dirigit in summe verum, credendo et assentiendo[5]; spes[6] in summe arduum, imitando[g] et expectando[7]; caritas in summe bonum, desiderando et diligendo[8]. Necesse est etiam quantum ad inferiorem faciem, animam rectificari[9] per quatuor[10] cardinales virtutes[11]. Nam prudentia rectificat rationalem[12], fortitudo irascibilem[13], temperantia concupiscibilem[14], justitia vero rectificat omnes has vires in comparatione ad alterum[15]. Et quia illud alterum determinate potest esse proximus, potest etiam idem homo comparari ad seipsum, ut ad alterum, potest etiam esse ipse Deus; hinc est, quod justitia circumire[h] dicitur omnes vires, est enim[i] non tantum virtus cardinalis specialis[j], verum etiam generalis, comprehendens totius animae rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo voluntatis. Unde ipsa non tantum comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, sicut est aequitas et liberalitas[k]; verum etiam ad seipsum, sicut est poenitentia et innocentia; nec non ad Deum, sicut est latria, pietas et obedientia.

e) Post recreationis editt. Rom. et 1484, male habent consistit, quod om. editt. Arg. Aug. Ven.

f) Appropriatoria ed. 1484.

g) Intendendo ibid.

h) Circuire ibid.

i) Ita recte ibid; in cet. dicitur etiam.

j) Specialis a d. ex ed. 1484.

k) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Nor. Ven.: libertas ed. Rom.

Postremo, quia omnis rectitudo virtutum secundum esse gratuitum manat a gratia tanquam ab origine et radice, et secundum esse meritorium comparatur ad caritatem sicut ad originem, formam et finem; hinc est, quod ceterae virtutes gratuitae, quoad habitus sunt connexae[16], et quoad actus meritorios sunt aequales[17]. Hinc est etiam, quod ceteri habitus virtutum possunt esse informes[18], sola caritate excepta[19], quae est virtutum forma[20]. Cum enim habentur sine gratia et caritate, in quibus consistit vita virtutum[21], tunc[l] sunt informes. Cum autem superinfunditur gratia, tunc formantur, et decorantur, et Deo acceptabiles fiunt[22]; sicut et[m] colores absque luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine, fiunt lucidi, pulchri et aspectui complacentes[23]. Unde quemadmodum ex luce et coloribus fit unum in ratione motivi, et una lux sufficit ad multos colores illuminandos[24], sic ex gratia et habitibus informibus, cum formantur, fit unum secundum rationem meritorii et gratuiti[25]; et una nihilominus gratia sufficit ad informationem et gratificationem habituum diversorum.

l) Et tunc ed. 1484.

m) Et om. ibid.

Ad Caput IV.

[1] „Virtutes, quoad usum, praecedunt dona, licet quantum ad originem omnes simul sint.“ — *„Praecipitavit omnia moenia ejus (Thren. 2, 5).* Ibi Glossa: In his rectus ordo servatur, quia cum peccatrix anima relinquitur, prius ab ea dona virtutum, quae data sunt ad manifestationem spiritus, auferuntur, deinde fundamenta fidei, spei et caritatis evertuntur. Si ergo is est ordo in destruendo, ut prius destruatur illud, quod ultimo fuit in componendo, et prius auferuntur dona, quam fundamenta virtutum; videtur, quod prius sint virtutes, quam habitus donorum.“ — „Item prius est recte agens, quam expediens, in eodem genere. Si ergo habitus virtutum sunt ad rectificandum, et habitus donorum ad expediendum; ergo dona non sunt priora virtutibus.“ — „Item timor est primum donorum,

sicut fides est prima virtutum; sed fides prior est, quam sit timor, quia timor ortum habet a fide; ergo simpliciter videtur, quod virtutes sint priores donis, quia si primum in uno genere est prius primo in altero genere, hoc simpliciter est illo prius, secundum considerationem Philosophi." — „Item is est ordo habituum, qui est ordo actuum; ideo enim fides dicitur prior esse spe, quia credere prius est quam sperare. Cum ergo virtutes sint ad actus primos, dona ad actus medios, sequitur necessario, quod virtutes sint ante dona." — „Dicendum, quod dupliciter est loqui de habitibus virtutum et donorum. Aut quantum ad ipsorum habituum originem, aut quantum ad usum. Si quantum ad originem, cum omnes habitus gratuiti ortum habeant a gratia, sic omnes simul sunt origine, quia omnes habitus gratuiti simul infunduntur infusa gratia, quae est ipsorum principium. Si vero loquamur de ipsis habitibus donorum et virtutum in comparatione ad sequentes usus; sic concedendum est, quod virtutes praecedunt dona. Licet enim actus alicujus doni specialis praecedat actum alicujus virtutis, sicut actus timoris actum spei; quia tamen actus primae virtutis, videlicet fidei, praecedit actum primi doni, scilicet timoris; et generaliter actus cujuslibet virtutis praecedit actum doni sibi correspondentis, sicut actus primus praecedit medium; hinc est, quod generaliter concedi potest, quod habitus virtutum, per comparationem ad actus et usus, priores sunt respectu donorum: et hoc dico respectu ejusdem." *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 2. fund. et concl.*

[2] „Dona, quoad status consequentes, sunt virtutibus excellentiora, licet in comparatione ad gratiam informantem sint aequalia virtutibus." — „Dicendum, quod de habitibus virtutum et donorum sub ratione dignitatis est loqui tripliciter, secundum triplicem istorum habituum comparationem, aut in comparatione ipsorum ad gratiam ipsos habitus informantem et gratuitos facientem, aut in comparatione ad actus egredientes, aut in comparatione ad status consequentes. Si in comparatione ad gratiam ipsos habitus informantem, cum ipsa sit una, reddens aequaliter animam acceptam Deo, et ipsius potentiam et habitus et opera; sic aequalis dignitatis et meriti sunt cuncti habitus existentes in eadem anima. Si autem loquamur de ipsis in comparatione ad actus egredientes; sic unus habitus est nobilior altero, sicut virtutes theologicae sunt excellentiores cardinalibus, cum actus earum immediate tendant in Deum, et inter theologicas caritas est excellentissima. Si autem loquamur quantum ad status consequentes, cum usus virtutum habeatur in statu imperfectionis, usus vero donorum promoveat hominem ad statum perfectionis; sic dona sunt excellentiora virtutibus, sicut status proficientium perfectior est statu incipientium: et hoc est, quia status ille secundus praesupponit statum praecedentem. Unde sicut bene esse melius est quam esse, quia bene esse dicit esse, et adhuc amplius; sic habitus reddentes potentias expeditas ad actus medios, excellentiores sunt habitibus reddentibus eas expeditas primo ad actus primos, non ratione ejus, quod addunt solum, sed ratione ejus, quod addunt et praesupponunt. Unde concedendum est, quod hoc modo dona sunt excellentiora virtutibus." *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 3.*

[3] „Dona et virtutes differunt ab invicem, quia illa expediunt, istae vero rectificant potentias, et ideo etiam differunt secundum modum nominandi." — „Inter virtutes et dona assignatur communiter differentia. Omnes enim communiter dicunt, quod aliquo modo differunt dona a virtutibus. Et hoc indicant differentiae, in quas habent dividi habitus virtutis et doni. In modo autem assignandi differentiam diversificati sunt doctores. Cum enim hujusmodi habitus quadruplicem habeant comparationem, inveniuntur assignari differentiae donorum et virtutum secundum viam quadrimembrem. Habent enim comparari hujusmodi habitus ad propria subjecta, et ad sua opposita, et ad fines proximos et ad actus proprios. Secundum primam comparationem tentaverunt aliqui assignare differentiam sic, dicentes quod, cum liberum arbitrium sit principium meriti, omnes habitus, secundum quos meremur, sunt in libero arbitrio collocandi. Sed cum liberum arbitrium sit facultas rationis et voluntatis, habet perfici habitibus duplicis generis, habitibus, inquam, virtutum perficitur, in quantum est facultas voluntatis; habitibus vero donorum, in quantum est facultas rationis. Et quod illud sit verum, nituntur persuadere per ipsam donorum differentiam, quae pro magna parte respiciunt actum cognoscendi; species vero virtutum e contrario magis ad affectum habent referri. Secundus autem modus assignandi differentiam attenditur per comparationem istorum habituum ad sua opposita. Habitus enim virtutis et doni opponuntur ipsis vitiis et defectibus per peccatum introductis. Peccatum autem duo mala facit. Primum est, quod tollit rectitudinem justitiae; secundum est, quod debilitat vigorem naturae, et eam dicitur vulnerare. Unde sicut in morbo duo sunt, videlicet ipsa humorum inaequalitas, et symptomata quaedam, sive sequelae ipsius morbi; sic intelligendum est in morbo spirituali. Cum ergo duo sint in ipso morbo spirituali, videlicet ipse morbus deordinans et symptoma concomitans, ipsa culpa et ejus sequela, ipsum telum et vulnus ex telo derelictum; habitus virtutum sunt contra ipsos morbos peccatorum, sed dona sunt contra sequelas ipsorum; ita quod per virtutes expelluntur tela, et per dona expelluntur vulnera, sive symptomata derelicta. Et hic modus dicendi confirmatur per Gregorium in Moralibus *(2. c. 27)*, ubi assignat opposita donorum dicens, quod contra stultitiam est sapientia, contra hebetudinem intellectus, contra praecipitationem consilium, contra pusillanimitatem fortitudo; et sic de aliis consequentibus. Haec autem non sunt peccata, sed magis symptomata quaedam ex peccatis derelicta. Et quoniam, sicut dicit Augustinus, aliud est extrahere telum, aliud sanare vulnus; hinc est, quod habitus virtutum et donorum ab invicem differunt ratione eorum, contra quae sunt. Tertius autem modus assignandi differentiam attenditur per comparationem ad fines proximos. Habitus enim gratuiti nobis dantur, ut conformemur Christo. Christus autem omnimodam perfectionem habuit, et in agendo et in patiendo; et ideo sunt aliqui habitus nobis dati, quibus conformamur Christo in agendo: et hi sunt habitus virtutum, qui sunt ad recte operandum, et ad hoc finaliter ordinantur, ut per illos habitus sic ordinantes ad rectam operationem in agendis conformemur Christo. Sunt praeterea et alii habitus dati nobis, ut conformemur ei in patiendo: et hujusmodi habitus sunt dona, per quae Christus erat dispositus ad sustinendam rectissime passionem ad gloriam

Dei et nostram utilitatem; et per habitus hujusmodi donorum debemus sibi conformari in patiendo. Quartus autem modus assignandi differentiam attenditur penes comparationem ad actus proprios. Sunt enim quidam actus primi et quidam medii et quidam ultimi, sive perfecti. Sicut verbi gratia possumus videre in actu cognoscendi, quod prius est credere, secundo intelligere, tertio vero mundo corde videre. Et secundum illam trinam differentiam actus sunt in nobis tres differentiae habituum gratuitorum, videlicet virtutum, donorum et beatitudinum; ita quod virtutes sunt ad actus primos, ut patet, quia fides est ad credendum; dona ad actus medios, quia, secundum quod patet, donum intellectus est ad intelligendum; beatitudines vero ad actus ultimos, ut patet, quia munditia cordis est ad Deum videndum. Et quoniam in primis actibus potentiae rectificantur, in secundis expediuntur, et in tertiis et ultimis perficiuntur; hinc est, quod habitus virtutum sunt ad agendum recte, habitus donorum ad agendum expedite, habitus beatitudinum ad agendum sive patiendum perfecte. Postquam autem illi habitus sunt in anima, est consequenter in illa status quidam quietationis et delectationis. In hac autem delectatione duo concurrunt, videlicet quaedam spiritualis refectio, et ipsius refectionis spiritualis perceptio. Ideo ad ista tria genera habituum adduntur fructus et spirituales sensus, qui non dicunt hîc novos habitus, sed habituum praecedentium exprimunt perfectum statum et usum. Rursus, quoniam ad haec omnia habenda per nos non sufficimus, nobis data sunt adminicula sacramentorum, in quibus secundum diversitatem suorum effectuum gratia datur ad inchoationem perfectam, et consummationem omnium habituum praedictorum, licet illa genera principaliter habeant respectum ad morbum curandum. Sic ergo patet, quod quadruplex est modus assignandi differentiam inter virtutes et dona. Verumtamen primus modus non est per propria, imo magis per appropriata. Per propria, inquam, non est, quia si quis velit dicere, quod omnia dona sint in ratione, et omnes virtutes in voluntate, manifestam habet instantiam in donis quantum ad timorem, fortitudinem et pietatem, quae sunt a parte affectus; in virtutibus quantum ad fidem et prudentiam, quae sunt ex parte intellectus. Ideo illa differentia aut falsa est, aut nulla; aut est per appropriationem quandam, in hoc videlicet quod plura dona sunt ex parte rationis quam voluntatis, e converso vero est in virtutibus. Secundus vero modus assignandi differentiam per comparationem ad opposita, abundat a primo, quia revera est per propria. In hoc tamen deficit, quia non est per priora, sed magis per posteriora. Cum enim habitus donorum et virtutum opponantur vitiis, sicut habitus ad privationes, et habitus naturaliter prius sit quam privatio, non distinguuntur habitus secundum privationes, sed magis e converso secundum rem et naturam. Possunt tamen distingui secundum cognitionem nostram imperfectam, quae, ut frequenter, est per posteriora. Tertius autem modus assignandi differentiam abundat a primo et secundo, quia est per propria et per priora; in hoc tamen deficit, quod non est illa differentia secundum omnem statum, quia nec secundum statum naturae institutae, nec secundum statum gloriae, in quibus fuerunt et erunt dona et virtutes; et tamen nec ordinabantur, nec ordinabuntur ad patiendum. Nihilominus tamen illa differentia recte assignatur secundum statum, in quo nunc sumus. Quartus autem modus assignandi differentiam per comparationem ad actus, est verus et proprius, et abundat ab omnibus praedictis, quia est per propria et per priora secundum rationem cognoscendi, et per ea, quae omni statui sunt communia. In omni enim statu competit homini, ut operetur recte et expedite et perfecte. Et quod iste modus assignandi differentiam recte sit sumptus, satis manifestatur, quia, secundum quod praetactum est, non solummodo secundum istam viam assignatur differentia donorum ad virtutes, sed etiam apparet differentia omnium eorum, quae computantur inter munera, gratiae videlicet virtutum et donorum, beatitudinum, fructuum, sensuum spiritualium et sacramentorum. Nam primae tres differentiae nominant habitus, duae vero sequentes nominant status et usus, sexta vero differentia nominat praedictorum adminicula et adjuvamenta. Ex his patet non solummodo differentia praedictorum secundum rem, sed etiam secundum nominandi rationem. Nam habitus rectificantes recte dicuntur virtutes, pro eo quod virtus de ratione sui nominis dicit, quod ad agendum erigit et vigorat. Habitus vero expedientes recte dicuntur dona, pro eo quod dicunt quandam ulteriorem abundantiam bonitatis ad agendum; ac per hoc magis attestantur divinae liberalitatis, et propter hoc recte censentur nomine doni. Habitus vero perficientes recte dicuntur beatitudines, pro eo quod tales habitus faciunt hominem proximum Deo, et conformem ipsi gloriae suae summae et beatitudini, in qua est reperire summam perfectionem. Status autem, in quo est refectio, recte dicitur fructus, fructus enim a frui dictum est. Usus vero, secundum quem illa perceptio suscipitur, recte dicitur sensus spiritualis, quoniam sensus est cognoscere rem ut praesentem. Postremo adminicula omnium illorum, in quibus datur gratia animam sanctificans, et a peccatis curans, et ad omnem sanctitatis perfectionem adjuvans, rectissime dicuntur sacramenta. Patet ergo ex praedictis, quod inter virtutes et dona est differentia . . . Ad illud quod objicitur de convenientia definitionum doni et virtutis, dicendum quod illae notificationes large datae sunt secundum generalem rationem illorum nominum. Attamen in definitione virtutis potest fieri vis in hoc, quod dicitur, qua recte vivitur. Nam, sicut prius tactum est, in hoc differt a donis, quia habitus illi sunt ad rectificandum, habitus vero donorum ad expediendum. Ad illud quod objicitur, quod per idem peccatum obliquamur, et sumus proni ad peccatum, dicendum quod non est simile, quia facilius est malefacere et declinare a bono, quam bene facere et in bono expediri, sicut facilius est aliquem vulnerare, quam vulneratum sanare; et ideo plures habitus sunt necessarii ad perfecte sanandum et reparandum, quam ad deordinandum. Ad illud quod objicitur, quod ejusdem virtutis naturalis est currere et expedite currere, dicendum quod verum est loquendo de potentia prima, verumtamen facilitas superaddita potentiae primae non est eadem cum ipsa, sicut patet de naturali potentia et impotentia, quae dicuntur dispositiones et qualitates superadditae supra radicem potentiae naturalis. Praeterea non est simile, quia multum difficilius est rectificari et expediri et habilitari in his operibus, quae sunt supra naturam, quam in his

operibus, quae subjacent potentiæ naturali.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1. et ad 2—4.*

[4] „Diffinitur fides multipliciter. Quantum ad genus proprium, diffinitur ab Augustino *(quaest. evang. l. 5. c. 39):* Fides est virtus, qua creduntur ea, quae non videntur. Quantum ad finem ultimum, ab Apostolo *(Hebr. 11, 1): Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* A Damasceno *(l. 3. de fid. orth. c. 11):* Fides est eorum, quae sperantur, hypostasis; rerum, quae non videntur, redargutio. Quantum ad objectum et primum motivum, ab Augustino: Fides est illuminatio mentis ad summam veritatem. Quantum ad actum proprium, a Damasceno *(ib. lib. 4. c. 12):* Fides est non inquisitus consensus. In ordine ad subjectum, a Dionysio *(de div. nom. c. 7):* Fides est unicum credentium fundamentum, eos collocans in veritate. In comparatione ad alios habitus et modum asserendi, ab Hugone *(l. 1. miscell. c. 18):* Fides est voluntaria quaedam certitudo de rebus absentibus supra opinionem, et infra scientiam constituta. Accipitur autem nomen fidei decem modis. Aliquando enim accipitur pro sponsione; unde Apostolus *(1. Tim. 5, 12): Primam fidem irritam fecerunt.* Aliquando pro fidelitate: *Periit fides (Jer. 7, 28); et sanctus de terra (Mich. 7, 2).* Aliquando pro conscientia: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est (Rom. 14, 23).* Aliquando pro sacramento fidei; unde dicit Augustinus *(ep. 23 ad Bonifac.):* Parvulos habere fidem, non est aliud, quam fidei habere sacramentum. Aliquando pro acceptione conclusionis per rationem probatae; et sic dicit Boëtius: Argumentum est ratio rei dubiae faciens fidem. Aliquando pro cognitione comprehensionis; et sic accipitur ab Apostolo *(Rom. 1, 17): Justitia Dei revelabitur ex fide in fidem.* Glossa, in fidem speciei, quae fides dicitur, quia fidentissima et certissima est. Aliquando pro habitu fidei informis; a Jacobo *(2, 20): Fides sine operibus mortua est.* Aliquando pro habitu fidei formatae *(Rom. 1, 17): Justus ex fide vivit.* Aliquando pro actu fidei; et sic dicit Augustinus *(in Joan. tract. 40):* Fides est credere quod non vides. Aliquando pro objecto fidei; unde dicitur in symbolo: Haec est fides catholica ... Fidei attribuitur operatio miraculorum, ipsa est enim prima virtus, quae supra se elevat intellectum, captivans eum in obsequium Domini nostri Jesu Christi *(2. Cor. 10, 5);* et ideo meretur de congruo apud Deum opus arduum impetrare, ad quod se non extendit possibilitas admirantis. Et hoc est, quod tangitur in diffinitione miraculi: Miraculum est opus arduum et insolitum, supra spem et facultatem admirantis consistens.“ *Centil. part. 3. sect. 37.* Cfr. quoque *3. dist. 23—25 per integrum; serm. 8 et 9 in Hexaëm.*, nec non inferius *cap. 7 hujus partis.*

[5] „Fides non tantum est virtus gratuita, sed gratuitarum virtutum regula et auriga.“ — „Dicendum, quod absque dubio ipsa fides, qua in Deum credimus, non tantum est virtus, verum etiam auriga virtutum, sicut de prudentia dicit Bernardus ad Eugenium *(l. 1):* Virtus quidem est, quoniam in ea consistit rectitudo vitae secundum regulam justitiae. Justum enim est, ut intellectus noster ita captivetur et subjaceat summae veritati, sicut affectus noster debet subjacere summae bonitati; nec potest esse anima recta, nisi intellectus summae veritati propter se et super omnia assentiat, et affectus summae bonitati adhaereat. Hanc autem rectitudinem non habet quis nolens, sed volens. Nemo enim plus credit Deo, quam sibi, nisi per hoc, quod vult intellectum suum captivare in obsequium Christi. Si ergo captivatio intellectus in obsequium summae veritatis spectat ad rectitudinem vitae, voluntas, qua quis vult se captivare, est voluntas recta; et habitus, quo mediante ad hoc expeditur et adjuvatur, facit ad rectitudinem voluntatis. Ergo si justitia non est aliud, quam voluntatis rectitudo, et fides non est aliud nisi habitus, quo intellectus noster voluntarie captivatur in obsequium Christi; restat, quod habitus fidei spectet ad rectitudinem vitae secundum regulam justitiae; et ideo habet in se rationem virtutis vere et proprie. Nec solum habet in se rationem virtutis vere, sed magis aurigae virtutum quarumlibet, tam theologicarum videlicet, quam cardinalium. Sine fide enim non est cognitio summi et veri boni, sine cognitione autem summi et veri boni non potest esse summi et veri boni exspectatio et dilectio. Cognitio enim praeambula est, et dirigit affectum ad exspectandum et ad desiderandum; et ideo necessario fides spem et caritatem praecedit tamquam regula et auriga ipsarum. Rursus, sine cognitione summi boni non potest esse recta intentio. Hoc enim solum fit recta intentione, quod fit ad honorem et gloriam Dei; sine vero recta intentione nullus actus virtutis recte incedit. Quoniam ergo habitus fidei est, quo mediante summum bonum a mentibus nostris agnoscitur; hinc est, quod fides dirigit nostram intentionem, et per hoc regula est omnis operationis bonae, et omnis virtutis meritoriae. Et ideo non tantum debet dici virtus gratuita, sed etiam virtutum gratuitarum regula et auriga.“ *3. dist. 23. a. 1. q. 1.* — „Fides, in quantum virtus meritoria, potest dici, quod sit in libero arbitrio; sed in quantum est habitus reddens potentiam facilem, pertinet ad intellectum et voluntatem.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc diversi diversa senserunt. Quidam enim dicere voluerunt, quod fides est in potentia cognitiva et in intellectu speculativo, secundum quod est speculativus. Et ratio eorum est ista, quia intellectus speculativus dicitur esse ille, qui tendit in verum sub ratione veri; fides autem facit intellectum credere articulos, non quia bonos, sed quia veros; ita enim quis credit damnationem malorum, sicut glorificationem beatorum. Et iterum, caritas et fides distinguuntur in objecto quantum ad rationem motivi. Et quoniam caritas tendit in Deum sub ratione boni, necesse est, quod fides tendat in Deum sub ratione veri; unde assentit summae veritati non quia bonitas, sed quia veritas. Quoniam ergo intellectus speculativus respicit verum sub ratione veri; hinc est, quod dixerunt fidem esse in intellectu speculativo, in quantum est speculativus. Nec obstant his verba philosophorum, quia ipsi de veritate fidei nihil intellexerunt. Aliis autem aliter videtur esse dicendum, videlicet quod fides est in intellectu practico. Intellectus enim practicus dicitur esse intellectus extensus, secundum quod vult Philosophus, quod intellectus speculativus extensione fit practicus. Contingit autem intellectum extendi tripliciter; vel per conjunctionem sui cum affectione, a qua inclinatur; vel per conjunctionem sui cum affectione, ad quam inclinat; vel per conjunctionem sui cum operatione, quam dirigit et regulat. Omnibus

autem his modis contingit fidem poni in intellectu extenso, sive practico, secundum varios ipsius fidei status. Nam fides simpliciter dicta, sive sit informis, sive formata, quae facit hominem credere Deo in his, quae non videt, est in ipso intellectu, in quantum inclinatur ab ipsa voluntate; non enim crederet, nisi vellet. Fides autem formata, qua quis credit in Deum, est in ipso intellectu, in quantum inclinat affectum. Ad hoc enim quod aliquis credat in Deum per fidem formatam, oportet, ut in ipsum amando tendat, secundum quod habetur in litera. Fides autem perfecta, de qua dicit Apostolus, quod est operans per dilectionem *(Galat. 5, 6)*, illa quidem est in ipso intellectu, in quantum mediante affectu dirigit opus. Et sic patet, quod secundum istos fides est in intellectu practico sive extenso, secundum diversos ipsius fidei status, sive intellectus practicus dicatur proprie, sive communiter, sive magis proprie, secundum quod magis et magis habet extendi. Ratio autem, quae movet istos hoc ponere, non solum est verbum Philosophi, qui dicit, quod virtutes sunt in intelligentia practica, sed etiam ipsa ratio recta, quae dicit, quod virtus non potest esse nisi habitus voluntarius, cum circa ipsam consistat laus et meritum; et ideo impossibile est, quod virtus fidei sit in intellectu, nisi in quantum intellectus jungitur affectui. Intellectus autem junctus affectui et ipsi permixtus dicitur esse intellectus extensus, vel intellectus practicus; et ideo dixerunt isti fidem esse in practico intellectu. Restat adhuc tertius modus dicendi, videlicet quod fides nec est omnino in potentia cognitiva, nec omnino in potentia affectiva, sed quodam modo in hac, quodam modo in illa. Et hoc est, quod dicit Magister Hugo de sancto Victore *(l. 1. de Sacr. p. 10. c. 3)*. Duo, inquit, sunt, in quibus fides consistit, cognitio videlicet et affectio. In affectu quidem substantia fidei reperitur, in cognitione vero materia. Ratio autem, quae movet ad hoc ponendum, est, quod actus voluntatis est essentialis ipsi fidei, nunquam enim esset virtuosum credere, nisi esset voluntarium. Unde etiam Augustinus *(de mor. eccl. c. 15)* dicit, quod virtus non est aliud, quam amor ordinatus. Si ergo fides est virtus, respicit actum voluntatis, ut sibi essentialem; ergo et circa illam habet essentialiter consistere. Rursus, quia ipsi fidei cognitio essentialis est, et illuminatio, per quam intellectus dirigitur in summam veritatem, et ei subjicitur; ideo ipsa fides essentialiter respicit actum rationis: et propterea dicunt illi, qui sunt hujus positionis, fidem esse non tantum in ratione, sed etiam in voluntate, cum utrumque actum respiciat essentialiter. Quia vero actus rationis respectu actus voluntatis est materialis, cum ratio inclinetur a voluntate; ideo etiam dixerunt, quod in ratione materia fidei reperitur, in affectione vero substantia. Omnes autem hi modi dicendi a magnis clericis sumpserunt initium, et quilibet eorum habet satis rationabile fundamentum. Et si quis recte intelligat, inveniet quemlibet eorum habere aliquid veritatis. Ut autem hoc planius fiat, ascendendum est altius ad videndum subjectum virtutis in generali, quod quidem intueri possumus satis plane quibusdam praesuppositis. Virtus enim est, secundum quam consistit laus et meritum, sicut culpa, secundum quam attenditur vituperium et demeritum. Virtus etiam est habitus reddens potentiam facilem respectu alicujus actus. Si ergo virtus principium est laudis et meriti, necessarium est eam poni in illa potentia, quae est principium primum operis laudabilis et meritorii. Nam si poneretur in potentia inferiori, tunc virtus potentiae naturalis imperaret virtuti gratuitae. Si ergo liberum arbitrium principium est meriti et demeriti, necesse est omnem virtutem in liberum arbitrium poni. Rursus, cum habitus sit in ea potentia, circa cujus actum explicat difficultatem, et virtus sit habitus; necesse est eam reperiri in ea potentia sicut in subjecto, quam ad opus habilitat. Quoniam ergo quaedam virtutes explicant actus rationalis, quaedam actus concupiscibilis, quaedam actus irascibilis; ideo quasdam necesse est poni in rationali, quasdam in concupiscibili, quasdam in irascibili. His praesuppositis, facile est videre, quid est subjectum fidei. Si enim fides virtus est, circa quam consistit laus et meritum, necesse est, quod ipsa in libero arbitrio ponatur. Rursus, si fides habitus est, per quem intellectus captivatur in obsequium Christi, et innititur veritati primae propter se, et hoc modo dicitur intellectus quodam modo speculativus; necesse est, quod habitus fidei quodam modo sit in intellectu, secundum quod habet rationem speculativi. Et quoniam intellectus non habilitatur ad assentiendum ipsi veritati primae secundum suum judicium, sed secundum voluntatis imperium; ideo fides non respicit intellectum tanquam pure speculativum, sed necessarium est, quod ipsa sit in ipso intellectu, secundum quod est quodam modo extensus, et ab affectu inclinatur. Rursus, quoniam ipsum velle credere est essentiale ipsi fidei; hinc est, quod habitus ille non tantum respicit intellectum, ut speculatur summam veritatem, nec etiam ut inclinatur ab affectu, sed etiam ipsum affectum. Ex his patet, quod non est repugnantia inter praedictas positiones, si quis recte intelligat; imo ex omnibus quasi colligitur una veritas integra, quoniam fides, ut est virtus et principium meriti, respicit liberum arbitrium ut subjectum. In quantum vero habitus est, quodam modo respicit intellectum speculativum, et ejus actum, qui est credere verum. Quia vero est habitus operans per dilectionem, et dirigens opus mediante affectu, respicit quodam modo intellectum extensum et ejus actum, qui est credere voluntarie, sive credendo in Deum tendere, quodam modo etiam ipsum affectum et ejus actum, qui est velle assentire ei, ad quod ratio ex se non potest attingere. Si tu objiceres, quod ista non possunt simul stare, quia cum fides sit habitus simplex, et unus habitus simplex sit in una potentia tanquam in subjecto, non videtur, quod possit omnes illas potentias tanquam unum subjectum respicere; ad hoc dicendum, quod nihil impedit unam et eandem virtutem dicere esse simul in libero arbitrio et ratione et voluntate. Quia, sicut in secundo libro ostensum fuit (vide superius *part. II. cap. 9. nn. 5, 37*), liberum arbitrium non dicit potentiam distinctam a ratione et voluntate secundum rem et essentiam; imo, secundum quod vult Augustinus *(lib. 12. de Trin. c. 8)*, liberum arbitrium complectitur illas tres potentias, scilicet irascibilem et concupiscibilem et rationalem. Et ideo nullum inconveniens est, quod unaquaeque virtus, quae reponitur in una istarum potentiarum secundum quod habitus, in libero arbitrio reponatur secundum quod virtus et meriti principium. Similiter, nullum est inconveniens ponere unum habitum

esse in ratione et voluntate, ita quod unam illarum potentiarum respiciat quantum ad actum materialem, alteram quantum ad actum formalem. Sicut patet, quod habitus scientiae, quoad quid respicit memoriam, scilicet quoad retentionem speciei; et quoad quid intelligentiam, scilicet quoad facilitatem conversionis; et tamen dicitur unus habitus simplex. Quamvis enim potentiae distinctae sint, nihilominus tamen continuari habent in uno subjecto, ratione cujus potest esse in eis unitas proprietatis, sicut una sanitas ponitur esse in multis membris corporis interius, et una honestas in multis exterius. Ex his potest elici et haberi generaliter, quid sit subjectum cujuslibet virtutis, et quid sit etiam subjectum cujuslibet vitii sive peccati. Potest etiam haberi determinatio propositae quaestionis, videlicet quid sit subjectum fidei. Nam licet in quantum virtus meritoria dicenda sit esse in libero arbitrio, in quantum tamen est habitus reddens potentiam facilem, ponenda est quodam modo in potentia cognitiva, sicut ostendunt rationes ad primam partem. Quoniam ad fidem pertinet cogitare, ad fidei proprietates pertinet illuminare et rationem reformare et intellectum captivare, ipsi etiam fidei succedit videre, quae omnia respiciunt cognitionem. Ideo rationes ad partem illam inductae sunt concedendae. Nec eis obviant rationes ad oppositum. Quoniam licet fides respiciat actum potentiae cognitivae, non tamen ipsum respicit omnino pure, sed in quantum habet affectionem concomitantem, et quodam modo post sequentem. Et ideo etiam necesse est ponere, quod fides quodam modo sit in affectione, sicut dicit magister Hugo de sancto Victore. Et hoc, quia est habitus voluntarius et amor ordinatus; et talis naturae est actus ejus, quod ad ipsum nemo potest cogi invitus. Et ideo concedi possunt rationes, quae sunt ad partem sequentem. Quod autem rationes sibi invicem non obvient, sed utraeque verum concludant, satis clare potest videri, si quis potest capere, quod ad esse fidei virtutis concurrit actus rationis simul et voluntatis, quod bene innuit Apostolus *(Hebr. 11, 1)* in ipsa notificatione fidei, cum dicit fidem esse *substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium,* tangens quod est in ea cognitionis et quod est affectionis. Numquam enim fides esset virtus, quantumcumque intellectum illuminaret, nisi etiam voluntatem quodam modo rectificaret, sicut patet in dono prophetiae, quia illuminat intellectum ad eadem, ad quae illuminat fides, et tamen non ponitur esse virtus, quoniam in illa illuminatione non cooperatur voluntas, secundum quod cooperatur in fidei assensu et actu.“ *Ibid. q. 2.*

[6] „Circa spem possumus considerare quatuor, scilicet diffinitionem, aequivocationem, actus excellentiam, et cum fide differentiam. Spes, in quantum est nomen affectionis, diffinitur a Philosopho *(Arist. l. 2. rhet. c. 5)*: Spes est suspicio futuri boni. In quantum est nomen virtutis, tribus diffinitionibus notificatur. Prima est haec: Spes est virtus, qua spiritualia et aeterna bona sperantur, id est cum fiducia exspectantur. Ista spiritualia bona possunt intelligi venia peccatorum, gratia meritorum et gloria praemiorum, ut dicatur quaedam spes veniae, quaedam gratiae, quaedam gloriae. Secunda haec est: Spes est certa exspectatio futurae beatitudinis, veniens ex Dei gratia et meritis praecedentibus. Tertia est Augustini haec: Spes est virtus, qua quis se ad illud, quod credit, perventurum praesumit. Accipitur autem multiformiter nomen spei. Aliquando enim nominat affectionem, secundum quod dicit Boëtius *(de cons. phil. l. 1. met. 7)*: Gaudia pelle, pelle timorem, spemque fugato; nec dolor adsit. Aliquando nominat habitum virtutis; et tunc spes non habet ortum ex meritis, sed ex ea merita oriuntur. Aliquando nominat virtutis actum; et tunc spes oritur ex intuitu meritorum. Nemo enim recte se sperat ad beatitudinem perventurum, nisi qui Deo servit, vel servire proponit. Aliquando nominat virtutis statum; et tunc spes ex meritis concomitantibus habet ortum, juxta illud Pauli *(Rom. 5, 4)*: *Probatio operatur spem,* id est, certitudinem, secundum Glossam, ad quam certitudinem per bona opera, et maxime per adversorum tolerantiam, pervenitur. Aliquando nominat virtutis terminum, sive objectum, id est, rem speratam, scilicet beatitudinem sempiternam; et tunc spes ex gratia et meritis praecedentibus habet ortum. Et sic spes virtus secundum primam acceptationem sui praecedit merita, secundum ultimam sequitur, secundum duas intermedias sequitur et praecedit. Habet autem spes excellentiam in actu suo. Nam habens potentiam irascibilem pro subjecto, virtutum habitus praesupponit, quibus supereminet ut regina. Habet enim irascibilis detestari mala culpae, tolerare mala poenae, aggredi terribilia, erigi ad ardua. Ad detestationem culpae alienae requirit iram per zelum, ad detestationem culpae propriae requirit poenitentiam, ad perpessionem malorum poenae requirit patientiam, ad aggressionem terribilium habet fortitudinem; et tunc ad expectationem aeternae beatitudinis per spem erigitur a Deo liberaliter repromissae. Assignatur autem inter fidem et spem differentia per hunc modum. Nam fides est bonarum rerum et malarum, spes tantum bonarum. Est etiam fides rerum praeteritarum, praesentium et futurarum, spes tantum futurarum. Item fides est rerum propriarum et alienarum, spes est solummodo propriarum.“ *Centil. p. 3. sect. 39.*

[7] „Spes non modo inter gratuitas virtutes est ponenda, sed omnium gratuitarum virtutum anchora et sustentamentum est censenda.“ — „Dicendum, quod nomine spei potest intelligi affectio animi, juxta illud, quod philosophi et Sancti dicunt, quatuor esse animi affectiones, videlicet gaudium et dolorem, spem et timorem. Potest etiam nomine spei intelligi ipsa res exspectata, juxta illud *(Tit. 2, 13)*: *Exspectantes beatam spem.* Potest nihilominus sumi pro habitu, qui dirigit animae motum et affectum in illud, quod exspectandum est. Et isto tertio modo dicendi spes non tantum est virtus gratuita, imo etiam virtutum gratuitarum sustentamentum et anchora. Virtus quidem gratuita est, quoniam in hoc quod facit animam exspectare ea, quae sunt super omnem aestimationem humanam, et ea quae promisit largitas divina, facit omnino confidere, et inniti summae et immensae largitati, sicut fides facit assentire primae veritati, et caritas facit adhaerere summae bonitati. Et dum anima ipsi immensae largitati innititur propter se et super omnia, rectificatur, et super se elevatur, et Deo accepta efficitur; necesse est ergo, quod habitus, quo mediante fit illud, rationem habeat gratuitae virtutis. Et quia cum anima innititur ei, qui non potest deficere, quamvis ipsa in se sit deficiens et vacillans, fundatur tamen per spem, quasi super firmam petram. Et

propterea dixi, quod spes non tantummodo est in genere virtutum gratuitarum, sed etiam earum anchora et sustentamentum." *3. dist. 26. a. 1. q. 1.* — „Spes est virtus una unitate speciei specialissima, cum habeat unitatem rationis, objecti et finis proprii." — „Quemadmodum fides, licet sit circa multa credibilia, una tamen virtus est, quia una est principaliter ratio movendi in omnibus credibilibus; sic et virtus spei quotcumque et quantacumque et quaecumque bona exspectet, una virtus est, et unitatem habet speciei specialissimae, quia una est ratio, cui innititur in exspectando. Sicut enim fidei virtus assentiendo primae veritati propter se et super omnia, illa credit, quae sibi summa veritas dictat esse credenda; sic ipsa spes confidendo et innitendo immensae et indeficientissimae largitati divinae, omnia illa exspectat, quae sibi Deus promittit esse in futuro retribuenda. Et quemadmodum fidei virtus omnia quaecumque credit principaliter, non solum credit Deo, sed etiam de Deo et circa Deum; sic et ipsa spes omnia, quae exspectat, non solum exspectat a Deo, sed etiam exspectat illa obtineri in ipso Deo, ut habendo Deum habeat omne bonum. Rursus, quemadmodum fides credit Deo tamquam rationi moventi, et circa ipsum versatur tamquam circa objectum, et in ipsum tendit tamquam in finem proprium; sic et ipsa spes. Et quoniam unitas virtutis attenditur penes unitatem rationis moventis, et objecti principalis, et finis proprii, et haec omnia reperire est in virtute spei, sicut et in virtute fidei; concedendum est ipsam spem esse unam unitate speciei specialissimae." *Ibid. q. 2.* — „Spes inter theologicas virtutes est collocanda, et hoc tam ratione objecti, quam subjecti." — „Ratio hujus sumitur ex parte objecti, et ex parte subjecti. Ex parte quidem objecti, quoniam sicut fides in credendo assentit ipsi Deo, ut dictanti vera; sic spes ei innititur, ut promittenti magna. Unde sicut objectum ipsius fidei, quod habet rationem motivi, est quid increatum, quod Deus est, ratione cujus etiam fides ponitur esse in genere virtutis theologicae; sic etiam dicendum est et intelligendum de ipsa spe. Sumi etiam potest ratio ex parte subjecti; quia cum ipsa anima secundum superiorem faciem reformari habeat per virtutes theologicas, et spes sit una de virtutibus faciens ad reformationem imaginis, et perfectionem animae secundum partem superiorem; necesse est esse spem virtutem theologicam. Unde quemadmodum in patria tres erunt dotes secundum tres animae vires, quarum una reformabit et consummabit rationalem, videlicet ipsa visio, alia concupiscibilem, videlicet dilectio, tertia irascibilem, videlicet ipsa perfecta tentio; sic et in via necesse est ponere circa virtutes theologicas, quibus dotes habent correspondere." *Ibid. q. 3.* — „Spes in suo actu certitudinem habet aliam a fidei certitudine, cum ejus certitudo versetur circa attributionem, et non circa complexionem." — „Spes certitudinem habet, non solum eam, quam accepit a fide, sed etiam propriam, quae distinguitur a certitudine fidei: et illa distinctio cognosci potest per duplicem differentiam, videlicet ratione objecti, circa quod habet illa certitudo versari, et ratione oppositi, cui habet contrariari. Ratione objecti, quia fides et ejus certitudo fertur supra ipsam complexionem, ratione totalis compositionis. Est enim circa verum, et verum est circa compositionem, ut dicit Philosophus. Unde etiam in praecedentibus ostensum fuit, quod enunciabile complexum est articulus. Spes autem et ejus certitudo non est circa complexionem ratione totius, sed ratione rei attributae. Unde cum dicitur: Spero me habiturum vitam aeternam, non speratur ibi hoc dictum totale, sed speratur vita aeterna; et ita certitudo spei respicit ipsam attributionem, vel rem attributam, sed certitudo fidei ipsam complexionem. Ratione etiam oppositi, cui habet contrariari, cadit ibi distinctio. Nam certitudo fidei repugnat errori et dubitationi, certitudo autem spei repugnat diffidentiae et haesitationi. Licet autem istae duae certitudines sint diversae, tamen communicant in hoc, quod utraque est firmitas quaedam. Fides enim firmat intellectum, ne discredat; spes autem firmat affectum, ne diffidat. Et ex hoc colligitur tertia diversitas, qua differt certitudo spei a certitudine fidei; quia non solum differt ratione objecti et ratione oppositi, sed etiam ratione subjecti, quoniam una est circa intellectum, altera vero circa affectum. Sed attendendum est, quod certitudo circa intellectum habet esse duobus modis. Quaedam enim est, quae facit intellectum potentem ad vincendum errorem, et ad excludendam dubitationem; et talis certitudo est certitudo viae. Quaedam autem est certitudo, quae reddit intellectum impossibilem ad errorem; et haec est certitudo patriae. Per hunc etiam modum intelligendum est et in certitudine affectionis. Nam quaedam sic firmat affectum, ut possit diffidentiam superare. Quaedam sic firmat, ut non possit ullatenus amoveri, vel haesitari. Prima est spei in via, secunda est tentionis in patria. Sic ergo patet, quod virtus spei habet certitudinem in actu suo; patet etiam quae et qualis est illa certitudo, quoniam est differens a certitudine fidei, et minor est quam certitudo gloriae, non enim est certitudo perpetuae consummationis, sed cujusdam virilis adhaesionis." *Ibid. q. 5.* — „Spes atque timor, sive animi affectiones, sive habitum dicant, diversitatem habent ad invicem." — „Diversitas habituum attenditur penes diversitatem actuum principalium. Quoniam ergo spes consistit in quadam confidentia et erectione, timor vero in quadam fuga et resilitione; hinc est, quod timor et spes habent ad invicem diversitatem ratione suorum actuum. Diversitas autem ipsorum actuum venit ex parte objecti, in quantum habet rationem motivi. Cum enim anima apprehendit aliquid nondum praesens, sed futurum, in ratione convenientis, afficitur affectione spei, si adsit potestas assequendi; cum autem apprehendit in ratione disconvenientis, afficitur affectione timoris, si possit ab illo superari. Et sic patet, quod spes differt a timore, ratione differentiae repertae in actu proprio, et etiam in objecto." *Ibid. a. 2. q. 1.* — „Spes quodam modo ex meritis est accipienda, quodam modo principium merendi dicitur, videlicet ut ipsa nominat habitum." — „Dicendum, quod spes aliquando nominat habitum virtutis, aliquando nominat actum, aliquando nominat statum, aliquando terminum, sive objectum. Secundum autem quod spes nominat habitum virtutis, sic non habet ortum ex meritis, sed potius merita habent ortum ex ea. Secundum autem quod nominat actum, sic oriri habet ex meritorum intuitu. Nullus enim sperat recte aeternam beatitudinem, nisi qui Deo servivit, vel proponit Deo servire. Secundum autem quod nominat statum, sic ortum habet ex

meritis praecedentibus et concomitantibus; et hoc modo accipitur *(Rom. 5, 3—4): Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem.* Glossa, id est, certitudinem spei, ad quam scilicet certitudinem pervenitur per bona merita, et maxime per tolerantiam et sustinentiam tribulationum. Secundum autem quod spes nominat ipsam rem speratam, sic ortum habet ex meritis praecedentibus. Et sic patet, quod spes secundum primam acceptionem simpliciter praecedit merita tamquam meritorum principium; secundum ultimam acceptionem simpliciter sequitur tamquam meritorum praemium; secundum duas medias medio modo se habet, quia quodam modo praecedit, quodam modo sequitur. Nam spes, prout nominat motum spei, procedit ex meritorum intuitu, et secundum veritatem est principium meritorum sequentium; prout autem spes dicitur quaedam certitudo et status, sic secundum veritatem ex meritis habet ortum, et est nihilominus adminiculum ad perfectius merendum. Illa enim certitudo spei consurgit ex perpessione tribulationum, et vehementer confirmat et confortat animam, ut a tribulationum sustinentia non recedat." *Ibid. q. 2.* — „Spes et caritas ea ratione, qua habitus sunt, non se praecedunt; quod si ad actus suos eas compares, actus spei praeparat ad actum caritatis, et ratione hujus spes caritatem praecedit." — „Dupliciter est comparare habitum spei ad habitum caritatis, aut ratione habituum secundum se consideratorum, aut ratione habituum comparatorum ad actus. Si loquamur de ipsis habitibus secundum se consideratis, sic non habent ordinem, sed simultatem, omnes enim virtutes gratuitae simul infunduntur. Si autem loquamur de ipsis habitibus in comparatione ad actus, sic unus habet ordinem ad alterum, quia actus unius praeparat et disponit ad actum alterius, et praeparando et disponendo est ejus quodam modo principium et origo; et ratione talis praeparationis et originis est ibi ordo. Quoniam ergo actus spei praeparat et disponit ad actum caritatis, tamquam ad perfectionem et spiritualis aedificii complementum, nemo enim diligit aliquod bonum propter se et super omnia, nisi speret se ad illud bonum perventurum; hinc est, quod secundum ordinem naturae actus spei antecedit actum caritatis; et hinc est, quod habitus spei in comparatione ad talem actum caritate prior est." *Ibid. q. 3.* — „Spei objectum est bonum sub ratione magni et ardui, et quodam modo sub ratione gloriosi et aeterni." — „Est objectum spei bonum quidem, sed non sub ratione boni, sed magis sub ratione ardui, sive magni. Et hoc quidem sic habet manifestari. Spei enim duplex est actus, quorum unus est principium et origo alterius; spes enim facit confidere, et faciendo confidere, facit exspectare. Nullus autem recte confidens confidit et innititur nisi in eo, qui nec possit, nec velit sibi deficere; talis autem non est nisi ille, qui est potentissimus in virtute, et munificentissimus in liberalitate; et hoc non habet, nisi habeat excellentiam virtutis et largitatis. Cum autem quis totam fiduciam suam in eum posuit, qui excellentissimae virtutis est et liberalitatis, magna ab eo exspectat se assecuturum. Quoniam ergo spes habet objectum magnum et arduum in confidendo; hinc est, quod habet pro objecto magnum et arduum in exspectando. Et hinc est, quod ipse Dominus, in quo speramus, magna promittit nobis in consolatione spei nostrae, justa quod dicit Abrahae *(Gen. 15, 1); Noli timere, Abram, quia ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis;* quasi dicat: Ego protector, in quo debes confidere, et merces tua magna, quam debes exspectare. Concedendum est ergo, quod objectum spei est bonum sub ratione magni et ardui. Et quia gloriosum nominat magnum sublimitate, aeternum nominat magnum diuturnitate, illud intensive, istud extensive; ideo concedi potest etiam, quod objectum spei sit bonum sub ratione gloriosi, et sub ratione aeterni, et hoc sub ratione excellentis et indeficientis, quae duo concurrunt ad perfectam rationem magnitudinis ipsius boni." *Ibid. q. 4.* — „Spes est in potentia animae affectiva, cum sit in ipsa irascibili." — „Absque dubio spes est in potentia affectiva, est enim in ipsa irascibili, quae est pars potentiae affectivae. Potentiae enim irascibilis non tantum est detestari mala culpae, et perpeti mala poenae, sed etiam aggredi terribilia, et erigi ad magna et ardua. Et propterea non tantum ponimus in ipsa iram et patientiam, sed etiam fortitudinem et spem. Fortitudinem, inquam, in quantum negotiatur circa ea, quae sunt ad finem; spem autem, secundum quod se erigit ad excellentiam ipsius finis. Hoc autem satis potest aperte colligi, tum ex parte affectionis substratae, tum ex parte conditionis adjunctae, tum ex parte dotis subsecuturae. Ex parte affectionis substratae; quia cum quatuor sint affectiones, videlicet gaudium et dolor, spes et timor, sicut gaudium et dolor sunt circa eamdem potentiam, ita etiam spes et timor. Cum ergo planum sit timorem esse ipsius potentiae irascibilis, non est dubium, quin affectio spei ad potentiam irascibilem pertineat, ac per hoc habitus virtutis spei dirigens affectionem illam. Ex parte similiter conditionis et proprietatis annexae hoc ipsum potest satis aperte videri; spei enim est stabilire, et quodam modo assecurare de assequenda futura beatitudine; stabilitio autem et confirmatio pertinet ad potentiam irascibilem. Sicut enim rationalis se habet ad caritatem, et concupiscibilis ad voluptatem, id est delectationem, honestam tamen; sic etiam irascibilis ad securitatem. Quia ergo assecuratio est conditio concomitans ipsam spem indubitanter, verum est virtutem spei ad irascibilem pertinere. Ex parte dotis futurae hoc ipsum potest haberi; sicut enim ad fidem subsequitur visio, ita ad spem subsequitur perfecta tentio. Firmiter autem tenere est ipsius potentiae, cujus est habitum defendere; hanc autem non est dubium esse potentiam irascibilem; et ideo concedendum est habitum spei esse in irascibili potentia, ac per hoc in virtute animi affectiva . . . Ad illud quod objicitur, quod sperare non est aliud, quam firmiter credere se habiturum aliquid, dicendum, quod spes dicitur et large et proprie. Large accipiendo spem, sic dicit credulitatem quodam modo firmatam respectu alicujus boni assequendi sive a se, sive ab alio; quemadmodum cum quis videt alium bonae indolis, dicit quod sperat ipsum esse futurum bonum hominem. Ibi sperare idem est, quod probabiliter credere; et sic sumitur large et improprie, et bene potest pertinere ad virtutem cognitivam. Alio modo sperare, secundum quod dicitur proprie, idem est quod confidere, et ex illa confidentia cum quadam securitate tendere ad habendum illud, quod speratur. Et hoc modo pertinet ad virtutem affectivam; et haec duo, videlicet confidentiam

illam et etiam securam tendentiam comprehendit Augustinus sub verbo praesumendi, quod quamvis sequatur credulitatem cognitionis, tenet tamen se ex parte affectionis; et ideo ex illa ratione non potest concludi, quod potentia cognitiva sit subjectum spei." *Ibid. q. 5. concl. et ad 3.*

[8] Vide inferius *cap. VIII hujus partis.*

[9] „Ad vigorandas potentias animae contra difficultatem et rectificandas contra obliquitatem, necesse est praeter theologicas, etiam cardinales virtutes ponere." — „Generalis necessitas virtutum est ad rectificandum potentias animae contra obliquitatem, et ad vigorandum contra difficultatem; virtus enim facit potentiam rectam et vigorosam. Et quoniam convenit hominem ordinari ad Deum, convenit nihilominus hominem ordinari ad proximum et seipsum; et in his eisdem potest obliquari et impediri, sive retardari; hinc est, quod non solum indiget habitibus ipsum vigorantibus et rectificantibus, prout directe tendit in Deum, cujusmodi sunt habitus virtutum theologicarum, sed etiam indiget habitibus ipsum regulantibus et rectificantibus, prout ordinatur ad seipsum et ad proximum. Et tales sunt habitus virtutum cardinalium. Unde sicut praeter praecepta primae tabulae, quae directe ordinant in Deum, opportunum fuit ponere praecepta secundae tabulae, quae ordinant ad proximum; sic etiam in habitibus est intelligendum. Et propterea, praeter habitus virtutum theologicarum, necessarium est ad salutem ponere habitus virtutum cardinalium, sicut rationes ad primam partem inductae ostendunt." *3. dist. 33. a. 1. q. 1.* — „Virtutes cardinales, prout politicae sunt considerationis, sunt habitus assuefactione acquisiti; si vero considerentur ut gratuitae, sunt infusi habitus." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod virtutes cardinales uno modo dicuntur virtutes, quia habilitant ad opera moralia; alio modo dicuntur virtutes non solum quia habilitant ad hujusmodi opera, sed etiam quia elevant ad opera meritoria. Secundum autem quod virtutes cardinales dicuntur virtutes, quia potentiam elevant; sic non habent ortum ab assuefactione, sed a divino munere; non a natura, sed a gratia. Quia enim elevant potentiam supra se, sunt supra naturam et actum ipsius potentiae, qui inest ei per se; et ideo necesse est, quod ab aliquo superiori et potentiae et actui ipsius potentiae, trahant originem. Et hoc modo cardinales virtutes sunt virtutes gratuitae. Alio modo est loqui de cardinalibus virtutibus, secundum quod habilitant ad opera moralia; et sic hujusmodi virtutes cardinales sunt virtutes politicae, et radicaliter sunt a natura, sed completive sunt vel ab operum frequentia et perseverantia, vel a gratiae influentia et praesidentia, vel ex utraque causa. A natura, inquam, sunt radicaliter, quia plantatam habemus in nostra natura rectitudinem, per quam apti sumus, licet imperfecte, ad opera virtutis et honestatis. Sed dum assuescimus, paulatim efficitur nobis facile, quod prius erat difficile, secundum quod dicit Bernardus ad Eugenium, quod nihil est adeo difficile, quod consuetudo non reddat facile. Nec solum ex assuefactione ducitur illa habilitas semiplena ad complementum, sed etiam per gratiae adjutorium. Nam cum ipsa gratia sit animae rectificativa, rectitudo superveniens naturae rectitudinem qualemcumque prius existentem amplificat, et amplificando confirmat. Ex utraque etiam causa virtus politica potest suscipere complementum, videlicet quando concurrit divinae gratiae adjutorium et bonae consuetudinis exercitium, per quae duo virtus cardinalis radicata in natura ducatur ad complementum perfectum. Et sic virtus cardinalis, in quantum est politica ortum habens a natura, ducitur ad quoddam complementum ex assuefactione subsequente, ad majus complementum ducitur ex gratia superveniente, sed ad perfectum complementum ex utraque causa concurrente, videlicet gratia et assuefactione. Et potest hujusmodi exemplum inveniri satis manifestum. Videmus enim, quod aliquis equus ex sua naturali compositione aptitudinem habet ad bene portandum et ambulandum; sed illa aptitudo ad complementum potest reduci per ipsius equi assuefactionem, vel per ipsius sessoris industriam, qui scit fraeno equum suum ducere, vel per utramque. Sic et in proposito intelligendum est, quia secundum Augustinum *(de verbis Apost. ser. 12 in fin.)*, liberum arbitrium assimilatur equo, et gratia assimilatur sessori, et bona operatio rectae ambulationi. Sic ergo patet, quod, loquendo de virtute cardinali, secundum quod est politica, et secundum quod est intentionis philosophicae determinare de ipsa, concedi potest, quod a natura et assuefactione trahit originem, secundum quod ipse Philosophus dicit, et rationes ostendunt ad primam partem inductae. Si autem loquamur de virtutibus cardinalibus, secundum quod sunt gratuitae, et secundum quod de eis intendit theologus, sic sunt a divino munere. Sed contra hoc non sunt rationes, quae ad primam partem inducuntur, quia solum procedunt de virtute, secundum quod dicit quemdam habitum habilitantem potentiam animae." *3. dist. 33. a. 1. q. 5.*

[10] „Secundum theologos virtutes cardinales sunt in parte animae intellectiva et rationali, licet secundum philosophos possit dici, quod aliquae sint in parte sensitiva." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, cum rationale dicatur dupliciter, secundum quod vult Philosophus, videlicet quod rationem participat, et quod ratione obedit; si large accipiatur pars rationalis, sic non est dubium, quin omnes virtutes in parte rationali sint, sive theologicae, sive cardinales, sive intellectuales, sive consuetudinales. Si vero rationale dicatur proprie, secundum quod participat rationem, sic voluerunt aliqui dicere, quod quaedam virtutes cardinales sunt in parte rationali, utpote prudentia et justitia; quaedam vero non, sed in potentia inferiori, quae est rationalis largo modo dicta, quia obtemperat rationi, ut fortitudo et temperantia, quae sunt in irascibili et concupiscibili. Licet autem hic modus dicendi aliquo modo probabilis videatur secundum morales philosophos; tamen secundum theologum non videtur rationabiliter dici quasdam virtutes cardinales reponi in parte superiori et quasdam in inferiori, cum omnes virtutes cardinales aequales sint quantum ad meriti dignitatem, omnes etiam sint principium merendi. Et propterea cum meritum consistat radicaliter circa liberum arbitrium, in solis illis potentiis habent esse virtutes, sive cardinales sive theologicae, in quibus reperitur libertas arbitrii. Propter quod cum libertas arbitrii non sit nisi in parte animae rationali, secundum quod rationale dicitur, quod participat rationem, necesse est ceteras virtutes cardinales in parte illa reponi. Et hoc necessario exigit earum dignitas, cum

ipsae habeant ortum a gratia, et perfectiones animae multo sint nobiliores, quam ipsa scientia, quae ponitur tamquam in subjecto in parte animae rationali et intellectiva." *Ibid. q. 3.*

[11] „Hae (virtutes cardinales) sunt tantae nobilitatis, quod dispositio mundi his correspondet. Virtutes enim configurantur quatuor lucis influentiis, quatuor elementorum proprietatibus, quatuor causarum efficaciis, quatuor vitae salubritatibus. Primo quatuor lucis principalibus influentiis lux purgat, illuminat, perficit et stabilit. Temperantia purgat, prudentia illuminat, justitia conciliat, fortitudo roborat. Item quatuor elementorum proprietatibus. In terra est ariditas cum adornatione, in aqua perspicuitas cum intensione lucis, in aëre subtilitas cum mulcebritate, in igne virtuositas in actione. Prima est temperantia, quae aridum reddit, et tamen ornat, et vestit terram floribus. Prudentia respondet aquae perspicuitati, quae quasi incorporata est luci. Justitia respondet mulcebritati aëris; aër enim ascendit et descendit, ad dexteram et sinistram movetur. Fortitudo respondet vigori ignis. Unde ille loquens de fortitudine, dicit: *Fortis est ut mors dilectio, lampas ignis atque flammarum (Cant. 8, 6).* Item quatuor causarum efficaciis, efficiens, forma, finis et materia integrant rem. Fortitudo debetur efficienti; prudentia formae; justitia fini, quae regulat; temperantia materiae, ne defluat. Item quatuor vitae salubritatibus; subtilitati spirituum, temperantia; vivacitati sensuum, prudentia; robori virium, fortitudo; coaequationi qualitatum, justitia. Hae virtutes fluunt a luce aeterna in hemisphaerium nostrae mentis, et reducunt animam in suam originem, sicut radius perpendiculariter vel directus eadem via revertitur, qua incessit; et haec est beatitudo. Unde primo sunt politicae, secundo purgatoriae, tertio animi jam purgati. Politicae sunt in actione, purgatoriae in contemplatione, animi jam purgati in lucis visione. Et de his agit Salomon, ut dicit Origenes; de politicis in Proverbiis, de purgatoriis in Ecclesiastico, de animi jam purgati in Canticis Canticorum ... Si rerum aliarum, multo magis virtutum ideae esse in mente divina creduntur. Illic prudentia est ipsa mens divina; temperantia, quod in se perpetua intentione conversa est; fortitudo, quod semper idem est, nec aliquando mutatur; justitia autem, quod perenni lege a sempiterna operis sui continuatione non flectitur." *Serm. 6. in Hexaëm. post med.* — „Virtutes cardinales perfectiori modo remanebunt in patria, quam sint modo in via." — „In patria aliqua virtus dicitur manere multipliciter. Quaedam namque virtus manet in patria quantum ad praemium, ita quod ipsa sibi ipsi est praemium secundum perfectionis statum, sicut caritas, quae, prout erat imperfecta in via, meriti erat principium; sed prout ipsa eadem est consummata in patria, est praemii complementum. Quaedam autem virtus manet quantum ad praemium; verumtamen nec ipsa sibi ipsi est praemium, nec cum praemio suo seipsam compatitur, sicut fides et spes, quae in patria praemiantur, et ideo non pereunt; non tamen sunt praemium propter suam imperfectionem, nec secum praemium compatiuntur propter quamdam oppositionem, nam praemium ipsum est videre et tenere Deum. Et primum repugnat fidei, quae est de non viso; secundum repugnat spei, quae est de futuro et non habito. Quaedam vero virtus manet medio modo, quia manet quantum ad praemium et cum praemio, ipsa tamen non est sibi praemium, sed dispositio ad praemium. Et sic manet virtus cardinalis. Nam praemium essentiale ipsarum virtutum est ipsum bonum summum, quod Deus est, secundum quod videtur, diligitur et tenetur; ita quod penes istos tres actus tres dotes animae accipiantur. Nullus autem istorum actuum est actus virtutum cardinalium, quia cardinales virtutes nunquam tantum elevantur, quod Deum habeant pro objecto, alioquin transirent in theologicas virtutes, et desinerent esse cardinales. Respectu tamen horum actuum gloriosorum virtutes cardinales erunt sicut dispositiones. Et sicut in via, licet per virtutes cardinales non fruamur, tamen per eas disponimur, ut fruamur; sic et in patria. Unde omnes actus nostri gloriosi erunt fortes et justi, prudentes et casti; ita quod justitia excludet omnem obliquitatem, prudentia excludet omnem errorem, fortitudo omnem molestiam, temperantia omnem libidinum repugnantiam ... Et sic patet, quod virtutes cardinales excellentiori modo manebunt in patria, quam sunt in via." *3. dist. 33. a. 1. q. 6.* Cfr. *dist. cit. per integrum.*

[12] „Circa prudentiam tria sunt breviter videnda, scilicet diffinitio, specierum collectio, et actuum variatio. Prudentia diffinitur, sive describitur, ab Augustino *(de mor. Eccl. l. 1 c. 15):* Prudentia est amor, ea, quibus adjuvatur in Deum, ab his, quibus impeditur, sagaciter discernens. A Gregorio sic: Prudentia est cognitio vitandarum rerum et appetendarum ... Partes sive species prudentiae, secundum Tullium in Rhetoricis, sunt tres, scilicet memoria, intelligentia et providentia. Memoria est, per quam animus aspicit ea, quae fuerunt; intelligentia est, per quam perspicit ea, quae sunt; providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. Seneca videtur concordare Tullio in his tribus, dicens: Si prudens es, animus tuus tribus temporibus dispensetur. Praesentia ordina, futura provide, et praeterita recordare. Secundum dogma philosophorum prudentia dividitur in quatuor species, scilicet providentiam, circumspectionem, cautionem et docilitatem. Providentia est praesens notio, futurorum pertractans eventum; circumspectio est contrariorum vitiorum cautela; cautio est discernere a virtutibus vitia virtutum speciem praeferentia; docilitas est prudentia erudiendi imperitos. Secundum Augustinum habet prudentia plures actus. Nam prudentia scit quid debeat facere, prudentia est scire quid possit, prudentia est in eligendis, prudentia est nihil poenitendum appetere, et nihil praeter justum velle facere. Secundum Macrobium prudentia est mundum istum, et omnia, quae in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, et omnem animi cogitationem in sola divina dirigere. Prudentia est ad rationis normam, quae cogitat, quaeque agit, universa dirigere, et nihil praeter rectum velle facere, humanisque actibus tamquam rationis arbitrio providere. Prudentiae insunt ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, agnitio. Item prudentia in homine jam purgato est divina non quasi in electione praeferre, sed sola nosse. Officium etiam prudentiae est ex praeteritis et praesentibus futura perpendere. Unde dicit Boëtius in libro de consolatione philosophiae *(l. 2. pros. 1):* Non quod ante oculos est situm sufficit intueri, rerum exitus prudentia metitur. Circum-

spectionis officium est per diligentem considerationem inter contraria vitia medium tenere.“ *Centil. p. 3. sect. 41.*

[13] „Sequitur videre de fortitudine quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actuum variationem. Fortitudo sic describitur a Tullio in prima Rhetorica *(l. 2 de inv.):* Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Item ab eodem in secunda Rhetorica *(l. 3 ad Her.):* Fortitudo est magnarum rerum appetitio et humilium contemptio, et cum ratione utilitatis laborum perpessio. Item ab eodem: Fortitudo est rationalis aggressio terribilium cum constanti eorum perpessione. Secundum Aristotelem *(3. eth. c. 7. 8):* Fortitudo est virtus difficillimorum in passionibus operativa, gratia boni. Augustinus de moribus Ecclesiae *(l. 1. c. 15):* Fortitudo est amor facile omnia tolerans propter id, quod amatur. Fortitudo etiam aliter describitur: Fortitudo est firmitas animi contra molestias saeculi. Et sumitur de Matthaeo *(15, 38): Erant quatuor millia etc.* Partes fortitudinis, sive species, secundum Tullium sunt quatuor, scilicet magnificentia, fidentia, patientia et perseverantia. Macrobius *(lib. 1. in somn. Scip.)* septem ponit partes fortitudinis, scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, patientiam, firmitatem. Secundum dogma aliquorum: Fortitudo est virtus restringens impetus adversitatis. Hujus partes sunt, quaecumque haec efficiunt, quae sunt magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, patientia, fidentia et perseverantia. Magnanimitas est difficilium spontanea et rationabilis aggressio. Fiducia est certa spes animi perducendi ad finem rem inchoatam. Securitas est habitus, secundum quem imminentes incommoditates et rei inchoatae affines non formidantur. Magnificentia, secundum Tullium *(l. 2 de inv.),* est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendidissima propositione cogitatio atque administratio. Secundum Macrobium *(l. c.):* Magnificentia est difficilium et praeclarorum consummatio. Constantia est stabilitas animi firma et in proposito perseverans. Patientia est virtus contumeliarum et omnis adversitatis aequanimiter mala portans. Item aliter: Patientia est aequanimis malorum illatorum tolerantia. Gregorius *(hom. 35 in Ev.):* Vera patientia est aliena mala aequanimiter perpeti, et contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri. Item aliter definitur: Patientia est omnium molestiarum aliunde illatarum victoriosa perpessio. Fidentia est virtus, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus se in fiducia collocavit. Perseverantia, secundum Tullium *(l. c.),* est ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. Magistraliter sic describitur: Perseverantia est permanentia in bono, diuturna, sive finalis. Nota, quod constantia est permanentia in proposito. Perseverantia est permanentia in bono, sive continuatio boni. Constantia cavet leve transitum a proposito in propositum; perseverantia vero discontinuationem vel imperfectionem respectu debiti finis. Secundum Augustinum *(1. de spir. et anim. c. 20):* Actus fortitudinis est contra adversa facere quod possit, constans in tolerandis, nihil nisi turpia timere, et quidquid agimus, vel cogitamus, ad rationis normam dirigere.“ *Centil. part. 3. sect. 43.*

[14] „Sequitur videre de temperantia quantum ad tria, scilicet quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actuum variationem. Temperantia describitur a Tullio *(l. 2 de inv.):* Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio . . . Ab Augustino *(l. 1. de morib. Eccl. c. 15):* Temperantia est amor Deo sese integrum incorruptumque conservans. A Macrobio *(l. c.):* Temperantis est nihil appetere poenitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub jugo rationis cupiditatem domare. Ab Augustino *(de lib. arb. l. 1. c. 13):* Temperantia est affectio coërcens et cohibens appetitum ab his rebus, quae turpiter appetuntur. Partes temperantiae, secundum Tullium *(l. c.),* sunt tres, scilicet continentia, clementia et modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia est virtus, per quam animus in odium alicujus temere concitatus, benigne remittitur. Haec secundum Tullium. Secundum Senecam vero *(l. 2. de clem. c. 3):* Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel superioris lenitas adversus inferiorem in poenis constituendis. Modestia secundum Tullium est, per quam pudor honestatis puram et stabilem comparat auctoritatem. Auctoritas in hac descriptione stabilis, appellatur gravitas perseverans. Secundum dogma philosophorum, partes temperantiae sunt, quae foedis motibus dominantur; quae sunt modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderantia, parcitas, sobrietas, pudicitia. Modestia est, quae facit cultum et motum et omnem nostram occupationem ultra defectum et citra excessum sistere. Verecundia est, in gestu et verbo honestatem servare. Abstinentia et honestas, moderantia et parcitas et sobrietas edulii cohibent nutrimenta. Abstinentia est statutum terminum prandendi non praevenire. Honestas est nec lautiores cibos quaerere, nec in apparatu operam dare. Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare. Parcitas est mensuram refectionis non excedere. Sobrietas est excessum in potu cohibere; hujus officium est arcere mala ebrietatis. Castitas est abstinentia ab omni coitu illicito; quae est triplex, scilicet conjugalis, vidualis, virginalis. Virginitas est, secundum Augustinum *(lib. de virg. c. 13),* in carne corruptibili perpetuae incorruptionis meditatio. Pudicitia est moderamine rationis petulantiam domare. Actus temperantiae, secundum Augustinum *(lib. de spir. et anim. c. 20),* sunt contra prospera non praesumere, quod non possit exerceri in utendis, terrenas cupiditates non tantum reprimere, sed penitus oblivisci. Secundum Macrobium *(l. c.),* temperantia est, omnia relinquere, in quantum natura patitur, quae corporis usus requirit.“ *Centil. p. 3. s. 42.*

[15] „Sequitur videre de justitia quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, et actionum progressionem. Justitia definitur sic a Tullio *(lib. 2. de invent.):* Justitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam unicuique tribuens dignitatem. Macrobius *(l. c.):* Justitia est unicuique servare, quod suum est. Augustinus *(de lib. arb. l. 2. c. 13):* Justitiam quid dicam esse, nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur? Super Matth. *(5, 6): Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Justitia est, sua cuique tribuere, sibi, proximo et Deo. Seneca: Quid est justitia, nisi naturae tacita conventio, in adjutorium multorum inventa? Idem: Justitia divina lex est, et vinculum societatis humanae. Isidorus: Justitia est ordo et aequitas,

qua homo cum unaquaque re bene ordinatur. Anselmus *(dial. de verit. c. 13):* Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, propter se, rectitudinem scilicet. Item aliter diffinitur sic: Justitia est virtus conservatrix humanae societatis et vitae communitatis. Augustinus *(de morib. Eccl. l. 1. c. 15):* Justitia est amor, soli amato serviens, et propterea recte dominans ceteris, quae homini subjecta sunt. A magistris sic: Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens. Justitia secundum quosdam dividitur in severitatem et liberalitatem. Severitas est virtus debito supplicio coërcens injuriam. Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quae pro affectu benignitas, pro effectu beneficentia nominatur. Et consistit haec virtus tota in tribuendo. Benignitatem vero dividunt in septem partes, scilicet religionem, pietatem, innocentiam, amicitiam, reverentiam, concordiam, misericordiam. Alii dividunt in innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectum et humanitatem. Secundum Tullium *(de inv. lib. 2):* Ad justitiam pertinent religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia et veritas: addo pro nunc disciplinam et obedientiam. Religio est virtus, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam caerimoniamque affert. Haec graece dicitur latria, quae sic describitur: Latria est cultus Deo debitus et exhibitus. Vel latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Impenditur autem cultus debitus Deo, corde per fidem, spem et caritatem: ore per adorationem, laudationem, benedictionem et gratiarum actionem: opere per oblationem, thurificationem et geniculationem. Hujus primum officium est, perpetrati sceleris poenitere: secundum est, temporalium mutabilitatem parvipendere: tertium, vitam nostram ex toto Deo committere: quartum veritatem servare. Nota tamen, quod dulia aliquando idem est, quod latria, stricte tamen et proprie accipitur pro reverentia Sanctis, sive personis sublimibus, exhibenda. Quae sic describitur: Dulia est servitus vel cultus creaturae debitus et exhibitus. Et videtur idem esse cum reverentia, posita in prima divisione justitiae, quae sic describitur: Reverentia est virtus personis gravibus, vel aliqua praelatione sublimatis, debitae honorificationis cultum exhibens. Deo autem debetur latria, Sanctis dulia, beatae Virgini Mariae hyperdulia. Pietas est virtus, per quam sanguine conjunctis patriaeque benevolis, officium et diligens tribuitur cultus. Gratia est virtus, in qua amicitiarum et beneficiorum alterius, memoria et remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus, per quam vis aut injuria et omnino omne, quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia est virtus, per quam homines in aliqua dignitate cultu quodam et honore dignantur. Veritas est virtus, per quam immutata ea, quae sunt, aut quae ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Innocentia est puritas animi, injuriae omnem illationem abhorrens. Hac virtute dii placantur. Amicitia est voluntas bona erga aliquem, causa illius, qui diligitur, cum ejus pari intentione, a quo diligitur. Hujus primum officium est idem velle et idem nolle: alterum secreto admonere et palam laudare. Concordia est virtus concives et compatriotas in eodem jure et cohabitatione et spontanee metiens. Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur. Haec virtus nihil humanum a se alienum putat, aliorum damna, vel commoda, sua aestimat. Disciplina, secundum Cyprianum, est morum ordinata correctio, et majorum praecedentium patrum regularis observatio. Secundum Hugonem de sancto Victore: Disciplina est conversatio bona et honesta, cui parum est non malum facere, sed studet in his, quae bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. Idem: Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus, et dispositio decens in omni habitu et actione. Bernardus *(epist. 113 ad Soph. in fin.):* Disciplina cervicem submittit, deponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam fraenat, iram sedat, format incessum. Obedientia sic describitur: Obedientia est voluntas faciendi praeceptum, vel mandatum superiorum. Item sic: Obedientia est obtemperatio secundum regulam sacrae Scripturae majoribus quibuscumque debita. Vel sic: Obedientia est spontaneum et rationabile propriae voluntatis sacrificium. Vel sic: Obedientia est pio studio propriae voluntatis abnegatio. Augustinus: Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Aequitas est amor aequalitatis in his, in quibus debet esse aequalitas. De justitia dicit Prosper: Justitia est quaedam animi nobilitas, suam cuique tribuens dignitatem, superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam, Deo obedientiam, sibiipsis sanctimoniam, inimico patientiam, et misero compassionem. Secundum Augustinum *(lib. de spir. et an. c. 20):* Actus justitiae est scire quid debeat reddere: non velle plus, quam possit distribuere; omnem animi cogitationem ad solum Deum dirigere et erigere, eumque tamquam nihil aliud sit, sola mentis acie intueri. Secundum alios autem est etiam actus justitiae ad unam consentire viam, uniuscujusque virtutis obsequium servare, unicuique, quod suum est, reddere. Item cum superna et divina mente sociari, ut servet cum ea perpetuum foedus imitando. *Cent. part. 3. sect. 44.*

[16] „Virtutes gratuitae, si non habent annexam imperfectionem, necesse est illas esse connexas; quia habens gratiam, omnes simul habet.“ — „Est notandum, quod de virtutibus gratuitis convenit loqui tripliciter, videlicet quantum ad habitum substratum, et quantum ad statum superadditum, et quantum ad defectum imperfectionis annexum. Si loquamur de virtutibus sub ratione imperfectionis annexae, non est necesse esse connexionem simpliciter, pro eo quod non est necesse hominem habentem gratiam habere imperfectionem adjunctam. Similiter si loquamur de virtutibus quantum ad statum superadditum, quia non est de necessitate virtutis, sicut est reperire in continentia virginali et viduali; sic adhuc non necesse est virtutes esse connexas. Si vero loquamur de virtutibus quantum ad habitus substractos, tunc distinguendum est, quia aut illi habitus habent necessario annexam imperfectionem, aut non. Si habent necessario annexam imperfectionem, sicut habet habitus fidei et spei; sic non sunt necessario connexi aliis virtutibus, nisi pro eo tempore, quo quis est in statu viae. Quod si non habent necessario annexam imperfectionem, tunc connexionem habent simpliciter, sive in statu viae, sive in statu patriae. Unde secundum omnem statum verum est, quod necesse est habentem gratiam habere omnes virtutes, quae sunt perfectae, vel aliquid eis correspondens, sicut loco fidei in patria habebimus

visionem, et loco spei habebimus perfectam tentionem. Ratio autem hujus connexionis sumi potest quadrupliciter, secundum quadruplex genus causae. Primo quidem ex parte causae materialis, quae scilicet est nostra necessitas. Secundo ex parte causae efficientis, quae est Dei largitas. Tertio ex parte causae formalis, quae est virtutum conformitas. Quarto ex parte causae finalis, quae est praemii dignitas. Causa enim materialis virtutum assignari potest non ex qua, sed in qua. Et haec quidem est rationalis anima secundum suas potentias, secundum quas ipsa anima potest obliquari et dirigi. Et quoniam illae potentiae animae non possunt per unum habitum virtutis rectificari, sed per diversos, necesse est ad hoc, quod anima perficiatur in esse gratuito, et fiat Deo placita et justa, quod ipsa secundum diversos virtutis habitus rectificetur in se, et in qualibet ejus potentia. Ideo propter necessitatem ex parte susceptibilis necesse est virtutes gratuitas esse connexas. Causa vero virtutum efficiens est divina liberalitas, cujus est nullo modo deficere in necessariis, sed omnia administrare affluenter et abunde. Unde sicut divina liberalitas, perficiens rem in esse primum, dat ei totum, per quod possit in esse conservari; ita perficiens ipsam in esse secundo, dat illi integram perfectionem, per quam et in illo esse manere possit, et singulis vitiis obviare. Ideo conveniens est divinae largitati, cum gratificat hominem, diversitatem virtutum, in quibus consistit rectitudo vitae, eidem tribuere. Causa autem formalis ipsarum virtutum gratuitarum est ipsa Dei gratia, quae virtutes ceteras, quantum ad habitus sibi substratos, perficit et informat; et hoc per suam praesidentiam et influentiam, per quam animam facit gratam et quantum ad se et quantum ad ejus potentias. Unde quia illa gratia conformiter se habet ad omnes virtutes; ex quo etiam ipsa habetur, aut quaelibet virtus habetur, aut nulla; et ideo necesse est virtutes esse connexas. Causa autem finalis virtutum est ipsa gloria, quae veniens in animam, undique et plene perficit eam. Et ideo necesse est, quod per gratiam undique disponatur, nisi enim praecedat sufficiens dispositio, non inducitur perfectio. Necesse est ergo necessitate finis omnes potentias animae perfici per virtutes gratuitas, ut idoneae sint et dispositae ad susceptionem gloriae. Et sic patet, quod ratio connexionis virtutum gratuitarum sumitur ex quadruplici genere causae.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 1.*

[17] „Virtutes habent omnes in eodem aequalitatem respectu praemii; tametsi, respectu objecti fervoris et radicationis, disparitatem habeant ad invicem.“ — „Dicendum, quod de ipsis gratuitis habitibus contingit loqui dupliciter, aut quantum ad ipsum habitum, aut quantum ad exercitium. Si loquamur de ipsis quantum ad habitum, hoc potest esse dupliciter, aut respectu gratiae informantis et quodam modo causantis, aut respectu liberi arbitrii suscipientis et cooperantis. Si respectu gratiae informantis; sic omnes habent aequalitatem, pro eo quod gratia gratum faciens secundum quantitatem suam et excellentiam reddit gratam Deo animam, et ejus potentias et habitus et operationes meritorias. Si vero loquamur de ipsis respectu liberi arbitrii consentientis et suscipientis, sic quia liberum arbitrium in actu unius virtutis majorem invenit complacentiam, quam in alio, etiam majorem invenit repugnantiam in uno, quam in altero, secundum diversas sui inclinationes et dispositiones; sic non aequaliter est omnimodam reperire aequalitatem in habitibus virtutum, pro eo quod liberum arbitrium magis fervet quantum ad unam virtutem, quam ad aliam, magis adhaeret etiam uni virtuti quam alii. Si vero loquamur de virtutibus quantum ad exercitium, sic vix, vel nunquam aequantur nec in se, nec in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem. In se non, quia exercitium unius virtutis est fructuosius, quam exercitium alterius, sicut exercitium pietatis, quam abstinentiae. Exercitium vero unius virtutis in eodem est securius, quam exercitium alterius; sicut exercitium humilitatis et timoris, quam alterius virtutis. Similiter non habent aequalitatem in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem; quia nemo est, qui aequaliter se exerceat in actu omnium virtutum, aliqui enim magis vacant circa activam, aliqui vero magis circa contemplativam. Et sic concedi potest, quod habitus gratuiti quodam modo sunt aequales et quodam modo inaequales. Aequales quidem sunt quantum ad gratiam informantem, sicut ostendunt rationes ad primam partem; inaequales vero in comparatione ad liberi arbitrii consensum et exterius exercitium. Et secundum hoc dissolvi possunt rationes, quae ad utramque partem inducuntur. Aliter potest dici, quod de virtutibus est loqui quadrupliciter. Aut quantum ad dignitatem respectu objecti; et sic una est excellentior altera etiam in eodem, sicut virtutes theologicae, quam cardinales. Aut quantum ad fervorem et facilitatem respectu actus proprii; et sic adhuc non est necesse, quod habitus gratuiti in eodem adaequentur. Aut quantum ad radicationem et stabilitatem respectu subjecti; et sic adhuc non est necesse aequalitatem esse, quia talis radicatio venit ex frequentia et assuefactione circa actus alicujus virtutis. Aut quantum ad ordinem et efficaciam respectu praemii; et quantum ad hoc habent aequalitatem in eodem, propter hoc quod quantitas meriti cujuslibet virtutis mensuratur secundum quantitatem gratiae, quae facit opus Deo placitum, et secundum quantitatem caritatis, quae dat operi cujuslibet virtutis valorem et pondus. Et quia una est gratia gratum faciens, ceteras virtutes informans in uno homine, una est etiam caritas per modum ponderis ad finem inclinans; hinc est, quod quantum ad ordinem in finem et efficaciam merendi, necesse est omnes virtutes in eadem aequari. Rursus, quia bonitas principalis et essentialis virtutum in hoc attenditur, quod ordinant et disponunt ad summum praemium, et in hoc virtutes habent aequari; hinc est, quod Magister simpliciter concludit, et Sancti dicunt, in uno et eodem aequales esse omnes habitus gratuitos.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 5.*

[18] „Fides informis est in genere virtutis, secundum quod virtus dicit habitum rectificantem ac vigorantem potentiam, non autem ut capitur pro virtute meritoria gratuita.“ — „Virtus dupliciter consuevit accipi, cum dicimus aliquem habitum esse virtutem, proprie videlicet et communiter. Proprie namque dicitur virtus recta ratio perducens in finem; et hoc modo virtus est principium operis meritorii, et dicitur solummodo de habitu gratia informato, sine quo non contingit pervenire ad finem gloriae. Alio modo dicitur virtus communiter habitus rectificans potentiam aliqua rectitudine justitiae, et vigorans

eam circa opus difficile, quamvis non perducat eam in finem. Et hoc modo accipiendo virtutem, habitus politici informes dicuntur esse virtutes; hoc etiam modo fides informis, quae quidem et in malis christianis habet esse in genere virtutis. Per illum enim habitum quodam modo rectificatur intellectus hominis, dum captivatur in obsequium Christi ad assentiendum primae veritati propter se et super omnia. Vigoratur etiam, ut credat vera non apparentia, ut vitet erronea et phantastica, sicut apparet in multis christianis carentibus caritate, qui libenter et humiliter audiunt verba spectantia ad doctrinam fidei, et constanter et viriliter abhorrent haereticam pravitatem. Et sic concedi potest, quod fides informis sit in genere virtutis, secundum quod nomen virtutis accipitur large, et extenditur ad habitum rectificantem et vigorantem potentiam in his actibus, circa quos consistit via justitiae." *3. dist. 23. a. 2. q. 1.* — „Fides informis, secundum quod virtus est, donum divinitus collatum est censendum." *) — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum credere, sicut dicit Augustinus, sit cogitare cum assensione, ad hoc quod habitus fidei plene et integre habeatur, necesse est quod intellectus instruatur de credibilibus, ut possit illa cogitare, et inclinetur, ut possit illis assentire; et primum quidem est materiale in fide, secundum vero est formale, et utrumque reperitur tam in fide informi, quam in fide formata. Non enim dicitur informis, quia careat omni forma, sed quia careat forma gratiae gratum facientis. Cum ergo quaeritur, utrum fides sit habitus acquisitus vel infusus, respondendum est. Si loquamur de fide, quantum ad illud, quod est materiale in ea, videlicet quantum ad cognitionem illam, qua cognoscimus, qui sunt articuli fidei, et scimus quid est, quod per nomen dicitur, sic concedendum est, quod fides est per auditum et per acquisitionem, secundum legem communem. Nemo enim scit, qui et quot sint articuli fidei, nisi didicerit legendo vel audiendo, nisi forte hoc habeat per privilegium speciale. Si autem loquamur de fide quantum ad formale, videlicet quantum ad illud, quod facit assentire, sic dicendum est, quod quaedam fides informis est per acquisitionem, quaedam per infusionem. Nam quidam assentiunt veritati auditae, moti humana persuasione, utpote propter amorem et reverentiam dicentis, vel propter miracula, vel propter rationes et argumenta; et talis fides est simpliciter acquisita, nec dicenda est habere rationem virtutis, quia nullius est vigoris nec roboris, sublata de medio ipsa humana ratione. Quidam autem assentiunt veritati fidei propter divinam illustrationem, sicut illi, qui innituntur primae veritati super omnia et propter se, sicut multi christiani, qui caritatem non habent; et in talibus fides est per infusionem, voluntarie enim assentiunt, concomitante divina illuminatione, illuminatione, inquam, quae rationem elevat in his, quae sunt supra ipsam. Unde sicut illuminationem ad futura praecognoscenda dicimus esse infusam propter hoc, quod in ipsa elevatur anima supra ea, quae sunt ei naturalia; sic intelligendum est etiam in parte ista. Concedendum est ergo fidem informem, secundum quod virtus est, esse donum divinitus collatum, et habitum infusum." *Ibid. q. 2.* — „Fides informis, prout est habitus virtuosus, infusus et voluntarius, non est in daemonibus, cum non sint apti ad suscipiendos habitus infusos, et magis sint proni ad impugnandam veritatem, quam ei assentiendum." — „Sicut ex praecedentibus patet, fides informis dicitur duobus modis. Quaedam, quae innititur primae veritati propter se, quamvis in ipsam non tendat amando. Alia est fides informis, quae innititur ipsi veritati articulorum propter aliquam rationem creatam. Prima quidem dicitur fides informis, non quod careat forma fidei, secundum quod est virtus, sed solum secundum quod est virtus gratuita. Et de hac dictum est prius, quod est habitus virtuosus, et habitus infusus. Secundo vero modo dicitur fides informis, quia caret forma fidei, et secundum quod virtus est, et secundum quod gratuita est. Nam illa credulitas, qua quis assentit articulis propter rationem creatam principaliter, non solum caret intentione habitus gratuiti, sed etiam intentione habitus virtuosi. Nullius enim virtutis videtur esse credere, cum quis credit innitendo persuasioni, quam videt. Si ergo hoc secundo modo accipiatur informis fides, sic concedi potest eam reperiri in daemonibus. Habent enim aliquam notitiam et credulitatem de articulis et credibilibus, quae quidem potest dici fides, sive credulitas, propter hoc, quod non est in eis visio aperta. Et illa quidem cognitio partim fuit eis indita a prima conditione, partim ex acquisitione. A prima enim conditione sua habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad Trinitatem, quae etsi tunc non mereretur dici fides, imo potius cognitio contemplationis propter absentiam aenigmatis, peccato tamen superveniente, et aenigmate subsequente, illa cognitio meruit dici fides, cum sit cognitio aenigmatica de his, quae spectant ad divina. Quantum autem ad articulos spectantes ad humanitatem, est in eis cognitio acquisita per multa miracula et experimenta, et quasi extorta necessitate quadam. Dum enim daemones vident aperte eos, qui in Christum credunt, et ei conformantur, non posse damnari, manifesta ratione coguntur credere fidem credentium in Christum veram esse; ac per hoc per consequens credunt omnia esse vera, quae christiani credunt; et ex hoc etiam perterrentur, propter quod dicit beatus Jacobus *(2, 19)*, quod *credunt et contremiscunt.* Si vero loquamur de fide informi, secundum quod accipitur primo modo, videlicet prout est habitus virtuosus, et habitus infusus, et etiam voluntarius, hoc modo, etsi reperiatur in christianis viatoribus, non tamen potest reperiri in daemonibus; tum quia ipsi non sunt apti ad suscipiendos habitus infusos, tum quia voluntas eorum magis prona

*) Modo haec propositio est de fide. Concilium enim Vaticanum contra neotericos Semirationalistas, qui fidem *cognitionis* a fide *cordis,* seu *viva,* arbitrarie distinguentes, pro hac tantum necessitatem gratiae supernaturalis fatentur, *can. 5 de fide* ita definivit: „Si quis dixerit . . . ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit." Siquidem „licet fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus; nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati. Quare fides ipsa in se, etiamsi per caritatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando." Ita idem Concilium *ibid. cap. 3.*

est ad impugnandam veritatem et pietatem, quam ad assentiendum ei.“ *Ibid. q. 3.* — „Spei virtus aliquando informis potest esse, cum a caritate sejungi valeat.“ — „Absque dubio virtus spei potest esse informis. Potest enim aliquis sperare vitam aeternam sine gratia gratum faciente, sicut manifeste apparet. Et iterum, iste actus sperandi ab aliquo habitu procedit, qui quidem habitus bonus est, et tenet etiam quodam modo rationem virtutis, pro eo quod potentiam, quam perficit, quodam modo rectificat et vigorat. Rectificat, inquam, dum aliquam ordinationem et inclinationem tribuit ad gloriam tamquam ad finem ultimum, ubi standum, et in quo est quiescendum. Vigorat etiam in hoc, quod elevat potentiam ad aeterna bona exspectanda; et quandam stabilitatem ei tribuit, ne per desperationem succumbat. Et ideo, sicut fides absque caritate virtus informis est, quia tribuit animae quamdam rectitudinem et vigorem, quae compleri habet et perfici per gratiae infusionem, sic intelligendum est et circa ipsam spem. Unde et cetera, quae dicta sunt de fide informi, possunt spei informi applicari . . . Ad illud vero, quod objicitur in contrarium, quod spes procedit ex meritis, dicendum quod quadrupliciter potest aliquis exire in actum sperandi. Aut enim sperat habendo merita in proposito et in radice et in effectu; sicut homo justus, qui Deo diu servivit. Aut sperat habendo merita in proposito et in radice, sed non in effectu; sicut ille, qui ante bonum usum virtutum, postquam suscepit gratiam, exspectat beatitudinem. Aut sperat habendo merita in proposito tantum, non in radice, nec in effectu; sicut ille, qui peccator est, qui proponit multa bona facere, et per illa salvari. Aut sperat non habendo merita nec in effectu, nec in radice, nec in proposito; sicut ille, qui faciendo mala, et in malis proponens perseverare, per solam Dei misericordiam credit se assecuturum gloriam, neglecta divina justitia. Primus actus est spei formatae et jam exercitatae, secundus actus est spei formatae, tertius actus est spei informis, et quartus est ipsius praesumptionis. Cum ergo dicitur, quod spes procedit ex gratia et meritis, dicendum quod, aut diffinitur ibi spes, prout est virtus formata; et sic nulla est objectio de spe informi. Aut si diffinitur ibi spes generaliter, secundum quod est virtus, dicitur procedere ex gratia et meritis, quae quidem vel habentur in re, vel habentur in proposito: et sic non est instantia de spe informi . . . Ad illud quod objicitur, quod fides ideo potest fieri informis, quia habet aliquid ex parte intellectus, et aliquid ex parte affectus, dicendum quod ista non est tota ratio, sed haec. Quoniam habitus fidei habet aliquam rectitudinem et vigorem in hoc, quod facit credere omnia credibilia, et excludit errorem et infidelitatem, qui quidem vigor potest esse absque gratia gratum faciente; et hunc est reperire in spe, quae facit vitare praesumptionem et desperationem, et exspectare omnia exspectanda. Et quia ista ratio reperitur communis utrobique, ideo potest spes esse informis, sicut et ipsa fides. Secus autem est de caritate . . . Ad illud quod objicitur, quod spes semper habet secum adjunctam tendentiam, respondeo dicendum, quod tendentia duplex est. Quaedam enim est tendentia plena, et ista est a gratia operante et cooperante; et haec facit virtutem esse formatam. Quaedam autem est tendentia exilis et semiplena, sicut dicitur de pigro, qui vult et non vult. Et ista quidem tendentia potest dare aliquam rectitudinem et vigorem ipsi voluntati, et sortitur nomen virtutis generaliter acceptae, non virtutis gratuitae; et ideo tenet rationem virtutis informis, non rationem virtutis formatae. Cum autem dicitur, quod tendentia in Deum facit credulitatem esse formatam, hoc intelligitur de tendentia, quae est a voluntate plenaria. Haec autem non potest esse nec in spe, nec in fide sine gratia.“ *3. dist. 26. a. 1. q. 4. concl. et ad 1. 3. 4.*

[19] „Omnia dona virtutum possunt esse informia praeter caritatem. Et quoniam possunt esse informia, possunt esse in justis et peccatoribus; et ideo in illis nunquam separantur ab invicem. Sed caritas nunquam potest esse informis, nec esse cum peccato, quia actus ejus est diligere propter se et super omnia, qui removetur per omne peccatum.“ *1. dist. 17. p. 1. dub. 6.*

[20] „Omnes virtutes informantur a caritate, quia per ipsam omnes tendunt in finem ultimum, et complementum accipiunt.“ — „Est notandum, quod habitus cujuslibet virtutis tripliciter habet considerari secundum triplicem comparationem, videlicet ad objectum, ad subjectum et ad finem ultimum. Possumus igitur loqui de virtutibus secundum istum triplicem respectum. Et si loquamur de eis in comparatione ad objectum; sic sunt formae tantum a seipsis distinctae, et earum distinctio innotescit per actum et objectum; et sic non sunt formabiles, nec perfectibiles ab aliquo uno, cum ipsae sint formae et perfectiones distinctae. Si autem loquamur de virtutibus in comparatione ad subjectum; sic formae sunt, et tamen nihilominus formabiles. Formae quidem sunt informantes subjectum, quantum ad bonitatem moralem. Per seipsas tamen non sufficiunt quantum ad bonitatem gratuitam, per quam anima efficitur Deo placita et accepta; et ideo perfici possunt et informari per gratiam, quae simul gratificat animam et habitus existentes in illa. Postremo si loquamur de ipsis habitibus virtutum in comparatione ad finem ultimum; sic formae sunt et formabiles etiam. Formae quidem sunt, quia dispositiones sunt ipsius animae ordinantes ad perveniendum in finem. Formabiles tamen sunt, quia etsi omnes disponant ad tendendum in finem ultimum, perfectio tamen tendentiae venit ex ipsa caritate. Sicut enim corpora gravia inclinantur ad centrum per pondus molis, sic spiritus tendit ad summum bonum per pondus dilectionis. Et hujusmodi signum est, quod caritas habet idem, et sub eadem ratione, pro objecto et fine, quod non est reperire in alia virtute. Finis enim est bonum sub ratione boni, et bonum summum; et hoc quidem bonum sub ratione boni est caritatis objectum. Et propterea ceterae virtutes, quantum ad rationem tendentiae in finem ultimum, ab ipsa caritate suscipiunt complementum; et ideo non immerito radici caritatis attribuitur perfectio meriti. Et secundum hoc concedi potest ceteras virtutes a caritate formari, sicut auctoritates dicunt.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 6.*

[21] „Caritas respectu aliarum in movendo quodam modo habet rationem efficientis, quodam modo formalis, quodam modo finalis. Amor autem caritatis aliis virtutibus, ut in actus suos exeant, imperat, et imperando informat, et facit eos meritorios, et informando jungit fini, et in ipso quietat, dum facit nos adhaerere Deo et ipso frui; et ideo merito

virtus gratuita per caritatis amorem est diffinienda." *3. dist. 27. a. 1. q. 1. ad 3.*

[22] „Fides informis per gratiae adventum non expellitur quantum ad habitum et usum, sed remanet; licet excludatur quoad defectum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, cum dico fidem informem, dico tria, videlicet habitum, et ipsius habitus usum, et defectum annexum. Et quantum ad haec tria potest tripliciter intelligi, quod fides informis expellatur, sive evacuetur, per gratiam supervenientem. Et secundum hunc triplicem modum intelligendi tres fuerunt circa hoc opiniones. Quidam namque dicere voluerunt, quod a gratia superveniente fides informis expellitur non solum quantum ad informitatis defectum, sed etiam quantum ad usum, et quantum ad habitum. Et hoc quidem dixerunt propterea, quia gratia superveniens secum fert omnes virtutes; et quia non est opportunum, nec est possibile, in uno et in eodem esse fides duas, cum fides formata superinducatur cum gratia, et quantum ad formae complementum, et quantum ad usum, et quantum ad habitum; ideo ad ejus ingressum fides informis omnino expellitur: et sic ponunt eam expelli propter incompossibilitatem et unitatem. Et si tu objicias eis, quod tunc per culpam fieret homo infidelis, respondent breviter, quod Deus sua gratuita bonitate, qua non permittit hominem totaliter cadere, infundit ei habitum fidei informis, ne omnino pereat in eo fundamentum spiritualis aedificii. Unde sicut ex malis eliciuntur bona, sic contingit in culpae transgressione alicui infundi habitum informem. Sed quia illud non videtur multum rationabile, quod Deus dona gratiae ipsi peccanti, et se a se avertenti infundat in ipsa aversione; ideo alius modus est dicendi, quod sicut per peccatum non introducitur habitus fidei informis, sed introducitur defectus, et alius credendi motus; sic etiam per gratiam non excluditur ipsius fidei informis habitus, sed solum usus et defectus. Et si tu objicias, quod frustra erit habitus sine usu, respondent, quod non frustra est, pro eo quod cedit in dispositionem respectu fidei formatae; praeterea remanet, ut homo utilitatem habeat de eo in tempore opportuno. Sed quoniam actus et usus fidei informis est credere et assentire primae veritati in omnibus articulis, et iste usus potissime competit usui gratiae, cum aliquid non tollatur nisi per suum oppositum, non videtur rationabile usquequaque dicere, quod per adventum gratiae tollatur fidei usus informis, cum potius videatur in ea perfici et compleri. Et propterea est tertius modus dicendi, qui videtur probabilior esse praedictis, quod fides informis per adventum gratiae excluditur quantum ad solum defectum, salvo habitu et usu: et hoc quidem videtur satis rationabile, cum gratia opponatur habitui illi infuso solum ratione informitatis, sicut habitus opponitur privationi ... Ad illud quod objicitur, quod fides informis non est nisi in peccatoribus et cum peccato, dicendum quod hoc verum est ea ratione, qua fides informis nominat defectum formae, non secundum quod nominat habitum. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod per gratiam advenientem tollatur fidei informis habitus, sed solum quod tollatur infirmitatis defectus. Ad illud quod objicitur, quod omnes virtutes infunduntur simul, dicendum quod verum est quantum ad illud, quod est in eis formale, quantum autem ad materiale, sive ad habitum substratum, non habet veritatem, nisi quando non invenit habitum in subjecto, quem informat; et ideo cum gratia adveniens invenit habitum fidei informis, non oportet, quod superinducatur nova fides. Praeterea ratio illa in alio deficit, quia gratia gratum faciens cum gratia gratis data non est ejusdem speciei; et ita procedit ex falsa suppositione. Ad illud quod objicitur, quod lumen gratiae gratum facientis debet sufficere ad credendum, dicendum quod sufficit gratia gratum faciens, cum praesuppositione tamen gratiae gratis datae. Dona enim gratiae gratum facientis non excludunt dona gratiae gratis datae, imo magis illa in suo adventu complent et perficiunt, et quodam modo ab eis vigorantur et perficiuntur; ideo non sequitur quod, adveniente gratia gratum faciente, superfluat habitus fidei informis, nec, remanente habitu informi, propter hoc lumen gratiae gratum facientis sit insufficiens. Unumquodque enim donum Dei sufficiens est secundum illud, ad quod habet ordinem." *3. dist. 23. a. 2. q. 4. concl. et ad 3. 4. 5.*

[23] „Fides informis per gratiae adventum formata redditur, cum gratia omnium virtutum sit forma." — „Gratia gratum faciens comparatur ad habitus virtutum substratos, sicut comparatur lux ad colores. In hoc tamen est differentia, quod lux ista corporalis non ita efficaciter potest educere colores de potentia in actu quantum ad esse, quod habet color in genere coloris, sed ipsa gratia existens in ipsa anima potest facere germinare habitus virtutum. Ipsa enim gratia adveniens in animam carentem habitibus virtutum, se habet quasi originale principium illorum quantum ad esse primum. Unde sicut pluvia infusa terrae habenti in se seminarium, facit eam germinare, donec veniat ad fructum completum; sic intelligendum est de gratia respectu habituum ipsarum virtutum quantum ad ipsorum esse primum. Non sic autem potest facere lux superinfusa exterius respectu colorum. Sed si comparemus colores ad lucem, et habitus virtutum ad gratiam gratum facientem quantum ad esse secundum, utpote quantum ad esse colorum in genere lucidi, et habituum in genere gratuiti, tunc est similitudo expressa, ut sicut multi colores in una domo tenebrosa existentes efficiuntur luminosi per unam luminositatem supervenientem, et ab illa informantur et decorantur et venustantur; sic habitus virtutum informes existentes in anima venustantur et decorantur ab una gratia superveniente. Et secundum hunc modum intelligendi infusionem gratiae et virtutum, facile est intelligere, qualiter habitus fidei informis formetur per ipsius gratiae adventum, dicitur enim formari, sicut color tenebrosus formatur ad luminis ingressum. Et sicut ex colore et lumine superinfuso non fit unum per essentiam, sed unum per ordinationem quamdam; sic nec ex gratia gratum faciente et informi fide intelligitur fieri unum, nisi per quamdam ordinationem et relationem, quia fides informis per adventum gratiae incipit complete ordinari in finem, et in Deum tendere et eidem complacere ... Ad illud quod objicitur, quod opus mortuum non potest fieri vivum, dicendum quod non est simile. Opus enim transit, nec manet in sua radice; ideo impossibile est aliquod opus vivificari, quod a radice vivente ortum non sumpserit. Et pro tanto dicimus opera facta in caritate posse reviviscere; quae autem extra caritatem facta sunt,

vivificari non posse, gratia enim illa non posset attingere, cum simpliciter cesserint in praeteritum. Non sic autem est de habitibus virtutum informium, qui manent in anima post ipsius gratiae adventum, et per ipsam gratiam possunt venustari et decorari et in finem ordinari ... Ad illud quod objicitur, quod sicut se habet anima ad suas potentias, sic se habet gratia ad virtutes, dicendum quod non est omnimoda similitudo, pro eo quod non est tanta diversitas ipsius gratiae ad virtutes, quantum ad earum principium formale, sicut animae ad suas vires ... Virtutes enim non dicuntur esse virtutes ipsius gratiae, per quas ipsa gratia operetur, sicut anima operatur per suas potentias. Nec est intelligendum, quod gratia sit in diversis subjectis. Hoc enim ducit in imaginationem falsam, in hanc videlicet, quod gratia omnino ita veniat in animam et ejus potentias, sicut anima venit in corpus et ejus organa. Tunc enim necessario oporteret, quod, gratia abeunte per peccatum, expellerentur omnes habitus virtutum, quos secum defert, quod ex ipsa experientia planum est esse falsum. Et ideo ratio illa non concludit, quia accipit pro simili, quod valde est dissimile. Potest autem accipi simile de infusione gratiae et virtutum in pluvia et terra seminata, sicut de informatione virtutum a gratia accipitur in lumine et colore. Si enim una pluvia adveniat in terram, in qua sunt plantata diversa semina, quae non germinaverunt, facit illa germinare, et secundum diversitatem seminum diversas plantas producere. Si vero jam illas germinavit, sed propter defectum aquae jam arefactae sunt plantae, tunc pluvia denuo veniens facit illas plantas virescere. Sic gratia adveniens in animam, in qua sunt seminaria habituum virtutum, facit ipsam germinare, ita quod, ipsa habita, habentur per consequens et virtutes, quas continue facit illa crescere, quousque perducat usque ad perfectionem. Et si contingat merito peccati humorem gratiae auferri, habitus illi virtutum efficiuntur quasi aridi, et postmodum, si restituatur pluvia et humor gratiae, non oportet, quod anima iterum de novo germinet, sed illa, quae germinavit, per humorem gratiae advenientem iterum reviviscant. Sic satis aperte intelligi potest, qualiter gratia cum virtutibus simul infundatur in animam, et qualiter aliquando simul dicatur infundi cum habitibus substratis, aliquando vero minime, cum tamen gratia, quantum est de se„ infundatur semper uniformiter.“ *3. dist. 23. a. 2. q. 5. et ad 2 et 6.*

[24] „Quemadmodum cum dico lumen et colorem illuminatum, dico aliam et aliam formam, licet una sit ordinata ad aliam, et quodam modo altera compleatur ex alterius praesentia; similiter intelligendum est de gratia et virtute gratuita. Quemadmodum enim color qualitas est corporis terminati, quae a praesentia luminis influxi venustatur et completur, ut possit movere visum; sic virtus, quae est habilitatio potentiae, absque gratia gratum faciente informis est, sicut color sine lumine; sed ea adveniente, ex qua tota anima in se et in suis potentiis decoratur, formari et vivificari dicuntur habitus virtutum, et effici Deo accepti. Et quemadmodum ex lumine infuso et colore non fit unum per essentiam, sed per ordinem, et iterum lumen, in quantum illuminat aërem conjunctum corpori terminato, et in quantum colorem reddit luminosum, non est aliud et aliud per essentiam, sed sola comparatione differens et secundum esse; et sicut unum lumen diversos potest colores ad actum reducere sine sui multiplicatione; sic in influentia gratiae et habitu virtutis intelligendum est esse, scilicet quod gratia superveniens cum habitu virtutis, quem informare dicitur, non facit unum per essentiam, sed ideo informat, quia ad finem suum ordinat. Similiter gratia, a qua anima dicitur esse Deo grata, et a qua aliqua virtus dicitur esse gratuita, non differt nisi sola comparatione, sicut primum expositum est in lumine. Similiter una est gratia, a qua omnes virtutes animae dicuntur esse gratuitae.“ *2. dist. 27. a. 1. q. 2.*

[25] Peccator, ut vidimus superius *(part. V. cap. 2. n. 13)*, quamvis non de condigno, bene tamen de congruo potest mereri. Quin imo generatim „opera bona extra caritatem facta, quando bona fiunt intentione, valent ad multa. Ad temporalium multiplicationem: *Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis (Isa. 1, 19).* Ad temporalis poenae diminutionem: *Nonne vidisti Achab coram me humiliatum? idcirco non inducam etc. (3. Reg. 21, 29).* Ad gratiae impetrationem, sicut Raab invenit gratiam propter opera, quae fecit nuntiis *(Josue 6, 25).* Ad bonae vitae assuefactionem: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua (Thr. 3, 27).* Ad peccati resistentiam, quia peccatum trahit suo pondere ad aliud: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccato (Eccli. 3, 33).* Ad tolerabiliorem poenam aeternam .... quia impediunt culpam factam aggravari, et etiam retrahunt hominem a peccati frequentia, et ab intensione libidinis et contemptus, quia non ex tanta libidine peccat, qui aliquando opera bona facit, sicut qui Dei obliviscitur; et ad vermem, quia minus cruciabitur et minorem habebit remorsum, quam si opera illa non fecisset; non de illa culpa, quam commisit, sed de malis, quae commisisset, et de bonis, quae omisisset, si illa opera bona non fecisset.“ *4. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 6.*

CAPUT V.

De ramificatione gratiae in habitus donorum.

(Plurima sunt dona Dei; — quaedam tamen specialius dona Spiritus sancti dicuntur, — et sunt septem; — quod ex septiformi ratione ostenditur.)

De ramificatione autem gratiae in habitus donorum haec tenenda sunt, quod, licet plurima sint dona gratiae gratis datae, et generaliter omnes habitus divinitus dati

dona Dei non absurde dici possint; specialiter tamen et appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quae enumerat et nominat Isaias, loquens de flore, qui processit de radice Jesse, id est, Christo [a]; de quo dicit, quod *requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini (Isai. 11, 2).* In hac autem enumeratione descendendo procedit a summo et combinando [1], ut simul ostendatur donorum distinctio, connexio [2], origo et ordo.

a) Christus ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum [b] principium reparativum per summam liberalitatem non tantum det gratiam ad rectificandum contra obliquitates vitiorum per habitus virtutum, verum etiam ad expediendum contra impedimenta symptomatum [3] per habitus donorum; ideo purificari debent dona gratuita, secundum quod necessarium est ad expeditionis sufficientiam. Quoniam igitur anima nostra indiget septiformiter expediri; hinc est, quod ex septiformi causa necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia. Indiget namque expediri contra vitiorum obliquitates, quantum ad vires naturales, quoad [c] superadditas virtutes, in patiendo, in agendo, in contemplando et utroque modo.

b) Primum add. editt. Nor. Aug.

c) Et quoad ed. 1484.

Primo igitur propter vitiorum obliquitates expeditissime repellendas septem sunt dona Spiritus sancti, utpote timor [4] contra superbiam; pietas [5] contra invidiam; scientia [6] contra iram, quae quasi est quaedam insania; fortitudo [7] contra acidiam, quae mentem reddit ad bona invalidam; consilium [8] contra avaritiam; intellectus [9] contra gulam; et sapientia [10] contra luxuriam.

Secundo propter expediendas vires naturales debent septem dona Spiritus sancti esse. Nam irascibilis indiget expediri ad bona tam in prosperis, quam in adversis: in prosperis expeditur per timorem, in adversis per fortitudinem. Concupiscibilis autem indiget expediri quantum ad affectionem [d] respectu proximi, et hoc fit per pietatem; et quantum ad affectum respectu Dei, et hoc fit per gustum sapientiae. Rationalis vero indiget expediri in veritatis speculatione, electione et executione: per donum autem intellectus expeditur ad verum speculandum [11]; per donum consilii ad verum eligendum; per donum scientiae ad electum exequendum, per donum enim scientiae [e] recte conversamur *in medio nationis pravae et perversae (Philipp. 2, 15).*

d) Affectum ibid.

e) Sapientiae et scientiae ibid.

Tertio propter expedienda septem virtutum officia septem debent esse Spiritus sancti dona. Nam timor expedit ad temperantiam, timor enim carnes configit, unde: *Confige timore tuo carnes meas (Psalm. 118, 120);* pietas ad veram justitiam; scientia ad prudentiam; fortitudo ad fortitudinem [f], seu patientiam; consilium ad spem; intellectus ad fidem; sapientia ad caritatem. Unde sicut caritas est mater et consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum; ita ut vere dicat Sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius (Sap. 7, 11).*

f) Ad fortitudinem seu om. ibid.

Quarto propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum septem sunt habitus donorum [12]. Christum autem ad patiendum movit paterna voluntas, humana necessitas et virtutis strenuitas. Paterna [g] quidem voluntas movit, ut cognita per intellectum, ut amata per sapientiam, ut in reverentia habita per timorem. Movit etiam nostra necessitas, ad quam cognoscendam necessaria est scientia, ad quam miserandam superadditur pietas. Movit nihilominus virtutis strenuitas, ut provida in eligendo

g) Divina ibid.

per consilium, ut vigorosa in perferendo per fortitudinem[13]. Et sic dona debent esse septem.

Quinto propter expeditionem in agendo septem dona dantur a Spiritu sancto. Nam ad actionem expediendam necesse habemus expediri ad declinandum a malo, quod fit per timorem. Necesse etiam habemus expediri ad proficiendum in bono duplici, vel necessitatis, vel supererogationis. Circa primum expedimur per scientiam et pietatem, ita quod unum est dirigens et aliud exequens; circa secundum expedimur per consilium dirigens, et[h] fortitudinem exequentem. Necesse etiam habemus quiescere in optimo, et hoc quantum ad intellectum veri[14], et quantum ad affectum boni; primum fit per donum intellectus, secundum per donum sapientiae, in quo est quies.

h) Et per ibid.

Sexto ad expeditionem in contemplando dona Spiritus sancti in septenario numero sunt. Nam ad vitam hierarchicam et contemplativam necessarium est animam purgari, illuminari et perfici[15]. Purgari autem oportet[i] a concupiscentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate seu impotentia[16]. Primum facit timor, secundum pietas, tertium scientia, quartum fortitudo. Illuminari autem indigemus in operibus reparationis et primariae conditionis[17]; primum dat consilium, secundum intellectus. Perfici autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno[18], et hoc per donum sapientiae; et sic arcanum contemplationis ab alto[j] consummatur quasi in cubico[19].

i) Oportuit ibid.

j) Ita recte ibid. in cet. editt. a lato.

Septimo ad expeditionem in actione et contemplatione septem debent esse dona Spiritus sancti. Nam contemplativa propter conversionem ad Trinitatem tria debet habere dona expedientia, scilicet quantum ad reverentiam majestatis, timorem; quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum[20]; quantum vero[k] ad sapientiam, sive gustum bonitatis, sapientiam. Activa vero, quae versatur in agendis et sustinendis[21], debet habere quatuor, scilicet pietatem ad agendum, et fortitudinem ad sustinendum, et directiva horum duorum, scilicet scientiam[22] et consilium. Unde quia ad expeditionem necessaria est directio; ideo fit donorum combinatio[23], et plurima sunt dona ad intellectum spectantia, quia lux cognitionis vehementer expedit *ad dirigendos pedes in viam rectam et pacis (Luc. 1, 79)*[24].

k) Vero om. ibid.

Ad Caput V.

[1] „In donis est ordo secundum gradum excellentiae et dignitatis; et hoc quantum ad ipsorum donorum usus, secundum quos anima habet collocari in statu perfectiori et digniori, utpote secundum usum doni sapientiae altius elevatur, quam secundum usum doni timoris. Ad usum enim illius doni a nemine pervenitur, nisi prius in usu timoris exercitium praemittatur. Cum igitur in eis sit ordo secundum gradus excellentiae et dignitatis, non casu et fortuna, sed valde rationabiliter quaedam dona quibusdam aliis praemittuntur. Et modo sic, modo contrarie ordinantur, non propter praeposterationem ordinis, sed propter diversam rationem ordinandi. Sicut enim dicit Augustinus de sermone Domini in monte *(l. 1. c. 9)*, aliquando enumeratio donorum incipit ab infimo, utpote a timore, sicut Dominus innuit in Matthaeo; aliquando a summo, utpote a sapientia, sicut scribitur in Isaia; uterque tamen modus ordinandi rectus et congruus est. Et hoc triplici ratione, tum propter diversum modum accipiendi prius et posterius, tum propter diversitatem modi ascendendi et descendendi a superiori ad inferius, tum propter diversitatem principiorum respectu ipsius habitus. Primo propter diversum modum accipiendi prius et posterius, quoniam sicut vult Philosophus *(5. Met. cont. 16. ex postpraed. c. de prior. et c. 12)*, aliquid est prius generatione et tempore, aliquid est prius complemento et diffinitione, sive dignitate. Primo modo donum timoris est primum quantum ad usum, secundo vero modo donum sapientiae. Et secundum hanc duplicem acceptionem ejus, quod est prius, ordo donorum dupliciter assignatur, vel est duplex; et utroque modo rationabiliter inchoatur. Similiter propter diversum modum ascendendi et descendendi habent diversimode ordinari. Quia enim in donis attenduntur gradus excellentiae et dignitatis, et ordo in ascendendo est ab inferiori ad superius, in descendendo vero

est a superiori ad inferius; hinc est, quod aliquando praemittitur donum supremum, aliquando infimum, utrumque tamen fit secundum ordinem rectum et congruum. Propter diversitatem autem principii efficientis et subjecti suscipientis similiter habent diversimode ordinari; quia principium producens est ipse Spiritus sanctus, in quo est summa perfectio; subjectum suscipiens est ipsum liberum arbitrium, in quo est imperfectio. Potest ergo in ordine praeponi donum, quod magis approximat perfectioni Spiritus sancti; et sic praemittitur donum sapientiae, quod est perfectissimum. Potest etiam nihilominus praemitti donum, quod magis approximat imperfectioni liberi arbitrii; et hoc quidem est donum timoris. Et sic patet, quod ordo est in donis, et quod etiam ordo in enumerando servatur, sive quis incipiat a dono timoris, sive quis incipiat a dono sapientiae. Nec tantum est in eis ordo, verum etiam cum ordine est in eis combinatio. Quia enim dona sunt ad expediendum, et qui vult expedite procedere, necesse est, ut praecognoscat et praevideat viam; hinc est, quod dona habent sua directiva sibi per appropriationem deputata, et quod quaedam in donis sunt regentia, quaedam recta, sive quaedam regulantia, quaedam exequentia. In cujus rei signum Propheta dona enumeravit cum quadam combinatione et distinctione, sancto Spiritu instigante. Concedendum est igitur, quod dona recte ordinantur et combinantur secundum assignationem propheticam.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 2. q. 2.*

[2] „Licet dona et beatitudines aliquo modo sint connexa, non tamen tantam habent connexionem, quantam retinent virtutes.“ — „De habitibus donorum gratuitorum est loqui dupliciter, videlicet quantum ad ipsorum originem, et quantum ad usum consequentem. Si loquamur de ipsis quantum ad ipsorum originem, cum origo omnium habituum gratuitorum consistat quasi materialiter in natura, et completive et formaliter in gratia; quando Spiritus sancti gratia infunditur, ita sufficienter datur, quod omnes habitus gratuiti ex ipsa possunt oriri, si nos velimus susceptae gratiae cooperari, non solum habitus virtutum, sed etiam habitus donorum et beatitudinum. Ideo quantum ad originem indubitanter verum est dona Spiritus sancti habere connexionem. Aliter est loqui de ipsis habitibus donorum quantum ad usum, secundum quem modum isti habitus reddunt potentiam facilem et expeditam ad proprios actus, qui non tantum sunt necessitatis et sufficientiae, sed etiam cujusdam supererogationis et excellentiae; et quantum ad hoc non est necessarium in his esse connexionem, imo vix aut nunquam usus istorum habituum reperitur perfectus in aliquo, sicut innuit Gregorius *(Mor. 29 c. 16)* super illud Job *(38, 31): Numquid conjungere poteris micantes stellas plejadas?* dicens, quod usus Spiritus septiformis in solo Christo fuit perfecte. Usus enim donorum ponit hominem in statu perfectionis; sed origo non necessario ponit in statu perfectionis, sed in statu inchoationis. Unde sicut puer parvulus, sicut dicit Augustinus *(de Civ. Dei, lib. 22. c. 14)*, habet in virtute quidquid postmodum habiturus est in mole, licet magnitudinem molis nondum habeat in actu; sic concedi potest, quod, licet habitus donorum non necessario connectantur quantum ad usum et ipsorum esse completum, secundum quod potentias facilitant, et ad actus excellentes expediunt, connectuntur tamen quantum ad eorum principium et originem, cum in infusione gratiae habeantur radicaliter et virtualiter et implicite. Attamen illud, quod objicit de similitudine virtutum et donorum, non valet; habitus enim virtutum, pro eo quod necessitatis sunt, et quantum ad suos usus cum his, qui libero arbitrio jam utuntur, simpliciter habent ad invicem connecti, non solum ratione suae originis, sed etiam ratione usus consequentis. Nemo enim potest esse in gratia, nisi credat, speret et amet; et sic de aliis virtutibus. Non sic autem est de usibus donorum et beatitudinum, sine quibus plures salvantur. Multi enim sunt, qui fideliter credunt; et tamen illud, quod credunt, nunquam intellectu comprehendunt. Similiter est de usu ipsarum beatitudinum. Et ideo si aliquo modo sit connexio in habitibus beatitudinum et donorum; non tamen tanta est, quanta est in habitibus virtutum.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 2.*

[3] „Sicut in morbo duo sunt, videlicet ipsa humorum inaequalitas, et symptomata quaedam, sive sequelae ipsius morbi; sic intelligendum est in morbo spirituali. Cum ergo duo sint in ipso morbo spirituali, videlicet ipse morbus deordinans et symptoma concomitans, ipsa culpa et ejus sequela, ipsum telum et vulnus ex telo derelictum; habitus virtutum sunt contra ipsos morbos peccatorum, sed dona sunt contra sequelas ipsorum, ita quod per virtutes expelluntur tela, et per dona expelluntur vulnera, sive symptomata derelicta.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1.*

[4] „De dono timoris tene, quod ejus actus generalis est resilire ab arduo . . . Timoris donum tria intuetur, scilicet poenam, ut eam fugiat, et sic est timor servilis; offensam, ut eam caveat, et sic est timor initialis, qui unum habet oculum ad poenam, et unum ad offensam; majestatem summam, ut ei reverenter subjaceat, et sic est timor filialis, cui duplex respectus est, unus in refugiendo offensam, ne separetur a Deo, alius est principalior in reverendo Deum, et iste permanet in beatis. Distinguuntur autem sex timoris differentiae, secundum quod a triplici principio habet ortum. Habet enim ortum a natura, et sic est timor naturalis; a libidine, sive concupiscentia, et hoc vel ex nimio amore sui, et sic est timor humanus; vel ex nimio amore suorum, et sic est timor mundanus; a gratia, et hoc vel a gratia gratis data, et sic est timor servilis; vel a gratia gratum faciente, scilicet inchoata, et sic est timor initialis; aut a gratia perfecta, et sic est timor filialis. Et iste dicitur amicabilis, vel amicalis, quia timet voluntatum dissensionem; castus, quia timet sponsi complexus separationem; filialis, quia timet patris indignationem; sanctus, quia timet in omnibus inquinationem.“ *Cent. p. 3. sect. 45.* — „Timor servilis est donum Spiritus sancti, quamquam non sit donum cum Spiritu sancto.“ — „Absque dubio timor servilis est donum Spiritus sancti. Et ratio hujus est, quoniam sicut donum Dei est nosse, sive credere, poenas futuras, pro eo quod ibi est quaedam cordis illuminatio et directio; sic donum Dei est illas poenas aeternas refugere et timere, pro eo quod ex tali dono est quaedam cordis emollitio et fluxus concupiscentialis restrictio, et in hoc quaedam rectificatio. Quod enim ibi sit emollitio, satis innuit Isaias propheta, cum dicit: *Indurasti cor nostrum, ut non timeremus te (63, 17).* Quod ibi sit fluxus concupiscentialis restrictio, innuit propheta in Psalmo *(118, 120)*, cum dicit: *Confige timore tuo*

carnes meas, quod quidem non solum fit timore casto, sed etiam servili, quo timentur aeterna supplicia, et timetur divina justitia. Et propter illorum timorem cessat homo a peccatorum perpetratione, licet non omnino cesset a voluntate, sicut dicit Glossa, quod totum est ex divino munere*)". *3. dist. 34. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Timor servilis, licet non sit bonus bonitate meriti, est tamen bonus bonitate praeparante ad meritum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod, cum dico timorem servilem, duo dico, videlicet ipsum habitum, quo anima disponitur ad timendum Deum, ut punientem eos, qui praevaricantur; et ulterius nomine servitutis importatur deformitas peccati, quae annexa est illi habitui in eodem homine, ratione cujus ille homo dicitur esse servus peccati, et timor in eo existens dicitur esse timor servilis. Per hunc etiam modum, cum dico aliquem timere serviliter, duo dico, videlicet actum ab illo habitu egredientem, et voluntatis servilitatem, sive deformitatem concomitantem. Sed attendendum, quod hoc potest esse dupliciter, aut ita quod deformitas illa voluntatis concomitetur quantum ad habitum, aut quantum ad actum. Si concomitatur solum quantum ad habitum, sic potest esse, quod aliquis serviliter timeat, et tamen motu illo non peccabit; quia si ex recogitatione poenarum aliquis abhorret offendere Deum, hoc potest esse praeter omne peccatum. Si autem concomitatur in actu, quamvis ipsum timere de se non sit malum, tamen ratione deformitatis actualiter annexae depravatur; sicut aliquis, qui timet poenas, et timendo dolet, quod tales poenae infliguntur pro culpa, et actu etiam concupiscit peccare, si non esset illa poena: et hoc modo timere serviliter est peccatum et malum. Hoc autem non est semper, cum quis movetur timore servili, alioquin per usum illius doni magis se homo a gratia elongaret, quam praepararet, quod plane falsum est. Et ideo concedendum est, quod usus timoris servilis potest esse bonus, licet non sit bonus bonitate meriti, sed magis bonitate praeparante, vel ordinante ad meritum, quae simul stat cum peccato." *Ibid. q. 2.* — „Timor servilis quoad materiale remanet cum gratia, licet quantum ad intuitum principalem poenae aeternae, et voluntatem malam expellatur." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi. Unus namque modus dicendi est, cum dico timorem servilem, duo dico, sicut tactum est prius, videlicet ipsum donum, et defectum deformitatis eidem dono annexum non ratione ipsius doni, sed ratione ejus, in quo est. Cum ergo gratia supervenit, expellit ipsum quantum ad defectum deformitatis annexum, non autem in quantum est donum divinitus gratis datum, sicut in praecedentibus tactum est de fide informi. Alius autem dicendi modus est, quod timor servilis omnino expellitur adveniente gratia, non solum quantum ad id, quod habet servitutis, sed etiam quantum ad hoc, quod habet habilitatis. Et ratio hujus est, quia huic timori servitus quodam modo est annexa essentialiter, habet enim ortum magis ex amore sui, quam ex amore Dei; unde et timor iste servilis facit poenam principaliter intueri. Ideo sicut fides propter repugnantiam aenigmatis sibi annexi ad gloriam evacuatur, ipsa superveniente; sic habitus timoris servilis expellitur superveniente caritate. Et huic modo dicendi videtur consonare verbum Augustini *(in Epist. Jo. tract. 9),* quo dicit, quod timor servilis, respectu caritatis introducendae, se habet sicut seta respectu fili. Ex his autem duobus modis dicendi potest elici tertius modus quasi commixtus ex utroque, et tenens medium inter utrumque. Valde enim difficile videtur dicere, quod ille habitus, quo quis habilis erat ad cessandum a culpa, superveniente gratia, statim recedat, cum contrarium hujus dictet ipsa experientia. Difficile etiam videtur dicere et sustinere, quod timor servilis simpliciter maneat adveniente gratia, cum sit alia differentia timoris, quam timor initialis, nec videtur ab eodem trahere originem, et verba Augustini satis videntur contradicere. Et propterea possumus dicere, quod timor servilis tres habet conditiones; unam sicuti materialem et substratam, et haec est timere poenam aeternam; alteram sicut formalem et completivam, et haec est principaliter intueri illam poenam aeternam; tertiam sicut annexam, et haec est habere voluntatem deformem conjunctam. Cum igitur gratiae donum superinducitur, timor servilis quantum ad hoc, quod materiale erat in ipso, hoc est in quantum habilitabat ad timendam poenam, manet cum gratia, quia gratiae non repugnat. Quantum vero ad alias duas conditiones, videlicet quantum ad completivam et quantum ad annexam, pellitur per ipsam gratiam. Quia cum gratia supervenit, nec principaliter intuetur poenam, nec habet annexam voluntatem malam; et sic haberi potest, quod donum timoris servilis quantum ad aliquid sui, adveniente gratia, pellitur, et quantum ad aliquid manet." *Ibid. q. 3.* — „Timor initialis et filialis non differunt specie, nec tantum secundum perfectum et imperfectum, sed secundum modum diversum timendi." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic est duplex modus dicendi. Quidam enim voluerunt dicere, quod timor initialis et filialis non differunt nisi quantum ad statum, sicut et amor, ex quo timor sub his differentiis trahit originem. Unde sicut amor incipiens et perficiens essentialiter est idem, licet status sit diversus hic et ibi; sic voluerunt dicere se habere in timore initiali et filiali. Sed illud non videtur sufficere pro eo, quod tertius posset timor assignari inter hos duos, videlicet timor proficiens. Et iterum non videmus talem modum distinguendi, sive dividendi, esse in aliis donis gratuitis, cum tamen in eis sit istos duos status invenire. Et propterea est alius modus dicendi, quod timor initialis et timor filialis sunt diversae species timoris; et diversus est utrobique modus timendi, et ad diversa intuetur homo secundum illos duos timores. Et hujusmodi signum est,

*) Contra doctrinam catholicam de timore servili Janseniani opinati sunt, prout patet ex censura prop. 25 Synodi Pistoriensis: „Doctrina, quae — timorem poenarum generatim perhibet dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum: — Quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, veluti donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem justitiae, *falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinae Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiae,* opus esse, juxta consuetum ordinem praeparationis ad justitiam, ut intret timor primo, per quem veniat caritas: timor medicamentum, caritas sanitas *(August. Ep. Joan. c. 4; Enarr. in Psalm. 127; De verb. Dom. serm. 157. 161; De carit. serm. 349).*"

quia unus evacuatur, et alter manet in patria, secundum quod dicit Magister in littera; quod quidem non esset, si essent idem in essentia. Verumtamen adhuc istud videtur valde difficile bene intelligere, quo modo secundum profectum hominis in statu gratiae habent esse in eo diversi habitus timoris formaliter differentes. Et ideo neuter istorum modorum videtur plene ipsi intellectui satisfacere. Possumus igitur viam mediam eligere, ut dicamus, quod timor filialis et initialis non adeo differant, sicut differunt species formaliter differentes; cum unus quodam modo sit materialis respectu alterius, et quodam modo claudatur in altero. Timor enim initialis timet poenam et offensam; timor vero filialis offensam quidem timet, et attendit summi patris reverentiam. Et sic unus quodam modo se habet ex additione ad alterum. Et ideo non differunt sicut duae species diversae unum genus dividentes. Nec tamen est ibi differentia solum quantum ad statum, pro eo quod timor initialis principaliter aspicit offensam, timor vero filialis, etsi unum oculum habeat ad offensam, principaliorem tamen habet ad Dei reverentiam. Et quia diversa habent principalia motiva; hinc est, quod sunt diversi modi timendi. Quia vero unus claditur in altero et alteri substernitur; hinc est, quod proprie loquendo non sunt alterius et alterius speciei. Possunt tamen dici diversi timores, tum ratione statuum, tum ratione modorum timendi, tum etiam ratione principalium motivorum." *Ibid. a. 2. q. 1.* — „Timor gratuitus per augmentum gratiae decrescit quoad usum solicitationis poenae, licet crescat quoad usum, secundum quod est perfectae caritati consonus; qui quidem usus consistit in quadam subjectione et reverentia ad Deum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hic, sicut in praecedentibus, diversi diversa sentiunt. Quidam enim volunt dicere, quod est loqui de timore quantum ad habitum et quantum ad usum. Si loquamur de ipso quantum ad habitum, verum est, quod, crescente caritate, crescit, propter hoc quod habitus gratuiti sunt aequales. Si vero loquamur quantum ad usum, sic dixerunt, quod, crescente caritate, decrescit timor; quia quanto magis viget in nobis usus caritatis, tanto minus viget usus timoris. Et illud per experientiam est manifestum. Nam homo in principio conversionis multa ex timore facit; sed cum gustavit spiritum devotionis et dulcedinis, quae est in amore, approximans ad statum perfectionis, jam ad bene operandum magis trahitur liberalitate amoris, quam stimuletur poenalitate timoris. Sed in hoc modo videntur duo opposita implicari. Si enim magnitudo habitus attenditur, et dignoscitur penes magnitudinem actus et usus, decrescente dono quantum ad usum, videtur, quod necesse sit ipsum decrescere quantum ad habitum; aut si crescit quantum ad habitum, necesse est ipsum crescere quantum ad usum et actum. Propterea est alius modus dicendi, quod, sicut prius dictum est, timor gratuitus dividi habet in initialem et filialem. Et cum quaeritur, utrum crescente caritate decrescat timor, responderi potest, quod verum est de quodam timore, et falsum de alio timore. De timore, inquam, initiali verum est, quia quodam modo communicat cum servili, in hoc quod formidat poenam. De filiali vero non est verum, quia quanto quis majoris caritatis est, tanto magis refugit divinam offensam, et cum Deo solicitius ambulat, juxta illud Apostoli *(1. Cor. 10, 42): Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Sed adhuc illud non videtur omnino satisfacere, quoniam timor filialis, quo quis timet Deum offendere, poenam habet, et multum affligitur anima in illa formidine. Beatus autem Joannes dicit, quod *perfecta caritas foras mittit timorem (1, 4. 18),* propter annexam poenalitatem. Et propterea potest adhuc aliter dici, quod duplex est usus ipsius timoris gratuiti. Unus, inquam, quo cor hominis solicitatur ex consideratione suae fragilitatis; alius vero, quo humiliatur ex consideratione suae parvitatis et divinae magnitudinis. Et primus usus minuitur, cum caritas perficitur, quia confidentia consurgit ex perfectione caritatis, ut jam homo dicat illud Apostoli *(Rom. 8, 35): Quis nos separabit a caritate Christi?* Alius vero usus crescit, caritate crescente, sicut timoris habitus. Unde quanto aliquis plus habet de spiritu amoris, tanto plus habet de spiritu timoris; quia tanto magis elongatur a spiritu superbiae, sive tumoris, secundum quod dicit Augustinus *(lib. 1. de serm. Domini in monte in princip.)*". *Ibid. q. 2.* — „Timoris donum quoad reverentiam supremae majestatis remanebit in patria, licet quoad intuitum poenae et offensae Dei evacuetur." — „Dicendum, quod, sicut tactum fuit in praecedentibus, timoris est intueri tria, videlicet poenam, ut fugiat, offensionem, ut illam caveat, majestatem summam, ut illi subjaceat exhibendo reverentiam. Et secundum hoc, triplex est doni timoris differentia. Unus, qui principaliter aspicit poenam; et iste est servilis. Alius vero, qui unum oculum habet ad poenam, sed tamen principaliorem habet ad offensam vitandam; et sic est initialis. Tertius autem, qui unum oculum habet respectu offensae vitandae, alium vero respectu reverentiae exhibendae; et hic est filialis, cujus etsi unus usus sit in refugiendo, ne separetur a Deo, alter tamen excellentior et magis praecipuus est in reverendo summam majestatem Domini, et resiliendo a summa majestate ejus in propriam parvitatem. Et hic quidem usus fuit in Christo, et est in sanctis angelis, et erit in omnibus beatis. Et quantum ad istum oculum et usum, manet donum timoris in patria. Quantum vero ad alios inferiores tollitur, quia isti competunt ei secundum statum imperfectionis. Quia vero remanet ei usus principalis; hinc est, quod non dicitur evacuari, sed magis perfici et salvari." *Ibid. q. 3.*

[5] „De dono pietatis tene, quod pietas attenditur erga Deum, et est idem quod latria: erga parentes, et est pars justitiae, secundum regulam juris naturalis, et secundum obligationem necessitatis: attenditur etiam erga proximum Dei imagine insignitum, et sic est Spiritus sancti donum. Sed nota, quod misericordiae virtus attendit in proximo conformitatem in natura, et necessitatem in miseria, praevio dictamine juris naturalis, secundum regulam prudentiae. Pietas vero attendit in proximo divinam imaginem, praevio dictamine juris divini, secundum regulam doni scientiae. Ex dono ergo pietatis est homo benevolus cuilibet creaturae Dei imagine insignitae. Talis autem benevolentia pro loco et tempore exit aliquando in compassionis affectum, aliquando in operis beneficium. Actus ergo pietatis praecipuus est facere hominem benevolum respectu cujuslibet proximi, in quantum gerit imaginem creatoris."

Centiloq. p. 3. sect. 45. Vide etiam *3. dist. 35. q. 6;* et *De sept. donis praep. nn. 25—35.*

[6] „Scientia dicitur tribus modis. Quaedam enim est scientia consistens in intellectu pure speculativo, fundata super principia rationis, ut est scientia acquisita, sive humana philosophia. Quaedam est consistens in intellectu inclinato ab affectu, fundata super principia juris naturalis, ordinans ad rectam et honestam vitam, ut est scientia prudentiae virtutis. Quaedam est consistens in intellectu inclinato a fide, et inclinante ad operationem bonam, fundata super principia fidei, habens ortum a donis spiritualis gratiae, ut est donum scientiae, cujus actus praecipuus est dirigere in agendis secundum exigentiam regulae fidei, et imitationem Christi.“ *Centil. l. c.* — „Licet fides habeat ipsam summam veritatem pro principali objecto, cui credit et assentit; illud tamen, quod credit, videt per speculum creaturae. Propterea, etsi speculum creaturae non sit ejus principale objectum, cognitio tamen aeternorum in subjecta creatura, et mundanae creaturae, et intelligentia Scripturae, plurimum confert ad ipsius fidei promotionem sive in alio, sive in se. In se quidem quantum ad profectum; in aliis autem non solum quantum ad profectum, sed etiam quantum ad inchoationem; homo enim magnae scientiae et literaturae facilius persuadet, et melius instruit venientes ad fidem, quam ignorans, sicut de beato Paulo manifestum est. Unde quia scientia ista valet ad fidei introductionem, et introductae provectionem, et provectae defensionem, et defensae confirmationem; hinc est, quod quatuor actus assignat Augustinus *(l. 14. de Trin. c. 1)* respectu ipsius fidei, dicens quod per donum scientiae fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur; ita quod primus actus respicit incipientes, duo intermedii proficientes secundum progressum in bono et repugnantiam contra malum, quartus et ultimus jam perfectos. Ad illud ergo, quod objicitur in contrarium, quod scientia non generat fidem, nec quantum ad habitum, nec quantum ad actum, dicendum quod imo; sed generari aliquem habitum ab alio potest intelligi dupliciter, vel respectu ejusdem subjecti, vel respectu alterius. Et respectu alterius dupliciter, vel effective vel dispositive. Cum ergo dicitur, quod scientia generat fidem, hoc non intelligitur respectu ejusdem subjecti, sed respectu alterius; nec intelligitur effective, sed dispositive. Ad illud, quod objicitur, quod fides est de aeternis, scientia de temporalibus, dicendum, quod illud non cogit, quia temporalia bene manuducunt ad aeterna, quamdiu sumus in via.“ *3. dist. 35. dub. 2.* — „Doni scientiae praecipuus actus est dirigere circa actionem, non tamen sine notitia eorum, quae sunt fidei, quae est fundamentum suae directionis.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod scientiae quadruplex est differentia. Quaedam est, quae consistit in intellectu pure speculativo; et haec est fundata supra principia rationis: et haec est scientia acquisita de quacumque creatura, sicut scientia humanae philosophiae. Quaedam autem est, quae consistit in intellectu inclinato ab affectu; et haec est fundata supra principia fidei, quae quidem sunt articuli, et tamen acquisita: et haec est scientia sacrae Scripturae, quam nullus habere potest, nisi saltem habeat fidem informem. Quaedam autem est, quae consistit in intellectu, sive ratione, in quantum inclinat affectum ad operationem; et haec fundata est supra principia juris naturalis, quae ordinatur ad rectitudinem et honestatem vitae: et hujusmodi est scientia virtutis prudentiae. Quaedam autem scientia est, quae consistit in intellectu, secundum quod est inclinatus et inclinans, inclinatus, inquam, a fide, et inclinans ad bonam operationem; et haec fundatur super principia fidei, et habet ortum a dono gratiae: et talis est scientia, quae est donum Spiritus sancti. Et ex hoc patet, quis sit actus proprius hujus doni. Est enim actus ejus dirigere ad agenda secundum praeexigentiam regulae ipsius fidei, cujus est dirigere ad opera misericordiae, ut non tantum bona pro bonis reddat, secundum quod dictat lex naturae, sed etiam bona pro malis, secundum quod dictat lex gratiae ad exemplar ipsius Jesu Christi, in quo fuit gratiae abundantia. Et ideo ad ipsam scientiam non solummodo pertinet dirigere in agendis, sed etiam ex consequenti pertinet nosse ea, quae sunt fidei, tanquam fundamentum suae directionis, et ulterius nosse humanitatem Christi, tanquam exemplar sui regiminis, ita quod hic triplex actus conveniat ei secundum triplicem respectum, unus videlicet, respectu objecti motivi, alter vero, respectu sui fundamenti; et tertius est exemplaris excitativi. Et quia principalis actus accipitur ex parte objecti; hinc est, quod praecipuus actus doni scientiae est dirigere circa actionem.“ — „Ad illud ergo, quod primo objicitur in contrarium, quod ipsius scientiae est fidem gignere et roborare, dicendum, quod iste non est actus ejus principalis, sed ad principalem ordinatus ea ratione, qua directio doni scientiae in agendis sequitur, et fundatur supra principia ipsius fidei.“ — „Ad illud quod objicitur, quod ipsius doni scientiae est humanitatem et gratiam Christi nosse, jam patet responsio; quia nec hic est actus ipsius scientiae principalis, sed quia ad principalem habet ordinari; sicut cognitio exempli utilis est ad evidentiorem cognitionem rei, quae secundum exemplar illud debeat fieri.“ — „Ad illud quod objicitur, quod per prudentiam sufficienter dirigitur homo in agendis, jam patet responsio; quia prudentia dirigit secundum principia juris naturalis ad ea, quae honesta sunt; sed scientia donum dirigit per principia fidei et juris divini ad ea, quae sunt sancta; unde quodam modo altior est actus ipsius doni scientiae, quam virtutis prudentiae, et supra principia magis elevata fundari habet; et propter hoc, habita virtute prudentiae, non superfluit donum scientiae.“ — „Ad illud quod objicitur, quod intelligentia Scripturarum spectat ad donum scientiae, dicendum quod, sicut prius tactum fuit de cognitione eorum, quae sunt fidei, quae non principaliter spectant ad donum ipsius scientiae, sed quodam modo antecedenter, et quasi praesuppositive; sic etiam intelligendum est de intelligentia Scripturae.“ *3. dist. 35. a. 1. q. 2. et ad 1—4.*

[7] „De dono fortitudinis est tenendum, quod ejus actus consistit in sustinentia passionum, et aggressione arduorum. Aggredi autem ardua, sive perpeti passiones, potest homo dupliciter, vel propter justitiae et honestatis conservationem, et sic respicit virtutem fortitudinis; vel propter Christi perfectam imitationem, et sic respicit donum fortitudinis. Primum est de dictamine juris naturalis, secundum de dictamine juris divini. Actus ergo doni fortitudinis attenditur penes promptam et expeditam tolerantiam

passionum." *Centil. p. 3. sect. 45.* Vide quoque *3. dist. 35. a. 1. p. 5, et De sept. Don. praed. nn. 44—53.*

[8] „Consilium aliquando dicit actum consiliandi, aliquando dicit illud, ad quod terminatur ille actus, aliquando dicit habitum, qui expedit et dirigit animam ad eligendum prosequenda et vitandum fugienda. Habitus autem dirigens, si sit respectu eligibilium, quae sunt necessitatis, est prudentiae, quae dirigit ad talia, licet minus excellenter quam scientia, quae est donum. Si autem eligibilia sint arduitatis et difficultatis, est donum consilii. Potest quippe homo dirigi in electione vel secundum regulam juris naturalis, et sic est prudentia; vel secundum regulam juris divini, et sic est donum consilii, cujus est dirigere in electionem prosequendorum, et fugam vitandorum." *Centil. l. c.* Cfr. quoque *3. dist. 35. a. 1. q. 4,* et *De sept. Don. praed. nn. 54—64.*

[9] „De dono intellectus tene, quod ejus actus consistit in contemplatione non solum creatricis essentiae, verum etiam in contemplatione spiritualis creaturae. Habetur quidem cognitio de Deo sub ratione veri tripliciter, scilicet per simplicem assensum, et sic est fides faciens assentire; per rationis adminiculum, et sic est intellectus donum, cujus est credita per rationem intelligere; per simplicem contuitum, et sic est munditia cordis, cujus est videre Deum. Etenim ad intelligendum credita non adjuvatur homo per rationes sumptas a conditionibus." *Centil. l. c.* — „Intelligentia non tantummodo de aeternis est, sed etiam de rebus invisibilibus et spiritualibus temporaliter exortis. Hoc videtur per Dionysium *(de cael. Hier. c. 1)* ad Titum, qui dicit, quod impossibile est, quamdiu in via sumus, relucere nobis divinum radium, nisi circumvelatum; si ergo illud est velamen creaturae, videtur, quod intellectus non possit Deum nisi in creatura cognoscere; ergo si est ad cognitionem Creatoris, necesse est, quod sit simul ad cognitionem creaturae." — „Item non est perfectus habitus amoris, nisi ametur Deus et in se et in sua imagine; ergo similiter non erit perfectum donum intellectus, nisi Deus per illud cognoscatur et quantum ad conditiones suas, et quantum ad conditiones creaturarum, quae sunt ei similes; ergo videtur, quod donum intellectus sit ad contemplanda temporalia et aeterna." — „Item, de eisdem habet esse intellectus, de quibus habet esse fides, secundum quod dicit Gregorius *(1. Moral. c. 18):* Quod Deus intellectum dat, dum de auditis mentem illustrat; sed fides non tantummodo respicit divinam essentiam in se, verum etiam in comparatione ad creaturam; videtur ergo, quod actus doni intellectus ordinetur ad illa duo contemplanda." — „Donum intellectus consistit in contemplatione Creatoris et creaturae." — „Dicendum quod cognitio de Deo sub ratione veri potest haberi secundum triplicem modum. Uno modo habetur cognitio de Deo per simplicem assensum, alio modo per rationis adminiculum, tertio modo per simplicem contuitum. Primum est virtutis fidei, cujus est assentire; secundum est doni intellectus, cujus est credita per rationem intelligere; tertium est beatitudinis munditiae cordis, cujus est Deum videre. Quoniam ergo rationes, secundum quas juvamur ad credita intelligenda, accipiuntur non solum a conditionibus Creatoris, sed etiam a conditionibus creaturae spiritualis, quae intra creaturas proximiorem habet assimilationem ad Creatorem; hinc est, quod donum intellectus, cujus actus est in contemplationem summi veri elevare per lumen, quod non solum facit assentire, sed etiam per congruas rationes credita intelligere, non solum attenditur in contemplatione creatricis essentiae, sed etiam spiritualis creaturae. Ex hoc patet, quis sit actus et objectum proprium ipsius doni intellectus. Quoniam objectum ejus est ipsum verum aeternum in quantum intelligibile, non solum secundum proprias conditiones, sed etiam secundum proprietates creaturarum sibi similium, secundum quod dicit Magister in littera; actus vero ejus est contemplari ipsum verum creditum, ut devotius credatur, et ardentius diligatur. Et ita donum intellectus consistit in contemplatione rationali Creatoris et spiritualis creaturae, sicut ostendunt rationes, quae ad istam partem sunt inductae." — „Ad illud quod objicitur, quod donum scientiae et sapientiae distinguuntur, quia hoc est circa temporalia, et illud circa aeterna etc., jam patet responsio, quia non est simile. Sapientia enim negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas, scientia vero circa creata secundum rationes creatas: et quia habent diversa objecta etiam secundum rationem movendi et dirigendi; hinc est, quod sunt dona diversa. Intellectus vero sive circa creaturam, sive circa Creatorem negotietur, semper refert ad rationes aeternas, ad quas per creaturas etiam elevat contemplandas; et ideo unum solum donum est, quamvis illa sint plura: et ex hoc colligi potest, quod donum intellectus est infra sapientiam et supra scientiam." — „Ad illud quod objicitur, quod donum intellectus aut est in simpliciter speculando, aut in speculando et afficiendo, dicendum quod est cognitio experientiae, quae attenditur secundum gustum, et ista est doni sapientiae acquisitae; et est cognitio speculationis extensae, quae quodam modo via est ad gustum, sicut cognitio fidei ad delectationem, seu dilectionem caritatis; et haec est doni intellectus, quae quidem viam praebet ad usum doni sapientiae, quae a Deo gratuita est, quoniam super assensum fidei fundatur, et ulterius ordinat ad sapientiae gustum. Nihilominus tamen in actu intellectus est quaedam delectatio, sed longe inferior, quam in dono sapientiae, delectatur enim quis in cognitione veritatis, sed non sicut in gustum summae suavitatis." — „Ad illud quod objicitur, quod sicut contingit Deum cognoscere in imagine, sic etiam in vestigio, dicendum quod non est omnimoda similitudo; in imagine enim, quia magis appropinquat, magis clare habet cognosci; in vestigio vero, quia multum distat, sub majori obscuritate et aenigmate. Et quia ad donum intellectus spectat contemplatio clarior et excellentior, quam sit cognitio fidei; hinc est, quod ad donum illud non spectat cognoscere Deum in quacumque creatura, sed in ea, quae est ejus imago et similitudo expressa, sicut dictum est supra." — „Ad illud quod objicitur, quod donum intellectus combinatur donum sapientiae, dicendum quod, quia donum sapientiae consistit in gustu, donum vero intellectus consistit in lumine rationis, et amplius ascendit affectio quam ratio, et unio quam cognitio, secundum quod vult Dionysius; hinc est, quod donum sapientiae in actu suo non sic indiget adminiculo creaturae, secundum quod donum intellectus. Et ideo donum sapientiae in actu suo versatur solum circa aeterna, donum vero intellectus non solum circa aeterna,

sed etiam circa creata. Cum ergo dicit, quod dona, quae ad invicem combinantur, debent habere idem objectum, hoc verum est de objecto principali, non autem de eo, quod habet rationem adminiculantis." — „Ad illud vero quod ultimo objicitur, quod intellectus videt per speculum, sicut et fides, dicendum quod in visione per speculum sunt multi gradus secundum majorem et minorem depurationem ab obscuritate aenigmatis; et secundum hoc alio et alio modo habet illuminari et habilitare. Unde fides habilitat ad assentiendum Deo in articulis, quos etsi non videat in se, tamen videt in creatura, cognoscendo quid est, quod per nomen dicitur; nunquam enim cognoscit aliquis credens quid sit Trinitas, nisi quia videt quid sit ternarius in creatura. Sed ulterius donum intellectus illuminat ad intelligendum non solum quid est, quod per nomen dicitur, sed etiam ad videndam rationem, quod Trinitas debeat in Deo esse, per hoc quod videt in ipsa imagine egressum verbi a mente per viam generationis et amoris, ab utroque per viam connexionis. Ex his patet, quod, etsi fides et intellectus sint per speculum, tamen in modo speculandi differunt; et ideo sunt diversi habitus. Patet etiam similiter cum hoc, quis sit actus doni intellectus, et quid objectum, et quae differentia ipsius respectu aliorum habituum." *3. dist. 35. a. 1. q. 3.* Cfr. et *serm. 3 in Hex.*

[10] „Sapientia, communiter accepta, dicit cognitionem generalem rerum divinarum et humanarum secundum Augustinum *(l. 14. de Trin. c. 1)*, et Philosophum *(Aristot. l. 1. Met. c. 2)*, qui dicit, quod sapiens est, qui novit omnia. Minus communiter dicit cognitionem rerum aeternarum; unde Apostolus *(1. Cor. 12, 8): Alii datur sermo sapientiae*, id est, cognitio aeternorum. Proprie dicit cognitionem, qua colitur Deus fide et spe et caritate; unde Job *(28, 28): Pietas ipsa est sapientia.* Magis proprie nominat cognitionem Dei experimentalem; et sic est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando suavitatem Dei. Qui quidem actus partim est cognitivus, partim affectivus; ita quod in cognitione inchoatur, et in affectione consummatur. Item habemus quiescere in optimo per intelligentiam virtutis, et sic est donum intellectus; et per affectionem bonitatis, et sic est donum sapientiae." *Centil. p. 3. s. 45.* — „Quarto modo dicitur sapientia magis proprie, et sic nominat cognitionem Dei experimentalem. Et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cujus actus consistit in degustando divinam suavitatem. Et quoniam ad gustum interiorem, in quo est delectatio, necessario requiritur actus affectionis ad conjungendum, et actus cognitionis ad apprehendendum, secundum illud Philosophi *(7. Eth. et 1. Met.)*, quo dicit, quod delectatio est conjunctio convenientis cum convenienti cum sensu ejusdem; hinc est, quod actus doni sapientiae partim est cognitivus, et partim est affectivus, ita quod in cognitione inchoatur et in affectione consummatur, secundum quod ipse gustus, vel saporatio est experimentalis boni et dulcis cognitio. Et ideo actus praecipuus doni sapientiae propriissime dictae est ex parte affectionis, ratione cujus dicit Ecclesiasticus *(6, 23)*, quod sapientia secundum suum nomen est. Et Gregorius *(1. Mor. c. 16)* dicit, quod actus ejus est reficere. Et Dionysius dicit, quod istius sapientiae est amantem esse, propter hoc quod melius afficimur circa Deum praevia cognitione, quae est per ablationem et negationem, quam per affirmationem, sicut docet in libro de mystica theologia. Ratione etiam istius ejusdem causae dicit Bernardus *(de natura amoris divini c. 2)* caritatem in sapientia proficere. Et ex hac eadem causa contingit, quod sapientia non potest esse nimia, quia excessus in experimento divinae dulcedinis potius est laudabilis, quam vituperabilis, secundum quod patet in viris sanctis et contemplativis, qui prae nimia dulcedine modo elevantur in ecstasim, modo sublevantur usque ad raptum, licet hoc veniat paucissimis. Concedendum est igitur, quod actus doni sapientiae praecipuus est ex parte affectionis." *3. dist. 35. a. 1. q. 1.* Vide etiam *Serm. 2 in Hexaëm.*; et *de septem donis praed. nn. 93—109*; et superius *part. I. c. 1. n. 4.*

[11] „Est triplex intellectus, scilicet regula circumspectionum moralium, janua speculationum scientialium et clavis contemplationum caelestium. Primo est regula circumspectionum moralium, ex Psalmo *(31, 8): Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.* Promittit intellectum et dicit, quomodo debemus suscipere, et instrui penes illum, dicens: *Firmabo super te oculos meos,* sinistrum gratiae et dexterum gloriae; quod fit, quando Deus acceptat opera hominis in praesenti approbando, et in futuro remunerando. Sed oportet ad hoc, quod simus apti ad istum intellectum, ut regulemur non secundum sensibilia phantasmata, sed secundum judicia intellectualia, sicut ibidem *(9)* dicitur: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Alioquin accidet nobis sicut primo homini, qui *cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psalm. 48, 21)*; id est, quia non est secutus intellectum, ut sequeretur mandatum Dei, factus est miser et captivus. Hic est intellectus practicus prudentialis, qui secundum dictamen legis divinae docet quid evitandum, quid exequendum, quid exspectandum. Quid evitandum, quia malum: *Si inclinaveris cor tuum prudentiae; si quaesieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam; tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies (Prov. 2, 3—5)*; id est, qui vult habere hunc intellectum, debet se inclinare per humilitatem, quaerere per desiderium, effodere per exercitium; et sic instructus in moribus intelliget, quod in timore Domini vitet omne malum: *Initium sapientiae timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum etc. (Psalm. 110, 9—10).* Quid exequendum, quia omne opus bonum, scilicet actus cordis, oris et operis. Ex Josue *(1, 7): Ne declines a lege ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quae agis.* Et sequitur: *Tunc diriges viam tuam, et intelliges eam.* Similiter oris: *Intelliges, et cum sapientia proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris (Eccli. 5, 13—14).* Similiter cordis: *Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu (Sap. 1, 5)*; ut quum false et erronee, sive vane et vacue cogitatur. Unde Ambrosius *(De offic. c. 22 et alib.)*: Nihil homo debet agere, nisi prius ratio quid honestati conveniat, examinet; nisi appetitus rationi obediat; et nisi, si quaereretur, posset Deo reddere rationem. Et

Ecclesiastes *(8, 4—5): Tempus et responsionem cor sapientis intelligit. Omni negotio tempus est et opportunitas.* Quid exspectandum, quia summum bonum, id est, bonum aeternum: *Gemma gratissima exspectatio praestolantis; quocumque se verterit, prudenter intelligit (Prov. 17, 8).* Non enim potest homo tenere bonam viam, nisi sciat terminum, quo debet ire. Debet enim considerare finem in suo opere gratissimum; gratum enim solum est bonum temporale, gratius bonum spirituale, ut scientia vel virtutes, gratissimum autem bonum aeternum. *Disce, ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus, ut scias simul, ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax (Baruch 3, 14).* Haec enim sunt in bono aeterno: *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiae et gloria (Prov. 3, 16).* Et: *Apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen (Ps. 35, 10).* Ibi debet esse oculus intellectualis, qui rectificat; quod non habebant illi, de quibus Deuteronomii trigesimo secundo *(28 et seqq.): Gens absque consilio est, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent, ac novissima providerent,* per memoriam scilicet praeteritorum, discretionem praesentium et providentiam futurorum. Secundo est janua speculationum scientialium: *In thesauris sapientiae intellectus, et scientiae religiositas (Eccli. 1, 26).* Sapientia in consideratione altissimarum causarum, intellectus in cognitione principiorum, scientia vero in consideratione conclusionum, ita ut intellectus medius sit janua ad alia duo. Qui quidem intellectus partim est a dictamine naturae, tanquam a lumine interiori; partim a notitia experientiae, tanquam ab exteriori seu inferiori; et partim ab aeternae lucis irradiatione, tamquam a superiori.“ *De sept. donis Spir. sancti, nn. 69—74.* De intellectu, prout est clavis contemplationum caelestium vide *not. 20.*

[12] Cfr *Stimul. divini amoris p. 1. c. 7,* ubi S. Doctor ostendit, quomodo possit homo „in praeclarissima passione septem ascensus sive gradus contemplationis evidentissime speculari secundum septiformem gratiam Spiritus sancti, donum scilicet sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae, pietatis et timoris.“

[13] „Unusquisque pro loco et tempore, ubi talis optio detur, quantumvis imperfectus, tenetur pro Christo mori, potius quam Christum negare, secus remota optione tali.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod subire mortem intentione placendi Deo hoc potest esse tripliciter. Uno modo, quando adest necessitas, vel deserendi justitiam, vel amittendi vitam; alio modo, quando se offert opportunitas divinam gloriam manifestandi, et aedificandi Ecclesiam; tertio modo solum ex hoc, quod vitam suam habet exosam. Primum est justitiae et necessitatis, secundum est perfectionis et supererogationis, tertium severitatis et crudelitatis. Unde Augustinus *(tract. 51 in Joan.)* illos, qui semetipsos praefocant, et praecipitio collidunt propter vitae praesentis odium, dicit esse sceleratissimos homicidas, tractans illud: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam (Joan. 12, 25).* Cum ergo quaeritur, utrum omnes teneantur mortem pro Christo subire, dicendum quod pro loco et tempore, ubi talis optio detur, vel quod justitia deseratur, vel quod vita perdatur, ibi omnes, quantumcumque sint imperfecti, tenentur mortem subire, et praeeligere magis Deo dilecto mori, quam ipso offenso vivere. Ubi vero talis necessitas non imminet, nec datur optio, tamen offert se opportunitas manifestandi divinam gloriam et aedificandi Ecclesiam, si homo se morti exponat, mortem subire est perfectionis et supererogationis, ad quam non omnes tenentur pro Christo. Et secundum istam viam procedunt rationes ostendentes, quod non omnes tenentur mortem pro Christo subire.“ *3. dist. 30. a. 1. q. 2.* — „Doni fortitudinis actus consistit in tolerantia passionum tantummodo in imitatione Christi perfecta.“ — „Dicendum quod fortitudo, quantum est de sua prima ratione, attenditur respectu ardui. Arduum autem dicitur aliquid dupliciter, aut quia est aliquid laboriosum et difficile, quodammodo excellens et aggravans facultatem ipsius potentiae; aut quia est ultra necessitatem, et excedit statum communem. Et fortitudo habet attendi respectu utriusque; sed respectu primi, attenditur et ordinatur secundum necessitatem praecepti; respectu secundi, secundum libertatem consilii. Et primum spectat ad fortitudinem virtutem, secundum vero ad fortitudinem donum. Quoniam autem arduitas maxime attenditur circa tolerantiam passionum; hinc est, quod tam fortitudinis doni, quam fortitudinis virtutis est habilitare, secundum principalem sui ordinationem, ad sufferentiam passionum, sed aliter et aliter. Quia sustinere et aggredi passiones potest aliquis aut propter justitiae et honestatis conservationem, aut propter perfectam Christi imitationem; ita quod primum spectat ad dictamen juris naturalis et honestatis moralis, secundum vero spectat ad consilii donum. Et quoniam imitatio Christi attenditur in crucifixione sui, secundum quod ipse dicit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Matth. 16, 24);* hinc est, quod actus fortitudinis doni attenditur circa promptam et expeditam passionum tolerantiam, per hoc quod quodammodo nos mundo, et mundum nobis crucifigit, juxta illud quod dicit Apostolus *(Gal. 6, 14): Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Et hoc est, quod dicit Augustinus *(in lib. de Doctr. Christ.):* Assurgant deinceps ad fortitudinem, ut mundus eis crucifigatur, et ipsi mundo, et ut in hujus vitae perversitate et abundantia iniquitatis non refrigescat caritas. Et sic patet, quod fortitudinis doni actus consistit circa passionum tolerantiam secundum imitationem Christi: et hic est ejus actus principalis.“ — „Ad illud vero quod primo objicitur, quod est circa delectationum repressionem, per auctoritates Augustini, dicendum quod Augustinus in illis auctoritatibus non assignat proprium et principalem actum ipsius fortitudinis doni, sed quasi praeambulum. Nemo enim promptus est et expeditus ad passionum tolerantiam secundum imitationem Christi, nisi qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit *(Galat. 5, 21).*“ — „Ad illud quod objicitur, quod fortitudo exequitur ea, ad quae consilium dirigit, dicendum quod, etsi donum consilii dirigat ad divina consilia implenda, in quibus consistit perfectio religionis, principaliori tamen intentione dirigit ad ea, in quibus plus est de ratione arduitatis; majoris autem arduitatis est Christum imitari in passionibus, quam in actionibus; et ideo circa hujusmodi tam consilium, quam donum fortitudinis, principaliter habet consistere.“ — „Ad illud, quod ulterius objicitur, quod donum fortitudinis non potest esse excellentiori modo

circa passiones, quam virtus fortitudinis; dicendum quod falsum est, quia excellentiori modo sustinet passiones, et excellentiori habitu, qui sustinet secundum Christi imitationem, quam qui propter justitiae conservationem; et qui sustinet secundum consilii supererogationem, quam qui secundum praecepti obligationem. In uno enim istorum rectificatur, scilicet in actu virtutis fortitudinis; in alio autem non solum rectificatur, sed etiam altius elevatur et expeditur, scilicet in actu fortitudinis doni. Et per hoc patet illud, quod ultimo quaerebatur, videlicet de differentia reali fortitudinis doni et fortitudinis virtutis, et de convenientia in nomine. Re enim differunt propter diversitatem modorum habilitandi et ordinandi ad tolerantiam passionum. Nomine vero conveniunt, pro eo quod ad eadem passionum genera ordinant. Fortitudo enim virtus ordinat ad sustinenda qualiacumque et quantacumque tormenta, antequam bonum virtutis et honestatem derelinquat; non tamen ita excellenter et prompte, sicut fortitudo donum. Unde inter omnes virtutes, propter excellentiam et arduitatem ex parte objecti, virtus fortitudinis appropinquat donis; et propterea habitus virtutis et doni, magis quam alia dona, eodem nomine habent censeri, licet differant differentia reali, quia minor est inter illos habitus differentia. Ex his patet, quis sit actus fortitudinis doni, et quod objectum, et quae differentia ejus respectu aliorum habituum." *3. dist. 35. a. 1. q. 5 et ad 1—5.*

[14] „Intellectus partim est a dictamine naturae, tanquam a lumine interiori; partim a notitia experientiae, tamquam ab exteriori, seu inferiori; et partim ab aeternae lucis irradiatione, tamquam a superiori. Primo est a dictamine naturae: *Deus de terra creavit hominem* (hunc quantum ad corpus), *et secundum imaginem suam fecit illum* (quantum ad animam), *et iterum convertit illum in ipsam* (quantum ad originale principium). Sequitur: *Consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi (Eccli. 17, 1—2. 5).* Ex quo intellige animam, ut est perfectio corporis, et ut est imago, unde habet operationem animalem, quae regit corpus, propter quod dicit: *Consilium et linguam et oculos etc.;* habet etiam intellectualem, propter quod subdit: *Et disciplina intellectus replevit illos,* quae est doctrina, scilicet naturalis, ut est imago, propterea additur: *Creavit illis scientiam spiritus;* et habet aliam infusam, seu acquisitam, pro qua dicit: *Sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis (Ibid. 6).* Et hanc amisimus per peccatum, sed acquirimus per Spiritum sanctum. Secundo est a notitia experientiae: *Vir in multis expertus cogitabit multa: et qui multa didicit, enarrabit intellectum (Eccli. 34, 9).* Ubi tangit duplicem viam, scilicet per inventionem et experientiam: *Vir in multis expertus etc.;* et per doctrinam: *Et qui multa didicit etc.* Unde Philosophus ait (*2. Post. tex. 27; et in Proëm.):* Ex multis sensibus fit una memoria, et ex multis memoriis unum experimentum, et ex multis experimentis unum universale, quod est principium artis et scientiae. Sicque venit certum judicium. Tertio est ab irradiatione lucis aeternae: *Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam,* id est, certitudinem sapientialem, scientialem et intellectualem; et haec est certitudo a Deo. Unde sequitur: *Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta; et lux cum eo est (Dan. 2, 21—22): Cum eo eram cuncta componens (Prov. 8, 30);* et: *Qui dixit de tenebris lucem splendescere (2. Cor. 4, 6).* Hinc Joannes *(1, 9): Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* non dicit aliquem, sed omnem hominem, nullus enim illuminatur nisi per illam lucem. Unde Augustinus: Ubi sunt scriptae leges illae incommutabiles, per quas etiam impius juste judicat, nisi in libro lucis aeternae, quae veritas dicitur? Quae non migrando, sed imprimendo descendunt in animam illius, qui operatur justitiam. Haec autem illuminatio juvatur per angelos: *Factum est autem, cum viderem ego Daniel visionem, et quaererem intelligentiam, ecce stetit in conspectu meo quasi species viri, et clamavit et ait: Gabriel, fac intelligere istum visionem (Dan. 8, 15—16).* Juvant autem non per modum effectivi principii, sed ministerialis et adminiculativi; quia scilicet adjuvant mentem nostram, immediate a prima veritate formatam, scilicet a Deo, secundum Augustinum *(l. 83. quaest. 51, et alibi).* Unde ex eo Glossa super illud Psalmi *(118, 73): Manus tuae fecerunt me;* sic enim Deus per semetipsum facit intelligere mentem, et sicut sol irradiat; angelus autem sicut qui aperit fenestram. Unde ipse est sol intelligentiarum nostrarum, non aliqua intelligentia vel angelus, ut aliqui philosophi posuerunt. De quo Paulus *(Act. 17, 28): In ipso vivimus, movemur et sumus.* Et hoc non solum quoad vitam et motus corporis, sed intellectus, quia est causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. Quaedam enim initiat ut principium tantum, quaedam rectificat ut objectum, et quaedam sanctificat ut donum infusum, secundum rationem vestigii, imaginis et similitudinis *). *De sept. donis nn. 74—78.*

[15] „Contemplando ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namque transit mens nostra ad supernam Jerusalem, ad cujus instar Ecclesia est formata, secundum illud Exodi *(25, 40): Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.* Necesse est enim Ecclesiam militantem conformari triumphanti, et merita praemiis, et viatores beatis, secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio praemii, scilicet summae pacis tentio, summae veritatis visio, et summae caritatis fruitio. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema hierarchia caelesti, scilicet Thronorum, Cherubim et Seraphim. Necesse est igitur, ut qui vult ad illam beatitudinem per merita pervenire, istorum trium similitudinem, secundum quod possibile est, in via sibi comparet; scilicet, ut habeat soporem pacis, splendorem veritatis et dulcorem caritatis. In his enim tribus requiescit Deus, et habitat tamquam in solio proprio. Necesse est igitur unumquodque trium praedictorum per tres gradus ascendendi distinguere secundum triplicem viam; nempe purgativam, quae consistit in expulsione peccati; illuminativam, quae consistit in imitatione Christi; et unitivam, quae consistit in susceptione Spiritus sancti. Ita quod quaelibet via habet gradus suos, per quos ascenditur ab imo, et tenditur usque ad sursum. Gradus autem perveniendi ad soporem pacis sunt isti septem . . . pudor in recordatione flagitii; . . . timor in circumspectione judicii; . . . dolor in aestimatione damni; . . . clamor in imploratione subsidii; . . . rigor

*) Vide superius *part. I. cap. VIII. not.* *

in extinctione fomitis sive incentivi quadruplicis; ... ardor in appetitu martyrii; ... sopor in obumbratione Christi ... Gradus autem perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur imitatione Christi, sunt isti septem; scilicet assensus rationis, affectus compassionis, adspectus admirationis, excessus devotionis, amictus assimilationis, amplexus crucis et intuitus veritatis ... Gradus autem perveniendi ad dulcorem caritatis sunt isti septem; scilicet vigilantia sollicitans, confidentia confortans, concupiscentia inflammans, excedentia elevans, complacentia quietans, laetitia delectans, adhaerentia conglutinans*)." *Incend. amor. c. 3. nn. 1—5.* Vide etiam superius *part. II. c. 12. nn. 11—12;* et inferius *not. 18.*

[16] „Distinguuntur gradus purgationis sic. Propter flagitium erubesce, propter judicium contremisce, propter damnum ingemisce, propter remedium implora subsidium, propter adversarium extingue incendium, propter bravium anhela ad martyrium, et propter umbraculum approxima ad Christum ... Purgatio in amaritudine, in qua contritio respectu sui debet esse dolorosa per tristitiam, propter mala prementia te ipsum, Christum et proximum. Compassio respectu Christi debet esse timorosa per reverentiam, propter judicia latentia, et tamen vera, licet incerta; sicut tempus, dies et hora. Commiseratio respectu proximi debet esse clamorosa per confidentiam, propter patrocinia semper parata per Deum, per Christum et per suffragia Sanctorum." *Ibid. nn. 6. 8.*

[17] „Gradus pertinentes ad illuminationem sic distinguuntur. Nota quis patitur, et credens captivare; qualis qui patitur, et condolens amaricare; quantus quis patitur, et stupens admirare; qua de causa patitur, et confidens precare; quali forma patitur, et sequens assimilare; quanta quae patitur, et ardens amplexare; et quid ad hoc consequitur quod patitur, et intelligens contemplare ... Sequitur illuminatio in gratitudine, in qua est vigilantia exsurgens ad canticum, propter beneficiorum utilitatem; laetitia exultans ad jubilum, propter donorum pretiositatem; benevolentia accedens ad amplexum, propter dantis liberalitatem." *Ibid. nn. 6. 8.*

[18] „Gradus viae unitivae sic distinguuntur. Te vigilantia sollicitet, propter sponsi promptitudinem; confidentia corroboret, propter ejus certitudinem; concupiscentia inflammet, propter ejus dulcedinem; excedentia elevet, propter ejus celsitudinem; complacentia alliciat, propter ejus pulchritudinem; laetitia inebriet, propter amoris ejus plenitudinem; et adhaerentia conglutinet, propter ejus fortitudinem; ut dicat semper devota anima in corde suo ad Dominum: Te quaero, in te spero, te desidero, in te consurgo, te accepto, in te exulto, et tibi finaliter adhaereo ... Perfectio in similitudine, in qua est aspectus veritatis primae, qui debet esse erectus ad incomprehensibilia, extentus ad intelligibilia, et exinanitus ad credibilia. In qua etiam est affectus caritatis, qui debet esse erectus ad Deum, extentus ad proximum, et exinanitus ad mundum. In qua etiam est actus virilitatis, qui debet esse erectus ad commendabilia, extentus ad communicabilia, et exinanitus ad contemptibilia." *Ibid. l. c.*

[19] „Contemplatio sic diffinitur: Contemplatio est verus certusque intuitus de quacumque re." *Centiloq. part. 3. sect. 46.*

[20] „Intellectus est clavis caelestium contemplationum; et iste intellectus proprie est donum Spiritus sancti, ex Ecclesiastico *(15, 3): Cibavit illum pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum.* Oportet cibum incipere a pane, et post a potu; ac post panem intellectus, qui difficile sumitur, quia difficile est excogitare, intrat aqua sapientiae suaviter in animam sitientem, quia facile est videre, et ruminare ex cogitatione. De qua aqua Joannis quarto *(14).: Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Unde sicut terra aratur, seminatur, et multa alia fiunt, antequam sit panis, quae laboriosa sunt, et postea facile sumitur; sic est de pane intellectus et aqua sapientiae. Tres autem claves sunt, quarum prima est intellectus Verbi increati, per quod omnia creantur, et ducit in opera conditoris, sive in librum creaturae. Nullus enim intellectus est, qui possit intelligere, quomodo omnia producuntur; et ideo in ipsum reducuntur, et in omnibus refulget: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (Rom. 1, 20),* scilicet quomodo est origo et causa omnium. Sed quomodo sit hoc, non videtur intelligibile, quod ab uno sint multa, ab aeterno temporalia, ab actualissimo possibilia et materialia, a stabilissimo mutabilia, a simplicissimo composita, a sublimissimo infima. Haec enim omnimoda oppositio, et vere nunquam intelliges, nisi habeas clavem Intellectus Verbi increati, quae est radix intelligentiae omnium. Sapientia enim mundi vanissima habet profundissimum, quia clausum est ei Verbum increatum: *Fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei (Hebr. 11, 3).* Verbum est aeternum, et extat plenum rationibus omnium, quae sunt media cognoscendi et potentiae operandi; et ideo est principium unum multorum cognoscendi et producendi, et sic ab uno multa. Quia etiam per dispositionem aeternam est productivum omnium, ab aeterno dixit nunc creanda, alioquin mutaretur; et ideo ab aeterno temporalia. Quia etiam repraesentat Patrem, non solum prout est principians de seipso, respectu productionis aeternorum, scilicet Spiritus sancti, et suae, vel de nihilo respectu aeviternalium; sed ut est principians de aliquo respectu temporalium, possibilium et materialium; ideo ab aeterno temporalia, ab actualissimo possibilia, a spiritualissimo materialia. Et quia etiam est veritas non solum secundum rem, sed etiam secundum definitionem adaequatam rei et intellectus, quia adaequat rem ad Deum, sicut est secundum substantiam ordinata, tanta, talis, agens, patiens, vel situata, et sic de aliis praedicamentis; hinc

*) „Post Hugonem et Richardum a S. Victore in mysticismi catholici historia S. Bonaventura primum locum jure optimo sibi vindicat; si quidem, etsi Albertus Magnus, S. Thomas, aliique potiora fundamenta mysticismi huc illuc explicuissent, tamen nemo eorum hoc in opere ex industria versatus est .... Certe S. Bonaventura de mysticis doctrinis subtilius et penitius, quam Hugo et Richardus a S. Victore disputavit, quippe quod in florentissima aetate philosophiae vixit, atque in ejus studiis adprime versatus fuit. Certe quoque placita philosophica, quibus S. Bonaventura dogmata theologiae mysticae declaravit, cum Philosophumenis Areopagitae consentiunt, quia Doctor Seraphicus s. Dionysii, ne de S. Augustino dicamus ... sententias constanter allegavit." Sanseverino *Op. cit. Dynam. V. III.*

sunt a substantialissimo accidentalia, et a simplicissimo composita. Et sic sunt *aptata saecula*, scilicet multa temporalia, possibilia composita, *Verbo Dei*. Haec est clavis, qua intromittitur contemplatio caelestium per aspectum intellectualem; ut sicut lux solis facit omnes colores, et, eo viso, omnia videntur, sic est in Verbo. Et ideo per Verbum necesse est intelligi omnia esse, aliter est impossibile. Et nobilis clavis est ista; et ideo oportet, quod manu valida, non vacillante, teneatur. Unde Augustinus *(de Trin. l. 1. c. 2)*: Mentis humanae acies invalida ad tantum lumen consurgere non potest, nisi fidei ratione emundetur; ideo dicit: *Fide intelligimus etc.*, quia fides aptat ad clavem istam; unde Psalmista *(Ps. 32, 9)*: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Secunda clavis est Intellectus Verbi incarnati; et haec ducit in opera reparationis, sive in librum Scripturae: *Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (Luc. 24, 44—45).* Quis loquitur? Verbum caro factum. Quae scripta sunt de eo? Omnia, quae sunt tam in veteri, quam in novo Testamento: *Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti*, secundum Apostolum *(Rom. 10, 4)*. Unde in Exodo *(25, 20)* scriptum est, quod duo Cherubim respiciebant se mutuo, versis vultibus in propitiatorium. Et tunc aperuit illis sensum, quando dedit intelligere, omnia reparari per ipsum, quod quidem fit per Verbum incarnatum. Sicut enim liber mundialis creaturae habet irradiationem a Verbo increato; ita Scriptura sacra, quae est de operibus reparationis, a Verbo incarnato ... Tertia clavis est Intellectus Verbi inspirati, quo revelantur omnia; et hoc ducit in speculam revelationis, sive in illius conscientiae sublimitatem. Daniel *(10, 1)*: *Intellexit sermonem; intelligentia enim opus est in visione.* Quia ut ille splendor aeternus et vapor omnipotentis Dei intret essentiam animae, et suavitas illa sentiatur, et sic de aliis, non intelliges. Unde dedit Deus Danieli intelligentiam omnium visionum, scilicet corporalium, imaginariarum et intellectualium, per inspirationem Verbi sui, quod est in sinu Patris, et habitavit in utero Virginis, et illabitur animabus nostris, ut faciat intelligere. Sed aliter et aliter in has ducit intelligentias, secundum varias profundationes et contemperationes, secundum quas radius supersubstantialis perficiens intrat in animam, et ducit in Deum, secundum Dionysium *(de angel. Hier. c. 1. in princ.)*, ubi innuit, quod radius ille, descendens per angelos in homines, et iterum reascendens in Scripturis, etiam analogice procedens, unus est, et diversificatur tantum secundum diversas profundationes et contemperationes in suscipientibus. Unde oportet per Scripturas et angelos disponi, usquequo veniatur per se ad radium supersubstantialem. Et sic patet de dono intellectus, qui est triplex, ut visum est, quod facit radius supersubstantialis per Verbum ipsum triforme. *Benedicam* igitur *Dominum, qui tribuit mihi intellectum (Ps. 15, 7).* Amen.“ *Collat. de sept. donis Sp. S., nn. 84—86, et 92;* Supplem. vol. III.

[21] „Ad activam pertinent opera misericordiae, tam corporalia, quam spiritualia. Corporalia sunt septem, hoc versiculo comprehensa: Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Quorum sufficientia sic accipitur. Homo est substantia animata: per hoc tangitur vegetabilis, quae indiget restauratione calidi et sicci, et hoc per cibum; frigidi et humidi, et hoc per potum. Sensibilis: et huic est necessarium duplex operimentum propter exteriora nociva, remotum, et est hospitium; propinquum, et hoc est vestimentum. Rationalis: et sic est substantia libera, nata habere libertatem a carcere, vel ab infirmitate; et sic est contra intrusionem in carcere, vel in lecto visitatio; et a servitute, et contra hanc est redemptio. Mortalis: et sic inest ei mors, propter quam, sive post quam, indiget sepultura. Spiritualia quoque sunt septem hoc versiculo comprehensa: Instrue, consule, castiga, solare, remitte, fer, ora. Quorum sufficientia sic accipitur. Defectus spiritualis in proximo, si non potest relevari nisi per Deum, tunc adhibenda est oratio; si potest relevari per hominem, et est cognitivae, ut ignorantia cognoscendorum, tunc est instructio; si est ignorantia agendorum, tunc est consilium. Si vero est affectivae, aut est culpa commissa in te, et sic est remissio; aut in alios, et sic est correctio. Si est poena, aut est relevandus verbo, et sic est consolatio; aut facto, et sic est supportatio.“ *Cent. part. 3. sect. 46.*

[22] „Est claritas scientiae philosophicae, magna in opinione hominum, parva in opinione Christiani; e contrario claritas scientiae theologicae, parva in opinione hominum, magna in opinione veri Christiani; claritas scientiae gratuitae major; gloriosae maxima. Unde Psalmista *(Ps. 138, 6)*: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Omnes tamen dantur divinitus, quamquam in donatione majoris semper sit majus donum; propriissime autem gratuita est donum, et gloriosa praemium. Unde *(1. Reg. 2, 3)*: *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes*, eorum scilicet, qui vias errorum sequuntur ad dissipandum: *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum (Psal. 32, 10)*: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt (Ps. 93, 11);* sed ad congregandum iis, qui recte sentiunt per magnas scientias, scilicet philosophiam et theologiam. Unde Job *(38, 33)*: *Numquid nosti ordinem caeli, aut pones rationem ejus in terra?* Sed ad elevandum per perfectas, scilicet gratuitam et gloriosam, quae sub serenitate nubium intelligitur; per has enim mentes scientiales elevantur. Unde sequitur Job *(38, 34)*: *Numquid levabis in nebula vocem tuam?* De istis quatuor scientiis volumus dicere, ut ad tertiam possimus pervenire, de qua loquimur hîc. Scientia physica nihil aliud est quam veritatis, ut scrutabilis, notitia certa. Sapientia theologica est veritatis, ut credibilis, notitia pia. Scientia gratuita est veritatis, ut elegibilis, notitia sancta. Scientia gloriosa est veritatis, ut desiderabilis, notitia sempiterna. — Primo incipiamus a scientia physica. Dico quod scientia physica est veritatis, ut scrutabilis, notitia certa. De hac scientia dicitur in Proverbiis *(22, 20—21)*: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus et scientia, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis.* Potest illud verbum esse Salomonis, et verbum Dei. Ipse enim describit scientiam physicam tripliciter, id est, secundum triplicem rationem describit eam, ut naturalem, ut rationalem et ut moralem, scilicet in quantum est causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi. In quantum est causa essendi, designat

scientiam naturalem: in quantum est ratio intelligendi, signat scientiam rationalem: in quantum est ordo vivendi, describit scientiam moralem. Nec tantum est verbum illud Dei, imo est etiam Salomonis, qui disputavit a cedro Libani usque ad hyssopum *(3. Reg. 4, 33)*. Ipse dicit: *Ecce descripsi eam tibi tripliciter, ut ostenderem tibi firmitatem,* id est, solidam et firmam veritatem, *et eloquia veritatis.* Ipse describit eam tripliciter, scilicet in quantum est veritas rerum, veritas sermonum et veritas morum, secundum quod est indivisio entis ab esse et entis a fine. Veritas rerum est indivisio entis ab ente, veritas sermonum est indivisio entis ab esse, veritas morum est indivisio entis a fine. Veritas morum est rectitudo, secundum quam homo bene vivit intus et extra secundum dictamen juris, quia jus est regula rectitudinis. Veritas sermonum est adaequatio vocis et intellectus. Veritas rerum est adaequatio intellectus et rei. Et quia scientia physica eloquia veritatis docet, et triplex est veritas; ideo dicit, quod descripsit eam tripliciter. Non credatis, quod Salomon istam triplicem notitiam adquisierit. De scientia sermocinandi dicit, quod eam habuit. Unde in libro Sapientiae *(9, 4. 12)* dicit: *Da mihi,* Domine, *sedium tuarum assistricem sapientiam,* ut dignus sim sedium patris mei. Ibi scriptum est: *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, et praesumere digna horum, quae mihi dantur . . . In manu ejus sumus nos et sermones nostri (Sap. 7, 15—16).* Impossibile est, quod sapientia fiat doctrina, nisi per sermonem. Sermo autem non est sufficiens ad docendum, nisi sit sententiosus; et non loquitur homo sententiose, nisi sermo ejus sit discussivus, inquisitivus et persuasivus, scilicet quod habeat sermonem potentem ad loquendum omne illud, quod potest apprehendi, vel nosci, vel ad quod affectus potest inclinari. Congrue autem exprimit, quod dicit per grammaticam, rationabiliter investigat per scientiam naturalem, et efficaciter persuadet per rhetoricam. Igitur est pars philosophiae, scilicet sermocinalis, quae triplex est, ut patet, quam adeptus est Salomon. Alteram partem philosophiae, scilicet quae est in veritate rerum, dicit se Salomon adeptum esse. Unde dicit in libro Sapientiae *(7, 17): Mihi dedit Deus eorum, quae sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutem elementorum.* Certum est, quod notitia veritatis rerum triformis est, secundum quod sunt formae concretae, formae abstractae et formae separatae. Formas concretas considerat physicus, formas abstractas metaphysicus, et formas separatas mathematicus. Unde dicit: *Mihi dedit Deus scientiam eorum, quae sunt,* id est, entium principaliter, quae vere entia sunt, quantum ad scientiam metaphysicam: *ut sciam dispositiones orbis terrarum,* quantum ad mathematicam: *et virtutes elementorum,* quantum ad naturalem philosophiam*). Et haec, aut sunt de abstractis quantum ad universalem, scilicet mathematicam et metaphysicam, unde dicit: *Initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus et stellarum dispositiones;* aut sunt de concretis quantum ad naturalem, scilicet physicam, circa rerum generationem et corruptionem, secundum virtutes naturales et seminales; unde dicit: *Naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum et virtutes radicum (Sap. 7, 18—20).* „De tertia parte philosophiae, scilicet de morali, dicit etiam Salomon, quod eam est adeptus. Unde in Ecclesiaste *(7, 26): Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti et errorem impudentium.* Multa dicit se considerasse, et omnia ordinasse ad mores. Carissimi, impietas stulti est in male sentiendo de causa causarum. Error impudentium est circa regimen vitae monasticae, vel vitae oeconomicae, vel politicae, id est, circa regimen sui, vel familiae, vel civitatis. Magna prudentia est ad regimen sui, major ad regimen familiae, sed maxima circa regimen civitatis. Impossibile est, quod sol illuminet remota corpora a se, et non illuminet propinqua sibi. Non potest habere familiam ordinatam, nisi ipse sit ordinatus. Volet aliquis habere sermones castos, et ipse non erit castus; hoc non potest esse. Similiter nisi homo bene regat familiam suam, non poterit bene regere civitatem, quia *qualis princeps civitatis, tales erunt habitantes in ea (Eccli. 10, 2).* Ostendit igitur Salomon se pervenisse ad triformem descriptionem scientiae physicae, scilicet ad descriptionem scientiae rationalis, moralis et naturalis, et ad triformem descriptionem quarumlibet istarum. Qui haberet descriptionem istarum scientiarum secundum veritatem, maximum speculum haberet ad cognoscendum, quia nihil est in aliqua istarum scientiarum, quod non importet vestigium Trinitatis. Illud esset facile ostendere, sed longum esset. Prima claritas, scilicet scientiae physicae, magna est secundum opinionem hominum mundialium, sed de facili eclipsatur, nisi homo caveat sibi a capite et cauda draconis. Si aliquid interponatur inter ipsum et solem justitiae, patitur eclipsim stultitiae: *Stultus factus est omnis homo a scientia sua (Jerem. 10, 14),* scilicet occasionaliter, non causaliter. Qui confidit in scientia physica, et appretiatur se propter hoc, et credit se esse meliorem, stultus factus est, scilicet quando per istam scientiam, sine ulteriori lumine, credit se apprehendere Creatorem, sicut homo per candelas vellet videre caelum, vel corpus solare. Certum est, quod rationalis philosophia in rhetorica consummatur, cum sit triplex genus deliberativae, scilicet quando homo deliberat de utilitate, de securitate et de honestate, et ejus opposito, scilicet de damno et de periculo et de peccato, sive de inhonestate. Non potest homo scire quid utile, quid damnosum, nisi ex additione ultra istam scientiam. Dicitur in Evangelio *(Matth. 16, 26): Quid prodest homini, si universa lucretur, detrimentum autem animae suae patiatur?* Quid valet, quod homo multa sciat, si vera honestas animae relinquatur? Certum est etiam, quod secundum scientiam moralem non potest homo scire quid utile, quid damnosum, nisi ex additione ultra scientiam moralem, secundum quod scientia moralis est ritus colendi, norma vivendi et censura judicandi. Quis potest scire ritum colendi, normam vivendi et censuram judicandi? Quis potest scire ritum colendi per philosophiam naturalem? Esto quod homo habeat scientiam naturalem et metaphysicam, quae se extendit ad substantias summas, et ibi deveniat homo et quiescat. Hoc est impossibile,

*) Haec et sequentia virgulis interclusa, ex quodam codice gallico excerpta, P. Fidelis a Fanna in op. *Ratio novae collectionis etc.* pag. 194 retulit.

quin cadat in errorem, nisi sit adjutus lumine fidei, scilicet ut credat homo Deum trinum et unum, potentissimum et optimum secundum ultimum influentiae bonitatis. Si aliter credas, insanis circa Deum: si quod proprium est Dei, attribuis alteri, blasphemas et idolatra es, sicut si homo simplicitatem Dei vel hujusmodi attribuat alteri. Igitur ista scientia praecipitavit et obscuravit philosophos, quia non habuerunt lumen fidei. Unde Apostolus *(Rom. 1, 21—22): Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ...* ideo *obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et in libro Sapientiae *(13, 9):* Qui cum totum scire potuissent, quem non minus Dominum scire voluerunt. Physica scientia via est ad alias scientias, sed qui ibi vult stare, cadit in tenebras.“ — Secunda claritas, scilicet theologicae scientiae, est veritatis credibilis notitia pia. Est enim lux Dei inaccessibilis, quam oculus videre non potest nisi per fidem, supra quam est fundata theologia super duodecim articulos, sicut super duodecim fundamenta civitatis. De hac Isaias *(11, 9): Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes,* hoc est scientia theologica, quae comparatur aquae maris propter profunditatem mysteriorum. Sicut enim homo non potest transvadare mare, sic nec ista investigare ad plenum: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: Lege istum; et respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei: Lege: et respondebit: Nescio literas (Isa. 29, 11—12).* Ergo nec sciens philosophiam vales intrare in scrinarium Dei. Nec alius non habens literam et spiritum, potest exponere. Item propter multiformitatem sensuum, sicut est fluxus et refluxus maris: *Tu autem, Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum: plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia (Dan. 12, 4).* In eadem litera diversi sunt sensus, sicut in terra diversae pullulationes, et sicut nomine semel posito ad varios sensus utendum est aequivoce. Item propter stabilitatem Ecclesiarum, nisi enim esset humidum, quod penetrat partes sicci, non staret terra: *Qui fundavit terram super stabilitatem suam (Ps. 103, 5);* et: *Ipse super maria fundavit eam (Ps. 23, 2).* Sicut enim sanguis humanum corpus humectat; sic Episcopus ecclesiasticam Hierarchiam, quae est fundata super maria, id est, super eloquia divina: *Haec scribo tibi, fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (1. Tim. 3, 14—15).* Ecclesia enim fundata est super eloquia sacrae Scripturae, quae si deficiant, deficit intellectus: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terrae (Ps. 81, 5).* Exemplum de Ario, Sabellio et Nestorio, qui nescientes, neque intelligentes, commoverunt totam Ecclesiam. Oseae quarto *(6, 14): Quia tu scientiam repulisti, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi: et populus non intelligens vapulabit.* Cum enim Ecclesia fundata sit in sacra Scriptura, qui nescit eam, nescit Ecclesiam regere. Repellitur autem scientia Dei, quando non capitur: *Propterea ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam (Isa. 5, 13);* et quando, quod scitur, non impletur: *Vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis (Luc. 21, 52),* scilicet malo exemplo. *Scienti ergo bonum facere, et non facienti, peccatum est illi (Jacob. 4, 17);* et ita augetur culpa. Item poena, servus enim sciens voluntatem Domini sui, et non faciens, digne vapulabit plagis multis *(Luc. 12, 47).* Item peccans malo exemplo vel documento. Oportet ergo, ut adsit intellectus et operatio. Tertia claritas scientiae, scilicet gratuitae, est veritatis eligibilis notitia sancta: *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam Sanctorum (Sap. 10, 10).* Et haec est, quae datur a Spiritu sancto, movente animam ad sanctitatis notitiam approbatam custodiendam: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis (1. Cor. 2, 12).* Vel dicitur scientia Sanctorum, quia nihil habet curiositatis, nec carnalitatis, nec vitiositatis, ut nihil horum faciat delectari in creatura: *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris (Genes. 2, 16—17);* quae Adam transgrediens, habuit haec tria, scilicet curiositatem, carnalitatem et vitiositatem, id est, superbiam vitae, concupiscentiam carnis et oculorum. Vel dicitur scientia Sanctorum, quia habet aemulationem omnis sanctitatis: *In multa sapientia multa est indignatio, et qui addit scientiam, addit et dolorem (Eccle. 1, 18),* scilicet compunctionis in se: *Irascimini, et nolite peccare: quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini (Ps. 4, 5).* Quando enim homo videt, quod nihil est ordinatum in se ad Deum, dolet; unde scientia parit luctum, et respondet beatitudo luctui. Addit et dolorem compassionis respectu proximi: *Misericordiam volo et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocaustum (Ose. 6, 6);* hoc est, quando homo compatitur peccatori, exemplo Christi nostras compatientis infirmitates, de quo Isaias *(53, 2—4): Desideravimus eum, despectum et novissimum vivorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et sequitur *(11): In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.* Sic et David flevit, mortuo Saul, mortuo Abner, mortuo Absalon. Addit etiam dolorem ex scientia Dei non servata: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores (2. Mach. 6, 30): Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua (Psalm. 118, 125).* In his autem scientiis attendendus est modus, secundum Bernardum super illud *(1. Cor. 8, 2): Si quis autem existimat se scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire.* Dicit enim sic Bernardus *(serm. 36 in Cant. n. 3):* Vides, quoniam non probat Apostolus multa scientem, si modum sciendi nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem sciendi in modo sciendi constituit? scilicet in ordine, studio et fine. Sunt enim quidam, qui volunt scire eo fine tantum, ut sciant, et turpis curiositas est; et quidam, qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; quidam item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est; quidam, ut aedificent, et caritas est; quidam, ut aedificentur, et prudentia est. Quarta claritas scientiae, scilicet gloriosae, est veritatis desiderabilis notitia sempiterna: *Nosse enim te, consum-*

mata justitia est; et scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis (Sap. 15, 3).“ De sept. don. etc. nn. 37—43.

[23] „Dona Spiritus sancti sunt tantum septem, licet numerus hic diverso modo colligi possit.“ — „Numerus et distinctio et sufficientia donorum quadrupliciter accipitur, secundum ipsorum donorum comparationem quadruplicem. Habent enim dona primo comparari vel considerari respectu habituum annexorum, secundo respectu suorum oppositorum, tertio respectu finium proximorum, quarto respectu actuum et objectorum. Per comparationem ergo ad habitus annexos sufficientia donorum dupliciter accipitur. Uno modo, ut unumquodque donum alicui virtuti respondeat. Ut incipiamus a superiori, sapientia respondet caritati; intellectus fidei; consilium vero, propter hoc quod ordinat ad ea, quae supererogationis sunt, in quibus spes aeternorum concipitur, respondet ipsi spei; fortitudo fortitudini; scientia prudentiae; pietas justitiae; timor modestiae, sive temperantiae. Aliter possunt sumi, secundum quod ordinantur ad expeditionem virtutum theologicarum. Quia enim fides credit temporalia et aeterna quantum ad articulos divinitatis et humanitatis, duo habet expedientia, intellectum scilicet circa aeterna, et scientiam circa temporalia. Sic caritas circa duo habet affici, videlicet circa Deum et circa proximum; et secundum hoc habet duo expedientia, videlicet sapientiam respectu Dei, et pietatem respectu proximi. Spes etiam potest dupliciter a statu suo everti, vel per extollentiam in prosperis, vel per depressionem in adversis; et ideo habet duo dona expedientia, unum contra prospera, scilicet donum timoris, alterum contra adversa, scilicet donum fortitudinis. Et ut expedite omnia et sine errore currant, donum consilii his sex donis superadditur, ut simul sit in omnibus praedictis expediens cum maturitate. Et haec est prima via accipiendi donorum sufficientiam. Huic tamen viae satis potest inferri calumnia, quia solummodo videtur ibi esse quaedam adaptationis congruentia. Secunda autem via accipiendi sufficientiam donorum est respectu suorum oppositorum. Et hoc potest similiter dupliciter fieri, videlicet respectu peccatorum capitalium, vel respectu symptomatum consequentium. Respectu peccatorum sic, ut timor sit contra superbiam, pietas contra invidiam, scientia contra iram, quae mentem perturbat, fortitudo contra acidiam, quae mentem dejicit, consilium contra avaritiam, quae contra divinum consilium vult omnia retinere, intellectus contra gulam et ebrietatem, quae rationem suffocat, sed sapientia contra luxuriam, quae non sapit nisi carnalia. Alius modus sumendi est contra symptomata, quem assignat Gregorius in Moralibus *(l. 2. c. 27)* super illud: *Ventus vehemens etc. (Job 1, 19)*: Spiritus, qui ante omnia mentem virtutibus ornat, eandem contra singula tentamenta septem virtutibus roborat. Et post subdit: Contra stultitiam sapientia, contra hebetudinem intellectus, contra praecipitationem consilium, contra pusillanimitatem fortitudo, contra ignorantiam scientia, contra duritiam pietas, contra superbiam timor. Et nota, quod superbia accipitur ibi non pro vitio capitali, sed pro pronitate. Hic autem modus sumendi, etsi satis idoneus sit, tamen calumniabilis est uterque. Primus calumniabilis est, quia dona non sunt directe contra peccata. Uterque etiam est calumniabilis, quia quasi a posteriori sumitur. Et est ibi quaedam circulatio, quia ita bene sumitur sufficientia et numerus peccatorum et illarum poenalitatum per comparationem ad dona, sicut e contrario. Tertia via sumendi sufficientiam donorum est per comparationem ad fines proximos; et hoc potest esse dupliciter. Dona enim, sicut dictum est, sunt uno modo ordinata ad compatiendum conformiter Christo. Christus autem habuit haec septem dona, secundum quae erat dispositus perfecte ad patiendum. Quod enim primo movit Christum ad patiendum fuit omnimoda obedientia et subjectio respectu Patris; et quantum ad hoc fuit donum timoris. Secundum vero quod movebat, erat compassio humani generis; et quantum ad hoc erat donum pietatis: his autem duobus praesuppositis, non restabat nisi aggressio passionis; et quantum ad hanc attenditur donum fortitudinis. Post hoc autem erat delectatio in impletione voluntatis paternae et in nostra liberatione; et quantum ad hanc est donum sapientiae. Ad haec autem dirigenda necessaria erant alia dona tanquam directiva, videlicet scientia, quae est directiva pietatis, et consilium, quod est directivum fortitudinis, et intellectus, qui est praeambulum respectu sapientiae. Alius modus sumendi juxta hanc viam est, quia dona sunt ad expediendum, et expedite perveniendum in ultimum finem; et secundum hoc distinguuntur, quia aut expediunt contra malum, aut ad bonum. Si contra malum; sic est timor. Si ad bonum; aut ad bonum, quod est finis, aut ad bonum, quod est ad finem. Si ad bonum, quod est finis, aut per modum videntis, aut per modum gustantis. Primo modo est intellectus, secundo modo est sapientia. Si ad bonum, quod est ad finem, hoc potest esse dupliciter, aut quia illud bonum est supererogationis, aut necessitatis. Si supererogationis, hoc est dupliciter, quia donum ad illud bonum aut se habet per modum dirigentis, et sic est consilium; aut per modum exequentis sive aggredientis, et sic est fortitudo. Si vero sit bonum necessitatis, similiter est dupliciter; quia aut donum se habet respectu illius boni per modum regulantis, et sic est scientia; aut per modum exequentis, et sic est pietas, cujus est exhibere opera misericordiae, sicut dicit Gregorius in Moralibus *(l. 1. c. 16)*. Quarta via sumendi sufficientiam donorum est per comparationem ad actus proprios. Actus autem, circa quos consistunt ipsa dona, dupliciter possunt distingui, aut secundum distinctionem virium animae, aut secundum distinctionem duplicis vitae, activae videlicet et contemplativae. Secundum distinctionem virium animae sic. Cum sit in nobis triplex vis, videlicet irascibilis, concupiscibilis et rationalis, concupiscibilis dupliciter impeditur in opere suo, aut quia non compatitur malo, aut quia non gustat bonum: et sic duplex est donum ordinatum ad expediendum ejus actum, unum per quod expeditur ad gustandum bonum, et hoc est sapientia; aliud per quod expeditur ad compatiendum malo, et hoc est pietas. Similiter irascibilis dupliciter impeditur in actu suo recto, aut quia evanescit in prosperitate, et affertur in altum, aut quia in adversitate deficit, et dejicitur in imum: timor igitur datur ei, ut expedite currat in prosperis, fortitudo ut expedite currat in adversis. Rationalis autem tripliciter habet impediri, aut propter ignorantiam in cognoscendis, aut propter praecipitationem in deliberandis, aut propter hebetudinem in

investigandis; et ideo datur ei triplex donum, videlicet donum scientiae, ut expediatur in cognoscendo, donum consilii, ut expediatur in deliberando, et donum intellectus, ut expediatur in sublimia perscrutando. Aliter sumitur distinctio donorum secundum distinctionem duplicis vitae, videlicet activae et contemplativae. Si quantum ad vitam contemplativam, sic est triplex actus correspondens actui hierarchico, videlicet illuminare, purgare et perficere. Et secundum hoc triplex donum: unum, quod disponit ad purgationem; et hoc est timor: aliud, quod attenditur secundum actum illuminandi; et hoc est intellectus: tertium, quod attenditur secundum actum perficiendi; et hoc est sapientia. Secundum autem vitam activam distinguuntur actus, quia quidam sunt necessitatis et quidam supererogationis; et ad primos disponit pietas, sive donum pietatis, ad secundos vero disponit fortitudo; et respectu utrorumque est donum exequens et dirigens. Nam respectu primorum exequens est pietas, dirigens vero scientia, sive donum scientiae: respectu autem secundorum exequens est fortitudo, dirigens vero est consilium. Et sic sunt quatuor dona, quae cum aliis tribus faciunt septem. Vel aliter, in vita activa oportet alii communicare bona et sustinere mala; et secundum hoc sunt duo dona, pietas ad bona communicanda, et fortitudo ad mala toleranda. Et haec duo habent duo directiva; ut sic quatuor sint dona expedientia ad actus vitae activae, et tria ad actus vitae contemplativae, per quamdam correspondentiam ad ipsum esse naturae, ut sicut ex parte corporis reperitur in nobis quaternitas principiorum, et ex parte animae trinitas potentiarum, sic in septenario intelliguntur omnia, quae constituunt hominem in vita naturae. Sic etiam in septenario numero sunt dona sancti Spiritus, quae expediunt hominem quantum ad vitam gratiae; ita quod tria sunt ex parte spiritualis vitae et interioris, sive contemplativae, correspondentia ad tres potentias animae; quatuor vero respectu vitae activae, correspondentia quadruplici principio constitutivo corporis. Et in hoc eodem numero propter perfectam integritatem est numerus virtutum et numerus beatitudinum et numerus petitionum in oratione dominica et numerus sacramentorum. Et contra hoc est numerus peccatorum capitalium, et numerus septem symptomatum, sive sequelarum, quae ponit Gregorius in Moralibus. Et ad haec omnia praefiguranda praecessit in primordio conditionis totius esse numerus septem dierum propter septiformem illuminationem gratiae, quae est in nobis ex illius lucis supernae irradiatione. Sic igitur patet, quod quadruplex est via sumendi donorum sufficientiam, et octo modi, inter quos nescio, si aliquis est, qui satisfacit curioso perscrutatori: hoc tamen constat, secundum quod auctoritates dicunt, quod dona Spiritus sancti sunt tantum septem, nec plura, nec pauciora.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 2. q. 1.*

[24] Huic capiti finem imponere nobis placet illa clausula, qua S. Doctor opusculum de *Ligno Vitae* concludit, quaeque sic sonat. „Oramus igitur clementissimum Patrem per Te Unigenitum ejus pro nobis hominem factum, crucifixum et glorificatum, ut de thesauris suis mittat in nos Spiritum gratiae septiformis, qui super Te in omni plenitudine requievit, Spiritum, inquam, sapientiae, quo fructum Ligni vitae, quod vere Tu es, videlicet sapores vivificos, degustemus. Donum etiam intellectus, quo mentis nostrae contuitus illustrentur. Donum consilii, quo post tuorum vestigia gressuum rectarum semitarum itineribus incedamus. Donum fortitudinis, quo impugnantium hostium violentias enervare possimus. Donum scientiae, quo sacrae doctrinae tuae repleamur fulgoribus ad discretionem boni et mali. Donum pietatis, quo induamur misericordiae viscera. Donum timoris, quo, recedentes ab omni malo, aeternae majestatis tuae reverentiali pondere tranquillemur. Haec enim nos in illa sacra tua, quam nos docuisti, oratione petere voluisti. Haec et nunc per crucem tuam petimus obtinere, ad laudem sanctissimi Nominis tui, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.“

CAPUT VI.

De ramificatione gratiae in habitus beatitudinum [a], et per consequens fructuum et sensuum.

a) Cetera om. ed. 1484.

(Septem sunt beatitudines; — et quare. — Propter sui perfectionem et plenitudinem eas consequuntur tum duodecim fructus Spiritus sancti, — qui sunt status delectationum; — tum quinque spirituales sensus, — qui sunt usus spiritualium delectationum.)

De ramificatione autem gratiae in habitus beatitudinum haec tenenda sunt, scilicet quod septem sunt beatitudines, quas Salvator enumerat in sermone de monte *(Matth. 5, 3 et seqq.)*, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries [b] justitiae, misericordia, munditia cordis et pax [1]. Ad has vero [c] beatitudines propter sui perfectionem et plenitudinem duodecim fructus Spiritus, et quinque spirituales sensus consequuntur; qui non dicunt novos habitus, sed status delectationum, et usus spiritualium speculationum, quibus replentur et consolantur spiritus virorum justorum.

b) Et esuries ibid.

c) Vero om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum reparativum principium sit perfectissimum, et perfectissime reparativum et reformativum per donum

gratuitum; ideo gratiae donum ab ipso manans liberaliter et abunde, ramificari debet usque ad habitus perfectionum, qui cum fini approximent, recto vocabulo nuncupantur ex nomine beatitudinum [2]; quarum sufficientia, numerus et ordo colligitur ex integritate perfectionis, et ex modis perfectionum, et ex dispositionibus ad perfectionem. Primo igitur ad integritatem perfectionis requiritur necessario perfectus recessus a malo, perfectus processus in bono et [d] perfectus status in optimo. Quoniam autem malum aut procedit ex tumore superbiae, aut ex rancore malitiae, aut ex languore concupiscentiae; ideo ad perfecte elongandum ab hoc triplici genere mali tres sunt necessariae beatitudines, scilicet paupertas spiritus elongans a malo tumoris, mititas elongans a malo rancoris, et luctus elongans a malo libidinis et languoris concupiscentialis. Quia vero perfectus processus in bono attenditur secundum divinam imitationem, et *universae viae Domini misericordia et veritas (Psalm. 24, 10);* hinc est, quod duplex est beatitudo, secundum has duas vias, scilicet esuries sive zelus justitiae, et affectus misericordiae. Quoniam autem status in optimo est vel per limpidam cognitionem, vel per [e] tranquillam affectionem; hinc est, quod sunt duae ultimae beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, et pax mentis ad perfecte fruendum [3].

d) Et om. ibid.

e) Per om. ibid.

Secundo etiam [f] si modi perfectionum attendantur, debent esse septem habitus beatitudinum. Nam est perfectio religionis, praelationis et internae sanctitudinis. Ad perfectionem autem religionis necessario requiritur abdicatio boni privati, acceptatio boni fraterni et appetitio boni aeterni. Primum fit per paupertatem spiritus, secundum per mititatem affectus, tertium per amaritudinem luctus. Ad perfectionem vero praelationis duo necessario requiruntur, scilicet zelus justitiae et affectus misericordiae; *misericordia enim et veritas custodiunt regem (Prov. 20, 28).* Secundum haec duo disponi debet regimen praelationis in Ecclesia militante [4]. Ad perfectionem autem [g] internae sanctitudinis necessario requiritur puritas conscientiae, et tranquillitas totius animae per *pacem Dei omnem humanum sensum exsuperantem (Philipp. 4, 7).*

f) Etiam om ibid.

g) Vero ibid

Tertio si attendantur dispositiones praeambulae, septem debent esse beatitudines. Timor enim facit recedere a malo, et a mali occasione; et quia *radix malorum omnium est cupiditas (1. Tim. 6, 10),* ideo timor disponit ad spiritus paupertatem, in qua simul jungitur humilitas cum paupertate, ut sic elongetur vir perfectus a fomite [h] omnis culpae, scilicet a superbia et cupiditate. Et hinc est, quod paupertas spiritus est fundamentum totius perfectionis evangelicae. Unde primo oportet hoc fundamentum sternere, qui vult ad culmen perfectionis pervenire, secundum illud: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes (Matth. 19, 21).* Ecce perfecta paupertas, quae nihil sibi prorsus retinet. *Et sequere me (Ibid.).* Ecce humilitas [5], quae facit, quod homo, *abnegando seipsum, tollat crucem suam, et sequatur Christum (Matth. 16, 24),* qui est totius perfectionis principalissimum fundamentum. Disponit ergo timor ad spiritus paupertatem. Pietas autem ad mititatem, nam qui pie ad aliquem afficitur, nec illum irritat, nec ab illo irritatur. Scientia vero disponit ad luctum, quoniam per scientiam cognoscimus nos a statu beatitudinis relegatos in hanc vallem miseriae et lacrymarum. Fortitudo autem disponit ad esuriem justitiae, qui enim fortis est, tam avide se tenet cum justitia, ut malit a vita corporali, quam a justitia separari. Consilium vero disponit ad misericordiam, nihil enim Deus magis consulit in Scriptura, quam facere misericordiam, quod

h) Ita recte ibid., ut patet ex cap. IX. part. III. not. 2; in cet. fonte minus recte.

super omnia reputat holocausta [i]. Intellectus autem disponit ad cordis munditiam, nam speculatio veritatis mundat cor nostrum ab omnibus phantasiis. Sapientia vero disponit ad pacem, nam sapientia jungit nos summo vero et bono [j], in quo est finis et tranquillitas totius nostri rationalis appetitus [6].

i) Holocaustum ibid.

j) Summo et vero bono ibid.

Qua pace adepta, necessario sequitur superabundans delectatio spiritualis, quae in duodenario fructuum Spiritus continetur, ad insinuandam superabundantiam delectationum. Est enim duodenarius numerus abundans, in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur et delectatur anima sancta; et tunc est homo ad contemplationem idoneus, et ad aspectus et amplexus sponsi et sponsae, qui fieri habent secundum sensus spirituales, quibus videtur Christi sponsi summa pulchritudo, sub ratione splendoris; auditur summa harmonia, sub ratione verbi; gustatur summa dulcedo, sub ratione sapientiae comprehendentis utrumque, verbum scilicet et splendorem; odoratur summa fragrantia, sub ratione verbi inspirati in corde; astringitur summa suavitas, sub ratione Verbi incarnati [7] inter nos habitantis corporaliter, et reddentis se nobis palpabile, osculabile, amplexabile per ardentissimam caritatem [8], quae mentem nostram per ecstasim et raptum [9] transire facit ex hoc mundo ad Patrem.

Ex dictis igitur manifeste [k] colligitur, quod habitus virtutum ad exercitium principaliter disponunt activae, habitus vero donorum ad actum contemplativae, habitus autem beatitudinum ad perfectionem utriusque. Fructus vero Spiritus [10], qui sunt *caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas (Galat. 5, 22—23)* [11], dicunt delectationes consequentes opera perfecta [12]. Sensus vero spirituales [13] dicunt perceptiones mentales circa veritatem contemplandam. Quae quidem contemplatio fuit in Prophetis per revelationem, quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginativam et intellectualem. In aliis vero justis reperitur per speculationem, quae incipit a sensu, et pervenit usque ad imaginationem, et de imaginatione ad rationem, de ratione ad intellectum, de intellectu ad intelligentiam, de intelligentia vero ad [l] sapientiam [14], sive notitiam excessivam, quae incipit hîc in via, sed consummatur in gloria sempiterna [15]. Ex [m] his gradibus consistit scala Jacob, cujus cacumen attingit caelum *(Gen. 28, 12),* et thronus Salomonis *(3. Reg. 10, 18),* in quo residet Rex sapientissimus, et vere pacificus et amorosus, ut sponsus speciosissimus et desiderabilis totus, *in quem desiderant angeli prospicere (1. Petr. 1, 12),* et ad quem suspirat desiderium sanctarum animarum [16], *sicut cervus desiderat ad fontes aquarum (Psalm. 41, 2)* [17]. Quo quidem desiderio ferventissimo ad modum ignis spiritus noster non solum efficitur agilis ad ascensum, verum etiam quadam ignorantia docta supra se ipsum rapitur in caliginem [18] et excessum [19], ut non solum cum sponsa dicat: *In odorem unguentorum tuorum curremus (Cant. 1, 3),* sed etiam [n] cum Propheta psallat: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis (Psalm. 138, 11)* [20]. Quam nocturnam et deliciosam illuminationem nemo novit, nisi qui probat; nemo autem probat, nisi per gratiam divinitus datam, quae quia [o] nemini datur, nisi ei, qui se exercet ad illam, ideo deinceps consideranda sunt exercitia meritorum.

k) Manifeste ibid.

l) In ibid.

m) In ibid.

n) Et ibid.

o) Quia om. ibid.

Ad Caput VI.

[1] „Beatitudinum octo refulget clarissimus splendor in beatissima passione Domini nostri Jesu Christi, imo proprie hîc est fons et origo earum, et etiam allectivum ac directivum exemplar. Quis enim pauper spiritu, nisi Christus in cruce nudus? Quis mitis, nisi qui *tamquam ovis ad occisionem ductus est, et coram tondente se non aperuit os suum (Act. 8, 32)?* Quis lugens, nisi qui *cum clamore valido et lacrymis preces supplicationesque (Hebr. 5, 7)* offerens pro suis crucifixoribus et nobis peccatoribus suisque inimicissimis, quos excusabat apud Deum Patrem intercedendo, et dicebat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (Luc. 23, 34)?* Ipse enim plus peccata nostra lugebat quam poenam suam; plus compatiendo nobis quam sibi. Quis vero esurivit et sitivit justitiam, nisi Christus in cruce pro peccatis nostris satisfaciendo injuriae Patris, esuriens et sitiens animarum salutem? In cujus rei signum dicebat: *Sitio (Jo. 19, 28).* Quis vero misericors, nisi hic Samaritanus, qui, transeunte sacerdote et levita, infundens vinum et oleum, vulnerato alligavit vulnera, et imposuit jumento suo *(Luc. 10, 34)*, scilicet corpori proprio, nostras infirmitates assumens pro peccatis nostris? Quis patiens, nisi qui justissimus et innocentissimus pro peccatis et injustitiis nostris crucifixus, vi amoris et ardore caritatis iniquitates nostras portavit *(Isai. 53, 11)* super lignum? Ubi relucet munditia cordis nisi in eo, qui innocens immolatur, et ipse corda nostra sanguine suo pretioso mundavit et lavit? Quis vero pacificus nisi ille, *qui est pax nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. 2, 14)*, et passione sua pacificavit nos Deo in sanguine suo *(Col. 1, 20)?* Quis vero persecutionem passus est propter justitiam, quam habebat, faciebat, praedicabat et sitiebat, nisi ille, qui est a Judaeis crucifixus? Vere hic est vere beatus, cui maledixerunt homines adversus eum mentientes *(Matth. 5, 11).* Hae sunt beatitudines, quas habere ipse Christus docuit, et in seipso qualiter sint adimplendae, suo exemplo monstravit.“ *Stimul. div. amor. p. 1. c. 8.*

[2] „Habitus perficientes recte dicuntur beatitudines, pro eo quod tales habitus faciunt hominem proximum Deo, et conformem ipsi gloriae summae, in qua est reperire summam perfectionem.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1.*

[3] „Tertia evangelicae perfectionis portio consistit in supererogativa perpessione adversi. Quae quidem attenditur non solum in hoc, ut quis patienter adversa perferat, cum sibi supervenerint, quae secundum legem Dei declinari non possunt, quoniam ad hoc omnes tenentur; verum etiam ex fervore divini amoris magno desiderio illa praeoptet, et cum magno gaudio illa sustineat, secundum illud Jacobi *(1, 2): Omne gaudium existimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis.* Et post *(1, 4): Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* Hic namque est consummatio perfectionis et caritatis, juxta illud Joannis *(1. Jo. 4, 18): Perfecta caritas foras mittit timorem.* Secundum igitur hoc arca spiritualis perfectionis, cum inferius sit tricamerata, et bicamerata in medio, in cubito consummatur. Hoc sane perfectionis arcanum Salvator noster monstravit in semetipso tanquam in monte sublimi, qui totius perfectionis est splendor, speculum et exemplar, juxta quod ipse testatur in Luca *(6, 40): Perfectus discipulus omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Et ideo in hujus designationem, cum hanc docere Apostolos voluit, in montem conscendit, non turbas imperfectas alloquens, sed discipulos suos, quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat. Et propterea sex praefata eo, quo dictum est, ordine docet. Nam primo dicens *(Matth. 5, 3—11): Beati pauperes spiritu,* invitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum. Secundo addens: *Beati mites,* inducit ad abnegationem propriarum voluntatum et sensuum, quibus quis immitis et protervus efficitur. Tertio subdens: *Beati qui lugent,* incitat ad fugam perfectam carnalium voluptatum. Dehinc subjungens: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam;* et *beati misericordes,* attrahit ad justam, piam et condescensivam proximorum supportationem. Post haec superaddens: *Beati mundo corde,* et *beati pacifici,* allicit ad sursum actionem limpidam in intellectu, et tranquillam sive pacificam in affectu, quibus anima perfecti viri Jerusalem conformis efficitur, quae visio pacis interpretatur. Tandem concludens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum caelorum,* quasi circulum faciens, reddit ad principium, quia in hoc uno summa completur universorum; ac per hoc senaria perfectio minoris mundi in esse reparationis et gratiae directe correspondet senariae productioni mundialis machinae in esse naturae. Unde sicut illorum tria prima pertinent ad distinctionem, tria sequentia ad ornatum; sic etiam in his, tria prima quasi distinguendo separant animae vires ab universitate malorum, ut esse habeant purum atque distinctum; tria sequentia quasi adornando easdem reducunt in Deum, ut habeant esse decorum atque perfectum. Porro si descendatur ad singula, tam mira est correspondentia ordinis, tantaeque similitudinis symbolum, ut illud, quod post dierum sex opera dicitur *(Gen. 2, 1): Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis ornatus eorum,* in anima viri perfecti videatur esse completum. Propter quod instar trium primorum operum, quae sunt mundi fundamenta, et trium sequentium, quae sunt complementa, tria prima ex his cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio.“ *Apolog. pauper. Resp. 1. cap. 3.*

[4] „Quilibet religiosus, qui seipsum habet regere, et de sui ipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his alis et pennis, quantum sibimet indiget, debet adornari et in superna sublevari; ut sit fervens justitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in adversis, bono exemplo alios aedificans, circumspectus in omnibus, et super omnia Deo per orationis studium familiariter adhaerens, qui eum in omnibus protegat, dirigat et promoveat, et tandem ad caelestia evolare faciat.“ *De sex alis Seraphim, c. 8. n. 15.*

[5] „De flore humilitatis, id est de viola, videamus. Quare flos violaceus humilitatem significet, statura, situs, odor, color et vis ipsius floris manifestant. Statura enim, id est quantitas ipsius, modica est. Quis enim flos hoc flosculo

minor est? Nam et humiles in oculis suis parvi sunt. Sic enim ait de se ille Apostolus, qui omnibus plus laboraverat: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus (1. Cor. 15, 9).* Vides, ut hic magnus quam parvus sibi erat? Et miro modo fit, ut his, quibus conscientia secura est, qui nihil sibi conscii sunt, tam humilia de semetipsis sentire contingat. Situs hujus floris terrae est proximus, et optime. Ita enim habes docentem Apostolum *(Rom. 12, 16): Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Non habent hanc proprietatem istius floris, qui se aliis meliores putant, vel aliis meliores videri volunt, quamvis sibimetipsis parvi sunt. Sunt enim nonnulli, qui quidem in conscientiis suis se subjectos judicant, sed tamen videri foris volunt aliis meliores. Isti staturam hujus floris habent, qui sibi intus in animo parvi sunt; situm vero non habent, quia volunt foris super alios elevari, de quibus dicit Salomon: *Mensura et mensura, pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum (Prov. 20, 10).* Et in lege Moysi duplex pondus prohibetur haberi *(Deut. 25, 13).* Duplex quippe pondus habet, qui sibi malorum conscius, malum se judicat, aliis vero vult foris bonus et aliis melior apparere; suo judicio terrae proximus est, et aliis cupit elevatus videri. Agitantur hi, quicumque tales sunt, vitio hypocriseos, de quibus in sermone, quem de parvis conscripsimus, plenius sumus elocuti. Odor violae suavis est et salubris, quia etiam apud ipsos superbos laus humilitatis exaltatur. Ipsa enim fama laudabilis, suavitas est odoris, et vere salutaris est: et nonnunquam de laude humilium auditores emendantur, etiamsi sint tales, qui istum odorem amittant, licet diligenter considerent. Color, sicut apparet, abjectus est, illis praecipue qui virtutem flosculi ignorant; sed vim floris agnoscentibus fit etiam ipsius floris despectio commendabilis et dilecta. Hoc in ipsius humilitatis Magistro benignissimo Jesu facile agnoscemus, secundum illud verbum Apostoli: *Nos,* inquit, *praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (1. Cor. 1, 23—24).* Nimirum Christus crucifixus viola est. In cruce enim humillimus factus est. In hac humilitate solum colorem intuentibus Judaeis et Gentibus, ipse color vilis apparuit; nobis vero, qui virtutem agnoscimus passionis, ipsa etiam humilitas despecta, humilitas Christi placet, et per humilitatem maxime commendatur. Despectui ergo coloris adjungatur, quae latet virtus floris interior; ut per interiorem virtutem hoc, quod exterius vile videtur, non contemnatur, verum amplius diligatur." *Tractat. de Vite myst. c. 17. nn. 53—54;* Supplem. vol. III.

[6] „Nota hîc de diversitate inter Matthaeum et Lucam, quod Lucas ponit promissiones et comminationes, Matthaeus autem solas promissiones ponit. Propter quod videtur, vel quod alter dixerit diminute, vel alter superflue. Sed certe potest responderi, secundum quod Glossa innuit, et Augustinus dicit, quod alius fuit sermo hîc, et alius apud Matthaeum. Cujus diversitas ex locis colligitur, et personis et praeceptis. Nam ille factus est discipulis, iste turbis; ille sedendo, iste stando; ille in monte, iste in loco campestri; ille plura documenta continet, quam iste; ille septem beatitudines, iste quatuor. Ex quibus omnibus colligitur, quod fuit alius atque alius. Nec immerito, quia aliis et aliis personis aliter et aliter est loquendum. Discipulis enim tanquam perfectioribus perfectiori modo debuerunt mandata evangelica explicari, turbae vero non possunt ad altiora conscendere; ideo non adeo perfecte explicatur verbum Dei turbis, sicut apostolis. Et quia perfecti moventur amore, imperfecti vero non solum amore, sed simul comminationis timore; ideo in sermone apostolorum ponuntur beatitudines et non vae, in sermone turbarum et beatitudines et vae. Rursus, quia perfecti conformes efficiuntur Christo per septiformem spiritum, qui requievit super eum *(Isai. 11, 2);* ideo septem ponuntur beatitudines, septem donis Spiritus sancti scilicet concordantes. Hîc notantur quatuor beatitudines correspondentes quatuor virtutibus cardinalibus, ut habetur in Glossa; paupertas, temperantiae; esuries boni spiritualis, justitiae; fletus, prudentiae; passio malorum, fortitudini, sive patientiae, sicut dicitur in Glossa Bedae *(l. 2. c. 22. in Luc. c. 6).* In his tamen quatuor aliae continentur implicite. Unde non ita exprimit Lucas spiritualem intellectum in hujusmodi promissionibus, ut Matthaeus. Dixit enim: *Beati pauperes spiritu;* hic solum: *Beati pauperes.* Ille: *Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur;* hic autem: *Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Et iterum in Matthaeo proponuntur pluraliter in tertia persona, quia alloquitur intelligentes; in Luca particulariter et in secunda persona, quia alloquitur sensuales." *Exposit. in cap. 6. Luc. v. 26.*

[7] „Nisi enim Verbum inspiratum sonet in aure cordis, nisi splendor Verbi luceat in oculo mentis, nisi vapor et emanatio omnipotentis Dei instillet gustum suavitatis, nisi sempiternitas impleat animam, non est homo aptus ad intelligentiam visionum." *Serm. 3. in Hexaëm. circa finem.*

[8] „Anima credens, sperans et amans Jesum Christum, qui est Verbum Patris incarnatum, increatum et inspiratum, scilicet via, veritas et vita; dum per fidem credit in Christum, tanquam in Verbum increatum, quod est verbum et splendor Patris, recuperat spiritualem auditum et visum; auditum ad suscipiendum Christi sermones, visum ad considerandum ipsius lucis splendores. Dum autem spe suspirat ad suscipiendum Verbum inspiratum, per desiderium et affectum recuperat spirituale olfactum. Dum caritate complectitur Verbum incarnatum, ut suscipiens ab ipso delectationem, et ut transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat gustum et tactum. Quibus sensibus recuperatis, dum sponsum suum videt et audit, odoratur, gustat et amplexatur, decantare potest, tanquam sponsa, Canticum Canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis secundum hunc quartum gradum, quem nemo capit, nisi qui accipit, quia magis est in experientia affectuali, quam in consideratione rationali. In hoc namque gradu, recuperatis sensibus interioribus, ad videndum summe pulchrum, ad audiendum summe harmoniacum, ad odorandum summe odoriferum, ad degustandum summe suave, ad apprehendendum summe delectabile, disponitur anima ad mentales excessus, scilicet per devotionem, admirationem et exultationem, secundum illas tres exclamationes, quae sunt in Canticis Canticorum *(3, 6).* Quarum prima fit per superabundantiam devotionis, per quam fit anima *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae,*

et thuris. Secunda per excellentiam admirationis, per quam fit anima sicut aurora, luna et sol, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum sponsum consideratum. Tertia per superabundantiam exultationis, per quam fit anima suavissimae delectationis *deliciis affluens, innixa* totaliter *super dilectum suum (Cant. 8, 5).* Quibus adeptis, efficitur spiritus noster hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Jerusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes in Apocalypsi sua *(21, 27).* Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes theologicas, et per oblectationes spiritualium sensuum et suspensiones excessuum, efficitur spiritus noster hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus et perfectus." *Itiner. c. 4. nn. 3—5.*

[9] „Visio triplex est, scilicet corporalis, quae sine intellectuali non profuit Balthassari in inscriptione manus *(Dan. 5, 5):* imaginaria, quae sine intellectuali non profuit Pharaoni in spicis et bobus *(Gen. 41, 1—7):* intellectualis, haec profuit Danieli et Joseph. Joanni respondet Joseph, Daniel Paulo. Praeter has visiones fit visio sex modis, quae respondet operibus sex dierum, quibus perficitur minor mundus, sicut major mundus perfectus est. Prima est visio intelligentiae per naturam inditae. Secunda est visio intelligentiae per fidem elevatae; hae sunt multorum. Tertia est visio intelligentiae per Scripturam eruditae. Quarta est visio intelligentiae per contemplationem suspensae; hae sunt paucorum. Quinta est visio intelligentiae per prophetiam illustratae. Sexta est visio intelligentiae per raptum in Deum absorptae; hae sunt paucissimorum. Ad has sequitur visio animae beatificatae, quas omnes habuit Paulus. Intelligentia indita, quae non excedit limites rationis, intelligitur per primam diem, in qua facta est lux. Haec est lux, de qua dicit Propheta *(Ps. 4, 7): Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Sine lumine indito non habetur fides, non habetur gratia, non habetur sapientia: et ita prima die divisa est lux a tenebris. Intelligentia sublimata per fidem intelligitur per secundam diem, qua factum est firmamentum in medio aquarum. Hoc firmamentum est fides, quae est origo sapientiae et origo scientiae. Et sive sit de temporalibus, sive de aeternis, fides non discordat a scientia. Intelligentia per Scripturam erudita intelligitur per diem tertiam, qua congregatae sunt aquae, et apparuit arida; terra est Scriptura habens intelligentias spirituales, quae mirabilibus expositionibus pullulat, et in his producitur herba virens et lignum paradisi. Intelligentia per contemplationem suspensa intelligitur in opere quartae diei, quando facta sunt sol et luna et stellae. Qui non habet contemplationem, non habet ornamentum solis, lunae et stellarum. Debet anima Sunamitis amiciri sole, luna et stellis. In sole intelligitur contemplatio hierarchiae supercaelestis, in luna intelligitur contemplatio hierarchiae subcaelestis, in stellis intelligitur contemplatio hierarchiae caelestis. Unde Isaias *(60, 5): Tunc videbis, et affluës, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* In quo notatur, quod species contemplationis sunt tres, scilicet admiratio, *mirabitur,* inquit; dilatatio, *dilatabitur,* inquit; comederunt, et biberunt, et viderunt Deum Israël, alienatio, *affluës,* inquit. Intelligentia per prophetiam illustrata intelligitur in opere quintae diei. Vident Prophetae prophetata in speculo aeternitatis. Et licet prophetatum sit contingens, tamen prophetia est infallibilis propter veritatis aeternae infallibilitatem. Isti sunt pisces, qui propter multitudinem pinnularum feruntur in verbo. Intelligentia per raptum in Deum absorpta respondet sextae diei. De hoc raptu dicit Apostolus *(2. Cor. 12, 2): Scio hominem ante annos quatuordecim (sive in corpore, nescio, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi.* Hic raptus facit animam simillimam Deo, quantum esse potest in statu viae. Rapti autem non habent habitum gloriae, sed actum. Et sicut raptus est in confinio viae et patriae, ita est in confinio unionis et separationis a corpore; ideo dicit Apostolus: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio.* Unde ergo praesumit alius determinare, quod Paulus nescivit? Tunc adimpletur, quod scribitur: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1, 26),* quia talis dignus est, ut praesit volatilibus caeli et piscibus maris. Quanto enim quis elevatior in Domino, tanto in se humilior fit, ut Paulus post raptum, qui, quod viderat, determinare nolebat, qui etiam ad cubile matrimonii determinandum descendebat per humilitatem. Unde dicitur in Job *(39, 27): Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum?* Et mox *(39, 30): Ubicumque cadaver fuerit, statim adest.* Mirabilia primo dixerat de aquila, et postea humilia: sic est de raptu. Ille enim, qui in raptu fuit major, magis est humilis. Et sic necesse est, quia si superbiret, posset amittere gratiam, et cadere in reprobum sensum *(Rom. 1, 28);* et vix unquam surgeret, quia quanto magis novit, tanto magis sciret solvere omnia, quae dicerentur sibi; et ideo non sine causa fuit datus Apostolo stimulus carnis: *Ne magnitudo,* inquit, *revelationum extollat me (2. Cor. 12, 7).* Ille, inquam, qui ad talem statum pervenit, potest alios ordinare et regere, ut Paulus fecit, qui ordinavit Ecclesiam secundum exemplar, quod sibi monstrabatur. Septimus dies est absolutio a corpore. De qua die Salvator ait *(Luc. 23, 43): Hodie mecum eris in paradiso.* Quae dies non habet vesperam. Et post sequitur octava dies, quae non est alia a praecedentibus, sed reiteratio primae diei, quando anima resumpserit corpus suum. Haec est ergo clavis David *(Apoc. 3, 7),* quae docet Verbum inspiratum, illud, inquam, Verbum, quod est in sinu Patris increatum, incarnatum in utero Virginis, inspiratum in corde tuo, ubi habitat per fidem, quod illabitur mentes angelicas, et humanas intrans, in eis facit intelligere has visiones, quia est intellectus purus; sed alio et alio modo, quia sunt majores profundationes, secundum quod anima intime inducitur, vel meditatur in se; et hoc fit per divinum radium, ut dicit Dionysius *(de angelica Hierarchia c. 1):* Ergo Jesum, inquit, invocantes, qui est primum lumen etc. Et ideo dicit Dionysius *(de ecclesiastica Hierarchia):* Lex divinitatis est infima per media ad suprema reducere. Ille ergo thearchicus radius descendens in caelestem hierarchiam, illam illuminat, et per illam, ecclesiasticam, vel subcaelestem; totum tamen facit ille radius, quia angeli ibi nihil faciunt nisi occasionaliter, sicut si aliquis vellet, quod radius illuminaret multas domos, aperiret fenestras, et tamen radius omnes partes domus illuminaret; et sicut si quis prae-

pararet multa specula ad recipiendum lumen. Deinde ordine resolutorio ille radius nos reducit in contemplationem caelestium, deinde supercaelestium.“ *Serm. 3 in Hexaëm. in fine.*

[10] „Status in quo est refectio, recte dicitur fructus, fructus enim a frui dictum est.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1.*

[11] „Hi duodecim fructus ordinate ascendunt ad caritatem. Descendendo autem a charitate, fluunt charismata gratiarum, quae sunt duodecim fructus Spiritus, quos ponit Apostolus ad Galatas *(5, 22—23)*, dicens: *Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Gratia enim et justitia non possunt esse sine caritate vera. Fructus dicitur a frui, frui autem est inhaerere alicui rei propter seipsam. Unde nec justitia, nec nuntiare futura, nec scire mysteria, sine caritate prosunt. Et hoc sentiunt omnes Doctores et Sancti. Sed ecce una vetula, quae habet modicum hortum, et quia solam caritatem habet, meliorem fructum habet, quam unus magnus magister, qui habet maximum hortum, et scit mysteria et naturas rerum sine caritate. Sufficientia enim horum duodecim sumitur per hunc modum, secundum Augustinum filium Pauli *(l. 7. Confess. c. 21; et lib. 1. de doctr. christ. c. 23)*. Quatuor sunt diligenda in caritate, quibus fruimur, Deo, meipso in Deo, proximo in Deo, corpore meo in Deo. Deo autem fruor, quando in Deo conquiesco per amorem, delector per gaudium, unior per pacem. Et haec tria ordinata sunt, quia ubi est pax, necesse est ut sit gaudium; et ubi gaudium, necesse est ut sit quies. Secundo fruor meipso in Deo. Anima autem mea fruor, quando illam possideo; quia si transit res in possessionem alterius, fructum non habeo. Tunc autem possideo, quando patienter possum ferre adversa. Unde Salvator ait *(Luc. 21, 19): In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Patienter autem ferre adversa non debet esse a casu vel fortuna, sed intuitu mercedis; et hoc est exspectare mercedem per longanimitatem. Et tertium est condonare injuriam et offensam per bonitatem. Et sic haec tria sunt per patientiam, longanimitatem, bonitatem. Patientia est adversa tolerando, longanimitas exspectando mercedem ex omnibus tribulationibus, bonitas liberaliter condonando. Quando est caritas patiens, longanimis, bona, tunc *inundationes maris quasi lac sugit Deuter. 33, 19,* sicut Laurentius carbonibus quasi floribus, etc. Hi fructus sunt in spiritu, non in carne. Unde Jacobus *(1, 2—4): Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur.* Tertio proximo fruimur in Deo, quando habemus caritatem ad proximum. Et hoc tripliciter, benigne in anima et in corde, mansuete in contubernio, fideliter in verbo vel signo. Cor benignum habeo, quando quidquid boni habet proximus, in meum bonum refero. Similiter mansuetudo est, quae hominem facit familiarem et socialem. Aliqui homines valde sunt boni, et tamen valde sunt duri in signis, quod homo non auderet eis apparere; sed quando homo familiarem se reddit, tunc est mansuetus. Similiter fidelitas multum facit amabilem, quia continuat amicitiam. Et haec facit confidere de homine magis in verbo, quam in corde, quia affectus est variabilis. Quarto fruor corpore meo in Deo, et hoc quando mundum servo corpus meum; et est quando servatur modestia in gustu, continentia in tactu, castitas in omnibus sensibus. In gustu principaliter notatur modestia etc. Corpora luxuriosorum, gulosorum, incontinentium, non sunt in pace sepulta. Sic ergo descendendo ex caritate, quae est unguentum fluens a capite *in barbam,* a barba usque *ad oram vestimenti (Ps. 132, 2—3),* fit fruitio Dei. Sicut ergo sunt duodecim illustrationes ascendendo ad caritatem, sic sunt duodecim fructus descendendo a caritate. Hoc est illud, quod dicitur *(Apoc. 22, 2), ex utraque parte fluminis* esse *lignum vitae, afferens fructus duodecim* per duodecim menses. Ab una parte fluminis fructus intellectuales, ab altera affectuales. Ab una parte fructus ascendentes, ab altera fructus descendentes.“ *Serm. 18 in Hexaëm. in fine.*

[12] „Sicut in poena magnitudo afflictionis differtur, et interior afflictio et remorsio peccatum concomitatur; sic et in benefactis dulcedinis multitudo absconditur benefacientibus, nihilominus aliquae primitiae spiritus degustantur, et in omni bono opere quaedam jucunditas conscientiae et tranquillitas bene operanti conceditur, quae est sicut fructus et remuneratio operis illius. Et hoc est, quod dicit Apostolus *(2. Tim. 2, 6): Laborantem agricolam oportet primo de fructibus edere.“ 2. dist. 36. a. 2. q. 1. ad 2.*

[13] „Usus, secundum quem illa perfectio suscipitur, recte dicitur sensus spiritualis, quoniam sensus est cognoscere rem ut praesentem.“ *3. dist. 34. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Sensus nominat usum alicujus potentiae existentis in re vivente et a re vivente secundum naturam. Per hunc etiam modum in spiritualibus sensus dicit usum donorum gratuitorum, quae quidem dona sunt in eo vitalia, quo sunt gratuita. Potest ergo sensus accipi large pro quocumque usu gratiae perfecto et evidenti . . . Alio modo sensus potest dici stricte, et sic sensus spiritualis dicitur usus gratiae interior respectu ipsius Dei, secundum proportionem ad quinque sensus. Et sic accipit Origenes et Bernardus, qui distinguunt quinque sensus interiores, quorum numerum facile est assignare. Quilibet enim illorum sensuum, sicut vult Bernardus, radicem habet in intellectu et affectu, pro eo quod cognitionem experimentalem dicunt. Sed quidam se magis tenent ex parte intellectus, ut visus et auditus; quidam ex parte affectus, ut odoratus, gustus et tactus. Et sufficientia patet sic. Quia ex parte intellectus contingit dupliciter circa cognitionem alicujus exerceri. Aut proprio intuitu, et sic est visus: aut aliena excitatione, sive instructione, et sic est auditus. Circa affectionem vero triplicem contingit reperire statum. Aut in remotione, et sic odoratus: aut in approximatione, et sic gustus: aut in unione, et sic tactus, qui est perfectior inter omnes sensus et spiritualior propter hoc, quod maxime unitur ei, qui est summus spiritus, propter quod dicitur *(1. Cor. 6, 17): Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.“ 3. dist. 13. dub. 1.*

[14] „Debent illae illustrationes intrare in affectum, ut intellectus reficiatur et rectificetur. In hoc horto multa deambulatio est, quia si non placet stare in primo, vade ad secundum, et sic de aliis. Et sic stipatus est malis, unde in Canticis *(2, 5)* dicitur: *Fulcite me floribus, stipate me malis;* et Psalmus *(90, 5): Scuto circumdabit te veritas ejus.* Sicut intellectus ergo ordinatur ad affectum, et fides est via ad caritatem; sic istae illustrationes transire debent

in affectum, ut intellectus speculativus fiat practicus. Oritur autem ex his quaternariis fructus triplex; ex primis quatuor oritur fructus gratiae, ex mediis fructus justitiae, ex ultimis fructus sapientiae. De his fructibus in Deuteronomio *(33, 13—16)* dicitur: *De benedictione Domini terra ejus,* dicitur de Joseph, *de pomis caeli et rore atque abysso subjacente; de pomis fructuum solis et lunae, de vertice antiquorum montium, de pomis collium aeternorum, de fructibus terrae, et de plenitudine ejus.* Tangit istum triplicem fructum, sive istas illustrationes, secundum quod generant poma refectiva, secundum quod iste triplex fructus est a Christo. Unde in Canticis *(2, 3): Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi; et fructus ejus dulcis gutturi meo.* De fructu gratiae scriptum est: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (Ps. 84, 13).* De fructu justitiae in Cantico supra. De fructu sapientiae in Proverbiis *(3, 14)* dicitur: *Primi et purissimi fructus ejus.* Isti ergo fructus oriuntur a Christo, a Joseph benedicto, qui producit poma de caelo, rore, abysso subjacente, scilicet charismata gratiarum per modum roris in corda humilia. Per poma solis et lunae, et verticem montium intelligitur exercitium perfectae justitiae, quae est in hoc, quod homo se exerceat ad mandata Dei implenda, secundum statum subjectionis, praelationis, contemplationis. De pomis solis intelligitur quantum ad meritum justitiae praesidentis; de pomis lunae, quantum ad meritum justitiae subjacentis; de pomis et vertice montium, per hoc intelligitur sublimitas apostolicorum virorum, qui tenent vitam, quam Deus dedit in paradiso, nam si homo non peccasset, nulla fuisset agrorum divisio, sed omnia communia. Per poma collium aeternorum intelligitur sapientia, vel fructus sapientiae, quae est in contemplatione aeternarum rationum, et in consideratione caelestium spirituum sublimatorum. Hinc in Psalmo *(75, 5)* dicitur: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, etc.* De fructibus terrae, quantum ad considerationem divinarum condescensionum in ordinibus ecclesiasticorum. De plenitudine ejus, quantum ad conjunctionem utriusque Ecclesiae militantis et triumphantis, quomodo Deus posuit finem ejus pacem *(Ps. 147, 3);* quod declarabit sicut flumen. Sic ergo iste fructus est a Christo triplex, quia Jesus Christus Filius Dei; quia Jesus, ab ipso fructus gratiae; quia Christus, fructus justitiae; quia Filius Dei, fructus sapientiae. Omnes enim considerationes a Christo sunt, et ad Christum reducuntur. Si consideras interna spectacula luminum, ad Christum reducunt te. Si venis ad exempla, summum exemplar omnium virtutum invenies in Christo. Si patientiam consideras Job, major est Christi patientia. *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis (Jac. 5, 11),* dicit ille. Stellae enim nihil sunt in comparatione solis. Si ad praemia aeterna, haec non habebimus nisi per Christum, qui ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum etc. (Joan. 17, 3).* Si de tormentis, nisi manus Domini te teneat, non liberaberis. Puer enim, si timeat cadere in praecipitium, optime se tenet ad matrem; nisi enim per Christi sanguinem liberatus fueris, non poteris salvari. Si consideras praecepta: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem (Joan. 15, 12).* Si de judicio, Christus judicare habet, et hunc libenter debemus velle habere judicem, quia nos diligit. Unde debemus sibi dicere: Domine, debes nos judicare, sed fac, ut sanguis tuus satisfaciat pro nobis. Si consideras solatia futura in Christo, non videntur per illum modum, sicut in aliis, sed per alium; quia sibi numquam periculosa fuerunt, nec temporalia solatia habuit, miscuit enim cum solatiis amaritudinem, cum fruitione poenam. Anima enim ejus, quae unita est semper divinitati, summe delectabatur, et tamen ipse miscuit amaritudinem, paupertatem, crucem; et e converso miscuit solatia in flagellis, in quibus summe delectabatur. Unde hoc exemplo, in consolatione jungendus est timor, et in tristitia jungendum est solatium, exemplo beati Francisci, qui quando offerebatur sibi honor, dicebat socio suo, quod ibi erant nil lucrati; sed quando recipiebat vituperia, tunc lucrabatur. Si consideras e directo ad civium praesidia, hierarcha principalis Christus est. Si de pugna, et angeli et Sancti juvant. Unde Psalmus *(120, 1): Levavi oculos meos in montes etc.* Principalis tamen pugnator Jesus est, unde alibi dicitur *(Ps. 15, 8): Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Item in Actis *(7, 55): Video caelos apertos etc.* Si autem consideras haec omnia, veniunt de sede Dei et agni. *Vidi,* inquit Joannes in Apocalypsi *(22, 1), fluvium procedentem de sede Dei etc.* Si consideres figurarum signa, omnia referuntur ad Christum, et etiam sunt obscura, nisi solvantur per Christum; unde omnes considerationes remittuntur ad Christum. A Christo ergo est fructus gratiae quadruplicis, stabilire animam per fidem, sanctificare per divinum amorem, sursum ferre per spem, inclinare per divinum timorem. De primo Apostolus *(Hebr. 13, 9): Optimum est gratia stabilire cor, non escis.* Judaei stabiliebant se super escas. De secundo Petrus dixit *(1. Petr. 1, 13): Propter quod, succincti lumbos mentis vestrae, sobrii perfecte sperate in eam, quae offertur vobis gratia etc.* Sanctificatio enim est in eo, quod virtutes cognitivae et amativae, quae sunt lumbi mentis, transferuntur in Deum. De tertio ad Titum *(3, 7)* dicitur: *Justificati gratia ipsius, haeredes sumus secundum spem vitae aeternae.* Et Petrus *(1. Petr. 1, 3): Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam.* De quarto dicit Ecclesiasticus: *(3, 20): Quanto major es, humilia te in omnibus.“ In Hex. serm. 18, circa med.*

[15] „Anima pulchra dicitur *sicut Jerusalem (Cant. 6, 3),* quia assimilatur Jerusalem per dispositionem graduum hierarchicorum. Disponuntur autem in anima gradus tripliciter, secundum ascensum, secundum descensum et secundum regressum in Deum, ut lex divina; et tunc anima videt angelos Dei ascendentes et descendentes per scalam, ut vidit Jacob in vita sua *(Gen. 28, 12).* Abbas Vercellensis assignavit tres gradus, scilicet naturae, industriae et gratiae. Sed non videtur, quod aliquo modo per naturam anima possit hierarchizari. Ideo nos debemus attribuere industriae cum natura, industriae cum gratia, et gratiae super naturam et industriam. Tres autem sunt gradus industriae cum natura, sive actus, scilicet nuntiatio, dictatio, ductio. Nuntiatio respondet Angelis, dictatio Archangelis, ductio Principatibus *(cfr. superius part. II, cap. 8).* Industria enim primo percipit, quod quilibet sensus nuntiat. Visus et auditus multa nuntiaverunt, sed auditus plura, ut illa quae Romae fiunt; gustus, odoratus et tactus

non vadunt longe, et ideo tardi sunt. Cavere autem debet industria, ut non permittat omnem nuntium intrare, ut mulieres videre. Industria enim debet discernere inter nuntiata, utrum sint respuenda vel eligenda. Deinde necesse est deliberatio, quae est dictatio, utrum liceat; et si liceat, utrum deceat; et si deceat, utrum expediat. Nil enim expedit, nisi liceat et deceat. Deinde necessaria est ductio, ut prosequatur. Prosequi autem est assumere in facultatem voluntatis; et est Principatuum. Multi enim sunt Angeli et Archangeli, scilicet perspicientes et deliberantes quid expedit, sed non sunt prosequentes, ut Principatus. Secundus est gradus industriae cum gratia, et sunt tres actus. Primus, ut propter Deum fiat, quod deliberatum est. Unde prima ordinatio est in Deum, quae est Potestatum, scilicet in finem ordinare, et quidquid deordinatum est removere; sed quia hoc est difficile, ideo necessaria est roboratio, quae est Virtutum. Et quia in finem ordinare est difficile, et roborare; ideo sequitur imperatio, quae est Dominationum. Tertia hierarchizatio est gratiae super naturam et industriam, quando scilicet super se anima elevata est et deserta, et suscipit divinas illuminationes, et supra se speculatur, quod sibi datum est; et ex hoc surgit in divina, sive sursum agitur. Ista tria sunt, susceptio, revelatio, unio, ultra quam non procedit mens. Et in istis consistit Canticum Canticorum totum, scilicet castis susceptionibus, castioribus speculationibus, castissimis unitionibus; et tunc poterit dicere illud Cantici *(1, 1): Osculetur me osculo oris sui.* Susceptio respondet Thronis, revelatio Cherubim, unio Seraphim. Et haec hierarchia est secundum ascensum. Item est hierarchia animae secundum modum descendendi. Oportet enim, ut unguentum capitis hierarchiae supernae *(Psalm. 132, 2)* cadat in barbam, in mediam hierarchiam, et in vestimenta, id est in infimam. Haec autem fit secundum virtutes animae, quae sunt tres, secundum Dionysium, scilicet susceptivae, custoditivae, distributivae, ut copiose suscipiat, studiose custodiat, liberaliter refundat. Unde *(Matth. 10, 8): Gratis accepistis, gratis date.* Ad hoc autem quod anima recipiat illa lumina, requiritur vivacitas desiderii, perspicacitas scrutinii, tranquillitas judicii. Non enim est contemplativa anima sine desiderio innato et vivaci. Qui hoc non habet, nil de contemplatione habet, quia origo luminum est a summis ad infima, non e converso. Primus respondet Seraphim, qui est ardens sicut ignis. Unde ignis maximam figuram habet in Scripturis. Ad istum ignem ardentem in vertice montis ascendit Moyses *(Exod. 19, 3)*, et tamen illum ignem prius vidit in pede montis. Non enim Moyses descenderet ad erudiendum populum, nisi prius ad ignem ascendisset. Desiderium ergo disponit animam ad suscipiendum lumen divinum. Secundo oportet, quod anima perspicaciter advertat, vel percipiat, quae data sunt sibi a Deo, et ut non habeat phantasmata, vel occupationes, quin possit occupari vel ferri in illa lumina; et illud respondet Cherubim. Tertium est, quod habeat tranquillitatem judicii, quia dona Dei non debet in vacuum recipere *(2. Cor. 6, 1)*, ut non pervertatur judicium in aliqua passione; quia, si amo, judicium pervertitur; si odi, similiter; si spero, et sic de aliis passionibus; et hoc respondet Thronis. Ex his sequitur auctoritas imperii. Ex quo enim desiderio suscipit, et illud perspicaciter percipit, et tranquille faciendum judicat, et ex quo Deus vult, tunc anima imperat fieri; et respondet Dominationibus. Sed imperare parum valet, nisi faciat; ideo oportet, quod sit virilitas propositi exercitati, quod respondet Virtutibus, ut propter nullam tribulationem dimittat bonum, quod scit Deum velle. Post quod venit nobilitas triumphi propter impedimenta, quae occurrunt, postquam recipitur aliquid a Deo; et illud respondet Potestatibus, scilicet de omnibus triumphare. Haec tria faciunt mediam hierarchiam animae. Tertium est custodita distributio; et in hoc sunt tria, vel tripliciter contingit, scilicet per claritatem exempli, per veritatem eloquii, per humilitatem obsequii. Sic debemus vitam dare proximo, scilicet per exempla, scientiam et substantiam. Praeclaritas exempli respondet Principatibus, quorum est ducere; veritas eloquii Archangelis; humilitas obsequii Angelis. Sic ergo est consummatio in humilitate secundum descensum, et inceptio in caritate ascendendo e contrario. Sic ergo descendere incipimus a vivacitate desiderii ad humilitatem obsequii. Unde Christus venit ad humilitatem obsequii nostri. Sicut ergo anima habet angelos ascendentes, sic debet habere descendentes. Unde Joannes *(3, 13): Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo.* Tertio modo modus distinguendi in anima secundum regressum est secundum triplicem gradum contemplationis. Gregorius super Ezechielem ponit tres gradus. Aut enim quod venit in considerationem nostram est extra nos, aut intra nos, aut supra nos. Unde Deus contemplatur aut in his, quae sunt intra nos, aut extra nos, aut supra nos, secundum tres potentias, scilicet interiores, exteriores, superiores, sive apprehensivas, amativas, operativas. Et secundum Philosophum omnis anima rationalis tres habet operationes, scilicet animalem ab extra, intellectualem ab intra, divinam ad supra. Oportet ergo, quod anima habeat hierarchiam secundum has potentias, scilicet primo secundum virtutes exteriores, circa quas sunt tria, scilicet discreta perlustratio, discreta praeelectio, discreta prosecutio. Primo ergo debet esse discreta perlustratio, ut discrete consideretur mundus ab anima, nam anima est sicut quaedam manus scribens. Sensus enim percipit exteriora, et sensus communis, et deinde imaginatio; et ratio considerat, et ponit in memoria. Oportet ergo, quod sit magna discretio ad custodiendam domum, ne omnes intrent ad has vires, et nihil nuntietur regi et reginae, quod sit inutile. Latro enim introduci non debet coram rege, nisi forte ut condemnetur. Eva enim misera et incauta introduxit eloquium serpentis, et dubitavit, cujusmodi eloquio hodie multi corrumpuntur. Nil ergo debet intrare per portas immundum: *Foris canes, et venefici, et impudici (Apoc. 22, 15).* Secundo est discreta praeelectio; ex quo apparet, quod si quis percipitur, restat, ut bonum vel melius praeeligatur; quia in bonis est electio ordinata, non enim primum manducandum, quam celebrandum. Et hoc respondet Archangelis, et discreta perlustratio convenit Angelis. Postea sequitur judicium, et istud convenit Principatibus, quod est in prosecutione. Ex quo enim bonum percipit, et praeeligit faciendum bonum, sequi debet judicium ad prosequendum. Haec autem omnia operatur gratia, non industria sola, sive natura, ut dicebatur primo. Secunda hierarchizatio mentis est ad potentias interiores, quod est

magis difficile, quam primum. Haec autem consistit in tribus, quae sunt discreta castigatio, discreta confortatio, discreta convocatio, quae interius hierarchicam faciunt animam. Primo, quod castigentur radices passionum, et amputentur et enerventur contrariae potestates; *venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (Jo. 14, 30).* Quamdiu enim passiones illae dominantur homini, diabolus habet de suo in homine. Ad hoc autem faciendum necesse est, ut eradicetur triplex libido, scilicet libido principandi, libido delectandi et libido possidendi, quia haec triplex libido inducit diabolum in animam. Haec autem hierarchia respondet Potestatibus. Non potest autem anima potestativa esse, quamdiu diabolus habet jus suum in anima. Oportet ergo, ut homo habeat tria opposita, ut homo sit subjectus, castus et pauper; et sic amputantur radices passionum, cum tempus putationis advenit, quia qualibet die pullulant. Secunda est discreta confortatio. Sicut enim triplex libido facit pronitatem ad malum, sic triplex infirmitas facit difficultatem ad bonum. Haec autem est infirmitas, scilicet negligentiae, impatientiae, diffidentiae. Quidam ita sunt negligentes, ut durum sit eis facere bonum; secundi, ut cito sint impatientes; tertii, etsi duo praemissa non habeant, tamen diffidunt. Oportet ergo per mentis vigilantiam, tolerantiam, confidentiam animam reformari; et huic respondet ordo Virtutum. Sequitur discreta convocatio, quando mens est ordinata, sicut Ecclesia; quando habet potestatem supra se, tunc est templum Dei; quando dominatur et imperat omnibus viribus, tunc respondet ejus hierarchia Dominationibus; quando virtutes vocantur ad opera sua, dicet huic: Fac tu hoc, et illi: Fac tu illud *(Matth. 8, 9).* Ad hoc autem faciendum necesse est, ut dominetur appetitibus, phantasmatibus et occupationibus. Et tunc est anima domina sui, quando concupiscibili aufertur concupiscentia triplex, irascibili aufertur infirmitas triplex, rationali aufertur error triplex. Tunc anima habet imperium in regno suo, et tunc non expellitur extra domum suam, quando illae passiones sunt amputatae. Et in tali anima Deus habitat, non in furiosa concupiscentia etc. Diabolus libenter imprimit, quod in se habet, quae sunt furor irrationalis, amens concupiscentia, phantasia proterva. Sequitur, qualiter anima hierarchizatur quantum ad virtutes superiores. Quando enim anima facit, quod potest, tunc gratia facile levat animam, et Deus ibi operatur, et fit digna superna admissio, digna inspectio, digna inductio. Digna admissio divinorum respondet Thronis. Et ita intelligitur illud, quod loquitur in Threnis Jeremias *(2, 19): Consurge in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum,* scilicet cor pone, *ante Deum.* Psalmista *(Ps. 37, 10): Domine, ante te omne desiderium meum etc.* Et post, quando elevatur, non debet esse otiosa, et debet circumspicere. Unde in Isaia *(60, 1—5): Jerusalem consurge, et sta in excelso, et tunc videbis, et affluës, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum.* Tunc enim debet anima esse fixa, et stans exspectare. Post sequitur digna inductio. Quando facta est divina admissio, et facta inspectio, tunc rapitur in Deum, sive in dilectum. Unde dicitur *(Cant. 2, 6. 16): Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. . . . Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia;* quia jam sensit unctionem, et unus spiritus est cum Deo. Unde dicitur *(1. Cor. 6, 17): Qui adhaeret Deo, unus spiritus est;* et hoc est supremum in anima, quod animam facit esse in caelo. Et istis per ordinem respondent ordines supremae hierarchiae. Et sic est anima *mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona duodecim stellarum (Apoc. 12, 1),* quia est plena luminibus, et nunquam oculum divertit a lumine vero. Sed quia in hac vita non possumus stare in uno; ideo anima habet duodecim materias, sicut duodecim lumina, circa quae semper moveatur velut in quodam circulo, sicut sol percutit duodecim constellationes, scilicet per duodecim signa, et nunquam exit. Hae autem considerationes ornant animam; ideo sunt sicut corona ex duodecim stellis, quae sunt consideratio corporalium naturarum, spiritualium substantiarum, intellectualium scientiarum, affectualium virtutum, institutarum divinitus legum, infusarum divinitus gratiarum, irrevocabilium judiciorum, incomprehensibilium misericordiarum, remunerabilium meritorum, praemiantium praemiorum, temporalium decursuum, aeternalium rationum. Debet anima contemplativa versari semper in aliquo istorum luminum, sicut sol semper est in aliquo signorum . . . Vir contemplativus cadit per errorem et per praesumptionem. Videt enim se illuminatum, et praesumit, et fit luciferianus, et cadit a luce in tenebras horribiles. Cadit similiter per errorem aestimationis, quae oritur ex praesumptione, quando credit se habere omnia per revelationem; semper tamen debet esse regulata revelatio. Unde dicebat *(beatus Franciscus),* quod multi decipiuntur, qui credunt se habere omnia per revelationem. Unde in illa visione et apparitione (quae est regula omnium apparitionum) Domini in monte (*Matth. 17, 3),* apparuerunt cum Christo Moyses et Elias, ut nihil credatur verum vel revelatum, nisi quod consonet Legi, Prophetis et Evangelio. Debet ergo contemplativus esse humilis et circumspectus, ut non ad caput draconis veniat per praesumptionem, vel in caudam involvatur per errorem. Et ideo mulier, scilicet anima hierarchizata, vidit duas divinas visiones, scilicet arcam *(Apoc. 11, 19)* et civitatem *(Ib. 21, 2).*“ *Serm. 22. in Hexaëm. in fine.*

[16] „Desiderium quiescendi cum Christo potest venire ex causa duplici, vel propter taedium malorum praesentium, vel propter contemptum terrenorum et abundantem praegustationem caelestium. Primo modo est signum imperfectionis, non perfectionis, quia sic recusat laborare. Secundo modo signum est perfectionis, quia non recusat laborare, sed spiritus tanto amoris Christi desiderio stringitur, quod vix potest inter se et Deum interpositionem corporalis parietis sustinere. Unde hoc signum est, quod amat Deum per se.“ *3. dist. 29. dub. 6.*

[17] „Gradus perveniendi ad dulcorem caritatis sunt septem; scilicet vigilantia sollicitans, confidentia confortans, concupiscentia inflammans, excedentia elevans, complacentia quietans, laetitia delectans, adhaerentia conglutinans. In quibus hoc ordine progredi debes, qui vis ad perfectionem caritatis et amoris Spiritus sancti pertingere. Primo ergo necesse est, ut vigilantia te sollicitet, propter Sponsi promptitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmi *(62, 2): Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo;* et illud Sponsae *(Cant. 5, 2): Ego dormio, et cor meum vigilat;* et illud Isaiae *(26, 9): Anima mea desideravit te in nocte,* sed et

Spiritu meo in praecordiis meis, *de mane vigilabo ad te.* Secundo, ut confidentia te confortet, propter Sponsi certitudinem, adeo ut vere possis dicere *(Ps. 10, 2): In Domino confido;* et illud *(ibid. 30, 2): In te, Domine, speravi;* et illud Job *(13, 15): Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Tertio, ut concupiscentia te inflammet, propter Sponsi dulcedinem, adeo ut possis dicere *(Ps. 41, 2): Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus;* et illud Canticorum *(8, 6): Fortis est ut mors dilectio;* et illud *(ibid. 2, 3): Quia amore langueo.* Quarto, ut excedentia te elevet, propter Sponsi celsitudinem, adeo ut possis dicere cum Psalmista *(83, 2): Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum;* et illud Canticorum *(1, 3): Trahe me post te etc.;* et illud Job *(7, 15): Suspendium elegit anima mea.* Quinto, ut complacentia te quietet, propter Sponsi pulchritudinem, adeo ut possis dicere illud Sponsae *(Cant. 2, 16): Dilectus meus mihi, et ego illi;* et illud *(ibid. 5, 10): Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Sexto, ut laetitia te delectet, propter Sponsi plenitudinem, adeo ut possis dicere *(Ps. 93, 19): Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam;* et illud *(ib. 30, 20): Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine,* et illud Apostoli *(2. Cor. 7, 4): Repletus sum consolatione, superabundo gaudio etc.* Septimo, ut adhaerentia te conglutinet, propter amoris Sponsi fortitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmistae *(72, 28): Mihi autem adhaerere Deo bonum est;* et illud Pauli *(Rom. 8, 35): Quis nos separabit a caritate Christi?* In his enim gradibus ordo est, nec status est ante ultimum, nec ad illum pervenitur nisi per gradus intermedios, et mutuo se pariunt. Et in primo viget consideratio, in ceteris vero sequentibus dominatur affectio. Vigilantia enim considerat, quam honestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum. Et ex hoc quasi nata confidentia parit concupiscentiam, et illa excedentiam, quousque perveniatur ad copulam, osculum et amplexum dilecti et amantissimi." *Incend. amor. c. 3. n. 5.*

[18] „Ipsa caligo summa est mentis nostrae illuminatio; sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre." *Itin. c. 5. n. 3.*

[19] „Ad ostendendum, quod Medium hujus Scripturae est abstractissimum et altissimum, dicitur Exodi 24 *(16 et seqq.),* quod *septima die vocavit Dominus* Moysen *de medio caliginis: erat autem species gloriae Domini quasi ignis ardentis super verticem montis;* et quod ingressus Moyses medium nebulae, ascendit in montem; et fuit in monte quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Caligo enim et nebula, in cujus medium intravit Moyses, est vertex summus et excelsus; et summa est abstractio divinae essentiae propter *lucem,* quam *inhabitat, inaccessibilem (1. Tim. 6, 16).* Non enim potest plene attingi, nisi per abnegationes omnium entium et omnium conceptuum, secundum quod vult Dionysius *(de mystica Theologia c. 3,* et *de angelica Hierarchia c. 2).* Quia autem ad hoc Medium non ascenditur, nec intratur, nisi post agnitionem senariae considerationis et illuminationis divinorum operum, quae in sex diebus originalibus, seu quae in sex saeculi aetatibus facta sunt; idcirco septima die de medio caliginis, quam dicitur intrasse, vocatus est. Propter quod etiam post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos *(Matth. 17, 1),* stans in medio Moysi et Eliae; ibique, postquam ingressi sunt medium nubis lucidae, audierunt vocem de altitudine hujus Medii: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite (ibid. 17, 5).* Tanta etiam est abstractio hujus Medii, quod magis potest attingi affectualiter, quam intellectualiter; et magis per sensualem gustum, quam per visualem aspectum. Et ideo species gloriae Domini dicta est ignis ardens, per quem signatur caritas effulgens seu lucens; licet sub nomine ignis, seu sub nomine speciei gloriae Domini, summa Dei claritas exprimatur. Quia igitur in solo excessu amoris Medium istud cernitur, ideo dicitur Exodi *(3, 2): Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi;* omnis enim creata essentia se habet ad ipsum, sicut rubus ad ignem. Ipse est Medium demonstrativum et expressivum, non consumptivum omnis creatae essentiae. Apparuit autem sibi, *cum minasset gregem ad interiora deserti (ibid. 3, 1),* hoc est, cum per subtractionem sive abstractionem omnis cogitatus, affectus et sensus, se recollegisset ad intima non solum sui, sed etiam Dei. Et ibi dicit nomen suum esse: *Ego sum, qui sum (ibid. 3, 14);* in quo sic ostendit se habere essentiam et esse et perpetuitatem, quod est Medium effectivum omnis essentiae. Et omnis essentia relativa etiam ad hoc Medium, est tamquam nox. Vel haec est illa nox media, in qua *clamor factus est,* et *sponsus venit (Matth. 25, 6);* idem enim significat haec nox, quod supra caligo." *Tract. de s. Script. myster. § 6—8.* Supplem. vol. I.

[20] „Sol aeternus terram illam hierarchicam et istam humanam irradiat et inflammat triplici et triformi amore, et sursum agit in Deum; utramque scilicet, illam per tentionem, visionem et fruitionem, hanc per caritatem *de corde puro, conscientia bona, fide non ficta (1. Tim. 1, 5),* hierarchiam dico caelestem, secundum trinas hierarchias collocatam. Sed quid est, quod iste radius excaecat, cum potius deberet illuminare? Sed ista excaecatio est summa illuminatio, quia est in sublimitate mentis, ultra humani intellectus investigationem. Ibi intellectus caligat, quia ibi non potest investigare, quia transcendit omnem potentiam investigativam. Ergo est ibi caligo inaccessibilis, quae tamen illuminat mentes, quae perdiderunt investigationes curiosas. Et hoc est, quod dicitur Dominus inhabitare in nebula *(3. Reg. 8, 12);* et *posuit tenebras latibulum suum (Ps. 17, 12).* Haec est ergo consideratio luculenta caelestis hierarchiae. Propter haec ergo tria dicitur sol; et de hoc potest accipi, quod scribitur *(1. Mach. 6, 39): Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis, sicut lampades ignis.* Clypei sunt rationes aeternae praedestinationum aeternarum, quae habent rationem armaturae et rationem fulgoris incomparabilis. Sol aeternus, scilicet sapientia aeterna, refulget in clypeis, quando sublimat Deus mentem contemplativam ad percipiendum fulgorem veritatis aeternae et illarum rationum. Montes autem resplendent, quia Sol iste per istas rationes, quasi per clypeos aureos, illuminat mentes, hoc est spiritus in aeternitate firmatos et sublimatos, qui respiciunt primo orientales radios primaria visione, meridionales, perfecta illustratione, occidentales, postrema tentione. Hi radii tripliciter oriuntur a sole, et splendent sicut lampades

ignis, quia est ibi inflammatio permaxima. Et hoc est tota causa inflammationis contemplationis, quia nunquam venit ad contemplationem radius splendoris, quin etiam inflammans. Et ideo in Canticis loquitur Salomon per modum amoris et per modum cantus, quia ad illos fulgores non potest perveniri nisi per amorem." *Serm. 20. in Hexaëm. prop. med.*

CAPUT VII.

De exercitio gratiae respectu credendorum.

(Gratia dirigit mentem in credendis, in diligendis, in exequendis et in postulandis. — Credenda plurima quidem sunt; — proprie tamen articuli fidei dicuntur, qui in Symbolo Apostolico continentur, — ut omnium credendorum fundamenta.)

Quarto igitur restat considerare gratiam quantum ad exercitia meritorum. Circa quod consideranda sunt quatuor; primo de exercitatione [a] gratiae in credendis, cujusmodi sunt articuli fidei: secundo in diligendis, cujusmodi sunt illa, quae spectant ad ordinem diligendi: tertio in exequendis, cujusmodi sunt praecepta legis divinae: quarto in postulandis, cujusmodi sunt petitiones orationis dominicae. De credendis autem haec tenenda sunt, quod, licet per fidem astringamur credere plurima, quae sunt supra rationem, et generaliter omnia, quae continentur et asseruntur in canone sacrae Scripturae; specialiter tamen et proprie articuli fidei [1] dicuntur illi [b], qui continentur in serie Symboli [2] Apostolici; qui quidem uno modo sunt duodecim, si habeatur respectus ad eos, qui Symbolum ediderunt, alio modo quatuordecim [3], si consideremus quae radicaliter sunt credenda, tanquam omnium credendorum fundamenta.

a) Exercitio ad 1484.

b) Sunt credendi ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium in seipso sit summe verum et bonum, in opere vero suo sit summe justum et misericors; et summe vero debeatur firma assensio, summo bono fervens dilectio [c], summe justo universalis subjectio, summe misericordi fiducialis invocatio; et gratia sit ordinativa mentis nostrae ad primi principii culturam debitam: hinc est, quod ipsa dirigit et regulat ad debita et meritoria exercitia in credendis, amandis, exequendis [d] et postulandis, secundum quod requirit summa veritas, bonitas, justitia et misericordia in Trinitate beata. Quoniam igitur veritati est credendum [4], et majori veritati magis est [e] credendum, et summae veritati per consequens summe est credendum [5]; et veritas primi principii in infinitum major est omni veritate creata, et luminosior omni lumine intellectus nostri [6]; hinc est, quod ad hoc, quod intellectus noster sit recte ordinatus in credendis, necesse est quod plus credat summae veritati, quam sibi (I), et quod se redigat

c) Ita ibid. et editt. Arg. Nor. et Ven.: et recte: summo bono fruens dilectio ed. Rom.

d) Et exequendis ed. 1484.

e) Est hic et infra om. ibid.

(I) His verbis ii inter Neotericos refelluntur, „qui, ut ait S. P. Leo XIII fel. regn. in nuperrima Epistola Encyclica diei 4 augusti an. 1879, facultates humanae naturae plus nimio extollentes, contendunt hominis intelligentiam, ubi semel divinae auctoritati subjiciatur, e nativa dignitate excidere, et quodam quasi servitutis jugo demissam plurimum retardari atque impediri, quominus ad veritatis excellentiaeque fastigium progrediatur. — Sed haec, ita prosequitur sapientissimus Pontifex, plena erroris et fallaciae sunt; eoque tandem spectant, ut homines, summa cum stultitia, nec sine crimine ingrati animi, sublimiores veritates repudient, et divinum beneficium fidei, ex qua omnium bonorum fontes etiam in civilem societatem fluxere, sponte rejiciant. Etenim cum humana mens certis finibus, iisque satis angustis, conclusa teneatur, pluribus erroribus et multarum rerum ignorationi est obnoxia. Contra fides christiana, cum Dei auctoritate nitatur, certissima est veritatis magistra; quam qui sequitur, neque errorum laqueis irretitur, neque incertarum opinionum fluctibus agitatur. Quapropter qui philosophiae studium cum obsequio fidei christianae conjungunt, ii optime philosophantur: quandoquidem divinarum veritatum splendor animo exceptus ipsam juvat intelli-

in obsequium Christi *(2. Cor. 10, 5)*[7] (II); ac per hoc quod non solum credat, quae f) Circa ibid. sunt secundum rationem[8], verum etiam quae sunt supra rationem, et contra[f] sensuum experientiam; quod si recusat, non exhibet summae veritati debitam reverentiam (III), dum judicium industriae propriae praefert dictamini lucis aeternae, quod esse non potest g) Improbae ibid. absque tumore superbiae et elationis improbandae (IV)[g][9].

Rursus, quia veritas supra rationem, sive praeter rationem, est veritas non visa, nec apparens[10], sed magis occulta et ad credendum difficillima; ideo ad hoc quod firmiter credatur, necessaria est illustratio veritatis animam elevans, necessaria est etiam testificatio auctoritatis animam firmans[11]. Primum fit per fidem infusam[12], secundum per Scripturam authenticam, quorum utrumque est a veritate summa per Jesum Christum, qui est splendor et Verbum, et per Spiritum sanctum, qui veritatem ostendit et dicit, et nihilominus credere facit. Hinc est, quod auctoritas praebet fulcimentum fidei, et fides assentit auctoritati[13] (V). Et quia auctoritas principaliter residet in sacra Scri-

gentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit. Cum vero ingenii aciem intendunt in refellendis sententiis, quae fidei repugnant, et in probandis, quae cum fide cohaerent, digne ac perutiliter rationem exercent; in illis enim prioribus causas erroris deprehendunt, et argumentorum, quibus ipsae fulciuntur, vitium dignoscunt: in his autem posterioribus, rationum momentis potiuntur, quibus solide demonstrentur et cuilibet prudenti persuadeantur. Hac vero industria et exercitatione augeri mentis opes et explicari facultates qui neget, ille veri falsique discrimen nihil conducere ad profectum ingenii absurde contendat necesse est. Merito igitur Vaticana Synodus praeclara beneficia, quae per fidem rationi praestantur, his verbis commemorat: — Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit *(Const. dogm. de fide cath. c. 4)*. — Atque idcirco homini, si saperet, non culpanda fides, veluti rationi et naturalibus veritatibus inimica, sed dignae potius Deo grates essent habendae, vehementerque laetandum, quod inter multas ignorantiae causas et in mediis errorum fluctibus, sibi fides sanctissima illuxerit, quae quasi sidus amicum citra omnem errandi formidinem portum veritatis commonstrat."

(II) Hisce verbis Rationalismi seu Naturalismi doctrina evertitur, quae „late nimis per orbem vagata, religioni christianae, utpote supernaturali instituto, per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae, quod vocant, rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur." Ita Conc. Vaticanum in *Const. dogm. de fide cath. in princ.*

(III) Haec etiam verba contra modernos Rationalistas faciunt. Egregie autem declarantur in praecitata Encyclica Leonis XIII, ubi sequentia leguntur: „Cum plane compertum sit plurimas ex ordine supernaturali veritates esse accipiendas, quae cujuslibet ingenii longe vincunt acumen, ratio humana, propriae infirmitatis conscia, majora se affectare ne audeat, neque easdem veritates negare, neve propria virtute metiri, neu pro lubitu interpretari; sed eas potius plena atque humili fide suscipiat, et summi honoris loco habeat, quod sibi liceat in morem ancillae et pedissequae famulari caelestibus doctrinis, easque aliqua ratione Dei beneficio attingere. In iis autem doctrinarum capitibus, quae percipere humana intelligentia naturaliter potest, aequum plane est sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam: non ita tamen, ut auctoritati divinae sese audacter subtrahere videatur. Imo, cum constet ea, quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere, et quae fidei adversantur, pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus se fidei simul et rationis jura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit."

(IV) Ad rem Concilium Vaticanum, *de fide c. 1:* „Quum homo a Deo, tamquam Creatore et Domino suo, totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur." Merito igitur ab eodem definitum fuit *can. 1:* „Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit."

(V) Semirationalistae ii dicuntur, qui damnatis principiis Hermesianis inhaerentes, motivum credendi non in auctoritate revelantis, sed in subjectiva persuasione veritatis reponunt. Patet igitur eos fidem mere

ptura, quae per Spiritum sanctum est condita tota ad dirigendam fidem catholicam; hinc est, quod vera fides a Scriptura non dissonat, sed ei assentit assensione non ficta[14].

Postremo, quia veritas, ad quam credendam arctamur per fidem, et de qua sacra Scriptura agit principaliter, non est veritas quaecumque, sed veritas divina, vel ut est in natura propria, vel ut est [h] in natura assumpta, nam in hujus veritatis cognitione consistit et praemium patriae et meritum viae; hinc est, quod articuli fidei, qui sunt fidei fundamenta, aut spectant ad divinitatem [i], aut ad humanitatem Christi [j]. Et quoniam divinitas habet considerari in tribus personis, scilicet in Patre generante, Filio genito et Spiritu sancto procedente; et quadriformi operatione, scilicet creatione in esse naturae, recreatione in esse gratiae, resuscitatione in reparatione vitae et glorificatione in collatione gloriae; hinc est, quod articuli spectantes ad deitatem sunt septem. Similiter, quia humanitas Christi habet considerari ut concepta de Spiritu sancto, ut nata de Virgine, ut patiens in cruce, ut descendens ad infernum, ut resurgens a morte, ut ascendens in caelum, ut veniens ad finale judicium[15]; hinc est, quod septem sunt articuli spectantes ad humanitatem: et sic sunt in universo quatuordecim[16], ad modum septem stellarum et septem candelabrorum aureorum, in quorum medio Filius hominis ambulabat *(Apoc. 1, 12—13).*

h) Ut est om. ibid.

i) Deitatem ibid.

j) Christi add. ex ead. editt.

Quoniam ergo unus est Christus in natura divina et humana, et una tantum est veritas summa, quae est ratio credendi, una prima, summa et sola, quae non mutatur per tempora; hinc est, quod de omnibus praedictis articulis una tantum est fides et eadem[17], non mutata, tam in praesentibus, quam in [k] praeteritis, quam in [l] futuris (VI); licet magis clara sit et explicita (VII) in eis, qui Christum sequuntur[18], quam in eis, qui praecesserunt ejus adventum[19], sicut novum Testamentum clarius est quam vetus, in quibus praedicti articuli continentur[20]. Et quia Spiritus sanctus hos articulos fidei in Scripturarum profunditate contentos, in unum compegit per duodecim Apostolos, tamquam per testes firmissimos[21]; hinc est, quod praedicti articuli in unum symbolum Apostolorum collecti fuerunt. Et ideo secundum Apostolos componentes duodecim articuli dici possunt, quia quilibet Apostolus in aedificationem fidei posuit unum articulum, quasi lapidem unum vivum; quod Spiritus sanctus recte praefiguravit in duodecim viris, qui duodecim lapides de Jordanis alveo extraxerunt, ad altare dominicum [m] construendum *(Jos. 4, 2 seqq.)*[22].

k) Quam in om. ibid.

l) In om. ibid.

m) Deo ibid.

naturalem adstruere, ac proinde nullam admittere distinctionem inter fidem divinam et eam, quae ex naturali scientia adquiritur. Patet etiam, juxta eorum placita, tum fidem christianam minime liberam esse, sed necessario ob intrinsecam perspectam veritatem produci; tum necessitatem gratiae ad fidei assensum esse respuendam. Ex his praemissis colligitur praeterea fidei initium a naturae viribus, non a gratia esse repetendum, quod in Semipelagianis damnatum fuisse vidimus (*ad cap. II. part. V. n. I).* Porro contra Semirationalistas Conc. Vaticanum, *de fide, can. 2,* definivit: „Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.“ *Et can. 5:* „Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; anathema sit.“

(VI) Ad rem contra Semirationalistas nostri temporis, quos Conc. Vaticanum, *de fide et ratione, can. 3,* damnavit, ita definiendo: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.“

(VII) Huc refertur propos. 22 ab Innocentio XI decreto 2 martii an. 1679 damnata, quae ita sonat: „Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.“

Ad Caput VII.

[1] „Articulus, quantum est de ratione sui nominis, dicitur ab arctando: hoc autem dupliciter habet intelligi, active videlicet et passive. Dicitur enim articulus, quia est quid in se arctatum; et dicitur articulus, quia alios arctat. Prout passive dicitur articulus, quod in se arctatum est, est terminus resolutionis. Prout autem active dicitur, est principium distinctionis et discretionis. Et primo quidem modo accipitur in scientia naturali, in qua dicuntur articuli membra, sive partes, quae non resolvuntur in alias, sed in eis stat resolutio, sicut dicuntur articuli digitorum. In quantum vero articulus dicitur principium distinctionis, consuevit accipi in scientia sermocinali, ut in grammatica et rhetorica. Articulus enim in grammatica est aliquid distinctum, faciens distinctionem quantum ad genera, et quantum ad casus, et quantum ad supposita. Et in rhetorica appellatur articulus distinctio, quae fit in scientia et in prolatione. Quoniam ergo aliae scientiae deserviunt Theologiae, sumit et ipsa proprietatem suorum vocabulorum juxta illud, quod invenit in aliis scientiis recte dictum. Quoniam ergo fides nostra dicit plurium cognitionem, et illa quidem cognitio terminata est et distincta, necesse est circa objectum fidei, quod est creditum, reperiri aliqua, ad quae reducantur omnia credenda, tanquam ad illa, in quibus stet resolutio omnium credendorum, et tanquam ad illa, quae sunt principia directiva in omnibus, quae creduntur, et illa, quae principaliter fides credit, et quae proprie sunt objectum fidei. Et pro ista duplici ratione dicuntur censeri nomine articuli, videlicet quia sunt termini resolutionis, et quia principium distinctionis.“ *3. dist. 24. a. 3. q. 1.*

[2] „Dicitur symbolum a *syn,* quod est simul, et *bole,* quod est sententia; unde symbolum est plurium sententia constituta.“ *3. dist. 25. a. 1. q. 1.* — „Tria sunt symbola fidei christianae, scilicet symbolum Apostolorum, symbolum Nicaeni Concilii, quod tercenti decem et octo Episcopi condiderunt, et symbolum Athanasii. Causa principalis conditionis primi fuit certa fidei traditio, causa secundi fuit certa probatio, vel propalatio, causa tertii fuit errorum pullulantium exterminatio. Primum dicitur majus, non numerositate contentorum, sed majoritate conditorum, vel auctorum. Et dicitur submissa voce, quia fuit conditum tempore veritatis nondum propalatae, vel prolatae; vel quia est ad propriae conscientiae securitatem. Dicitur etiam in diei principio et fine, scilicet in Prima et in Completorio, propter duplicem confessionem fidei necessariam, scilicet in principio Ecclesiae et in fine; vel in principio regenerationis baptismalis, et in ultimo defunctionis corporalis, in testimonium conversationis triumphalis; vel in prosperis et in adversis, vel in agendo et in patiendo, vel quod fides est scutum contra tentationes diurnas, et contra tentationes nocturnas. Secundum, quia editum est propter veritatem traditam propalandam, in diebus dominicis et festis solemnibus, propter majorem conventum populi, alta voce cantatur, et hoc post Evangelium, quia est ejus brevis collectio, et ante communionem, quia est ad ipsam digna praeparatio. Tertium dicitur, nocte finita, prima diei hora, quia fuit editum tempore veritatis concussae per haereticos, praevalentis finaliter contra eos.“ *Centil. part. 3. sect. 38.*

[3] „In symbolo apostolico sufficienter omnia ea, quae opportunum est credere, continentur quoad ea, quae principaliter credenda sunt.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod doctrina fidei quaedam habet antecedentia, quaedam consequentia, quaedam principia, sive objecta. Sicut in aliis scientiis videmus esse quaedam principia communia, quae supponuntur sicut dignitates; quaedam vero principia propria illarum scientiarum, ut sunt intrinseca principia demonstrationum; quaedam vero sunt sicut consequentia, sicut sunt conclusiones corollariae. Per hunc etiam modum in doctrina fidei antecedentia sunt illa, quae sunt de dictamine juris naturalis; principia vero sunt illa, ad quae fidei illuminatio directe dirigit: et ista dicuntur articuli. Consequentia sunt illa, quae ex illis articulis possunt elici, et ad illos articulos habent sequi. Cum ergo quaeritur, utrum sufficienter doctrina fidei contineatur in symbolo apostolico, dicendum est, quod si loquamur de doctrina fidei quantum ad ea, quae sunt in ea principia et propria, sicut sunt illi articuli, sufficienter in illo symbolo continentur. Potest autem ipsius sufficientia ex duplici parte monstrari, videlicet ex parte ipsorum auctorum componentium, et ex parte articulorum constituentium. Ex parte auctorum componentium, quia universitas ibi Apostolorum convenit, quam non est dubium aliquid non potuisse latere de his, quae pertinent ad fidei complementum. Et ut majorem haberent firmitatem, singuli posuerunt ibi suas partes, et omnes insimul singulas approbaverunt; ut una Ecclesia, quae super Apostolos fundari debebat, unam fidei credulitatem et confessionem haberet, quae quidem diceretur fides catholica, hoc est fides universalis. Universalis, inquam, quia universis data, et ab universis Apostolis, qui erant fundamentum universalis Ecclesiae constituti ... Et sic Apostoli in numero duodenario pleno et integro composuerunt illud symbolum, quando erant insimul congregati, in quo quidem numero significatur superabundans perfectio. Et illud praefiguratum fuit in Josue *(4, 8),* ubi dicitur, quod duodecim viri tulerunt de *medio Jordanis alveo duodecim lapides,* et posuerunt in loco, *in quo castrametati sunt.* Per duodecim namque viros de singulis tribubus praefigurantur duodecim Apostoli. Per duodecim lapides praefigurantur duodecim partes symboli, quae sunt firmae et immutabiles, ex quibus unicum symbolum constituitur, quod ideo symbolum appellatur, quia ex pluribus Apostolorum sententiis fuit constitutum. Dicitur enim symbolum a *syn,* quod est simul, et *bole,* quod est sententia; unde symbolum est plurium sententia constituta; et sic sumitur sufficientia contentorum in symbolo a parte auctorum componentium. Potest etiam nihilominus sumi a parte articulorum constituentium. Cum enim omnes articuli sint de Deo, aut secundum quod est in natura propria, aut secundum quod est unitus humanae naturae; necesse est quosdam articulos esse spectantes ad divini-

tatem, quosdam ad humanitatem. Illi autem, qui spectant ad divinitatem, aut respiciunt divinam essentiam in se, aut respiciunt divinae essentiae personas et hypostases, aut respiciunt ejus operationes. Si respiciunt ipsam divinam essentiam in se; sic est unus articulus, secundum quod unica et simplex est divina essentia. E hoc insinuatur, cum dicitur: *Credo in Deum.* Si autem respiciunt divinae essentiae personas, sive hypostases, secundum quod tres sunt personae, tres sunt articuli. Quorum unus est: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Alius vero notatur, cum dicitur: *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.* Alius cum dicitur: *Credo in Spiritum sanctum.* Si autem respiciant divinae essentiae operationes, hoc potest esse tripliciter, secundum quod triplex est ejus operatio, quarum una est in collatione naturae, et haec est creatio, altera in collatione gratiae, et haec est sanctificatio, tertia est in collatione gloriae, et haec est gloriosa resuscitatio. Et secundum hoc tunc sunt tres articuli, quorum unus notatur, cum dicitur: *Credo in Creatorem caeli et terrae.* Alter cum dicitur: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Alius cum dicitur: *Carnis resurrectionem, et vitam aeternam. Amen.* Et sic septem sunt articuli circa divinitatem, respicientes ipsam divinam essentiam in se, et in personis, et in operibus ejus; et patet eorum sufficientia, quia non habet ipsa pluribus modis considerari. Similiter circa humanitatem non est reperiri nisi septem articulos principales, secundum septem actus Christi Redemptoris, qui ordinantur ad nostram redemptionem. Quorum primus est incarnari; et de hoc est unus articulus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* Secundus est nasci; et de hoc est alius articulus: *Natus ex Maria Virgine.* Tertius est pro nobis pretium solvere; et de hoc est alius articulus: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.* Quartus est infernum spoliare; et de hoc est alius articulus: *Descendit ad inferna.* Quintus est de morte triumphare; et de hoc est alius articulus: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sextus est caelestia transcendere; et de hoc est alius articulus: *Ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Septimus ad judicium venire; et de hoc est alius articulus: *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.* Et sic patet, quod septem sunt articuli spectantes ad deitatem, et septem spectantes ad humanitatem, in quibus universitas fidei continetur, secundum quod signatur in Apocalypsi *(1, 13)*, ubi dicit Joannes se vidisse septem candelabra, et in medio septem candelabrorum similem filio hominis, et ille habebat ad dexteram septem stellas. Per septem namque stellas luminosas, quae sunt de natura caelesti, intelliguntur septem articuli spectantes ad divinitatem. Per septem autem candelabra aurea, quae sunt de terrena materia, verumtamen optima et depurata, intelliguntur septem articuli respicientes humanitatem; et ideo dicit, quod in medio horum vidit *similem filio hominis.* Quoniam ergo isti quatuordecim articuli continentur in symbolo apostolico; hinc est, quod ipsa fides continetur in illo symbolo sufficienter et plene quantum ad illa, quae principaliter sunt credenda." *3. dist. 25. a. 1. q. 1.*

[4] „Aliud et aliud est, sive alius et alius modus credendi, credere Deo et Deum et in Deum. Et isti quidem actus possunt ad diversos habitus pertinere, possunt etiam pertinere ad eundem, quoniam non sunt sic diversi, quin habeant ad invicem ordinem. Nam credere Deum respicit divinam veritatem, ut objectum; credere Deo, ut motivum; credere in Deum, ut finem ultimum. Et istae tres comparationes circa eundem habitum reperiri habent. Et quoniam fides non perfecte tendit in Deum tamquam in finem ultimum, nisi prout est juncta caritati; ideo actus credendi in Deum definitur per actum amandi, non tamquam per actum proprium, sed tamquam per actum adnexum. Et iterum, quia quadruplex genus actus adnexum est ipsi fidei, secundum quod jungitur caritati secundum quadruplicem comparationem; ideo quatuor ponit in ejus notificatione. Fides enim prout juncta est caritati, ordinat ad amandum Deum, ad faciendum bonum, ad fugiendum malum, ad diligendum proximum; et juxta haec quatuor, quatuor ponit actus in illa notificatione, videlicet credendo amare quantum ad effectum, credendo ire quantum ad bonum opus, credendo ei adhaerere quantum ad tolerantiam mali, credendo incorporari membris quantum ad dilectionem proximi." *3. dist. 23. dub. 3.*

[5] „Fides est una virtus, licet in credendis differentia reperiatur, quia una est ratio credendi in omnibus, videlicet ipsa summa veritas." — „Dicendum quod fides, sive in eodem, sive in diversis, una est secundum speciem, pro eo quod non dividitur in species, quamvis in diversis diversificetur secundum numerum. Et hujus ratio est, quoniam unitas virtutis attenditur secundum unitatem actus principalis. Unitas autem actus principalis attenditur secundum unitatem objecti primi. Et quoniam objectum primum fidei unum est; hinc est, quod necesse est virtutem fidei esse unam. Hoc autem planius patet per exemplum in consimili. Sicut enim videmus, quod in habitu videndi virtus visiva habet objectum per accidens, sicut dicimur videre equum vel hominem; habet etiam objectum per se, sicut dicimur videre album et nigrum; habet etiam objectum non solum per se, sed etiam primo, sicut dicimur videre lucidum; et quamvis objectum per accidens, sive objectum materiale ipsius visus, diversificetur in specie, sicut equus differt specie ab homine, et etiam objectum per se specie differat, sicut album specie differt a nigro; non tamen habitus videndi secundum speciem diversificatur, quia ratio objecti primi, videlicet ipsa luminositas, una est in omni visibili. Sic et in proposito intelligendum est, quod licet fides habeat multa objecta per accidens, sicut omnia, quae consequuntur ad articulos, multa etiam objecta per se, sicut etiam ipsos articulos plures et distinctos; quia tamen una est ratio credendi in omnibus, videlicet ipsa summa veritas, cui ipsa fides innititur propter se et super omnia; ideo ipsa fides est specie una, quantumcumque reperiatur in credendis differentia. Et est simile: si ego crederem alicui homini veraci, quia verax est, eadem credulitate, qua crederem ipsum esse veracem, crederem omnia esse vera, quae dicit, quantumcumque de diversis materiis loqueretur. Per hunc modum in proposito intelligendum est. Et idcirco concedendae sunt rationes ostendentes fidem habere unitatem secundum speciem." — „Ad illud vero, quod primo objicitur, quod actus diversificantur per objecta, jam patet responsio, quoniam hoc non intelligitur de quocumque objecto, sed de objecto, quod est objectum per se et

primo, quod quidem non tantum habet rationem materialis, sed etiam rationem activi et motivi; hoc autem modo non est objectum fidei, nisi ipsa summa veritas, sicut infra melius patebit, cum de objecto fidei inquiretur." — „Ad illud quod objicitur, quod sic se habet fides ad credibilia, sicut voluntas ad volita, et scientia ad scibilia, dicendum quod non est simile, quoniam scientia in diversis speciebus scibilibus diversas intuetur rationes et diversa media, per quae illa cognoscit. Similiter voluntas in diversis volitis diversa intuetur appetibilia, per quae illa appetit. Ideo tam voluntas, quam scientia, diversificantur penes illa, quae appetit et cognoscit. Fides autem unicam intuetur rationem, secundum quam omnia credibilia credit; et ideo propter diversitatem credibilium non habet diversificari." — „Ad illud quod objicitur, quod timor et spes diversificantur, quia sunt de bonis et malis, dicendum quod non est simile, quia timor respicit malum secundum quod malum, et spes bonum secundum quod bonum, et ita secundum rationes diversas. Fides autem bona et mala non considerat, nisi in quantum cadunt sub dictamine veritatis, et ita sub ratione una; ita enim credit malos puniri, sicut beatos praemiari. Ita etiam verum est unum, sicut et reliquum; et ita dictat veritas unum, sicut et alterum." — „Ad illud quod objicitur, quod fides dirigit omnes virtutes, dicendum quod ex hoc non sequitur, quod fides sit virtus generalis, pro eo quod contingit virtutes seipsas circumincedere, et objectum unius virtutis bene potest esse materiale alterius virtutis, et tamen ad invicem distinctae sunt, quia distinguuntur penes objecta propria, quae non tantum habent rationem materialis, verum etiam rationem motivi. Objectum enim materiale nec facit convenientiam in specie, nec differentiam; et propterea non sequitur, quod fides sit communis aliis virtutibus, quia fides respicit earum objecta et fines. Respicit enim illa solummodo per modum materiae, circa quam versatur; objectum tamen proprium et primum habet distinctum ab aliis virtutibus, secundum cujus objecti unitatem est ponere fidem esse unam secundum speciem, sicut in praecedentibus ostensum est." *3. dist. 23. a. 1. q. 3. et ad 1—2, 4—5.*

[6] „Fidei non potest subesse falsum, quia non possunt simul stare falsitas in credito, et veritas in credente, sive in fide." — „Cum habitus fidei ipsam mentem illuminet ad assentiendum veritati creditae secundum illustrationem divinae praescientiae, et divinae praescientiae non possit subesse falsum, quia ipsa non potest falsificari; necesse est ponere, quod ipsi habitui fidei nec falsum subsit, nec subesse possit. Quemadmodum enim divina praescientia, quae ex rebus non pendet, certissime cognoscit non solum ea, quae ventura sunt necessario, sed etiam contingentia, ita quod circa ea decipi non potest, sicut in primo libro ostensum fuit; sic et fides, quae cognitioni divinae praescientiae innititur, a qua etiam illuminatur et dirigitur, certam credulitatem et illuminationem habet de futuris etiam contingentibus, ita quod illa, quantum est de se, possunt non evenire; fides tamen nec potest decipi, nec potest errare. Sicut enim de eo, quod praescitum est evenire a Deo, concedi potest, quod ipsum possibile sit non evenire in se et absolute; non est tamen compossibile cum praevisione sui oppositi, quia haec duo non possunt simul stare, quod Deus praeviderit unum, et quod eveniat oppositum, tunc enim falleretur divina praescientia; per hunc modum intelligendum est in assensu fidei, quod innititur divinae praevisioni. Unde quamvis creditum contingens in se possit non evenire, haec tamen duo non possunt simul stare, quod non eveniat, et quod sit creditum. Et propterea concedendum est, quod fidei non potest subesse falsum; quia non possunt simul stare falsitas in credito, et veritas in credente, sive in fide." *3. dist. 24. a. 1. q. 1.*

[7] „Fides in certitudine superatur a scientia, quae est visio Dei aperta; superat vero scientiam, quae est cognitio secundum statum viae, respectu credibilium; cum illa vero, quae est aliorum cognoscibilium, superatur in certitudine speculationis: contra vero est de certitudine adhaesionis." — „Dicendum quod, cum comparamus certitudinem fidei ad certitudinem scientiae, potest intelligi dupliciter. Nam uno modo scientia potest dici aperta et certa visio Dei in patria; et hoc modo non est quaestio, nec dubium, quin scientia isto modo praecellat in certitudine ipsam fidem, sicut gloria praecellit gratiam, et status patriae statum viae. Alio modo dicitur scientia, cognitio quam quis habet in via: et ista potest esse dupliciter, aut respectu illorum, quorum est fides, aut respectu aliorum cognoscibilium. Si respectu illorum, quorum est fides, sic, simpliciter loquendo, certior est fides quam scientia. Unde si aliquis Philosophorum cognoscit aliquem articulorum ratiocinando, utpote Deum esse creatorem, vel Deum esse remuneratorem; numquam tamen ita certitudinaliter cognoscit per suam scientiam, sicut verus fidelis per suam fidem. Si autem loquamur de scientia, secundum quod est cognitio aliorum cognoscibilium, sic quodam modo certior est fides quam scientia, et quodam modo e contrario. Est enim certitudo speculationis, et est certitudo adhaesionis. Et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine adhaesionis; sic major est certitudo in ipsa fide, quam sit in habitu scientiae, pro eo quod vera fides magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae, quam aliqua scientia alicui rei scitae. Videmus enim veros fideles nec per argumenta, nec per tormenta, nec per blandimenta inclinari posse, ut veritatem, quam credunt, saltem oretenus negent; quod nemo sciens sanae mentis faceret pro aliquo quod cognoscit, nisi in quantum doctrina fidei dictat non esse mentiendum. Stultus etiam esset geometra, qui pro quacumque certa conclusione geometriae auderet subire mortem. Unde verus fidelis, etiam si sciret totam scientiam physicam, mallet totam illam scientiam perdere, quam unum solum articulum ignorare, vel negare; adeo adhaeret veritati creditae. De certitudine ergo adhaesionis verum est fidem esse certiorem scientia philosophica: et haec certitudo respicit veritatem et doctrinam secundum pietatem, et de hac certitudine concludunt rationes ad primam partem inductae. Si autem loquamur de certitudine speculationis, quae quidem respicit ipsum intellectum et nudam veritatem, sic concedi potest, quod major est certitudo in aliqua scientia, quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam ita certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de eo dubitare, nec aliquo

modo discredere, nec in corde suo ullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum et primorum principiorum. Et hoc modo procedunt rationes ad partem sequentem, sicut pertractanti patet. Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam. Patet etiam responsio ad objecta, procedunt enim secundum diversas vias. Nam rationes ad primam partem inductae concludunt de certitudine adhaesionis, rationes vero ad oppositum de certitudine speculationis. Verumtamen rationes ad primam partem inductae videntur concludere de certitudine speculationis, quod illa certitudine sit fides certior scientiâ; quod falsum est. Ideo tentandum est eas dissolvere." — — „Ad illud verbum Augustini, quo dicitur: Nihil est homini certius sua fide *(de Trin. lib. 13. c. 1)*, dici potest, quod nihil facit ad propositum, quia non loquitur de certitudine, quam quis habet per fidem, sed quam quis habet de fide, quam habet in mente, et illa est certitudo scientiae, scit enim homo fidelis se habere fidem." — „Ad illud Philosophi *(Arist. Eth. lib. 3. c. 5)*, quod virtus est certior omni arte, dicendum quod loquitur de virtute et arte, secundum quod comparantur ad idem. Multo enim melius scit aliquis invenire medium et objectum per habitum virtutis, quam per habitum purae cognitionis. Non est autem generaliter intelligendum, quod virtus sit certior circa proprium objectum, quam aliqua scientia circa suum." — „Ad illud quod objicitur, quod certius videtur, quod videtur in lumine veritatis increatae, quam quod videtur in lumine veritatis creatae, dicendum quod illud verum est, quando lumen veritatis increatae irradiat plene, sicut erit in patria. Quando autem semiplene irradiat, non est necesse, quod habeat veritatem, sicut patet; quia certius potest homo videre ad lumen candelae, quam ad lumen solis, ubi sol non plene irradiat. Sic et in proposito intelligendum est, licet enim fiat irradiatio mediante fide ab ipsa veritate aeterna, non tamen est irradiatio plena, quoniam manet speculum et aenigma." — „Ad illud quod objicitur, quod certior est cognitio, cui non permiscetur error, dicendum quod verum est, sicut fidei non permiscetur error, ita etiam nec scientiae, in quantum scientia; hoc est solum ex defectu a parte cognoscentis. Sic etiam contingit in ipsa fide a parte credentis; sicut patet in infideli, qui propter distorsionem intellectus a cognitione fidei labitur in haeresim, dum se credulitati verae intermiscet credulitas falsa. Unde ex hoc non potest concludi, quod fides sit certior quam scientia. Illud tamen verum est, quod doctrina fidei magis veraciter est tradita, quam aliqua scientia philosophica, quia Spiritus sanctus, et ipse Christus, qui docuerunt fidei veritatem et sacrae Scripturae, in nullo falsum dixerunt, nec in aliquo possunt reprehendi; quod de nullo philosopho arbitror vere posse dici in traditione alicujus doctrinae, imo inveniuntur veris multa falsa permiscuisse." — „Ad illud quod objicitur, quod quanto scientia nobilior est, tanto certior, dicendum quod illud non habet veritatem. Nam, sicut dicit Philosophus *(Arist. Metaph. lib. 3. cont. 16)*: Major est certitudo mathematicae scientiae, quam divinae; et tamen nobilior est divina, quam mathematica: hoc autem est propter defectum a parte intelligentis, quia, sicut dicit Philosophus *(ibid. cont. 1)*: Sicut se habet oculus noctuae ad lucem, ita intellectus noster ad manifestissima naturae. Unde illa, quae sunt certissima in se, cognoscit aliquando dubie; et tamen illa cognitio minus certa magis est nobilis et perfecta, quoniam est de re nobiliori. Melius est enim vel modicum quid de Deo scire, quam caelestium vel terrestrium notitiam habere. Rationes vero ad oppositam partem concedendae sunt, concludunt enim de certitudine speculationis, sicut satis clarum est, et perscrutanti apparet." *3. dist. 23. a. 1. q. 4. et ad 1—6.*

[8] „Fides et scientia, quae non sit comprehensionis, sed per manuductionem ratiocinii, possunt simul stare, licet non sit secundum idem fides et scientia." — „Duplex est cognitio scientialis de Deo, scilicet a parte comprehensionis, et manuductione ratiocinationis. Si loquamur de scientia a parte comprehensionis, quomodo cognoscitur Deus in patria, sic non compatitur secum fidem, ut simul idem sit scitum et creditum, pro eo quod talis cognitio simpliciter excludit aenigma: et hoc melius apparebit infra, cum agetur de evacuatione virtutum*), quare videlicet et qualiter fidei actus per visionem excludatur et evacuetur. Et de hac scientia Sanctorum auctoritates dicunt, et communis opinio Magistrorum tenet, hoc esse verum, quod idem simul non potest esse scitum et creditum. Si autem loquamur de scientia, quae est a manuductione ratiocinationis, sic volunt quidam dicere adhuc esse verum, quod non potest simul stare cum fide; quia per talem scientiam assentit intellectus ipsi rei cognitae propter ipsam rationem principaliter, assentit etiam necessario, assentit etiam sicut rei, quae est infra se, cujus contrarium reperitur in fide, quae assentit primae veritati propter se voluntarie, elevando rationem super se. Et ideo dixerunt habitum fidei et scientiae mutuo sese excludere, secundum quod caritas illum amorem excludit, quo quis amat Deum propter temporalia principaliter. Aliorum vero positio est, quod de uno et eodem simul potest haberi scientia manuductione ratiocinationis cum habitu fidei, juxta quod dicit Augustinus *(de Trinit. lib. 14. c. 1)*, exponens illud Apostoli *(1. Cor. 12, 8): Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae.* Huic scientiae tribuo illud, quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua scientia non pollent plurimi fideles, licet habeant fidem. Et Richardus de sancto Victore dicit, quod ad ea, quae fidei sunt, non tantum possunt haberi rationes probabiles, sed etiam necessariae, licet eas interdum contingat nos latere. Unde aliquis credens Deum esse unum Creatorem omnium, si ex rationibus necessariis incipiat ipsum idem nosse, non propter hoc desinit fidem habere. Vel si etiam prius noscit, fides superveniens talem cognitionem non expellit, sicut per experientiam patet. Ratio autem, quare talis scientia simul potest esse de eodem cum ipsa fide, et quod una cognitio alteram non expellit, est, quia scientia manuductione ratiocinationis, licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina, illa tamen certitudo et evidentia non est omnino clara, quamdiu sumus in via. Quamvis enim aliquis possit rationibus necessariis probare Deum esse, et esse Deum unum; tamen cernere ipsum divinum esse et ipsam Dei unitatem, et qualiter illa unitas non

*) Vide superius *cap. IV. huj. part. not. 11;* et inferius *part. VII. cap. VII.*

excludat personarum pluralitatem, non potest nisi per justitiam fidei emundetur. Unde illuminatio et certitudo talis scientiae non est tanta, quod, habita illa, superfluat illuminatio fidei, imo valde est cum illa pernecessaria. Et hujus signum est, quia licet aliqui philosophi de Deo sciverint multa vera, tamen quia fide caruerunt, in multis erraverunt, vel etiam defecerunt. Unde, sicut in praecedentibus dictum est, quod fides potest stare cum visione exteriori, quia illa habet conjunctam latentiam circa personam Christi; sic intelligendum est circa habitum fidei, et talem modum sciendi, quod possunt se simul in eodem, et respectu ejusdem compati, quamvis non secundum idem." — „Ad illud quod objicitur, quod sciens non potest dissentire ab eo, quod scit, dicendum quod verum est, quantum ad id, quod de eo cognoscit; quantum tamen ad id, quod latet, ex illo dissentire potest, et ratione illius est necessaria sibi credulitas fidei. Sicut aliquis philosophus sciens probare Deum esse unum ratione necessaria, ab hac non potest dissentire; dissentiret tamen ab hac, si quis diceret, quod illa unitas potest compati secum pluralitatem, quod quidem eum latet, et excedit vires cognitionis suae et scientiae." — „Ad illud quod objicitur, quod fides est de his, quae sunt supra rationem, et scientia est de his, quae sunt infra, dicendum, quod sicut nihil impedit unum et idem esse latens et patens; sic nihil impedit unum et idem, secundum alium et alium cognoscendi modum, esse infra et supra rationem, et ita scitum et creditum. Licet enim sempiterna virtus et divinitas nosci possit per scientiam acquisitam, vel etiam innatam in se; tamen, prout comparatur ad pluralitatem personarum, vel humilitatem humanitatis nostrae, quam Deus assumpsit, omnino supra rationem est et supra scientiam. Si quis enim judicio rationis et scientiae innitatur, nequaquam crederet possibile, quod summa unitas secum compatiatur pluralitatem personarum, nec quod summa majestas uniri possit cum nostra humilitate, nec quod summa virtus de non operante fiat operans sine sui mutabilitate, et consimilia, quae videntur repugnare communibus animi conceptionibus secundum philosophiam. Unde valde parum attingit scientia cognitionem divinorum, nisi fidei innitatur, quia in una et eadem re apertissimum est fidei, quod occultissimum est scientiae; sicut patet de altissimis et nobilissimis quaestionibus, quarum veritas latuit philosophos, scilicet de creatione mundi et de potentia et sapientia Dei, quae latuit philosophos, et nunc manifestae sunt Christianis simplicibus. Propter quod dicit Apostolus *(1. Cor. 1, 20), stultam* fecisse Deum *sapientiam hujus mundi,* quia omnis sapientia de Deo in via absque fide magis est stultitia quam vera scientia, deprimit enim perscrutantem in errorem, nisi dirigatur et juvetur per fidei illuminationem; unde per ipsam non expellitur, sed magis perficitur." *3. dist. 24. a. 2. q. 3. et ad 3 et 4.*

[9] „Contrarie opinari, vel potest esse circa ea, quae spectant ad doctrinam christianae religionis, vel circa ea, quae spectant ad doctrinam humanae inquisitionis. Circa ea, quae spectant ad doctrinam humanae inquisitionis, licet contraria opinari et asserere, quia illa non faciunt ad salutem. Asserere autem contraria in his, quae spectant ad doctrinam religionis, distinguendum est. Nam quaedam sunt de necessitate fidei, quaedam de necessitate Scripturae, quaedam sunt his annexa, ut sunt quae faciunt ad fidei explicationem et Scripturae expositionem. Circa ea, quae sunt de necessitate fidei, opinari contraria simpliciter est peccatum in altero, scilicet qui falsum opinatur. Et si sit simplex opinio, est peccatum erroris; si autem assertio, et defensio non tantum error, sed haeresis dicenda est. In his autem, quae sunt de certitudine Scripturae, ignorantes Scripturas licet contrarie opinari; nec est culpa, ut si unus simplex homo credat, quod Jacob fuit pater Isaac, alter non, sed e converso. Et primus quidem licet suspicetur, vel opinetur falsum, tamen non peccat, quia ignorat Scripturam. Scienti autem Scripturam non licet, imo peccat, si simpliciter opinetur. Si autem defendat, haereticus est judicandus, quoniam contradicit Scripturae sacrae. In his autem, quae sunt annexa fidei, vel Scripturae, aut una opinio sequitur ad fidem vel Scripturam, et ad alteram sequitur oppositum; et tunc dicendum, quod ante percontationem licet contrarie opinari, sed post percontationem non licet, imo peccatum est, sicut in his, quae determinata sunt per fidem et Scripturam." *1. dist. 27. p. 1. a. 1. q. 4.* — „Quaeritur, in quo differant haeresis, secta et superstitio. Sicut dicit Isidorus *(l. 8. Etym. c. 3),* haereticus dicitur ab haeresis graece, quod est electio latine. Et quamvis electio sit bonis malisque communis; tamen haereticus ipse non ex dono Dei, sed ex propria auctoritate et ex proprio sensu accipit aliquam sententiam falsam. Nam omne verum a Spiritu sancto est, a quocumque dicatur. Hanc autem non dicitur eligere, quandocumque opinatur aliquid falsum, sed quando falsum praeoptat et pertinaciter credit, et paratus est defendere, sive ipse finxerit, sive alius. Unde talis definitio potest dari: Haereticus est, qui divinae legis ignorantia vel contemptu pertinax inventor proprii erroris, aut alieni sectator, catholicae veritati mavult adversari, quam subjici. Et haec definitio concordat rationi. Et ut ait Augustinus *(ep. 126):* Qui sententiam suam, quamvis perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, corrigi parati, nequaquam sunt inter haereticos computandi. Et differt haeresis a schismate, quia haec est contra fidem, schisma contra mores, vel vinculum caritatis. Sententia autem contra fidem, ratione adinventionis, dici potest superstitio, id est superflua institutio; ratione adhaesionis, haeresis; ratione defensionis, secta, loquendo per appropriata. Vel haeresis, quia contra veritatem; secta, quia contra communitatem; superstitio, quia contra utilitatem, quasi superflua institutio. Vel haeresis ab eligendo, secta a persequendo, superstitio a superstando. Unde haeresis dicit praesumptuosam et deliberatam falsi adinventionem, secta superaddit imitationem, superstitio diuturnitatis inveterationem." *4. dist. 13. dub. 4.*

[10] „Utrum fides sit de his, de quibus habetur visio sensibilis. Et videtur, quod sic: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti (Jo. 20, 29);* sed constat, quod Thomas veram habuit fidem de Domino Jesu, quia credidit Jesum, quem vidit et tetigit; ergo simul de eodem erat fides interior et visio exterior." — „Item: *Quod vidimus et audivimus et perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae (1. Jo. 1, 1);* si ergo de Verbo vitae habebant Apostoli fidem, hoc est de Christo, et de eodem habebant sensibilem cognitionem; redit idem quod prius." — „Item,

Apostoli viderunt Christum passum et Christum ascendentem; et constat, quod Christum esse passum et Christum ascendisse sunt duo articuli; si ergo Apostoli fidem et meritum quantum ad hos articulos non amiserunt, videtur, quod circa idem possit esse fides et visio exterior." — „Item, beata Virgo sensibili experimento novit se concepisse de Spiritu sancto absque virili semine; sed constans est, quod propter conceptionem Filii Dei nihil demptum est fidei suae; ergo simul stabant in ea cognitio fidei et cognitio sensibilis experimenti." — „Circa unum et idem possunt esse simul fides atque visio sensibilis, quamvis non secundum idem, quando scilicet illud unum secundum aliud patet, secundum aliud latet, ut in Christo." — „Dicendum, quod quaedam sunt, quae subjiciuntur sensui exteriori simpliciter et totaliter; et illa videre, est clare et perfecte cognoscere: et circa talia non potest simul et semel esse habitus, sive cognitio fidei, cum visione exteriori, pro eo quod visio, sive cognitio illa, excludit omne aenigma et cognitionem aenigmaticam. Quaedam autem sunt, quae sic subjacent sensui secundum aliquid sui, ut secundum aliquid sui lateant ipsum sensum: et circa talia bene potest simul et semel esse visio secundum unum, et credulitas fidei secundum aliud; visio secundum illud, secundum quod patent, credulitas fidei secundum illud, secundum quod latent. Et hoc modo est in Christo intelligere. Nam Christus secundum naturam assumptam et corpoream Apostolorum sensibus apparebat, secundum autem divinam naturam omnem sensum latebat. Et eadem persona et hypostasis, secundum diversas naturas, simul erat visui cognita et incognita; ideo simul poterat esse visa et credita. Et id est satis facile intelligere, si quis attendat, quoniam circa idem potest esse certitudo et dubitatio, secundum diversas naturas et diversos respectus et diversas conditiones. Esto enim, quod hîc sit Christus coram oculis meis, etsi visu cognoscam ipsum esse hominem, nunquam tamen per visum cognoscam ipsum esse Filium Dei. Ideo alius habitus necessarius est ad hoc, quod cognoscam ipsum esse Deum. Et hoc est, quod Dominus dixit Petro, quando dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi, quia caro et sanguis non revelavit tibi (Matth. 16, 16).* Concedendum est ergo, quod fides et visio possunt esse circa unum et eumdem, quamvis non secundum idem. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(in Joan. tr. 79)* et Gregorius *(hom. 26. in Ev.)* de Thoma, quod aliud vidit et aliud credidit, hominem vidit et Deum confessus est, dicens: *Dominus meus et Deus meus (Jo. 20, 28).* Et sicut de Thoma dicitur, ita etiam de aliis Apostolis et de beata Virgine, quae quamvis certitudinali experientia sciverit se concepisse sine virili semine, tamen se concepisse personam Verbi novit mediante fide. Et breviter, quia in omnibus articulis implicatur aliquid divinum, quia articulus est veritas de Deo, et illud quidem latet; ideo concedendae sunt rationes ostendentes, quod visio corporalis fidem non excludit." *3. dist. 24. a. 2. q. 1. fund. et concl.*

[11] „Ex hoc sensu nascitur in anima triplex influxus ab illa luce, per quam stabilitur anima in Deum, primus est robur virtutis, secundus est zelus veritatis, tertius excessus amoris. Robur virtutum est primus, quia nihil difficile est animae habenti fidem inconcussam; quia *si potest credere, omnia possibilia sunt credenti (Marc. 9, 22),* quia paratus est sustinere omnia propter Deum, quia per fidem et virtutem stabilitur. Secundus influxus est veritatis zelus, ut homo indignetur contra omne malum et afficiatur statim ad omne bonum. Dedignetur omne malum, sicut Elias, qui prophetaverat de Achab et Jezabel, quod comederent ex eis canes. Dixit Achab: *Numquid invenisti me inimicum tibi?* Respondet Elias: *Inveni, quia venumdatus es, ut faceres malum in conspectu Dei (3. Reg. 21, 20),* quasi diceret, quicumque est contrarius Deo, est contrarius mihi. Tertius influxus est excessus amoris, quando anima in vituperiis et tribulationibus semper sentit jucunditatem amoris. Hoc maxime est, quando ardens sentit, quod Dominus facit gustare panem angelorum *(Psalm. 77, 25).* Et hunc reputant omnes stultum, et ipse reputat omnes stultos, et secundum veritatem sunt. Et hoc est summum fidei et apex, ut per experientiam inebrietur, et jam nil curet de mundo." *In Hexaëm. serm. 9. prop. fin.*

[12] *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (Hebr. 11, 1).* „Fidei definitio data ab Apostolo est vera, convertibilis, evidens et sufficiens. Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod tunc diffinitio, sive notificatio, est recte assignata, quando nihil continet superfluum, nihil etiam diminutum. Et hoc est, quando per ipsam notificationem ipsius definiti essentia plene indicatur, et aperte manifestatur, et ab omnibus aliis separatur: hoc autem est reperire in proposito, si quis attendat. Nam ipsa fides secundum essentiam suam aliquid respicit ex parte intellectus, et aliquid ex parte affectus, habet enim affectum stabilire et intellectum illuminare. Et in quantum affectum stabilit, dicitur *substantia,* sive fundamentum; in quantum autem intellectum illuminat, dicitur *argumentum.* Ut ergo plene fidei essentia explicaretur, oportuit eam diffiniri, sive notificari, ut diceretur substantia simul et argumentum, debet enim diffinitio totam essentiam diffiniti in se claudere. Debet etiam nihilominus aperte notificare. Quoniam ergo habitus virtutis dupliciter notificari habet, videlicet per finem ultimum et per suum objectum; finis autem ipsius fidei consistit in aeterna beatitudine, quam speramus, et ita in rebus sperandis; objectum autem consistit in veritate non visa, et ita in rebus non apparentibus; ideo opportunum fuit fidem diffiniri per res sperandas et non apparentes, ut sic notificatio fidei non solum essentiam diffiniti explicaret plene per intellectum et affectum, sed etiam manifestaret aperte per finem et objectum. Debet etiam diffinitio diffinitum ab omnibus aliis separare. Et quoniam fides formata distingui habet a fide informi, distingui etiam habet ab habitu cujuslibet alterius virtutis; a fide, inquam, informi distinguitur, in quantum sustentat totam fabricam spiritualem; ab aliis autem virtutibus, in quantum veritati non visae facit adhaerere. Ideo quantum ad haec duo dicitur *substantia rerum sperandarum,* ut distinguatur a fide informi; *et argumentum non apparentium,* ut distinguatur ab habitibus aliarum virtutum. Et sic patet, quod praedicta notificatio nihil continet superfluum, nihil diminutum, nec est in ea clausula, nec dictio, imo nec etiam syllaba otiosa. Fatendum est ergo ipsam esse convenienter et secundum artem assignatam, ita quod in

CLERICS LIBR
THEOLOGIAN
O. F. M.
PROV. S. BARBA

se habet veritatem, convertibilitatem, evidentiam et sufficientiam adeo perfecte et complete, ut nec peritissimi philosophorum possent eam artificialius et completius assignare.“ *3. dist. 23. a. 1. q. 5.*

[13] „Hujus fidei firmitas est triplex. Prima est ex testimonio veritatis expressae per Verbum increatum, secunda ex testimonio veritatis expressae per Verbum incarnatum, tertia ex testimonio veritatis expressae per Verbum inspiratum. De primo dicit Joannes *(1. Jo. 5, 7): Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* A tribus datur testimonium, sed exprimitur per verbum, quia Verbum et Patrem et seipsum exprimit et omnia alia, dicente David *(Psalm. 32, 6): Verbo Domini caeli firmati sunt.* Caeli, id est, caelestes per fidem, Verbo Dei firmati sunt. Et isto Verbo firmantur et caelestes, et subcaelestes. Unde dicit: *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Unde Scriptura explicans mysterium hierarchiae caelestis et subcaelestis, in alio loco dicit *(Psalm. 118, 89): In aeternum, Domine, Verbum tuum permanet in caelo,* scilicet Trinitatis ... Hujus autem fidei Christus est fundamentum, et nemo potest aliud fundamentum ponere praeter id, quod positum est, Christus Jesus *(1. Cor. 3, 11).* Ille est lapis angularis, de quo facit Isaias et Petrus mentionem *(Isa. 28, 16): Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, speciosum;* et Apostolus *(1. Petr. 2, 6): Superaedificati supra fundamentum Apostolorum,* id est, supra Christum. Tertia firmitas est ex testimonio veritatis expressae per Verbum inspiratum, et hoc fuit in omnibus Prophetis. Et nos audivimus hoc verbum *(1. Jo. 1, 3),* quo Spiritus sanctus testificatur, quoniam Christus est veritas. Aliqui viderunt eum in carne. Unde dicitur in Luca *(10, 23—24): Beati oculi, qui vident, quae vos videtis. Dico vobis, quod multi Reges et Prophetae voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt.* Radiavit autem Spiritus sanctus in cordibus omnium praedicatorum, ad omnem veritatem praedicandam et scribendam, dicente Apostolo *(Hebr. 1, 1): Multifarie, multisque modis olim Deus loquens patribus;* et postea dicitur *(2, 2): Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est etc.* Et sequitur *(2, 3—4): Quae, cum initium accepisset enarrandi per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus.* Et exemplificatur hîc triplex firmitas fidei. Primo, ut expressa per Verbum increatum, ibi: *Multifarie;* et: *Qui cum sit splendor gloriae.* Secundo, ut per Verbum incarnatum, ibi: *Purgationem peccatorum faciens.* Tertio, ut per Verbum inspiratum: *Quae cum initium accepisset enarrandi per Deum.* Hîc Spiritus sanctus in mentibus electorum facit Scripturas, et dat firmitatem fidei christianae.“ *Serm. 9. in Hexaëm. in princip.* Legantur etiam sermones *8* et *10,* ubi de sublimitate, altitudine, firmitate et speciositate fidei sapientissime disseritur.

[14] „Utrum fides sit de his, de quibus habetur opinio probabilis. Et quod sic, videtur: *Parati omni poscenti reddere rationem de ea, quae est in vobis, fide et spe (1. Petr. 3, 15).* Sed ratio probabilis est generativa opinionis; si ergo fides compatitur secum probabilem rationem, compatitur ergo et probabilem opinionem.“ — „Item donum scientiae et intellectus et sapientiae simul potest stare cum fide. Sed quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus, debemus rationi; ergo ratiocinatio potest simul stare cum fide; sed cum quocumque stat probabilis ratiocinatio, stat etiam et opinio; ergo etc.“ — „Item doctrina theologiae stat simul cum fide, cum sit fidei explicativa, et circa ea est, circa quae fides consistit. Si ergo in doctrina theologiae multae fiunt probabiles rationes, videtur quod rationis probabilitas simul cum fide maneat; ergo pari ratione probabilitas opinionis ex rationibus generatae poterit esse in eodem, et respectu ejusdem in quo, et respectu cujus est ipsa fides.“ — „De eodem potest esse fides et probabilis opinio, non quidem formidinem annexam habens, sed assensionem ex probabilibus rationibus derelictam.“ — „Opinio probabilis dupliciter consuevit accipi. Uno modo dicitur opinio assensio unius partis cum formidine alterius. Alio modo dicitur opinio assensio animae generata ex rationibus probabilibus, secundum quod consuevit dici, quod syllogismus dialecticus generat opinionem, et syllogismus demonstrativus generat scientiam. Si ergo opinio dicatur primo modo, prout habet secum annexam formidinem et vacillationem, sic non potest simul stare cum habitu fidei circa eandem materiam, pro eo quod fides facit plene consentire in alteram partem, ita quod omnino reputat ejus oppositum falsum et erroneum, nec propter aliquam rationem supervenientem potest ad oppositum inclinari; et ideo, quia tollit fluctuationem opinionis, isto modo dicendi opinio simul cum fide non potest se compati. Si autem opinio dicatur secundo modo, scilicet assensio derelicta ex rationibus probabilibus, sic dicendum est, quod circa idem simul et semel potest esse opinio et fides, quoniam multi fideles habent ad ea, quae credunt, multas verisimiles rationes et multas probabiles, quae habent generare opinionem quantum ad secundum modum dicendi opinionem; et illa quidem assensio generata fidei non repugnat, imo subservit et famulatur. Est enim in fidei fomentum quantum ad infirmos, et oblectamentum quantum ad perfectos.“ *3. dist. 24. a. 2. q. 2. fund. et concl.*

[15] „Ista principaliter debebat habere fides illorum, quibus innitebatur, tanquam magis opportuna. Nam primum quidem credebant tanquam ipsius fidei Mediatoris fundamentum, videlicet ipsam nativitatem. Secundum vero, videlicet ipsam passionem, ut provocaret ad amorem. Tertium vero, videlicet ipsam resurrectionem, ut sublevaret ad spem. Quartum vero, scilicet adventum ad judicium, ut gubernaret per timorem. Et quia omnibus erat necessarium ad salutem recte credere, amare, sperare et timere; ideo oportuit quatuor istos articulos credere explicite, ut alii, qui innitebantur credendo implicite, possent salvari. Vel aliter, quia nullus poterat merito suo liberari a contagione, vel obligatione peccati originalis, oportuit, quod crederent se per meritum Christi posse salvari, et per satisfactionem ejus. In merito autem isto est quatuor considerare, videlicet personam satisfacientis, modum satisfaciendi, et ejus praemium, et praemiandi modum. Quantum ad personam, oportebat credere nativitatem; quantum ad modum satisfaciendi, oportebat credere passionem; quantum ad praemium, oportebat credere resurrectionem; quantum ad modum, oportebat credere adventum ad judicium.“ *3. dist. 25. dub. 2.* — „Quando anima elevatur per influxum sibi divinitus, vigorem, splendorem, ardorem,

pie colit, clare speculatur sancteque perfruitur: et per haec comprehendit assumptae humanitatis mirabilem exortum, mirabilem occasum, mirabilem ascensum, vel conscensum, mirabilem regressum. Tunc habet quatuor latera civitatis de caelo descendentis *(Apoc. 21, 13)*. Mirabilem, inquam, exortum in nativitate; occasum in crucifixione; conscensum in resurrectione; ascensum in ascensione; regressum ad judicium. Haec quatuor ostendit Ecclesiastes, dicens *(1, 5—6): Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur ibique renascens, gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem.* Mirabilis fuit exortus, quia radius supersubstantialis unitus humanitati ex utero prodiit, et quoniam conversatus est in mundo vigens, lucens, inflammans. In morte quoniam dignatus est mori, et post de inferis ascendit ad corpus, et post in caelum. Et quoniam regredietur ad judicandum, mira longitudo aeternitatis fuit in unione divinitatis ad humanitatem. Nam separatio divinitatis et humanitatis fuit majus impossibile quam ens creatum totaliter nihil esse. Latitudo caritatis fuit in morte, mira sublimitas potentiae in ascensione, mira profunditas sapientiae erit in judicio.“ *Serm. 23. in Hexaëm. ant. med.*

[16] „Doctrina fidei quaedam habet antecedentia, quaedam consequentia, quaedam principia sive objecta, sicut in aliis scientiis videmus esse quaedam principia communia, quae supponuntur, sicut dignitates; quaedam vero principia propria illarum scientiarum, ut sunt intrinseca principia demonstrationum; quaedam vero sunt consequentia, sicut sunt conclusiones corollariae. Per hunc etiam modum in doctrina fidei antecedentia sunt illa, quae sunt de dictamine juris naturalis. Principia vero sunt illa, ad quae fidei illuminatio directe dirigit: et ista dicuntur articuli. Consequentia sunt illa, quae ex illis articulis possunt elici, et ad illos articulos habent sequi. Cum ergo quaeritur, utrum sufficienter doctrina fidei contineatur in symbolo apostolico, dicendum est, quod si loquamur de doctrina fidei quantum ad ea, quae sunt in ea, principia et propria, sicut sunt illi articuli, sufficienter in illo symbolo continetur.“ *3. dist. 25. a. 1. q. 1.*

[17] „Fides duplicem habet magnitudinem, unam per comparationem ad objectum, et haec attenditur in articulorum quantitate; et vocatur haec articulorum quantitas ipsorum articulorum dignitas, articuli enim non sunt de quacumque veritate, sed de veritate summa. Et penes hoc quantitas fidei aequalis est secundum diversitatem temporum, aequalis est etiam secundum pluralitatem articulorum, quantum ad id, quod est in eis principale, scilicet quantum ad ipsam primam veritatem. Quantum vero ad connotatum bene posset concedi, quod unus articulus est dignior alio; ut illi, qui sunt de divinitate, sunt digniores quam illi, qui sunt de humanitate. Habet etiam magnitudinem per comparationem ad subjectum, quia fides respicit subjectum secundum triplicem vim, videlicet secundum potentiam intellectivam, et secundum potentiam affectivam, et secundum potentiam interpretativam. Secundum haec attenditur in fide magnitudo secundum triplicem modum, videlicet per comparationem ad intellectivam dicitur magna cognitione, per comparationem ad affectivam dicitur magna devotione, per comparationem ad interpretativam dicitur magna constantia. Tunc enim fides constans est, quando aliquis libere confitetur, quod credit ... Aliter potest dici .... quod cum fides respiciat intellectum et affectum, secundum quod supra habitum est, magnitudo ejus sumitur tam ex parte hujus, quam ex parte illius. Ex parte autem intellectus dupliciter potest attendi major magnitudo in fide, aut quia clarius cognoscit ipsum creditum, aut quia cognoscit ipsum in pluribus, sive distinctius. Primo modo dicitur fides magna cognitione; secundo articulorum quantitate, quia articulos novit melius distinguere. Similiter ex parte affectus dupliciter attenditur magnitudo, aut quia firmius adhaeret, aut quia intensius. Primo modo dicitur esse magna constantiâ, secundo modo dicitur magna devotione.“ *3. dist. 25. dub. 1.*

[18] „Necessarium est, post adventum Christi, credere non modo implicite omnes articulos, sed etiam aliquos explicite, licet explicite eos omnes credere non sit omnibus, maxime simplicibus, necessarium.“ — „Omnes christiani post adventum Christi tenentur credere omnes articulos. Hoc autem tripliciter potest esse; aut omnes credere implicite, aut omnes credere explicite, aut quosdam implicite, quosdam explicite. Credere omnes implicite est fidei diminutae, non enim sufficit modo alicui, qui habet usum rationis, in generali credere Redemptorem et remuneratorem. Adeo enim notitia quorumdam articulorum manifesta est, quod nullus habens usum rationis illos ignoret, nisi omnino negligat et contemnat Dei cultum et salutem suam. Credere autem quosdam implicite, quosdam explicite, hoc est ad fidei salutem necessarium, potest enim fidei simplicium sufficere. Ad illos autem tenentur explicite credendos, quos manifestat eis non solum praedicatio, sed etiam ecclesiasticus usus et consuetudo, sicut est de unitate et Trinitate, quam possunt nosse ex ipso actu consignationis, consignant enim se in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et sicut est de nativitate, passione, resurrectione et peccatorum remissione, quos cognoscere possunt ex ipsis solemnitatibus, quas Ecclesia celebrat, et actibus sacerdotum. Ideo ab horum cognitione et notitia nullus ratione utens excipitur, nec ignorantia excusatur, quia non potest esse talis ignorantia sine negligentia et contemptu. Alios etiam articulos non ita manifestos tenentur utique credere implicite. Implicite autem voco credere, ut in generali credant universaliter omne, quod credit sacrosancta mater Ecclesia, ita quod in particulari a nullo illorum dissentiant, nec aliquem articulorum discredant. Credere autem omnes articulos distincte et explicite, est fidei jam provectae, hoc enim non est de generali fidei necessitate. Sed si necessarium est alicui, illis est necessarium, qui in cognitione fidei processerunt, et illis potissime, qui fidem aliis explicare et manifestare tenentur, vel etiam qui officium docendi et praedicandi assumunt, sicut sunt habentes curam animarum, et praedicatores verbi Dei, et doctores sacrae Scripturae, et alii quorum conversatio versatur circa fidei veritatem. Hoc tamen non credo esse opportunum omnibus, qui salvantur. Multi enim sunt boni simplices, qui quamvis sint parvae cognitionis, sunt tamen magnae devotionis; et tales pium est credere ad salutem pervenire. Et propterea concedendum est, quod licet opportunum sit omnibus non solum credere omnes articulos implicite, sed etiam quosdam explicite, post adventum Christi; non tamen est necessarium

omnibus, maxime simplicibus, credere omnes explicite.“ — „Ad illud quod objicitur, quod sicut se habet obedientia respectu praeceptorum, et caritas respectu diligendorum, sic et fides respectu credendorum, responderi potest dupliciter. Primo dicendum, quod non est simile; quia cum fides consistat in cognitione, et cognitio potest scire aliquid in universali, ita tamen quod non sciat in particulari, et ita scire uno modo, et ignorare alio modo; potest et ipsa fides aliquid credere implicite, quamvis non credat explicite. Non sic autem est de obedientia, quae consistit in mandatorum executione, non enim potest mandatum impleri in universali, quin impleatur in particulari. Similiter ea, quae caritas diligit, ita sunt manifesta, quod non possunt latere. Aliter potest etiam responderi, quod quodam modo sit simile; quia obedientia non tenetur omnia mandata exequi in opere, nisi pro loco et tempore, sed sufficit, quod promptum reddat et voluntarium ad exequendum omnia, cum fuerit locus et tempus. Similiter nec caritas specialiter diligit unumquemque, sed omnes communiter amplectitur; illum autem specialiter diligit, quem specialiter cognoscit. Ideo ex hoc non potest concludi, quod aliquis per fidem teneatur omnes articulos explicite credere, sed implicite. Explicite autem, cum se offert opportunitas, utpote quando aliquis articulus illi praedicatur, et explicatur ab eo, cui debet credere.“ — „Ad illud quod opponitur, quod non vitatur malum nisi cognitum, dicendum quod verum est. Sed cognitum potest esse aliquid dupliciter, vel in se, vel in alio; et secundum hunc duplicem modum potest aliquis vitare malum, vel per notitiam propriam, vel per notitiam alienam. Ille autem, qui habet fidem implicitam de aliquo articulo, quamvis errorem contra istum articulum non possit omnino vitare per notitiam propriam, potest tamen vitare per notitiam alienam, innititur enim his, qui credunt articulos explicite. Unde aliquis simplex homo, vel vetula, cum audit aliquid novum praedicari, non debet statim assentire, quousque noverit illud universaliter ab Ecclesia teneri. Unde, praeter remedium divinae inspirationis et orationis, ad quod semper recurrendum est, habent simplices remedium humanae instructionis, ad quod possunt confugere, ut errores valeant declinare. Semper enim Deus habuit et habebit aliquos justos et famosos, qui veritatem fidei non solum in se, sed etiam in simplicibus conservarent, dum simplices innituntur eis et credunt.“ *3. dist. 25. a. 1. q. 3. concl. et ad 3—5.*

[19] „Post lapsum Adae nullus salvari potuit absque fide Mediatoris. Nullus enim ab illo peccato originali poterat liberari, nisi in illum Mediatorem crederet, vel ipse pro se, si esset adultus, vel alius pro ipso, si esset parvulus. Et ratio hujus est, quia cum gratia et veritas per Jesum Christum facta sit, et liberatio ab illo peccato originali sit per merita Christi, et merita Christi non se extendant nisi ad illos, qui efficiuntur ejus membra, et ei copulantur per fidem; sicut impossibile est nunc aliquem salvari, nisi eidem copuletur per fidem, vel fidei sacramentum; sic et impossibile fuit tunc aliquem post lapsum pervenire ad salutem, qui aliquo modo in Christum mediatorem non crederet. Ideo autem dico aliquo modo, quia fides Mediatoris potest haberi dupliciter, videlicet implicite et explicite. Explicite, ut si quis crederet Filium Dei assumpturum nostram humanitatem, nasciturum de Virgine, passurum in cruce, resurrecturum tertia die. Et hoc modo explicite credere non erat omnibus opportunum, sed his solum, quibus erat a Deo revelatum, sicut sanctissimis Patribus. Implicite vero credere, est credere Redemptorem venturum taliter et eo modo, qualiter et quo modo illi credebant, quibus a Domino est revelatum: et hoc quidem erat omnibus opportunum. Et hoc est, quod dicit Magister Hugo de sancto Victore *(lib. 1. de sacramentis p. II. c. 7)*: Haec sunt, inquit, quibus ab initio nihil minus recta fides umquam habere potuit, credere videlicet unum esse Deum, Creatorem omnium et rectorem universorum, ipsum quidem non esse mali auctorem, eorum tamen, qui in malis suis misericordiam ejus quaererent et exspectarent, futurum Redemptorem. Hoc simplicium fidei in initio suffecisse credimus; et tamen fidem nativitatis ejus, passionis et resurrectionis et ascensionis suae, in hoc eos verissime habuisse dicimus, quia credentibus et scientibus hoc fide et devotione adhaeserunt. Sic ergo concedendum est, quod nullus post lapsum salvari potuit absque fide Mediatoris, qua quia philosophi caruerunt, suis meritis et virtutibus inhaerentes, ideo tanquam superbi, et a Christi membris et meritis separati, exclusi sunt gaudiis paradisi.“ *3. dist. 25. a. 1. q. 2.*

[20] „Fides quantum ad credendorum multiplicationem additam non potuit proficere, licet quoad implicitorum explanationem profecerit.“ — Credibilia multiplicari dupliciter potest intelligi, vel quantum ad novorum articulorum additionem, vel quantum ad implicitorum explanationem. Si primo modo intelligatur, sic non est concedendum fidem profecisse quantum ad credendorum multiplicationem. Si secundo modo, sic profecit secundum processum temporis, quia quod uno tempore credebatur implicite et quasi uno articulo, processu temporis explicatum est et quasi distinctum in multa credibilia, sicut supra dicebatur, quod sufficiebat aliquo tempore Redemptorem credere esse futurum. Nunc autem circa ipsum Redemptorem septem articuli explicantur, et multa ex illis consequentia et eis annexa manifestantur. Et hoc est, quod dicit Magister Hugo de sancto Victore *(lib. de sacramentis l. c.)* Ante legem, inquit, Deus Creator credebatur, et ab eo salus et redemptio exspectabatur; per quam autem et quo modo eadem salus implenda et perficienda foret, exceptis paucis, quibus hoc scire singulariter in munere datum erat, a ceteris fidelibus non cognoscebatur. Sub lege autem persona Redemptoris praedicabatur mittenda; quae autem ipsa persona foret, hoc est, vel homo, vel angelus, vel Deus, nondum manifestabatur, soli enim hoc cognoverunt, qui per Spiritum illuminati fuerunt. Sub gratia autem manifeste jam ab omnibus praedicatur et creditur et modus redemptionis et qualitas personae Redemptoris. Et sic patet, quod fides profecit quantum ad credibilium multitudinem, non nova addendo, sed quodam modo implicita explicando. Qualitas enim personae Redemptoris et modus redemptionis sciri non potuit aperte, nisi sub quadam articulorum multitudine et distinctione.“ *3. dist. 25. a. 2. q. 1.* — „Fides secundum temporum diversitatem crevit quoad luminis plenitudinem, secundum statum communem, propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiae diffusionem atque planiorem instructionem.“ — „Secundum

diversitatem temporum crevit fides quantum ad luminis plenitudinem, intelligendo de fide secundum statum communem. Hoc autem non est propter ipsorum temporum transmutationem primo et principaliter, sed propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiae diffusionem, propter planiorem instructionem. Ideo enim credentes clarius nunc ea, quae credunt, cognoscunt, quam antiquitus cognoscebant; quia jam est veritas exhibita per Christum, jam etiam gratia Spiritus sancti amplius diffunditur in Sacramentis novae legis propter Christi meritum et pretium jam solutum. Jam etiam nunc fides apertius praedicatur et docetur, probatur et defenditur per evidens discipulorum Christi et ejus sequacium documentum." *Ibid. q. 2.* — „Fidei certitudo in comparatione ad veritatem dictantem non crevit, licet in comparatione ad ipsum credentem crescat." — „De certitudine fidei est loqui dupliciter secundum duplicem comparationem. Habet enim fides comparari ad ipsam veritatem dictantem, habet etiam comparari ad ipsum intellectum assentientem. Si loquamur de certitudine fidei per comparationem ad veritatem dictantem; sic certitudo non habet minui, nec augeri, quia cum ipsa veritas divina certissima sit, et falli non possit, quantum est ex parte rationis dictantis, in fide quacumque, qua assentit divinae veritati propter se et super omnia, status est certitudinis, nec habet ex illa parte fides proficere in certitudine . . . Si autem loquamur de certitudine fidei per comparationem ad ipsum credentem; sic concedi potest, quod fides crescit quantum ad certitudinem, tum propter clariorem cognitionem, tum propter majorem devotionem. Illa enim fides certior est, quae apertius cognoscit et devotius acquiescit. Et quantum ad haec duo fides secundum diversitatem temporum crescit, secundum quod dicit Magister Hugo de sancto Victore *(in lib. 1. de Sacram. p. II. c. 4):* Duo, inquit, sunt, secundum quae fides crescere dicitur, cognitio et affectus. Secundum cognitionem fides crescit, quando eruditur ad scientiam, secundum affectum vero quando ad devotionem excitatur, et roboratur ad constantiam; et utroque modo crevit fides secundum diversitatem temporum. Quod enim creverit quantum ad devotionem, satis ostendunt martyrum passiones; et quantum ad scientiam, satis ostendunt Doctorum eruditiones *). Unde Hugo dicit, quod illud signatum fuit in Numeris *(13, 24)* de botro, qui portabatur in vecte, de quo ait sic: Botrus siquidem in vecte, Christus in cruce est, cujus mysterium in sacramento duo populi portant. Qui praecesserunt, portaverunt, sed non viderunt; quia praecedentes adventum ejus sacramenta passionis ipsius portaverunt, sed non omnes per cognitionem intelligere valuerunt. Secundi autem portant et vident, quia fides post adventum Christi sacramentum passionis ejus per fidem suscipiunt, et per revelatam cognitionem jam aperte cognoscunt. Sic ergo patet, quod etsi certitudo fidei a parte veritatis dictantis non habet incrementum, habet tamen proficere ex parte ipsius credentis. Et secundum hoc patet . . . generaliter ex praedictis, quis sit modus proficiendi in ipsa fide. Proficit enim fides quodam modo extensive, quantum ad articulorum explicationem; proficit etiam intensive, quantum ad clariorem illuminationem; proficit etiam radicative, quantum ad certitudinis et devotionis adhaesionem: et hoc dico respiciendo ad statum communem. Et per consimilem modum proficere habet in eodem homine, et etiam in diversis hominibus, qui sunt sub eadem lege, sese gradatim excedentibus secundum fidei profectum. Et hoc est, quod dicit Hugo de sancto Victore: Secundum incrementa fidei diversa genera hominum inveniuntur. Quidam enim fideles sunt, qui sola pietate credere eligunt, sed utrum credendum sit, vel non, ratione non comprehendunt. Alii vero ratione approbant, quod fide jam credunt. Alii vero quod fide credunt et ratione approbant, purificatae mentis intelligentia experiuntur. In primis sola fides facit electionem, in secundis ratio adjungit approbationem, in tertiis puritas intelligentiae apprehendit certitudinem. Et sic patet responsio ad propositam quaestionem." *3. dist. 25. a. 2. q. 3.*

[21] „Hic Spiritus sanctus in mentibus electorum facit scripturas, et dat firmitatem fidei christianae. Et quia specialiter in Apostolis, ideo dicuntur duodecim fundamenta civitatis. *Vidi civitatem de caelo etc. (Apoc. 21, 2).* Et dicitur, quod in fundamento duodecim nomina Apostolorum fuerunt scripta. Non tantum autem testimonium Apostolorum, sed varia testimonia Spiritus sancti in multis, in quibus sunt duodecim rationes firmitatis fidei, quae sunt duodecim fundamenta, per concursum diversorum testimoniorum Spiritus sancti, fidem formavit inconcussam, licet vexata fuerit haec firmitas in principio Ecclesiae, ubi cruciabantur martyres ab idololatris. Similiter fuit vexata in medio tempore diversis haeresibus, vexabitur maxime in fine Ecclesiae per tormenta, per argumenta, per miracula. Unde: *Vae praegnantibus in his diebus (Luc. 21, 23),* hoc est ut teneris in fide. Oportet ergo, quod fides firmetur per verbum inspiratum. Consurgit autem haec firmitas ex quatuor, quasi ex quatuor lateribus civitatis, ex testificantium notitia certa, ex testificantium fama praeclara, ex testificantium concordia plena et ex testificantium sententia firma. Quia si sit notitia certa, non sit autem fama bona, non credimus sibi; sed quando bonus est homo, scitur, quod veritatem dicit; et si habet certam notitiam et famam claram, sed sibi multi contradicunt, adhuc potest esse dubitatio. Si autem haec tria habeat, et notitiam et famam et concordiam, et tamen non habet sententiam firmam, dubitatio esse potest. De notitia certa dicitur: *Scio hominem raptum usque ad tertium caelum, et audivit arcana (2. Cor. 12, 2),* hoc est certa notitia, per ascensum usque ad tertium caelum, et iterum per descensum usque ad tertium caelum, et per illustrationes omnium caelorum. Unde in Ecclesiastico *(24, 6)* dicitur: *Ego feci, ut oriretur in caelis lumen indeficiens,* id est, in caelestibus viris lumen fidei firmum. Per triplex caelum triplex visio intelligitur, nempe intellectualis pura, intellectualis adjuncta cum visione imaginaria, et intellectualis cum visione corporali manifesta. Prima invenitur in mentibus angelicis,

*) Oppositam doctrinam, quae in propositione prima Synodi Pistoriensis continetur, Pius VI in Const. *Auctorem Fidei* uti haereticam his verbis damnavit: „Propositio, quae asserit, postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Jesu Christi;" damnatur uti „haeretica".

secunda in mentibus propheticis, tertia in mentibus apostolicis. Harum visionum concursus est certitudo Scripturae. Visio intellectualis pura in mentibus angelicis est in Legislatore. Lex enim per angelos ordinata est *(Gal. 3, 19)*; angeli eam dederunt, angeli eam scripserunt, qui puram veritatem videbant in luce aeterna. Ad hanc visionem fuit Moyses sublevatus ultra omnes Prophetas, quia scriptum est *(Num. 12, 7—8): Si fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, palam et non per aenigmata et figuras Deum videt, et ore ad os loquar ei.* Et in signum hujus jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus *(Exod. 34, 28)*. Qui etiam vidit angelum, qui in rubo apparuit ei. Et exponit beatus Stephanus *(Act. Apost. 7, 30)*, quia non fuit ibi Dominus, nisi per subjectam creaturam, sed angelus fuit. Secunda certitudo fuit in mentibus propheticis: *Habentes firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris: hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines (2. Pet. 1, 19—21)*. Visiones enim Prophetarum fuerunt imaginariae ut Isaiae, Danielis. Tertia est certitudo ex visione intellectuali juncta cum corporali. Haec fuit in mentibus apostolicis, dicente Joanne *(1. 1, 1): Quod fuit ab initio, quod vidimus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et non aliud quam quod vidimus, annuntiamus vobis.* Unde Thomas tangere voluit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti (Joan. 20, 29)*; et alibi: *Qui vidit, testimonium perhibuit (Joan. 19, 35)*. Et in Actibus *(10, 42): Praecepit nobis testificari.* Et beata Virgo Maria, doctrix Apostolorum et Evangelistarum, contrectavit hoc Verbum in utero et in sinu. Hae tres visiones, sive certitudines, concurrentes, angelicae, propheticae, apostolicae, dant certitudinem fidei et Scripturae. Has tres Paulus habuit, quando Christum corporaliter vidit: *Novissime,* inquit, *tanquam abortivo visus est et mihi (1. Cor. 15, 8)*. Qui etiam ad supremam visionem fuit sublimatus, tandem ad intellectualem. Bene ergo dictum est *(Eccli. 24, 6): Ego feci in caelis, ut oriretur lumen indeficiens.* Secunda firmitas est ex testificantium fama praeclara. Haec in tribus consistit, in praeclaritate meritorum, miraculorum et martyriorum. Praeclaritas meritorum fuit in Patriarchis; unde *(Eccli. 44, 1): Laudemus viros gloriosos.* Patriarchae miracula non fecerunt, sed famosi fuerunt meritis. Hi fuerunt initium Scripturae, quia agit de apparitionibus illis factis. Praeclaritas meritorum et miraculorum fuit in Legislatore. Vide magna miracula in flagellatione Aegypti, in transitu maris, in deserto, ut quibus per quadraginta annos non sunt attrita calceamenta, nec vestimenta, manna de caelo pluit illis *(Exod. 7 et seqq.)*. Vide Josue *(10, 13)*, qui solem fecit stare, qui aquas divisit in ingressu terrae promissionis, et aquae reversae sunt in suam originem. Adjunge his Eliam et Eliseum *(3. Reg. 18, 45)*, qui Elias caelum claudebat, pluviam dabat, cibum augmentabat, qui in curru igneo ascendit caelum. Eliseus *(4. Reg. 4, 35 et seqq.)*, qui vivens mortuum suscitavit, qui mortuus etiam mortuum suscitavit, qui etiam homines capiebat. Ante legem ergo et post legem et in datione legis facta sunt miracula, et nonnisi in hoc populo. Ex quo sequitur, quod isti viri amatissimi et cari Deo, fuerunt in veritate fundati. Haec est ergo certitudo fidei. Tertia praeclaritas est miraculorum et martyriorum. Et haec certitudo veritatis apparet, quando homo vult mori pro veritate, quam praedicat, ut Isaias et alii prophetae; *quem prophetarum non persecuti sunt patres vestri (Act. 7, 52)?* Si dicant haeretici, quod ipsi pro veritate moriuntur, et habent merita, tertium tamen non habent, miracula scilicet, numquam enim auditum est, quod haereticus vel ante, vel post mortem, fecerit miracula. De istis caelis legitur *(Ps. 8, 4): Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum,* scilicet viros caelestes, in quibus videmus hanc triplicem claritatem, quae sunt opera digitorum Dei. In isto digito tertio, scilicet miraculi, deficiunt magi Pharaonis *(Exod. 8, 18—19)*, id est haeretici, et quicumque alii infideles. Tertia firmitas fidei est ex testificantium concordia plena, quae est in tribus, in eloquiis Scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum. De primo legitur: *De medio petrarum dabunt voces (Ps. 103, 12)*, hoc est de medio duorum Cherubim, de quibus loquebatur Dominus, sive de quorum medio, scilicet de medio duorum testamentorum. Isaias *(7, 14)* dicit: *Ecce Virgo concipiet;* Lucas *(1, 31)* dicit: *Ecce concipies;* alius dixit: Morietur Christus; et Evangelista: Occidetur. Quidquid ergo dictum est per Prophetas, impletum est per Christum. Et Isaias *(19, 1)* dicit: *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra;* hoc factum est per Christum. Numquam inventus est aliquis Propheta, vel philosophus, qui idololatriam potuerit removere, quod tamen Christus fecit per Apostolos ubique terrarum. Hi vero testes sunt Scripturae, Prophetae et Apostoli. Nec potest dici, quod Apostoli subordinaverunt Prophetas, ut sic dicerent, sicut evenit in Christo. Si enim eodem tempore fuissent, posset haberi suspicio, sed illi praecesserunt. Veritas ergo ista est infallibilis. Si enim contingens dicatur firmiter esse futurum, et cognoscatur certitudinaliter; impossibile est, quod videatur aliter, nisi in veritate certa. Vetus ergo Testamentum et novum in magna consonantia et harmonia conveniunt, et sunt sicut vigintiquatuor seniores circa thronum Christi *(Apoc. 19, 4)*, ut nulla sit dubitatio. Secunda firmitas est in decretis Conciliorum, quia illa, quae in dubium veniebant, ibi confirmata sunt. Arius dicebat, quod Pater major esset Filio secundum essentiam; et per hoc nitebatur ostendere, non esse Filium aequalem Patri. Et in primo Concilio *(Nicaeno I)*, ubi fuerunt viri sanctissimi (beatus Nicolaus fuit ibi), ibi, dico, fuerunt tercenti decem et octo Episcopi, ubi fides confirmata est catholica, scilicet universalis. Et factum est auctoritate Petri et aliorum Patrum. Unde quatuor Concilia principalia fuerunt, quae dant testimonia huic fidei *(Nicaenum I, Constantinopolitanum I, Ephesinum et Chalcedonense)*. Tertia est in documentis Doctorum et sapientium in mundana sapientia et divina, ut Dionysius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Basilius, Athanasius, Chrysostomus. Latini similiter, Hilarius, Gregorius, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus. Documenta istorum concordant, et idem dicunt, idem sapiunt. De his dicit Job *(38, 37): Quis enarrabit caelorum ratio-*

nem, et concentum caeli quis dormire faciet? Haec est concordia Scripturarum, Conciliorum et Doctorum. Quarta ratio firmitatis fidei est ex testificantium sententia firma, quae firmitas habetur ex hoc, quod consentit rationi, quia ratio non potest contradicere fidei. Judicium enim rationis illustratae est, quod de Deo summe est sentiendum et altissime. Hoc autem tripliciter sentiendum de Deo est, altissime et piissime, altissime et verissime, altissime et optime." *Serm. 9. in Hexaëm., circa med.*

[22] „Nunc de speciositate fidei dicendum. Dicitur enim caelum, quasi caelatum, id est sculptum luminibus. Quomodo speciosa sit haec fides in Genesi *(15, 5)* dicitur: *Suspice caelum, et numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Pollicitatio seminis carnalis facta est ad Abraham, quia *sic erit semen tuum;* pollicitatio similiter seminis spiritualis ei facta est, eo quod pater multarum gentium per fidem futurus erat. Caro Abraham generavit semen, et multiplicatum est multiformiter: ejus generatio spiritualis fuit, et generavit spiritualiter mente fecundata pullulationes speculationum orientium ex fide, transcendentes claritatem siderum. Unde: *Sustulit me in Spiritu in montem magnum et altum, et vidi Jerusalem descendentem (Apoc. 21, 11).* Et quod habebat duodecim portas, et super quamlibet portam margarita una, et portae ex singulis margaritis. Hae speculationes fidei comparantur sideribus, et comparantur duodecim margaritis. Licet enim sint stellae illae innumerabiles, tamen sunt duodecim signa, per quae sol currit. Ista duodecim signa nihil aliud sunt, nisi quod stellae secundum varias figuras et varietatem luminum habent diversas influentias; et sol illis conjunctus, temporibus variis, secundum diversas influentias, habet vitam ministrare in mundo. Hae autem, ut dictum est, orientes speculationes ex fide comparantur claritati margaritarum, quia sunt fulgidae, vivificae, jucundae, ad modum margaritae, quae habet fulgorem, sive fulget, confortat per efficaciam, cor jucundat. Secundum hoc igitur ingrediuntur ad contemplationem, nec potest ad visiones Apocalypsis homo nudus accedere, nisi intelligat ista. Cum igitur sit *alia claritas solis, alia stellarum (1. Cor. 15, 41),* nos sublimati per fidem *transformamur a claritate in claritatem (2. Cor. 3, 18),* et hoc *revelata facie* ut similes simus duodecim stellis et duodecim margaritis. Duodecim speculationes sunt, quas habemus ex fide. Credere Deum primum, Deum trinum et unum, et exemplar rerum, ut creantem mundum, ut formantem animam, dantem spiritum, Deum carni unitum, Deum crucifixum, medelam mentium, vitale pabulum, ultorem scelerum, praemium aeternum. Nota etiam, quod quaedam sunt credibilia, sive intelligibilia per rationem, ut Abraham genuit Isaac, sive facta particularia; quaedam autem credibilia, non sunt intelligibilia, et quando intelliguntur, rationes solidas habent. Ad sufficientiam horum duodecim nota, quod claritas fidei speculanda est, ut veritatis praeexistentis, ut veritatis efficientis, ut veritatis reficientis, ut veritatis perficientis. Ut veritatis praeexistentis tripliciter, vel quantum ad essentiam, vel quantum ad excellentiam, vel quantum ad refulgentiam, esse enim Dei primum est, quod venit in mente. Unde dicitur Moysi quaerenti, quod nomen Dei esset: *Ego sum, qui sum (Exod. 3, 14).* Et in hoc comprehendit quidquid est, sive bonum, sive potens. Secundo quantum ad excellentiam, ut Deus unus, trinus et verus. Tertio quantum ad refulgentiam, ut exemplar rerum. Si autem consideratur ut claritas efficiens, hoc est tripliciter, aut in quantum inchoat naturam, sive mundum, illustrat industriam, inspirat gratiam. Inchoat naturam, sive mundum, quod non solum est credibile, sed etiam intelligibile. Ut illustrat industriam, et sic format animam secundum intellectum humanum et angelicum; et sic Deus est objectum intellectus: et hinc est, quod habet rationem perpetui, quantum ad imaginem creationis, reparationis, similitudinis, quia imago est essentialis dependentia et relatio. Ut inspirat gratiam, hîc est consummatio; et hoc est credibile et intelligibile, voluntas enim non perficitur, nisi per donum Spiritus sancti infusum. Si autem claritas veritatis consideratur ut reficiens, similiter triplex claritas refulget in anima, aut quantum ad humanae et angelicae reparationis principium, vel quantum ad pretium, vel quantum ad effectum. Primum est speculari Deum carni unitum, quod est credibile et intelligibile; si ut pretium, sic cruci affixum; si ut effectus, sic Deus medicina est animae: est ergo principium nostrae creationis, reparationis, praemiationis. Si ut confirmans, sive perficiens, sic tripliciter, ut vitale pabulum Ecclesiae militantis et triumphantis, ut ultorem scelerum, ut finale praemium. Oportet Deum esse praemium; ergo est credibile et intelligibile, et hoc secundum influentiam, secundum legem justitiae, clementiae et concordiae. Secundum primum, ut virtus; secundum secundum, ut veritas; secundum tertium, ut influentia. Hae sunt duodecim portae, de quibus Psalmista *(117, 19)* dicit: *Aperite mihi portas justitiae. Justi intrabunt in ea;* quia *justus ex fide vivit (Rom. 1, 17).* Primum speculabile circa Deum est, quod primum nomen Dei est esse, quod manifestissimum et perfectissimum; ideo nihil manifestius, nihil perfectius, quia quidquid de Deo dicitur, reducitur ad esse, hoc est proprie proprium nomen Dei. Deus non dixisset Moysi, sive latori legis: *Ego sum, qui sum (Ex. 3, 14),* nisi esset primus. Postea dixit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob (ibid. 15),* in quo mysterium Trinitatis expressit. Tertio dixit: *Quis fecit os hominis et linguam (ibid. 4, 11)?* in quo explicavit, se esse exemplar. Deum esse primum, manifestissimum est, quia ex omni propositione sequitur esse Deum, etiam si dicas, Deus non est, Deus est; quia omnis propositio infert se affirmativam et negativam, ut si Sortes non currit, verum est Sortem non currere. Consideratur etiam haec veritas quasi in speculo quodam, quod confortat, et dat visum. Omnis enim creatura concurrit ad hoc speculum faciendum, et jungitur in hoc speculo, secundum viam ordinis, originis, completionis. Primo tripliciter, secundum rationem posterioris ad prius, et inferioris ad superius, et temporis ad aevum, vel aevi ad aeternitatem. Manifestum enim est, si est posterius, est prius, ergo et primum; ergo in isto ordine per posteriora ad priora et ad primum pervenitur, omnia enim vel sunt posteriora, vel media, vel prima. Secundo est ordo inferioris ad superius, et superioris ad summum, quae habent essentialem ordinem et dependentiam, secundum ordinem naturae. Et non dicitur hîc superius et inferius secundum lineam praedicamentalem, sed secundum magis nobile et minus. Tertio est ordo temporis ad aevum, et

aevi ad aeternitatem; quia si est aliquid propter aliud creatum, et illud creatum erit propter increatum, et increatum erit propter se; ut si est res temporalis propter animam, et anima propter Deum; necessario ergo Deus per se est. Secundum ordinem ergo causalitatis, dignitatis, finis, omnia declarant esse primum et ultimum in ratione producendi, sed ultimum in ratione fiendi: hoc ergo secundum rationem ordinis. Alio modo creatura dicit Deum esse secundum rationem originis; ut si est ens creatum, est ens increatum; et si est ens per participationem, est ens per essentiam; si est ens per compositionem, est ens per simplicitatem; et si est ens per multiformitatem, est ens per uniformitatem, vel identitatem. Primo dicendum, quod omne creatum ponit causam, et universitas causatorum ponit causam primam universalem. Tunc quaero de causa illa, aut est creata, aut non; si sic, est abire in infinitum; si non, habeo propositum. Item ens per participationem ab eo habet esse, quod est ens per essentiam, quia fluit ab eo. Similiter omne compositum est a componentibus; similiter et partes, cum sint dependentes ad invicem, sunt ab aliquo simplicissimo absoluto. Similiter de multiformitate; si enim est ens per multiformitatem, est ens per uniformitatem, ut in numeris, quia necesse est devenire ad unitatem: hoc ergo ratione originis. Tertio modo ratione completionis; si est esse potentiale, est esse actuale; si est esse mutabile, est esse immutabile; si est esse secundum quid, est esse simpliciter; si est esse dependens, est esse absolutum; si est esse in genere, est esse extra genus. Ens autem potentiale venit ex actuali esse necessario in diversum; sed in eodem esse potentiale praecedit esse actuale. Similiter mutabile est fluens ab immutabili fixo. Similiter creatura essentialiter dependens a primo et materia et forma, et etiam accidens, magis dependet a Deo, quam a suo subjecto; quia Deus potest facere, ut sit sine subjecto, ut in sacramento altaris; sed non, quod non dependeat ab eo. Similiter si est ens secundum quid, erit ens simpliciter in his, quae nata sunt esse simpliciter; ut si est sapiens secundum quid, est sapiens simpliciter. Similiter ut removeatur instantia, est albus dente, ergo est albus simpliciter. Si est ens in genere, est ens extra genus. Ens enim in genere habet differentias coarctantes, et tale non habet posse, esse et agere universaliter. Unde Deus est ens extra genus et supra genus. Hae igitur speculationes ordinis, originis et completionis ducunt ad illud esse primum, quod repraesentant omnes creaturae, hoc enim nomen scriptum est in omnibus rebus. Et sunt hae conditiones entis, super quas fundantur certissimae illationes. Unde dixit Auctor libri de causis: Prima rerum creaturarum omnium est esse; sed ego dico prima rerum intelligentiarum est esse primum." *Serm. 10. in Hexaëm.*

CAPUT VIII.

De exercitio gratiae respectu diligendorum.

(Quatuor sunt diligenda ex caritate. — Ordo servandus, — et modus. — Propter hoc datus fuit unus habitus, scilicet caritas — et duplex mandatum.)

De diligendis autem haec tenenda sunt, quod licet omnia opera divina sint valde bona, quatuor tamen proprie sunt ex caritate diligenda [1], scilicet Deus aeternus, quod nos sumus, proximus noster et corpus nostrum [a] *(Aug. de doctr. christ. c. 23)*. In quorum dilectione servandus est ordo et modus, ut Deus diligatur primo et super omnia et propter se; secundo, quod nos sumus [b], sub Deo et pro Deo; tertio proximus [c] noster, sicut et nos; quarto corpus nostrum infra nos et infra proximum, tamquam bonum minus praecipuum. Ad hoc autem exequendum datur unus caritatis habitus, et duplex mandatum, in quo pendet *universitas legis et prophetarum (Matth. 22, 40)*, non solum quantum ad vetus Testamentum, verum etiam quantum ad novum.

a) Proprium ed. 1484.

b) Sumus bene add. ibid. et ed. Arg. Aug. Nor. Ven.

c) Quod proximus ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, est summum; et hoc ipso quod summum, est summe bonum; et hoc ipso quod [d] summe bonum, est summe beatum et summe beatificativum; et hoc ipso quod [e] summe beatificativum, est ipso summe fruendum; et hoc ipso quod est [f] summe fruendum [2], summe est ei inhaerendum per amorem, et in eo [g] quiescendum tamquam in fine (I). Quoniam ergo amor rectus et ordinatus, qui caritas appellatur [3],

d) Est add. ibid.

e) Est add. ibid.

f) Est ipso ibid.

g) Est add. ibid.

(I) Michaël Molinos, sacerdos hispanus, saec. XVII inter alios errores illicitum esse docuit Deum amare amore concupiscentiae, et oportere ut qui Deum diligit, nunquam secum cogitet *nec de praemio, nec*

principaliter fertur in illud bonum, quo fruitur, et in quo quiescit (II), et hoc ipsum est ratio diligendi; hinc est, quod illud praecipue diligit tanquam beatificativum [4], et cetera per consequens, quae per [h] illud idonea sunt beatificari [5]. Quoniam igitur nobiscum ad beatitudinem natus est proximus pervenire, natum est etiam pervenire et [i] corpus nostrum, tanquam beatificabile cum spiritu [6]; hinc est, quod quatuor tanquam ex caritate diligenda esse dicuntur, scilicet Deus et proximus, spiritus noster et corpus nostrum [j] [7].

h) Propter ibid.
i) Et om. ibid.
j) Nostrum om. ibid.

Rursus, quoniam Deus est supra nos tanquam bonum supremum, spiritus noster intra nos tanquam bonum intrinsecum, et proximus noster juxta nos tanquam bonum cognatum, corpus vero nostrum infra nos tanquam bonum subjectum; hinc est, quod hic debet servari ordo in diligendo, ut primo Deus diligatur super omnia et propter seipsum [8]; secundo spiritus noster sub Deo supra omne bonum caducum; tertio proximus noster [9] juxta nos ad consimile bonum; quarto corpus nostrum infra nos sicut bonum infimum, et in eodem gradu contineri debet corpus proximi, quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri.

de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de aeternitate; sed nihil prorsus velit, agat, aut sentiat, et in sacro quodam silentio et quiete (unde Quietistarum nomen) se Dei operationi committat, ita ut tentationibus ipsis nonnisi passive resistat, de peccatis suis non sit inquietus, nihil a Deo petat, cum hoc sit imperfectionis. Imo hac passiva oratione animam posse in hac vita ad tantam cum Deo unionem pervenire, ut sui prorsus expers, et quasi annihilata, Deum intueatur, cum eoque substantialiter unum efficiatur. In idipsum autem animae semper est nitendum, quo si perveniat, non amplius in peccata, sive mortalia, sive venialia, labi potest; et hujusmodi status mors mystica est, quia anima in eo posita nullam prorsus habet voluntatem, Deus enim illi eam abstulit, et ipsa purgatas et extinctas habet omnes passiones, ita ut nihil amplius sentiat, omnino nihil; nec ulla sentiatur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinat. Quidquid proinde in ea tunc fiat, nullam peccati rationem habet; imo cum violentiae, etiam impurae, absque mentis obfuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto magis semper unitur. Putidum hoc pseudomysticismum an. 1686 ab Innocentio XI reprobatum fuit, qui in Const. *Caelesti* sexaginta et octo propositiones ejusdem Molinosii in globo damnavit. Auctor vero haeresim e suggestu abjurare jussus, et a censuris absolutus, in custodia monastica ad mortem usque detentus, poenitens obiit Romae an. 1696. — Porro licitum esse amare Deum amore concupiscentiae, jampridem definitum fuerat in Conc. Tridentino, *sess. 6, can. 31:* „Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur; anathema sit.“ Praeterea Alexander VIII an. 1690 hanc propositionem damnavit: „Intentio, qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.“

(II) Franciscus de Fenelon, Archiepiscopus Cameracensis, Joannae de Guyon mystica studia exponens, in libro an. 1697 gallice conscripto: *De sententiis Sanctorum circa vitam interiorem,* ejus doctrinam de contemplatione, statu passivo, spirituali animae morte, transformatione et unione substantiali cum Deo, aliisque, in sanum sensum explicare studuit, et potissimum de puro Dei amore. Docuit enim amorem concupiscentiae, etsi minime malum ac damnandum, prout Molinos autumabat, adversari tamen caritatis perfectioni; ac proinde, ut caritas in nobis esset perfecta, nitendum dicebat, ut ad eum gradum perveniret, in quo nullum amplius propriae salutis desiderium involveret. Hanc doctrinam, Semiquietismi nomine appellatam, Concilium Tridentinum *sess. 6, cap. 11* saltem implicite praedamnaverat his verbis: „Constat, eos orthodoxae religionis doctrinae adversari ... qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur aeternam, cum scriptum sit *(Ps. 118, 112): Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem;* et de Moyse dicat Apostolus *(Hebr. 11, 26),* quod *respiciebat in remunerationem.*“ Bossuetus Episcopus Meldensis eam vehementissime impugnavit, et causa Romam delata, serioque discussa, Innocentius XII an. 1699 viginti tres propositiones e libro Fenelonii excerptas de puro Dei amore, de perfecta animi quiete, de exiguo pretio orationis vocalis, de praestantia contemplationis prae meditatione, de passivo modo tentationibus resistendi, atque de aliis damnavit. Fenelonius judicio S. Sedis cito se submisit, doctrinamque suam penitus coram omnibus modo omnino mirando retractavit, reprobavit et damnavit.

Postremo, quia amor est pondus mentis et origo omnis affectionis mentalis, qui de facili reflectitur in se, et difficulter [k] tendit in proximum, et difficilius elevatur in Deum; hinc est quod, licet quatuor sint diligenda ex caritate, duplex tamen datur mandatum, unum quod dirigit in Deum, aliud quod dirigit in proximum [10]. Et quia omnia praecepta vel ad Deum referuntur tanquam in finem, vel ad proximum tanquam in illud, quod est ad finem; hinc est, quod in his duobus mandatis clauditur collectio mandatorum, et comprehensio omnium Scripturarum [11], et caritas ipsa est radix, forma [l] et finis virtutum [12], quae jungit [m] omnes cum ultimo fine, et ligat omnia ad invicem simul [n], et ordinat. Ac per hoc ipsa est pondus inclinationis ordinatae, et vinculum colligationis perfectae [13], ordinem quidem servans respectu diligendorum diversorum [14] (III), quantum ad affectum pariter et effectum [15], unitatem autem habens in habitu quantum ad unum finem et unum principale dilectum [16], quod est ratio diligendi respectu omnium aliorum dilectorum, quae per amoris vinculum nata sunt colligari in unum Christum, quantum ad caput [17] et corpus [o] [18], quod unitatem [p] continet in se salvandorum [19]; quae unitas nunc inchoatur in via [q] [20] (IV), sed consummatur in aeterna gloria, juxta quod Dominus orat: *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus, et ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum* [r] *(Jo. 17, 22—23).* Qua unitate consummata per vinculum caritatis [21], erit Deus *omnia in omnibus (1. Cor. 15, 28),* aeternitate certa et pace perfecta, eruntque omnia per amorem communia communione ordinata, et ordinatione connexa, et connexione indissolubiliter alligata.

k) Difficiliter ibid.

l) Et forma ibid.

m) Jungens ibid.

n) Ibid. ligans omnia conjungit simul etc.

o) Ad corpus ed. 1484.

p) Universalitatem hic et infra editt. Nor. et Aug., universitatem ed. Ven. et 1484.

q) Ita recte editt. Nor. Arg. Aug. Ven. et 1484; in cet. Vita.

r) Unitatem ed. 1484.

(III) Socialistae, ut ait S. P. Leo XIII fel. regn. in sua Epistola Encyclica 28 decembris anni 1878, „dictitare non desinunt omnes homines esse inter se natura aequales, ideoque contendunt nec majestati honorem ac reverentiam, nec legibus, nisi forte ab ipsis ad placitum sancitis, obedientiam deberi. Contra vero, ex evangelicis documentis, ea est hominum aequalitas, ut omnes eamdem naturam sortiti, ad eamdem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque ut uno eodemque fine omnibus praestituto, singuli secundum eamdem legem judicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi. Inaequalitas tamen juris et potestatis ab ipso naturae auctore dimanat, *ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur (Ephes. 3, 15).* Principum autem et subditorum animi mutuis officiis et juribus, secundum catholicam doctrinam ac praecepta, ita devinciuntur, ut et imperandi temperetur libido, et obedientiae ratio facilis, firma et nobilissima efficiatur. Sane Ecclesia subjectae multitudini apostolicum praeceptum jugiter inculcat: *Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (Rom. 13, 1—2).* Atque iterum *necessitate subditos* esse jubet *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (ibid. 5);* et *omnibus debita* reddere, *cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem (ibid. 7).* Siquidem qui creavit et gubernat omnia, provida sua sapientia disposuit, ut infima per media, media per summa ad suos quaeque fines perveniant. Sicut igitur in ipso regno caelesti angelorum choros voluit esse distinctos aliosque aliis subjectos; sicut etiam in Ecclesia varios instituit ordinum gradus, officiorumque diversitatem, ut non omnes essent Apostoli, non omnes doctores, non omnes pastores (*1. Cor. 12, 29);* ita etiam constituit in civili societate plures esse ordines, dignitate, juribus, potestate diversos; quo scilicet civitas, quemadmodum Ecclesia, unum esset corpus multa membra complectens, alia aliis nobiliora, sed cuncta sibi invicem necessaria et de communi bono sollicita.“ Verum de Socialistis sermo redibit inferius *cap. IX* hujus partis, *not. II.*

(IV) Error fuit Beguinorum, in Conc. Oecum. Viennensi an. 1311 damnatus, quod caritas in mundo augeri non possit. Eundem errorem Novatores saec. XVI instaurarunt, contra quos Conc. Trident. *sess. 6, can. 24* definivit: „Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis acceptae, non autem ipsius augendi causam; anathema sit.“

Ad Caput VIII.

[1] Distinguitur inter amorem et dilectionem et caritatem. „Quamvis enim de una et eadem possint dici affectione, tamen alia et alia ratione. Amor enim dicit affectus adhaesionem respectu amati. Unde Dionysius *(de div. nom. c. 4)*: Amorem unitivum dicimus. Dilectio vero ultra hoc addit electionem; unde dilectio ex diversis electio. Unde in Canticis *(5, 10)*: *Dilectus meus, electus ex millibus.* Caritas autem ultra illa addit magnam appretiationem. Carum enim dicitur illud, quod magni pretii aestimatur, secundum quod Apostolus in epistolis suis *(2. Tim. 1, 2)* vocat fideles carissimos.“ *1. dist. 10. dub. 1.* — „Quod Deus omnia, quae diligit, ex caritate diligit, dicendum quod hoc dupliciter potest intelligi, aut ita quod haec praepositio *ex* dicat habitudinem principii motivi et productivi respectu effectus creati; et sic omnia, quae diligit, ex caritate diligit, caritas enim Dei principium est omnium effectuum, quos producit; aut ita quod non solum dicat habitudinem principii producentis, verum etiam exemplaris repraesentantis; et sic solum illos ex caritate diligit, quibus communicat caritatem creatam, cujus illa suprema caritas est exemplar. Nam caritas increata est exemplar caritatis creatae sub ratione caritatis, aliorum vero non est exemplar sub hac ratione. Cum ergo dicitur, quod solum tria (videlicet Deus, spiritus rationalis et corpus humanum) sunt diligenda ex caritate, hoc non dicitur, secundum quod *ex* solum dicit habitudinem principii moventis et imperantis, sed prout dicit habitudinem formalis et elicientis.“ *3. dist. 32. a. 1. q. 2 ad 1.*

[2] „Ad illud quod ultimo objicitur, quod spes in suo actu impedit meriti perfectionem, dicendum quod falsum est; imo, sicut dicit Apostolus, consurgit ex perfectione meriti; quanto enim aliquis majora et meliora habet merita, tanto firmius et certius sperat. Et si objiciatur, quod caritas praemium non intuetur, dicendum quod illud intelligitur de praemio creato; de praemio autem increato non habet veritatem, quia maxima caritas maxime desiderat uniri Deo, et habere Deum. Spes autem perfecta magis aspicit mercedem increatam, de qua dixit Dominus Abrahae: *Ego merces tua (Gen. 15, 1).* Eum enim exspectat quis per spei habitum tenere in patria, cui per caritatem in via uniri desiderat. Alius est etiam modus respondendi, distinguendo de spe mercenaria, qua quis servit Deo propter praemium, quod exspectat: quia quaedam est mercenaria, quae constituit finem in proprio commodo; et ista est mercenaria mala, et non procedit a spe recta et formata. Quaedam etiam est, quae non constituit finem in proprio bono, sed totum confert et ordinat ad bonum summum; et hanc mercenariam facit spes, quae est virtus gratuita, et haec merito non repugnat. Primus tamen modus dicendi videtur esse rationabilior, quia spes stare potest, exclusa omni intentione dilectionis mercenariae. Quantumcumque enim amor sit perfectus in via, est sibi virtus spei conjuncta. Unde simpliciter dicendum est, quod exspectatio boni aeterni non est mercenaria, nec minuit meritum, nec facit ad imperfectionem caritatis, vel meriti, nisi in quantum mens hominis multum affectuose et intense aspicit ad commodum proprii boni. Multi autem sunt, qui beatitudinem exspectant; et tamen parum de se, et multum de Deo curant.“ *3. dist. 26. a. 1. q. 1 ad 5.* — „Ad illud quod objicitur, quod vir humilis merita non intuetur, dicendum quod merita intueri contingit dupliciter, vel attribuendo sibi, vel attribuendo gratiae divinae. Intueri autem merita attribuendo sibi, hoc est superbiae et vanitatis; et sic intuentur superbi, qui dicunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit haec omnia (Deut. 32, 27).* Contra quos dicitur: *Ne dicas in corde tuo: propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem (Deut. 9, 4).* Intueri autem merita referendo ad divinam gratiam, hoc est humilitatis et veritatis, et hoc modo motus spei ex intuitu meritorum habet oriri, per quem modum intuebatur Paulus merita sua *(1. Cor. 15, 10)*: *Abundantius omnibus laboravi: non autem ego, sed gratia Dei mecum.“ 3. dist. 26. a. 2. q. 2 ad 4.*

[3] *Caritas est finis praecepti de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (1. Tim. 1, 5).* „Et hoc patet ex ipsius notificationis explanatione. Nam caritas comparata ad habitus aliarum virtutum theologicarum, quia unit eas fini, principatum tenet inter eas; et ideo movet et informat et terminat, sive consummat; et propterea dicitur esse *finis praecepti.* Et quia finis est aliarum, actus aliarum disponunt ad actum caritatis, et ipsa caritas immediate elicit. Et ideo tres ponuntur ibi conditiones; et per primam, qua dicitur ibi caritas *de corde puro,* tangitur conditio ipsius caritatis, cujus est depurare affectum cordis ab omni terrenitate; per secundam, scilicet *de conscientia bona,* tangitur conditio spei; per tertiam conditio fidei: et secundum hoc ordinantur, secundum quod principalius ad actum caritatis disponunt.“ *3. dist. 27. dub. 1.* — „Caritas hîc definitur per actum suum. Actus autem caritatis, qui est amare, dupliciter habet notificari, et per comparationem ad illud, a quo procedit tamquam a principio efficiente, et per comparationem ad illud, quod ad ipsam caritatem terminatur sicut ad quietantem. Et ideo in illa ejus notificatione tangitur duplex comparatio, videlicet ad cor purum et ad ipsum praeceptum. Et quia puritas cordis, a qua immediate procedit actus dilectionis, praesupponit fiduciam fidei et certitudinem spei tamquam dispositiones praeambulas; ideo ut manifestaret Apostolus, quod actus caritatis praesupponit actus aliarum virtutum theologicarum tamquam disponentes ad ipsum, ista tria dicit: *De corde puro,* in quo tangit caritatis sanctitatem: *Conscientia bona,* in quo tangit spei fiduciam: *Et fide non ficta,* in quo tangit fidei constantiam. Et in his duobus Apostolus caritatem perfectissime commendat; in hoc quod ostendit, quod in actu caritatis consistit complementum omnis virtutis, et finis omnis bonae operationis, quae intelligitur in nomine praecepti. Unde intellectus praedictae definitionis est iste: *Caritas est finis praecepti etc.,* id est caritas est illud, in quo consistit omnis mandati adimpletio, et omnium virtutum perfectio; et hinc est, quod Scriptura adeo nobis commendat caritatem, et maxime Scriptura novi Testamenti, et Apostolus eam laudat elegantissime.“ *2. dist. 38. dub. 2.*

[4] „Caritatis motus ad temporalem mercedem non potest respicere, sed bene ad aeternam illam et increatam,

nec est aliquibus repugnans, ut sic dicatur mercenarius.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod mercenarius dicitur ille, qui principaliter habet oculum ad mercedem, nam si eam aspiceret non principaliter, non propter hoc mercenarius esset. Secundum hoc intelligendum est, quod duplex est merces, videlicet creata et increata, temporalis et aeterna. Et secundum hoc est duplex mercenarius, videlicet bonus et malus, et duplex mercimonia, una laudabilis, alia vituperabilis. Nam qui principaliter respicit ad mercedem creatam et temporalem, malus mercenarius est; et hunc vituperat Dominus dicens: *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est (Joan. 10, 13).* Ille vero, qui respicit principaliter ad mercedem aeternam, de qua dicitur: *Merces tua magna nimis (Gen. 15, 1),* bonus mercenarius est: et hic mercenarius panibus abundat fidei, spei et caritatis, sicut dicit Ambrosius *(l. 7 in c. 15. Lucae)* super illud: *Quanti mercenarii etc. (Luc. 15, 17).* De prima mercimonia intelligendo, non est dubium quod motus caritatis non potest esse mercenarius, quia illa nec est a caritate, nec cum caritate, cum caritati repugnet. De secunda mercimonia dubium est, pro eo quod illa potest esse cum caritate: non tamen est omnino certum, utrum sit a caritate. Nam quidam voluerunt dicere, quod non est a caritate, sed potius ab affectu naturae, caritate concomitante. Amor enim caritatis, ut dicunt, cum sit amor gratuitus, non intuetur praemium, immo liberaliter omnino facit hominem servire Deo, sicut filius patri suo. Aliis autem videtur, quod talis affectus mercenarius possit esse a caritate. Desiderium enim habendi aeternam mercedem, et fruendi aeterno bono, est desiderium gratiae; nec est amoris naturalis, nec acquisiti, sed potius amoris gratuiti, praecipue illud desiderium, quo dicebat Apostolus: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo (Philipp. 1, 23).* Ad affectum enim caritatis non tantum spectat amare Deum amore amicitiae, immo etiam amore concupiscentiae. Frui enim est amore inhaerere *(Aug. l. 1. Doctr. Christ. c. 4):* et constat, quod frui Deo est per caritatem; et ideo voluerunt isti dicere, et satis probabiliter, ut videtur, quod motus caritatis secundum aliquod genus mercimoniae possit esse mercenarius, scilicet secundum quod constituit mercedem suam circa bonum increatum, ad quod tendit sicut ad finale praemium, et desiderat tanquam omne bonum ... Ad illud quod objicitur, quod Deo sine intuitu praemii est serviendum, dicendum quod duplex est motus in caritate, videlicet motus amicitiae et motus concupiscentiae. Motus amicitiae est ille, quo quis desiderat Deo placere et servire. Motus concupiscentiae est, quo desiderat Deum habere et videre. Cum ergo dicit Bernardus, quod Deo sine intuitu praemii est serviendum, intelligit de amore amicitiae; si enim per affectum amicitiae homo servit amico, et eum diligit sine intuitu praemii, sicut dicit Philosophus *(1. Eth. c. 3),* multo fortius amore caritatis homo vult bonum Deo sine intuitu alicujus retributionis; sed per hoc non excluditur, quin caritas amore concupiscentiae exoptet et desideret illam summam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire.“ *3. dist. 27. a. 2. q. 2. concl. et ad 2.*

[5] „Corpora nostra ex caritate sunt diligenda, cum ipsa etiam per quamdam redundantiam beatitudinis sint capacia.“ — „Cum caritas sit pondus inclinans ad summum bonum et perfectam beatitudinem, omne illud facit diligere, quod est beatum, vel beatificabile. Quoniam ergo contingit aliquid esse beatum tripliciter, scilicet per essentiam, et per primam influentiam, et per quandam redundantiam; hinc est, quod omnia ista ex caritate sunt diligenda, secundum prius et posterius, secundum majus et minus. Beatum autem per essentiam est solus Deus; beatum per primam influentiam est rationalis spiritus; beatum denique per quandam redundantiam est corpus humanum, in quod gaudium gloriae redundat per conjunctionem sui ad animam beatam. Hinc est, quod caritas non solum facit nos diligere Deum et rationalem spiritum, sed etiam corpus nostrum. Concedendum est igitur, quod corpora nostra diligenda sunt ex caritate.“ *3. dist. 28. a. 1. q. 1.*

[6] „Irrationales creaturae non sunt diligendae proprie ex caritate eliciente, cum talis dilectio solum rationales respiciat creaturas, licet possint diligi ex caritate imperante.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum aliquis actus dicitur esse ex aliqua virtute, hoc potest intelligi dupliciter, uno modo sicut a movente et imperante, alio modo sicut ab eliciente et informante. Primo modo potest dici, quod omnia opera meritoria sunt ex caritate, quia caritas imperat omne opus bonum, sicut ex caritate possum ire ad sanctum Jacobum, et ex caritate levare festucam de terra. Secundo modo actus ille dicitur esse ex caritate, quem habitus caritatis inspicit formaliter et directe, sicut diligere Deum et proximum, quem non habet anima elicere mediante alio habitu, quam habitu caritatis. Secundum hoc intelligendum, quod aliquid diligi ex caritate, potest dupliciter intelligi. Uno modo ex caritate imperante, et sic concedi potest, quod irrationales creaturae sunt diligendae ex caritate, sicut enim caritas imperat et monet ad faciendum et dicendum et cognoscendum omnia, quae spectant ad salutem nostram et laudem divinam, sic etiam imperat ad amandum. Unde quia multae irrationales creaturae datae sunt nobis in adjutorium ad exercendum opera meritoria, ordinatae sunt etiam ad laudandum Deum. Hinc est, quod caritas, quae est amatrix Dei et proximi, imperat tales creaturas diligi. Alio modo dicitur aliquid diligi ex caritate eliciente et informante; et sic diligitur ex caritate illud, in quo est formalis et proprius actus ipsius caritatis; tale autem non est nisi illud, quod est summum bonum, vel cui summum bonum natum est aliquo modo uniri per cognitionem et amorem. Ideo cum creaturae irrationales non sint hoc modo Dei capaces, quia non sunt ad Dei imaginem, per caritatem non potest eis exoptari summum bonum; et ideo caritas non descendit ad illa diligenda secundum suum actum proprium et formalem; et per hoc talia non diliguntur ex caritate eliciente. Et si tu quaeras, quae virtus eliciat illum actum dilectionis, quo quis diligit creaturas, in quantum sunt a Deo et ad Deum, dicendum quod haec est cujusdam pietatis et affectionis naturalis. Sicut enim homo diligit canem quadam pietate naturali, quia videt eum sibi obedientem, sic et ceteras alias bestias et irrationales creaturas naturaliter ex quadam pietate innata diligit et fovet, sicut natus erat fovere et diligere, quantum erat ex prima conditione. Unde secundum quod homo plus reformatur, et reducitur ad statum innocentiae, secundum hoc magis sibi mansuescunt hujusmodi creaturae,

et ipse circa eas majori pietate movetur. Sicut de beato Francisco legitur, quod erga hujusmodi creaturas mira pietatis teneritudine affluebat, quia jam quodam modo innocentiam recuperaverat. In cujus rei signum creaturae irrationales eidem obtemperabant. Et secundum hanc distinctionem patet responsio ad quaestionem, quia uno modo creaturae irrationales sunt ex caritate diligendae, videlicet ex caritate imperante; alio vero modo non, videlicet ex caritate eliciente. Secundum hoc etiam patet responsio ad objecta ad utramque partem, quia procedunt secundum diversas vias, sicut intuenti apparet. Est et alius hic modus dicendi praedicto modo non contrarius, sed potius consonus, quod aliquid diligi ex caritate potest esse tripliciter. Vel ita quod caritas faciat circa ipsum dilectum ponere affectionem et finem; et sic solum Deus diligitur ex caritate. Alio modo ita quod caritas circa dilectum ipsum faciat ponere affectionem, non tamen finem; et sic diligitur proximus ex caritate, quia circa proximum affectu caritatis afficitur optando ei summum bonum, non propter ipsum, sed propter Deum. Tertio modo dicitur aliquid ex caritate diligi, ita quod caritas circa illud non ponit finem, nec etiam affectionem, intuitu sui, sed solum ratione illius, propter quod diligit. Et hoc modo creaturae irrationales, in quibus Deus relucet, diliguntur ex caritate, quia Deus diligitur in illis, per quem modum quis dicitur diligere canem amici sui, non quia afficiatur circa canem speciali affectione, sed quia afficitur circa amicum. Et hujus signum est, quod affectus caritatis non alligat hominem creaturae irrationali, secundum quod alligat et connectit hominem ipsi proximo, vel etiam ipsi Deo. Unde sicut amor amicitiae, qui est in amicum, se extendit ad amici filium, ita quod filius amici amicus sit et dilectus; non autem sic se extendit ad amici catulum, ut canis diligatur consimili affectu; sic intelligendum quod caritas, quae est amor Dei, se extendit ad illos, qui sunt nati esse ejus filii per gratiam adoptionis: et quia creaturae irrationales non sunt hujusmodi, ideo, proprie loquendo, non sunt natae ex caritate diligi, ita quod caritas circa illas ponat affectum. Unde quia potest caritas in illis diligere Deum, ita quodam modo potest concedi, quod creaturae irrationales diligantur ex caritate, licet improprie; ideo non sunt numerandae inter illas, quae ex caritate proprie diliguntur." — „Daemones ex caritate non sunt diligendi, cum eorum culpa inseparabiliter eis adhaereat." — „Dicendum, quod sicut irrationabilia ex caritate non sunt diligenda elicitive, quia non sunt ordinata ad illius summi boni assecutionem, quod suis dilectis caritas optat; sic daemones, quia sunt obstinati in malitia, et etiam sunt impossibiles effecti ad perveniendum ad beatitudinem aeternam, diligendi non sunt ex caritate elicitive. Caritas autem nullos facit diligere elicitive, nisi eos, quos optat ad summam beatitudinem pervenire. Nullos autem optat pervenire ad illam sempiternam beatitudinem, cum moveatur discrete et rationabiliter, nisi eos, qui sunt habiles ad perveniendum et secundum ordinem naturae et secundum ordinem divinae justitiae. Quoniam ergo daemones, etsi sint apti nati per naturam felicitari, et in Deo beatificari, quia tamen divina justitia repugnat, per quam sunt damnati ad perpetuam miseriam; hinc est, quod caritas summum bonum eisdem non optat. Ideo concedendum est, quod daemones non sunt ex caritate diligendi. Eodem etiam modo dicendum est de damnatis, secundum quod ex caritate diligere accipitur proprie. Si vero ex caritate diligere accipiatur large, prout actus diligendi est ex caritate imperante; sic daemones quodam modo sunt diligendi et quodam modo odiendi. Ratione culpae sunt odiendi, in qua sunt Deo dissimiles, diligendi ratione naturae. Imago enim summi regis, secundum naturam considerata, quantum de se pulchra est et formosa, et naturali affectu amabilis a consimili natura. Verumtamen quia habens caritatem multum detestatur eorum culpam, et culpa eorum totaliter et inseparabiliter possidet eorum naturam; hinc est, quod caritas naturalis magis movet affectum naturalem ad diligendum creaturas irrationales, quam ad diligendum daemones." — „Mali homines, secundum quod imaginem Dei gerunt, diligendi sunt ex caritate, non tamen secundum quod mali sunt, imo secundum hoc detestandi sunt." — „Dicendum quod de malis hominibus dupliciter contingit loqui, et dupliciter etiam convenit eos considerare, vel in quantum sunt homines, vel etiam in quantum sunt mali; sive in quantum habent in se rationem divinae imaginis, secundum quam sunt capaces beatitudinis, vel in quantum carent perfectione divinae similitudinis. Si primo modo consideremus homines malos, in quantum videlicet sunt homines ad Dei imaginem, secundum quam sunt capaces beatitudinis; sic ex caritate diligendi sunt, pro eo quod liberalitas caritatis et ejus amplitudo omnes recolligit, qui ad illam summam beatitudinem habent idoneitatem. Si vero consideremus homines malos secundum quod mali sunt, et privati perfectione divinae similitudinis; sic potius sunt detestandi, quam diligendi. Et sic iidem homines odiendi sunt et diligendi, odiendi quidem ratione inordinationis culpae, diligendi vero ratione ordinabilitatis naturae, quae possibilis est ad perfectionem gratiae. Et hoc est, quod dicit Gregorius in quadam homilia, quia etsi indignationem debemus vitiis, compassionem tamen debemus naturae. Et Isidorus in libro de virtutibus *(lib. 2 de sum. bon. c. 3. 5. 7)*: Totum Christum non diligit, qui hominem odit; bonum est non odisse naturam, sed culpam; licet ergo culpam malorum odiamus, ipsos tamen diligere debemus. Et sic concedendum est, quod licet malorum hominum malitia sit detestanda, ipsi tamen mali homines, in quantum sunt ad beatitudinem ordinati, sunt ex caritate diligendi." — „Bona gratuita ex caritate sunt diligenda, non quidem amore amicitiae, sed concupiscentiae." — „Sicut in praecedentibus actum est, duplex est caritatis motus et affectus. Est enim dilectio amicitiae, et dilectio concupiscentiae. Dilectione amicitiae illa diliguntur, quibus optatur bonum; dilectione vero concupiscentiae dicuntur diligi, quae desiderantur. Quoniam ergo desiderium bonorum spiritualium est ipsius caritatis, secundum quod Sancti dicunt, quod bona spiritualia retinent rationem honesti, concedendum est, quod bona gratuita ex caritate diligenda sunt. Et hoc expresse dicit Augustinus *(lib. 8. de Trinitate cap. 8. in med.)*, cum dicit, quod ipsa caritas ex caritate diligenda est. Expresse etiam docet ipsa experientia viros spirituales, qui nihil tam desiderant post Deum, quam habere perfectam Dei dilectionem." *3. dist. 28. a. 1. qq. 1. 2. 3. 5.*

[7] „Ex caritate quatuor sunt diligenda, quorum sufficientia duplici via demonstratur.“ — „Dicendum, quod numerus diligibilium et sufficientia dupliciter potest accipi, uno modo per comparationem ad ipsam dilectionem, alio modo per comparationem ad ipsum diligentem. Secundum ipsam dilectionem potest accipi numerus et sufficientia sic. Cum enim dilectio sit appetitus boni, in appetitu autem boni est considerare ipsum bonum desideratum, et ipsum qui desiderat, et ipsum cui desideratur bonum. Bonum autem desideratum, hoc est summum bonum; ille qui desiderat, est habens caritatem; cui autem desideratur, potest esse in quadruplici differentia, aut quia optat summum bonum ipsi Deo, aut sibi ipsi, aut sibi simili, aut sibi adhaerenti. Ideo quatuor sunt ex caritate diligenda, quia numerus diligendorum non accipitur ex parte optantis, vel ex parte boni optati, cum sit unum, sed ex parte ejus, cui optatur, quod cum sit in quadruplici differentia, quatuor sunt diligendorum membra. Et hoc est, quod supra dictum est, quod in praedicta divisione sumitur numerus diligendorum secundum dilectionem amicitiae, qua dicitur quis diligere alium, quando vult illi bonum. Alio modo potest sumi numerus et sufficientia diligendorum ex comparatione ad ipsum diligentem. Nam diligens aut habet respectum ad se, aut ad id quod est supra se, aut ad id quod est juxta se, aut ad id quod est infra se; et secundum hoc quatuor tantummodo diligenda sunt ex caritate. Et secundum hunc modum assumit Augustinus diligibilium numerum et sufficientiam in libro de Doctrina Christiana; nec tantum assignat numerum, sed etiam ordinem debitum. Ait enim sic: Quatuor sunt diligenda; unum, quod est supra nos, scilicet Deus; alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est, scilicet proximus; quartum, quod infra nos est, scilicet corpus. Et quia omnia possunt reduci ad ista quatuor membra, ideo patet diligendorum numerus et sufficientia.“ *3. dist. 28. a. 1. q. 6.*

[8] „Praeceptum de diligendo Deum datum sic tenemur implere, quod nullus sit in corde nostro affectus Deo contrarius, non tamen quod talis dilectio penitus quemcumque affectum extraneum excludat.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum quod, cum aliquando dicant sacri Doctores modum praedictum posse impleri, aliquando vero dicant non posse impleri, ex hoc admonemur (si utrumque videre possumus), quod uno modo ad praedictum modum obligamur ad implendum, alio modo excitamur ad ipsum desiderandum. Unde modus praedictus uno modo est dispositio meriti, alio modo est dispositio praemii. Hoc autem est secundum duplicem modum totalitatis cordis, animae et mentis. Dupliciter enim potest intelligi, quod amor Dei possideat totum cor; aut ita quod excludat omnem affectum extraneum, et tunc dominatur plene et perfecte cordi. Hoc autem est, quando omnes motus cordis per amorem referuntur in Deum; et haec totalitas ponit dominium plenum. Alio modo dicitur amor Dei totum cor possidere, quando excludit omnem affectum contrarium, hoc est, quod nihil diligatur supra Deum, vel aequaliter ipsi Deo; et sic diligit Deum ex toto corde, qui diligit eum propter se et super omnia. Prima totalitas, quae excludit omnem extraneum motum, est perfecti dominii, nec potest haberi ante adeptionem gloriae, ubi ad ipsum Deum aspiciemus, et in ipsum feremur continue. Secunda vero totalitas potest haberi per infusionem gratiae, quae est expulsiva omnis mortalis culpae. Si ergo in illo praecepto intelligatur Deus diligi ex tota anima et ex toto corde et ex tota mente, quantum ad primam acceptionem totalitatis; sic modus ille non obligat ad sui impletionem, sed exprimitur in praecepto, ut sciamus, quo per amorem debeamus tendere, et ut nemo se perfectum arbitretur, quousque illam perfectionem fuerit assecutus. Si vero dicatur diligere ex toto corde secundum secundam acceptionem, sic tenemur ad illum modum implendum. Et quia secundum utramque acceptionem voluit Spiritus sanctus intelligi praedictum mandatum; hinc est, quod quidam dicunt, ipsum posse impleri in via, quidam vero dicunt, quod non potest impleri, quousque perveniatur ad patriam.“ *3. dist. 27. a. 2. q. 6.*

[9] „Nomine proximi intelligitur omnis homo, cujuscumque sexus, cujuscumque dignitatis, cujuscumque virtutis; unde et dilectio gloriosae Virginis includitur sub dilectione proximi. Ad illud vero, quod objicitur, quod non est juxta nos, sed supra, dicendum quod licet sit supra nos ratione dignitatis gratiae et conceptionis nobilissimae, est tamen juxta nos secundum conformitatem naturae. Et quoniam dilectio respicit similitudinem, honor autem respicit dignitatem; hinc est, quod dilectio ejus generaliter sub dilectione proximi continetur, quamvis veneratio ipsius aliis superponatur. Verum est tamen, quod ipsa speciali affectu ab omnibus debet diligi; sed ex hoc non sequitur, quod dilectio ejus non debeat sub dilectione proximi contineri, quia quantumcumque aliqua creatura magno affectu sit amanda, tamen per prius ipsa caritas ordinat animam ad diligendam salutem propriam.“ — „Quamvis angeli supra nos sint, sive quantum ad dignitatem naturae, sive quantum ad sublimitatem gratiae; tamen quantum ad actum dilectionis non sunt supra nos diligendi, pro eo quod caritas nostra principaliter respicit summum bonum, in quod facit tendere, et ad quod inclinat; et hoc modo respicit subjectum, ad quod informat. Secundo modo respicit aliquod subjectum consimile, quod ligat: unde quantumcumque creatura sit in seipsa excellens, tamen secundum legem caritatis juxta nos est, et ideo sub nomine proximi debet contineri. Ad illud ergo, quod objicitur, quod supra nos sunt sub ratione naturae et gloriae, jam patet responsio. Quia quamvis sint supra nos secundum ordinem universi, non tamen sunt supra nos secundum ordinem sub ratione caritatis. Potest etiam aliter dici, quod quamvis sint supra nos ratione simplicitatis, spiritualitatis et incorruptibilitatis, sunt tamen juxta nos ratione imaginis, secundum quam nos et ipsi habemus immediate in Deum ordinari, et ratione hujus possunt nostri proximi appellari.“ — „Si consideremus Christum solum ratione humanitatis, hoc est pure ratione naturae creatae, non debetur ei principalitas dilectionis, sicut nec adoratio latriae; nec hoc modo dicitur Redemptor noster, vel caput, quia tam Redemptoris quam capitis nomen respicit personam secundum utramque naturam.“ *3. dist. 28. dub. 3. 4. 5.*

[10] „Triplex est ratio, quare non oportet speciale mandatum dari de dilectione sui, vel corporis. Una est, quam reddit Augustinus *(serm. 3. post Pent.)*, et habetur in littera, quia satis intelligitur per hoc, quod dicitur: *Sicut te ipsum*. Alia ratio est, quia ad hoc ipsum inclinat na-

tura. Tertia ratio est, quia diligere Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente, hoc est seipsum spiritualiter amare, ille enim spiritualiter se amat, qui cor et corpus ad honorem Dei totaliter exponit; et sic dilectio ipsius implicatur in illis duobus mandatis; et qui bene exequitur primum mandatum, facilitatem habet, et rectitudinem habet ad diligendum seipsum; et propter hoc non oportet tertium mandatum addi, secundum quod dicit beatus Augustinus." *3. dist. 28. dub. 1.* Confer quoque *3. dist. 27. dub. 2.*

[11] „Plenitudinem alicujus contineri in aliquo est dupliciter, vel integraliter, vel causaliter. Plenitudo autem divinorum eloquiorum in caritate non continetur integraliter, quia multae aliae virtutes ibi docentur et praecipiuntur, quae sunt diversae et distinctae a caritate; sed dicitur contineri in ipsa causaliter, quia tota sacra Scriptura finaliter ordinatur ad hoc, ut diligamus Deum et proximum." *3. dist. 36. dub. 5.*

[12] „Caritas simul ponitur ipsarum virtutum, quantum ad opera meritoria, principium, sive caput et forma, sive vinculum et finis, ad quem ordinatur: et hoc est, quia ipsa caritas, dum immediate conjungit ipsi summo bono, quodam modo supereminet ceteris, et ceteras virtutes movet et imperat; et ideo caput et principium est earum. Ulterius, quia movendo facit opera eorum meritoria; ideo dicitur esse forma. Postremo, quia ideo facimus opera meritoria, ut Deo fruamur, et per caritatem in Deo quiescamus; hinc est, quod caritas ceterarum virtutum et praeceptorum est finis: et sic tres causae incidunt in unum et idem. Nec mirum, cum caritas faciat Deo conformem, qui habet in se respectu creaturae intentionem triplicis causae." *3. dist. 36. dub. 3.* — „Caritas habet duplicem comparationem ad virtutes alias. Comparatur enim ut mater, ut dicit Ambrosius; comparatur ut vinculum, ut dicit Apostolus *(Coloss. 3, 14): Caritas est vinculum perfectionis.* Ratione primi appropriatur Patri, ratione secundi Spiritui sancto." *1. dist. 10. dub. 2.*

[13] „Charitas est vinculum ligans, juxta illud, quod dicit Apostolus ad Colossenses *(3, 14)*, ubi vocat eam *vinculum perfectionis.* Et Dionysius *(de divinis nominibus c. 4)* dicit, quod amor est virtus unitiva. Unde cum amor caritatis sit amor maxime liberalis, multa complectitur, et in unum colligit. Unde caritas non tantum unit fini eum, in quo est, sed etiam quodam modo ligat ei, quod natum est ad eundem finem pervenire. Nec tantum est caritas vinculum ligans, sed etiam pondus inclinans. Quod enim est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus. Quoniam igitur unumquodque per suum pondus habet ordinari, et caritas pondus est, et aequa ponderatrix; hinc est, quod ipsi caritati maxime competit ratio ordinis. Et quoniam ipsa est vinculum ligans et circumplectens multa; ideo non tantum ordinat ipsum diligentem in finem, sed etiam ipsa dilecta, secundum quod ratio diligendi et ipse habitus caritatis diversimode comparantur ad illa." *3. dist. 29. a. 1. q. 1.*

[14] „Caritas in diligendo praeponit, ordinate procedendo, Deum nobis, cum plus Deum quam nos ipsos debeamus diligere." — „Secundum ordinem caritatis Deus praeponendus est nobis in tantum, ut amor respectu nostri nec aequari possit, nec praeponi amori Dei, salva substantia habitus caritatis. Ratio autem hujus est ista. Quoniam caritas facit Deum diligi tanquam finem ultimum et tamquam summum bonum; et quia finis ultimus est unus solus, et summum bonum similiter non habens aliquid superius se, vel sibi aequale; hinc est, quod secundum caritatis legem impossibile est aliquid plus Deo, vel aequaliter ipsi Deo, amare. Caritas enim, quia diligit Deum sicut summum bonum, diligit eum super omnia. Quia diligit ipsum sicut finem ultimum, diligit eum propter se. Quod autem diligitur propter se et super omnia, diligitur dilectione fruitionis; quod vero propter aliud diligitur, diligitur dilectione usus. Cum ergo caritatis sit omnia ad Deum, tanquam ad finem ultimum referre, sicut ponderis est corpus ad locum proprium inclinare; hinc est, quod caritas facit nos Deum plus quam nosmetipsos diligere." *3. dist. 29. a. 1. q. 2.* — „Amor salutis propriae praeferendus est amori salutis proximi, quemadmodum etiam naturalis ratio dictat." — „Ratio autem hujus est, quoniam unumquodque plus appetit perfectionem in seipso, quam in suo simili, et quodlibet pondus plus trahit corpus, in quo est, ad situm sibi debitum, quam trahat aliud corpus sibi annexum; hinc est, quod caritas per prius desiderat Deum nobis uniri, et in nobis habitare, et nos in ipsum Deum tendere, et in ipso quiescere, quam appetat in aliquo alio, qui nobiscum habeat aliquam similitudinem. Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod in ordine caritatis praefertur dilectio sui dilectioni ipsius proximi. Et hujus signum est, quia illi reprehenduntur, et stulti reputantur, qui salutem propriam negligunt, ut procurent alienam. Hujus etiam signum est, quia si homo ex caritate deberet diligere proximum quantum seipsum, ita quod esset ibi omnimoda aequalitas, jam duos proximos deberet diligere in duplo, quam seipsum, et tres in triplo, et sic ulterius ascendendo; quod in nullo habente caritatem reperiri contingit, quantumcumque perfecto." — „Ad illud quod objicitur, quod *caritas non quaerit, quae sua sunt (1. Cor. 13, 5)*, dicendum quod suum idem est quod proprium. Proprium autem quaerere, hoc est dupliciter. Uno modo, prout proprium dicitur cum praecisione; et sic excludit bonum commune, et in illo modo sonat in vitium, et secundum istam acceptionem consuevit dici, quod libido est amor boni proprii: et quantum ad hunc modum dicit Apostolus, quod *caritas non quaerit, quae sua sunt.* Alio modo dicitur bonum proprium, bonum quod pertinet ad se, ita quod in appetitu illius boni voluntas nec repugnat divinae voluntati, nec praejudicat communi utilitati, sicut est appetitus salutis propriae; et isto modo diligit quis se ex caritate: et sic accipiendo, non negat Apostolus *(Philipp. 1, 23)*, quin homo per caritatem debeat, quod suum est, quaerere, cum ipsemet cuperet *dissolvi, et esse cum Christo*, sicut dicitur." — „Ad illud quod objicitur, quod secundum divinum mandatum *(Matth. 22, 39)* debet homo diligere proximum sicut seipsum, dicendum quod *sicut* non est nota perfectae aequalitatis, sive commensurationis, sed expressae similitudinis, quae in hoc attenditur, quod homo debet diligere proximum ad illud bonum, ad quod diligit seipsum; et post salutem propriam nihil tantum debet desiderare, sicut salutem alienam." — „Ad illud quod objicitur, quod debemus voluntatem nostram voluntati divinae conformare, di-

cendum quod Deus, cum dicitur alterum altero magis diligere, hoc non est, quia intensius diligat unum quam reliquum, cum circa ipsius amorem nec cadat intensio, nec remissio; sed hoc dicitur, quia unum ordinat ad majus bonum, quam reliquum. Et hoc bene potest concedi, quod quis magis debeat diligere proximum quam se, cum proximus ipsum excedat in merito; sed ex hoc non sequitur, quod amor proximi melioris praeponderet amori sui. Ordo enim caritatis non attenditur penes magnitudinem boni optabilis, sed penes praeponderationem affectionis diligentis. Et si tu objicias, quod Deus vult, quod magis amemus honorem suum, quam commodum nostrum, et magis appretiemur, quod magis est appretiandum, dicendum quod verum est, quod Dei honor plus debet in corde nostro praeponderare, quam nostrum commodum; tamen caritas nunquam separat honorem Dei a commodo nostro spirituali, nec est voluntatis divinae, ut nos appetamus aliquid, quod sit in detrimentum salutis nostrae propter honorem suum. Sicut enim essentiale est naturae appetere esse, sic essentiale est gratiae appetere Deo placere, et Deo adhaerere; ideo Deus nunquam illud a nobis exigit, ut magis salutem alienam, quam propriam diligamus. Et quod dicit Apostolus *(Rom. 9, 3)*, quod optabat *anathema a Christo esse pro fratribus,* illud intelligitur ad tempus, vel sub conditione, videlicet si optabile esset." *Ibid. q. 3. concl. et ad 1. 2. 6.* — „Secundum ordinem caritatis parentes praeponendi sunt filiis; et hoc intelligendum est ceteris paribus, sicut infra manifestabitur. Ratio enim hujus est, quia amor gratuitus facit memorem esse perceptorum beneficiorum. Propter quod et sacra Scriptura praecipiendo et admonendo inducit nos ad paterna beneficia recolenda; et quia plura beneficia recipimus a parentibus, quam a filiis, ideo secundum jus divinum plus eis tenemur, et magis eorum salutem diligere et procurare debemus." — „Ad rationes autem, quae in oppositum adducuntur, respondendum est, quod illae rationes currunt de dilectione naturali, secundum quam magis inclinatur affectus hominis ad filios, quam ad patrem. Et ratio hujus est, quia natura appetit conservari in suo simili, et magis diligit illud, in quo habet principalius salvari. Et quoniam pater habet salvari in filio, secundum ordinem naturae, et non e converso; hinc est, quod secundum naturae ordinem majorem habet ad filium inclinationem, quia magis vult ipsum, quam patrem habere superstitem. Dilectio autem gratuita magis respicit beneficiorum collationem, et supernorum civium completionem, ad quam indifferenter parentes et filii comparantur." — „Ad illud vero quod objicitur, quod gratia debet esse conformis naturae, dicendum quod natura in quibusdam currit via consona cum gratia, in quibusdam currit via opposita, in quibusdam via disparata. In hoc enim quod homo plus diligit se quam proximum, natura gratiae concordat. In hoc autem, quod diligit se plus quam Deum, ipsi gratiae repugnat. In hoc autem quod diligit filium plus quam patrem, quia intendit salvari in illo, procedit quasi via diversa. Et ideo gratia superveniens ordinem in primo affectu salvat et perficit, in secundo simpliciter immutat, in tertio vero novum ordinem dat, ita tamen quod affectum illum non exterminat. Unde aestimo, quod homo habens caritatem, et habens parentes et filios, dum movetur affectu gratuitae dilectionis, magis desiderat parentum salutem, dum movetur affectu naturae, magis desiderat filii sanitatem. Nec est hîc oppositio dilectionis naturalis ad gratuitam, propter considerationem diversam." *Ibid. q. 4. concl. et ad 1—4.* — „Caritatis ordine domestici in dilectione ipsis extraneis sunt praeferendi." — „Ordo, qui attenditur penes praedictas differentias, non tantum est ipsius caritatis sicut tolerantis, sed etiam est ipsius sicut regulantis naturam, et ei consonantis. Quod enim primo diligantur propinqui, quam extranei, hoc non est naturae inordinatae, sed potius de ordine naturae. Sicut enim prius tactum est, rectus ordo diffusionis est, ut prius communicetur propinquiori, et deinde remotiori. Quoniam ergo caritas rectum ordinem a natura non aufert; hinc est, quod caritas superveniens illum ordinem naturae perficit, et perficiendo dicitur eodem ordine ordinari, non quia ordo ille competat sibi secundum se, sed quia competit ei ratione naturae, in qua est. Propter quod attendendum, quod duplex ordo attenditur in caritate. Unus, qui ei competit secundum seipsam; et iste ordo attenditur penes bonum, et magis bonum, et maxime bonum. Unde caritas de se magis movet ad amandum spiritum quam corpus, et Deum summum quam spiritum creatum. Alius vero est ordo, qui competit ei ratione naturae substratae; et hic attenditur secundum differentias has, quae sunt proprium et alienum, propinquum et extraneum. Affectus enim caritatis substernit sibi affectum naturae, et illum perficit et regit secundum illud, quod habet in se rectitudinis. Concedendum est ergo, quod secundum ordinem caritatis domestici praeponendi sunt extraneis." *3. dist. 29. a. 1. q. 5.*

[15] „Multipliciter contingit affectum nostrum accipi, et effectum multiplicem reperiri, ita quod ordo caritatis nec omnem affectum respicit uniformiter, nec omnem effectum. Accipitur enim aliquando affectus pro passione, aliquando pro motu; ita quod affectus passio dicitur quaedam mulcebris complacentia, affectus vero motus dicitur quaedam rationalis eligentia. Affectus autem motus dupliciter adhuc accipitur, nam quidam est a caritate elicitus, quidam imperatus. Affectus a caritate elicitus est ille, quo quis optat alteri summum bonum; affectus vero imperatus est ille, quo quis optat alii aliquod bonum temporale, quod est ordinatum ad conservationem naturae. Sic ergo triplex est affectus, unus a caritate elicitus, quo quidem opto alicui bonum summum; alius imperatus, quo opto alicui aliquod terrenum bonum; tertius vero annexus, quo delector in alterius bono, qui magis tenet rationem passionis quam motus. Et quum sit triplex affectus, ordo caritatis praesignatus respicit affectum a caritate elicitum principaliter, quia magis mihi debeo optare beatam vitam quam alii, et post me magis patri meo quam alii, et sic ulterius procedendo; affectum vero imperatum respicit minus principaliter. Unde pro diversis opportunitatibus et conditionibus ordo, quantum ad illum affectum, potest variari et praeposterari. Affectum vero annexum, qui est passio mulcebris, minime respicit ordo caritatis, quia ille potius respicit sensibilem experientiam quam rationis eligentiam, sicut patet, quia plus delectatur aliquis et gaudet in respiciendo socium, quem videt praesentem, quam in recolendo patrem, qui absens est, quamvis ipsum magis diligat, cujus signum est, quod pro patre faceret multa

majora. Similiter ex parte effectus distinguendum est. Nam quidam est effectus, sive beneficium, respiciens personam singularem; et ille duplex est. Unus enim est, qui respicit animae salutem, alius vero respicit sustentationem vitae praesentis. Quidam est effectus, qui respicit personam spiritualem communem, vel utilitatem communem, sicut collatio beneficii ecclesiastici. Et sic triplex est effectus exterior; unus, qui est procuratio aeternae salutis; alius, qui est relevatio temporalis necessitatis; tertius vero, qui est commissio beneficii ecclesiastici, qui est quodam modo spiritualis. Primum autem istorum effectuum respicit ordo caritatis principaliter; primo enim debeo procurare salutem meam, quam salutem proximi; et primo salutem patris, quam alicujus alterius; et sic deinceps procedendo. Secundum vero effectum respicit minus principaliter, quia secundum diversas opportunitates potest et debet homo magis et minus esse beneficus in collatione alicujus commodi temporalis. Tertium vero effectum, qui est collatio alicujus beneficii ecclesiastici, minime respicit ordo caritatis, in collatione enim talium beneficiorum multum attendenda est meriti dignitas, et parum aut nihil sanguinis proximitas, verendum enim valde est, ne sub pallio caritatis, affectus lateat carnalitatis." *3. dist. 29. a. 1. q. 6 ad 1.*

[16] „Ordinatio in effectu ortum habet ab ordinatione in affectu. Si ergo caritas ordinari debet in effectu, necesse est quod prius ordinetur in affectu; sed caritas ordinata est quantum ad effectum, sicut patet per illud, quod dicit Apostolus *(Gal. 6, 10): Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos;* ergo necesse est caritatem ordinatam esse quantum ad affectum." *3. dist. 29. a. 1. q. 6. fund. 3.*

[17] „Christus ratione humanae naturae assumptae plene habet esse caput totius Ecclesiae, cujus corporis membra uniri habent ratione caritatis et gratiae." *3. dist. 1. a. 2. q. 2. in concl.*

[18] „Caritatis affectu elicito tenemur etiam inimicos diligere, optando sibi bona aeterna; non tamen omnes tenemur affectu imperato, desiderando eis bona temporalia, sed sufficit non odisse." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex respondendi modus. Quidam enim dicere voluerunt, quod dupliciter est loqui de inimicis; aut secundum statum, in quo exercent inimicitias; aut secundum statum, in quo poenitent, et petunt veniam. Si secundum statum, in quo veniam petunt, sic omnes tenentur ad diligendum inimicos propter illam conditionem, quam Dominus ponit in oratione dominica: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. 6, 12). Si enim homo homini servat iram,* frustra *a Deo quaerit medelam,* secundum quod dicitur *(Eccli. 28, 3).* Si autem loquamur de inimicis, prout sunt in statu et in actu laedendi, et inimicitias exercendi; sic dicere voluerunt, quod affectu diligere inimicos non est necessitatis, sed magis perfectionis; nec Dominus hoc praecipit, sed magis consulit. Et istam opinionem quorundam Magister ponit in littera. Sed si interius consideretur haec positio, minus sufficienter dicit, pro eo quod, secundum quod auctoritates Sanctorum sonant expresse, et ipsa ratio aperte convincit, non est caritas vera, nisi diligat omne diligibile. Diligibile autem a caritate est omne illud, quod est possibile ad beatitudinem pervenire. Ideo non habet aliquis caritatem, nisi diligat omnes illos, qui sunt in statu viae, sive sint amici, sive inimici. Unde in Psalmis dicitur *(118, 96): Latum mandatum tuum nimis,* quia mandatum caritatis ad omnes se extendit. Et sicut longitudo mandati se extendit ad omnem differentiam temporis, sic latitudo ad omnem personam hominis viatoris. Unde sicut aliquis non haberet caritatem, si proponeret etiam in uno solo die peccare, et in aliis benefacere, quia deficit sibi longitudo mandati; sic esto quod aliquis omnes homines diligat praeter unum solum, quem a dilectione excludit, caritatem non habet, quia deficit sibi latitudo illius mandati. Propterea est alius modus dicendi, quod diligere affectu est dupliciter, secundum quod duplex est affectus amoris, quidam a caritate elicitus, quidam a caritate imperatus. Ille est affectus amoris a caritate elicitus, quo quis optat alii summum bonum, sive beatitudinem aeternam. Ille vero est affectus imperatus, quo quis optat alii bonum temporale et prosperitatem transitoriam. Amor enim caritatis facit, quod homo velit alii omne bonum, nedum summum bonum, sed etiam temporale, nisi illud sit impediens ad salutem. Si ergo loquamur de affectu primo a caritate elicito, dico, quod omnes tenentur inimicos etiam actu inimicantes diligere, et eis vitam aeternam optare. Si autem loquamur de affectu imperato, quo quis optat alii prosperitatem temporalem, sic non omnes tenentur diligere, sed sufficit non odisse. Et hoc est quod dicit Ambrosius: Sufficit quod inimicos diligamus, et non odio habeamus. In quo innuit, quod cum duplex sit caritatis affectus, uno tenemur diligere, altero vero sufficit non odisse. Unde ad non odiendum inimicos, et non gaudendum de malis eorum, omnes tenentur, sicut dicitur: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas (Prov. 24, 17); Noli de mortuo inimico tuo gaudere (Eccli. 8, 8).* Diligere vero omnino quantum ad affectum elicitum et imperatum, optando ei bona aeterna et temporalia, hoc perfectionis est et supererogationis. Diligere vero ad bona aeterna hoc necessitatis est et praeceptionis; et ad hoc omnes generaliter sunt obligati, tam perfecti quam imperfecti." — „Ad illud, quod primo objicitur in contrarium: *Diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum (Matth. 5, 43),* responderi potest dupliciter. Primo per hoc, quod lex nunquam praecipit odio habere inimicum; sed ipsi Judaei hoc arguebant a contrario sensu, quia tantum praecipiebatur eis diligere amicos, arguebant ex hoc, quod debebant odisse inimicos. Aliter potest responderi, quod est odium affectus et odium effectus. Et iterum est inimicus Ecclesiae, sive fidei, et inimicus personalis. Cum ergo lex innuebat inimicum odio esse habendum, hoc intelligitur de odio effectus, et de inimico Ecclesiae et cultus divini. Odio vero affectus neminem praecipiebat odisse, nec inimicum personalem, nec inimicum Ecclesiae. Inimicum autem personalem non praecipiebat odisse, nec odio affectus, nec odio effectus, imo potius obligabat ad ipsum diligendum, licet non esset ita tunc expressum. Unde et Dominus explicuit *(Matth. l. c.).* Et propterea non potest ex hoc argui, quod non omnes teneantur diligere inimicos." — „Ad illud vero quod objicitur, quod diligere inimicos perfectorum est, respondent aliqui, quod illud intelligitur de dilectione affe-

ctus et effectus, non de dilectione affectus tantum. Sed utrum hoc sit verum, in sequenti problemate declarabitur. Nunc autem dicamus, quod si intelligatur de affectu elicito et imperato, perfectionis est; si vero de affectu elicito tantum est generalis necessitatis" ... — „Ad illud quod objicitur, quod diligere inimicos est mirabile, dicendum quod mirabile dicitur illud, quod est supra facultatem naturae; hoc autem potest esse dupliciter, secundo quod est operatio naturae simpliciter, et naturae rationalis. Facere autem mirabilia supra posse naturae simpliciter, hoc est per gratiam gratis datam, quam vocat Apostolus *(Ephes. 1, 19)* operationem virtutum: et haec non omnibus est data. Facere vero mirabilia supra posse naturae rationalis, hoc est per gratiam gratum facientem, utpote per fidem et caritatem. Per fidem enim credimus multa, quae non possemus credere sine ea, et quae videntur infidelibus nimis incredibilia. Et per caritatem amamus ea, quae videntur caritatem non habentibus odibilia. Et haec mirabilia continentur in lege divina, et datum est illa omnibus facere, qui volunt in se suscipere gratiam gratum facientem. Et pro tanto non potest argui, quod non teneamur ad dilectionem inimici, hoc enim est aliud genus mirabilius quam illud, de quo loquitur Augustinus *(Serm. 3 de Martyr.)*" *3. dist. 30. a. 1. q. 4 et ad 1—4.* — „Omnes tenemur diligere inimicos, non modo quoad affectum, verum etiam quoad effectum, in casu necessitatis tamen." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi. Quidam enim dicere voluerunt, quod etsi diligere inimicos affectu sit necessitatis, ita quod ad illud obligantur tam perfecti quam imperfecti; diligere tamen affectu simul et effectu, supererogationis et perfectionis est; nec ad illud obligantur imperfecti, sed tantum perfecti. Sed ille modus dicendi in seipso includit repugnantiam. Primum quidem, quia eodem mandato praecipimur diligere inimicos, et eis benefacere. Si ergo mandatum illud generale est, videtur quod generaliter omnes obligentur ad utrumque. Et iterum, perfecti quantum ad obligationem, quae est per mandatum, ad nihil obligantur, ad quod non obligantur imperfecti, quia mandata Dei omnibus generaliter proponuntur. Si ergo per illud mandatum obligantur perfecti ad diligendum inimicum tam affectu quam effectu, videtur similiter de imperfectis idem esse dicendum. Et amplius, si dilectio vera non tantum consistit in corde, sed etiam manifestatur in opere, dicere quod ceteri tantum obligantur ad diligendum corde, non autem ad diligendum opere, cum se offert temporis et loci opportunitas, idem videtur dicere, ac si teneamur inimicos diligere ficte. Praeter hoc, dilectio inimicorum clauditur in mandato de dilectione proximi; et constat, quod mandatum illud intelligitur quantum ad affectum et effectum; et ad illud mandatum omnes obligantur. Et propterea praedicta responsio non potest habere locum. Et ideo est alius modus dicendi, quod diligere in effectu exteriori hoc potest esse dupliciter, aut quandocumque se offert temporis opportunitas, aut quando incumbit necessitas. Si loquamur de exhibitione operis exterioris generaliter, quando se offert temporis opportunitas, sic diligere inimicos effectu et affectu cumulus est perfectionis. Si autem loquamur de exhibitione operis, quando incumbit necessitas, sic diligere inimicos effectu est generalis et necessariae obligationis; quia si quis videt proximum suum, sive amicum, sive inimicum, *necessitatem habere, et claudit viscera sua ab eo (1. Joan. 3, 17)*, juxta sententiam beati Joannis jam amplius non est caritas Dei in eo. Sic ergo patet, quod sicut diligere affectu, uno modo necessitatis est, alio modo perfectionis; sic diligere effectu, uno modo necessitatis est, alio modo perfectionis et supererogationis: et secundum hunc modum possunt solvi diversae auctoritates Sanctorum, quae sibi videntur obviare de dilectione inimicorum." *Ibid. q. 5.* — „Motus dilectionis amicorum et inimicorum sic se habent, quod hic est perfectior, quia et motus dilectionis inimicorum est difficilior; ille autem quia ferventior est et frequentior." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod cum quaeritur de comparatione istorum duorum motuum dilectionis, quorum unus est erga amicum, alter erga inimicum, dupliciter potest quaeri, aut prout comparantur ad diversos habitus et radices, aut prout comparantur ad eundem. Si prout ad diversas radices et habitus comparantur, ita quod unus habitus habilitat tantum ad amicos, alter vero se extendit ad inimicos; sic sine dubio multo majus et excellentius est diligere inimicum quam amicum; et multo perfectiori habitu indigemus ad hoc, quod possimus exire in istum actum, quam ad hoc ut exeamus in alterum. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(Enchiridion c. 73)*, et habetur in littera: Minus magnum est erga eum, qui tibi nihil mali fecit, esse beneficum et benevolum; illud vero multo grandius et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas. Si vero loquamur de istis actibus, prout ad eandem radicem comparantur, et ab eadem caritate procedunt; sic quodam modo sunt aequales, et quodam modo se mutuo excedunt. Quantum enim ad rationem merendi, respectu praemii substantialis, aequalitatem habent, quia quantitas illius praemii respondet quantitati radicis. Quantum vero ad rationem merendi, respectu praemii accidentalis, et quantum ad vigorem ipsius actus et motus, mutuo se excedunt. Nam motus dilectionis erga amicos excedit quantum ad fervorem et frequentationem, motus vero dilectionis erga inimicos est purior et difficilior; et ita quodam modo unus istorum motuum est alio melior et e converso, secundum varium modum accipiendi magnitudinem, nam in dilectione amicorum virtus caritatis magis exercetur intensive, sed in dilectione inimicorum magis exercetur extensive. Sicut virtus caloris ignis amplius calefacit propinquiora quam remotiora; et quodam modo plus apparet efficacia illius virtutis in his, quae sunt propinqua, quodam modo in his, quae sunt longinqua, ratione intensionis plus in calefactione propinquorum, et ratione extensionis plus in calefactione longinquorum: sic et in proposito intelligendum est, quod dilectio amicorum et dilectio inimicorum, prout ab eadem radice procedunt, secundum diversas conditiones et respectus, mutuo se excedunt; et secundum hoc dissolvi possunt rationes, quae ad diversas partes adducuntur. Diversis enim viis procedunt, secundum quas utraeque verum sine repugnantia concludere possunt. Sed si ulterius quaeratur, quis istorum duorum motuum omnibus pensatis excedat reliquum, hîc sunt diversae opiniones. Nam quidam volunt dicere, quod motus ille, qui est in amicum, melior est, quia in-

tensior est, et plus habet de ratione boni. Et istum modum dicendi videtur Magister approbare in littera. Et si hunc modum, qui satis videtur probabilis, sustinere velimus, responderi potest ad rationes, quae primo inducuntur, quod ab insufficienti procedunt. Cum enim dicitur, quod motus quanto difficilior et purior et magis super vires naturae, tanto est perfectior et excellentior, dicendum quod hoc verum est ceteris paribus. Sed cum assumit de motu dilectionis inimicorum, qui est hujusmodi, responderi potest, quod non sunt cetera paria; quia multo major et ferventior est motus dilectionis erga amicos, quam sit ille. Alius vero est hîc modus dicendi, quod dilectio inimicorum est excellentior, simpliciter loquendo, et magis in ea exercitatur perfectio caritatis. Et si hunc modum dicendi sustinere velimus, quoniam videtur auctoritas Augustini ipsum satis probabilem facere, potest responderi ad ea, quae in contrarium adducuntur." *Ibid. q. 6.*

[19] „Habitus caritatis est unus et indivisus secundum speciem, licet secundum numerum plurificetur, in diversis enim animabus plures sunt caritates, cum habitus et accidentia numerentur penes subjecta. In omnibus autem, in quibus est, est una caritas specie, propter hoc quod unitas habitus venit ab unitate objecti et actus principalis; et hoc quidem est reperire in caritate, si quis diligenter velit attendere. Actus enim caritatis est diligere, diligere autem idem est, quod velle bonum. Cum ergo caritas diligit aliquem, bonum optat ei, quem diligit; istud autem bonum, quod caritas optat, unum solum est, videlicet bonum aeternum et bonum summum. Istud autem summum bonum aliquando homo per caritatem optat Deo, aliquando sibi, aliquando proximo. Secundum quod optat ipsum ipsi Deo, dicitur diligere Deum, quia vult, quod ipse Deus sit summum bonum, et quod habeat omne bonum per essentiam. Secundum quod optat illud proximo, sic dicitur diligere proximum, quia vult, quod habeat illud bonum per gratiam et gloriam. Secundum quod optat illud sibi, sic dicitur diligere seipsum. Generaliter ergo in actu dilectionis ipsius caritatis unum est bonum optatum, licet multa sint, quibus illud bonum optatur; et illud est objectum principale ipsius habitus diligendi, quoniam ipsum propter se optatur a caritate, ita quod habet rationem objecti principaliter moventis, et finis quietantis. Et quia illud est unum solum, sive comparetur ad se, sive comparetur ad eum, qui habet caritatem, sive comparetur ad ejus proximum; hinc est, quod caritatis habitus habet esse unus." *3. dist. 27. a. 1. q. 2.*

[20] „Nihil prohibet quod semel habita caritas amitti valeat in statu viae." — „Dicendum quod, sicut dicit Magister in littera, quorumdam opinio et sententia fuit, quod caritas semel habita nunquam amittatur; et hoc posuerunt propter perfectionem illius vinculi, et ardorem, sive fervorem, illius amoris. Crediderunt enim illud vinculum esse tantae perfectionis, quod nullo agente posset dissolvi; et illum amorem esse tanti fervoris, quod nullo modo posset extingui, propter dignitatem et excellentiam ipsius caritatis. Et hoc affirmare nixi sunt auctoritate multiplici, sicut in ipso textu Magister satis aperte dicit. Sed haec positio non est opinio, nec rationalis sententia; imo error et insania potius est dicenda, quia repugnat sacrae Scripturae, repugnat experimento nostrae fidei, repugnat nihilominus rationi rectae. Sacrae Scripturae et etiam experientiae repugnat, sicut in opponendo monstratum est. A ratione autem recta dissonat, si quis attendat, pro eo quod recta ratio dictat, quod caritas viae non tollit a libero arbitrio vertibilitatem ad malum, sicut nec cupiditas tollit habilitatem ad bonum; simul ergo stat vertibilitas et caritas. Sed ubi est vertibilitas, ibi potest esse culpa; et ubi potest esse culpa, ibi tam caritas quam gratia potest abesse. Restat igitur, quod secundum dictamen rationis rectae caritas perdi potest in statu viae." *3. dist. 31. a. 1. q. 1.* — „Caritatem amittens, atque iterum resurgens a peccato, aequalem priori potest acquirere?" — „Dicendum quod possibile est hominem in aequali caritate resurgere, sicut monstrari potest auctoritatibus et exemplis et rationibus congruis ... Sive enim dicamus quantitatem gratiae mensurari secundum divinam largitatem, sive secundum suscipientis idoneitatem, recte convenit intelligere, quod caritas, in qua quis resurgit, potest esse aequalis illi caritati, a qua quis prius cecidit. Nam ex parte divinae largitatis planum est. Ad ejus enim commendationem spectat, ut non minus larga dona tribuat homini, quam ante tribuebat, secundum quod dicit Augustinus, nisi ineptitudo suscipientis impediat. Ex parte vero hominis se disponentis satis planum est. Possibile est enim, ut homo post peccatum amplius detestetur malum, et abhorreat peccatum, quam prius, sicut multi corrupti amplius detestantur peccatum carnis quam multi, qui nunquam fuerunt lapsi. Et sic rationabiliter poni potest et debet, quod contingat hominem resurgere in aequali caritate." *Ibid. q. 2.* — „Homo deficiens a caritate, non modo in aequali, sed in minori et majori potest resurgere caritate, secundum quod diversimode se disponit." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliquorum aliquando fuit opinio, quod necesse erat hominem resurgere in aequali, vel majori caritate. Et ad hoc ponendum moti sunt tum ex consideratione divinae dispositionis, sive praedestinationis, tum ex consideratione retributionis, tum ex consideratione nostrae reparationis. Ex consideratione namque divinae praedestinationis moti sunt, quia dixerunt, quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom. 8, 28).* Ideo divinae praedestinationis immutabilitas nequaquam sineret hominem labi a caritate, nisi ex lapsu illo videret subsequentem utilitatem. Nec regimen divinae providentiae filium regni permitteret cadere, nisi ex hoc simul praevideret majus bonum ex ipso casu elicere. Ex parte vero retributionis rationem sumpserunt, quia Deus opera remunerat secundum quantitatem caritatis, ex qua sunt facta. Si ergo caritas, in qua quis resurgit, vivificat opera prius mortua, et facit ea remuneratione digna, cum remuneratio adaequetur quantitati caritatis, ex qua opera facta sunt, nec possit excedere quantitatem caritatis, in qua quis resurgit; ratiocinantur ex hoc, quod impossibile sit minorem caritatem esse in resurgente, quam prius fuerit in cadente. Ex parte nostrae reparationis ratiocinantur sic: quia quanto homo magis fit ineptus ad gratiam, tanto majori indiget praeparatione ad hoc, ut ipsam suscipiat; sed quanto a majori gratia cecidit, tanto magis peccavit, et magis ad gratiam ineptus fuit; restat ergo, ut asserunt, quod quantitas praeparationis debeat propor-

tionari quantitati caritatis, a qua quis cecidit. Et quantitas caritatis sequens mensuratur secundum quantitatem praeparationis; propter quod consequi videtur, quod caritas subsequens adaequetur praecedenti, vel eam excedat. Et hoc confirmant per illud: *Sicuti fuit sensus vester, ut erraretis a Domino; decies tantum iterum revertentes, invenietis eum (Baruch 4, 28);* et: *Convertimini, filii Israël, sicut in profundum recesseratis (Isa. 31, 6).* Sed hic modus dicendi est contra rationem et sensibile experimentum, nec habet stabile fundamentum. Contra rationem enim dicere est, quod perfectus, si cadat a caritate, non possit resurgere nisi in statu et complemento perfectionis suae. Et de multis apparet, quod cadentes non resurgunt ad illam perfectionem, a qua ceciderunt. Stabile etiam fundamentum non habet, quia divinae praedestinationis dispositio non exigit, quod homo semper procedat in bono, sed quod sit finaliter bonus. Dei etiam retributio non pensat, quantum ad meriti efficaciam, caritatem initialem, sed caritatem finalem. Nostra etiam praeparatio ad gratiam potest esse major in eo, qui minus peccavit, et minor in eo, qui magis peccavit. Et verba illa prophetica non intelliguntur de quacumque praeparatione, sed de praeparatione perfecta, et poenitentia consummata, quae restituit omnia ablata, sicut in quarto libro explanatur *(dist. 13);* non autem habent veritatem de qualicumque poenitentia et conversione sine praeparatione. Unde cum homo se praeparare possit ad majorem, et ad minorem, et ad aequalem caritatem, communis tenet opinio, quod homo potest et in majori, et in minori, et in aequali caritate resurgere.“ *Ibid. q. 3.*

[21] Quamvis primo intuitu divina dilectio ad caput nonum primae partis referenda potius videatur, ubi de divina voluntate agitur, hîc loci tamen maluimus de ea sermonem instituere, ut ordinem sequeremur, quem S. Doctor in expositione librorum sententiarum tenuit. Ratio autem hujus ordinis ita ab eo demonstratur.“ Quia enim dilectio Dei est exemplar nostrae dilectionis, ideo ad majorem evidentiam introducitur hîc tractatus de ipsa; vel certe ut assignetur hîc differentia dilectionis divinae ad dilectionem nostram, sive praecellentia, quia cum dilectio nostra sit affectio ordinata, dilectio Dei non est nisi divina substantia, vel *usia.“ 3. dist. 32. expos. text.* — „Creaturae non solum temporaliter, sed aeternaliter quoque diliguntur a Deo.“ — „Quod sic, videtur: *Elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in ipso (Ephes. 1, 4);* sed nemo eligit, nisi quod diligit; si ergo ab aeterno ante mundi constitutionem nos elegit; videtur, quod ab aeterno nos dilexit.“ — „Item aut dilectio Dei praecedit ipsas res, aut sequitur; si praecedit, ergo ante fuit quam res essent; ergo Deus dilexit res ante earum productionem; ergo non ex tempore, sed ab aeterno. Si sequitur; ergo videtur, quod dilectio Dei causetur ab ipsis rebus. Quod si hoc est inconveniens, restat quod Deus ea, quae diligit, diligit aeternaliter.“ — „Item si Deus de non potente efficeretur potens, et de non sapiente sapiens, mutatus esset et imperfectus; ergo pari ratione, si de non amante fieret amans, cum amor respiciat quod intra est, esset in eo mutatio et imperfectio. Quod si hoc est impossibile, necesse est Deum ea, quae diligit, aeternaliter diligere.“ — „Dicendum quod quaedam verba dicuntur de Deo respectu creaturae, quae connotant effectum in actu, sicut verbum *creandi;* quaedam, quae connotant effectum in habitu, sicut vocabulum *praedestinandi;* quaedam, quae indifferenter utroque modo, sicut vocabulum *diligendi.* Dicitur enim Deus aliquem diligere, vel quia actu communicat ei bonum, vel quia proponit communicare. Et quoniam communicatio est affectus in tempore, propositum vero communicandi est ab aeterno; hinc est, quod *diligere* de Deo aliquando dicitur aeternaliter, aliquando dicitur temporaliter. Unde bene concedi potest, quod creaturae non solum temporaliter, sed et aeternaliter a Deo diligantur.“ *Ibid. a. 1. q. 1. fund. et concl.* — „Deus omnes creaturas generali quadam dilectione diligit, cum naturalia dona unicuique communicet, licet non omnibus det dona gratuita.“ — „Ad hujus intelligentiam quaestionis est notandum, quod Deus non dicitur creaturam diligere ratione affectionis, sed ratione communicationis alicujus boni, ita quod dilectio Dei potius dicitur esse dilectio effectus, quam affectus. Communicatio autem divinae bonitatis attenditur in duplici genere effectus, videlicet in effectibus naturae et effectibus gratiae. Effectus naturae omnibus est communis, effectus vero gratiae non. Hinc est, quod dilectio Dei, quantum ad effectum naturae, est omnibus communis et generalis, et secundum hanc dicitur diligere omnem creaturam; quantum ad effectum gratiae est specialis, et quantum ad istum, quosdam diligit, quosdam odit, quia quidam habent in se effectum gratiae, quidam defectum culpae et poenae.“ *Ibid. q. 2.* — „Deus diligit omnes aequali dilectione, si dilectionem quantum ad actum essentialem respiciamus, licet non quantum ad efficaciam.“ — „Deus diligit bonum, quia bonum; ergo magis bonum magis diligit; sed non omnia sunt aequaliter bona; ergo non omnia sunt a Deo aequaliter dilecta.“ — „Item caritas nostra est ordinata; si ergo ordo est de ejus complemento, videtur multo fortius quod caritatis summae et increatae sit res diligere ordinate, cum illa sit exemplar caritatis creatae; si ergo Deus diligit res ordinate, videtur quod non aequaliter.“ — „Item secundum quod Deus diligit, secundum hoc dona sua distribuit; sed non omnibus aequaliter dona sua distribuit; ergo non omnes aequaliter diligit.“ — „Item si aequaliter omnes diligeret, aequaliter omnibus propitius esset; sed non aequaliter omnibus propitiatur, imo *cui vult, miseretur, et quem vult, indurat (Rom. 9, 18);* ergo non aequaliter diligit omnes creaturas.“ — „Dicendum quod de dilectione Dei est loqui dupliciter, videlicet secundum essentiam et secundum efficaciam, sive secundum actum essentialem et secundum effectum consequentem. Si loquamur de dilectione quantum ad essentiam, sive quantum ad actum essentialem; sic non tantum aequali dilectione diligit omnia, imo tantum uno et eodem actu simplici et indivisibili, nullo variato, nullo multiplicato (quae quidem est divina usia), diligit se et omnia alia. Si vero loquamur de dilectione quantum ad efficaciam, sive quantum ad effectum consequentem, sic cum effectus ab ipsa dilectione Dei procedentes sint ordinati, et sese excedentes, dicendum est, quod Deus non omnes creaturas diligit aequaliter. Aliter potest dici, et quasi in idem redit, quod cum diligere idem sit quod velle bonum, aequalitas dilectionis potest attendi dupliciter, aut ex parte actus volendi, aut ex parte voliti boni. Si ex parte actus volendi, sic omnia

diligit aequaliter, quia non magis intense vult Deus bonum alicui rei, quam alteri, imo ipso summo amore suo vult bonum cuicumque vult; si autem ex parte boni voliti, sic cum majus bonum velit uni quam alteri, non est dicere, quod omnia diligat aequaliter, sed quaedam maxime, quaedam vero minime, secundum quod vult communicare alicui parvum bonum, vel magnum, vel maximum. Et quoniam secundum istam viam procedunt rationes ostendentes, quod Deus non diligat omnia aequaliter, sicut aspicienti patet; ideo sunt concedendae. Verumtamen illa ratio, quae sumpta est ex ordine caritatis nostrae, non valet, quia dilectio nostra diversis motibus movetur circa diversa diligibilia, qui possunt esse intensi et remissi; non sic autem est ex parte Dei ... Ad illud quod objicitur, quod de perfectione et nobilitate dilectionis est magnitudo, sive immensitas, sicut de perfectione cognitionis est ipsa limpiditas, dicendum quod verum est, quantum est ex parte ipsius actus diligendi. Unde unumquodque diligit Deus dilectione permaxima, nec magis delectatur Deus in dilectione unius, quam in dilectione alterius. Deus enim in diligendo seipsum, et seipso fruendo, diligit cetera, ita quod omnia diligendo, seipso fruitur, et summe in seipso delectat; attamen dilectione maxima et summa quibusdam communicat majora dona, quibusdam minora. Unde sicut dilectio Dei in se est fruitio, ipsa tamen relata ad creaturam potest dici usus, ratione connotati; sic quamvis in se sit summa, ratione tamen effectus connotati convenit dici aliquid plus, aliquid minus ab eo diligi." *Ibid. q. 3. fund. concl. et ad 5.* — „Deus, quantum ad effectum reparationis, magis hominem quam angelum dilexit, habito tamen respectu ad finalem statum, non ad praesentem; licet quoad conditionis effectum plus angelum amaverit." — *„Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae (Hebr. 2, 16);* sed illud fuit potissimum signum dilectionis et familiaritatis divinae, quod assumeret naturam creatam in unitate personae suae; ergo videtur, quod magis dilexerit naturam humanam, quam angelicam." — „Item: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Jo. 15, 13);* sed Deus posuit animam suam pro hominibus, non posuit eam pro angelis; ergo magis homines quam angelos dilexit." — „Item illam naturam magis Deus diligit, quam in altiori gradu honoris constituit; sed Deus humanam naturam in utroque sexu angelicis spiritibus superposuit, videlicet Christum et ejus nobilissimam matrem; ergo videtur, quod humanam naturam magis diligat, et magis dilexit." — „Item magis diligit quis aliquem, cum diligit eum in statu amicitiae et inimicitiae, quam solum cum diligit in statu amicitiae; sed Deus humanum genus diligit in statu amicitiae et in statu inimicitiae, quia cum essemus peccatores et inimici Dei, dilexit nos; angelos vero malos nec dilexit, nec diligit; ergo videtur, quod prae angelis genus humanum dilexerit." — „Dicendum quod, cum Deus dicatur diligere creaturas effectu, secundum quod duplex est effectus principalis Dei respectu creaturae rationalis, secundum hoc potest dilectio Dei major et minor dupliciter considerari. Est enim effectus conditionis, et est effectus reparationis. Et in effectu conditionis praecipue manifestatur Dei potentia, sed in effectu reparationis praecipue manifestatur Dei misericordia, sed in utroque manifestatur Dei sapientia. Si ergo loquamur de dilectione Dei quantum ad effectum conditionis, sic magis dilexit angelos, quia meliora contulit eis naturalia, et magis potentes eos fecit, et in eis magis manifestatur divina potentia. Si autem loquamur quantum ad effectum reparationis, sic magis diligit homines quam angelos, quoniam angelos deseruit, homines autem relevavit: et sic patet, quod secundum diversos effectus, homo et angelus in dilectione Dei se mutuo excedunt. Si autem quaeras, quae istarum dilectionum magis excedat reliquam, tunc respondendum est, quod est loqui de dilectionis excessu ut nunc, vel simpliciter, sive secundum statum praesentem, vel secundum statum finalem. Si loquamur de excessu dilectionis secundum statum praesentem, sic concedendum est, quod magis diligat angelos quam homines: si vero loquamur secundum statum finalis gratiae, in quo reparatio erit consummata, sic videtur satis rationabiliter posse dici, quod magis diligat homines. De pluribus enim habebit homo in paradiso, unde gratus et devotus existat Deo, quam angelicus ordo, tum propter beneficium incarnationis, tum propter beneficium redemptionis, tum propter beneficium eminentis glorificationis, quae non tantum manifestant erga nos divinae caritatis magnitudinem, sed etiam ejus nimietatem, secundum illud quod dicitur: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccato, convivificavit nos Christo (Ephes. 2, 4—5).* Et sic patet responsio ad quaestionem propositam. Patet etiam responsio ad objecta, quia utraeque rationes verum concludunt secundum diversas vias. Illae enim rationes, quae probant, quod magis diligat genus humanum, procedunt secundum effectum reparationis, habito respectu ad finalem statum, et ideo verum concludunt et concedendae sunt; rationes vero, quae in oppositum adducuntur, alia via procedunt, sicut patet aspicienti. Nam quod primo objicitur, quod angelus est Deo similior, hoc verum est quantum ad ea, quae sunt naturae, sed non oportet quantum ad dona gratiae. Dilectio autem Dei magis pensat dona naturae superaddita, quam ea quae sunt naturaliter insita. Et si tu objicias, quod gratia correspondet naturae, ad hoc satis in secundo libro responsum est. Ad illud quod objicitur, quod Deus liberalior est in angelis, quia uno motu beatificavit, dicendum quod illud non concludit de dilectione simpliciter, sed de dilectione ut nunc, quae statum praesentem respicit. Praeterea, majus fuit Unigenitum suum pro impiis dare, quam angelis merentibus aeternam mercedem retribuere; hoc enim fuit justitiae, illud vero misericordiae et pietatis abundantissimae. Ad illud quod objicitur, quod angeli magis diligunt, quia nullum habent retardativum, dicendum quod illa ratio concludit solum secundum statum praesentem, in quo *corpus, cum corrumpitur, aggravat spiritum (Sap. 9, 15);* secundum statum vero futurum, cum corpus erit spirituale effectum, homo non habebit aliquod impedimentum, sed habebit praecipuum gratiae adjutorium. Ad illud vero quod objicitur, quod sunt mediatores, similiter patet responsio. Mediatores enim nostri sunt secundum statum praesentis miseriae, in quo propter multiplicem defectum necessarium est nobis multiplex adjutorium, et propter magnam elongationem nostri a Deo indigemus mediatorum auxilio." *Ibid. q. 4. fund. concl. et*

ad 1—4. — „Deus plus dilexit Christum quam genus humanum universum, cum fuerit persona divina infinita.“ — „*Dedit illi nomen, quod est super omne nomen (Philip. 2, 9);* sed secundum dignitatem communicati nominis attenditur praerogativa amoris; ergo si Christo etiam secundum humanam naturam nomen super omne nomen Deus communicavit, videtur, quod ipsum super omnia dilexerit.“ — „Item: *Datus est ei spiritus non ad mensuram (Joan. 3, 34);* si ergo aliis omnibus datur spiritus ad mensuram, et secundum quod Deus excellentius spiritum tribuit, secundum hoc eminentius diligit; videtur ergo, quod magis dilexerit Christum, quam totum genus humanum.“ — „Item aut Deus appretiabatur illum hominem tantum, quantum genus humanum totum, aut non; si sic, habeo propositum; si non, ergo non reputavit sufficiens pretium; ergo per mortem Christi non fuit ei satisfactum; quodsi hoc est manifeste falsum, quia abundantissime satisfactum fuit Deo per mortem Filii sui, videtur quod majoris pretii fuit Christus, quam totum genus humanum.“ — „Item in infinitum majus est esse Deum, quam habere Deum; sed Deus sic dilexit Christum, quod fecit ipsum esse Deum; alios vero sic diligit, quod facit eos suum habitaculum; ergo in infinitum plus dilexit Christum, quam totum genus humanum.“ — „Dicendum, quod Christus nominat personam in duabus naturis, quarum una est nobilitatis et dignitatis infinitae; et ipsa persona in se, et natura unita ratione personae, habet quandam nobilitatem et dignitatem singularem et inaestimabilem. Ergo absque omni calumnia potest concedi et dici, quod Deus magis dilexerit et diligat Christum, quam totum genus humanum. Et hoc satis expresse colligitur ex verbis Anselmi *(Cur Deus homo lib. 2. c. 14),* ubi ostendit, quod vita illius hominis praeponderabat toti mundo, imo etiam mille mundis. Propterea rationes, quae ad hanc partem inducuntur, concedendae sunt. Ad illud quod objicitur, quod carius habetur illud quod emitur, quam pretium quo emitur, dicendum quod illud est verum, quando pretium ab emente omnino alienatur, et transfertur in dominium alienum; sic autem non est in proposito, quia Pater non tradebat Christum sine spe rehabendi ipsum; imo sic tradidit eum ad mortem temporalem, ut sine morae dispendio suscitaret eum ad vitam immortalem. Unde quamvis Christus vitam suam pro nobis posuerit, non tamen illam amisit, quia eadem virtute, qua animam posuit volendo pati, ipsam resumpsit volendo resurgere. Ad illud quod objicitur, quod genus humanum est bonitatis infinitae, cum sit in infinitum multiplicabile, respondendum est per interemptionem utriusque. Quamvis enim genus humanum sit in infinitum multiplicabile, quantum est de se per generationis successionem, si tempus et motus in infinitum duraret; tamen quantumcumque multiplicetur, semper est actu finitum et bonitatis finitae. Humana vero natura in Christo, ratione gratiae unionis, per quam datur *spiritus non ad mensuram,* quodam modo habet immensitatis dignitatem, ob quam totum genus humanum excedit quasi improportionabiliter. Et ideo ad illam rationem respondendum est per interemptionem. Ad illud quod objicitur: Propter quod unumquodque, et illud magis; solutio est, quod illud verum est, secundum quod *propter* dicit habitudinem causae finalis principalis, non prout dicit habitudinem rationis inducentis. Humanum vero genus, respectu incarnationis et nativitatis Christi, non fuit ratio finaliter movens, sed quodam modo inducens. Non enim Christus finaliter ad nos ordinatur, sed nos finaliter ordinamur ad ipsum, quia non caput propter membra, sed membra propter caput. Ratio tamen inducens ad tantum bonum fuit nostrae reparationis remedium, sicut in principio hujus tertii libri *(dist. 1. a. 2. q. 2*)* fuit ostensum. Sed ex hoc non sequitur, quod genus humanum sit melius, quia minus bonum potest inducere ad faciendum majus bonum. Ad illud vero quod objicitur ultimo, quod stultus est mercator, qui emit rem carius quam valeat, dicendum quod illud non habet veritatem nisi in eo mercatore, qui habet indigentiam pretii, et potius intendit in mercando seipsum ditare, quam alienam inopiam relevare. Non sic autem est in Deo, qui est *dives in misericordia (Ephes. 2, 4),* et *bonorum nostrorum non indiget (Ps. 15, 2);* qui non mercatur propter suam utilitatem augendam, sed propter nostram inopiam relevandam; qui etiam non mercatur ad suae utilitatis promotionem, sed potius ad liberalitatis ostensionem. Et propterea majori pretio voluit nos redimere, quam nos valeremus, ut ejus liberalitatem circa nos cognoscentes, ex totis praecordiis eidem adhaereremus, ut eum diligeremus, et etiam pretiositatem nostram ex tanti pretii immensitate melius cognosceremus. Praeterea Deus non redimebat ab alio, sed a seipso, manus enim misericordiae redimebat a manu justitiae; in qua redemptione non tantum considerabatur pretiositas rei emptae, sed etiam dignitas ipsius justitiae, cui illatum fuerat damnum et offensa. Et quia offensio divinae justitiae immensae quandam habebat immensitatem; ideo quamvis homo redemptus non esset valoris infiniti, necessarium tamen fuit ipsum redimi pretio multo majoris et immensioris valoris, quam sit valor generis humani.“ *Ibid. q. 5. fund. concl. et ad 1. 3. 4.*

*) Vide superius *part. IV. cap. 1. not. 2.*

CAPUT IX.

De exercitio gratiae respectu agendorum, praeceptorum et consiliorum.

(Divinae justitiae est regulas justitiae homini imprimere et exprimere. — Duplicem legem Deus homini contulit, — legem timoris imperfectis, — legem amoris perfectis. — In lege mosaica sunt praecepta judicialia, figuralia et moralia: — in evangelica judicialia temperantur, — figuralia evacuantur, — moralia consummantur, — ordinando hominem ad Deum et ad proximum per decem praecepta Decalogi, — eumque elongando a malo per tria consilia evangelica.)

De praeceptis autem legis divinae hoc tenendum est, quod in lege mosaica sunt praecepta judicialia, figuralia et moralia, utpote decem praecepta decalogi in duabus

tabulis conscripta digito Dei *(Exod. 31, 18)*. Lex autem evangelica judicialia temperat auferendo [1], figuralia evacuat adimplendo (I), moralia consummat adjiciendo. Adjicit autem documenta instruentia, promissa excitantia et consilia perficientia, cujusmodi sunt consilium paupertatis [2], consilium obedientiae [3] et consilium castitatis [4] (II), ad quae implenda invitat Dominus noster Jesus Christus eum, qui vult esse perfectus.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium sicut est summe bonum in seipso, sic est summe justum in opere suo, et in universi [a] regimine disponendo. Quoniam ergo summe justi est zelare [b] justitiam, non tantum in

a) Ita ex edit. 1484; in cet. universi.
b) Servare ibid.

(I) Cerinthus et Ebion saeculo primo inter ceteras haereses effutierunt omnia legalia, etiam post Evangelii praedicationem, observanda esse tanquam ad salutem necessaria. His opponuntur Manichaei, qui Christianos ut Semijudaeos insimulabant, eo quod praecepta moralia retinuissent. Porro contra primos: *Heb. 8, 13.* „Dicendo novum (testamentum), veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est." Et *Galat. 3, 24—25:* „Lex paedagogus noster fuit in Christo . . . at ubi venit fides, jam non sumus sub paedagogo." Et Concil. Florentinum in *Decreto pro Jacobitis § 12* definivit „legalia veteris Testamenti, seu mosaicae legis caeremonias, sacra sacrificia et sacramenta, Domino Jesu Christo adveniente, cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse." Contra secundos: *Matth. 5, 17.* „Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere."

(II) Quoad consilia evangelica, de quibus etiam agitur in hoc capite, quidam haeretici saec. III, qui se Apostolicos nuncupabant, testibus SS. Epiphanio, *haeres. 61,* et Augustino, *haeres. 40,* docebant minime salutem consequi posse, qui more Apostolorum in caelibatu et paupertate non ducerent vitam; in quo errore, quoad caelibatum, conveniunt quotquot haeretici nuptias uti illicitas damnant. E contra in eadem consilia debacchati sunt saec. IV, Jovinianus et Vigilantius, a S. Hieronymo stricto calamo insectati; ex quibus primus votum castitatis, alter votum etiam paupertatis illicitum effutiebant. Vigilantio subscripsit saec. XIII Guillelmus a S. Amore Doctor Parisiensis, Ordinum Mendicantium infensissimus hostis, cujus liber contra votum paupertatis jussu Alexandri IV an. 1256 publice igni fuit traditus. Adversus Guillelmum Apologiam fratrum Mendicantium doctissime exararunt tum noster Doctor Seraphicus, tum S. Thomas Aquinas. Protestantes quoque omnia vota damnarunt. Contra omnes autem, quoad consilia paupertatis et obedientiae *Matth. 19, 21:* „Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me." — Quoad consilium castitatis *1. Cor. 7, 25.* „De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis."

Neque praetereundi sunt errores in Syllabo a Pio IX damnati, qui sunt: — „n. 52. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant." — „n. 53. Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, eorum jura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere, ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias . . . penitus extinguere, illarum bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare." His erroribus praeluserant Jansenistae, qui in Synodo Pistoriensi tres regulas fundamentales ad Regularium reformationem posuerant, quas Pius VI censuris confixit.

Jansenianis autem figmentis saltem aliquatenus accedere videntur „illi, ceteroquin praestantes viri, qui specie boni decepti, in Regularium exemptiones insurgunt, earumque abrogationem exoptant, minime animadvertentes exinde Ordinum Regularium autonomiam ita destrui, et vim et unitatem eorum infirmari, ut ad dioecesanas institutiones, sine nexu, sine uniformitate reducantur" *(Vecchiotti, Instit. Canon. lib. II. cap. 9. § 93).* Hujusmodi „exemptio antiquissima in Ecclesia est, eaque repetitur ex amplissima potestate, per quam Summus Pontifex certos Episcopo subditos adimere potest, eosque vel aliis, vel sibimet uni subjicere" *(Devoti, Instit. Canon. lib. II. tit. 10. § 3).* Quot autem commoda in Ordines ipsos, et in sanctam Sedem et in Ecclesiam catholicam ex hac exemptione promanent, nostrum non est recensere. Sat superque sit adnotare Romanos Pontifices in eo semper totos fuisse, ut eam sartam tectam servarent, et omnibus mediis vindicarent, praesertim quod, ut verbis utar Gregorii XVI, *decr. 25 januar. 1836,* „ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipsorum haereticorum et incredulorum in illam odio comprobata est."

se, verum etiam in altero, justitia autem consistit in conformando se regulis juris; hinc est, quod divinae justitiae est regulas justitiae homini imprimere et exprimere [5], non tantum dictando per modum veritatis erudientis, sed etiam praecipiendo et obligando [6] per modum voluntatis imperantis [7](III). Et quoniam gratia facit voluntatem nostram volun-

c) Voluntati om. ibid.

tati [c] divinae conformem, ipsius est disponere nos [8] ad obtemperandum et subjacendum illis regulis justitiae, secundum dictamen legis divinitus datae [9].

Rursus, quoniam divinis imperiis dupliciter obtemperare contingit, videlicet ex timore poenae, vel ex amore justitiae, et primum est imperfectorum, secundum autem perfectorum; ideo duplicem Deus homini contulit legem, unam timoris et alteram amoris,

d) Et om. ibid.

unam in servitutem generantem, et [d] alteram in adoptionem filiorum Dei transferentem. Ac per hoc, quia timentibus et imperfectis competit, ut terreantur per judicia, et manu-

(III) Omnes justitiae regulas funditus subvertere conatur perditissimorum illa hominum secta, ut verbis utar S. P. Leonis XIII fel. regn. in Epistola Encyclica superius citata 28 decembris anni 1878, „qui diversis ac pene barbaris nominibus Socialistae, Communistae vel Nihilistae appellantur, quique per universum orbem diffusi, et iniquo inter se foedere arctissime colligati, non amplius ab occultorum conventuum tenebris praesidium quaerunt, sed palam fidenterque in lucem prodeuntes, quod jampridem inierunt consilium cujuslibet civilis societatis fundamenta convellendi, perficere adnituntur. Ii nimirum sunt, qui, prout divina testantur eloquia, *carnem quidem maculant, dominationem spernunt, majestatem autem blasphemant (Judae 1, 8).* Nihil, quod humanis divinisque legibus ad vitae incolumitatem et decus sapienter decretum est, intactum vel integrum relinquunt. Sublimioribus potestatibus, quibus, Apostolo monente *(Rom. 13, 1),* omnem animam decet esse subjectam, quaeque a Deo jus imperandi mutuantur, obedientiam detrectant, et perfectam omnium hominum in juribus et officiis praedicant aequalitatem. Naturalem viri ac mulieris unionem, gentibus vel barbaris sacram, dehonestant; ejusque vinculum, quo domestica societas principaliter continetur, infirmant, aut etiam libidini permittunt. Praesentium tandem bonorum illecti cupiditate, quae *radix est omnium malorum, et quam quidam appetentes, erraverunt a fide (1. Tim. 6, 10)*, jus proprietatis naturali lege sancitum impugnant; et per immane facinus, cum omnium hominum necessitatibus consulere et desideriis satisfacere videantur, quidquid aut legitimae haereditatis titulo, aut ingenii manuumque labore, aut victus parsimonia adquisitum est, rapere et commune habere contendunt. Atque haec quidem opinionum portenta in eorum conventibus publicant, libellis persuadent, ephemeridum nube in vulgus spargunt. Ex quo verenda regum majestas et imperium tantam seditiosae plebis subiit invidiam, ut nefarii proditores, omnis freni impatientes, non semel, brevi temporis intervallo, in ipsos regnorum principes, impio ausu, arma converterint. Haec autem perfidorum hominum audacia, quae civili consortio graviores in dies ruinas minitatur, et omnium animos sollicita trepidatione percellit, causam et originem ab iis venenatis doctrinis repetit, quae superioribus temporibus tamquam vitiosa semina medios inter populos diffusae, tam pestiferos suo tempore fructus dederunt. Probe enim nostis infensissimum bellum, quod in catholicam fidem inde a saeculo decimo sexto a Novatoribus commotum est, et quam maxime in dies hucusque invaluit, eo tendere ut, omni revelatione submota et quolibet supernaturali ordine subverso, solius rationis inventis, seu potius deliramentis, aditus pateret. Ejusmodi error, qui perperam a ratione sibi nomen usurpat, cum excellendi appetentiam naturaliter homini insertam pelliciat et acuat, omnisque generis cupiditatibus laxet habenas, sponte sua non modo plurimorum hominum mentes, sed civilem etiam societatem latissime pervasit. Hinc nova quadam impietate, ipsis vel ethnicis inaudita, respublicae constitutae sunt, nulla Dei et ordinis ab eo praestituti habita ratione: publicam auctoritatem nec principium, nec majestatem, nec vim imperandi a Deo sumere dictitatum est, sed potius a populi multitudine; quae ab omni divina sanctione solutam se aestimans, iis solummodo legibus subesse passa est, quas ipsa ad libitum tulisset. Supernaturalibus fidei veritatibus, tamquam rationi inimicis, impugnatis et rejectis, ipse humani generis Auctor et Redemptor a studiorum universitatibus, lyceis et gymnasiis, atque ab omni publica humanae vitae consuetudine sensim et paulatim exulare cogitur. Futurae tandem aeternaeque vitae praemiis ac poenis oblivioni traditis, felicitatis ardens desiderium intra praesentis temporis spatium definitum est. Hisce doctrinis longe lateque disseminatis, hac tanta cogitandi agendique licentia ubique parta, mirum non est quod infimae sortis homines, pauperculae domus vel officinae pertaesi, in aedes et fortunas ditiorum involare discupiant; mirum non est quod nulla jam publicae privataeque vitae tranquillitas consistat, et ad extremam perniciem humanum genus jam pene devenerit."

ducantur per signa, et dirigantur nihilominus per praecepta; hinc est, quod lex mosaica, quae est lex timoris, continet judicialia et figuralia[10] et moralia. Perfectis autem et amantibus competit aperta[e] instructio documentorum, larga promissio praemiorum, et alta perfectio consiliorum; hinc est, quod lex evangelica continet ista[f] tria. Et ideo dicitur lex mosaica differre ab evangelica; quia illa figurae, haec veritatis *(Hebr. 10, 1);* illa lex poenae, haec gratiae *(Rom. 5, 20—21);* illa litteralis, et ista spiritualis *(2. Cor. 3, 6);* illa occidens, et ista vivificans[11]; illa timoris, et ista amoris[12]; illa servitutis, et ista libertatis *(Galat. 4, 31)*[13]*;* illa oneris, et ista facilitatis[14].

e) Perfecta ibid.
f) Illa ibid.

Postremo, quoniam regulae spectantes ad justitiae necessitatem continentur in divinis praeceptis[15], et justitiae est jus suum unicuique reddere; necesse est, quod praecepta moralia quaedam sint, quae ordinent nos ad Deum, quaedam ad proximum, secundum duplex caritatis praeceptum, quod Spiritus sanctus voluit insinuare per duarum mysterium tabularum; et ideo digito Dei scriptae dicuntur *(Exod. 31, 18).* Et quia Deus est trinus, Pater scilicet et Filius et Spiritus sanctus, cui competit summa majestas adoranda, veritas profitenda et caritas acceptanda, secundum vim[g] irascibilem, rationalem[h] et concupiscibilem, per actum operis, oris et cordis; ideo triplex est mandatum primae tabulae[16], correspondens tribus praemissis, scilicet adorationis subjectivae[17], jurationis veridicae[18](IV) et sabbatizationis sacratae[19]. Quia vero proximus est imago Trinitatis, et ei, in quantum[i] praefert imaginem Patris, debetur pietas; in quantum imaginem Filii, debetur veracitas; in quantum imaginem Spiritus sancti, debetur benignitas; hinc est, quod septem sunt mandata, quae ad secundam tabulam spectant. Nam penes pietatem duo sunt, unum, quod pietatem mandat, scilicet de patre honorando[20], alterum, quod impietatem vetat, scilicet de non occidendo[21]. Penes veracitatem vero, quae principaliter consistit in verbo[22], accipitur unum, scilicet de falso testimonio non ferendo[23]. Penes benignitatem vero, cui opponitur cupiditas et concupiscentia, quarum utraque potest esse in opere vel in corde, accipiuntur quatuor, scilicet non moechaberis[24], non concupisces uxorem[25], non furtum facies[26], et non concupisces rem alienam[27]. Et habent haec ordinari[28] secundum majora vel[j] minora nocumenta, per quae infringi potest justitia[29]. Et sic regulae spectantes ad justitiae necessitatem debent contineri in decem praeceptis[30]. Quoniam autem justitia ad perfectionem pervenit, dum perfecte se elongat a malo, et quantum ad culpam, et quantum ad causam; et omne malum oritur ex triplici radice, scilicet concupiscentiae carnis et concupiscentiae oculorum et superbiae vitae *(1. Jo. 2, 16);* hinc est, quod tria sunt consilia evangelica, perfecte nos elongantia a

g) Vim om. ibid.
h) Rationabilem ibid.
i) Ita ex ead. edit., in cet. Quantum.
j) Et ibid.

(IV) Waldenses et Fraticelli „in nullum eventum, ita Joannes XXII in Constit. contra eos edita an. 1318, asserunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui, et poena teneri, quos contigerit juramenti religione constringi.“ Praedictis haereticis prope accessit propositio 75 Synodi Pistoriensis, quam Pius VI reprobavit his verbis: „Doctrina, quae perhibet beatis temporibus nascentis Ecclesiae juramenta visa esse a documentis divini Praeceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatum fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus: insuper continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse: indeque progreditur ad improbanda juramenta, quae curia ecclesiastica, jurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a saeculari potestate legem pro abolendis juramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali, *falsa, Ecclesiae injuriosa, juris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.*“

triplici radice praedicta. Quae ideo sunt consilia, quia ut perfecte faciant recedere a malo, non solum separant ab illicitis, verum etiam a licitis et concessis, quae possunt esse occasio mali; ac per hoc non solum justitiam continent sufficientem, verum etiam superabundantem[31], secundum quod competit perfectioni evangelicae legis, et exercitationi gratiae perficientis[32].

Ad Caput IX.

[1] „Circumcisio et legalia non cessaverunt ante promulgationem Evangelii quantum ad observantiam, nec quantum ad efficaciam universaliter, quia creditur in his, qui distabant, habuisse efficaciam." — „Ad praedictorum intelligentiam aperienda est via duplex, quam praecipui doctores, scilicet Hieronymus et Augustinus, tenuerunt in hujus quaestionis determinatione. Et primo, ad intelligendam solutionem Hieronymi, sciendum est, quod beatus Hieronymus duo tempora intellexit in novae legis datione, et sacramentorum suorum institutione. Unum scilicet, tempus condendi Evangelium, quod incepit ab adventu Christi usque ad passionis consummationem. Aliud fuit promulgationis Evangelii, quod incepit ab adventu Spiritus sancti usque ad finem mundi. Similiter intellexit, quod mandata legalia et caeremonialia dupliciter convenit servare, vel ex praecepto tanquam necessaria ad salutem, vel ex dispensatione, non quia bona sint, sed quia inde elicitur bonum. Concessit ergo Hieronymus legalia, maxime circumcisionem, servari debere, quousque veritas Evangelii promulgaretur, et institutio novae legis aperiretur: et hoc in toto primo tempore. Sed illis incipientibus aperiri, illa cessabant, sicut ista innotescebant; ita ut nulli, post acceptam notitiam veritatis, liceret servare hujusmodi sacramenta aliquo modo, nisi illis solum, ad quos non pervenerat praedicatio Evangelii, vel etiam ipsis Apostolis majoribus ex dispensatione et pia quadam simulatione; ceteri autem erant transgressores, qualitercumque servarent. Et ad hoc ponendum movit eum auctoritas sacrae Scripturae et auctoritas Ecclesiae. Auctoritas sacrae Scripturae, nam omnes Apostoli consenserunt legalia non esse servanda. Rursus, videbat Apostolos alicubi post illam sententiam servasse *(Act. Apost. 15, 1 et seqq.)*, et dicebat primam sententiam datam esse secundum rigorem veritatis, sed observationem factam esse secundum simulationem pietatis, secundum quod dicit Apostolus *(1. Cor. 9, 20—22): Omnibus omnia factus sum: Judaeis tanquam Judaeus etc.*, et hoc pia quadam simulatione. Auctoritas Ecclesiae etiam movit, quia sancti Patres communiter damnarunt haeresim Ebionis et Cerinthi, qui dixerunt legalia cum Evangelio esse servanda; et propter hoc dicebant pia quadam et dispensatoria simulatione esse servata propter infirmitatem Judaeorum. Sic dicit Hieronymus, quod Petrus servabat legalia quadam simulatione, secundum quod Apostolus dicit, *ut etiam Barnabas duceretur in hanc simulationem (Gal. 2, 13)*. Et dixit etiam, quod Paulus pia quadam simulatione reprehendit Petrum *(ib. 2, 14)*, qui nec peccabat, ut sicut Petrus condescendebat Judaeis in legalium observatione, ita Paulus in illius observantiae reprehensione gentibus. Et ita nec Petrus peccavit in male observando, nec Paulus in procaciter reprehendendo; sicut Porphyrius haereticus Paulum arguebat, quod Apostolorum principi procaciter insultasset. Ecce haec est positio Hieronymi, et ratio positionis. Augustinus autem alio modo solvit. Ad cujus solutionem intelligendam notandum est, quod Augustinus triplex tempus intellexit, scilicet tempus condendi Evangelium, promulgandi conditum et custodiendi jam promulgatum. Primum tempus fuit ab adventu Christi usque ad passionis consummationem; et illo tempore sunt legalia infirmata, et in morte Christi mortua. Secundum tempus fuit a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii in omnes gentes, quando potuit dici: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum (Psalm. 18, 5)*; et hoc tempore sunt legalia ad tumulum deducta. Tertium tempus fuit ab illo tempore usque ad mundi finem, in quo legalia sunt quasi in tumulo clausa. Ulterius notandum, quod triplici de causa possunt aliqua observari, scilicet propter salutis necessitatem, propter honestatem, propter proximi infirmitatem. Dixit ergo Augustinus, quod primo tempore legalia servari poterant tanquam viva, propter salutis necessitatem vel utilitatem. Secundo tempore servari poterant etiam ab his, qui audierunt Evangelium, propter honestatem, quia cum honore adducenda erat synagoga ad tumulum, non quasi idololatra statim abjicienda; et hoc etiam tempore servari poterant propter proximi utilitatem, ne Judaei a fide revocarentur. Tertio vero tempore nullo modo sunt servanda, quia qui jam servat, non est materni corpusculi honorator, sed sepulturae impudens revelator. Et ita posuit, quod Petrus et Paulus uterque servaverunt, non tantum propter vitandum scandalum proximi, sed etiam ad honorem debitum matri impendendum; et quod non tantum simulatorie, sed etiam veraciter observaverunt, non propter salutis necessitatem, quia sciebant ea non esse ad salutem necessaria. Similiter posuit, quod Petrus veraciter, non simulatorie, reprehensus fuit a Paulo, non quia legalia servabat, sed quia exemplo suo gentiles judaizare cogebat. Ratio autem sua haec fuit. Nam si fuit ibi tantum simulatio in observatione; ergo propter scandalum proximi vitandum licet relinquere veritatem. Et iterum, quare modo non similiter liceret? Quod nullus diceret. Rursus, de reprehensione Pauli, si simulate tantum reprehendit Petrum, falsum ergo dixit, et mentitus est, et quod non ambulabat ad veritatem Evangelii, et quod reprehensibilis erat. Sed quis audeat dicere, quod Paulus in doctrinae veritatis dispensatione sit mentitus? Quod si aliquis diceret, patebit via haereticis, ut alia dicant simulate dicta. Et quia ipse Augustinus doctor egregius verbis Hieronymi addidit, nec mirum est, nec incon-

veniens, quod posteriores prioribus addant; ideo modo solvendi Augustini, tanquam sufficienti, adhaerent, qui melius sentiunt. Unde Hugo de sancto Victore dicit, quod circumcisio et alia legalia, quantum ad efficaciam cessaverunt post passionem, sed quantum ad observantiam cessaverunt post Evangelii promulgationem. Et praeter rationem Augustini aliam rationem assignat, quia nec natura, nec ratio sustinet repentinas immutationes; et ne videretur lex nova praecipitanter data, cum maturitate subintravit, et vetera transierunt. Ex his patet responsio ad illud, quod quaeritur. Concedo enim, sicut rationes ostendunt, quod legalia quantum ad observantiam non cessaverunt ante promulgationem, nec etiam quantum ad efficaciam universaliter, quia creditur, sicut dicit Bernardus, quod habuerunt efficaciam in his, qui distabant, et praeceptis adhuc restringi non poterant. In his autem, qui scire poterant, nullam efficaciam habebant." *4. dist. 3. p. 2. a. 3. q. 2.*

[2] „Contemptus divitiarum opponitur avaritiae rerum temporalium. Hic quandoque et paupertas spiritus appellatur ... Quatuor autem de causis consulitur divitiarum contemptus. Prima, quia earum amor retrahit ab amore Dei et patriae caelestis ... Secunda, quia retardant hominem a profectu virtutum ... Tertia, ratione meriti amplioris ... Quarta, quia temporalis substantia contemptibilis est multis considerationibus ... Primus autem gradus in contemptu divitiarum est nihil habere velle injusti lucri ... Secundus, nihil velle superfluum habere ... Tertius, nihil velle possidere in hoc mundo, et in omnibus necessitatibus multiplicem pati penuriam propter Deum. Hoc est efficacissimum contra avaritiam remedium." *De profect. Religios. l. 2. cap. 42—45.* — „Hoc ipsum ostenditur ratione. Duplex est civitas, scilicet Dei et diaboli, Jerusalem et Babylon, quae oppositionem habent et in seipsis, et in suis fundamentis; sed fundamentum civitatis Babylonis, ut dicit Augustinus, est cupiditas; ergo quanto magis quis recedit a cupiditate, tanto magis recedit de diaboli civitate. Sed paupertas, in qua quis in communi et in speciali prorsus omnibus abrenuntiat tam effectu, quam affectu, ipsa est, quae maxime elongat ab avaritia; ergo etc." *De paupert. Christi, q. 1. a. 1.* — „Exterior rerum penuria, quamquam de se videatur inutilis, paupertati tamen spiritus juncta, non solum ipsius auget meritum, sed etiam valet ad plurima; propter quod recte designatur per evangelicam illam margaritam *(Matth. 13, 46)*, quae tantae pretiositatis est, ut pro illa emenda distrahenda sint omnia. Valet enim inter alia ad quatuor, scilicet ad exterminium iniquitatis, ad exercitium perfectae virtutis, ad possessionem internae jucunditatis et ad publicationem evangelicae praedicationis." *Apol. paup. resp. 3. cap. 3.* — „Abrenuntiare omnibus, tam in privato, quam in communi, est christianae perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam abundantis, tanquam perfectionis evangelicae consilium principale, et principium fundamentale, et fundamentum sublime. Primum suadet natura, secundum scriptura, tertium gratia. Primum, inquam, est consilium principale, quia viam praebet ad alia. Nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem et ad voluntatis propriae perfectam abnegationem, cum nihil sibi detineat, nec domum, nec tectum, nec aliquam rem. Ad ipsam autem specialiter viam facit ipsa natura, sive instituta, sive lapsa. Nam homo nudus formatus est, et si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset; homo vero lapsus nudus nascitur, nudus moritur. Et ideo haec rectissima via est, ut ab extremis non declinans, quantum potest natura pati, pauper et nudus incedat; et hoc est, quod dicitur *(1. Tim. 6, 7)*: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Et ex hoc concludit: *Habentes alimenta, et quibus tegamur etc.* Hoc autem nihil arctius vel pauperius, quam simplici victu et operimento esse contentum, quod ex naturae documento persuadet Apostolus, tanquam bonum et perfectum. Est etiam principium fundamentale. Lex enim vetus differt a nova in hoc, quod illa timorem, haec amorem; illa temporalia promittit, haec temporalia contemnere docet. Si igitur fundamentum perfectionis civitatis Dei principaliter consistit in caritate, et illa potissime est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas, quia venenum caritatis est cupiditas, hanc autem cupiditatem omnino foras mittit, quia omnia omnino et re et voluntate relinquit; sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix et principium perfectionis est altissima paupertas. Unde Augustinus *(l. 83. quaest.)*: Caritatis venenum est spes adipiscendorum ac retinendorum temporalium, nutrimentum ejus imminutio cupiditatis, perfectio ejus nulla cupiditas. Signum profectus ejus imminutio timoris, signum perfectionis ejus nullus timor; quia radix omnium malorum est cupiditas, et *perfecta caritas foras mittit timorem (1. Jo. 4. 18)*. Illa igitur paupertas est perfectissima, quae omnino cupiditatem exterminat. Est nihilominus fundamentum sublime, quia cum duplex sit vita, ad quam disponit gratia, scilicet activa et contemplativa, activa deorsum ordinat, sed contemplativa sursum in caelum erigit. Nullus autem spiritus magis idoneus est ad hoc quam ille, qui penitus est exoneratus ab onere temporalium, et qui thesaurum suum totum habet in caelo, et cujus regnum non est de hoc mundo, qui non habet hîc manentem civitatem, sed futura inquirit *(Hebr. 13, 14)*. Talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenuntiat; et ideo talis jam fundamentum sui aedificii collocatum habet in excelsis." *De paup. Christi, art. 1.* — „Quod attendens Christi Vicarius, Petrique successor, utpote sancti Spiritus illustratione praeventus, statum hunc evangelizantium pauperum, qui saluti animarum intenderent, tamquam caelitus sibi missum, cum hilaritate suscepit, pietate confovit, auctoritate roboravit, et potestate defendit, et ut Patriarcha Jacob tamquam filios accrescentis Joseph multipliciter benedixit, pie in hoc providens saluti animarum, et in nullo praejudicans auctoritati Pontificum, tanquam ornans, non deornans ecclesiasticam hierarchiam." *Apolog. pauper. resp. 4. c. 3.* — „Te igitur, sacrosancta Romana Ecclesia, tanquam alteram Esther elevatam in populis, ut Ecclesiarum omnium matrem, reginam atque magistram ad defensandam et docendam tam morum, quam fidei veritatem, fiducialiter interpellat tuorum pauperum coetus, ut quos genuisti ut mater, educasti ut nutrix, nunc etiam ut regina patenter ac juste defendas: cum idcirco, dispositione faciente divina, pontificalis ac regiae potestatis verticem supremum adipisci merueris, ut in arduis necessitatis articulis ad defensandum Christi populum parareris. Exsurge igitur sancta mater, et judica

causam tuam, quia si pauperum hic ordo Minorum recte profitetur veritatem Evangelii, tuum est; si a veritate in professione a te sancita deviat, tuum est; ac per hoc si professioni hujusmodi sanctae error impingitur, tu, quae illam sanxisti, errasse assereris, et quae magistra veritatis hactenus extitisti, nunc de approbatione erroris argueris, et a quibusdam modernis praesumptoribus velut juris divini et humani nescia derideris." *Ibid. q. 2.*

[3] „Obedientia est propriae voluntatis subjectio arbitrio superioris ad licita et honesta ... Ratio obedientiae triplex est. Una, quia omnis creatura ita est ordinata a Deo, quod licet ipse Deus omnibus et singulis ita praesit, ut ab ipso solo accipiant quod sunt, et habent, et possunt; tamen propinquiora sibi, non loco, sed similitudine, plenius accipiunt ab ipso, quod inferioribus, et sibi propinquioribus influant; et illa iterum suis inferioribus usque ad infimum, ut inferiora superioribus subdita sint, et superiora inferioribus praesint, et ea regant, ut summa mediis, et media praesint imis ... Secunda ratio est, quod cum nondum sit omnibus datum esse docibiles Dei, ne ignari errent a via Dei, qua necesse est eos pervenire ad gloriam caelestem, expedit ut sequantur ducatum doctorum suorum, sicut caecus dat manum ductori, ne cadat, vel impingat, vel erret. Tertia ratio est, ut homo, qui sub Deo esse noluit peccando, et ita superbiendo gratiam Dei perdidit, satisfaciat ei, subjiciendo se homini propter Deum, et ita per humilitatis meritum gratiam Dei recuperet, quam amisit ... Specialissima obedientia est illa, qua sine exceptione promittit quis obedientiam ad omnia, quae non sunt contra animam suam et regulam talem, ubi tam ad ea, quae sunt regulae, quam ad alia, quae jubentur, se obligat bona, quae conveniunt rationi, et liberi arbitrii subsunt potestati, cum ad irrationabilia, vel impossibilia, nemo debeat cogi, sicut ad illicita nemo debet obedire ... Infimus obedientiae gradus est ex timore supplicii obedire ..., secundus, pro spe praemii, potius quam timore supplicii, ad injuncta voluntarie obedire ... tertius, ex sola dilectione Dei, non tantum voluntarie, sed etiam cum gaudio obedire." *De prof. Religios. l. 2. cap. 38—41.* — „Religiosi non tenentur obedire in omnibus praelatis, licet sanum sit consilium, quod in omnibus illis obediant, nam obedientia debet mensurari secundum terminos et magnitudinem emissi voti." *2. dist. 44. a. 3. q. 2.* — „Ad illud quod objicitur, quod sicut homo vovet paupertatem et continentiam, ita vovet obedientiam, dicendum quod sic et non sic. Sic quidem in hoc, quod aufert sibi propriae voluntatis dominium; non sic autem, quia non arctat se ad faciendum nisi ea, quae in regula expressa sunt. Et quoniam in omni religione perfectionis simpliciter continetur renuntiatio quantum ad opus carnis, et quantum ad opus proprietatis, vel in speciali, vel in communi, non sic autem praecipiuntur omnia, quae possunt praecipi; ideo non sic arctatur ad obediendum in omnibus, sicut ad renuntiandum omnibus. Ratio autem hujus est, quia possibile est alicui renuntiare proprietati, et etiam satis facile, maxime ubi est possessio habita in communi; sed obtemperare omnibus quae dicuntur, hoc non tantum est non facile, imo etiam impossibile; et ideo fines ponuntur promissioni obedientiae, non sic ponuntur promissioni paupertatis, vel etiam castitatis." *Ibid. ad 6.*

[4] „Virginitas tria dicit, primum est abstinentia ab omni coitu illicito, secundum est continentia ab omni coitu licito, tertium est integritas mentis et carnis. Quantum ad primum dicit habitum, quantum ad secundum dicit virtutis statum, quantum ad tertium dicit decorem; unde virginitas est habitus continentiae perfectus et decorus." *4. dist. 33. a. 2. q. 1.* — „Si loquamur quantum ad habitum, sic se habent (virginitas et continentia conjugalis) ut excedentia et excessa, quia ex majori virtute potest continere etiam conjugata, quam virgo, et e converso. Si autem loquamur quantum ad decorem, sic semper virginitas praefertur continentiae conjugali, quia ibi est corruptio foeda, hîc autem est incorruptio sancta. Si autem quantum ad statum, tunc est loqui dupliciter, aut secundum idem tempus, aut secundum diversa. Si secundum idem, dupliciter, aut secundum tempus legis, aut secundum tempus gratiae. Si secundum tempus legis, status continentiae conjugalis omnino praefertur, et status virginitatis prohibetur, et sterilis maledicitur, et in contumelia habetur. Si secundum statum gratiae, ubi non requiritur fecunditas ventris, sed sanctitas et incorruptio et puritas mentis, virginitas praefertur continentiae conjugali. Si autem secundum diversa tempora loquimur, utpote si continentiae statum consideremus in tempore legis, et virginitatis in tempore gratiae, sicut unusquisque in suo optimo; sic status statui non praefertur, nec meritum merito, dum tamen sit caritas aequalis. Et hoc est, quod dicit Augustinus, quod caelibatus Joannis non praefertur conjugio Abrahae. Rationes igitur probantes, quod continentia virginalis est dignior, procedunt ratione statuum relatorum ad tempus gratiae, vel ratione decoris virginitatis." *Ibid. q. 2.* — „Ad castitatis acquisitionem valent ... alienatio et separatio feminarum a viris, et consortium contubernale castorum ... deliciarum fuga ... exteriorum sensuum custodia ... otii devitatio, quod est janua omnium vitiorum, maxime carnalium. Item custodia interiorum cogitationum et affectionum cordis, per quas coluber primo caput venenatum ingerit. Item orationis frequentia, qua obtinetur auxilium a Deo contra omnes impugnationes." — „Nunc de gradibus castitatis, sicut Religiosis competit, videamus. Primus gradus est continentia ab actu carnali, cum proposito sic manendi, et omnibus illicitis motibus consensum negandi ... Secundus est, cum per macerationem carnis et per alia spiritualia studia affectus mundatur, et caro ita spiritui subjugatur, ut rarius et minus tentetur ... Tertius est, ita domitas habere carnis concupiscentias, quod vix rarissime et tenuissime sentiantur, et ex affectu talem induisse castitatis amorem, ut horreat et ita detestetur omnes carnales motus, quod quasi nauseam inde patiatur, nec possit audire tractari de operibus carnis, nisi cum horrore et execratione. Si quando vero, pro utilitate aliorum, de matrimonialibus casibus aliquid tractandum occurrit, ita quietos motus carnis suae sentiat, ac si de luto, vel lapidibus, aut similibus tractaretur." *De prof. Religios. l. 2. cap. 52—56.*

[5] „Obligatio mandatorum decalogi radicaliter sequitur legem naturae, sed quantum ad explicationem sequitur legem scripturae. Explicatio enim mandatorum plenaria decalogi opportuna fuit secundum statum peccati propter

obscurationem luminis rationis, et propter obliquationem voluntatis. Quia enim voluntas corrupta prompta erat ad multiplicem deordinationem, oportebat eam religari per multiplicia mandata. Rursus, quoniam scriptura cordis interior propter peccatum erat obnubilata, et homo, qui fuerat spirituali mente praeditus, effectus erat sensibilis et carnalis, opportunum erat, ut exterius legeret, et audiret per sensus corporis ea, per quae posset in rectitudinem justitiae regulari.“ *3. dist. 37. a. 1. q. 3.*

[6] „Ad illud quod objicitur, quod obligatio repugnat libertati, potest responderi, quod obligatio ad bonum non repugnat libertati simpliciter, sed repugnat libertati peccandi. Posse autem peccare non est libertas, nec pars libertatis; et ideo dum obligatio mandati repugnabat libertati male faciendi, libertatem non minuebat, sed potius augebat. Aliter etiam potest responderi, quod est obligatio, quae aufert potestatem, et est obligatio, quae aufert impunitatem. Prima obligatio, quae potestatem aufert, minuit libertatem. Secunda vero, quae non aufert potestatem, sed tollit impunitatem, libertatem arbitrii salvat, et superaddit justitiae aequitatem. Hoc autem secundo modo mandata Dei sunt obligatoria; et propterea in nullo libertati arbitrii derogabant, quin potius divinam justitiam commendabant.“ *3. dist. 37. a. 1. q. 1. ad 3.*

[7] „Absque dubio verba decalogi debuerunt dari per modum praecepti, ita quod in eis non solum homo instrueretur, verum etiam obligaretur. Et ratio hujus est, tum quia Deum decebat, tum quia nobis expediebat. Deum utique decebat, quia in his verbis decalogi consistit regula justitiae, secundum quod dictat lumen rationis rectae. Et quoniam Deus tanquam justus debet esse aemulator rectitudinis et justitiae, et in subditis et in se ipso; hinc est, quod homini leges justitiae imposuit, ad quas ipsum obligavit, ut nullo modo liceret ipsum eas impune praetergredi. Verba igitur decalogi per modum obligationis debuerunt dari, quia sic decebat divinam aequitatem. Nec tantum decebat aequitatem, imo etiam majestatem. Sicut enim decet summam majestatem a creatura rationali omni reverentia coli; sic etiam decet, quod rationalis creatura ad manifestationem illius summae majestatis per obedientiam famuletur. Et propterea decuit ipsum imponere homini leges et mandata obligatoria. Non solum autem Deum decebat, sed etiam nobis expediebat, tum propter gloriam nostram augmentandam, tum propter pacem conservandam. Propter gloriam utique augmentandam, quia gloriosius est homini obtinere beatitudinem per merita, quam sine meritis. Et quoniam cum aliquid redditur ex meritis, quodam modo homo, qui meretur, obligat sibi retribuentem, et magis decet hominem obligari Deo, quam Deum homini; hinc est, quod ad opera, per quae contingebat mereri, debuit homo per praecepta obligari, ut dum obligatus obediret, in merito proficeret, et ad majorem cumulum gloriae perveniret. Alia ratio est propter pacem conservandam, quae tantum bonum est, sicut dicit Augustinus *(lib. 19. de civ. Dei c. 11)*, ut cuncta pacem appetant. Pax autem servari non potest, ubi homo usurpat sibi, quod est alienum; ideo ut pax servaretur inter homines, debuit Deus mandata homini tradere, in quibus obligaretur, ne, quod est alienum, usurparet, sed redderet Deo et proximo, quod eis deberet, ne alteri injuriam faciendo, pacem frangeret, et frangendo pacem ipse in se pacem amitteret. Sic ergo decuit verba decalogi tradi per modum obligationis et praecepti, tum quia decens erat ex parte Dei, tum quia expediens erat ex parte nostri.“ *3. dist. 37. a. 1. q. 1.*

[8] „Homo per libèrum arbitrium potest sine gratia gratum faciente praecepta Dei implere quoad substantiam operis, non tamen quantum ad intentionem mandantis.“ — „Si loquamur de impletione mandatorum quantum ad genus operis, sic per gratias gratis datas contingit ea impleri, sicut per fidem mandatum de adoratione, et per quamdam naturalem pietatem et devotionem mandatum de parentum honoratione; et sic de aliis. Alio modo est loqui de impletione mandatorum quantum ad intentionem mandantis. Et sic, quia Deus praecipit mandata ad hoc, quod voluntas nostra conformetur voluntati suae, et haec non potest esse absque caritate, et caritas esse non potest absque dono gratiae gratum facientis; mandata Dei secundum intentionem mandantis absque hujusmodi dono non possunt observari. Et hoc est, quod dicit Apostolus *(Rom. 13, 8): Qui diligit proximum, legem implevit;* et iterum *(ibid. 10): Plenitudo legis est dilectio;* et *(1. Tim. 1, 5): Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Hoc ipsum etiam insinuatur, ubi post enumerationem mandatorum decalogi, subditur mandatum caritatis, quo dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua (Matth. 22, 37).*“ *2. dist. 28. a. 1. q. 3.*

[9] „Utrum homo possit juste homini dominari. Quod sic, videtur: *Non est potestas, nisi a Deo (Rom. 13, 1);* et Apostolus dicit, quod serviendum est dominis non tantum propter timorem, *sed etiam propter conscientiam (ib. 5);* ergo omne, quod est a Deo, est justum; ergo hominem habere potestatem super hominem est justum. Praeterea, si conscientia non dictat homini nisi justum, cum est recta; et hoc dictat, cum dicat Apostolus; ergo justum est hominem homini esse subditum. Item Apostolus *(Ephes. 6, 5)* dicit: *Servi obedite dominis carnalibus;* sed Apostolus non hortatur, nec praecipit nisi justum; ergo. Contra, homines sunt aequales natura; ergo quod unus alteri praesit, hoc est contra naturam; sed omne, quod est contra naturam, est peccatum; ergo. Item, omnes homines sunt liberi per naturam; ergo, quando homo efficitur servus, hoc est per usurpationem; sed omne usurpatum est peccatum; ergo peccatum est homini dominari. Quod patet, quia Noë divina auctoritate filium suum Cham fecit servum fratrum *(Gen. 9, 25);* similiter Isaac fecit de Esau et Jacob *(Gen. 27, 29).* Respondeo dicendum, quod justum est hominem homini dominari. Et ad illud, quod objicitur de hoc, quod est contra naturam, et quod omnis homo est liber, intelligendum quod duplex est status, scilicet naturae destitutae et naturae institutae. Quantum ad statum naturae institutae, etsi omnes essent liberi et aequales, et non esset dominium hominibus, quo praeessent, nisi solis brutis; tamen quantum ad statum naturae corruptae, aliter est. Quia enim alii aliis sunt pejores et mali; ideo justo judicio Dei in se et in posteris servi fiunt. Alia etiam ratio est dominandi, scilicet propter cohabitationem malorum. Si enim non esset potestas temporalis, quilibet faceret quod sibi rectum videretur, et ita esset scissio iniquitatis,

et quilibet ad votum peccaret. Et sic potest esse dominium et servitus in hominibus." *Expos. in Ecclen. c. 8. v. 12.* „Omnis potestas praesidendi, secundum id quod est, et etiam respectu illius, super quem est, justa est et a Deo est." — „Dicendum, quod potestas praesidendi dicitur esse illud, per quod aliquis praesidet et dominatur alteri. Illud autem, per quod praesidet, dupliciter potest dici. Uno modo dicitur ipsa virtus, per quam quis praevalet alteri; et haec virtus absque dubio a Deo est. Alio modo illud, per quod praesidet, dicitur modus perveniendi, vel promovendi ad hanc virtutis excellentiam; et sic distinguendum est tripliciter. Nam quidam praesunt aliis ex justitia, quidam ex astutia, et quidam ex violentia. Quando autem aliquis praeest aliis per justitiam, tunc illa potestas dominandi, loquendo simpliciter, a Deo est, et respectu praesidentis, et respectu subjacentium. Quando autem praeest aliquis per astutiam, vel per violentiam, tunc dicendum est, quod talis potestas habet comparari ad voluntatem praesidentis, et habet comparari ad meritum subjacentis. In comparatione ad meritum subjacentis talis praesidentia justa est, quia aut est ad bonorum probationem, aut ad malorum punitionem. Si autem comparetur ad voluntatem praesidentis, sic injusta est. Et primo quidem modo dicitur esse a Deo faciente et ordinante, secundum quod dicitur in Job *(34, 30): Facit regnare hypocritam propter peccata populi;* et Oseas *(13, 11): Dabo eis regem in furore meo.* Secundo autem modo, scilicet in comparatione ad voluntatem praesidentis, sic dicitur esse a Deo permissive, non autem approbative; propter quod dicitur *(ibid. 8, 4): Ipsi regnaverunt, et non ex me: et principes extiterunt, et non cognovi.* Concedendum est igitur, quod omnis potestas praesidendi, secundum id quod est, et etiam respectu ejus, super quem est, justa est et a Deo est ... Concedendum est nihilominus, quod modus deveniendi ad hanc praesidentiam, in comparatione ad voluntatem praesidentis, potest esse justus et injustus; et secundum quod justus est, a Deo est, et secundum quod injustus, a Deo non est. Quia vero nunquam est ita injustus ex una parte, quin sit justus ex altera; ideo de nulla potentia praesidendi dici potest, quod non procedat a Deo." — „Ad illud, quod objicitur, quod aliqua potestas inordinata est, dicendum quod etsi aliquo modo aliqua potestas possit ex inordinata voluntate procedere, potestas tamen ipsa semper ordinata est, sicut dicit Gregorius in Moralibus, quod tumoris elatio, non potestatis ordo, in crimine est; potentiam Deus dedit, elationem potentiae malitia nostrae mentis invenit. Et si objiciatur, quod inordinatum est, quod stulti praesint sapientibus, et mali bonis, servi dominis vel liberis, dicendum quod, etsi aliqua inordinatio appareat exterius, nihilominus latet pulchra ordinatio interius secundum divinum judicium, quod frequenter est occultum, nunquam tamen injustum. Propter quod dicitur: *Vidi malum quasi per errorem egredi ens a facie principis, stultum positum in dignitate sublimi etc. (Eccle. 10, 5—6),* quasi diceret, quia quamvis appareat ibi error magnus, tamen est ibi ordinatio, dum ex hoc mali puniuntur, et boni promoventur" *). — „Ad illud quod objicitur, quod nulla potestas est a Deo, quae est contra jus naturae, dicendum quod esse contra jus naturae, hoc est dupliciter, vel simpliciter, vel secundum aliquem statum. Cum ergo dicitur, quod potestas dominandi est contra jus naturae, hoc non intelligitur quantum ad universale dictamen naturae, sed quantum ad dictamen naturae alicujus status determinati, in quo quidem non esset subjectio servitutis, nec praelatio potestatis." — „Ad illud quod objicitur, quod nihil, quod est a Deo datum, est auferendum, dicendum, quod illud verum est, si Deus simpliciter ei dedit; si autem solum sit ad tempus datum, sicut Dominus voluit dare, ita etiam voluit per ministerium humanum auferre. Hoc autem cognoscimus, quod Deus velit, quando videmus ordinem justitiae sic exigere. Deus enim dedit vitam latroni, et tamen judex juste illam aufert ei, exigente hoc mandato justitiae, quo dicitur: *Maleficum non patieris vivere (Exod. 22, 18).* Sic etiam intelligendum est se habere in potestate nostra et principum; quia secundum juris rectitudinem, tam dominium, quam potestatis privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate." — „Ad illud quod objicitur, quod nulla potestas a Deo collata, est usurpata, dicendum quod verum est, si totaliter detur a Deo; sed Deus sic dat potestatem, quod frequenter homo cooperatur in illius potestatis adeptione. Et cum recte cooperatur ad illius potestatis adeptionem, tunc dicitur dominari ex justitia; quando vero injuste, tunc dicitur illa potestas usurpata, in qua non praeest de jure, quamvis praesit de facto; nihilominus tamen quia talis potestas non caret omnino ordine justitiae, conceditur esse a Deo. Et simul sunt haec duo vera secundum diversos respectus, videlicet quod eadem potestas sit usurpata et a Deo collata, absque aliqua repugnantia." *2. dist. 44. a. 2. q. 1. et ad 3—6.* — „Potestas dominandi in homine est solum secundum naturae lapsae statum, licet potestas praesidendi secundum rationem excellentiae, qua vir dominatur uxori, et pater filio, fuerit in statu naturae institutae." — „Dicendum quod potestas dominandi, vel praesidendi, dicitur tripliciter, scilicet largissime, communiter et proprie. Largissime dominandi potestas dicitur respectu omnis rei, qua homo potest ad libitum et votum suum uti; et hoc modo dicitur homo esse dominus possessionum suarum, sive mobilium, sive immobilium. Alio modo potestas praesidendi, sive dominandi, dicit excellentiam potestatis in imperando ei, qui est capax rationis et praecepti. Tertio modo potestas dominandi, sive praesidendi, dicitur potestas coërcendi subditos; et haec potestas dicit quandam arctationem libertatis et talis potestas dominandi proprie dicitur dominium, cui respondet servitus. Primo modo potestas dominandi communis est omni statui, videlicet statui naturae institutae et naturae lapsae et naturae glorificatae; et excellentiori modo fuit in statu naturae institutae, quam sit in statu naturae lapsae. Secundo modo competit statui viae, sive pro statu naturae institutae, sive pro statu naturae lapsae. Si enim homo stetisset, et vir posset imperare uxori, et pater potuisset imperare filio: et hoc reperitur etiam in angelis, quamdiu *sunt administratorii*

*) Conc. Constantiense, inter ceteras, sequentem etiam Wicleffi et Hussii propositionem damnavit: „Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali."

spiritus (Hebr. 1, 14), quia ex illa parte aliquo modo sunt in statu viae. Haec tamen praesidentia non manebit in gloria, sicut in praecedentibus ostensum fuit. Tertio vero modo potestas dominandi in homine est solum secundum naturae lapsae statum, inest enim ei secundum culpae punitionem, non secundum naturae institutionem; et hoc quia servitus sibi correspondens, secundum quod dicunt Sancti, est poena peccati. Et quia isto modo loquimur hîc de potestate dominandi, ideo concedendae sunt rationes ostendentes, quod talis potestas non inest homini secundum primariam conditionem suam, sive secundum statum naturae institutae." — „Ad illud ergo, quod objicitur in contrarium ex textu Genesis *(1, 27)* et ex prima Corinthiorum *(11, 3)*, jam patet responsio; procedunt enim de potestate praesidendi accepta primo et secundo modo, non tertio. Nam etsi mulier sit viro quodam modo inferior ratione infirmioris sexus, nihilominus quia non est creata, ut esset ei in adjutorium ut famula, sed ut socia; hinc est, quod, quamvis dicatur caput ejus, non tamen dicitur dominus, quia ipsa non est ancilla ipsius. Et ideo supra dicit Magister *(dist. decima octava)*, quod mulier ad aequalitatem fuit condita; ideo fuit formata de latere, non de pedibus, vel de capite, ut viri videretur esse socia, non domina, vel ancilla." — „Ad illud quod objicitur, quod praelatio est in angelis, jam patet responsio; quia quamvis unus praesideat alteri, et imperet alteri, et auctoritatem habeat super alterum imperandi ei aliquid, quod pertinet ad officium ministerii, tamen unus angelus non dicitur esse servus alterius angeli; et ideo ex hoc non concluditur, quod potestas dominandi, secundum quod ei correspondet servitus, sit in homine secundum conditionem naturae." — „Ad illud quod objicitur, quod dominium est proprietas dignitatis, dicendum, quod etsi sit proprietas dignitatis in eo, qui praesidet, indignitatem tamen dicit in eo, qui subest; et ideo naturaliter potest convenire homini respectu alterius creaturae inferioris, respectu tamen alterius hominis non convenit naturaliter, sed quodam modo praeternaturaliter, videlicet in punitionem peccati, sicut enim dicit Ambrosius *(de Helia et de jejun. c. 5)*, servitus introducta fuit per peccatum ebrietatis." — Ad illud quod objicitur, quod dominium et servitus facit ad conservationem ordinis naturalis, dicendum quod est ordo, qui respicit naturam secundum omnem statum, et est ordo, qui respicit naturam secundum statum suae conditionis, et est ordo, qui respicit naturam secundum statum suae corruptionis; et secundum hoc quaedam sunt de dictamine naturae simpliciter, quaedam de dictamine naturae secundum statum naturae institutae, quaedam de dictamine naturae secundum statum naturae lapsae. Deum esse honorandum dictat natura secundum omnem statum, omnia esse communia dictat secundum statum naturae institutae, aliquid proprium esse dictat secundum statum naturae lapsae, ad removendas contentiones et lites; sic omnes homines esse servos Dei dictat natura secundum omnem statum. Hominem vero adaequari homini dictat secundum statum suae primae conditionis. Hominem autem homini subjici, et hominem homini famulari, dictat secundum statum corruptionis, ut mali compescantur, et boni defendantur. Nisi enim essent hujusmodi dominia coërcentia malos, propter corruptionem, quae est in natura, unus alterum opprimeret, et communiter homines vivere non possent. Non sic autem esset, si homo mansisset in statu innocentiae, quilibet enim in gradu et statu suo maneret. Et sic patet, quod illa ratio non concludit, quod servitus, vel dominium, respiciat naturam institutam, sed solum quod respiciat naturam lapsam, ubi ordo habet perturbari, et potest per dominium conservari." *Ibid. q. 2. et ad 1—4.* „Christiani terrenis dominis sunt obligati obedire, licet non in omnibus, sed in his, quae non sunt contra Deum; neque in his, quae sunt contra rectam rationem et consuetudinem rectam." — „Dicendum, quod cum servitus opponatur libertati, secundum quod triplex dicitur esse libertas, scilicet a coactione, a culpa et a miseria; sic servitus potest dici tripliciter, quae attenditur in libertatis arctatione. Secundum enim arctationem libertatis a culpa, attenditur servitus peccati, de qua Joannes *(8, 34)*: *Qui facit peccatum, servus est peccati;* et: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore (Rom. 6, 12)*. Secundum vero arctationem libertatis a miseria, attenditur servitus poenae et mortis, de qua dicitur: *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom. 6, 9)*. Secundum autem arctationem libertatis a coactione, attenditur servitus conditionis, de qua dicitur: *Servus vocatus es, non sit tibi curae*; *sed etsi potes liber fieri, magis utere (1. Cor. 7, 21)*. Haec autem servitus attenditur in coarctatione libertatis a coactione, non quantum ad interiorem motum voluntatis, quae cogi non potest, sed quantum ad exteriorem. Unde et servitus introducta fuit in hoc, quod unus alterum vicit, et servituti suae addixit, ut non liceat facere contrarium ejus, quod ipse mandaverit. Cum ergo triplex sit servitus, una habet ortum ab altera; nam non esset servitus poenae, nisi praecessisset servitus culpae; nec servitus conditionis subsequeretur, nisi illa duplex praecederet. Cum ergo aliquis regeneratur in Christo et efficitur christianus, liberatur a servitute peccati; sed tamen non sic liberatur, quin etiam possibilitatem et facilitatem et pronitatem habeat redeundi in idem genus servitutis. Et hinc est, quod propter ejus promotionem et humiliationem reliquit Dominus eidem servitutem mortis et conditionis. Unde ita moriuntur christiani, sicut et alii; et propter pronitatem ad malum, et concupiscentias militantes in membris, ex quibus consurgunt bella et lites *(Jac. 4, 1)*, ita indigent regi a terreno principe, sicut et aliae gentes; et ideo non solum secundum humanam institutionem, sed etiam secundum divinam dispensationem, inter christianos sunt reges et principes, domini et servi; et secundum distinctionem potestatis ei subjiciuntur, et tenentur secundum plus et minus. Et hoc ipse Dominus dicit *(Matth. 22, 21)*: *Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.* Et Apostolus hoc docet, et contrarium praedicantes condemnat. Ait enim sic *(1. Tim. 6, 1. 3—4)*: *Quicumque sunt sub jugo servitutis, dominos suos dignos omni honore arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur . . . Si quis autem aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, superbus est, nihil sciens etc.* Et hoc ipsum probat ad Romanos *(13, 1 et seqq.)*, et in pluribus aliis locis docet et mandat. Et ideo concedendum est, quod christiani sunt terrenis dominis obligati, non tamen in omnibus, sed in his solum, quae non sunt contra Deum;

neque in his omnibus, sed in his, quae secundum rectam consuetudinem statuta sunt rationabiliter, sicut tributa et vectigalia et consimilia.“ — „Ad illud quod objicitur, quod lex evangelica est lex perfectae libertatis, dicendum quod ideo dicitur lex perfectae libertatis, quia liberat a servitute praevaricationis, sive etiam a servitute legis, dum in ea datur spiritus caritatis, qui est spiritus libertatis secundum id, quod dicit Apostolus *(Rom. 8, 15): Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum;* et ideo ex hoc non sequitur, quod qui est sub lege Evangelii, sit liberatus a servitute terreni dominii.“ — „Ad illud quod objicitur, quod Christus ideo per se redimere voluit, ut in pristinam libertatem redigeret, dicendum quod ibi notatur effectus plenus redemptionis factae per Christum; sed tamen illum effectum non plene assequimur in praesenti, quousque *creatura ingemiscit et parturit, donec liberetur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8, 21—22).* Unde hîc inchoatur libertas a culpa, sed ibi consummabitur libertas a miseria et ab omni potestate humana. Unde non sequitur, quod si sumus empti a Christo, propter hoc non sumus servi alterius; quia dominium Christi bene compatitur secum dominium hominis, in his maxime, qui nihil jubent contra Deum, sed non compatitur secum dominium diaboli, vel peccati, secundum illud: *Non potestis duobus dominis servire (Matth. 6, 24);* ideo quamvis redemptione Christi eruamur a servitute mortalis peccati, non tamen eruimur a servitute conditionis, vel mortis.“ *Ibid. a. 3. q. 1. et ad 2 et 5.*

[10] Vide superius *part. IV, cap. 4, not. 3.*

[11] „Legi novae competit justificare triplici modo, formaliter ratione gratiae sacramentalis, in effectu ratione amoris spiritualis, et in exercitio ratione boni operis, ad quod per consilia et praecepta dirigitur; mosaica vero literaliter intelligitur, non spiritualiter; unde illa merito dicitur lex vivificans, haec vero occidens.“ — „Multipliciter dicitur aliquid justificare, sive justificans. Uno modo effective; et sic solus Deus dicitur justificare. Alio modo formaliter; et sic gratia dicitur justificare, quae informat ipsam animam expellendo obliquitatem culpae, et dando rectitudinem justitiae. Tertio modo dicitur aliquid justificans non solum in habitu, verum etiam in effectu; et sic caritas justificat, sive *fides, quae per caritatem operatur (Gal. 5, 6).* Quarto modo dicitur aliquid justificans in ipsius justitiae exercitatione et usu; et hoc modo mandata Dei, in quibus justitia exercetur, justificare dicuntur, quando modo debito observantur. His praesuppositis, intelligendum est, quod in lege veteri tria sunt consideranda, similiter et in lege nova, videlicet moventia, et ista erant promissa; dirigentia, et ista erant praecepta; adjuvantia, et ista erant sacramenta. Quia, secundum quod dicit Hugo, sacramenta sunt adjutoria, ut per praecepta veniatur ad promissa. Similiter haec tria sunt in lege evangelica, sed differenter; quia in lege nova secundum primam faciem ista omnia sunt spiritualia, quia promissa sunt aeterna, praecepta sunt spiritualia, et sacramenta sanctificantia. Et ita promissa excitant hominem ad amorem aeternorum, qui est amor caritatis; praecepta dirigunt sufficienter in via morum, docendo vitare omne peccatum; sacramenta sanant animam a vulneribus peccatorum. Et sic legi evangelicae competit justificare secundum triplicem modum, videlicet formaliter, ratione gratiae sacramentalis; et in effectu, ratione amoris spiritualis; et exercitio, ratione multiplicis boni operis, ad quod dirigitur homo per consilia et praecepta. In lege autem veteri erat aliter haec tria considerare. Quoniam lex vetus potest dupliciter observari et intelligi, videlicet secundum intellectum spiritualem; et sic quodam modo concordat cum lege evangelica; et qui spiritaliter legem observabant, viri evangelici erant, quia lex praegnans erat Evangelio. Alio modo potest observari secundum intellectum litteralem; et sic ab Evangelio distinguitur secundum tria praedicta, quia in lege erant promissa temporalia, et praecepta exterius regulantia, et sacramenta figuralia; et sic ratione promissorum non excitabatur homo ad amorem spiritualem, ratione praeceptorum non dirigebatur ad justitiam interiorem, ratione sacramentorum non adjuvabatur, ut posset faciliter legem ipsam implere; et ideo deerat sibi justificatio. Et quia erat ibi ostensio culpae, et non aderat adjutorium gratiae, dabatur per consequens occasio ipsi concupiscentiae, ut traheret ad mortem. Et ideo lex mosaica secundum litteralem sensum dicitur lex occidens per occasionem, non per causam. Et hoc ipsum dicit textus: *Peccatum, per mandatum occasione accepta, seduxit me, et per illud occidit (Rom. 7, 11).* Ibi Glossa: Ex prohibitione namque, ubi caritas deficit, desiderium mali crescit, quo aucto, dulcius fit, quod prohibetur, et ideo peccatum fallit dulcedine falsa; et ita peccatum per mandatum occidit, quia reatus praevaricationis accessit. Gladio ergo, quem portabas, inimicus te occidit, armis tuis te interemit. Unde sicut cum quis armatus portat cultellum, ut se defendat, per quem ab inimico occiditur, illa cultelli portatione dicitur occidi, non per causam, sed per occasionem; sic intelligendum est in lege: et sic patet intellectus praedictae differentiae.“ *3. dist. 40. a. 1. q. 2.*

[12] „Est notandum quod, cum comparamus has leges ad invicem, hoc potest esse dupliciter, vel secundum statum communem, vel habito respectu ad statum specialis personae. Si habito respectu ad statum specialis personae, sic penes haec duo non est differentia. Nam multi in lege evangelica ducuntur spiritu timoris, multi etiam in lege veteri ducebantur spiritu amoris. Si vero comparamus has leges ad invicem, habito respectu ad statum communem; sic, quia lex mosaica respiciebat statum imperfectionis, quia neminem *ad perfectum adduxit lex,* secundum quod dicit Apostolus *(Hebr. 7, 19),* Evangelium vero respicit statum perfectionis, secundum quod dicitur: *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est (Matth. 5, 48);* et imperfectorum est duci spiritu timoris, perfectorum vero spiritu amoris; hinc est, quod secundum statum communem penes haec duo habet harum duarum legum differentia assignari. Signum autem hujus differentiae apprehenditur in modo ferendi hanc duplicem legem. Quia lex vetus data fuit cum clamore magno et timore, secundum quod dicitur, ita quod populus non audebat appropinquare *(Exod. 19, 16);* lex autem Evangelii data est cum magna benignitate et dulcedine, quoniam ipse rex regum in medio discipulorum sedens docebat eos, dicens: *Beati pauperes spiritu etc. (Matth. 5, 3).* Et hic diversus modus ferendi legem insinuat nobis diversitatem hujus

duplicis radicis in observando. Quae his duabus legibus competebat propter diversam qualitatem personarum, et statum earum, ob quam oportebat diversimode manuduci. Unde sicut videmus in disciplinalibus, quod ad homines persuasibiles utendum est syllogismo ostensivo, qui ducit directe ad verum; ad homines vero contentiosos utendum est syllogismo per impossibile, qui ducit ad manifestum falsum, ut per illud reducat ad verum; sic quia in tempore legis veteris erant homines durae cervicis, et ad malum proni, Dominus proposuit comminationes, et taxavit etiam graves poenas, ut per hoc incuteret eis timorem, per quem a malo revocarentur, et ad bonum stimularentur. Sed postmodum, apparente benignitate et humanitate salvatoris nostri Dei *(Tit. 3, 4)*, coeperunt homines esse persuasibiles; et ideo proposuit eis Dominus magnas et multas promissiones, per quarum amorem et desiderium alliceret eos ad faciendum bonum. Et propterea lex vetus dicitur lex timoris, lex Evangelii dicitur lex amoris, secundum testimonium Apostoli et beati Augustini." *3. dist. 40. a. 1. q. 1.*

[13] „Ecclesia est convocatio rationalium, Synagoga autem est congregatio gregum et hominum brutaliter viventium." *Serm. 1. in Hexaëm. in princ.*

[14] „Lex evangelica, quoad difficultatem et arduitatem praeceptorum, est gravior veteri, quoad numerum vero est e contra; sed ratione moventis amoris, et ratione sacramentorum adjuvantium, est levior lege veteri." — „De his duabus legibus est loqui tripliciter, aut ratione praeceptorum obligantium, aut ratione affectionum moventium, aut ratione sacramentorum adjuvantium. Si ratione praeceptorum obligantium, sic se habent sicut excedentia et excessa. Nam quantum ad numerum lex erat gravior propter multitudinem judicialium et caeremonialium; quantum vero ad perfectionem et arduitatem gravius et difficilius est Evangelium, sicut difficilius est vivere secundum exigentiam perfectionis, quam secundum sufficientiam juris communis. Et sic quodam modo ratione oneris praeceptorum excedit lex in difficultate, quodam modo Evangelium. Alio modo est comparare istas duas leges ad invicem ratione affectionum moventium; et sic levius est Evangelium, quia cum in observantia legis evangelicae moveatur amor, qui alleviat onus, et non sentit laborem, sicut dicit Bernardus *(de nat. amoris Dei, c. 5)*, sed potius delectationem in eo, quod facit, ratione affectionis moventis, lex evangelica est facilis et suavis. Sed e contra affectio movens ad observantiam legis mosaicae timor erat, et illi timori juncta erat gravis punitio, quod significatum est, ubi dicitur, quod *manus Moysi erant graves (Exod. 17, 12)*. Et quia timor de se poenam habet, et exterius junctus est poenae; hinc est, quod quantum ad hoc lex mosaica multo gravior erat quam lex evangelica. Tertio modo est istas leges comparare ad invicem, ratione sacramentorum adjuvantium; et sic multo levior est lex evangelica quam mosaica, quia sacramenta illius legis multum habebant ponderis, et parum de efficacia virtutis; e contra est in sacramentis novae legis, quae parvam habent difficultatem, et multam habent utilitatem. Hinc est, quod secundum hanc comparationem lex nova non tantummodo dicitur levior lege mosaica, imo dicitur jugum levitatis, et illa dicitur onus gravitatis. Unde concedendum est praedictam differentiam esse recte assignatam." *3. dist. 40. a. 1. q. 3.*

[15] Ab iis enim „pullulant omnia alia mandata et leges et jura totius mundi, quae rite et ordinate sunt instituta, sive canonica, sive civilia." *De decem praeceptis c. 2.* Suppl. *vol. III.*

[16] „In prima tabula tria fuerunt praecepta ordinantia ad Deum, quorum sufficientia potest sumi penes subjectum, quod est triplex in nobis, scilicet potentia irascibilis, quae ordinatur per praeceptum de protestatione veritatis; potentia concupiscibilis, quae ordinatur per praeceptum de sabbatizatione mentis; potentia rationalis, quae ordinatur per praeceptum de ordinatione majestatis. Potest etiam sumi penes objectum, quod est triplex in divinis, scilicet summa majestas reverenda, respectu cujus est primum; summa veritas profitenda, respectu cujus est secundum; summa bonitas diligenda, respectu cujus est tertium. Potest sumi nihilominus penes actum intermedium, qui est triplex, scilicet actus operis, qui exercetur in primo mandato per actualem adorationem; actus oris, qui exercetur in secundo per sermocinalem prolationem; actus cordis, qui exercetur in tertio per affectualem dilectionem. Non potest bene sabbatum, id est, quietem mentis, celebrare, qui per quietem continuam non studet omne peccatum mortale declinare." *Centiloq. p. 3. sect. 33.*

[17] „Dominus in mandato primo praecipit se adorari, et se solum adorari; ideo praecipit latriam, et prohibet idololatriam. Et quoniam idololatria dupliciter consuevit apud antiquos committi, vel in hoc quod fingebant novam sculpturam, cujus non erat reperire omnino simile extra, ut ostenderetur, quod specialis et singularis cultus esset ei exhibendus; vel quando fiebat aliqua imago, quae esset repraesentatio alicujus rei extra, quam quis crederet in illa imagine esse venerandam; ideo ut haec duo prohibeat, tangit illa duo in prohibitione idololatriae, secundum quod dicit Magister in littera. Ad illud vero quod objicitur, quod nihil est in anima, quod prius non fuerit susceptum a sensu, dicendum quod illud verbum intelligendum est, quod anima non habet aliquam similitudinem, quam non susceperit ab extra, vel secundum totum, vel secundum partem. Cum ergo dicitur, quod forma idoli non habet similitudinem extra, hoc intelligitur secundum totum; habet tamen secundum partem, sicut patet de chimaera et hircocervo et monte aureo. Anima enim facit novas res, et secundum quod fingit interius, sic etiam depingit et sculpit exterius. Ad illud quod objicitur, quod idolum non debet dici nihil, imo aliquid, cum sit artificiatum, dicendum quod dupliciter est loqui de idolo, aut quantum ad materiam et formam, quam sibi artifex imprimit, aut quantum ad divinitatis excellentiam, quam ipsi idolo idololatra credendo attribuit. Primo modo dicitur nihil esse in mundo ab origine, non quia nihil omnino sit in seipso, sed quia nihil habet sibi simile correspondens in universo. Quantum autem ad excellentiam divinitatis, quam ei idololatra assignat, omnino nihil est nisi in sola fictione et falsa aestimatione idololatrantis, quae omnino super vanum et nihil fundata est, quia idolum nihil omnino habet divinitatis. Ad illud quod objicitur, quod illud praeceptum videtur solum pertinere ad artifices, dicendum quod in verbo illo non solum Dominus intendit prohibere idoli fabricationem,

sed omnem idoli venerationem. Et in hoc etiam includitur, quod vult omnem latriae cultum sibi soli deferri. Et praemittitur: *Deus tuus, Deus unus est;* unus enim solus Deus et verus est adorandus. Unde praeceptum illud plus habet affirmationis, quam negationis. Nec implet illud mandatum quis, si solummodo desistat ab idololatria, quia ibi praecipitur adoratio, quae soli Deo est exhibenda." *3. dist. 37. dub. 1.*

[18] „Sicut per primum mandatum ordinatur homo respectu summae majestatis, quae appropriatur Patri; sic etiam per secundum ordinatur homo respectu summae veritatis, quae appropriatur Filio. Ordinatio autem ista attenditur in ipsius veritatis confessione, sine alicujus falsitatis admixtione; ita quod nec de ipsa falsum credatur, nec ipsa ad confirmandum falsum assumatur. Unde prohibetur in mandato illo secundum litteralem sensum falsitas jurationis per nomen Dei; secundum spiritualem vero prohibetur falsitas erroris circa fidei veritatem. Et his duobus modis Magister in littera exponit secundum litteram et secundum allegoriam. Ad illud quod objicitur, quod perjurium est contra mandatum quintum secundae tabulae, dicendum quod duo est considerare in falso testimonio. Unum videlicet, quod sit injuria summae veritati, quae in falso testimonio advocatur; aliud quod fit injuria proximo, qui ex falso testimonio damnificatur. Et ratione primi prohibetur perjurium in secundo mandato primae tabulae; ratione secundi in quinto mandato secundae. Ad illud quod objicitur, quod vanum est illud, quod frustra fit, dicendum quod aliquando est quid vanum, quantum est de se, et de propria intentione, aliquando est aliquid vanum ex accidenti. Tunc autem nomen Dei assumitur in vanum, quando assumitur ad confirmationem alicujus sermonis falsi; et qui hoc modo assumit, peccat contra illud mandatum. Quando vero assumitur ad confirmationem alicujus veri, quamvis sermo ille sit otiosus, tamen assumptio illa non est usquequaque in vanum, quia ordinatur ad hoc, ut quis adhibeat fidem verbo loquentis, quam etsi quis non assequatur in altero, non tamen omnino operatur frustra, sicut nec orator, si per compositos et ordinatos sermones non semper persuadeat verum; tamen frequens juratio nominis Dei, ubi nulla est necessitas vel utilitas expressa, non omnino caret culpa, imo valde est reprehensibilis, maxime in viris perfectis." *3. dist. 37. dub. 2.* — „Juramentum comparatur ad tria, videlicet ad jurantem a quo procedit, ad rem de qua fit, et ad causam pro qua. Secundum comparationem ad eum, a quo egreditur, debetur sibi judicium; secundum comparationem ad rem, de qua fit, debetur sibi veritas, ut sit adaequatio rei et sermonis; secundum vero comparationem ad causam de qua, sic debetur sibi justitia, ut pro justa causa fiat." *3. dist. 39. dub. 1.* — „Perjurium oppositum juramento assertorio universaliter claudit in se mendacium, accipiendo mendacium extenso vocabulo, non autem si proprio sumatur." — „Perjurium est ita de se et secundum se malum, quod nullo modo potest bene fieri, cum saepe includat mendacium, semper autem injuriam primae veritati." *Ibid. a. 1. qq. 1. 2.* — „Jurare per Deum est licitum." — „Aliqui dicere voluerunt, quod omne juramentum est illicitum, non solum per creaturam, sed etiam per ipsum Deum; et hoc fuit et est positio haereticorum Manichaeorum, qui sui erroris occasionem sumpserunt ex verbo Domini *(Matth. 5, 33)*, et ex eo quod dicitur in Jacobo *(5, 12)*. Quod quidem verbum male intellexerunt dupliciter, primo quia crediderunt, quod Dominus ipsum juramentum prohiberet tanquam de se malum; secundo, quia intellexerunt per hoc, quod dicitur: *Non jurabis omnino (Matth. 5, 34)*, quod Dominus omne juramentum prohiberet. Et in primo erraverunt, quoniam si lex evangelica non prohibet nisi quod malum est de se, jurare autem per Deum, et adducere ipsam veritatem in testimonium, nec est contra rationem rectam, nec contra consuetudinem bonam, nec contra legem Dei, maxime cum lex divina dicat: *Reddes Domino juramenta tua (Matth. 5, 33)*, quam legem ipsi impii Manichaei dicunt a malo Deo esse latam. In eo quod intelligebant Dominum juramentum prohibere per se, errabant, quia credebant praecepta Evangelii repugnare praeceptis legis veteris, repugnare etiam rationi rectae et moribus bonis. Unde et ipsorum errorem elidens Augustinus, dicit quod juramentum non fuit prohibitum propter se, sed propter vitandum perjurium. Ait enim sic ad Publicolam *(Ep. 154)*: Dictum est in novo Testamento, ne omnino juremus, quod mihi propterea dictum videtur, non quod jurare sit peccatum, sed quia perjurare est immane peccatum, a quo nos longe esse voluit, qui ne omnino juraremus commonuit. In alio etiam errabant, quia credebant jurationem universaliter esse prohibitam. Et iste error venit ex manifesta ignorantia, quia nescierunt intelligere, quod alium sensum facit negatio praeposita signo universali, alium sensum facit postposita. Praeposita enim facit aequipollere particulari negativae, postposita suo contrario. Unde differt dicere: Non omnis homo currit; et omnis homo non currit. Dominus autem non dixit: Omnino non jurabis, sed *non jurabis omnino*. Unde non prohibuit omnem jurationem, sed prohibuit, quod non esset omni modo, et sine omni causa jurandum. Et ideo, isto errore abjecto tanquam irrationali et pernicioso, concedendum est, quod licitum est jurare per Deum. Et hoc communiter tenet universitas fidelium. Quia tamen non sic est licitum, quin aliquo modo possit esse illicitum, dubium est inter doctores, utrum jurare per Deum dicat actum bonum in genere, aut actum indifferentem. Et aliquibus visum fuit, quod jurare per Deum est actus bonus in genere, ratione tamen pronitatis ipsius jurantis, malus est per occasionem. Dicunt enim illum actum esse bonum in genere, pro eo quod actus transit super materiam debitam, quia invocare in testimonium recte, transit super ipsam veritatem. Aliis autem videtur, quod jurare per Deum de se sit indifferens, quia divina veritas potest invocari per juramentum in testimonium veritatis et in testimonium falsitatis; et unum est bonum et alterum malum, quia in uno fit reverentia, in altero injuria. Unde nota, quod quidam sunt actus, qui pertinent ad divinum cultum, ut laudare Deum; et isti sunt boni per se et secundum se. Quidam vero sunt actus, qui sunt ad oppositum; et isti sunt per se mali, ut blasphemare Deum. Quidam autem sunt medio modo, sicut actus jurandi, qui, si fiat reverenter, est ad cultum Dei; si fiat irreverenter, est ad oppositum. Ideo dicunt, quod jurare per Deum licitum est, sicut indifferens, quod potest fieri bene et male. Et quia indifferens diversis ex causis potest

esse occasio cadendi in malum, et vitandi malum; hinc est, quod Dominus aliquando movet et inducit homines ad jurandum per Deum, aliquando retrahit. In veteri lege inducebat ad jurandum per Deum, ut per hoc revocarentur a juramento idolorum, cum dicebat: *Reddes Domino juramenta tua.* In nova lege retrahit, ut ostendat perjurium esse fugiendum. Et pro tanto, juxta hunc modum dicendi, satis rationabiliter videtur, quod jurare per Deum sit licitum, tanquam indifferens. Sive autem sit indifferens, sive bonum in genere, quia utrumque potest dici satis probabiliter, hoc pro certo tenendum est, quod licitum est per Deum jurare.“ *3. dist. 39. a. 2. q. 1.* — „Jurare per creaturas est licitum, sive imprecando, sive earum Creatorem in testimonium invocando.“ — „Juramentum assertorium dupliciter habet fieri, quoddam per imprecationem, quoddam per ipsius veritatis testimonii invocationem. Per imprecationem autem juratur, cum dicitur: Ita vivat filius meus, vel pater; et hoc est dicere: Nisi ego implevero, quod promitto, vel nisi implevero, quod juro, non vivat filius vel pater meus. Et in hac forma jurandi creatura ad testificandum non invocatur, sed potius ipsi Creatori oppignoratur, secundum quod dicit Augustinus *(de verb. Apost. ser. 28).* Et hoc quidem est licitum; quia quamvis omnis creatura sit ipsius Creatoris, tamen bonum, vel solatium, quod ex creatura percipimus, et a Deo nobis concessum est, Deo tanquam nostrum oppignorare possumus; et ideo licita est haec forma, licet hoc juramenti genus, secundum quod dicit Augustinus in litera, sit gravissimum. Illud vero juramentum fit per ipsius veritatis testimonii invocationem, quando aliquis jurat per aliquem, ad invocandum illum in testem. Potest autem creatura dupliciter advocari in testimonium, aut secundum se, aut in quantum est vestigium veritatis divinae. Si secundum se, hoc modo non licet; quia sic crederetur, quod aliquid divinum esset in ea, ratione cujus veritas dicti possit per hujusmodi testimonium confirmari. Secundo vero modo, in quantum in ea relucet vestigium divinae veritatis, licitum est jurare per creaturam. Hoc enim nihil aliud est, quam jurare per eum, qui in creatura relucet; et tunc non veneratur quis creaturam, sed Creatorem. Unde sicut honor, qui exhibetur imagini, refertur ad prototypum, id est ad exemplar primum, sicut dicit Damascenus *(lib. 4. de orth. fid. c. 17);* ita hoc modo juratio facta per creaturam refertur ad ipsarum creaturarum auctorem ... Sciendum, quod Sancti non tam per creaturas, quam per creaturarum auctorem jurabant; nec in creaturis aliud, quam ipsarum Creatorem venerabantur, sicut Joseph, qui per Pharaonem jurando, hoc in eo venerabatur, quod Dei judicio positus erat in infimis. Et quoniam in omni creatura isto modo relucet Deus, per creaturam omnem licite potest fieri hoc modo juramentum. Quia vero principaliter relucet in Sanctis, et maxime in verbis evangelicae legis, per quae divina nobis veritas illuxit; hinc est, quod per Sanctos, et maxime per Evangelia, consuevit frequentari forma jurationis, qua quidem juratur per creaturam. Concedendum est igitur, quod per creaturam licitum est jurare, sive imprecando, sive Creatorem ejus in testimonium invocando.“ *Ibid. q. 5.* — „Quamquam sit illicitum per idola jurare, cum talis forma sit prohibita; tamen ubi necessitas vel communis utilitas affuerit, licet tale juramentum recipere.“ — „Dicendum quod contingit idololatram jurare in forma concessa, et in forma prohibita. Si jurat in forma concessa, non jurat secundum quod idololatra; et hoc modo in quodam casu licet ab eo juramentum recipere, in quodam vero minime. Quia ille, qui exigit, aut est persona publica, aut privata. Si publica est, quantum est ex ordine juris, potest et debet exigere secundum quod judex. Si vero privata est, hoc tripliciter potest exigere, aut enim exigit ad veritatis confirmationem, aut in veritatis subversionem, aut ad suae dubitationis remotionem. Primo modo potest exigi juramentum sine aliquo peccato, videlicet cum ad hoc exigitur solum, ut firmior et stabilior sit ipsa promissio et veritatis assertio. Cum autem exigit in veritatis subversionem, hoc non potest esse sine mortali peccato; et illud est, quando compellit aliquem jurare, quem novit jurare falsum. Cum vero exigit propter dubitationis suae remotionem, quia suspicatur, ne homo sine juramento dicat sibi falsitatem, tunc si suspicio illa stat in generali, sic talis exactio tenet potius rationem poenae, quam culpae. Si vero descendat ad speciale, sic est peccatum veniale, dum de proximo suo malam habet suspicionem. Et propterea dicit Glossa: Quod amplius est, a malo est, scilicet non credentis; non, inquam, semper a malo culpae, sed etiam a malo poenae. Et sic in forma concessa licet jura mentum recipere ab idololatris et infidelibus, sicut etiam a christianis et fidelibus. Et hoc non quaeritur principaliter in proposita quaestione, sed quaestio principalis est de juramento, quo quis idololatra jurat per idolum et in forma non concessa, utrum illud sit recipiendum. Et ad hujus intelligentiam est notandum, quod in juramento facto per idolum est duo considerare, videlicet ipsius idoli venerationem, et exterioris verbi confirmationem. Habendo respectum ad primum, nulli licet juramentum ab idololatra recipere, nec exigere, nec facere; quia idoli veneratio est omnino detestanda. Si vero habeatur respectus ad secundum, sic licitum est ab eis recipere juramentum, maxime pro utilitate communi. Et sic recepit Jacob pro pace suae posteritatis, et Judas pro pace gentis suae; et sic christiani a Saracenis recipiunt pro pace et utilitate communitatis. Unde quamvis illicitum sit jurare per idolum, quia forma illa est prohibita; tamen ubi necessitas, vel communis utilitas hoc requirit, licitum est recipere juramentum tale.“ *Ibid. q. 3.* — „Juramentum dolosum in foro Dei non obligat, licet in foro Ecclesiae obligare non sit dubium.“ *Ibid. a. 3. q. 1.* — „Juramentum coactum in foro Dei obligatorium est, licet in foro Ecclesiae non obliget.“ *Ibid. q. 2.* — „Juramentum incautum vergens in salutis detrimentum, vel impedimentum perfectionis, directe non est obligatorium.“ — „Multipliciter contingit juramentum esse juramentum incautum. Primo modo, quando juratur aliquid, quod simpliciter vergit in salutis detrimentum; sicut cum aliquis jurat se facturum aliquid, quod non potest sine peccato mortali consummari. Secundo modo dicitur juramentum esse incautum, cum quis jurat aliquid, quod vergit in salutis suae dispendium, et perfectionis impedimentum; ut puta cum jurat quis se numquam intraturum religionem. Tertio modo dicitur juramentum incautum, cum quis jurat aliquid in omnem eventum, quod uno casu contingente vergit in salutis di-

spendium, alio casu contingente vergit in salutis profectum: sicut cum jurat aliquis se numquam recepturum praelationem, quod quidem est in salutis dispendium, si utilis sit, et canonice eligatur, et a majori sibi injungatur; tunc autem vertit in salutis profectum, si sit persona inutilis sibi et aliis ad statum illum promoveri. Si ergo loquamur de juramento incauto primo modo, sic absque dubio non est licitum nec obligatorium; imo qui ipsum observat, committit peccatum. Si vero loquamur de juramento incauto secundo modo; sic nec est licitum, nec obligatorium, licet ipsum observare non sit peccatum, quia non est peccatum non intrare religionem; grave tamen peccatum est jurare se numquam ascensurum ad gradum perfectionis, quia in hoc quodam modo impugnat ipsius justitiae perfectionem, et Spiritus sancti inspirationem. Si vero loquamur de juramento tertio modo, sic uno casu contingente est observandum, videlicet quando vergit in salutis profectum. Alio casu contingente est illicitum et non observandum, videlicet cum vergit in salutis detrimentum. Et per hoc patet responsio ad quaestionem propositam.“ *Ibid. a. 3. q. 3.*

[19] „In mandato sabbati erat duo considerare, videlicet cessationem ab opere servili, ut homo Deo libere vacaret et intenderet; aliud erat ibi considerare, videlicet significationem diei, et determinationem operum exteriorum, a quibus erat cessandum. Quantum ad primum mandatum de sabbato, erat morale; hoc enim omni tempore Dominus requisivit, ut homo sibi habitaculum cordis praepararet, et eidem aliquando vacaret, ut per dilectionem eidem adhaereret. Et quantum ad hoc non tantum erat morale, sed etiam quodam modo faciebat ad aliorum moralium integram impletionem, quia dum homo vacat sibi et Deo, melius cognoscit quid agendum, et quid est faciendum; et propterea isti mandato specialiter praemittitur *memento,* quia in ejus memoratione cetera memorantur. Aliud vero est ibi diei significatio et determinatio operis; et quantum ad hoc caeremoniale est et figurale, signans a quo cessandum est, quoniam ab opere peccati; et quid credendum et exspectandum, videlicet quies passionis Christi in sepulchro, et quantum ad hoc reponi habet inter caeremonialia. Et haec est ratio, quare mandatum illud frequentius in lege exprimitur, quam aliquod aliorum, quia secundum diversas sui conditiones spectat ad diversa genera mandatorum. Unde aliquando nominatur inter caeremonialia, et aliquando inter moralia; et in quantum morale est, manet in lege nova; in quantum caeremoniale, evacuatum est veritate adveniente. Unde observantia sabbati evacuata est in lege nova, observantia vero diei dominicae et aliarum solemnitatum alia causa est introducta, videlicet in memoriam beneficii redemptionis, et in praefigurationem futurae resurrectionis, et in amotionem erroris; quia secundum gentiles dies dominicus primus est, cum principio illius diei incipiat dominari principalis planeta, ut dicunt, scilicet sol, propter quod vocabant eum diem solis, et exhibebant ei venerationem. Ut igitur ille error excluderetur, et reverentia cultus soli Deo exhiberetur, praefixa fuit dies dominica, in qua populus christianus vacaret cultui Dei, et praetermitteret negotia terrena, quae animam distrahunt, ne Deo intendat. Unde illa opera praecipue inhibentur ab ipsa Ecclesia, et talia dicuntur opera servilia, illa maxime, in quibus homo inhiat terrenis lucris, et quae sunt praeter necessitatem, per quae anima maxime detinetur circa haec inferiora, ne se, nec Deum suum recolat. Nec tantum hujusmodi opera servilia prohibentur, imo magis et diligentius opera carnalia, sicut ebrietates, lites et jurgia, quae maxime libertati spiritus repugnant. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(lib. de decem chordis, c. 3):* Dicitur tibi, ut spiritualiter observes sabbatum, non quomodo Judaei observant carnali otio, observare enim volunt ad nugas atque luxurias suas. Melius enim faceret Judaeus in agro suo aliquid utile, quam quod in theatris seditionibus insisteret. Et melius feminae eorum in die sabbati lanam facerent, quam tota die in neomeniis suis impudice saltent. Hoc autem dicit, non quia non sit cessandum in diebus solemnibus a negotiis actuum exteriorum, sed quia ipsi sacerdotes et praelati Ecclesiae, quorum est hujusmodi festas indicere, et determinare quo modo et qualiter sit cessandum ab exteriori opere, magis debent revocare ab his, quae majorem peccandi praebent occasionem. Unde propter vitandum otium, vel ineptum solatium, dicit Augustinus, quod exercere magis se debent in operibus pietatis et misericordiae, quam negotiis inordinatis et lascivis intendere, propter quod in diebus illis debent ecclesias frequentare, missas audire, beneficia Dei recolere, verba praedicationis audire, et spiritualibus documentis seipsos imbuere: et hoc est Deo subjacere.“ *3. dist. 37. dub. 3.*

[20] „In hoc mandato praecipitur ordinatio hominis ad proximum suum secundum beneficentiam. Et quoniam exhibitio beneficentiae attenditur secundum ordinem caritatis, et in ordine caritatis priores sunt parentes; hinc est, quod Dominus simul volens insinuare obligationem, potius expressit de parentibus, quam de aliis proximis, nomine parentum etiam alios proximos volens intelligere. Alia est ratio, quia cum aliis personis debeamus beneficentiam, parentibus nostris non tantum debemus beneficentiam, sed etiam honoris reverentiam. Ideo ut simul utraque in unum clauderet, maluit legislator parentes quam alios homines exprimere. Tertia etiam ratio est, quia parentes post generationem filiorum frequenter perveniunt ad senium et ad aetatem decrepitam; et maxime pro illo tempore indigent foveri et sustentari, cum aliis sint graves et onerosi. Ideo propter servandum caritatis ordinem, et insinuandam juris obligationem, et propter necessitatis indigentiae relevationem maluit parentes exprimere, quam alios homines. Et per hoc patet responsio ad illud, quod objicitur de filiis. Illud enim non oportuit expresse explicari, quia omnes ad hoc per naturam sunt satis proni. Et similiter patet responsio ad illud de aliis proximis, et ad illud similiter, quod objicitur de verbo honorandi. Ad illud quod quaeritur, quare huic mandato specialiter promittitur longaevitas vitae, dicendum quod in isto mandato praecipitur opus pietatis, de qua dicit Apostolus *(1. Tim. 4, 8): Quia promissionem est habens vitae, quae nunc est et futurae.* Unde populo carnali promittebatur vita praesens, spirituali non tantum praesens, sed etiam futura. Et si quaeras, quare magis pietati promittitur quam alii, dicendum quod hoc est propter commendationem ipsius misericordiae, in cujus actu maxime meretur homo Dei misericordiam et gratiam. Et magis promittitur vita quam

aliud donum, propter hoc quod illa est, quae maxime amatur; et ut homo exspectans longaevitatem vitae non abhorreat longam vitam parentum. Alia etiam ratio potest reddi de ista promissione, quia Judaei maxime proni erant ad idololatriam et avaritiam, quae est quaedam idololatria; ideo illi praecepto, quod est de idololatria, subjungitur comminatio; et illi praecepto, quod est de beneficentia, quae est contra avaritiam, subjungitur promissio; ut per comminationem retraherentur a malo, et per promissionem attraherentur ad bonum. Posset etiam dici, quod comminatio posita circa primum praeceptum primae tabulae refertur ad alia, similiter et promissio circa primum praeceptum secundae; et ideo non oportuit iterare." *3. dist. 37. dub. 4.*

[21] „Dupliciter est loqui de intelligentia hujus mandati, videlicet secundum intellectum legislatoris, vel secundum intellectum carnalis populi. Si secundum intellectum legislatoris, sic utique prohibetur homicidium exterius, et voluntas deliberativa ordinata ad laedendum proximum ex iracundia. Unde prohibetur ira cum consensu deliberativo in animo, et cum expressione exterius in verbo et signo, et cum perpetratione in facto. Si vero intelligatur secundum intellectum carnalis populi, qui solum reputabat illud prohiberi, pro quo inferebatur poena ab ipsa lege; sic intelligebatur prohiberi progressus ad opus homicidii. Et hunc intellectum dicit Magister litteralem, non quia intellectus alius non esset de principali ratione ferentis legem, sed quia claudebatur ibi implicite. Et quoniam illius explicatio facta est in lege Evangelii; ideo dicit Magister superadditionem illi mandato esse factam, non quia novum aliquid praecipiatur, sed quia intellectus praedicti mandati explicatur, dum non tantum datur intelligi in praedicto mandato prohiberi perpetrationem homicidii in opere, sed etiam offensam in corde, ostensionem in signo et expressionem in verbo, propter quod tria dicit: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue,* ubi est expressio verbi, *reus erit gehennae ignis (Matth. 5, 22).* Ubi dat intelligere triplicem gradum peccati iracundiae, praecedentis homicidii consummationem. Et per hoc patet responsio ad primum objectum. Ad illud vero quod objicitur, quod per judiciale praecipit interficere maleficos *(Exod. 22, 18),* dicendum quod nulla est ibi contradictio; quia in uno prohibetur homicidium innocentis et justi, in alio praecipitur occisio malefici. In uno etiam prohibetur homicidium ex propria auctoritate, in alio injungitur ex auctoritate legis; et ista duo non habent oppositionem, nec repugnantiam. Ad illud quod quaeritur, cujus occisio prohibeatur ibi, dicendum quod prohibetur ibi occisio viventis in rationali, sive sui, sive alterius; unde qui seipsum interficit, facit contra mandatum praedictum. Unde nimis extendunt haeretici praedictum mandatum ad vitam cujuslibet animalis bruti. Illa enim licet occidere, pro eo quod data sunt homini in escam et subsidium temporale, et secundum quod dicitur in Genesi *(9, 3).*" *3. dist. 37. dub. 5.*

[22] „Mendacium, cum nominet ipsum dictum in comparatione ad rem, et ad ipsum dicentem, ad completam ejus rationem duplex concurrit falsitas, altera respectu rei, altera respectu intentionis loquentis." — „Dictum exterius prolatum comparatur ad intentionem dicentis, et ad ipsam rem significatam; et secundum hoc sortitur dictum illud rationem duplicis falsitatis vel veritatis. Nam per comparationem ad rem dicitur verus sermo, per comparationem autem ad intentionem dicentis dicitur verax. Sic etiam falsitas duplex est circa sermonem. Nam per comparationem ad rem, videlicet cum non est adaequatio rei et sermonis, dicitur sermo falsus, per comparationem vero ad intentionem dicentis, cum non est adaequatio sermonis et intentionis, dicitur sermo fallax, sive mendax. Quoniam igitur mendacium nominat ipsum dictum per comparationem ad rem, et ad ipsum dicentem; hinc est, quod ad completam mendacii rationem duplex falsitas concurrit, una per comparationem ad rem, et altera per comparationem ad intentionem loquentis. Et hanc duplicem falsitatem tangit Augustinus in diffinitione mendacii *(contr. mend. c. 12),* cum dicit: Mendacium est falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. Prima autem falsitas tenet in ipso mendacio rationem materialis, secunda vero rationem formalis, et ab illa secunda denominatur quis mendax. Ergo propter hanc duplicem comparationem, quam importat ipsum mendacium de ratione sui nominis, necesse est ad ejus completam rationem concurrere praedictam duplicem differentiam falsitatis. Mentiri autem dicit actum per comparationem ad ipsum loquentem; unde ad hoc quod aliquis dicatur mentiri, sufficit falsitas, quae concurrit ex discordia vocis et intentionis. Et hoc patet ex ipsa diffinitione vocabuli, quia mentiri est contra mentem ire. Contra autem mentem vadit non solum ille, qui dicit falsum scienter, sed etiam qui dicit verum, quod putat esse falsum. Unde minus importatur, cum dicimus aliquem mentiri, quam quando dicimus aliquem dicere mendacium. Quamvis enim intentio fallendi sufficiat ad hoc, ut aliquis dicatur mentiri; non tamen sufficit ad plenam rationem mendacii, secundum quod dicit Magister in litera, et manifeste apparet ex ipsa notificatione Augustini, et rationibus ad primam partem adductis." — „Ad illud quod objicitur, quod qui facit bonum mala intentione, committit peccatum; ergo etc; dicendum, quod bonum mala intentione factum non est simpliciter peccatum, sed peccatum illi, qui facit. Sicut cum quis dat eleemosynam ex vana gloria, dare eleemosynam non est peccatum, sed illi qui mala intentione hoc facit; sic et in proposito potest concedi. Sed praeterea ex hoc non habetur, quod veritas simul stet cum eo, quod est mendacium simpliciter, sed tantum alicui. Aliter etiam potest dici, quod non est simile; quia peccatum dicit privationem bonitatis, bonitas autem dicit ordinationem in finem, quae quidem habet esse mediante recta intentione. Et ideo, recta intentione sublata, cum simpliciter pereat ordinatio, simpliciter judicabitur aliquid esse peccatum; mendacium autem dicit privationem veritatis, quae quidem non tantum consistit in comparatione ipsius sermonis ad intentionem, sed etiam ad ipsam rem. Et per hoc patet responsio ad illud, quod objicitur consequenter, quod quicumque peccat, peccatum committit; ergo qui mentitur, similiter committit mendacium. Non enim est simile, sicut jam visum est. Esto tamen, quod ista conclusio concederetur, quod iste mentiendo committeret mendacium; non tamen sequeretur, quod esset mendacium in se; imo est ibi quid et simpliciter, sicut

prius explanatum est. Unde solum illud dictum, in quo est falsitas per comparationem ad rem et intentionem, est mendacium simpliciter et complete. Illud vero, in quo est falsitas solum per comparationem ad intentionem, est mendacium alicui et minus complete. Illud autem, in quo est falsitas per comparationem tantum ad rem, est mendacium secundum aliquid et minime complete. Unde fere omnes rationes praemissae, et etiam consimiles, in processu suo peccant secundum quid et simpliciter." *3. dist. 38. a. 1. q. 1. concl. et ad 4.*

[23] „In hoc praecepto prohibetur falsitas oris, praecipue prout ordinatur ad nocumentum proximi, per consequens nihilominus in quantum ordinatur ad nocumentum sui; verbum enim ad alterum est, et qui falsum alteri loquitur, quodam modo, etsi non noceat aliquid auferendo, fallit tamen decipiendo. Et per hoc potest responderi ad illud, quod primo objicitur. Ad illud vero quod objicitur, quod quis mentitur contra Deum, dicendum quod mendacium, quod est in doctrina fidei et religionis, et est contra veritatem divinam, et ordinatur ad nocumentum proximi, ex diversis causis potest prohiberi, et in mandatis primae tabulae, et in mandatis secundae, sicut dictum est de perjurio. Et quia cognitio perjurii pendet ex cognitione mendacii, perjurium enim includit mendacium; hinc est, quod, quamvis prohibeatur et in secundo mandato primae tabulae, et in quinto secundae, ideo Magister reservat determinare de perjurio in explicatione quinti mandati." *3. dist. 37. dub. 8.* — „Dupliciter dicitur esse aliquid malum, aut ex genere actus, utpote cum actus transit super materiam indebitam, aut ex malitia intentionis. Cum autem transit actus super materiam indebitam, hoc potest esse dupliciter, vel respectu Dei, vel respectu proximi. Si respectu Dei, sic est malum in se et secundum se, nec ullo modo potest bene fieri, sicut est odisse summum bonum, et blasphemare Deum. Si respectu proximi, sicut est nocumentum inferre proximo in persona, vel in rebus; sic est malum in se, et potest aliquo fine bene fieri, quia potest recta intentio supervenire ex dispensatione. Cum autem aliquid est malum ex malitia intentionis, tunc sive sit respectu Dei, sive respectu proximi, simpliciter malum est, et nullo fine potest bene fieri, quia dicit privationem debiti finis. Unde facere hoc malum esse bonum, nihil aliud est facere, quam aliquid simul esse bonum et malum. Tale autem est mendacium. Nam mendacium non solummodo dicit malum ex hoc, quod actus transit super materiam indebitam, sed etiam ex intentione indirecta, quoniam ad omne mendacium ista duo concurrunt, videlicet dicere falsum, et intentio fallendi. Et primum est malum in se, et potest bene fieri ab eo, qui ignoranter dicit falsum; ratione vero secundi, est malum secundum se, et nullo fine potest bene fieri, nec circa ipsum potest dispensari, sicut nullo modo potest bene fieri, quod aliquis cognoscat alienam intentione adulterandi, sive ex improbitate voluntatis. Concedendae sunt igitur rationes hoc ostendentes, quod essentiale est ipsi mendacio esse peccatum, et quod ipsum mendacium est malum secundum se, sicut dicit Augustinus *(in lib. de mend. et contra mend.)*, quoniam de ratione sui nominis includit inordinatam intentionem." *3. dist. 38. a. 1. q. 2. concl.* — „Ad illud, quod objicitur in contrarium per exempla veteris Testamenti de mendacio Abrahae, Isaac et Joseph, dicendum quod nullus eorum mentitus est. Nam etsi Abraham vellet filium suum immolare, credebat tamen ex magnitudine fidei suae, sicut dicit Apostolus *(Heb. 11, 19)*, quod Dominus eum suscitaret; sciebat enim, quod firma erat promissio, qua ei dictum fuerat: *In Isaac vocabitur tibi semen (ibid. 11, 18; et Gen. 21, 12)*. Similiter nec Isaac mentitus fuerat, quia Rebecca soror erat et uxor: et dicendo ipsam esse suam sororem *(Gen. 26, 7)*, veritatem utique tacuit, sed tamen falsitatem non dixit. Similiter etiam nec Joseph mentitus fuit, quia verba illa non dicebat affirmando, sed potius tentando, cum dicebat eos exploratores esse *(Gen. 42, 9)*; unde potius intelligenda sunt interrogative, quam affirmative. Quando autem dixit se peritum in augurandi scientia *(Gen. 44, 5)*, large accipitur verbum augurandi pro futurorum praevisione. Praeterea hoc ipsum etiam interrogative dixit, potius exprimens famam populi, quam de hoc habebat, quam sibi attribuere volens famam illam; sic etiam et de consimilibus dicendum est." — „Ad illud, quod objicitur de locutionibus positis in Scriptura, dicendum quod ea, quae transumptive dicuntur, referuntur ad consequentem intellectum, et pro illo intelliguntur; et quoniam pro illo habent veritatem, nullum est ibi mendacium. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(lib. de mendacio, c. 5; et contr. mend. c. 10)*: Quidquid figurative fit, aut dicitur, non est mendacium; omnis enim enuntiatio ad id, quod enuntiat, referenda est. Omne autem figurative factum aut dictum hoc enuntiat, et significat eis, quibus intelligendum prolatum est; et sic nullum est ibi mendacium, quia non enuntiantur pro intellectu primo, sed pro secundo, qui verus est. Sic nec in disputatione est mendacium, cum proponuntur aliqua falsa ad hoc, quod per illa deducat homo ad majus falsum, et deducendo ad majus falsum, reducat ad verum. In disputationibus enim propositiones magis sunt interrogationes et dubiae, quam veritatis assertiones; nisi forte in doctrinalibus disputationibus, in quibus oportet discentem credere, ubi sola vera proponuntur, probantur et supponuntur." — „Ad illud, quod objicitur de simulatione in facto, dicendum, quod est simulatio cautelae, instructionis et duplicitatis. Simulatio cautelae fuit in Jehu, cum finxit se cultorem Baal *(4. Reg. 10, 18)*, et David, qui finxit se stultum *(1. Reg. 21, 13)*. Simulatio vero doctrinae fuit in Christo, cum finxit se longius ire, sicut dicitur Lucae ultimo *(24, 28)*; in quo erudivit discipulos in officio hospitalitatis, in quo coëgerunt illum apud se manere, per quod etiam meruerunt illum cognoscere. Simulatio vero duplicitatis est in hypocritis, qui in signo exteriori ostendunt se esse bonos, et interius replentur malitia. Primae duae simulationes non tenent rationem mendacii; sed tertia rationem mendacii tenet, et illa non est sine peccato. Praeterea non est simile de verbo et facto, quia factum non est principaliter institutum ad significandum mentis conceptum, sermo autem ad hoc institutus est, ut sit nuntius et interpres ipsius mentis, et ut homo significet alteri, quod est apud se, et ut astruatur veritas apud audientem, quae est apud loquentem. Et ideo qui ad aliud utitur ipso sermone, abutitur ipso sermone, et incurrit peccatum mendacii; non sic autem est semper ex parte

facti.“ — „Ad illud quod objicitur, de eo, qui ex caritate movetur ad mentiendum, dicendum quod caritas praesupponit veritatem; unde ad nihil movet, quod veritati repugnat, veritati, dico, ex parte animae. Unde dicit Bernardus *(de dispens. cir. med.)*, quod ad hoc, quod opus sit laudabile, necesse est, quod sit caritas in intentione et veritas in electione. Et quia veritas non servatur in prolatione mendacii, hinc est, quod mendacium ex caritate non potest dici. Sicut enim ex caritate non potest scienter committi malum, quod quidem maneat malum, ut inde eveniat bonum; sic etiam non potest ex caritate dici falsum, ut inde sequatur verum aut bonum. Et est simile, quoniam sicut vis operativa deservit affectivae, sic vis interpretativa deservit intellectivae; et sicut finis affectivae est bonum, ita finis intellectivae est verum. Sicut ergo nullum opus potest ex caritate fieri, nisi quis intendat bonum, et illud opus sit ordinabile ad bonum; sic etiam nullus sermo potest ex caritate proferri, nisi in illius sermonis prolatione primo intendatur verum. Et quia mendacium ordinatum est ad contrarium veri, videlicet ad judicandum falsum ex ipsa intentione proferentis; ideo non potest fieri ex caritate, nec meritorie, sed semper male.“ *Ibid. ad 1. 2. 3. 6.* — „Mendacium quandoque est peccatum mortale, et quandoque veniale; mortale facit materia, contemptus, nocumentum et libido mentiendi.“ *Ibid. q. 3.* — „Mendacium viris perfectis, et quorum perfectio publica est, quantumcumque parvum, imputatur in peccatum mortale ratione scandali et conscientiae, quam debent habere, ut pro nulla re dicant falsum scienter.“ — „Ad aliquid obligatur homo specialiter praeter alios vel ratione voti emissi, vel ratione officii commissi, vel ratione scandali alios invitantis, vel ratione conscientiae dictantis. Si ergo dicamus viros perfectos obligari ad non mentiendum aliquo genere peccati, cum hoc non sit ex praecepto, nec ex officio commisso, nec ex voto, erit propter scandalum et conscientiae vinculum. Propter quod nota, quod quidam sunt perfecti publici, quidam sunt perfecti occulti. Viris publice perfectis adhibetur fides tanquam conservatoribus veritatis. Et quoniam mendacium deprehensum facit, ut homo alteri non credat, si viri perfecti mentirentur, jam nec ipsis crederetur, nec aliquibus; et magnum ipsi veritati fieret praejudicium, et daretur aliis occasio scandali. Et ideo tales viri perfecti debent habere conscientiam, quod pro nulla re dicant falsum scienter. Quando ergo dicunt, peccant mortaliter, tum quia faciunt contra conscientiae dictamen, tum etiam quia alios scandalizant active. Non sic autem homines scandalizantur de his, qui sunt imperfecti, vel etiam de perfectis occultis; ideo tales non sic obligantur ad omne mendacium vitandum. Et est exemplum hujus. Quia si quis impugnaret fidem, licitum esset imperfectis fugere et latere; sed viri perfecti tenentur stare, et libere confiteri, ne per ipsorum fugam et latitationem populus infirmus cadat a fide. Unde conscientia debet eis hoc rationabiliter dictare. Potest igitur concedi secundum Augustinum, quod viris perfectis, quorum perfectio publica est, mendacium quantumcumque parvum imputatur in mortale peccatum; quoniam propter scandalum vitandum dictare debet eis conscientia nullatenus esse mentiendum, ne faciant veritatem venire in contemptum. Et hoc videtur sensisse Augustinus, qui fuit praecipuus veritatis amator. Et omnis vir, qui veritatem amat, vehementer odit mendacium; unde dicitur in Ecclesiastico *(20, 27)*: *Potior* est *fur, quam assiduitas viri mendacis.*“ — „Ad illud quod objicitur, quod vir perfectus non peccat in verbo otioso, nec in primis motibus, sicut nec alius imperfectus, dicendum quod non est simile, quia ex aliis venialibus peccatis non ita oritur scandalum, nec ita veritas venit in contemptum, sicut de mendacio, si reperiatur circa virum perfectum, secundum quod superius est explanatum. Haec autem sunt dicta de mendacio, secundum quod verba beati Augustini praetendunt, qui propter magnum veritatis zelum maxime detestatus est mendacium, et conatus est illud ab omnibus excludere, saltem a viris perfectis. Et cum non posset mendacium ab omnibus excludere, saltem a viris perfectis voluit elongare, ut veritas in aliquibus inveniret solidam sedem. Et propterea si quis vellet intelligere, quod mendacium, quod est aliis veniale, non sit viris perfectis mortale, poterit ad verba Augustini respondere, intelligendo per ea mendacium semper esse indecens et malum viris perfectis, quoniam mentiendo disponunt se et alios ad malum, non autem quod semper sit eis mortale peccatum; et per hoc declinari possunt omnes rationes adductae ad oppositum. Quidquid autem horum verum sit, viro tamen, qui perfectionem profitetur, summopere cavendum est omne mendacium.“ *Ibid. q. 4.* — „Mendacium recte distinguitur in officiosum, iocosum et perniciosum, quibus aliae dantur differentiae.“ — „Mendacia, cum inter se ordinem habeant et gradus, illud quod est in iis, quae sunt doctrinae fidei, est maximum, illud vero, quod fit ad utilitatem proximi in bono spirituali, est levissimum.“ *Ibid. qq. 5. 6.*

[24] „In mandatis decalogi prohibentur peccata, et maxime in mandatis secundae tabulae, secundum quod sunt ad nocendum proximo ordinata. Et quoniam quantum ad peccatum carnis magis offenditur proximus per adulterium; hinc est, quod illud praecipue prohibetur. In illo tamen intelligitur prohiberi omnis illicitus coitus, et membrorum illorum abusus, secundum quod dicit Magister, sive per peccatum fornicationis, sive per peccatum contra naturam. Et per hoc patet responsio ad duo prima objecta. Ad illud vero quod objicitur de illa Glossa, dicendum quod Glossa illa intelligitur moraliter de fornicatione spirituali, sed secundum literalem intellectum in mandato illo prohibetur illicitus usus membrorum genitalium extra legem matrimonii. Omnis autem seminis effusio deliberativa praeter legem matrimonii est illicita, et intelligitur hîc prohibita per adulterium, quod directe matrimonio repugnat.“ *3. dist. 37. dub. 6.*

[25] „Moechia se habet ex additione ad concupiscentiam, quia moechari est in corde et opere, concupiscere est in corde. Et quia prohibitio dicit negationem utriusque, quia negationes se habent e contrario affirmationibus; ideo prohibitio concupiscentiae addit supra prohibitionem moechiae: et generaliter prohibitio peccati cordis addit supra prohibitionem peccati operis. Plus enim est prohibere peccatum cordis quam peccatum operis, quia peccatum operis praesupponit peccatum cordis. Et ideo ista duo mandata, in quibus prohibetur concupiscentia, ultimo loco sunt ordinata. Et per hoc patet responsio ad illud, quod

primo objicitur. Ad illud quod objicitur, quod nihil debet praecipi, quod non est in nostra potestate, dicendum quod est concupiscentia, quae consistit in sensualitate; et est concupiscentia, quae est in consensu rationis progressiva ad opus. Prima est peccatum veniale, nec prohibetur, sed cohibetur: secunda vero est peccatum mortale, et prohibetur, in quantum est progressiva ad opus. Unde istius mandati explicatio et intellectus insinuatur, ubi dicitur: *Fili, post concupiscentias tuas non eas (Eccli. 18, 30);* ubi simpliciter non prohibetur concupiscere, sed post concupiscentias ambulare, consentiendo et in actu progrediendo. Ad illud, quod objicitur de concupiscentia filiae et concubinae, dicendum quod filia et concubina dupliciter potest concupisci, aut in possessionem, ut redigatur in servitutem et famulatum, aut ad operis carnalis consummationem. Et primum prohibetur per septimum praeceptum: *Non concupisces rem.* Secundum vero prohibetur per mandatum illud, quia prohibetur concupiscentia carnis contra legitimum torum. Unde desiderare filiam alicujus in uxorem non est prohibitum, sed desiderare eam in fornicationem et meretricem: et hoc clauditur in sexta prohibitione." *3. dist. 40. dub. 1.*

[26] „In praecepto illo intelligitur prohiberi omnis illicita rei alienae usurpatio. Et illa potest fieri vel per violentiam, vel per fraudulentiam; et hoc vel simpliciter, vel ubi adjacet consecratio aliqua. Unde prohibetur hîc furtus simplex et sacrilegium, quod est furtum perpetratum circa rem sacram vel locum sacrum; et rapina, quae fit per violentiam; et etiam usura, pro eo quod in usura est quaedam violentia et quaedam fraudulentia. Fraudulentia in hoc, quod vendit homini rem suam, tenetur enim unusquisque subvenire proximo in mutuo ex divino mandato. Dum ergo vendit ei illud, quod tenetur ei facere, ipsum fraudat et decipit. Rursus, dum ex pactione aliquid ab eo exigit, quodam modo ad id, quod non debet, ipsum compellit. Unde omni tempore usura fuit prohibita sicut et furtum, secundum quod innuit Magister in littera. Ad illud vero, quod primo objicitur de sacrilegio, dicendum quod circumstantia loci et personae bene possunt transferre ad aliud genus peccati ... Similiter et in proposito intelligendum est. Quod enim est accidens actioni in genere naturae, potest esse complementum in genere moris. Ad illud vero quod objicitur, quod usurarius non contrectat rem alienam invito domino, dicendum quod est voluntas absoluta et conditionalis. Et cum dicitur, quod usurarius contrectat res, quas recipit ultra sortem, volente domino, dicendum quod hoc est verum de voluntate conditionali, sed tamen invito quantum ad voluntatem absolutam. Magis enim vult pecunia carere, quam beneficium mutui perdere, licet voluntate absoluta vellet, quod impenderetur sibi mutui gratia sine mercimonia. Ad illud quod objicitur, quod tunc usurarius concurrit cum fure, si usura continetur sub furto; dicendum quod si quis dat usuras praeter necessitates, non est immunis a culpa, cum vero ex necessitate usuras dat, non peccat, quia licitum est unicuique redimere juris sui vexationem. Unde sicut ille, qui dat vestes suas latroni, antequam permittat se interfici, non dicitur currere cum latrone; sic qui solvit usuram in necessitate, non dicitur currere cum fure. Quantam autem necessitatem quis debeat exspectare, hoc est rationis rectae determinare, pro eo quod secundum diversas conditiones personarum diversimode necessitates debeant pensari. Ad illud vero quod objicitur, quod licet dare pecuniam pro accommodatione domus et etiam gratis, dicendum quod non est simile. Primo quia ubi pecunia datur liberaliter extra omnem pactionem, est ibi liberalis donatio; et ideo non ibi illicita contractio. Non sic autem est, ubi intervenit illicita pactio. Similiter non est simile de aliis possessionibus, et de pecunia. Et hoc ex triplici causa. Prima ratio est, quia in mutuatione pecuniae transfertur pecunia in dominium alienum. Et hujus signum est, quia non tenetur illam eamdem numero reddere, sed illi consimilem: in accommodatione domus, vel equi, dominium non transfertur. Alia vero ratio est, quia pecunia, dum in usum vertitur, non consumitur, nec deterioratur; non sic autem est de aliis rebus, quae secundum quod magis et diutius eis utimur, magis tendunt ad defectum. Tertia vero ratio est, quia pecunia, quantum est de se, per seipsam non fructificat, sed fructus venit aliunde; non sic autem est circa res, quae de seipsis afferunt fructum et utilitatem; et ideo non est simile" *). *3. dist. 37. dub. 7.*

[27] „In isto verbo prohibetur concupiscentia rei alienae, secundum quod aliquis concupiscit aliquid in possessionem, quaerens in illo sufficientiam. Unde non tantum prohibetur concupiscentia bonorum temporalium, ut domus et pecudum, sed etiam cujuscumque alterius rei, quam quis vellet aliis praeripere. Et hoc quidem prohibetur, intelligendo per se, ut quis non concupiscat alienum, manens alienum. Vel intelligitur contra juris ordinem, hoc est,

---

*) Jam a praeterito saeculo sententiae circa lucrum ex mutuo, sanae doctrinae haud consentaneae, disseminari coeperunt, quibus ut aditus intercluderetur, Benedictus XIV die 1 novembris an. 1745 Encyclicam *Vix pervenit* edidit. Haec tamen non omnes sustulit ambages, ex eo quod theologi eam interpretantes, unusquisque in suo sensu abundans, in varias abierunt sententias. Hinc nova exorta dubia, et repetitae ad Apostolicam Sedem postulationes, ut animarum quieti in re tam frequenti et seria provideretur. Quibus ut fieret satis, plura diversis temporibus authentica responsa prodiere, ex quibus summatim sequentia corollaria colligi possunt: „1. Generatim loquendo de lucro ex mutuo, nihil omnino percipi inde posse *vi mutui*, seu immediate et praecise ratione ipsius. 2. Aliquid ultra sortem percipere licitum esse, si forte titulus aliquis extrinsecus, non mutui naturae universim conjunctus et innatus, mutuo accedat. 3. Deficientibus licet aliis quibuslibet titulis, cujusmodi sunt *lucrum cessans, damnum emergens,* atque *periculum amittendae sortis,* vel *assumendi insolitos labores pro sortis recuperatione,* unum quoque legis civilis titulum ceu sufficientem in praxi haberi posse, tum a fidelibus, tum ab eorum confessariis, quibus proinde suos poenitentes hac super re inquietare non licet, donec quaestio haec sub judice pendeat, nec S. Sedes ipsam explicite definierit. 4. Praxis hujus tolerantiam minime extendi posse sive ad cohonestandam usuram quamvis modicam erga pauperes, sive usuram immodicam ac naturalis aequitatis limites excedentem. 5. Denique quaenam usurae quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quaenam justa ac moderata, universim determinari non posse, cum hoc demetiri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum et temporum." *(Apost. Sedis Responsa authentica et Instructiones circa lucrum in unum collectae, Romae, 1873 ex typ. S. C. de Prop. fide, pag. 25.)*

quando quis vellet proximum damnificari in re, propter suam utilitatem; tunc enim non diligit proximum sicut se. Unde in verbo isto prohibetur omnis avaritia et cupiditas. Ad illud ergo, quod primo objicitur, quod licet pretio acquirere, licet concupiscere, dicendum quod concupiscere dicit appetitum immoderatum habendi cum damno proximi, et in hoc ipso etiam clauditur appetitus immoderatus; prohibitio etiam respectu rei propriae, penes quam consistit peccatum cupiditatis et avaritiae. Ad illud quod objicitur de ambitione dignitatis et honoris, dicendum quod si dignitas et honor appetatur in ratione sufficientiae, sic spectat ad crimen avaritiae; et in isto mandato prohiberi habet. Si autem in ratione excellentiae, sic potest dici, quod prohibetur per primum mandatum, in quo praecipitur reverentia Dei. Posset tamen dici, quod utroque modo clauditur in prohibitione septimi. Quia utrobique est amor boni proprii, et una est ratio deordinandi respectu proximi, licet multiplex sit ratio deordinandi respectu sui; ideo sub una prohibitione habet claudi utrobique concupiscentia, et magis prohibetur concupiscentia domus quam concupiscentia dignitatis, quia manifestior erat et sensibilior, et etiam Judaei magis proni erant ad avaritiam." *3. dist. 40. dub. 2.*

[28] „Praecepta decalogi bene ordinata sunt, sive attendamus regulam fidei dictantis, sive regulam justitiae exequentis." — „Sicut in mandatis decalogi consideratur numerus sufficiens, ita etiam reperitur ordo conveniens, secundum quem ordinem ipse legislator ordinat ea convenientissime. Illius autem ordinis convenientiam dupliciter possumus advertere, videlicet secundum regulam fidei dirigentis, et secundum regulam justitiae exequentis. Fides autem dictat nos primo ordinari ad Deum, deinde ad proximum secundum conformitatem ad Deum. In ordine autem ad Deum primo dictat fides nos ordinari ad Patrem, exhibendo sibi debitam reverentiam. Secundo ad Filium, refugiendo ejus injuriam, ut non credamus eum esse creaturam. Tertio ad Spiritum sanctum, praeparando sibi habitationem sanctam. Et hic est rectus ordo; quia Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus vero sanctus procedit simul a Patre et Filio. Juxta hunc ordinem docet ordinari ad proximum, in quantum habet conformitatem ad Deum. Unde secundum quod conformatur Patri, primo docet exhiberi sibi reverentiam. Secundum quod conformatur Filio, docet vitare ejus injuriam, quod potest fieri quadrupliciter, per homicidium, per adulterium, per furtum et per falsum testimonium. Postremo, secundum quod homo habet conformari Spiritui sancto, dictat fugiendum esse concupiscentiam, per quam inquinatur cordis habitaculum; et hoc quidem fit per duo mandata postrema. Et sic patet ordo ipsorum mandatorum decalogi secundum regulam dictaminis ipsius fidei. Alio etiam modo considerare possumus congruentiam ordinis mandatorum decalogi, videlicet secundum exigentiam obligationis justitiae. Et quoniam justitia magis dictat nos obligari Deo, quam proximo; ideo praemittuntur mandata ad Deum ordinantia, tanquam digniora et excellentiora et magis obligantia. Rursus, quia plus est obligari ad actum operis quam ad actum oris, et ad actum oris quam ad actum cordis; hinc est, quod praeceptum adorationis in opere, respectu Patris, est primum; praeceptum vero confessionis in ore, respectu Filii, est secundum; praeceptum vero sanctificationis in corde, respectu Spiritus sancti, est tertium. Similiter, quia plus est obligari ad beneficentiam quam ad innocentiam, praeceptum illud, per quod obligamur ad benefaciendum alii, praecedit illa, per quae obligamur ad non nocendum. Et iterum, quia magis obligamur vitare majus nocumentum proximi, et magis nocumentum est in homicidio quam in adulterio, et in adulterio quam in furto, et in furto quam in falso testimonio, et in his omnibus quam in concupiscentia cordis, et in concupiscentia cordis magis respectu uxoris quam respectu rei temporalis, et hoc ordine ordinantur mandata decalogi; hinc est, quod convenientem habent ordinem secundum regulam obligationis ipsius justitiae. Concedendum est igitur, quod mandata decalogi recto ordine ordinantur, sive consideremus regulam fidei dictantis, sive regulam justitiae exequentis." *3. dist. 37. a. 2. q. 2.*

[29] „Caritatis status, quantum est de se, non obligat ad ea, quae perfectionis sunt, nisi adveniat mandatum, votum, officium, scandali evitatio, vel conscientiae judicium." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod multiplex est genus perfectionis, et multiplex est ratio obligandi. Quinque enim perfectionum genera consueverunt distingui. Prima est perfectio sufficientiae, quae consistit in adimpletione mandatorum; et de hac dicitur *(Matth. 5, 48): Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* Secunda est perfectio religionis, quae consistit in observantia consiliorum; et de hac dicitur *(Matth. 19, 21): Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes etc.* Tertia est perfectio praelationis, quae consistit in regimine subditorum; et de hac dicitur *(Luc. 6, 40): Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus.* Quarta est perfectio operationis, quae consistit in ostensione exemplorum; et de hac dicitur *(Gen. 6, 9): Noë vir justus atque perfectus in generationibus suis.* Quinta est perfectio tranquillitatis, quae consistit in consummatione difficillimorum et optimorum; et de hac dicitur *(1. Jo. 4, 18): Perfecta caritas foras mittit timorem;* et Philosophus dicit, quod perfecta virtus optimorum est operativa. Similiter intelligendum est, quod quinque modis obligatur aliquis ad aliud. Primum genus obligationis est propter mandatum divinum, secundum est propter votum emissum, tertium est propter officium susceptum, quartum est propter vitandum scandalum, quintum est propter conscientiae judicium. Cum ergo quaeritur, utrum homo in perfecta caritate existens, teneatur ad opera perfectionis, dicendum quod si perfectio accipiatur primo modo, videlicet pro perfectione justitiae, quae consistit in impletione mandatorum, sic obligatur ad illam perfectionem, sicut et alii; et eo magis de bono et aequo, quo magis percepit donum, per quod possit implere divinum mandatum. Si autem loquamur de aliis generibus perfectionis, dicendum quod non obligatur homo existens in perfecta caritate ad illa, quantum est ex obligatione divini mandati, nec aliter obligatur, nisi interveniat aliquod vinculum sequentium, videlicet votum, per quod obligatur ad perfectionem religionis; vel officium susceptum, per quod obligatur ad perfectionem praelationis; vel scandalum, ratione cujus obligatur ad perfectionem operationis; vel conscientiae dictamen, per quod obligatur ad perfectionem tranquillitatis. His

enim intervenientibus, superinducitur nova obligatio ad hujusmodi genera perfectionum praedictarum. Sed status caritatis, quantum est de se, necessariam obligationem non inducit ... Ad illud quod objicitur, quod habens caritatem semper tenetur proficere, dicendum quod caritas dicitur dupliciter proficere, uno modo propter multiplicationem bonorum operum, alio modo propter ipsius caritatis augmentum et progressum ad ultimum statum. Cum ergo dicitur, quod homo tenetur proficere in caritate, et quod caritas aut proficit, aut deficit; si intelligatur de profectu, qui consistit in ipsius caritatis augmento et incremento, sic non habet veritatem, quia caritas non augetur in homine continue. Si vero intelligatur de profectu, qui consistit in bonorum operum multitudine, et justitiae exercitatione, sic veritatem habet; sed iste profectus caritatis non tantum attenditur in impletione consiliorum et operum perfectorum, sed etiam in observantia mandatorum. Et ideo ex hoc non potest concludi, quod homo in perfecta caritate consistens, ad opera perfectionis necesse habeat obligari." *3. dist. 30. a. 1. q. 3. concl. et ad 4.*

[30] „Est notandum, quod sufficientia et numerus mandatorum sumitur secundum rationem ordinis ipsius justitiae generalis, cujus est hominem ad Deum et ad proximum ordinare; unde quaedam sunt mandata ordinantia hominem ad Deum, quaedam vero ordinantia ad proximum. Illa enim, quae ordinant hominem ad Deum, dicuntur esse praecepta primae tabulae. Et ista sunt tria, et non plura, nec pauciora. Quorum numerus et sufficientia sumi potest tripliciter, videlicet ex parte objecti, et ex parte subjecti, et ex parte actus medii. Ex parte objecti sic. Nam cum in Deo sint tres personae, et tria appropriata, et triplex genus causae, secundum quod comparatur ad creaturam; triplex est praeceptum, secundum quod creatura rationalis ordinari habet ad Deum. Nam secundum rationem majestatis, quae appropriatur Patri, et convenit Deo, secundum quod est causa efficiens creaturae, ordinatur per illud praeceptum: *Non habebis Deos alienos.* Secundum rationem veritatis, quae appropriatur Filio, et convenit Deo, secundum quod est causa formalis et exemplaris creaturae, ordinatur per illud: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Secundum rationem bonitatis, quae appropriatur Spiritui sancto, et convenit Deo, secundum quod est causa finalis, ordinatur per illud: *Memento, ut diem sabbati sanctifices.* Ita quod per illa tria homo sufficienter ordinatur ad Deum, ut subjaceat summae majestati, credat summae veritati, et adhaereat summae bonitati. Et haec sufficientia sumpta est ex parte objecti. Secundo modo sumitur sufficientia ex parte subjecti ordinabilis, quod quidem est anima rationalis, in qua est triplex vis motiva, secundum quam habet in Deum ordinari, videlicet rationalis, concupiscibilis et irascibilis. Mandatum de adoratione respicit ipsam irascibilem, mandatum vero secundum respicit ipsam rationalem, sed mandatum tertium de sanctificatione respicit ipsam concupiscibilem, sicut intuenti satis apparet. Et haec sufficientia sumpta est ex parte subjecti. Tertio vero modo sumitur sufficientia ex parte actus medii. Triplex enim est actus, secundum quem habet homo in Deum ordinari, videlicet actus operis, oris et cordis. Penes actum operis attenditur mandatum adorationis; penes actum oris attenditur secundum mandatum, quo prohibetur falsa invocatio nominis divini; secundum actum cordis attenditur tertium mandatum, in quo praecipitur sanctificatio mentis. Et sic patet sufficientia mandatorum ordinantium hominem ad Deum, quoniam sunt tria tantum, et non plura, nec pauciora. Sufficientia autem mandatorum secundae tabulae juxta hunc modum tripliciter potest assignari, videlicet ex parte objecti, et subjecti, et actus medii. Ex parte namque conditionum ipsius objecti sic potest sumi. In proximo enim, ad quem ordinant mandata secundae tabulae, relucet proprietas Patris et Filii et Spiritus sancti. Secundum quod in proximo relucet proprietas Patris, sic debemus ei honorem et reverentiam; et penes hoc attenditur illud mandatum: *Honorem patrem tuum etc.;* in quibus relucet proprietas summi Patris in hoc, quod habent rationem principii. Secundum autem quod in proximo relucet proprietas Filii, sic debemus ei veritatem; et sic est illud mandatum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Secundum autem quod relucet in proximo proprietas Spiritus sancti, sic debemus ei dilectionem et innocentiae puritatem. Et quoniam possumus nocere proximo, sive damnificare eum, multipliciter, in persona propria et persona conjuncta, et in rebus suis, et hoc dupliciter, vel in actu interiori vel exteriori; ideo sunt ulterius quinque mandata. Contra nocumentum enim, quod habet fieri in persona proximi, est illud praeceptum: *Non occides.* Contra nocumentum vero, quod habet fieri in persona conjuncta, est illud praeceptum: *Non moechaberis,* secundum quod exercetur in opere. Contra nocumentum, quod fit in rebus, est illud: *Non furtum facies.* Et quia nocumentum illud est duplex, videlicet in persona conjuncta et in rebus, frequentius fit in voluntate per concupiscentiam, quam fiat in opere; ideo sunt alia duo mandata, in quorum uno prohibetur concupiscentia uxoris, in hoc quod dicitur: *Non concupisces uxorem;* in alio prohibetur concupiscentia rerum, in hoc quod dicitur: *Non concupisces rem proximi tui etc.* Sic igitur patet sufficientia ex parte conditionum objecti. Ex parte vero subjecti secundum triplicem potentiam animae contingit etiam sufficientiam assignare hoc modo. Triplex enim est potentia animae, secundum quam contingit ad proximum ordinari, videlicet rationalis, concupiscibilis et irascibilis. Quantum autem ad potentiam irascibilem habet homo convenienter ordinari ad superiorem per reverentiam et honorem; et sic est illud: *Honora patrem tuum et matrem tuam etc.*; ad proximum vero per pacem, et odii declinationem; et sic est illud: *Non occides.* Secundum autem rationalem virtutem ordinamur ad proximum per veritatis loquelam et testificationem; et sic est illud mandatum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Secundum vero potentiam concupiscibilem habet homo ordinari ad proximum per ipsius refraenationem. Et quoniam illa est multipliciter corrupta per cupiditatem et concupiscentiam; ideo prohibetur cupiditas et concupiscentia in actu exteriori per duo mandata, per hoc videlicet: *Non moechaberis;* et per hoc: *Non furtum facies.* Prohibetur etiam in actu interiori per alia duo, videlicet per hoc: *Non concupisces uxorem;* et per hoc: *Non concupisces rem proximi tui.* Et sic potest sumi sufficientia ex parte virium animae in mandatis secundae tabulae. Ex parte autem actus potest sumi sic. Ordinari enim habemus ad proximum secundum

innocentiam et secundum beneficentiam. Si secundum beneficentiam; sic est illud mandatum: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Si secundum innocentiam; hoc est tripliciter, aut secundum actum cordis, aut oris, aut operis. Si secundum actum operis, aut hoc est in prohibenda deordinatione, quae est contra ipsius esse individui; et sic est illud: *Non occides.* Aut contra debitam conservationem speciei; et sic est illud: *Non moechaberis.* Aut contra possessionem temporalis subsidii; et sic est illud: *Non furtum facies.* Si autem ordinemur ad proximum secundum actum oris; sic est illud mandatum: *Non falsum testimonium dices.* Si vero secundum actum cordis, qui quidem consistit in affectu; hoc contingit dupliciter, aut liberaliter contra cupiditatem, aut honeste contra voluptatem; et secundum hoc sunt duo mandata: unum contra voluptatis concupiscentiam; et sic est illud: *Non concupisces uxorem;* aliud vero contra cupiditatem et avaritiam; et sic est illud: *Non concupisces rem.* Et sic per omnem modum patet numerus et sufficientia mandatorum decalogi; quoniam tria sunt, quae ordinant hominem respectu summae Trinitatis; et septem sunt, quae ordinant hominem respectu totius inferioris universitatis; ut sic non tantum sit congruentia numeri ex parte rei, sed etiam ex parte ipsius numeralis proportionis, quam rectissime contingit in denario inveniri, secundum quod docet Augustinus *(in lib. mus. 2. c. 11),* ubi ostendit in denario quamdam excellentem esse perfectionem, ob quam status est in numero illo, et ultra in numerando non procedimus nova numeratione, sed redimus ad caput; et ideo in numero illo decebat terminari et comprehendi divina praecepta, quae sunt via deveniendi ad perfectionem summam. Concedendum est igitur, quod decem sunt mandata decalogi, secundum quod lex dicit, nec plura nec pauciora." *3. dist. 37. a. 2. q. 1.*

[31] „Hujusmodi exercitia virtutum supererogantium aut fiunt ex mera voluntate absque obligatione, et tunc dicunt quamdam perfectionem actionis et meriti; aut cum voluntate dicunt quamdam obligationem superinductam ex voto emisso, vel ex officio injuncto, et tunc dicunt perfectionem status et ordinis, in quo videlicet quis actibus perfectis non solum est deditus, verum etiam ad actus perfectionis adstrictus. Quae quidem adstrictio de perfectione non minuit, sed potius culmen superinducit, quia de temporali facit aeternum, dum non licet resilire a voto; et de nostro divinum facit, dum non solum actum, sed etiam voluntatem dedicat Deo, totum illi offert et redigit sub jure divino, dumque propriam sacrificat voluntatem, quae est impretiabile bonum et maxime carum et intimum, offert Deo sacrificium medullatum *(Ps. 65, 15),* ac per hoc perfectum et integrum et optimum, Deo summe acceptum." *Apolog. pauper. resp. 1. c. 3.*

[32] „Sciendum est, quod radix, forma, finis, complementum et vinculum perfectionis caritas est, ad quam magister omnium Christus legem et Prophetas, et per consequens universa Dei documenta reducit. Ipsa vero caritas triplicem habet statum, unum quidem infimum, in observantia mandatorum legalium; secundum vero medium, in adimpletione spiritualium consiliorum; tertium vero summum, in perfruitione sempiternalium jucunditatum. Ideo triplex est perfectionis differentia in sacra Scriptura scripta. Una quidem necessitatis, de qua in Deuteronomio *(18, 13): Perfectus eris et absque macula coram Domino Deo tuo.* Glossa, id est, absque macula criminali. Et de hac Prosper dicit *(lib. 3. de vita contemplativa c. 15):* Perfecti sunt, qui volendo quod Deus vult, nullis peccatis, quibus Deus offenditur, acquiescunt. Secunda est perfectio supererogationis, de qua dicitur in Matthaeo *(19, 21): Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes, et da pauperibus.* Et de hoc dicit Hieronymus *(ep. ad Heliod.):* Perfectus servus Christi nihil praeter Christum habet, aut si praeter ipsum aliquid habet, perfectus non est. Tertia est perfectio ultimatae plenitudinis, de qua Sapiens in Proverbiis *(4, 18): Justorum semita quasi lux splendens crescit, et procedit usque ad perfectam diem,* id est, divinae visionis fulgidam claritatem. Et de hac Augustinus *(1. Soliloq. c. 6):* Vere perfecta virtus est ratio perveniens usque ad finem, quem beata vita consequitur. Prima igitur et secunda perfectio a tertia differunt, sicut meritum differt a praemio. Media quoque a prima differt, sicut distinguitur consilium a praecepto. Omnia vero tam consilia, quam praecepta, referuntur ad caritatis impletionem et observantiam, quam sic describit Apostolus ad Timotheum *(1. Tim. 1, 5): Caritas est finis praecepti, de corde puro, conscientia bona et fide non ficta,* insinuans triplicem actum caritatis, videlicet declinare a malo, prosequi bona, et patienter ferre adversa. Nam propter declinationem a malo dicitur *de corde puro,* propter prosecutionem bonorum dicitur *de conscientia bona,* propter vero tolerantiam adversorum dicitur *de fide non ficta.* Glossa, id est, non fictili vel fragili, sed contra adversa forti. Quia vero hic triplex caritatis actus duobus modis ab habitu virtutis egreditur, vel secundum legem praecepti et obligationis necessariae et universalis, vel secundum legem consilii et obligationis spontaneae et specialis, et sequens includit primum, et superaddit quantum possibilitas viatoris admittit; hinc est, quod secundum cum primo dicitur perfectum, primum vero absque secundo, quamquam sit quodammodo perfectum, respectu tamen secundi dicitur imperfectum, sicut dicit Ambrosius *(de offic. l. 1. c. 11)* . . . Cum igitur de perfectione evangelica loquimur, secundum communem acceptionem de hac materia intelligimus. Et istiusmodi perfectionis notificationem ex praecedentibus colligere possumus, videlicet quod ipsa sit conformitas viatoris ad Christum per illum virtutis habitum, quo supererogative declinantur mala, efficiuntur bona, et adversa perferuntur. In his namque tribus tres partes evangelicae perfectionis consistunt. Porro cum ex conversione inordinata ad triplex bonum commutabile, scilicet exterius, interius et inferius, omne peccatum trahat originem, secundum concupiscentiam oculorum, superbiam vitae, concupiscentiam carnis; et haec tria vitari habeant non solum quantum ad actum et consensum, quod fit per virtutes illis oppositas, verum etiam quantum ad occasionem, et hoc quidem promotivum sit in merito, et expediens ad salutem perfectionis; magister Christus ad perfecte declinandum concupiscentiam oculorum consulit, quod haec omnia temporalia relinquantur, secundum illud *(Matth. 19, 21): Si vis perfectus esse etc.* Ad perfecte autem declinandum superbiam vitae suadet, quod voluntas propria abnegetur, juxta illud *(Matth. 16, 24): Qui vult venire post*

me, abneget semetipsum etc. Ad perfecte autem declinandum concupiscentiam carnis edocet, quod omnis experientia secundum actum generativae potentiae abscindatur, sic inquiens *(Matth. 19, 12): Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum caelorum: qui potest capere, capiat.“ Apolog. paup. resp. 1. cap. 3.*

CAPUT X.

De exercitio gratiae respectu petendorum et orandorum.

(Deus vult a nobis orari, — corde, — et ore, — per nos ipsos, — et per Sanctos. — In oratione dominica universitas comprehenditur petendorum. — Septiforme septenarium sacra Scriptura nobis proponit.)

De petitionibus autem orationis dominicae hoc tenendum est, quod, licet Deus
a) Pronior ed. 1484. sit liberalissimus, et promptior [a] ad dandum, quam nos ad accipiendum; tamen a nobis vult orari, ut occasionem habeat largiendi dona gratiae Spiritus sancti. Vult autem
b) Mentis ibid. orari, non solum oratione mentali, quae est ascensus intellectus [b] in Deum, verum etiam vocali, quae est petitio decentium a Deo [1]; non solum per nos ipsos, verum etiam per
c) Coadjutores ibid. Sanctos, tanquam per adjutores [c] nobis divinitus datos, ut quod minus digni sumus impetrare per nos, impetrare valeamus per Sanctos (I). Et quia *quid oremus, secundum*
d) Vagaremus ibid. *quod oportet, nescimus (Rom. 8, 26),* ne vagaremur [d] incerti, formam nobis tribuit Dominus et Deus noster Christus in oratione, quam composuit, in qua sub septenario petitionum numero universitas comprehenditur petendorum.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium sicut est summe verum et bonum in seipso, sic misericors et justum in opere suo. Et quia misericordiosissimum est, ideo libentissime condescendit humanae miseriae per infusionem gratiae suae. Quia vero simul cum hoc justum est, ideo donum perfectum non dat, nisi desideranti; non dat gratiam, nisi regratianti; non impendit misericordiam, nisi miseriam cognoscenti, ut salva sit libertas arbitrii, et non vilescat nobilitas doni, et
e) Integre ibid. integer [e] perseveret cultus honoris divini. Quoniam ergo orantis est divinum affectare [f]
f) Divinum ex ead. edit., in cet. om. subsidium, proprium allegare defectum, et gratias agere propter beneficium gratis datum; hinc est, quod oratio disponit ad susceptionem divinorum charismatum [2], et Deus orari vult ad hoc, ut munera largiatur.

Rursus, quia ad hoc, quod desiderium efficaciter sursum tendat ad impetrandum dona divina, necesse est, quod affectio nostra sit fervida [3], et cogitatio in unum collecta [4], et exspectatio nostra sit certa et firma; et quia cor nostrum frequenter est tepidum, frequenter dispersum, frequenter etiam pavidum propter peccati remorsum, nec audens

(I) Quotquot cultum Sanctis tribuendum denegarunt, eo ipso eorundem invocationem adorti sunt. Verum hoc expressius fecerunt Protestantes, qui hujusmodi invocationem, veluti prorsus inutilem, superstitiosam, Deo et Christo injuriosam, imo ut idololatriam respuerunt.

Contra eos autem Concilium Tridentinum *sess. 25:* „Mandat omnibus Episcopis, ut . . . fideles diligenter instruant; docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos aeterna felicitate in caelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum, Jesu Christi, vel stultum esse, in caelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire.“

per se ipsum comparere ante Dei conspectum; hinc est, quod Dominus voluit nos non tantum orare mentaliter [5], verum etiam vocaliter [6], ad nostri affectus excitationem per verba, et ad recollectionem [g] cogitationum per sensum verborum [7]. Voluit etiam nos orare per Sanctos, et Sanctos pro nobis [8], ad dandam [h] fiduciam pavidis, ut quod non audent, vel non possunt impetrare per se, per idoneos impetratores obtineant [9], ac per hoc in orantibus humilitas conservetur, in Sanctis intercedentibus dignitas declaretur, in omnibus etiam Christi membris caritas et unitas ostendatur, qua quae inferiora sunt ad superiora fiducialiter recurrant, et superiora inferioribus liberaliter condescendant [10].

g) Collectionem ibid.

h) Dandum ibid.

Postremo, quia Deus justus et misericors exaudire non debet nisi in his, quae spectant ad suum honorem et ad nostram salutem, hujusmodi autem sunt, quae spectant ad praemium patriae, et ad viaticum viae, et prima sunt tria, et [i] sequentia quatuor; hinc est, quod petitiones dominicae orationis, quae docent, quid petere utiliter debeamus, sunt septem. Quae enim spectant ad divinum honorem et praemium patriae, sunt tria, scilicet intelligentia veritatis, reverentia majestatis et concordia voluntatis. Sive per alia verba, vel est visio summi veri, quod non videtur nisi a mundis et a sanctis, et haec [j] petitur, cum dicitur: *Sanctificetur nomen tuum,* id est, tui nominis notitia perfectis sanctis et mundis donetur; vel est tentio summi ardui, quae reges facit, et per quam regnum habetur, et haec petitur, cum dicitur: *Adveniat regnum tuum;* vel est fruitio summi boni, quae non datur, nisi his, qui voluntates suas habent divinae voluntati conformes, et haec petitur, cum dicitur: *Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra.* Quae autem spectant ad transitum viae, aut respiciunt collationem boni conferentis, aut amotionem mali nocentis. Collatio autem boni conferentis petitur *in pane quotidiano,* sive supersubstantiali [k], in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitae praesentis, sive secundum spiritum, sive secundum corpus. Amotio autem mali nocentis petitur in tribus petitionibus [l] ultimis; quia omne malum aut tenet rationem praeteriti, aut futuri, aut praesentis. Vel aliter, aut tenet rationem mali culpae, aut pugnae, aut poenae. Primum petitur amoveri *in dimissione debitorum,* secundum *in victoria tentationum,* tertium et ultimum *in liberatione ab oppressione malorum* [11]. Et sic septem in universo sunt petitiones, in quibus universaliter petitur quidquid petendum est. Et hoc quidem satis recte, ut septenarius petitionum respondeat septenario divinorum charismatum et donorum gratiae septiformis [12]. Propter quod notandum est, quod septiformem septenarium proponit nobis sacra Scriptura considerandum, scilicet vitiorum capitalium, sacramentorum, virtutum, donorum, beatitudinum [m], petitionum et dotum gloriosarum, trium scilicet spiritualium et quatuor corporalium, ut [n] inferius apparebit. Proponit ergo septenarium vitiorum, tanquam primum, a quo debemus recedere; septenarium sacramentorum secundum, per quem debemus incedere; septenarium dotum ultimum, quem debemus appetere; septenarium petitionum penultimum, quo debemus petere; septenarium autem virtutum, donorum et beatitudinum triplicem intermedium, per quem debemus transire; ut sic *septies in die (Psalm. 118, 164)* laudantes nomen Domini et orantes, impetremus gratiam septiformem virtutum, donorum et beatitudinum, qua vincamus septiformem pugnam vitiorum capitalium, et perveniamus ad septiformem coronam dotum gloriosarum, adjuvante nihilominus septiformi medicina sacramentorum divinitus ad reparationem humani generis statutorum.

i) Et om. ibid.

j) Hoc ibid., ita et inferius.

k) Substantiali ibid.

l) Petitionibus om. ibid.

m) Et beatitudinum om. ibid.

n) Sicut ibid

Ad Caput X.

[1] „Oratio sic describitur ab Augustino *(l. de sp. et an. c. 50):* Oratio est pius mentis affectus in Deum directus. A Joanne Damasceno *(de fide orth. l. 3. c. 24):* Oratio est ascensus intellectus in Deum. Idem: Oratio est expressio desiderii directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum removendum, formata per verbum interius et exterius. Et magistraliter sic: Oratio est ostensio voluntatis nostrae ei, a quo impetrare speramus id, quod desideramus. Gregorius *(l. 3. mor. c. 21):* Veraciter orare est in compunctione amoris gemitus, et non composita verba resonare.“ *Centil. p. 3. sect. 46.*

[2] „Postquam diximus, qualiter ad sapientiam veram pervenitur meditando, videndum est nunc, qualiter ad ipsam pervenitur orando. Sciendum autem est, quod in oratione sunt tres gradus sive partes ipsam perficientes, quorum primus est deploratio miseriae, secundus imploratio misericordiae; et tertius exhibitio latriae. Latriae autem cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab eo gratiam consequamur. Misericordiam vero Dei ad dandam gratiam non possumus inflectere, nisi per deplorationem et expositionem nostrae miseriae et indigentiae. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes. Non enim sufficit una sine altera, nec perducit ad metam perfectam; et ideo haec tria sunt semper jungenda. Deploratio autem miseriae, circa quamcumque miseriam sit, sive pro perpetratione culpae, sive pro amissione gratiae, sive pro dilatione gloriae, haec tria debet habere, scilicet dolorem, pudorem et timorem. Dolorem, propter damnum sive incommodum; pudorem, propter opprobrium sive inhonestum; timorem, propter periculum sive reatum. Ex memoria enim praeteritorum oritur dolor, dum recordatur, quid omisit, quia praecepta justitiae; quid commisit, quia prohibita culpae; quid amisit, quia gratuita vitae. Ex intelligentia praesentium oritur pudor, dum attendit, ubi sit, quia longe in imo, quae fuerat prope in summo; qualis sit, quia foeda in luto, quae fuerat pulchra imago; quae sit, quia ancilla, quae fuerat libera. Ex providentia futurorum oritur timor, dum praecogitat, quo tendat, quia ad inferos properat gressus ejus *(Prov. 5, 5);* quid occurrat, quia judicium inevitabile, justum tamen; quid assequatur, quia stipendium mortis aeternae. Imploratio autem misericordiae, circa quamcumque gratiam invocetur, debet esse cum affluentia desiderii, quod habemus a Spiritu sancto, qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8, 26);* cum fiducia spei, quam habemus a Christo, quia *mortuus est pro nobis omnibus (1. Petr. 2, 21);* cum diligentia implorandi subsidii, quod quaerimus a Sanctis omnibus. Quando enim haec tria concurrunt, tum imploratur efficaciter divina misericordia. Affluentiam desiderii habemus a Spiritu sancto, quia per ipsum sumus a Patre in Filio praedestinati aeternaliter, per ipsum sumus renati in baptismo spiritualiter, et quia per ipsum sumus congregati in Ecclesia unanimiter. Confidentiam spei habemus a Christo Domino, quia pro nobis obtulit se in cruce in terra, quia pro nobis offertur a matre Ecclesia in sacramento altaris in sui memoriam, et quia pro nobis apparet vultui Patris in caelo in gloria. Diligentiam implorandi subsidii a Sanctorum consortio habemus, ab angelorum ministrantium patrociniis, a beatorum triumphantium suffragiis, et a justorum militantium meritis. Exhibitio autem latriae, ex quacumque gratia Deus colatur, debet habere tria. Primo enim ob gratiam impetrandam, debet cor nostrum incurvari ad Dei reverentiam et adorationem. Secundo debet dilatari ad benevolentiam et gratiarum actionem. Tertio debet elevari ad complacentiam et mutuam allocutionem, quae est Sponsi et Sponsae, quam docet Spiritus sanctus in Canticis. In qua, si recto ordine fiat, mira est exultatio et jubilatio; ita ut ducatur homo in excelsum, et faciat animam dicere: *Bonum est nos hîc esse (Matth. 17, 4).* Et hîc debet oratio nostra terminari. Nec ante debet homo desistere, donec ingrediatur in locum *tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei,* ubi *in voce exultationis* est *sonus epulantis (Psalm. 41, 5).* Ut autem incurveris ad reverentiam, admirare immensitatem divinam, et intuere modicitatem tuam. Ut dilateris ad benevolentiam, attende benignitatem divinam, et vide indignitatem tuam. Ut eleveris ad complacentiam, recogita caritatem divinam, et considera tepiditatem tuam, ut ex hujus collatione pervenias in excessum mentis. Sciendum autem, quod reverentiam debemus exhibere Deo tripliciter. Primo tanquam Patri, a quo formati, reformati et educati. Secundo tanquam Domino, a quo eruti de ore inimici, redempti de carcere inferni, et conducti in vineam Domini pro munere paradisi. Tertio debemus exhibere Deo reverentiam tanquam judici, coram quo accusati, accusat enim clamor conscientiae; coram quo convicti, convincit enim evidentia vitae; et coram quo confessi, confitetur enim aspectus divinae sapientiae, unde contra nos de jure debeat sententia proferri. Et prima quidem reverentia debet esse magna, secunda major, tertia maxima. Unde prima est ad modum inclinationis, secunda ad modum genuflexionis, et tertia ad modum prostrationis. In prima nos subjicimus, in secunda nos dejicimus, in tertia nos abjicimus. In prima reputamus nos parvos, in secunda minimos, in tertia vero nullos. Benevolentiam autem debemus simili modo Deo tripliciter exhibere, scilicet magnam, majorem et maximam. Magnam consideratione infirmitatis nostrae, majorem consideratione magnitudinis gratiae suae, et maximam consideratione immensitatis misericordiae suae. Et magnam pro commissis, majorem pro dimissis, et maximam pro promissis. Vel magnam pro complementis naturae, majorem pro indumentis gratiae, et maximam pro donis supererogantiae. In prima cor extenditur; in secunda aperitur, ut in Canticis dicitur: *Aperi mihi, soror mea (5, 2);* et in tertia effunditur, ut in Threnis dicitur: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini (2, 19).* Complacentiam autem triplici modo debemus Deo exhibere toto corde. Primo, ut sic coaptetur complacentia nostra ad Deum, ut unicuique placeat, quod solus Deus placeat sibi. Secundo, ut ei hoc placeat, quod ipse placeat soli Deo. Tertio, ut hoc ei placeat, quod in hac complacentia ceteri communicent.

In prima est magna, in secunda major, et in tertia maxima. In prima est amor gratuitus, in secunda est amor debitus, et in tertia est amor ex utroque permixtus. In prima crucifigitur mundus homini, in secunda crucifigitur homo mundo, in tertia crucifigitur homo pro mundo, ut pro omnibus velit homo mori, ut et ipsi placeant Deo. Et hic est gradus et status perfectae caritatis, ante cujus assecutionem nemo debet se aestimare perfectum. Tunc autem hanc perfectionem homo assequitur, quando cor suum invenit non solum voluntarium, sed etiam avidissimum ad moriendum pro salute proximorum, secundum quod Apostolus dicebat: *Libentissime impendam et superimpendam ego ipse pro animabus vestris (2. Cor. 12, 15).* Ad hanc perfectam dilectionem proximi non pervenitur, nisi prius perveniatur ad perfectam dilectionem Dei, propter quem diligitur proximus, qui non est diligendus nisi propter Deum. Et propterea ad intelligendam perfectionem in dilectione Dei, sciendum est, quod sex sunt gradus, quibus paulatim et ordinate proceditur, ut ad perfectionem perveniatur, quorum primus est suavitas, secundus aviditas, tertius saturitas, quartus ebrietas, quintus securitas, sextus tranquillitas. Primus itaque gradus est suavitas, ut homo addiscat gustare quam suavis est Dominus. Et hoc quidem fit vacando et sabbatizando ei per sanctas meditationes, secundum quod dicitur in Psalmo: *Reliquiae cogitationis diem festum agent tibi (75, 11).* Quod quidem fit, quando meditationes circa amorem Dei suavitatem pariunt in corde. Secundus gradus est aviditas, quando scilicet anima assuefieri coeperit circa illam suavitatem, et nascitur in ea tanta esuries, ut nihil eam possit reficere, nisi eum, quem amat, possederit perfecte. Quod quia non potest in praesenti attingere, quia adhuc longe est, continue excedit et egreditur extra per amorem ecstaticum, clamans et dicens illud beati Job: *Suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea (7, 15);* et illud Psalmi: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus (41, 2).* Tertius gradus est saturitas, quae oritur ex ipsa aviditate. Qui enim vehementissime Deum desiderat et sursum fertur, jam omne, quod deorsum videt, vertitur ei in fastidium. Unde quasi saturatus non potest refectionem invenire in aliquo citra ipsum dilectum. Et sicut saturatus, si cibum sumat, incurrit potius abominationem quam refectionem, sic in hoc gradu caritas facit circa omne creatum; unde dicit Sapiens: *Anima saturata calcabit favum (Prov. 27, 7).* Quartus gradus est ebrietas, quae oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit, quod quis tanto amore diligat Deum, ut jam non solum fastidiat solatium terrenum, sed etiam delectetur et quaerat tormentum pro solatio, et amore illius, quem diligit, delectetur in poenis, opprobriis et flagellis cum Apostolo *(2. Cor. 12, 10).* Unde, sicut ebrius seipsum denudat sine pudore, et sustinet plagas sine dolore; sic in isto intelligendum est. Unde *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. 5, 41).* Quintus gradus est securitas, quae oritur ex ebrietate. Ex hoc enim quod anima sentit se tantum amare Deum, quod libenter sustinet propter ipsum omne damnum et omne opprobrium, jam foras mittitur timor, et tantum concipit anima spem de adjutorio Dei, ut nullo modo existimet se posse separari ab eo. In hoc gradu erat Apostolus, cum dicebat: *Quis nos separabit a caritate Christi? ... Certus sum enim, quia neque mors, neque vita ... poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro (Rom. 8, 35).* Sextus gradus est vera et plena tranquillitas, per quam est tanta pax et requies in anima, ut quodam modo sit in silentio et somno, et velut in arca Noë collocata, ut nullo modo perturbetur. Quis enim potest inquietare mentem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, et nullus timoris aculeus agitat? In ista mente pax est et status ultimus et quies, et ibi requiescit verus Salomon: *Quoniam in pace factus est locus ejus (Psalm. 75, 3).* Et ideo valde convenienter isti gradus significantur per illos sex gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis *(3. Reg. 10, 19; et 2. Paral. 9, 18).* Et propter hoc dicitur in Canticis: *Ascensum purpureum media caritate constravit (3, 10);* quia impossibile est ad istam tranquillitatem pertingere, nisi per caritatem. Hac autem acquisita, facillimum est homini facere omne, quod est perfectionis, sive agere, sive pati, sive vivere, sive mori. Audendum est igitur ad profectum caritatis, cum profectus ejus inducat perfectionem omnis boni et complementum. Ut igitur sint ad manum praedictae differentiae, nota quod, qui ad hanc perfectionem vult proficere, debet per meditationem stimulum conscientiae primo exasperare, exacuere et rectificare; et sic ad radium intelligentiae transire, ipsum protendendo, dilatando et reflectendo; et sic ad igniculum sapientiae transire, ipsum congregando, inflammando et sublevando. Et sic per orationem primo debet deplorare miseriam suam, cum dolore propter damnum, cum pudore propter opprobrium, et cum timore propter periculum. Secundo debet implorare divinam misericordiam, cum vehementia desiderii per Spiritum sanctum, cum fiducia spei per Christum crucifixum, et cum assistentia patrocinii per Sanctorum suffragium. Tertio debet exhibere latriam, exhibendo Deo reverentiam, benevolentiam et complacentiam, ut primo ex parte Dei procedat admiratio divina, quasi major propositio; secundo ex parte nostra sequatur consideratio, quasi assumptio; tertio fiat latriae plena exhibitio, quasi conclusio. Qui autem sic excitaverit se continue et intente, proficiet in caritate secundum sex gradus praedictos, quibus pervenitur ad perfectionem tranquillitatis, ubi est multitudo pacis et quasi quidam finis quietis nostrae, quam Dominus reliquit Apostolis. Unde nota, quod Apostolus in qualibet salutatione optabat gratiam et pacem, gratiam tanquam primordialem, pacem sicut complementum. Ad Timotheum *(2. Tim. 1, 2)* autem interponit misericordiam, quae est utriusque principium.“ *Incend. am. c. 2.*

[3] „Sexta et ultima ala, sine qua reliquae perfici non valent, maxime est necessaria, ut sit devotus ad Deum, per quem zelus justitiae accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Haec est unctio spiritus, docens de omnibus, quae expediunt saluti; unde dicit Joannes *(1, 2. 27): Vos unctionem habetis a Spiritu sancto, et nostis omnia, et non necesse habetis, ut aliquis vos doceat; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Devotio mentem illuminat ad cognoscendum quid sit melius; unde Dominus dicit *(Jo. 14, 26): Docebit vos omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis.* Inflammat ad appetendum bonum;

unde et in Ecclesiastico *(24, 29)* dicitur: *Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient.* Roborat ad perficiendum: *Deus est enim, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Philipp. 2, 13).* Facit horrere peccata, dicente Psalmista *(Ps. 118, 163): Iniquitatem odio habui;* et Apocalypsi *(10, 9): Liber comestus dulcis gustu amaricat ventrem.* Actiones ordinat ad virtutes, sicut dicitur in Canticis *(2, 4): Introduxit me rex in cellam vinarium, ordinavit in me caritatem.* Mores exterius componit et verba, sicut dicit Tobias *(3, 17): Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in levitate ambulant.* Scientiam fidei dulcem reddit, sapientia enim secundum nomen suum est *(Eccli. 6, 23),* id est sapida scientia. Spem in fiduciam erigit: *Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium nobis, quod sumus filii Dei (Rom. 8, 16).* Amorem Dei accendit, namque: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. 5, 3).* Deo familiarem efficit, juxta illud *(Ex. 33, 11): Loquebatur Dominus cum Moyse, sicut homo loqui solet ad amicum suum.* Dat fiduciam impetrandi petita, sicut habebat Joannes, quum dicebat *(1, 3. 21—22): Fiduciam habemus ad Deum, et quodcumque petierimus, accipiemus.* Orationem impinguat, ut in Psalmis *(Ps. 19, 4): Holocaustum tuum pingue fiat;* et in Ecclesiastico *(38, 11): Impingua oblationem.* Pium et affectuosum facit, juxta illud *(Sap. 7, 22—23): Suavis, humanus et benignus est spiritus sapientiae.* Cor humiliat, ut ait Isaias *(66, 2): Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem?* Oleum spiritum premit in olla fervente. Contra adversa constantiam praestat; unde dicit Psalmista *(Ps. 26, 1): Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo?* Et Apostolus *(Rom. 8, 35): Quis nos separabit a caritate Christi?* Omnia opera bona delectabilia facit, juxta illud *(Sap. 8, 16): Non habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium, sed laetitiam et gaudium.* Mentem in superna elevat: *Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum ejus et flatum ad se trahet (Job 34, 14).* Mundum vilescere facit, dicente Ecclesiaste *(1, 14): Vidi cuncta, quae fiunt sub sole, et ecce omnia vanitas.* Desiderare caelestia cogit; hinc Apostolus dicit *(Philipp. 1, 23): Coarctor e duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.* Peccata delet et poenas peccati; unde ait Dominus *(Luc. 7, 47): Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Merita sublimat, teste Sapiente *(Sap. 8, 6),* qui ait: *Si divitiae appetuntur, quid sapientia locupletius, quae omnia operatur?* Proximos maxime aedificat; unde dicitur *(Eccli. 45, 19): Offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis;* et: *Christi bonus odor sumus (2. Cor. 2, 15).* Daemones fugat, *nam fumus ejus extricat omne genus daemoniorum (Tob. 6, 8).* Angelos invitat et Sanctos, ait enim Psalmista *(Ps. 67, 26): Praevenerunt principes conjuncti psallentibus;* et Tobias *(12, 12): Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Haec et multa alia devotionis gratia confert." *De sex alis Seraphim, c. 8. nn. 1—2.*

[4] „In omni oratione, quam facis, magis studeas ad devotionem, quam ad consummationem pervenire; ut statim cum inveneris aliquam lacrymam, aliquam gratiam, vel Jesum desideratum, orationem ulterius non protendas, sed eo fruere, quem quaerebas, ut dicas cum Sponsa *(Cant. 3, 4): Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Et subtrahente se Jesu, orationem perficias, quam coepisti; et consulo tibi, ut numquam, si poteris, orationes consuetas dimittas. Non enim qui incipit, commendatur, sed qui finaliter perseverat. Ora ergo, Frater carissime, et te in oratione exerce, quia pauperi non oranti aeterna supplicia promittuntur. Ait enim beatus Bernardus *(in festo ascens. serm. 4. n. 11):* Ora semper, instanter ora; quia ille dicitur habere tunicam mixtam sanguine, qui carnem suam nutrit de pauperum sudore, nisi recompenset in devota oratione et gratiarum actione. Cantando etiam nobis multa bona proveniunt. Graves ergo pro eis effundite gemitus; alioquin quod hîc in deliciis sumitur, in tormentis evometur. Studeamus tanto frequentius et morosius cum fervore dilectionis orare, quanto nobis plus ceteris majora beneficia conferuntur; quia sicut dicit beatus Gregorius *(in Evang. l. 1. hom. 9. n. 1):* Tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Et omnis oratio tua semper vertatur aut circa beneficia collata tibi cum gratiarum actione, aut circa tua et proximorum scelera perpetrata, cum dolore et lacrymarum effusione. Ista est enim scala *(Gen. 28, 12),* per quam videbat Jacob angelos ascendentes, et descendentes." *Ordinar. vitae Relig. n. 8.* Suppl. vol. III. — „In hoc ergo sit studium tuum, carissime, si vis multum placere Deo. Studeas, quod pure obedias in his, quae tibi praecipiuntur. Dicebat beatus Pater Franciscus, quod si quis esset bene obediens, una hora non transiret ei sine merito. Si vis in te habere ea, quae dixi, studeas, ut sis vir orationis. Oratio faciet te esse humilem, patientem et obedientem. Oratio faciet te habere omnia bona. Oratio faciet te habere Deum in vita ista, et in vita aeterna. Dicebat etiam beatus Franciscus, quod impossibile sibi videretur, quod aliquis possit proficere in servitio Dei, nisi esset vir orationis. Si vis, carissime, habere orationem, oportet quod habeas silentium; et si vis habere silentium, oportet, quod habeas solitudinem." *Epist. de Imit. Jesu Christi n. 16—18.* Supplem. vol. III.

[5] „*Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine, Christum per fidem habitare in cordibus vestris, in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (Ephes. 3, 14—19).* Apostolus Paulus, vas aeternae electionis, sacrarium divinae sanctificationis, speculum et exemplar supernae contemplationis, in verbis praemissis ostendit nobis mentalis exercitationis ortum, objectum et fructum. Mentalis enim exercitatio, si debet esse pia et salutifera, oportet quod habeat potentiam supernaturaliter confortantem, sapientiam regulantem et clementiam consolantem. Flectat igitur anima devota, divinae contemplationis amore accensa, genua mentis ante thronum beatissimae et incomprehensibilis Trinitatis; pulset humiliter, et postulet sapienter Dei Patris confortatricem potentiam, ne labore depressa succumbat; Dei Filii regulatricem sapientiam, ne errore seducta a veritate deviet; Dei Spiritus sancti consolatricem pietatem et clementiam, ne taedio victa deficiat; *omne*

enim *datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (Jacob. 1, 17);* et secundum Augustinum *(de natura bon. cont. Manich. c. 1):* Omne bonum nostrum aut Deus est, aut a Deo est. Unde non immerito in omni boni operis initio ille est invocandus, a quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, et ad quem omne bonum finaliter reducitur. Haec est illa ineffabilis Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, quum dicit: *Flecto genua,* usque ibi, *ut possitis.* Secundo ostendit istius salutiferae mentalis exercitationis objectum. Objectum vero exercitationis devotae mentis dicuntur esse interiora et exteriora, inferiora et superiora. Debet enim anima devota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad interiora sua, ut videat, qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam. Secundo debet convertere radium contemplationis ad exteriora, ut cognoscat, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, et quam miserabilis mundana magnificentia. Debet etiam tertio radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanae mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, poenae infernalis intolerabilem poenalitatem. Debet quarto convertere radium contemplationis ad superiora, ut cognoscat et sapiat caelestis gaudii inaestimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem et interminabilem aeternitatem. Haec est illa crux beata, quatuor finibus terminata, in qua, o anima devota, cum tuo dulcissimo sponso Jesu Christo debes jugiter meditando pendere. Hic est ille currus igneus, quatuor rotis consummatus *(4. Reg. 2, 11),* in quo debes post tuum fidelissimum amicum assidue contemplando caeli palatium conscendere. Haec est illa quadruplex regio, videlicet orientalis, aquilonaris, occidentalis et meridionalis, quam tu, o anima, quotidie debes peregrinando intrare, et tuum dilectum specialissimum in ea speculando quaerere et investigare, ut possis dicere cum Sponsa *(Cant. 3, 1): In lectulo meo quaesivi per noctem, quem diligit anima mea.* Haec quatuor tangit Apostolus, cum subjungit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum.* Fructus illius salutiferae exercitationis, si digne et laudabiliter exequatur, est felicitas aeterna, quae est quid optimum et pulcherrimum, et per se sufficientissimum, nullo extra se indigens. In qua videbimus et amabimus, vocabimus et laudabimus in aeternum et ultra, eum qui est benedictus in saecula. Hunc fructum promittit Apostolus, quando sermonem concludit, dicens: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei (Ephes. 3, 19).* Hanc plenitudinem tunc inveniemus, quando Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi multitudo lucis, memoriae continuatio aeternitatis. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus *(1. Cor. 15, 28),* cum a ratione omnis error, a voluntate omnis dolor et a memoria omnis timor recesserit, et successerit illa, quam speramus, mira serenitas, divina jucunditas, aeterna securitas.“ *Soliloq. in fin. prol.*

[6] „Alia est devotio communis, alia specialis . . . communis in divinis officiis, specialis in orationibus . . . Circa officia divina triplicem debet habere diligentiam devotionis, scilicet ut omnia fiant ordinate et non confuse, et sine erroris haesitatione, ut quisque deputatum ministerium congrue exequatur. Unde Paulus *(1. Cor. 14, 40)* dicit: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis;* nam dicitur in Paralipomenis *(1, 25. 1): David et omnis exercitus segregaverunt in ministerium Domini, qui prophetaverunt in citharis, psalteriis et cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes.* Item, ut strenue et non pigre, seu desidiose, opus Domini, scilicet divini cultus peragatur, quia ait Jeremias *(48, 10): Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Item, ut devote et reverenter sine aliqua dissolutione et strepitu, distincte et attente divina officia persolvantur, sicut in conspectu angelorum et praesentia Dei, sicut dicitur in Ecclesiastico *(39, 41): In omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini.* Officium enim divinum in Ecclesia Spiritus sanctus ordinavit fieri quinque de causis. Primo propter imitationem caelestis concentus, quo Sancti et angeli in caelo assidue in praesentia Dei ejus laudibus sunt intenti. Unde dicit Psalmista *(Ps. 83, 5): Beati qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.* Quum enim secundum promissionem suam dicat Dominus *(Matth. 28, 20): Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi,* hîc dignetur Christus nobiscum esse veraciter, tam sacramentaliter, quam spiritualiter; dignum est, nos ei pro modulo nostro aliqualem exhibere reverentiam honoris et laudis, juxta exemplar similitudinis caelestis, ut ei, etsi non continue sicut illi caeli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo, alacriter assistamus imitantes illam, *quae sursum est, Jerusalem matrem nostram,* ut ait Paulus *(Gal. 4, 26).* Secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias pro his, laudando et orando, ei jugiter referamus, qui natus in nocte ex Maria Virgine, mane judici passurus assistitur, diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur, et post Spiritum sanctum misit Apostolis, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere coenans corporis et sanguinis sui nobis sacramenta tradidit, et completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantum ejus nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed et praesentiae suae gratiam exhibet, et sub forma sacramenti nos seipso spiritualiter pascit. Si ergo justum est nos horum numquam oblivisci, ita expedit ea semper recolere certis horis. Unde Isaias ait *(63, 7): Miserationum Domini recordabor, laudem ejus super omnibus, quae reddidit nobis.* Tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad devotionem excitemus, et ignem amoris Dei per hoc nobis, ne per desidiam seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus, sicut jussit Dominus Moysi dicens *(Lev. 6, 12—13): Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet, quem nutriet sacerdos in altari, subjiciens mane ligna.* Ignis est devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos devotus semper, subjicendo ligna divinae laudis, debet nutrire, ne quando extinguatur. Unde dicit Psalmista *(Ps. 53, 1): Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Quarto, ut simplices fideles, qui per se nesciunt certa orandi tempora eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut saltem tunc ad ecclesiam oraturi conveniant, quando ibidem divinae laudis officia persolvuntur; et ut minus afficiantur taedio ibi persistendi, quamdiu coram se vident clericos celebrare divina. Unde in Luca dicitur *(1, 10): Omnis multitudo populi erat foris hora incensi.* Multi enim rudes vix um-

quam se orationi offerrent, si foris non certis temporibus in ecclesiam ex consuetudine, ad divinorum celebrationem et verbi Dei recitationem, ordinarie vocarentur. Quinto, propter decorem religionis christianae, quia decens est et congruum, ut si Judaei et Gentiles, et quidam haeretici quandoque conventicula sua faciunt, et sua profana ibi commercia celebrant, et ritus suae perfidiae observant; multo dignius qui vera et sacrosancta habent sacramentorum mysteria, ad ea celebranda et veneranda saepe conveniant, et debita Conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus et gratiam Dei ampliorem mercentur et vitam aeternam, et quibus alliciantur simplices ad religionis sanctae reverentiam et amorem. Propter quod scriptum est *(Eccli. 47, 12): Dedit in celebrationibus decus, et ornavit tempora, usque ad consummationem vitae, ut laudarent nomen sanctum Domini, et amplificarent mane Dei sanctitatem.* Inter omnes ergo exteriores observantias major debet diligentia divino officio adhiberi, ut, sicut dictum est, ordinate fiat, strenue et devote. Alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo, et intendimus Deo, et alloquimur eum et nos ipse; simul et pro nostris necessitatibus ejus auxilium postulamus. Specialis devotio consistit in orationibus privatis, in familiaribus vocalium orationum recitationibus, veluti psalmorum, litaniarum et aliarum orationum, quas in secreto quisque per se extraordinarie ruminando persolvit, nam dicit Dominus *(Matth. 6, 9): Quum oratis, dicite: Pater noster.* Item in sacris meditationibus, quum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria et miserias et futura supplicia, vel beneficia Dei generalia seu specialia, et passionem Christi et bonitatis ejus dulcedinem, et praemia repromissa; ut ex his concipiat devotionis affectum, timoris vel amoris Dei, desiderii moeroris vel gaudii spiritualis, juxta illud *(Ps. 76, 7): Meditatus sum in nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Item in piis erga Deum affectibus et lacrymis et suspiriis et sanctis desideriis amoris, et aliis internis et ineffabilibus motibus cordis, in jubilis, excessibus et raptu et absorptione spiritus in Deum, quo adhaerens Deo unus fit spiritus cum eo per purae intelligentiae lucem et cognitionem Dei, et amoris ejus ardorem et glutinosam fruendi inhaesionem: *Ipse enim Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (Luc. 6, 12).*" *De sex alis Seraphim. c. 8. num. 4—10.*

[7] „Quaedam oratio est pure mentalis, quaedam vocalis, quaedam media. Pure mentalis est, quando labia non moventur, sed cor ad Deum loquitur. Pure vocalis est, quando nihil cogitat in his, quae dicit, nec in generali, nec in speciali, ita quod referat intentionem ad sensum verborum, vel finem, sed, cum orat, fabricat castra; et sic mentalis simpliciter excedit vocalem. Alia est mixta, in qua scilicet orat mentaliter et vocaliter. Et de ista distinguendum, quia aut verba illa impediunt affectum, quia sic inflammatus est, quod immediate fertur in Deum; et tali utilior est oratio mentalis: si autem juvatur, utilior est vocalis; et multi sunt tales, et maxime illi, qui non sunt viri spirituales, ad quorum affectus provocandos institutae sunt vocales orationes." *4. dist. 15. p. 2. a. 2. q. 3.* — „Conditiones orationis quaedam sunt essentiales, ut recta intentio et justa petitio; quaedam accidentales, ut tempus et locus. Dico igitur, quod Dominus non dixit iis verbis *(Joan. 4, 23): Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem,* locum determinatum ab oratione vera esse resecandum ut superfluum; sed cognoscendum non esse de orationis essentia, quia veri adoratores ubique Deum adorant. Et licet non sit necessarius, non tamen est superfluus; valet enim ad memoriam habendam, ad devotionem excitandam, ad unitatem servandam, ad societatem angelorum obtinendam; quia *praevenerunt principes conjuncti psallentibus (Ps. 67, 26).*" *Comm. in Ev. Joan. c. 4. n. 252.* Supplem. vol. I.

[8] „Sancti pro nobis orant. Et hujus ratio est duplex. Una est, quia vident nostram necessitatem, quia nos indigemus ab illis relevari. Alia propter Dei voluntatem, quia vult, ut unum membrum aliud relevet, et quod pro invicem sollicita sint membra; unde cum ipsi sint liberati, debent alios adjuvare." — „Ad illud ergo quod objicitur, quod possunt quidquid volunt, dicendum, quod voluntas dupliciter comparatur ad actum; aut ad actum proprium, ut volo hoc facere; aut ad actum alienum, ut volo ut alius faciat hoc, scilicet Deus vel homo. Unde dico, quod auctoritas Anselmi est respectu actus proprii; sed oratio, vel petitio salutis respectu actus divini, ut scilicet Deus salvet." — „Ad illud quod objicitur, quod non ascendit intellectus in Deum, dicendum, quod intellectus dicitur in Deum ascendere tripliciter. Aut per novum aspectum in Deum, scilicet quando homo revocat cogitationem ab aliis, et convertit in Deum; et sic est tantum in viatoribus. Alio modo per aspectum alterius inferioris rei, ut cum quis cogitat humanam miseriam, et implorat misericordiam; ut relevet miseriam, ibi dicitur aspectus, non quia de novo aspiciat, sed quia aliud inferius ad illud respiciat; et sic est in beatis, quando pro nobis orant et rogant, quia tunc nostram indigentiam considerant. Tertio modo propter continuationem intuitus primi. Unde cum quis considerat Deum, qui est super se, et continue considerat, continue ascendit, non quia ad aliud et ad aliud, sed quia supra se fertur; et hoc modo continue est in beatis. Et sic patet istud, quia si primo modo dicatur oratio, ascensus est tantum viae, secundo modo est viae et patriae, tertio modo tantum patriae." — „Ad illud quod objicitur, quod beatus habet quidquid vult, dicendum, quod beatus aliqua vult sibi, aliqua vult aliis. Dico ergo, quod ad substantiam beatitudinis est, ut habeat omne, quod vult sibi; sed ut habeat omne, quod vult aliis, non est de substantia beatitudinis, sed de consummatione et bene esse: et hoc non erit, quousque omnes electi sint glorificati, tunc enim quilibet habebit quod vult sibi, et quod vult cuilibet alii: et tunc plena est beatitudo. Item beati orant tantum pro aliis, miseri pro se et pro aliis; sed consummato numero electorum, non rogabunt pro se, nec pro aliis." *4. dist. 45. a. 3. q. 1. concl. et ad 1. 2. 3.*

[9] „Sanctorum orationes multa nobis bona impetrant merito et affectu. Merito quidem praecedenti, quo Deo facillime servierunt; et tantum locum suis meritis sunt adepti, ut non solum sibi beatitudinem et gloriam meruerint, sed etiam aliis suffragari. Multa etiam supererogaverunt affectu, quia amici Dei sunt facti, et amicitiae est idem velle et nolle; et cum aliquem ament Sancti, compellunt (ut sic dicam) Deum diligere. Unde beata Virgo multos peccatores Deo reconciliare dicitur." — „Ad illud

ergo quod objicitur, quod non sunt in statu merendi, dicendum, quod verum est ibi. Et praeterea non redditur exauditio merito, quod tunc fit, sed merito quod praecessit.“ — „Quod objicitur, quod tunc sine oratione fieret, dicendum, quod meruerunt non simpliciter, quod ista obtinerent sub conditione, videlicet si ipsi intercederent, vel alii eorum subsidia impetrarent, sicut aliqui Sancti in morte petierunt, quod Dominus exaudiret invocantes eorum patrocinium. Et quod dicit, quod meritum eorum est plene remuneratum, verum est de merito absoluto, sed de merito conditionato adhuc stat conditio et merendi ratio.“ — „Ad illud quod objicitur, quod conformant voluntatem suam divinae per omnia, dicendum quod, sicut dicit Augustinus de praedestinatione Sanctorum, orare debemus pro praedestinatis, quia fortasse praedestinati sunt, ut nostris orationibus confirmentur; et si constaret nobis hoc totum, quod essent praevisi salvari ad nostras preces, deberemus utique pro eis rogare, ut fructuose rogaremus, quia ad preces nostras salvantur. Sic intelligendum est in Sanctis, qui vident, quod Deus decrevit nos salvare ad eorum preces; ideo instantissime rogant, et impetrant.“ *4. dist. 45. a. 3. q. 2. concl. et ad 1. 2. 3.*

[10] „Deus decrevit et voluit, quod Sanctos rogaremus, triplici ex causa, scilicet propter nostram inopiam, Sanctorum gloriam et Dei reverentiam. Propter inopiam in merendo, ut ubi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena. Propter inopiam in contemplando, ut qui non possumus summam lucem aspicere in se, eam saltem intueamur in Sanctis. Propter inopiam in amando, quia miser homo se magis sentit affici circa unum Sanctum, quam etiam circa Deum; ideo compassus nostrae inopiae voluit nos rogare Sanctos. Ac per hoc patet primum, quia ille qui ante erat indignus de se, rogando Sanctos, eorum patrocinio efficitur dignus. Secunda causa est Sanctorum gloria, quia Deus vult Sanctos suos glorificare, vult per eos miracula facere in corporibus, et salutem in animabus, ut ipsos laudemus; et hoc non tantum per supremos Sanctos, sed etiam infimos. Unde sicut aliquis sanatur corporaliter invocando Linum, et non invocando Petrum, alius e converso, sic et spiritualiter. Et sic patet secundum, quia Deus vult honorem duliae omnibus Sanctis dari. Tertia causa est Dei reverentia, ut peccator, qui Deum offendit, quasi non audeat Deum propria persona adire, sed amicorum patrocinium implorare.“ *4. dist. 45. a. 3. q. 3.*

[11] Devotam ac melliflua suavitate conspersam orationis dominicae paraphrasim S. Doctor conscripsit, quae talis est: „*Pater noster.* O immensa clementia! O ineffabilis benignitas! o mira dignatio! O longitudo, latitudo, sublimitas et profundum caritatis divinae *(Ephes. 3, 18)!* Vilissimum lutum sum, detestabilis sanies, nequissima creatura; et tamen *Deus Deorum (Ps. 49, 1), Dominus Dominantium et Rex Regum (Apoc. 19, 16),* se meum Patrem dicit. *Cum oratis,* inquit, *dicite: Pater noster (Luc. 11, 2; Matth. 6, 9).* Ex quo hoc dicit ipsa veritas, verissimum est. Et scio, quod plus sine comparatione me diligit, quam pater carnalis vel mater; imo quam ego ipse. De tanto ergo Patre elevabitur cor meum ut aquila *(Job 39, 27),* et jam haeres caeli omnia inferiora contemnam. Quid ultra mihi de terrenis honoribus, qui sum Filius Dei? Majus dedecus esset mihi appetere quantumcumque magnum honorem, quam filio Imperatoris appetere latrinae officium. Quid ultra mihi de terrenis divitiis, qui regni aeterni sum haeres? Ignominiosius esset mihi de quantumcumque magnis divitiis terrenis curare, quam primogenito Imperatoris de fimo equorum suorum. Quid ultra mihi de deliciis carnalibus et terrenis, qui haeres sum summi boni? Detestabilius esset mihi affici in quantumcumque allectiva creatura, quam filio Imperatoris in foetidissima sanie. Accedam ergo ad Patrem meum, quia nihil aliud vult, quam ut habeam eum. Numquid negligens ero? Numquid pausabo? Numquid aliis intentus ero? Certe cum impetu, omnibus postpositis, curram ad eum. Sufficit mihi, si habeam Patrem meum; et ideo toto corde intendam in eum. Non aliud aspiciam, nec aliud videbo, nisi Deum meum; quia oculus mentis meae totus intendit in eum, quoniam nimis allexit animum meum. Dicam ergo: *Pater noster.* O mel et favum in ore meo *(Eccli. 24, 27),* cum te Deum meum, Patrem meum voco. O dulcedo indicibilis! O jucunditas inaestimabilis! O jubilatio ineffabilis! audere te Patrem vocare. O exultatio! O admiratio! O medullaris modulatio! *Pater meus es tu (Ps. 88, 27).* Quid ultra procedam? Quid ultra dicam? Quid ultra petam? Pater meus es tu. Sed ubi es, Pater mi, ubi es? Si ubique es, imo quia ubique es, quomodo tibi *caelum sedes est ((Act. 7, 49)?* — Sed ideo, o benignissime Domine, vis, ut dicamus: *Pater noster, qui es in caelis,* ut nos a terrenis ad caelestia eleves, ubi maxime tua potentia, sapientia et bonitas elucescit; et ut ibi, mi Pater, sit semper conversatio nostra *(Philipp. 3, 20);* et ut a te caelestia, non terrena petamus. *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctificetur, Domine, nomen tuum, quod ab aeterno in se sanctissimum est, ut quidquid videmus, quidquid audimus, quidquid intelligimus et sentimus, totum ad sanctissimi tui nominis notitiam ordinemus, ut sic in nobis nomen tuum sanctum sit et purum, ut excussi et purgati ab omni curiositate et vanitate, et ab omni inutili phantasia, te solum in omnibus agnoscamus; semper mentis nostrae oculos ad te lumen aeternum incessanter dirigamus; et semper te, qui in omnibus es, et a quo omnia sunt, in omnibus intueamur. O quam dulce lumen! O quam delectabile oculis, a te sole justitiae nunquam mentis intuitum amovere! O quam dulcis, quam amabilis, quam admirabilis oculis nostris tuorum claritas radiorum! *Sanctificetur* ergo *nomen tuum. — Adveniat regnum tuum.* Nunc, Domine, regnum hujus mundi occupavit animam meam, imo totam dissipavit animam meam, totam laceravit, totam foedavit, totam denigravit super carbones *(Thr. 4, 8)* sponsam tuam, dilectam animam tuam. Totum cor meum, totum animum meum, totum affectum meum vanitas, imo foeditas, hujus mundi allexit. Ideo nonnisi quae mundi sunt, sentio; quae carnis sunt, appeto; et sola terrena cogito et affecto. Factus sum hujus mundi civis, et sub hujus mundi principe studeo militare. Sed, Domine, nonne creatura tua sum? Ergo *adveniat regnum tuum,* ut *princeps mundi hujus ejiciatur foras (Jo. 12, 31),* et tu solus in me regnes, tu solus inhabites mentem meam. Totum me occupet regnum tuum, totum sibi vindicet desiderium meum, solum reficiat affectum meum. Quid quaero? Quid volo? Quid desidero? Cur vagor? Quo discurro? Quo distrahor? Sufficit mihi, Domine, regnum

tuum. Ergo *adveniat regnum tuum.* Nihil de cetero cogitem, nihil desiderem, nihil affectem, nisi *regnum tuum, regnum omnium saeculorum (Ps. 144, 13).* Sit ibi refectio mea, sit ibi habitatio mea, sit ibi tota conversatio mea. Tu solus bonus, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus desiderabilis, animarum amator. Tu solus me regas, tu solus me allicias, tu solus cor meum habeas, animarum zelator. In te solum dulcoretur pectus meum, in te solum quiescat cor meum, tu repleas animum meum totum. Cum impetu ergo ascendam ad te centrum et regnum meum, animarum redemptor. Ergo *adveniat regnum tuum.* — *Fiat voluntas tua.* Hoc volo, hoc desidero, hoc totis animi visceribus concupisco, ut in me et de me ac per me, *non mea, sed tua voluntas fiat (Luc. 22, 42).* Totus tuus sim, totus in tuum solum tendam honorem. Ad hoc natus sum, ut tuum solum requiram honorem. Jam non flectar ad meum oppositum, jam non proprium requiram commodum, jam non desiderem amicorum affectum. Non cogitem, quid amarum vel dulce sit, quid honorificum vel vile, difficile vel leve, asperum vel suave; sed solum nitar in omnibus tuum beneplacitum adimplere, et cum impetu et desiderio ferventi et animi anxietate curem perficere, quae tuae sunt placita voluntati. Hoc solum mihi sit jucundum, hoc solum mihi suave, hoc solum mihi leve, delectabile et amabile, in quantumcumque asperis, vilibus, difficilibus et amaris, tuam requirere voluntatem. O gaudium et jucunditas et exultatio medullaris! et totum, et totaliter, et ubique exponere me ad omnem tui honorem, quem possim modo aliquo effectui mancipare. O utinam solus possem omnia tua ministeria, mi Domine, adimplere. Magis gaudeo, magis approbo, amplius totis artubus et visceribus concupisco, me totum impendere tuo honori et divinae tuae satisfacere voluntati, quam quantumcumque caelestibus et divinis laetitiis jucundari. Si enim pro te, mi Domine, totaliter lacerarer, et passiones et mortes quascumque ad tui honorem reciperem, eas magis approbarem, magis diligerem, de eis magis gauderem, quam de quacumque delectatione, quam etiam in patria possem habere; nisi fortasse in illa delectatione tantum aut plus cederet ad tui honorem: et hoc non ratione delectationis, sed ratione tui honoris optarem. Non enim factus sum ad meam vanitatem consolandam, sed ad tuam magnificentiam honorandam. Quid mihi majus? Quid mihi dulcius? Quid mihi amabilius, quam me totum in tuum honorem resolvi? O gaudium! O tripudium! O omne mihi jubilare solatium, quod possim aliquid, quantacumque difficultate, facere ad tuum honorem! Hoc est gaudium angelorum, caeleste desiderium, patriae praemium, posse tibi totaliter obsequi, totaliter in te ferri, tuae voluntati plenarie conformari, et tuum honorem et magnificentiam admirari. Non dubito, Domine, imo certus sum, quod plus gaudent angeli et animae sanctae de magnificentia tui honoris, quam de magnificentia gloriae suae; et ideo *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.* *In caelo,* id est, in caelestibus spiritibus; *et in terra,* id est, in nobis hominibus, ut tuae voluntati ferventer, libenter et voluntarie obsequamur, et tuae voluntati totaliter conformemur, secundum possibilitatem nostrae virtutis. — *Panem nostrum quotidianum da nobis.* Quamvis de materiali et spirituali possit exponi, de sacramentali tamen pane maxime exponamus ad praesens. O inaudita Christi dignatio, et mira jubilatio mentis! Sanctorum praemium, angelorum gaudium, Dei Patris Verbum, est nutrimentum meum. Lux mundi, sol caeli, sapientia Dei est refectio animi mei. Proles virginea, redemptio humana, caeli gloria, facta est cibatio mea. Quid ultra affecto? Quid ultra allicere me potest? Absit a me, Domine, ut ex quo cor meum habet tam nobilem cibum, circa aliud, quod est in toto mundo, afficiatur. Quomodo, obsecro, post tam nobilissimum, sufficientissimum, suavissimum et dulcissimum cibum, potest cor meum circa vana, turpia et immunda delectari? Quomodo, obsecro, potest cor meum, etiam ad momentum, ab isto nobilissimo cibo separari? Etsi semper non possim ipsum sacramentaliter sumere, saltem cor meum ipsum spiritualiter non desinat ruminare. In veritate mirum et plusquam mirum videtur, quomodo prae dulcore et nimio amoris fervore cor non deficit in hoc cibo. Tu solus, bone Jesu, sis cibus meus et refectio mea. Te solum esuriam, te avido et insatiabili appetitu comedam, et semper sim famelicus tui. Quid te dulcius? Quid te suavius? Quid te amabilius, bone Jesu? Te solum volo comedere, te solum volo masticare, tu mihi solus dulcescas in corde. Si solus odor tuus deberet reficere totum mundum, quanto magis cibatio tua? Si in verbo, quod de ore tuo procedit *(Matth. 4, 4),* reficimur et vivimus; quid est, te ipsum Verbum aeternum ore percipere, et cordis dentibus masticare? Quomodo non sic cor meum delectatur in te, ut omnium obliviscatur praeter te? Si omne terrenum, imo similitudo terreni, tantum aliquando cor meum occupat, ut obliviscar tui; quomodo tua verissima praesentia me non tantum reficit et inebriat, ut omnium mundanorum obliviscatur, et etiam mei? Hunc ergo *panem quotidianum da nobis.* Sed *hodie,* Domine, *hodie da nobis* hunc *panem,* ut in praesenti et semper praesentialiter eum habeamus. Sit semper praesens, saltem spiritualiter, hic cibus, ut nunquam fiat praeteritum vel futurum. Sed *hodie* dicis, bone Jesu, ut dicamus: Cur, quaeso, tantum festinas esse nobiscum? Quare non differs usque cras? Quid enim in nobis vides? Quid in nobis sentis? Quid in nobis agnoscis, quod tantum es nostro inebriatus amore? Quid nobiscum lucraris? Quid in nobis reperis? Quem fructum de nobis habebis, quod nescis tardare? Si sic amor nostri te urget, ut differre nequeas, quin statim velis esse nobiscum, cum quibus nullum habes lucrum; nos, qui sumus foetidissima sanies, et indigni etiam tua creatura, quantumcumque vilissima, nominari, quomodo differimus esse tecum, ex quo tantum desideras, ut te summum bonum, *speculum sine macula (Sap. 7, 26),* angelorum solatium impetremus? Tu ergo, bone Jesu, differre non vis, ut ostendis; nec nos amplius differre volumus. *Hodie* ergo te petimus, ut *hodie* habeamus; nam instructio tua quid esset, si peteremus, et non impetraremus? Quia ergo te statim petimus et desideramus, et hoc ipsum tu cupis; accede ad cor nostrum, quia ad te ascendit cor nostrum. En inebriatus es nostri, et nos tui amore. Te ergo ad nos, et nos ad te cum impetu ducit pondus amoris, ut jam, omni mora sublata, mutuus sit amplexus, et inter tua brachia deficiat anima nostra, absorpta amoris fervore. Sed adhuc admiror clementiam tuam, bone Jesu, quare dixisti *quotidianum.* Numquid vis quotidie noster esse cibus? Nonne sufficit, si per unum diem habitas in nobis,

et moraris nobiscum? Quid fecimus tibi? Quid ergo dicam de tanta benevolentia tua? Nescio, quia in illis thesauris clementiae tuae deficit animus meus, ut non possit parvam considerare scintillam, tanta est abyssus ejus. Et ideo nihil scit dicere, nisi ex quo sic semper vis esse nobiscum, nos quoque omni tempore simus tecum, et nunquam a te Sponso benignissimo et cibo suavissimo recedamus; et tu, Domine, nos conglutines tecum, ut nec a te possimus recedere, nec velimus. Ergo *panem nostrum quotidianum da nobis hodie. — Et dimitte nobis debita nostra.* O mira Dei nostri erga nos dignatio. Ipsum contempsimus, et pro vilissima sanie commutavimus; et tamen nobis suadet, ut veniam petamus, quia vult nobis debita dimittere cum offensis, hoc autem noluit angelis elargiri. Quomodo, quaeso, bone Domine, potes nos amplius respicere, qui ita turpiter a nobis abjecimus te? Ergo, ex quo tu ipse suades: *Dimitte nobis debita nostra, dimitte nobis,* quia jam pro nobis debitum ipse solvisti. Tu enim ipse nos doces, ut dicamus: *Dimitte nobis debita nostra.* Hoc enim facere potes. Nonne jam pax facta est? Nonne jam pacis convivium celebratum est, et quotidie celebratur? *Dimitte* ergo *nobis debita nostra. — Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O beatum proximi debitum! O felix offensa, quam allegare possumus coram Deo in remissionem debiti nostri! Non ergo, fratres carissimi, contristemur, si nos offendunt homines, si nobis injuriantur, si nos affligunt, rapiunt et arripiunt nostra; sed in eis, quantum est in nobis, exultemus et gaudeamus; imo affectemus et cupiamus, quia dimittendo ea proximis, allegare poterimus remissionem debiti nostri. Non est dubium, quod magnae virtutis magnaeque efficaciae est allegatio ista, quod summus advocatus et judex noster nos docet: *Dimittite, et dimittetur vobis (Luc. 6, 37). Dimitte* ergo *debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. — Et ne nos inducas in tentationem.* Quid enim, Domine, prodest baptizari et lavari a mortuo, si iterum tango mortuum *(Eccli. 34, 30)?* Non sufficit mihi, Domine, ut peccata commissa dimittas, nisi etiam a peccatis imminentibus custodias; nam promptissimus sum ad peccatum, et nisi me custodias, irruam in peccata. Si ergo, Domine, ad probationem et humiliationem et exercitationem nostram vis et permittis nos tentari; non tamen in tentationem nos permittas inferri. Quid enim, Domine, profuit Aman, quod super omnes principes fuerit elevatus, cum postea, inflatus superbia, suspensus fuit in ligno *(Esth. 7, 10)?* Quid etiam mihi prodesset quidquid in praemissis verbis petivi, nisi contra tentationes me conserves in bono? Ergo *et ne nos inducas in tentationem.* Vis, bone Jesu, ut sic petamus, quia permittis nos tentationibus multoties stimulari, ut ad te recurramus. Omnem modum et viam, qua possis ad te trahere nos, exerces, quia nos tecum cupis habere. Tentatus ergo ad amplexus paternos confugiam, ut ipse Pater me recipiat fugientem et timidum, et ut dicam ei: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc vult, hoc desiderat, hoc exspectat Pater meus, ut recurram ad refugium et amplexum et sinum ejus, ut totaliter de me diffidens, solum de ipso confidam. Ergo *et ne nos inducas in tentationem. — Sed libera nos a malo.* Verum est, Domine, quod sumus digni omni malo, quia te contempsimus omne bonum. Sed vide, clementissime Pater, infinitam miseri-cordiam tuam, non detestabilem nequitiam nostram, et releva a nobis parvulis, et a nobis infirmis importabile onus; et *a malo* opprimente et distrahente et retardante ad bonum, *libera nos* famulos tuos, ut libere possimus cultui tuo vacare; et maxime ab illo horribili et terribili malo aeterno *nos libera,* ne desiderabili tua visione privemur, quod nunc horrent omnia ossa mea *(Job 4, 14).* Quid enim mihi prodesset tuam creaturam fuisse, nisi te habeam, et totus et totaliter in te ferar in vita aeterna? Ergo *sed libera nos a malo. Amen. Paraph. Ascet. Domin. Orat.* Supplem. vol. III.

Brevior etiam paraphrasis legitur in eodem Supplemento, quam hîc loci addere mihi placet. „*Pater noster* privilegio conditionis, sacrificio recreationis, mysterio pietatis, reparatione supernae beatitudinis: *qui es in caelis* per illuminantem gratiam, per gubernantem potentiam, per dignantem naturam, per sublimantem gloriam: *Sanctificetur nomen tuum* a nobis per honestam vitam, in nobis per mundam conscientiam, ex nobis per bonam famam, contra nos per exspoliationem nostram: *Adveniat regnum tuum,* caelestis patria per orationem, sancta Ecclesia per assumptionem, fidelis anima per justificationem, sancta Scriptura per eruditionem: *Fiat voluntas tua* cordis simplicitate, corporis castitate, oris veritate, operis sanctitate: *Sicut in caelo et in terra,* unitate necessitatis, occasione adversitatis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* hostiae salutaris supernae satietatis: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris,* non retinentes in corde, non improperantes in ore, non reddentes malum pro malo, non recedentes a beneficio: *Et ne nos inducas in tentationem* fraudulentam, quae decipit, violentam, quae funes frangit, subitam, quae cogitationes praevenit, importunam, quae non recedit: *Sed libera nos a malo* mundanae adversitatis, humanae perversitatis, diabolicae calliditatis, sempiternae calamitatis.“ Alias quoque paraphrases legere est in *Expos. cap. 6. Matthaei,* et *11. Lucae;* nec non in Opusc. *De Profectu Religiosorum, lib. 2. c. 61.*

[12] „Fructus gratiae est triplex, scilicet remissio culpae: *Justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe filiorum Dei (Rom. 5, 1—2).* Licet enim secundum philosophos pravus ad meliores exercitationes deductus, fiat bonus et studiosus; verum est quantum ad exercitium, et forte quietationem sive dimissionem actus exterioris, sed non quantum ad culpam interiorem, quae non potest deleri nisi per gratiam. Peccatum enim non remittitur nisi operante virtute infinita; subjacet enim vindictae, seu poenae infinitae, quia implicat offensae infiniti. Et ideo, cum nulla creatura sit capax virtutis infinitae, oportet, quod remittatur per gratiam, id est per condescensionem divinam. Plenitudo justitiae, scilicet respectu Dei, sui et proximi: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saeculária desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo (Tit. 2, 11); abnegantes,* inquam, *impietatem,* quae est contra Deum, *et saecularia desideria,* quae sunt contra proximum et seipsum; *sobrie* quantum ad nos, *juste* quantum ad proximum, *pie* quantum ad Deum vivamus. Et sicut gratia est justa, quae haec omnia facit vitare mala et persequi

bona; hoc autem esse non potest, nisi anima insurgat contra se diligendo proximum amicum et inimicum, et super se diligendo Deum, quod impossibile est fieri, nisi per gratiam; propter hoc dicitur *(Eccli. 24, 24—25): Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei, in me omnis gratia vitae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.* Assecutio vitae perpetuae: *Stipendia peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna (Rom. 6, 23).* Quasi dicat: Hîc contingit plantare lignum vitae et mortis per merita, scilicet per gratiam et peccatum. Si plantaveris arborem mortis, suspenderis in ea in inferno; si autem arborem vitae, exaltaberis in ea in caelo. Sed nota, quod secundum hos tres fructus distinguitur triplex gratia, scilicet curans, corroborans, consummans. Gratia curans datur in septem sacramentis, in septem exercitiis poenitentiae, secundum quae distinguuntur septem psalmi poenitentiales, in septem operibus misericordiae. Gratia corroborans datur in septem virtutibus per modum rectificantis, in septem donis per modum expedientis, in septem beatitudinibus per modum perficientis. Gratia consummans datur in septem dotibus, quarum tres respondent tribus virtutibus theologicis, ita quod fidei aperta visio, spei tentio, caritati fruitio; quatuor respondent quatuor virtutibus cardinalibus, ita quod agilitas temperantiae, subtilitas justitiae, claritas prudentiae, impassibilitas fortitudini. Ecce septem septenarii, qui faciunt annum jubilaeum in patria.“ *Coll. de sept. Don. Sp. S. nn. 8—11.* Supplem. vol. III. Cfr. etiam *serm. 2. in Hexaëm. circa med.*

Pars quinta

in tabulas distributa.

C. I. DE GRATIA, IN QUANTUM EST DONUM DIVINITUS DATUM.

Gratia, ut est

- *a Deo,* . . . . . seu a primo principio
  - *productivo* . . est donum a Deo immediate donatum . . . .
  - *reparativo* . . est donum donatum per Verbum Incarnatum
  - *influxivo* . . . est donum infusum (quia cum ipsa et in ipsa datur Spiritus sanctus)

  → et secundum *ordinem originis* . . . .
- *propter Deum* . . . est donum, per quod anima efficitur . . . . .
  - *templum Spiritus sancti* . . . .
  - *sponsa Christi* . . . . .
  - *filia Patris aeterni* . . . . .

  → et secundum *quietitudinem fruitionis*
- *secundum Deum* . . est donum, per quod anima . .
  - purgatur . . . . .
  - stabilitur . . . . .
  - elevatur . . . . .

  → per *vigorem virtutis* . . . . .
  - illuminatur . . . .
  - reformatur . . . .
  - Deo assimilatur .

  → per *splendorem veritatis* . . . .
  - perficitur . . . . .
  - vivificatur . . . . .
  - Deo conjungitur .

  → per *fervorem caritatis* . . . . .

  → et secundum *rectitudinem electionis* .

→ **animam reddit deiformem.**

C. II. DE GRATIA, IN QUANTUM JUVAT AD BONUM MERITORIUM.

Gratia, in quantum est adjutorium homini

- *defectivo* . . . . . ordinatur ad quemcumque actum, estque gratia *generaliter,* seu adjutorium divinae
  - praesentiae
  - manutenentiae
  - influentiae.
- *recurvo* . . . . . ordinatur ad suscipiendum Spiritus sancti donum, et est gratia *specialiter,* seu gratia gratis data *(actualis).*
- *totaliter Deo subjecto,* ordinatur ad merendum, et est gratia *proprie,* seu gratia gratum faciens *(habitualis),* cujus
  - essentia est . . . . facere hominem Deo dignum.
  - proprietates sunt
    - esse radicem merendi
    - non posse mereri de condigno
    - augeri in via
    - perfici in patria.

C. III. DE GRATIA, IN QUANTUM EST REMEDIUM PECCATI.

- Gratia
  - in *sua causa* . . . . . est a principio reparativo
    - *reformante* per habitum gratiae et justitiae
    - *absolvente* per satisfactionem condignam
  - in *suo effectu (seu in justificatione impii)* . . includit ex parte Dei
    - expulsionem culpae
    - infusionem gratiae
      - contritionem . . . . .
      - motum liberi arbitrii

    } ex parte hominis
  - in *sua praedispositione* . . requirit
    - actum gratiae gratis datae excitantis
    - actum liberi arbitrii
      - consentientis
      - se praeparantis ad gratiam gratum facientem
    - infusionem gratiae gratum facientis.

C. IV. DE RAMIFICATIONE GRATIAE IN HABITUS VIRTUTUM.

- Gratia animam *rectificat in potentiis* secundum faciem
  - *superiorem*
    - in rationali . . . . . per *fidem,* credendo et assentiendo summe vero
    - in irascibili . . . . . per *spem,* imitando et exspectando summe arduum
    - in concupiscibili . . . . . per *caritatem,* desiderando et diligendo summe bonum.
  - *inferiorem*
    - in rationali . . . . . per *prudentiam*
    - in irascibili . . . . . per *fortitudinem*
    - in concupiscibili . . . . . per *temperantiam*
    - in omnibus ad alterum comparatis . . per *justitiam.*

C. V. DE RAMIFICATIONE GRATIAE IN HABITUS DONORUM.

Gratia animam *expedit*

- *contra vitia*, i. e.
  - contra superbiam . . per *timorem*
  - contra invidiam . . . per *pietatem*
  - contra iram . . . . . per *scientiam*
  - contra accidiam . . . per *fortitudinem*
  - contra avaritiam . . per *consilium*
  - contra gulam . . . . per *intellectum*
  - contra luxuriam . . . per *sapientiam*
- *in suis potentiis*, seu
  - in *irascibili*
    - in adversis . . . per *fortitudinem*
    - in prosperis . . per *timorem*
  - in *concupiscibili*, respectu
    - proximi . . . . per *pietatem*
    - Dei . . . . . per *sapientiam*
  - in *rationali* . in veritatis
    - speculatione . . per *intellectum*
    - electione . . . . per *consilium*
    - executione . . . per *scientiam*
- *in officiis virtutum*, seu
  - temperantiae . . . . . per *timorem*
  - justitiae . . . . . per *pietatem*
  - prudentiae . . . . . per *scientiam*
  - fortitudinis . . . . . per *fortitudinem*
  - spei . . . . . per *consilium*
  - fidei . . . . . per *intellectum*
  - caritatis . . . . . per *sapientiam*
- *in patiendo conformiter ad Christum*, quem ad patiendum movit
  - *paterna voluntas*
    - cognita . . . . . per *intellectum*
    - amata . . . . . per *sapientiam*
    - in reverentia habita . . . . per *timorem*
  - *nostra necessitas*
    - cognita . . . . . per *scientiam*
    - miserata . . . . . per *pietatem*
  - *virtutis strenuitas*
    - provida in eligendo . . . . per *consilium*
    - vigorosa in perferendo . . . per *fortitudinem.*
- *in agendo*
  - ut *declinet a malo* . . . . . per *timorem*
  - ut *proficiat in bono*
    - necessitatis
      - per *scientiam* dirigentem
      - per *pietatem* exequentem
    - supererogationis
      - per *consilium* dirigens
      - per *fortitudinem* exequentem
  - ut *quiescat in optimo*
    - quantum ad intellectum . . . per *intellectum*
    - quantum ad voluntatem . . . per *sapientiam.*
- *in contemplando*, eam
  - *purgans*
    - a concupiscentia . . . . . per *timorem*
    - a malitia . . . . . per *pietatem*
    - ab ignorantia . . . . . per *scientiam*
    - ab infirmitate . . . . . per *fortitudinem*
  - *illuminans*. in operibus
    - reparationis . . per *consilium*
    - creationis . . . per *intellectum*
  - *perficiens* per accessum ad summum . . . per *sapientiam.*
- *in vita mixta*, seu
  - in *contemplativa*
    - ad reverentiam majestatis . . per *timorem*
    - ad intelligentiam veritatis . . per *intellectum*
    - ad gustum bonitatis . . . . . per *sapientiam*
  - in *activa*
    - in agendis
      - per *scientiam* dirigentem
      - per *pietatem* exequentem
    - in sustinendis
      - per *consilium* dirigens
      - per *fortitudinem* sustinentem.

C. VI. DE RAMIFICATIONE GRATIAE IN HABITUS BEATITUDINUM, ET PER CONSEQUENS FRUCTUUM ET SENSUUM.



C. VII. DE EXERCITIO GRATIAE RESPECTU CREDENDORUM.

- Gratia exercet animam in *credendis*, seu in fide, cujus
  - *essentia* . . . . . firmissima assensio summae veritati
  - *conditiones praeviae* . . . . .
    - illustratio veritatis . . . . . per habitum infusum
    - testificatio auctoritatis . . . . per scripturam authenticam.
  - *articuli*, spectantes
    - ad *divinitatem* .
      - quoad personas . . . . .
        - Patris . . . . . *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*
        - Filii . . . . . *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.*
        - Spiritus sancti . . *Credo in Spiritum sanctum.*
      - quoad operationes ad extra
        - creationis . . . . . *Creatorem caeli et terrae*
        - reparationis . . . . *Remissionem peccatorum, quae fit in Ecclesia Catholica, per Sanctorum Communionem.*
        - resuscitationis . . *Carnis resurrectionem*
        - glorificationis . . . *Vitam aeternam.*
    - ad *humanitatem*
      - conceptam de Spiritu sancto . . . . . *Qui conceptus est de Spiritu sancto*
      - natam ex Maria Virgine . . . . . *Natus ex Maria Virgine*
      - patientem in cruce . . . . . *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus.*
      - descendentem ad inferos . . . . . *Descendit ad inferos.*
      - resurgentem a morte . . . . . *Tertia die resurrexit a mortuis.*
      - ascendentem ad caelos . . . . . *Ascendit ad caelos, etc.*
      - venientem ad finale judicium . . . . . *Inde venturus est etc.*

C. VIII. DE EXERCITIO GRATIAE RESPECTU DILIGENDORUM.

- Gratia exercet animam in *diligendis*, seu in caritate, cujus
  - *objectum* . . . .
    - Deus . . . . . supremum
    - nos . . . . . intrinsecum
    - proximus . . . . . cognatum
    - corpus nostrum . . . . . infimum

    } bonum.
  - *ordo et modus* in amando bonum
    - supremum . super omnia / propter seipsum.
    - intrinsecum . sub Deo / supra omne bonum caducum.
    - cognatum . . . juxta nos
    - infimum . . . infra nos.
  - *mandatum* duplex, dirigens . .
    - in Deum
    - in proximum.
  - *habitus* caritas, quae . . . . .
    - ordinem servat respectu ad diversa diligenda, quantum . ad affectum / ad effectum.
    - unitatem servat in habitu, quantum . ad unum finem / ad unum principaliter dilectum.

C. IX. DE EXERCITIO GRATIAE RESPECTU AGENDORUM, PRAECEPTORUM ET CONSILIORUM.

- Gratia exercet animam in *exequendis*, scil. in praeceptis, seu
  - in lege *mosaica* exercebat eam
    - in *judicialibus* . . . . . ablatis
    - in *figuralibus* . . . . . evacuatis
    - in *moralibus*
      - per apertam instructionem documentorum
      - per largam promissionem praemiorum . .
      - per altam perfectionem consiliorum . . . .

      } consummatis

    } in lege evangelica.
  - in lege *evangelica* exercet in *moralibus*, quae sunt
    - *sufficientia*, quia ordinant
      - ad Deum
        - Patrem . . . . . per *adorationem majestatis* . . . in primo praecepto
        - Filium . . . . . per *professionem veritatis* . . . . in secundo
        - Spiritum sanctum . . per *acceptationem caritatis* . . . . in tertio.
      - ad proximum, cui debetur
        - pietas, per
          - *praeceptum pietatis* . . . in quarto
          - *prohibitionem impietatis* in quinto.
        - veracitas, per *prohibitionem mendacii* in octavo.
        - benignitas, per *prohibitionem*
          - *cupiditatis* . . .
            - in *opere* in septimo
            - in *corde* in decimo
          - *concupiscentiae*
            - in *opere* in sexto
            - in *corde* in nono.
    - *superabundantia*, quia perfecte elongant per consilium
      - *paupertatis* . . a concupiscentia oculorum
      - *castitatis* . . . a concupiscentia carnis
      - *obedientiae* . . a superbia vitae.

C. X. DE EXERCITIO GRATIAE RESPECTU PETENDORUM ET ORANDORUM.

- Gratia exercet animam in *petendis*, scil. in oratione, cujus
  - *munus* est . . ipsum disponere ad gratiam
    - per propriae miseriae cognitionem . . ut sit salva libertas arbitrii
    - per subsidii implorationem . . . . . ut non vilescat nobilitas doni
    - per gratiarum actionem . . . . . ut integer perseveret cultus divini honoris.
  - *conditiones* sunt
    - *fervor* . . per verba, seu per orationem vocalem
    - *recollectio* per verborum sensum, seu per orationem mentalem.
    - *fiducia* . . per intercessionem Sanctorum, in qua ostenditur
      - humilitas in orantibus
      - dignitas in Sanctis
      - caritas et unitas in omnibus membris Christi.
  - *petitiones*, vel spectant
    - ad *praemium patriae*, seu ad
      - visionem summi veri . . . *Sanctificetur nomen tuum*
      - tentionem summi ardui . . *Adveniat regnum tuum*
      - fruitionem summi boni . . *Fiat voluntas tuas, sicut in caelo et in terra.*
    - ad *viaticum viae*, seu ad . .
      - collationem boni . . . . . *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*
      - amotionem mali
        - praeteriti, sive culpae . . . . *Dimitte nobis debita nostra etc.*
        - praesentis, sive pugnae . . . . *Ne nos inducas in tentationem*
        - futuri, sive poenae . . . . . *Libera nos a malo.*

TABULA GENERALIS

HUJUS V. PARTIS

DE GRATIA SPIRITUS SANCTI.

- **Gratia**
  - in quantum *donum divinitus datum*, quia
    - *a Deo* . . . . . secundum ordinem originis . . . . . animam Deo assimilat.
    - *secundum Deum* secundum rectitudinem electionis
    - *propter Deum* . secundum quietitudinem fruitionis
  - in comparatione
    - ad *liberum arbitrium*, seu quantum ad *esse*, est
      - *adjutorium homini*
        - defectivo . . . . . ut gratia generalis
        - recurvo . . . . . ut specialis *(actualis)*
        - totaliter Deo subjecto . . ut propria *(habitualis)*.
      - *remedium peccati*
    - ad *habitus*, seu quantum ad *operari* . . ramificatur in . . .
      - *virtutes*, animam *rectificantes* secundum faciem
        - superiorem
        - inferiorem.
      - *dona*, animam *expedientia*
        - contra vitia
        - in suis potentiis
        - in officiis virtutum
        - in patiendo conformiter ad Christum
        - in agendo
        - in contemplando
        - in vita mixta.
      - *beatitudines*, animam
        - *perficientes*, quoad perfectionis
          - essentiam
          - modos
          - praedispositiones.
        - *delectantes*
          - per *fructus Spiritus sancti*
          - per *sensus spirituales*.
    - ad *exercitia meritorum* . . animam dirigit in Deum . . . . .
      - ut summe *verum* . . . . . per exercitia in *credendis*
      - ut summe *bonum* . . . . . per exercitia in *diligendis*
      - ut summe *justum* . . . . . per exercitia in *exequendis*
      - ut summe *misericordem* . . per exercitia in *postulandis*.

VI. PARS,

IN QUA DE MEDICINA SACRAMENTALI AGITUR.

CAPUT I.

De Sacramentorum [a] origine.

a) Sacramentali ed. 1484.

(Quid sint sacramenta novae legis: — eorum origo, — usus, — fructus, — causa efficiens, — materialis, — formalis, — finalis, — ratio nominalis).

b) Et de ibid. c) Et de ibid. Postquam actum est de Trinitate Dei, de [b] creatura mundi, de corruptela peccati, de [c] incarnatione Verbi, et de gratia Spiritus sancti; jam nunc sexto agendum est de medicina sacramentali, circa quam consideranda sunt septem. Agendum est enim de sacramentorum origine, variatione, distinctione, institutione, dispensatione, iteratione et uniuscujusque integritate. De origine igitur sacramentorum hoc tenendum est, quod sacramenta sunt signa sensibilia divinitus instituta tanquam medicamenta, in quibus sub tegumento rerum sensibilium divina virtus secretius operatur *(Aug. de doctr. christ. l. 2. c. 1);* ita quod ipsa ex similitudine naturali [d] repraesentant, ex institutione significant, ex sanctificatione conferunt aliquam spiritualem gratiam *(Hug. a S. Vict. l. 1. p. 9. c. 2),* per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum (I), et ad hoc principa-

d) Naturali om. ibid.

(I) Saec. II Archontici omnia sacramenta impugnabant; saec. III Manichaei, quibus adhaeserunt Fraticelli seu Beguini, qui ipsa homini, nedum superflua, verum etiam veluti indigna exsecrabantur. Hîc autem de his haereticis breviter aliquid dicendum occurrit. Beguini, aliis etiam nominibus, ut Beguardi, fratres apostolici vel spirituales, et vulgariter fraticelli nuncupati, saeculis XIII et XIV Ecclesiam divexarunt. Discrepant historici in eorum origine et parentibus assignandis; a veritate tamen omnino aberrant quotquot ipsos a quibusdam fratribus ex Ordine Minorum desertoribus ortum habuisse asserunt, in hunc errorem inducti, ut videtur, eo quod praedicti haeretici, paupertatem evangelicam affectantes, ostiatim victum mendicabant, et rudi habitu amicti, ac fune praecincti, adinstar eremitarum et tertiariorum S. P. Francisci plerique incedebant. In hujus rei confirmationem sat superque sit auctoritatem afferre Benedicti XIV, qui quum ageretur de adprobatione cultus B. Liberato a Lauro ab immemorabili praestiti, quem contradictores objiciebant unum extitisse ex asseclis Fr. Angeli Clareni, praetensi Fraticellorum auctoris, respondere haud dubitavit, quod „ex pluribus probatisque scriptoribus demonstrarunt Postulatores neque hunc, neque alium ex Ordine Minorum fuisse illius haeresis auctorem“ (*de Canoniz. Sanctorum lib. 2, § 34).* E contra ex ecclesiastica historia luculentissime patet Fratres Minores potissimum, inter quos S. Joannes a Capistrano et S. Jacobus de Marchia eminuerunt, nequissimam hanc sectam iterum ac tertio reviviscentem penitus extinxisse.

Protestantes ex haeretico principio, quo justificatio in sola externa meritorum Christi applicatione consistit, intulerunt sacramenta non esse nisi quaedam signa vacua et inania, vel ad summum ad solam fidem enutriendam instituta.

Sacramenta autem necessaria esse definivit Conc. Trid. *sess. 7. can. 4:* „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.“

Errores autem Protestantium refutantur ab eodem Conc. Triden. *l. c. can. 5:* „Si quis dixerit, haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.“ *Can. 6:* „Si quis dixerit, sacra-

liter ordinantur tamquam ad finem ultimum; valent tamen ad humiliationem, eruditionem et exercitationem [e], sicut ad finem, qui est sub fine [1].

[e] Excitationem ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium reparativum, quod est Christus crucifixus, Verbum scilicet [f] incarnatum, quod sapientissime dispensat omnia, quia divinum, et [g] clementissime curat, quia divinitus incarnatum, sic debet reparare, sanare et salvare [h] humanum genus aegrotum, secundum quod competit ipsi aegrotanti, aegritudini, et occasioni aegrotandi [i], et ipsius aegritudinis curationi. Ipse autem medicus est Verbum incarnatum, Deus scilicet invisibilis in natura visibili. Homo aegrotans est non tantum spiritus, nec tantum caro, sed spiritus in carne mortali. Morbus autem est originalis culpa, quae per ignorantiam inficit mentem, et per concupiscentiam inficit carnem. Origo autem hujus culpae, licet principaliter fuerit ex consensu rationis, occasionem tamen sumpsit a sensibus carnis. Ad hoc ergo, quod medicina correspondens esset omnibus supradictis, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verum etiam aliquid haberet de sensibilibus signis [2]; ut sicut haec sensibilia fuerunt animae occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Quoniam igitur signa sensibilia, quantum est de se, non habent efficacem ordinationem ad gratiam, licet habeant longinquam repraesentationem de sui natura; hinc est, quod oportuit, quod ab auctore gratiae instituerentur ad significandum, et benedicerentur ad sanctificandum; ut sic essent ex naturali similitudine repraesentantia [3], ex adjuncta institutione significantia [4], ex superaddita benedictione sanctificantia, et ad gratiam praeparantia, per quam curaretur et sanaretur anima nostra.

[f] Scilicet om. ibid.
[g] Et om. ibid.
[h] Et salvare om. ibid.
[i] Aegritudinis ibid.

Rursus, quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis et fastidiosis; ideo oportuit haec signa sensibilia divinitus dari, quae non solum sanctificarent, et gratiam conferrent, ac per hoc sanarent, verum etiam significatione erudirent, et susceptione humiliarent [5], et diversificatione exercitarent [6]; ut sic per exercitationem exclusa acidia a concupiscibili, per eruditionem exclusa ignorantia a rationali, per humiliationem [j] exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret [7] a gratia Spiritus sancti, quae reformat nos secundum has tres potentias ad imaginem Trinitatis et Christi [8].

[j] Humilitatem ibid.

Postremo, quoniam per hujusmodi signa sensibilia divinitus instituta gratia Spiritus sancti suscipitur, et in eis ab accedentibus invenitur; hinc est, quod hujusmodi sacramenta dicuntur gratiae vasa [9] et causa [10], non quia gratia in eis substantialiter continea-

menta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel justitiae, et nota quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur ab infidelibus; anathema sit.“ *Can. 7:* Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus; anathema sit.“ — Ex sacra Scriptura idipsum evincitur; et quidem quoad Baptismum, *Act. 2, 38:* „Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.“ Quoad Confirmationem, *ibid. 8, 17:* Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.“ Quoad Eucharistiam, *Jo. 6, 55:* „Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.“ Quoad Poenitentiam, *Jo. 20, 23:* „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.“ Quoad extremam Unctionem, *Jacob. 5, 14:* „Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae; et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum.“ Quoad Ordinem, *1. Tim. 4, 14:* „Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.“ Quoad Matrimonium, *Ephes. 5, 32:* „Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.“

k) Nec ibid. tur, vel [k] causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, et a solo Deo habeat infundi; sed quia in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oportet hauriri, licet Deus non alligaverit suam gratiam sacramentis.

Ex praemissis igitur apparet, non solum quis sit sacramentorum ortus, verum etiam quis usus, et quis fructus. Nam ortus eorum est Christus Dominus; usus autem

l) Est eorum ibid. est [l] actus exercitativus, eruditivus et humiliativus; fructus autem est hominum cura et

m) Sacramentorum om. ABCD et edit. Arg. Nor. salus. Patet etiam, quae sit causa efficiens sacramentorum [m], quia divina institutio; quae materialis, quia signi sensibilis repraesentatio; quae formalis, quia gratuita sanctificatio; quae finalis, quia hominum medicinalis curatio. Et quia denominatio fit a forma

n) Et a ed. 1484. et [n] fine; hinc est, quod dicuntur sacramenta, quasi medicamenta sanctificantia, per

o) Ac per hoc ibid. haec [o] enim anima a foeditate vitiorum reducitur ad sanctificationem perfectam. Et

p) Medicinalia et ob hoc om. ibid. ideo, licet sint corporalia et sensibilia, sunt tamen medicinalia, et ob hoc [p] veneranda

q) Et ad ibid. et inferius. tanquam sancta, quia sacra significant mysteria, ad [q] sacra praeparant charismata, a sacratissimo Deo data, sacra institutione et benedictione divinitus consecrata, ad cultum

r) Ita ut ibid. sacratissimum Dei in sacra Ecclesia constituta, ut [r] merito dici debeant sacramenta.

Ad Caput I.

[1] „Sacramentum est materiale elementum oculis subjectum, similitudine repraesentans, institutione significans, significatione gratiam conferens.“ *Decl. Term. Theol.*

[2] „Sacramentalis medicina de sua integritate habet significationem, et haec communis est et essentialis omnibus sacramentis. Ratio autem hujus, ut credo, haec est, quoniam sacramentalis medicina est sufficiens medicamen. Quia igitur homo lapsus non tantum lapsus est in pronitatem concupiscentiae, sed etiam in caecitatem ignorantiae; ideo ut in utroque curetur per sacramentum, non tantum debet sacramentum habere quid gratuitum, sed etiam mysticum; et ita figurativum et significativum. Rursus, quia est sufficiens medicina, de se fert secum suum praeparatorium. Unde sicut medicina corporalis non prodest nisi praeparetur suscipiens, sic necesse est fieri spiritualiter. Et quoniam fides disponit hominem, ut ei sint salutifera sacramenta, et motus fidei excitatur per exhibitionem signi, ut requirat signatum, et per hoc homo disponitur ad curationem; ideo tanquam medicina efficax et sufficiens, sacramentalis medicina habet significationem de sua integritate; et ita, essentialiter loquendo, sacramentum est signum.“ *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 2.*

[3] „Dicendum quod similitudo duobus modis attenditur, uno modo secundum unius rationis proprietatem, sive naturae participationem; alio modo secundum unius formae comparationem. Prima dicitur similitudo proportionis; secunda dicitur similitudo proportionalitatis. Sacramentum gerit similitudinem gratiae secundo modo, non primo, pro eo quod sicut aqua abluit carnem, ita gratia mundat animam; et sicut oleum lenit exterius, ita gratia interius. Et haec similitudo est in quatuor terminis.“ *4. dist. 1. p. 1. dub. 3.*

[4] „Sicut in Christum pie intendentibus aspectus carnis, qui patebat, via erat ad agnitionem divinitatis, quae latebat; sic ad intelligendam divinae sapientiae veritatem, aenigmaticis ac mysticis figuris, intelligentiae rationalis manuducitur oculus. Aliter enim nobis innotescere non potuit invisibilis Dei sapientia, nisi se his, quae novimus, visibilium rerum formis ad similitudinem conformaret, ut per eas nobis sua invisibilia, quae non novimus, significando exprimeret.“ *De Plantatione Paradisi, § 1.* Supplem. vol. I.

[5] „Videtur in hoc perverti ordo, quia anima est supra hujusmodi creaturas; ergo si eis se subjicit, pervertitur in hoc ordo naturalis. Dicendum, quod subjicere se his rebus potest homo quatuor considerationibus, aut propter peccati meritum, aut propter Dei praeceptum, aut quia sunt gratiae signum, aut quia in eis statuit summum bonum et finem ultimum. Primis tribus de causis est meritorium, et nulla inordinatio; nam cum propter peccati demeritum et Dei praeceptum homo sacramentis se subjicit, quia sunt gratiae signum, magis praecepto, quam rei insensibili se subjicit; et ideo est ordinatio. Et qui propter significationem subjicit se, magis subjicit se signato, quam signo. Sed in quarta consideratione ordo pervertitur, et est peccatum; et sic non spectat ad propositum.“ *4. dist. 1. p. 1. dub. 8.*

[6] „Si hoc verum est, cum *corporalis exercitatio ad modicum sit utilis (1. Tim. 4, 8)*, et cum sacramenta sint corporales res; ergo ad modicum sunt utilia propter exercitationem. Dicendum, quod exercitari in observantia ipsorum sacramentorum potest esse dupliciter, aut in solo exteriori ritu, et sic ad modicum valet; aut juncta devotione mentis, et sic non est corporalis, sed etiam quodam modo spiritualis, ac per hoc multum utilis.“ *Ibid. dub. 10.*

[7] „Una est sola causa principalis, scilicet animae ornatus, sive reparatio; sed quia anima plures habet potentias, possunt fines plurificari penes illas, uno tamen principali fine existente. Est enim in nobis vis regitiva, et quan-

tum ad hanc est eruditio; est vis irascibilis, et quantum ad hanc est humiliatio; est vis concupiscibilis, et quantum ad hanc, ne fastidiat, est exercitatio. Vel aliter, eruditio quantum ad cognitivam, humiliatio quantum ad affectivam, sed exercitatio quantum ad operativam.“ *Ibid. dub. 7.*

[8] „Institutio sacramentorum Deum decuit, et nobis expediens fuit. Decuit quippe Dei misericordiam et justitiam et sapientiam, in quibus consideratur omnis Domini via. Decuit misericordiam, quia homo male gratiam servabat propter voluntatis vertibilitatem; ideo instituit Deus sacramenta, ad quae homo recurrens recuperaret gratiam: et ita misericordiae magnae fuit haec instituere, maxime quia non solum ad remissionem culpae faciunt, verum etiam ad remissionem poenae. Decuit etiam justitiam, quia cum sit justus, exigebat aliquam humiliationem, per quam homo se ad gratiam disponeret, et sacramenta suscipiendo, quasi ex quodam pacto gratiam inveniret. Decuit denique sapientiam, summae enim sapientiae est in his invenire remedium, quae fuerunt occasio lapsus; ut sicut homo per lignum cecidit, ita per lignum remedium salutis inveniret. Sic quia homo occasionem lapsus a visibilibus sumpserat, decuit divinam sapientiam in eisdem remedium invenire. Expediens fuit a parte aegroti. Quia erat caecus quoad rationalem, ideo data sunt ei sacramenta visibilia ad eruditionem. Erat elatus quoad irascibilem, ideo data sunt ei sacramenta corporalia ad sui humiliationem. Erat fastiditus quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia; ideo sacramenta sunt ei data ad exercitationem, ne forte in unius solius perceptione, vel spiritualium tantum contemplatione, sibi posset fastidium generari et taedium. Fuit ergo necessarium instituere sacramenta necessitate congruitatis, non inevitabilitatis, quia Deus potentiam suam sacramentis non alligavit.“ *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 1.*

[9] „Non est aliquo modo dicendum, quod gratia contineatur in ipsis sacramentis essentialiter tanquam aqua in vase, vel medicina in pyxide: imo hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant, et quia, nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur, ita intelligendo quod gratia sit in anima, non in signis visibilibus. Pro tanto etiam dicuntur vasa gratiae. Possunt etiam dici vasa alia ratione. Quia, sicut quod est in vase, non est de ipso, nec ex ipso, sed tamen ab ipso hauritur; sic gratia non est a sacramentis, nec de sacramentis, sed oritur a fonte aeterno, et ab illo hauritur ab ipsa anima in ipsis sacramentis: et sicut quis recurrit ad vas, cum requirit liquorem; sic quaerenti liquorem gratiae, et non habenti, recurrendum est ad ipsa sacramenta.“ *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 3.*

[10] „Aliqui volunt dicere, quod in sacramentis novae legis est aliqua virtus creata, per quam influunt in animam, et habent rationem causandi differenter. Dicunt enim, quod in sacramentis datur gratia gratum faciens; datur etiam in eis gratia gratis data, sicut est character et ornatus animae; datur etiam debilitatio fomitis, sive expeditio potentiarum; haec est efficacia gratiae. Dicunt ergo, quod respectu gratiae gratum facientis sunt sicut causa sine qua non: respectu characterificationis, sive characteris et ornatus, sunt sicut causa efficiens respectu illius virtutis: respectu debilitationis fomitis, sive roboris potentiarum, sunt causa disponens; et hoc sic manifestum est. Nam sicut videmus, quod in purgatione per ignem purgatorium est ipsa anima purgabilis habens reatum, vel maculam venialem, est gratia intra animam, quia sine ipsa non fieret purgatio, est rursus virtus ignis; sic in sacramento est anima habens defectum et debilitatem potentiarum, est iterum gratia in anima virtus operans, est iterum virtus sacramenti exterior; et his concurrentibus, roborantur et sanantur potentiae, et gratia fit efficacior in sua operatione, mediante virtute sacramenti. Sic ergo dicunt, quod sacramentum est causa gratiae sine qua non, scilicet gratum facientis, est causa characteris et ornatus efficiens, est causa efficientiae gratiae et sanationis potentiarum, ut disponens; et hoc per virtutem, quae est in ipso sacramento, spiritualem, et a Deo collatam sibi . . . Haec opinio est magnorum Magistrorum. Est etiam aliorum magnorum Magistrorum circa hoc opinio dicentium, quod in sacramentis non sit causalitas, neque virtus aliqua, nec effectiva, nec dispositiva ad gratiam, quae sit qualitas, vel proprietas aliqua absoluta, sed per quamdam assistentiam. Sacramento enim dicunt assistere divinam virtutem, quae est causa gratiae, et fidem et devotionem suscipientis, quae disponunt ad gratiam. Et adducunt simile, quoniam ad verbum Elisei Naaman se lavante astitit virtus divina effectiva sanitatis *(4. Reg. 5, 14)*, et devotio et obedientia Naaman dispositiva; nulla tamen causalitas fuit nec in verbo Elisei, nec in aqua Jordanis. Si ergo Dominus ita instituisset, ut ad verbum Elisei non solum ipse Naaman, sed ceteri accedentes curarentur, et hoc ex quadam pactione, ita quod semper assisteret vis divina, aqua illa diceretur curare et sanare lepram, et esse causa curationis, et habere virtutem curandi. Sic in sacramentis dicunt, quod ad prolationem verbi assistit virtus divina aquis, et infundit gratiam, et regenerat, dum homo subjicit se ei per fidei professionem et obedientiam. Dicunt ergo, quod sacramenta dicuntur habere virtutem, et dicuntur causa, et dicuntur efficere, secundum communem modum loquendi, propter assistentiam divinae virtutis. Et si tu quaeras, utrum habeant virtutem aliquam creatam super increatam, respondent, quod praeter virtutem increatam est dicere aliquam virtutem habere sacramentum, sed extenso nomine virtutis. Si enim virtus dicat aliquam qualitatem, vel naturam sive essentiam, advenientem sacramento, sicut virtus proprie dicitur; sic secundum eos non est dicendum, quod habeat virtutem proprie, sed extenditur nomen virtutis ad aliquam ordinationem, ut quando aliquid habet efficacem ordinationem ad aliquid, dicitur habere virtutem respectu illius. Et ponunt hîc exemplum. Rex statuit, ut qui habent tale signum, habeant centum libras. Post istam institutionem, signum illud non habet aliquam proprietatem absolutam, quam non haberet prius; ad aliquid tamen est ordinatum, ad quod non erat prius. Et quia habet efficacem ordinationem, dicitur habere virtutem, ut faciat aliquem habere centum libras; et dicitur illud signum valere centum libras, et tamen nihil plus habet de bonitate nunc quam prius. Si ergo quaeras, quid sit illa virtus in illo signo, dicunt, quod non est aliquid absolutum, sed ad aliquid. Sic etiam dicunt, quod

sacramenta sunt talia signa a Deo instituta, ut qui ea susceperit debito modo, habeat tantum de gratia, vel habeat gratiam ad hunc actum: illa, inquam, ordinatio efficax, secundum istos, virtus est sacramenti; et ratione illius disponit hominem, ut habeat gratiam, quia efficaciter ordinat ad habendam et suscipiendam gratiam. Rursus dicunt, quod ex tali pactione Dominus astrinxit se quodam modo ad dandam gratiam suscipienti sacramentum, astringit enim quodam modo Deum ad conferendum; et dicitur habere virtutem ad efficiendum et etiam disponendum. Et sicut extenditur nomen virtutis, ita verbum efficiendi, vel disponendi, quia non efficit, nec disponit influendo, sed efficaciter ordinando. Et sicut haec extenduntur, ita et nomen causae, quia non dicitur causa, secundum quod est principium operandi, sed secundum quod est ratio ordinandi. Huic positioni pietas fidei non repugnat, et ratio consentit. Consentit namque ratio, quia valde difficile est intelligere, qualiter illa virtus detur sicut qualitas absoluta, difficilius quando detur. Difficile etiam est intelligere, cui detur, verbo scilicet an elemento, quae sunt duo nihil unum facientia. Difficile etiam est scire quamdiu duret, difficile est similiter valde intelligere, quomodo influat, difficile etiam, cujus naturae sit in seipsa, et multa talia; et ideo huic positioni satis faciliter ratio concordat. Pietas etiam fidei non repugnat. Cavendum est enim, ne dum nimis damus corporalibus signis ad laudem, subtrahamus honorem gratiae curanti et animae suscipienti. Haec autem opinio non nimis dat, neque subtrahit aliquid honoris debiti. Sicut igitur literae regiae annulo regis sigillatae magnae sunt dignitatis et virtutis et valoris, et magna dicuntur et posse et facere; tamen in eis nulla virtus est absoluta, sed sola ordinatio per assistentiam virtutis regiae, quod patet, quia, mortuo rege, non plus curatur de literis suis quam de aliis, et tamen nihil absolutum amiserunt; sic intelligendum in sacramentis, et sic loquuntur Sanctorum auctoritates secundum communem usum. Et sic rationes ad oppositum patent. Et si tu quaeras, super quid fundatur relatio, quomodo advenit sine donatione proprietatis, dicendum quod in institutionibus signorum, super ipsis signis fundatur relatio; et hoc modo advenit sine proprietatis donatione, sicut quando nummus fit arrha, et nihil datur de novo ipsi nummo. Utraque harum positionum satis videtur probabilis, haec tamen mihi videtur ad sustinendum facilior; nescio tamen, quae sit verior, quia cum loquimur de his, quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi. Concedimus ergo, quod sacramenta novae legis sunt causa, et efficiunt et disponunt, extenso nomine, ut dictum est; et hoc securum est dicere. Utrum autem plus habeant, nec volo affirmare, nec negare; et secundum hanc ultimam viam omnia quaesita patent." *4. dist. 1. p. 1. q. 4. q. 2. lat. concl. et ad 5.*

CAPUT II.

De Sacramentorum variatione.

(Sacramenta ab initio ad hominis curationem fuerunt instituta; — alia tamen in lege naturae, — alia sub lege scripta, — alia sub lege gratiae. — Quae posteriora sunt, significatione sunt evidentiora, et effectu gratiae digniora.)

De variatione autem [a] sacramentorum hoc tenendum est, quod sacramenta ab initio ad curationem hominis sunt instituta, et semper cum morbo hominis cucurrerunt, et usque in finem saeculi perdurabunt; sed alia fuerunt in lege naturae, alia sub lege scripta, alia sub lege gratiae [1] [b]. Et in his omnibus illa, quae posteriora sunt significatione, sunt evidentiora, et effectu gratiae digniora *(Aug. l. 19 contra Faustum c. 13).* In lege enim naturae fuerunt oblationes, sacrificia et decimationes. In lege autem scripta introducta est circumcisio, et adjuncta [c] est expiatio, et superaddita est [d] oblationum et decimationum et sacrificiorum multiformis distinctio. In lege autem nova statuta sunt sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora, et [e] praeeminentia digniora (I), in quibus est impletio simul et evacuatio sacramentorum omnium praedictorum.

a) Autem om. ed. 1484.

b) Sub gratia ibid.

c) Superaddita ibid.

d) Est om. ibid.

e) Et om. ibid.

(I) Novatores saec. XVI, ex eo quod sacramenta nullo modo gratiam conferre, sed tantum significare autument, nullum agnoscunt intrinsecum discrimen inter veteris et novi foederis sacramenta; insuper verba, quibus sacramenta conficiuntur, non consecratoria, sed concionatoria appellant: vocem quoque in scholis invectam *ex opere operato,* ad effectum gratiae demonstrandum, barbaram jactitant, et nullo pacto adhibendam pronuntiant. Contra ipsos autem est definitio Conc. Trident. *sess. 7, can. 2*: „Si quis dixerit . . . novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi; anathema sit." Et *can. 8:* „Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, . . . anathema sit."

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia Verbum incarnatum, quod est reparationis nostrae principium, et fons et origo sacramentorum [2], cum sit clementissimum et sapientissimum, eo quod clementissimum est, non permisit quod curreret morbus peccati sine remedio sacramenti; eo vero quod sapientissimum est, ideo juxta dictamen suae immutabilis sapientiae cuncta ordinatissime gubernantis diversa adhibuit medicamenta et varia, secundum mutationem variam temporum diversorum. Quoniam ergo ab initio praecurrente tempore, et adventu Salvatoris magis ac magis appropinquante, semper magis ac magis effectus salutis crevit, et cognitio veritatis; congruum fuit et ipsa signa salutis per successionem temporum alia post alia variari [3], ut effectus gratiae divinae in salutem cresceret, simulque et ipsa significatio in ipsis signis visibilibus evidentior appareret. Et ideo primum per oblationes [4], postea [f] per circumcisionem [5], ad ultimum per baptismalem ablutionem, expiationis et justificationis sacramentum formaliter institutum est; quia ejusdem mundationis forma et similitudo in oblatione quidem occulte invenitur, in circumcisione vero evidentius exprimitur, per baptismum autem manifestius declaratur. Et hinc est, quod illa primi temporis sacramenta, sicut dicit Hugo *(Dial. de sacr. leg. nat. et script.)*, fuerunt sicut veritatis umbra [6]; medii temporis sicut figura seu imago [7]; postremi, scilicet gratiae, sicut corpus, quia intra se [g] veritatem et gratiam curatricem continent, quam praesentant, et praesentialiter conferunt, quod promittunt [8].

f) Et postea ibid.

g) Scilicet gratiae, cujus sacramenta intra se veritatem etc. ibid.

Rursus, quoniam praesentia veritatis et gratiae, quae in lege gratiae exhibetur, ratione suae excellentiae et multiformitatis in opere et virtute, per unum signum exprimi non poterat, ut decebat; hinc est, quod in omni tempore et lege plura fuerunt sacramenta data ad illam veritatem et gratiam exprimendam; sed praecipue in tempore legis figurae, cujus est figurare, multa signa et varia praecesserunt, quae sua varietate Christi gratiam multipliciter exprimerent, et excellentius commendarent, et multipliciter commendando nutrirent parvulos, exercerent imperfectos [h], et duros onerando frangerent *(Act. Apost. 15, 10)*, et ad jugum gratiae domarent, et quodam modo emollirent [9].

h) Perfectos ibid.

Postremo, quoniam superveniente veritate cessat umbra, et figura praenuntians sortitur finem intentum, quo habito, cessare debet ejus usus et actus; hinc est, quod, gratia superveniente, vetera sacramenta et signa impleta sunt pariter et sublata, quia [i] signa erant praenostica futurorum, et quasi praenuntiantia de longinquo [10], et nova nihilominus instituta tanquam demonstrativa praesentis gratiae, et rememorativa quodam modo passionis dominicae, quae fons est et origo gratiae curativae, sive in nobis, sive in his, qui praecesserunt Christi adventum; sed in his qui praecesserunt, tanquam pretium promissum; in his, qui sequuntur, tanquam pretium persolutum. Et quoniam non debetur gratia promissioni pretii, nisi ratione persolutionis, et abundantior debetur persoluto pretio, quam promisso; hinc est, quod passio Christi immediatius sanctificat [j] sacramenta temporis [k] legis novae, et pleniori gratia in eis redundat [11]. Propter quod illa praeparaverunt et perduxerunt ad haec, sicut via ad terminum, sicut signum ad signatum, sicut figura ad veritatem, et sicut imperfectum reducit et praeparat ad perfectum [12].

i) Et quia ibid.

j) Sanctificet ibid.

k) Temporis om. ibid.

Ad Caput II.

[1] „Omnis gubernatio et omnis legislatio est pia, vera, sancta, dicente Apostolo *(Rom. 7, 12): Itaque lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum.* Ab his enim tribus manant tres leges, nec possunt esse plures, scilicet naturae, scripturae et gratiae. Lex naturae appropriatur Patri, lex scripta Verbo, lex gratiae Spiritui sancto. Lex naturae est lex pietatis. Pietas videtur inesse omni creaturae, naturae etiam insensibili. Radix enim totum, quidquid recipit, mittit ad ramos. Fons quidquid haurit, mittit ad rivulos. Similiter in bestiis pietas videtur esse patris ad prolem, et quidquid gustant et sumunt, praeter necessarium et etiam de necessario, in lac convertunt et in nutrimentum prolis. Lex scripturae est lex veritatis, quia est in quadam verae promissionis pronuntiatione. Lex sanctitatis est gratiae: *Lex spiritus liberavit me (Rom. 8, 2).* Per haec tria Deus Trinitas, scilicet Pater et Filius et Spiritus sanctus, est pius, verus, sanctus, dans legem piam naturae, legem veram scripturae, legem sanctam gratiae. Per has tres gubernat mundum, et secundum haec tria imprimit leges in mente rationali. Omnis enim moralis lex est secundum haec tria, sive secundum has tres; sed in lege naturae sunt minus distinctae et explicitae, in lege scripta magis explicitae, et in lege gratiae perfectae; unde dicit Dominus *(Matth. 5, 17): Non veni solvere legem, sed adimplere.“ Serm. 21. in Hexaëm. in princip.*

[2] „Sacramentalis gratia procedit a Deo tanquam ab auctore et efficiente, a Christo tanquam a mediatore et a promerente. Propter quod dicuntur omnia sacramenta efficaciam habere a passione Christi, ut testatur Augustinus *(Tract. 15. in Joan.):* De latere Christi dormientis fluxerunt sacramenta, dum inde fluxit sanguis et aqua.“ *1. in Proëm.*

[3] „Omnia sacramenta instituta sunt in remedium specialiter et principaliter, excepto matrimonio, quod primo institutum est in officium: et quia tempus remedii incepit a lapsu, et profecit in lege, et consummatum est in Evangelio; ideo ista tria tempora conveniunt institutioni, tamen secundum magis et minus.“ *4. dist. 2. a. 1. q. 1.* — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sacramenta sunt in documentum, sunt in medicamentum, sunt et in ornamentum. Et secundum statum perfectum sunt in apertum documentum divini secreti, sunt in efficax remedium morbi, et in pulchrum ornamentum sponsae Christi. Quoniam ergo revelatio secretorum non debet fieri quocumque modo, nec in omni tempore, sed illo, in quo est intellectus hominis capacior; ergo sacramenta perfecta dilata sunt usque ad tempus tale. Hoc autem tempus, sicut in homine, est sexta aetas, quae appellatur senectus, juxta illud: *Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosus intellectus, et consilium (Eccli. 25, 7).* Similiter in mundo est sexta aetas, quae est post Christum, in qua aetate homines sunt sapientiores et capaciores; ideo dilata sunt sacramenta completa usque ad hoc tempus. Rursus, quia sunt in medicamentum morbi efficax, etiam eo tempore debent dari, in quo efficacius curant; sed spiritualis infirmitas efficaciter non curatur, nisi quando cognoscitur, et sentitur, alioquin redditur homo ingratus, et pejori vulnere infirmatur; ideo necesse fuit sacramenta differre, quousque morbus tantum invalesceret, ut homo ipsum cognosceret, et remedium quaereret. Hoc autem fuit in tempore gratiae, quia tempore legis naturae convictus est esse caecus; et tunc venit lex docens et onerans, et tunc convictus est de impotentia. Tunc ergo restabat tempus gratiae, in quo morbus jam cognitus curaretur, et in hoc tempore sacramenta completa darentur. Rursus, quia sunt in pulchrum ornamentum, debuit ea Christus illi sponsae dare, a qua nunquam separari deberent. Et quia talis fuit Ecclesia collecta de gentibus, non synagoga, quae ipsum deseruit et negavit; ideo usque ad tempus gratiae perfecta sacramenta non instituit: nihilominus tamen aliqua imperfecta, secundum quod congruebat illis temporibus, in sustentationem dedit. Et sic patet, quod non semper eadem, sed alia et alia debuerint institui.“ *4. dist. 2. a. 1. q. 2.*

[4] „Fides informis parentum tempore legis naturae poterat esse remedium parvulis, quia in illorum justificatione potius meritum congrui quam condigni requiritur; et hoc sine praejudicio sit dictum.“ — „Dixerunt aliqui, quod fides parentum erat remedium parvulo, non ratione actus credendi principaliter, sed ratione ipsius crediti, a quo, in quantum creditum, fluit virtus in omnia sacramenta. Et quia creditum nunquam est informe, sed uniforme respectu fidei informis et formatae; ideo per fidem quantumcumque informem, dum tamen esset vera, dabatur remedium parvulo. Aliter tamen dici potest, quod non ipsum creditum erat remedium, sed ipsa fidei professio, quae vel fit motu fidei, vel actu exteriori, erat dispositio curationis: et haec est in circumcisione et baptismate, quia est ibi professio fidei ipso facto; sed professio fidei, quam faciebant parentes, reputabatur parvulo ex divina misericordia. Et quia professio fidei in habente originale tantum sufficienter disponit ad gratiam, etiam si non fiat in caritate, habens enim originale, cum non teneatur conteri, ex sola voluntate credendi, et captivatione intellectus ad gratiam se praeparat; sic et parvulus praeparatur merito congrui, in justificatione enim, sive in curatione parvuli, potius requirit meritum congrui quam condigni, sicut etiam in justificatione adulti. Ideo dicitur sine praejudicio, quod fides informis parentum esse poterat remedium parvulo.“ *4. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Fidei professio, qualitercumque fieret, sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus, et haberetur respectus ad parvulum, sufficiebat ad remissionem originalis peccati puerorum.“ — „Est duplex opinio, cum dicitur, quod fides parentum erat in remedium parvulo. Quidam dicunt, quod non fides habitus, sed fides ratione actus et motus, sive professionis, et non cujuscumque professionis, sed ejus, qua profitebantur parvulum curandum esse ab eo, quem exspectabat: et de hac professione quidam dicunt, quod oportebat, quod fieret professio non tantum actu mentis, vel oris, sed etiam in signo visibili, ut puta in oblatione vel in sacrificio, sive decimatione, vel aliquo alio signo; quoniam Ecclesia fidelium semper aliqua signa habuit, in quibus fideles colligebantur, et profitebantur fidem in facto.

Unde Augustinus contra Faustum *(lib. 19. c. 11)*: In nullum nomen religionis, sive verum, sive falsum, coadunari possent homines, nisi aliquo signorum, velut sacramentorum visibilium consortio unirentur. Unde dicunt, quod aliquod erat signum cum fide. Et quod dicit Gregorius sola fide, intelligit fide parentum sine consensu vel fide parvuli. Sed haec positio non congruit, quia Gregorius addit in auctoritate, vel pro majoribus, virtus sacrificii. Quare ergo dicit sola, cum de majoribus addit, et dicit virtus sacrificii? Praeterea, cum nulla essent necessitatis, etsi talis professio de congruo deberet esse cum fide, non tamen necessario. Unde Hugo *(lib. 1. p. 11)*: Commemoremur, quod illa sacramenta primi temporis magis ad devotionem proposita fuerunt, quam ad obtinendam salutem indicta. Propter hoc alia positio dicit, quod professio fidei sufficiebat, qualitercumque fieret, sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus, et haberetur respectus ad parvulum. Si autem quaeratur, quare magis fides parentum, dici potest, quod parentes dicuntur hic omnes, qui curam gerebant de parvulo. Aut si dicantur parentes proprie, ratio est quare magis in fide ipsorum, ut quia per ipsos parvulus contraxerat culpam, congruum erat, ut eorum fide mereretur gratiam." *Ibid. q. 2.*

[5] „Quaeritur, quare magis excipit sacramentum circumcisionis quam alia, videtur enim, quod potius deberet excipere alia; quia si sacramenta posterius instituta sunt efficaciora, videtur quod potius deberet excipere sacramenta, quae instituta sunt in lege, quam circumcisionem, quae est instituta ante. Respondeo dicendum, quod circumcisio inter omnia sacramenta legis fuit efficacius sacramentum. Si quaeras quae sit ratio, sive causa efficiens, dico, quod pactio divina, quae in hac specialiter fuit; ideo hoc sacramentum efficacem habebat ordinationem ad curationem originalis. Si autem quaeritur, quare magis in hoc fuit pactio, dicendum quod ratio hujus est duplex. Primo quia sicut baptismus est janua et fundamentum sacramentorum novae legis, ita in circumcisione vetus lex sumpsit fundamentum et exordium. Alia ratio erat, quia circumcisio erat in remedium originalis peccati quantum ad id, quod reus minime est culpabilis, et tamen multum impotens se juvare, ut patet in parvulis; et ideo decuit divinam misericordiam, ut efficacius remedium praepararet." *4. dist. 1. p. 2. dub. 1.* — „Ad illud quod quaeritur, quare fuit data ante legem, dicendum quod hoc fuit ad praeparandum et segregandum populum, cui danda erat lex. Quare autem magis Abrahae, dicendum quod circumcisio fuit data non tantum in remedium, sed etiam in signum. In signum, inquam, discretionis secundum fidem et secundum carnem, secundum quod in illo populo praecipue colendus erat Deus, et ex illo secundum carnem nasciturus erat Christus. Et quia Abraham primus fuit, qui reliquit terram suam propter cultum Dei, et excellens fuit in fide, et sibi facta fuit de Christo promissio; ideo inter patres praecipue fuit data Abrahae." — „Ad illud quod quaeritur, quare magis confirmata fuit sub Josue, quam sub Moyse, ratio est ad hoc et spiritualis et literalis. Literalis, quia legislator reperiit, quomodo praecepta fuit Abraham pro tota posteritate, et ipsi jam habebant usum, nec unquam dimiserant; et ideo non oportuit dari a Moyse vel Moysi. Sed tempore Josue *(Josue 5, 6)* neglexerant circumcisionem in deserto; ideo oportuit dari mandatum, sicut ibi dicitur. Alia ratio etiam fuit spiritualis, quia etsi circumcisio significet circumcisionem praesentem et futuram, tamen illa Abrahae significat praesentem, illa autem Josue in terra promissionis, facta post peregrinationem, significat futuram." *4. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 1. ad 4. 5.*

[6] „Sacrificia legis naturae nullam de se habebant efficaciam in adultis ad remissionem peccati originalis, sed tantum ratione fidei aliquid conferebant." — „Est praenotandum, quod, sicut dicit Magister Hugo *(lib. 1. p. 12)*, in lege naturae tria fuerunt sacramentorum genera, scilicet decimationes, oblationes et sacrificia. Ad quorum notitiam tria sunt notanda; primo, quae sit ratio instituendi illa sacramenta; secundo, quis sit modus; tertio, quae efficacia. Prima ratio est Dei honorificatio. Notandum ergo, quod fides in justis omni tempore cucurrit, et nullus nisi in fide salvatus est. Ergo tempore legis naturalis haec fides erat, quae fideles illuminabat ad hoc, quod crederent, quod Deus erat Creator, quod Redemptor, quod Remunerator; ideo fides illuminabat. Et dictamen naturae consonabat, ut homo Deo serviret, et sua ab ipso recognosceret; et hoc, quod credebat signo visibili, etiam quodam modo manifestaret. Ideo signa fuerunt tempore legis naturae, in quibus Deus honorabatur, qui omnia creaverat, ut in oblatione; similiter honorabatur ut Redemptor, ut puta in sacrificio; ut perfectus Remunerator in decimatione. Denarius enim est numerus perfectissimus, quia tres perfectiones habet in se, prima est unitatis, secunda ternarii, tertia senarii, quae simul juncta faciunt denarium; et ideo ibi status est, propter hoc honorabatur Deus, ut perfectus Remunerator; unitas est enim perfecta, quia est omnis numeri perfectio; ternarius, quia constat ex omnibus partibus suis, ex parte aliquota, et non aliquota; senarius vero, quia constat ex omnibus partibus aliquotis. Secunda ratio est fidei Redemptoris professio. Sicut enim nullus sine fide potest Deo placere *(Hebr. 11, 6)*, sic nullus sine fide Mediatoris a peccato resurgere; et sicut fides simpliciter dictabat Dei honorificationem, ita haec professionem. Et quia tunc profitetur homo, quando quod interius credit, exterius manifestat; ideo tempore legis naturae fuerunt signa ad hoc manifestandum. Etiam honorabatur ut Redemptor; et hoc modo tria considerantur. Redemptum, et hoc per decimationem, homo enim significatur per decimam drachmam perditam *(Luc. 15, 8—9)*. Ipse modus redimendi, et hoc per oblationem. Ipsum pretium, et hoc per sacrificium, in quo erat sanguinis effusio. Et ista professio in hujusmodi signis maxime necessaria erat pro ipsis imperfectis, perfectis enim Deus revelavit sacramenta fidei, imperfectis celavit. Unde minores adhaerebant fidei majorum, et credebant implicite; et sicut implicite credebant, sic signa data sunt eis a majoribus, in quibus fidem implicite profiterentur. Tertia ratio est vitae agendae instructio. Sicut enim aliquis non poterat Deo placere sine fide, nec a peccato resurgere sine fide Redemptoris; sic nec in bono stare sine bono opere. Et ideo fidei adjecta sunt signa, quae significarent ea, quae necessaria sunt cum fide. Haec autem tria sunt in corde, et tria sunt exterius. Quae tria in corde his

sequentibus signantur. In decimatione peccati recognitio et ejus dimissio, quia in ea datur Deo, quod perfectum et quod bonum est, et remanet nobis quod est imperfectum; unde significatur, quod bona tantum sunt a Deo, sed mala a nobis. Rursus, in separatione decimae partis in partem Dei, significatur recessus a peccato. In sacrificio signatur interna contritio, quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus (Ps. 50, 19)*, et exterior carnis maceratio, quia occidebatur pecus; unde mortificanda sunt membra nostra: *Exhibeatis corpora vestra hostiam etc. (Rom. 12, 1)*. In oblatione mentis devotio et exterior bona operatio, quae si adsint cum fide, sufficiunt ad salutem. Sic ergo patet, quae sit ratio institutionis illorum, scilicet Dei honorificatio, fidei Redemptoris professio, vitae agendae instructio. Secundo debet attendi modus instituendi, non enim instituta sunt per modum praecepti, ut dicit Hugo *(1. p. 8. c. 12)*: Primo parvulos consilio erudivit, vel nutrivit, loquens pro illis, qui fuerunt tempore legis naturae. Et si quaeras quo modo, dicendum quod fides dictabat, ut visum est, et natura consonabat, et inspiratio auctoritatem dabat; et ideo per modum consilii data erant, et hoc per superiores, in quibus erat fides explicita. Tertio attendenda est efficacia in his. Et notandum, quod de se nullam habebant efficaciam mundandi, seu curandi, vel justificandi, sed solum ratione fidei Redemptoris; non enim erant instituta ad hoc, sed ad haec, quae praedicta sunt." *4. dist. 1. p. 2. a. 1. q. 3.*

[7] „In circumcisione dabatur gratia, sed tamen parvula respectu ejus, quae datur in baptismo. Et ratio hujus videbitur in sequenti distinctione, cum de profectu sacramentorum disputabitur. Et quia gratia quantumcumque parva plenum effectum habet ad delendam omnem culpam mortalem, sed semiplenum ad habilitandas potentias animae ad proficiendum; ideo circumcisio dicitur ordinari ad effectum ablationis culpae, non quia ipsum solum habeat, sed quia solum habet completum. Et quia sacramentum non omne significat quod facit, sed quod plenius et perfectius facit; ideo in circumcisione solum est signum ablationis principaliter." *4. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 3.*

[8] „Sacramenta novae legis justificant, et gratiam conferunt ex opere operato per se, quod non faciebant sacramenta legis veteris nisi per accidens." — „Dicendum quod istam differentiam aliter intellexit Hugo, aliter intellexit Pictavensis et Magister. Magister enim secutus Pictavensem dixit, quod sacramenta veteris legis, excepta circumcisione, instituta essent ad signandum tantum in perfectis viris et fidelibus, quia aliis erant instituta vel in onus, si duri erant, vel ad revocandum ab idololatria; et si ad aliquam fuerunt efficaciam ordinata, hoc fuit solum, ut absolverent ab irregularitate carnali, vel poena temporali, ut baptismata et sacrificia. Et quia solum ad hoc instituta erant, etiam si ex fide et caritate fierent, non erat in eis meritum, quia non se extendebant ultra id, ad quod erant. Unde sicut motus caritatis non erit in patria meritorius, sic tunc non merebantur in opere exteriori, sed tantum in interiori. Et si tu objicias ei de medicina, dicit, quod fides Redemptoris fuit medicina pro tempore illo; illa vero non justificabant nec per se, nec per accidens. Et hujus positionis fuit Pictavensis. Sed haec positio magistro Hugoni non videbatur rationabilis, quia tunc sacrificia facta a viris sanctis non placuissent Deo, nec sacrificium Abel, nec Abraham, nec Salomonis; quod manifeste falsum est, sicut patet in oratione canonis *(Can. Miss.* ibi: *Supra quae propitio etc.)*. Et quid etiam de oblatione sacrae Virginis, cum obtulit par turturum? numquid a merito vacua fuit? Propter hoc aliter magister Hugo voluit dicere, quod sacramenta veteris legis, excepta circumcisione, instituta fuerunt primum ad significandum vel passionem ut sacrificia, vel etiam nostra sacramenta, ut baptisma nostrum; et ad efficiendum non sunt instituta, nisi solum exterius circa carnem; sed quia significant id, quod fides credit, in eorum perceptione est professio fidei, non tantum verbo, sed et facto. Et quia talis fides disponebat ad justificationem, ideo sacramenta illa per accidens justificabant. Et novae legis sacramenta non solum ex prima causa et institutione ordinata sunt ad significandum, sed etiam ad gratiam obtinendam; ideo per se ordinata sunt ad justificationem. Ideo, per se loquendo, ista justificant, illa non nisi per accidens. Et hujus signum est, quod sacramenta veteris legis principaliter significant id, quod credendum est, ut Christi passionem, et per posterius justificationem, excepta sola circumcisione, quae principaliter significat amotionem originalis. Sed sacramenta novae legis e contrario primo significant gratiae efficaciam, et per posterius passionem, sive id quod est credendum, ut baptismus interiorem ablutionem, et passionem. Unde Hugo *(lib. 1. de sacr. p. 11. c. 5)*: Sacramenta novi testamenti primo loco spiritualis gratiae signa sunt, et ad ipsam gratiam sanctificandis conferendam principaliter instituta. Illa vero signa horum tantum erant, et mediantibus his gratiam justificationis contulerunt, mediantibus his, id est, fide istorum, quia non erant in re, sed in fide. Et has opiniones tanquam rationabiles concordant aliqui magistri moderni temporis, dicentes Magistrum locutum esse, quod illa non justificabant per se, sed Hugo per accidens; ideo non est contradictio. Sunt etiam alii, qui dicunt idem ipsum aliis verbis, quod ista justificant ratione operis operati, sed illa ratione operis operantis, non operati; et opus operans est fides, sed operatum exterius est sacramentum; et hoc est ratione fidei et caritatis conjunctae. Sed si quis attendat, hae positiones directe sibi contradicunt. Primum quidem, quia Magister non solum dicit, quod illa sacramenta non justificabant, imo etiam si in fide et caritate fierent; et sic nec per se, nec per accidens. Rursus, utraeque loquuntur de his, in quantum sunt sacramenta: et constat quod opus operans non est sacramentum, sed opus operatum; ergo utraque intellexit de operato, et illud verum est: et de illo opere operato dixit Magister, quod solum significabat, non justificabat, sicut aspersio aquae vel sanguinis. Nunquam enim justificabat sanguis hircorum aspersus, etiamsi in fide et caritate fieret; et hoc modo nec per se, nec per accidens: et hoc fuit satis probabile. Sed certe multo probabilius est, quod magister Hugo posuit, quod, cum in illo opere operato esset professio fidei facta, ratione fidei conjunctae erat in illis primo et per illa (per accidens tamen) justificatio. Sed in hoc est differentia ipsorum ad nova, quod in sacramentis novae legis, quantum ad opera, operata est justificatio non tantum per accidens, sed etiam per se. Hujus autem signum evidens primo ostensum est in modo significandi horum sacra-

mentorum, et illorum. Si vero quaeritur ratio, unde hoc est, patet responsio ex praedictis, quia causalitas sacramentorum non est aliud, quam quaedam efficax ordinatio ad recipiendam gratiam ex pactione divina; hoc autem fuit solum in sacramentis novae legis et non veteris, nisi in circumcisione, quia ibi fuit pactio. Quare autem in istis est pactio et ordinatio, in illis non, patet, quia tunc fuit tempus figurae, et vincendi duritiam illorum per illa sacramenta, modo est tempus gratiae. Ex his patet responsio ad objecta ad utramque partem; nam illa quae probant, quod non justificant, intelliguntur per se loquendo, alia vero ad oppositum, per accidens." *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 5.*

[9] „Duplex est circa quaestionem istam opinio celebris et famosa. Quidam namque voluerunt dicere, quod in utriusque sacramentis datur gratia, sed differenter. Quia in illis dabatur ratione fidei, et devotione ipsius suscipientis, ita quod nullo modo ratione sacramenti, sive operis operati. In sacramentis autem novae legis secus est, quia constant ex verbo et elemento; sed cum Dominus instituit verbum, dedit illi virtutem, per quam influit et agit in animam, vel disponendo ad gratiae susceptionem, vel imprimendo characteris significationem, vel adminiculando ipsi gratiae ad animae curationem et fomitis debilitationem. Et hoc videtur dicere Augustinus *(in Joan. tract. 50 post med.)*: Quae est virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciendo verbo? Et Hugo de sancto Victore videtur id idem sentire, qui dicit, quod sacramenta novae legis prius sanctificantur per verbum, et postmodum sanctificant, ut sic sint ex sanctificatione sanctificantia. Et hunc modum dicendi sustinent viri periti et fide digni. Sed difficile videtur mihi intelligere virtutem illam simul esse verbo et elemento collatam, quantum ad essentiam et naturam, quantum ad ejus existentiam, quantum ad durationis mensuram, et etiam quantum ad operationis efficaciam, quae omnia necesse est ponere et explicare circa virtutem illam. Si quis dicat, quod aliqua qualitas detur verbo et elemento, per quam agat et influat in ipsam animam, difficile est intelligere ipsius virtutis essentiam. Cum enim non sit substantia, sed accidens quoddam, et in genere boni, dubium est, utrum debeat reponi inter bona maxima, vel media, vel minima. Et si inter bona maxima reponatur, jam gratia erit; gratia autem existens in uno subjecto, non habet virtutem agendi in aliud. Si vero gratia non est, nec virtus, quo modo ergo dicitur secundum veritatem sanctificare ipsum sacramentum, et eum, qui suscipit sacramentum? In quo etiam genere sit, et cujus speciei sit, utrum videlicet in diversis sacramentis diversificetur formaliter illa virtus, homini parum intelligenti difficile est capere. Et si inter bona media vel minima reponitur, quo modo talis virtus facit rectitudinem et sanationem ipsius animae, quae inter bona maxima computantur? Non solum autem difficile est intelligere hujus virtutis essentiam, sed etiam subsistentiam; aliter enim accidens spirituale substantificatur in subjecto corporali, vel cum naturae ordine, quem Deus non pervertit per miraculum, substantia sit nobilior sua proprietate. Aut si ponitur illa virtus specialis, ut in subjecto, in verbo et elemento, quare non similiter ipsa gratia, quae debet infundi animae, quod nescio si aliquis recte intelligens dicat? Aut si est in subjecto corporali, quomodo una virtus et qualitas absoluta simul poterit esse in duobus subjectis, verbo videlicet et elemento, ex quibus etsi fiat unum sacramentum, non tamen fit unum per naturam et essentiam? Unitas autem virtutis, secundum quod dicit et vult Damascenus *(de orth. fide, c. 15 et 19)*, correspondet unitati substantiae et naturae. Aut ergo in uno sacramento non est una virtus, sed plures, aut illa virtus composita est, aut unum accidens simplex et spirituale et impartibile simul erit in diversis subjectis, quod totum valde difficile est intelligere de illa virtute. Nec solum ista duo difficile est intelligere de illa virtute, sed etiam durationis mensuram. Dubium enim est, utrum Deus dederit virtutem illam, cum primo instituit, aut de novo det. Sed quo modo a principio dedit his, quae nondum erant, sicut verbis, quae quotidie de novo formantur? Si de novo dat, tunc quotidie in sacramentis non solum gratiam, sed etiam alia accidentia creat; et tamen consuevit dici, quod creationis opus non currat nisi circa exitum animae in esse et circa infusionem gratiae. Et si desinat esse statim prolato verbo, quomodo creavit Deus tam nobilem virtutem, ut ita cito deficeret? Et rursus, si datur verbo, cum non detur verbo in scripto, nec in mente, datur in pronuntiatione; et tunc difficile erit explicare, utrum detur in principio, vel in medio, vel in fine; quia nec in principio verbi, nec in medio est actio illius virtutis. Si vero in fine, tunc cum verbo desinat esse, et deficiente verbo desinat virtus verbi, simul incipiet virtus et desinet. Aut si ante finem datur, quantum detur difficile est insinuare. Nec tantum illud, sed etiam multo difficilius est explicare operationis illius virtutis efficaciam, utrum scilicet agat generatione aequivoca vel univoca, generando sibi simile vel dissimile; difficile etiam est, utrum influat omnino aliquid ab extrinseco, aut educat aliquid de potentia in actum. Primum est soli Deo possibile, secundum autem difficile est explicare. Difficile est etiam intelligere, quomodo characteris impressio possit esse ab illa virtute cum character videatur esse in superiori parte, in qua solus Deus potest influere. Unde substantia intelligibilis beata, quantumcumque magnae sit excellentiae, secundum quod dicit Augustinus *(in Psalm. 118, ser. 18)*, non potest facere ad nostram justificationem, vel illuminationem, aliquid interius formando, sed solum exterius excitando. Quomodo ergo hoc poterit virtus data elemento, vel verbo, cum non videatur esse capax tantae virtutis? Postremo, in sacramento altaris, in quo fit subito transubstantiatio panis secundum se totum in corpus Christi, quod quidem non potest esse nisi ab infinita virtute, quomodo verbum prolatum ab homine, cum sit finitae virtutis, poterit ad istam transubstantiationem aliquid operari? Et certe si illud verbum virtutem non habet agentem, multo minus verba aliorum sacramentorum. Haec omnia et multa alia circa hoc valde difficile est intelligere et explicare. Quae non idcirco narro, quia credo esse insolubilia, vel ut ipse istam improbem positionem, sed ut ostendam me ipsam non plene intelligere; et ideo nec affirmare, nec negare velle. Quia etsi ipsam clare non intelligam, hoc tamen scio et intelligo, quod plura potest Deus facere, et etiam in ipsis sacramentis facit, quam nos possumus intelligere. Unde confugiendo ad mirabilem Dei potentiam, omnia ista possu-

mus facile declinare. Et secundum hunc modum dicendi satis plana esset responsio ad quaestionem propositam, si ipsius modi plana esset intelligentia. Et haec positio in quarto libro *(dist. 1. a. 1. q. 1)* diffusius est explicata, ubi respondetur ad praemissa. Alius est hîc modus dicendi. Supposito quod in sacramentis novae legis divina virtus secretius operetur, quia hoc est ipsius fidei et sententiae communis, dixerunt aliqui sacramenta novae legis habere respectu justificationis virtutem influentem, virtutem promerentem, virtutem disponentem et virtutem efficaciter ordinantem. Virtutem influentem ratione Spiritus sancti assistentis, virtutem promerentem ratione meriti passionis ad sacramentum concurrentis, virtutem disponentem ratione devotionis ipsius fidelis sacramentum suscipientis, virtutem denique efficaciter ordinantem ratione divinae passionis instituentis. Sic enim instituit Dominus, ut ad talis verbi prolationem et sacramenti susceptionem, mirabilis in suscipientibus fieret operatio, et suscipientium sanatio et justificatio; et pro tanto dicunt sacramenta novae legis habere virtutem. Et differunt in hoc a sacramentis legis veteris, praecipue quantum ad ipsam efficacem ordinationem; quia non interveniebat ibi pactio in illis sacramentis, per quam efficax et infallibilis fieret ordinatio ad gratiam, secundum quod in sacramentis novae legis, ut patet in institutione baptismi, ubi dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (Marc. 16, 16)*. In aliis etiam tribus modis habendi virtutem differentia est penes magis completum et minus completum; quia in sacramentis novae legis Spiritus sanctus influens justitiam plenius assistit, et passio Christi meritoria efficacius concurrit. In cujus signum de latere Christi profluxerunt sanguis et aqua, et per consequens sacramenta, de quibus fundatur Ecclesia. Abundantior etiam est devotio suscipientis tum propter incrementum fidei propriae, quod factum est in nova lege, tum etiam propter subsidium fidei totius Ecclesiae; quia in fide Ecclesiae suscipiunt ecclesiastica sacramenta. Et propter istum quadruplicem modum habendi virtutem, dicuntur sacramenta legis novae justificare, et esse causa gratiae. Nec volunt, qui hanc positionem sustinent, in sacramentis novae legis amplius ponere, tum quia ista satis videntur sufficere ad nostram sanationem et justificationem, tum quia etiam ex isto quadruplici modo habendi virtutem satis manifestatur nobilitas sacramenti novae legis in seipsis, tum etiam quia nec expressa auctoritas, nec ratio videtur cogere amplius illis dare, et humilitas fidei non tantum debet refugere diminutionem, sed etiam superfluitatem, et laudabilius quodam modo videtur diminute dicere quam ampliare. Hunc modum dicendi, et hujus quaestionis determinationem plures sustinent bene intelligentes. Et dominus Guilielmus Parisiensis Episcopus in determinando in scholis fratrum Minorum approbavit istum modum dicendi coram fratre Alexandro bonae memoriae. Et istum modum dicendi dupliciter potest quis sustinere et intelligere, vel ita quod omnino affirmet nullo alio modo esse virtutem in sacramentis novae legis, quam modis praedictis; vel quod hoc modo affirmet virtutem in eis esse, ita tamen quod non neget alium modum praeter hoc existendi virtutem in sacramentis esse possibilem. Et primus quidem repugnat priori modo dicendi; secundus autem modus dicendi priori opinioni non repugnat, quia nihil dicit, quod illa non dicat, imo etiam nihil dicit, quod communis opinio non teneat. Nullus enim recte sentiens negat, quin omnibus dictis modis sacramenta novae legis virtutem habeant. Sed si quis plus dicit, huic positioni non contradicit, sed addit. Sed forte videbitur alicui calumniabile, quod dictum est, virtutem Spiritus sancti sacramento assistere; quin potius in nomine sacramenti claudi, deberet intelligi tanquam de ejus integritate, propter hoc quod dicitur: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt (1. Jo. 5, 8)*. Et in libro de unitate et uno dicitur, quod sunt unum sacramento; et ideo non debet dici, quod Spiritus sanctus assistat sacramento, tanquam cum eo connumeretur; sed propter ipsam unitatem, quae praedicta est, quam efficit Spiritus sanctus in sacramento, ipsi sacramento debet attribui. Sed certe, etsi hic modus dicendi videatur differre a praedicto, tamen secundum rem idem est, licet vocabula sint diversa. Quod enim dicuntur ista tria unum sacramento, hoc non est, quod ex ipsis fiat unum per essentiam, sed quod fiat unum per ordinem, quia scilicet ordinantur ad unum effectum; et hoc nihil aliud est dicere, quam unum alteri assistere. Item omne, quod est de integritate sacramenti, aut est res tantum, aut significatio tantum, aut res et signum. Si ergo spiritus influens justitiam ponitur de unitate sacramenti, cum non sit signum et res, nec signum tantum, erit tantummodo sicut res; et ita non habebit rationem causantis; sed potius nomen, vel rationem effectus: et ita spiritus non staret pro ipsa virtute influente, sed potius pro ipsa gratia Spiritus sancti infusa ipsi animae in sacramenti susceptione. Item non est quaestio, utrum Spiritus sanctus in sacramento infundat gratiam; sed de hoc est quaestio, utrum sacramentum, secundum quod dicitur invisibilis gratiae visibilis forma, ita quod similitudinem ejus gerat, et causa existat, virtutem habeat aliquam, per quam influat in animam. Non videtur ergo hoc facere ad propositum. Postremo, Spiritus sanctus sanctificans, et meritum passionis, et elementum exterius non solummodo reperiuntur in sacramentis legis novae, sed etiam in sacramentis veteris legis. Hoc ergo non sufficit ad assignandam differentiam istorum sacramentorum et illorum. Aut ergo iste modus dicendi nihil aliud dicit, aut si dicit, parum dicit, et modicum ad propositum facit. Et ideo sustineatur quicumque praedictorum modorum magis placet, quia primus satis pius est, secundum vero satis sobrius est, si sustineatur illo modo, quo dictum est." *3. dist. 40. dub. 3.*

[10] „Aliqua sacramenta significaverunt quod futurum erat, ut legalia: aliqua quod praeteritum, ut sacramenta nostra, quae signant passionem praeteritam, sicut dicit Glossa super illud: *Consepulti estis (Rom. 6, 4)*; Glossa: Quidquid gestum est in cruce Christi, in his non tantum dictis, sed etiam gestis figuratur; loquitur de sacramentis, sunt enim signa demonstrativa, quia signant quod donatur. Unde duplicem habent significationem, propriam scilicet et allegoricam, propriam respectu praesentis, sed allegoricam respectu praeteriti." *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 2 ad 4.*

[11] „Etsi passio eadem sit, tamen prius fuit promissa, et modo est persoluta; et ideo, accepta satisfactione, misericordia Dei liberalior fuit ad remittendum, quam cum tantum erat promissa, liberalior, inquam, quantum ad

effectum, cum semper in se sit summe et aequaliter liberalis; ideo effectus major. Praeterea, etsi fides sit eadem, tamen haec est dignior et ad amandum efficacior, quia apertius credimus quam antiqui; et fides de passione jam praeterita, et solutione facta, magis ad amandum incitat quam promissa. Ideo Deus et merito fidei, et merito passionis jam praeteritae, majorem contulit sacramentis efficaciam. Et rursus, quia fides est expressior, sacramenta sunt evidentiora; sed fides expressa remanet eadem, quia ratio credendi eadem; sed sacramenta alia, quia signa sunt alia, et signa non mutantur quantum ad signatum, sed quantum ad speciem signantem." *4. dist. 2. a. 1. q. 2. ad 3.*

[12] „Sacramenta legis veteris habebant efficaciam a fide specialis personae, unde parvulus justificabatur in fide parentum; hoc autem habuit a fide Ecclesiae. Alia etiam differentia est, quia illa totam efficaciam habebant a fide; haec autem non tantum habent a fide, sed etiam a pactione divina, quae ipsum opus operatum ordinavit ad gratiam percipiendam; illa vero per accidens solum justificabant, sola circumcisione excepta, quae virtutem habuit a fide Ecclesiae et ex pactione Dei. Dominus enim pactum fecit, cum dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (Marc. 16, 16);* et similiter: *Ponam pactum meum etc. (Gen. 17, 10).*" *4. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 3 ad 3.*

APPENDIX.

In quo sacramenta veteris legis a sacramentis legis novae differant, diverso modo exponitur a Seraphico et ab Angelico. Hic enim, cui plerique Theologi recentiores subscribunt, in *1. 2. q. 103. a. 2,* et *3. p. q. 62. a. 6* in eo discrimen assignat, quod illa *ex opere operantis,* haec *ex opere operato* gratiam conferant. Porro, ut exponit Seraph. *4. d. 1. a. 1. q. 5,* „opus operans est fides, opus operatum interius est sacramentum". Sacramenta proinde veteris legis ab immunditia legali emundabant, ut vero a peccatis mundarent, nullam in se vim habebant, quia „non poterant in se continere realiter virtutem profluentem a Christo incarnato et passo;" quia tamen, „erant quaedam protestationes fidei," idcirco ratione fidei illius, qui operabatur, gratiam conferebant. E contra Seraphicus *l. c.* Hugonem Victorinum secutus, tenet sacramenta utriusque foederis gratiam producere *ex opere operato;* nempe sacramenta legis veteris, utpote fidei protestativa, *secundario et per accidens;* sacramenta novae legis *primario et per se.* Nam, ut ait S. D. *l. c.,* „sacramenta veteris legis, excepta circumcisione, instituta fuerunt primo ad significandum vel passionem, ut sacrificia, vel etiam nostra sacramenta, ut baptisma nostrum; et ad efficiendum non sunt instituta, nisi solum exterius circa carnem. Sed quia significant id, quod fides credit, in eorum perceptione est professio fidei, non tantum verbo, sed et facto. Et quia talis fides disponebat ad justificationem; ideo sacramenta illa per accidens justificabant. Et novae legis sacramenta non solum ex prima causa et institutione ordinata sunt ad significandum, sed etiam ad gratiam obtinendam; ideo per se ordinata sunt ad justificationem. Ideo, per se loquendo ista justificant, illa non nisi per accidens. Et hujus signum est, quod sacramenta veteris legis principaliter significant id, quod credendum est, ut Christi passionem, et per posterius justificationem, excepta sola circumcisione, quae principaliter significat amotionem originalis. Sed sacramenta novae legis e contrario primo significant gratiae efficaciam, et per posterius passionem, sive id, quod est credendum, ut baptismus interiorem ablutionem et passionem." S. Bonaventurae opinionem strenue tuetur doctissimus Estius in *4. Sentent. d. 1. § 28,* juxta eam enim, ut ipse fatetur, „facile apparet, quo sensu tam Scripturae, quam Patres, vel tribuant vel adimant sacramentis veteris legis vim sanctificandi. Per se enim spectata non justificant, sed tantum futurorum signa sunt .... per accidens vero justificant, etiam ex opere operato."

Porro, ut observat Bellarminus, *de sacram. in gen. lib. 2. c. 13,* error haereticorum anathemate perculsus in Concilio Tridentino non in eo est, quod extulerint sacramenta veteris legis, ut Theologi, qui sententiam Seraphici tenent; sed in eo quod sacramentis novae legis detraxerint, ita ut paria cum illis quoad efficaciam facerent.

CAPUT III.

De sacramentorum numero et distinctione.

(Sacramenta novae legis sunt septem: — quare.)

De distinctione autem et numero sacramentorum novae legis (I) hoc tenendum est, quod ipsa sunt septem, secundum correspondentiam ad gratiam septiformem, quae

(I) Quamplures haeretici de sacramentorum numero minus recte opinati sunt, aliquod passim sacramentum respuentes. Porro, ceteris hîc loci praetermissis, Protestantes ad binarium numerum sacramenta

per septenarium temporis nos reducit ad principium, quietem et circulum aeternitatis, sicut ad octavam resurrectionis universalis [1]. Horum autem [a] sacramentorum janua est baptismus, deinde confirmatio, eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo et matrimonium [2], quod licet ultimo collocetur propter morbum concupiscentiae annexum, ipsum tamen fuit ante omnia introductum in paradiso, etiam ante peccatum.

a) Autem om. ed. 1484.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum et curativum nostrorum morborum [b] Christus Dominus, Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus et sapientia, et misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter [c] sua debet instituere sacramenta in lege gratiae, ut nihil prorsus desit curationi nostrae, quantum competit statui vitae praesentis. Ad perfectam autem curationem aegritudinis concurrunt haec tria, scilicet expulsio aegritudinis, introductio sanitatis [d] et conservatio introductae salutis [d]. Primum igitur, quoniam ad perfectam curationem perfecta et universalis requiritur morbi expulsio, et morbus est septiformis, triplex culpabilis, scilicet culpa originalis, mortalis et venialis, et [e] quadruplex poenalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas, et concupiscentia, et non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit Hieronymus *(sup. Marc. 9);* hinc est, quod oportuit adhiberi contra haec septenarium medicamentorum [3], ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem, baptismum; contra mortalem, poenitentiam; contra venialem, unctionem extremam; contra ignorantiam, ordinem; contra malitiam, eucharistiam; contra infirmitatem, confirmationem; et contra concupiscentiam, matrimonium, quod eam temperat et excusat.

b) Et curativum morborum om. ABCD et editt. Arg. Nor.

c) Sic decenter om. ed. 1484.

d) Sanitatis vel salutis ibid.

e) Et om. ibid.

Rursus, quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integrae sanitatis, et sanitas animae integra consistit in usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum et quatuor cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum [f] restituendum, institui oportuit septiforme sacramentum [4]. Nam baptismus sanando disponit ad fidem, confirmatio ad spem, eucharistia ad caritatem, poenitentia ad justitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quae est fortitudinis complementum et summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum.

f) Integrum sane ibid.

Postremo, quoniam perfecta curatio esse non potest sine conservatione salutis introductae, et salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiae, quae est *terribilis, ut castrorum acies ordinata (Cant. 6, 9),* et hoc quidem fit per septiformis gratiae armaturam; hinc est, quod necesse est septem esse sacramenta. Nam ut haec acies sit perfecte et continue communita, cum constet ex partibus cor-

reduxerunt; omnia enim, praeter baptismum et eucharistiam, inficiati sunt. Hodierni autem Rationalistae omnia prorsus veluti meras caeremonias rejiciunt.

Contra ipsos autem definitum fuit in Concil. Trident. *sess. 7. can. 1:* „Si quis dixerit sacramenta novae legis ... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum; anathema sit."

Quoad vero distinctionem, quum juxta Protestantium figmenta sacramenta nonnisi quaedam signa inania sint, ea paria inter se esse contendunt. Contra autem hoc assertum est definitio Concil. Trident. *sess. 7. can. 3:* „Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit."

ruptibilibus, indiget sacramentis munientibus, relevantibus et renovantibus: munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, et renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens, aut munit ingredientes, et sic est baptismus; aut stantes, et sic est confirmatio; aut exeuntes, et sic est extrema unctio. Sacramentum autem relevans, aut relevat a casu veniali, et sic est eucharistia; aut a mortali, et sic est poenitentia. Sacramentum autem renovans, aut revovat in esse spirituali, et sic est [g] ordo, cujus est administrare sacramenta; aut in esse naturali, et sic est [h] matrimonium, quod quia renovat multitudinem [i] in esse naturae, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia institutum, sive [j] introductum, licet propter morbum concupiscentiae annexum, et quia minime est [k] sanctificativum, quamvis significatione sit sacramentum magnum, inter medicamenta spiritualia ultimo collocatur, et locum sortitur extremum [5]. Unde quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, eucharistia vires resumentium, poenitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites praeparantium, patet ex his sufficientia et ordo medicamentorum sacramentalium et armorum [6].

g) Est om. ibid.
h) Est om. ibid.
i) Hominem ibid.
j) Institutum sive om. ibid. et ABCD et editt. Arg. Nor. Ven.
k) Est om. ed. 1484.

Ad Caput III.

[1] „Ad has *(aetates)* sequitur octava aetas, scilicet resurrectio mortuorum, de qua Psalmista ait: *Mane astabo tibi, et videbo (Psalm. 5, 5)*. Et est reditus ad primum, quia post septimam diem regressus est ad primum.“ *Serm. 15 in Hexaëm.* Cfr. superius in *Prooem. § 3. n. 4;* et *part. II. cap. 2. n. 22.*

[2] „Quod debuerint sacramenta esse plura, videtur; quia contra peccati vulnus sacramentorum remedia Deus instituit. Et dicit Hieronymus *(super Marc. 9):* Non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Cum ergo diversa sint vulnera, ergo diversa debent esse remedia; ergo sacramenta plura.“ — „Sacramenta non tantum sanant, sed etiam signant; ergo si signatio est ex institutione, et quod ad multa instituitur, ad signandum est multiplex et dubium; ergo si unum sacramentum habet plures efficacias et plures signationes, duceret in dubitationem, non in cognitionem.“ — „Necesse est, quod sacramentum expressam habeat similitudinem; sed non invenitur species visibilis, quae habeat similitudinem expressam cum omnibus effectibus; ergo necesse est esse plures. Supposito ergo quod plura, quaeritur quare tantum septem; quia, cum duo sint vulnera tantum, scilicet poenae et culpae, videtur, quod debuerint esse duo sacramenta tantum. Si dicas, quod poena et culpa multiplicantur per differentias; contra: Tunc erunt plura quam septem, quia genera peccatorum sunt septem.“ *4. dist. 2. a. 1. q. 3. fund.*

[3] „Gratia sacramentalis est eadem per essentiam cum gratia virtutum, licet gratia sacramentalis plures connotet effectus.“ — „Quidam voluerunt dicere, quod in his et in illis est omnino eadem gratia, differens sola comparatione, vel modo participandi. Illa enim gratia, quae fecit virtutes et dona esse in anima, dicitur esse virtutum; sacramentalis vero dicitur, secundum quod per sacramentum datur, aut augetur, vel recuperatur; nec instituta sunt sacramenta ad aliam gratiam, sed ad illam quaerendam et recuperandam. Alia positio est, quod in his et in illis est gratia differens per essentiam, sicut probant istae rationes: et sicut in uno homine plures sunt gratiae gratis datae, ita et plures gratum facientes, propter hoc quod ordinant ad diversa; virtutes enim et dona ordinant ad opera bona, sed sacramenta curant vitia, nec ordinant ad opera bona nisi ex consequenti: unde secundum quod multa sunt vitia, multae sunt gratiae sacramentales. Tertia positio est probabilior et melior, quod gratia gratum faciens una est; et hujus signum est, quia tollitur uno peccato tota. Sed attendendum est, cum dico gratiam virtutum, dico gratiam gratum facientem, et habitum substratum: et gratia gratum faciens una est, sed habitus substrati alii et alii. Similiter cum dico gratiam sacramentalem, non tantum dico gratiam, sed etiam effectum curationis, et gratia quidem una est, sed effectus curationis plures sunt. Distinguitur ergo gratia in sacramentis, donis et virtutibus, concernendo effectus et habitus substratos; unde sacramentalis gratia supra gratiam virtutum propter peccatum addit aliquem effectum. Exemplum in eo, qui gratus est et baptizatus: datur illi gratiae effectus, quia non tantum absolvitur a culpa, sed etiam a poena; sic est et in aliis virtutibus et donis et beatitudinibus penes habitus substratos, qui differunt propter differentiam in actibus, ad quos ordinant. Nam virtutes ordinant ad opera prima, dona ad media, beatitudines ad perfecta, ut alibi *(lib. 3. dist. 3. et deinceps)* patet, sacramenta vero addunt remedium curationis. Et rationes procedunt secundum has duas vias.“ *4. dist. 1. p. 1. a. 1. q. 6.*

[4] *„Unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis (Eccli. 38, 7).* Verbum istud scribitur in Ecclesiastico, in quo, diligentius considerato, explicatur et commendatur materia quarti libri Sententiarum ad nostram eruditionem et exercitationem. Explicat autem sub duplici tropo, sive metaphora, scilicet pigmentorum suavi-

tatis, et unctionum sanitatis. Ex quibus datur nobis intelligi, quod medicamenta sacramentalia et sunt suavia, et sunt salubria; et in hoc est tam medicamenti, quam medici laus perfecta. Nihil enim ultra quaerit aegrotus in medicina, quam quod habeat suavitatem in usu, et efficaciam in effectu: et qui hujusmodi tribuit medicinam, medicus est perfectus, secundum illud poëticum: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci (Hor. de art. poët.).* Sunt ergo medicamenta sacramentalia pigmenta odorifica et unguenta salutifera. Sed unguenta salutifera sunt respectu aegroti curandi, pigmenta odorifera respectu Dei placandi; et haec contra duo, quae facit culpa. Deum enim offendit, et naturam laedit; et offendendo Deum, hominem gratia exspoliat; et laedendo naturam, vulnerat naturalia. Sacramenta ergo sunt medicamenta perfecta, quoniam Deum sua suavitate placant, et placando faciunt propitium, et impetrant gratiam, et vestiunt hominem exspoliatum, et hominem infirmum sua curant virtute; et sic reparant naturalia. Et sic homo descendens ab Jerusalem in Jericho, exspoliatus et vulneratus, reinduitur et curatur a Samaritano *(Luc. 10, 33 et seqq.)*, scilicet Christo Domino, in cujus persona nunc dicitur: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis*, id est, instituet sacramenta redolentia ad placandam majestatem divinam. *Faciet*, futurum dicit, loquens in tempore legis mosaicae, pro tempore legis gratiae. Etsi enim in illo fuisse dicantur pigmenta et sacrificia Deo redolentia, non tamen erant Deum placantia. Praecepit namque Dominus Moysi in Exodo *(30, 35)*, ut faceret thymiama compositum opere pigmentarii. *Facies thymiama*, inquit, *compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum.* Praeceperat Aaron, ut offerret illud ponens super altare contra velum. Et post subdit: *Et uret super illud Aaron incensum mane suave fragrans, et ad vesperum uret thymiama (Exod. 30, 7—8).* Et in omni oblatione fere dicitur in Levitico *(6, 15 etc.): In odorem suavissimum Domino.* Sed odor ille non placabat Dominum propter vacuitatem oblatorum, sicut dicit Apostolus ad Hebraeos *(10, 1): Umbram habens lex futurorum bonorum etc.* Non placabat etiam propter immunditiam offerentium, sicut in Isaia *(1, 13—15)* dicitur: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi.* Et ratio subjungitur post: *Manus vestrae sanguine plenae sunt.* Ad hoc ergo, quod aliquis faceret pigmenta redolentia, necesse erat, quod nulla in eo esset immunditia, et quod plenus esset veri odoris fragrantia. Sed nullus talis poterat inveniri, nec ab homine generari, propter immunditiam generantis; et ideo necesse fuit, quod Dominus ipse virtute sua corpus ei aptaret, secundum illud Psalmi *(39, 7)*, quod assumit Apostolus ad Hebraeos *(10, 5—7)*, loquens de Christo ingrediente mundum, dicens: *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocausta pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio.* Bene dicit, *aptasti*, quia mundus Dominus mundificans Virginem ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, aptavit corpus ei, ut esset vas munditiae, contentivum omnis fragrantiae, quod praesentiens patriarcha Jacob, dixit: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (Gen. 27, 27).* Hic ergo erat perfectus pigmentarius, quia non aliunde mendicabat odorem, sed ipse in se redolebat; et ut odor iste, quo plenus erat, ad alios derivaretur, obtulit semetipsum Deo et Patri pro omnibus, secundum illud: *Dilexit nos, et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis (Ephes. 5, 2).* Tunc fractum est alabastrum, *et domus repleta est ex odore unguenti (Joan. 12, 3).* Tunc *de* hac *plenitudine accepimus omnes (Joan. 1, 16)*, dum non solum placatur Deus ex ipsa passione, imo etiam in memorialibus passionis. Et non tantum passio fit pigmentum suavitatis, imo etiam memorialia, utpote sacramenta, secundum illud: *Memoria Josiae in compositione odoris facta opus pigmentarii (Eccli. 49, 1);* ut per Josiam intelligamus Christum passum, Josias enim interpretatur, ubi est incendium Domini, vel in quo est sacrificium. Memorialia vero sunt sacramenta passionem praeteritam significantia. His memorialibus abundat, et impleta est domus Ecclesiae militantis; et ideo impleta est ex odore unguenti, secundum quod dicit Spiritus sanctus in Canticis *(4, 10): Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Unguentarius* igitur *faciet pigmenta suavitatis*, scilicet Deum placantia; *conficiet nihilominus unctiones sanitatis*, id est, sacramenta morbum curantia. Erant quippe in lege figurae unctiones; sed non erant sanativae, quia morbus erat lethalis, et unctio erat superficialis. Unde Apostolus dicit ad Hebraeos *(9, 9)*, quod non poterant medicamenta legalia *juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis et in potibus, et variis baptismatibus et justificationibus carnis.* Quia ergo ungebant carnem, et vulnus lethale erat in mente; ideo non poterant curari. Unde ad Hebraeos *(10, 4): Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* Ideo clamabat Isaia *(1, 6)*, et dicebat: *Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Hoc dicit quantum ad triplex genus peccati, quo homo infirmabatur. Per vulnus intelligitur originale, per livorem veniale, per plagam tumentem mortale; et ideo praemittit: *Omne caput languidum etc. (1, 5).* Ad hoc ergo, quod aliquis faceret unguenta suavitatis, necessarium erat, quod afferret unctionem spiritualem et virtutem vitalem. Hic autem fuit Christus Dominus, qui vere Christus fuit, quia unctus, secundum quod dicitur *(Isai. 61, 1): Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me ad annuntiandum mansuetis terrae etc.* Et quod hoc intelligatur de Christo, ipsemet perhibet sibi testimonium in Luca *(4, 21)*, ubi postquam legit hoc verbum, dixit: *Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris.* Hic potuit unctionem conficere sanativam, secundum quod in Actibus *(10, 38)* dicit de ipso beatus Petrus: *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat in illo.* Unxit eum Spiritu sancto; et ideo attulit unctionem spiritualem et virtutem. Et ita habuit virtutem vitalem, quoniam Deus erat in illo per unctionem, quoniam ipse erat Deus; et ita vitam habebat in semetipso secundum illud: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso (Joan. 5, 26).* Et quia in se vitam habebat, mortuos vivificare poterat; et ideo fecit unguenta curantia a morbo lethali, dum enim mortalitatem nostram univit vitae, et ille, qui vita erat, mortuus est, facta est confectio, in qua et per quam mortuus reviviscitur, et ex morte ipsius sacramenta habent vivificandi efficaciam. Unde super illud: *Sacra-*

mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia (Ephes. 5, 32), dicit Augustinus *(de gen. contr. Man. l. 2. c. 24):* Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam, fit Eva de latere; mortuo Christo, percutitur latus lancea, ut perfluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Ideo dicuntur magis sacramenta perfluxisse de latere quam de pedibus vel manibus, cum inde perfluxerit sanguis, propter ipsam convenientiam in significando, quia simul profluxit sanguis et aqua. Et profluxit quidem de jam mortuo, in quo convenienter exprimitur sacramentorum confectio et institutio. Sicut enim in promerendo sacramentis efficaciam, mors juncta est cum vita; sic sanguis vitalis exiit cum aqua sic etiam sacramenta sunt in verbo et elemento pariter instituta; et ideo ad sanandum non tantum facta, sed etiam confecta dicuntur. Haec igitur sacramenta sunt perfecta medicamenta, quae fecit unguentarius ad placandum Deum; et ideo sunt pigmenta suavitatis, et ad sanandum hominem aegrotum; et ideo sunt unctiones sanitatis. Unctiones autem sanitatis sunt, quia sanitatem tribuunt, et ad sanitatem disponunt. Tribuunt sanitatem sufficienter, quae est sanitas gratiae, de qua in Psalmo *(146, 3): Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum;* disponunt etiam ad sanitatem perfectam, quae est sanitas gloriae, de qua in Psalmo *(102, 3): Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et hoc quidem faciet in gloria." *In 4. sentent. Prooem.*

[5] „Sacramenta quaedam respiciunt communiter omnes, et sic sunt quinque praecedentia: aut aliquos specialiter, et sic sunt duo sequentia, scilicet ordo et conjugium: et sic aut commune, aut speciale. Si respiciunt communiter omnes, sic sunt prima quinque. Ordo enim trium ex quinque prius patet ex se. Baptismus enim est ad vulnerum curationem, confirmatio ad curationis habitae conservationem, eucharistia ad curationis habitae et conservatae promotionem. Et quia non omnes, qui recipiunt, conservant semper; ideo est poenitentia ad reparationem, est unctio extrema ad ipsius consummationem: et ex hoc patet ordo et sufficientia illorum quinque, quae respiciunt communiter omnes. Quae autem respiciunt speciales status, duo sunt. Aut enim respiciunt perfectos, sic est ordo; aut infirmos secundum congruentiam, sic est matrimonium principaliter. Aut est ordo propter sacramenti dignitatem; vel ordo est personarum generantium spiritualiter, matrimonium vero generantium corporaliter; et utraque necessaria est Ecclesiae; sed prima est de principali intentione, secunda ex consequenti: et ita patet ordo." *4. dist. 2. dub. 1.*

[6] „Magister non dicit simpliciter, quod quaedam sunt in remedium; sed dicit, quaedam sunt in remedium contra peccatum: et talia sunt, quae gratiam conferunt, et ornant animam. Ex hac autem divisione, quam ponit hîc Magister, innuitur sufficientia sacramentorum. Quaedam enim est medicina praeservativa, quae excusat a morbo, sed non liberat; et talis est matrimonium. Quaedam est curativa, et ista liberat per gratiam: haec variatur secundum triplicem gratiam, scilicet gratiam baptismalem, et sic est baptismus; poenitentialem, et sic est poenitentia; finalem, et sic est unctio extrema. Quaedam autem est medicina confortativa: duplici autem ex causa indiget homo confortari; vel propter difficultatem pugnae, et sic est confirmatio: vel propter lassitudinem itineris; et sic est viaticum, id est eucharistia. Ordo autem est ad ministrandum utrumque, et ad confortandum modo utroque. Vel sic, confortatio et fulcimentum est tripliciter: aut confortatione virtutis, et sic est confirmatio: aut subministratione cibi, et sic est eucharistia: aut fulcimento alicujus subsidii, et sic est ordo. Et sic patet, quod divisio Magistri est recta; et patet etiam ex hoc divisio sacramentorum. Et differt iste modus assignandi sufficientiam a praeassignato, quoniam ille accipitur penes morbos, hic vero penes modos curandi. *Ibid.*

CAPUT IV.

De sacramentorum institutione.

(Christus instituit sacramenta novae legis, — in verbis et elementis, — diversimode.)

De institutione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod septem sacramenta legis gratiae Christus instituit (I), tanquam novi testamenti mediator et praecipuus lator legis [a], in qua [b] vocavit ad promissa aeterna, dedit praecepta dirigentia, et instituit sacramenta sanctificantia. Instituit vero ea in verbis et elementis, ad evidentiam significationis et efficaciam sanctificationis; ita quod semper habent significantiam veritatis, sed non semper efficaciam curationis, non propter defectum a parte sui, sed a parte suscipientis. Instituit autem praedicta sacramenta diversimode. Quaedam scilicet ex eis confirmando, approbando et consummando, ut matrimonium et poenitentiam: quaedam

a) Legislator ed. 1484.
b) Quo ibid.

(I) Protestantes, uti superius innuimus, autumarunt Christum duo tantum sacramenta instituisse. Contra eos — Concil. Trident. *sess. 7, can. 1:* „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta . . . anathema sit."

autem insinuando et initiando ut confirmationem, et unctionem extremam: quaedam vero initiando et consummando et in semetipso suscipiendo, ut sacramentum baptismi, eucharistiae et ordinis. Haec enim tria et [c] plene instituit, et etiam primus suscepit.

c) Et om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium reparativum nostrum est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod, quia Verbum, est Patri coaequale et consubstantiale, est verbum summae virtutis, summae veritatis et summae bonitatis, ac per hoc et summae auctoritatis; et [d] ideo ipsius est proprie novum testamentum introducere, ipsius est etiam dare legem integram et sufficientem, secundum exigentiam summae virtutis et veritatis ac bonitatis suae. Ratione igitur summae bonitatis, promissa proposuit beatificantia [e]; ratione autem summae veritatis, praecepta dedit dirigentia; ratione vero summae virtutis, sacramenta statuit adminiculantia; ut sic per sacramenta virtus [f] repararetur ad implenda praecepta dirigentia, et per praecepta directiva [g] perveniretur [h] ad promissa aeterna, faciente hoc Verbo aeterno, Christo scilicet Domino, in lege evangelica, in quantum est *via, veritas et vita* (II) *(Jo. 14, 6)* [1].

d) Et om. ibid.

e) Beneficia ibid. et ed. Ven.

f) Verus homo ed. Ven.

g) Dirigentia ed. 1484.

h) Perveniret ibid.

Rursus, quoniam reparativum principium non solum est Verbum, in quantum Verbum, sed etiam in quantum incarnatum, quod [i] hoc ipso quod incarnatum, omnibus se offert quantum ad notitiam veritatis, et omnibus digne accedentibus se exhibet ad gratiam curationis; hinc est, quod tanquam *plenum gratiae et veritatis (Jo. 1, 14)* ad majorem evidentiam significandi, et efficaciam sanctificandi, sacramenta instituit in elementis simul, et verbis [2] *(Ephes. 5, 25—26);* ut dum elementa oculis, et verba auribus se offerrent, qui sunt duo sensus maxime cognoscitivi, evidentiam darent significationis expressae; deinde etiam [j] verba sanctificarent elementa, ut plenior fieret efficacia cura-

i) Quod om. ibid.

j) Etiam quod ibid.

(II) Divinam instaurationem per Christum factam, quam S. Doctor breviter ac veluti summatim hîc loci perstringit, copiosius declaravit S. P. Leo XIII in novissima Epistola Encyclica diei 10 februarii hujus anni 1880 sequentibus verbis: „Arcanum divinae sapientiae consilium, quod Salvator hominum Jesus Christus in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paulus Apostolus, cum ad Ephesios *(1, 9—10)* ita scriberet: ‚Sacramentum voluntatis suae . . . instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.' Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera piaculum primi parentis humanae naturae imposuerat, Ipse sanavit: homines universos, natura filios irae, in gratiam cum Deo restituit; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit; redonatisque haereditati beatitudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immortalitatis et gloriae caelestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare; si quid collapsum, restituere. Quamquam vero divina haec instauratio, quam diximus, praecipue et directe homines attigit in ordine gratiae supernaturalis constitutos, tamen pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contingit, ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quae non confundit, caelestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, plures denique praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur. Societati vero domesticae et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium conjunctio; tutiora jura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio christiana consuluit et providit; ita quidem ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata."

tionis humanae, quae quoniam nulli datur repugnanti et impugnanti fontem gratiae interius in corde; ideo sic instituta sunt, ut significarent semper et universaliter, non autem sanctificarent, nisi accedentes digne, absque [k] omni fictione [3].

k) Et absque ibid.

Postremo, quoniam etsi Verbum incarnatum sit fons gratiae sacramentalis, aliqua tamen gratia sacramentalis fuit ante incarnationem, aliqua vero non nisi post Spiritus sancti missionem, quaedam autem medio modo se habens; hinc est, quod oportuit sacramenta institui diversimode [4]. Nam ante incarnationem necessaria fuit compunctio [l] poenitentialis et generatio matrimonialis; ideo haec duo sacramenta non de novo instituit, sed jam a se instituta, et naturali dictamini quodammodo impressa consummavit et confirmavit in lege evangelica, dum poenitentiam praedicavit [5] *(Matth. 4, 17 — Marc. 6, 12 — Luc. 5, 32; 13, 3. 5; 15, 7; 24, 47)*, et nuptiis interfuit, et legem conjugii approbavit (III) *(Matth. 19, 4 seqq. — Marc. 10, 6 seqq. — Jo. 2, 1 seqq.)*, secundum quod

l) Et compunctio ibid.

(III) Matrimonii originem, dejectionem, in quam apud omnes gentes miserrime devenerat, ejusque renovationem ad nobilissimam excellentiam a Christo factam per legem evangelicam, egregie idem Summus Pontifex in praecitata novissima Epistola Encyclica ostendit. „Constat inter omnes, sic ille, quae vera sit matrimonii origo. Quamvis enim fidei christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium saeculorum delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus: posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, sociam illi voluit adjungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par conjugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Jesu Christi auctoritate; qui Judaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi aut distrahi nequeat: ‚Adhaerebit (homo) uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet *(Matth. 19, 5—6)*'. Verum haec conjugii forma, tam excellens atque praestans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit; et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret; post autem, cum ‚ad duritiam cordis *(Matth. 19, 8)*' eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. In societate vero ethnicorum vix credibile videtur, quantam corruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, quippe quae objectae fluctibus essent errorum uniuscujusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctae plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visae sunt; eamque ob causam de conjugiis passim ferebantur leges, quae esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Sollemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro injuria. Praeterea polygamia, polyandria, divortium causae fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum juribus et officiis perturbatio exstitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla saepe justa causa, juberet; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem praecipiti impune liceret ‚excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas *(Hieronym. Oper. tom. 1. col. 455)*'. Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi vendi, in rerum corporearum similitudinem *(Arnob. adv. Gent. 4)*, data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicae esse, aut in mancipio patrisfamilias *(Dionys. Halicar. libr. 2. c. 26, 27)*, cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et

colligitur ex diversis Evangelii locis. Ante vero Spiritus sancti missionem, nec fuit plena Spiritus sancti donatio ad confirmationem [m] et nominis Christi publicam confessionem, nec unctio mentis plenaria ad evolationem [n]; ideo haec duo sacramenta, scilicet confirmationem et extremam unctionem, Christus solum initiavit et insinuavit: confirmationem, manum parvulis imponendo *(Matth. 19, 13 — Marc. 10, 16)*, et praedicendo

m) Consummationem ibid.

n) Elevationem ibid.

dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitae necisque immanem potestatem. Sed tot vitiis tantisque ignominiis, quibus erant inquinata conjugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector Jesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilaeae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles *(Joan. 2, 11)*; quibus causis vel ex eo die in hominum conjugia novae cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de conjugibus sanxit: ‚Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur *(Matth. 19, 9)*‘. Verum quae auctoritate Dei de conjugiis decreta et constituta sunt, ea nuntii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt. Jamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae ‚sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt *(Trid. sess. XXIV in pr.)*‘, nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut conjuges, caelesti gratia quam merita ejus pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur: atque in eo ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse *(Trid. sess. XXIV, c. 1 de reform. matr.)*‘, et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius conjunxisse. ‚Viri, Paulus inquit ad Ephesios, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua . . . nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia *(Ephes. 5, 25 et seqq.)*‘. Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum jussisse. ‚Iis qui matrimonio juncti sunt, idem Paulus ait, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari *(1. Cor. 7, 10—11)*‘. Et rursus: ‚Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quodsi dormierit vir ejus liberata est *(Ibid. 39)*‘. Hisce igitur causis matrimonium exstitit ‚sacramentum magnum *(Ephes. 5, 32)*‘, honorabile in omnibus *(Hebr. 13, 4)*‘, pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum. Neque iis dumtaxat, quae commemorata sunt, christiana ejus perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quidam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare jussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, ‚cives Sanctorum et domesticos Dei *(Ephes. 2, 19)*‘; ut nimirum populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur *(Catech. Rom. c. VIII)*‘. Secundo loco sua utrique conjugum sunt officia definita, sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiae princeps, et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur, pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae, ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam ‚Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae . . . Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus *(Ephes. 5, 23—24)*‘. Ad liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est. ‚Patres . . . educate illos (filios) in disciplina et correctione Domini *(Ephes. 6, 4)*‘. Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quae sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda.“

discipulos baptizandos Spiritu sancto *(Act. 1, 5);* unctionem vero extremam, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur [o] in Marco *(Ib. 6, 13).* Medio autem tempore et fuit regeneratio et Ecclesiae ordinatio et spiritualis cibatio; ideo Christus haec tria sacramenta, scilicet baptismi, eucharistiae et ordinis, et complete et clare instituit [6]; primo baptismum suscipiendo *(Matth. 3, 13 — Marc. 1, 9 — Luc. 3, 21)* [7], deinde formam dando *(Matth. 28, 19),* et ceteris publicando *(Marc. 16, 16)* [8]: ordinem vero, dando primo potestatem ligandi et solvendi peccata humani generis *(Matth. 18, 18 — Jo. 20, 23);* et potestatem conficiendi sacramentum altaris *(Luc. 22, 19);* eucharistiam vero, comparando se grano frumenti *(Jo. 12, 24),* et conficiendo et dando discipulis *(Matth. 26, 26—27 — Marc. 14, 22—24),* imminente passione, sacramentum corporis et sanguinis sui [9]. Et ideo haec tria sacramenta per Christum distincte et integre debuerunt institui, et in lege veteri multipliciter figurari [10], tamquam sacramenta substantialia novi testamenti, et propria legislatoris, Verbi scilicet incarnati.

o) Dicitur om. ibid.

Ad Caput IV.

[1] „Jesus Christus est verbum Patris incarnatum, increatum et inspiratum, scilicet via, veritas et vita." *Itiner. c. 4. n. 3.*

[2] „Ad illud quod objicitur, quod verbum et elementum faciant sacramentum, dicendum, quod verum est in aliquibus sacramentis, quorum dispensatio omnibus est commissa, sed non est verum in omnibus, ut in eucharistia." *4. dist. 23. a. 2. q. 1 ad 4.*

[3] „Sicut in virtutibus gratuitis est gratia et habitus substratus, et gratia una in omnibus, sed habitus substrati alii et alii; sic in sacramentali etiam gratia et est gratia gratum faciens, et effectus specialis, quem habet virtute sacramenti. Et in quantum gratum faciens una est, sed ratione effectuum distinguuntur." *4. dist. 7. a. 2. q. 2.*

[4] „Quod ita fuerit congruum, manifestum est, si attendatur diversitas sacramentorum. Quaedam enim sunt sacramenta communia legi veteri et novae, quaedam propriissima legi novae, quaedam medio modo. Communia sunt illa, quae sunt quodammodo ex dictamine naturae, quod quia semper idem manet, illa sacramenta ab initio cucurrerunt, ut matrimonium, et poenitentia, secundum quod Deo reconciliat: et haec quidem Dominus Jesus consummavit et confirmavit in lege nova, non evacuavit. Quaedam sunt propriissima legi novae; et haec sunt, quae signant gratiam in tali statu, quae proprie competit legi novae. Haec autem duo sunt, confirmatio et unctio, ubi signatur gratia Spiritus sancti, secundum quam inungitur quis in pugilem, ut pro Christo audeat mori; et in regem, ut in regnum caelorum possit introire, tanquam in suum. Hoc est novae legis proprium; ideo in veteri testamento non habuerunt certam figuram haec duo sacramenta. Et quia signant Spiritus sancti gratiam in aliqua abundantia, et Spiritus sanctus abundanter non fuit datus, quousque Jesus non fuit glorificatus, sicut dicitur *(Jo. 7, 39);* ideo haec duo sacramenta a Christo fuerunt insinuata, sed post a Spiritu sancto fuerunt instituta *). Quaedam sunt sacramenta media, quae in veteri lege non fuerunt in veritate, fuerunt tamen in figura et significatione, sicut baptismus,

*) Declaratio hujus doctrinae habetur in ipso Breviloquio, ubi omnis ambiguitas tollitur iis verbis: *Septem sacramenta legis gratiae Christus instituit . . . Instituit diversimode . . . quaedam autem insinuando et initiando.* Ex quibus aperte colligitur mens S. Doctoris. In sua enim sententia sacramenta confirmationis et extremae unctionis fuerunt quidem a Christo Jesu instituta, non tamen promulgata et in usu posita nisi post Spiritus sancti adventum. Ad rem hîc faciunt ea, quae Benedictus XIV in *Synod. dioec. l. 8. c. 1. n. 2* scribit de institutione sacramenti extremae unctionis. En doctissimi Pontificis verba. „Extremam unctionem verum esse novae legis sacramentum, a Christo Domino institutum, apud Marcum quidem insinuatum, sed per Apostolum Jacobum fidelibus commendatum et promulgatum, definivit Tridentinum *sess. 14 de extr. unct. cap. 1,* inquiens: — Instituta est autem sacra haec unctio infirmorum tamquam vere et proprie sacramentum novi testamenti, a Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum. *Infirmatur,* inquit *(5, 14—15) quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* — Consulto autem dixere Tridentini Patres ejusmodi sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum; quamvis enim Marci *(cap. 6, 12. 13)* de Apostolis a Christo ad praedicandum missis dicatur: *Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent, et daemonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant;* secum tamen contendunt Theologi, num talis unctio esset illa sacramentalis, de qua est sermo, an potius tantum adhibita ad restituendam corporum sanitatem; quod posterius, non sine gravi fundamento, post Hugonem a S. Victore, Alensem, S. Bonaventuram aliosque antiquiores, opinantur Dominicus Soto in *4. dist. 23. q. 1. a. 1,* et Bellarminus *de sacram. extr. unct. lib. unic. cap. 2. Controv. tom. 3;* tunc quippe Apostoli nondum erant sacerdotes, omnesque aegrotos promiscue inungebant, qui ceteroquin, cum nondum baptismum suscepissent, non erant aliorum sacramentorum capaces. Quia vero Tridentini Patres tanta semper circumspectione sua concinnarunt decreta, ut nullam vulnerarent catholicorum opinionem,

eucharistia et ordo. Et quia Christus legem implevit, et figuras evacuavit, haec tria sacramenta per seipsum instituit. Sic patet, quomodo congruentissime statuta et instituta sunt ecclesiastica sacramenta, ut nihil sit gestum per oblivionem, sed secundum inenarrabilem Dei dispensationem." *4. dist. 23. a. 1. q. 2.*

[5] „De poenitentia est loqui dupliciter, aut prout est reconciliativa Deo, aut prout est non solum reconciliativa Deo, sed etiam Ecclesiae. Si loquamur de ipsa, prout Deo reconciliat, sic est de dictamine legis naturalis, quae dictat conteri de peccato et humiliari debere, tamen aliqua illustratione fidei: et sic tale sacramentale potius habuit insinuationem, quam institutionem. Eo enim quod natura dictabat, insinuari sufficiebat. Et aliqui volunt dicere, quod insinuatum fuit ante lapsum illo verbo Genesis *(2, 17): In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Sed illud verbum videtur potius minari supplicium, quam instituere remedium. Et iterum, cum poenitentia sit in remedium de sua institutione, non videtur competens ejus institutio, nisi ex quo coepit peccatum. Et ideo est alia positio et melior, quod Dominus tunc insinuavit et instituit, quando post peccatum *Adam vocavit: Ubi es (Gen. 3, 9)?* Ubi dicit Glossa, quod monebat eum redire ad cor, juxta illud propheticum *(Isa. 46, 8): Redite praevaricatores ad cor;* et multae Glossae, quae ibi ponuntur, hoc innuunt. Et sic patet, quod poenitentia, prout fuit sacramentum reconcilians Deo, ibi fuit insinuatum, quantum pro illo tempore sufficiebat. Et illa insinuatio cum naturali dictamine sufficiebat loco institutionis. Est et alio modo loqui de poenitentia, secundum quod est sacramentum Ecclesiae: et sic habuit institutionem in lege scripta, sive mosaica, sive evangelica. In lege mosaica, quia nondum erat unitas perfecta, nec perfecta reconciliatio, institutionem habuit secundum imperfectionem, scilicet quantum ad quandam generalitatem in determinatione oblationum, quae erant loco confessionis et satisfactionis. In lege autem nova, ubi unitas ecclesiastica est perfecta, et reconciliatio plena, instituta fuit secundum statum perfectionis et quantum ad formale, quod est absolutio sacerdotalis et ligatio, et quantum ad materiale, quod est quaedam lucida et aperta confessio, non solum in generali, verum etiam in speciali. Et primum Dominus instituit per se et promulgavit, scilicet clavium potestatem post resurrectionem; secundum vero institutum fuit per Apostolos, vel, ut melius dicam, promulgatum, quia Dominus Apostolos docuit, et ipsi a Domino docti et auctoritate ab ipso accepta, immo ejus auctoritate promulgaverunt, non enim nobis tradiderunt, nisi quod a Domino, vel a Domini spiritu acceperunt. Et sic patet quando et quomodo et ubi, et a quo institutum est hoc sacramentum." *4. dist. 22. a. 2. q. 1.* Cfr. etiam *dist. 17. p. 2. a. 1. q. 3.*

[6] „Quaeritur, quare magis Dominus ipse per se, sive in propria persona, hoc sacramentum (eucharistiae), et baptismum instituit. Ad hoc dicendum, quia in baptismo est inchoatio et in hoc consummatio; ideo illud instituit in principio suae praedicationis, istud in fine et recessu a discipulis: et ideo haec duo confirmavit." *4. dist. 8. p. 1. dub. 4.*

[7] „Baptismi Joannis primus institutor fuit Deus, sed Joannes fuit administrator plenarius et praecipuus." — „Dicendum quod baptismi Joannis Deus fuit principalis institutor, sed Joannes fuit administrator plenarius et praecipuus; plenarius, quia nihil ibi fiebat, quod per ipsum non fieret; totum enim administrabat, quia tantum exterius lavabat. Praecipuus vero, quia Deus per ipsum instituit, et ei officium baptizandi commisit, ut nullus baptizaret illo baptismo, nisi ipse, vel aliquis ejus auctoritate: et inde est, quod nominabatur a Joanne, et cessavit Joanne cessante. Sed in baptismo Christi nullus erat administrator plenarius, quia ibi est interior regeneratio, quae solum fit a Deo, non ministerio humano; nullus etiam praecipuus, quia Christus instituit baptisma suum non per aliquem hominem, sed per seipsum. Nulli etiam sic commisit suum officium, ut alii ejus auctoritate baptizarent; ideo non denominatur ab eis, nec cessat eis cessantibus." *4. dist. 2. a. 2. q. 1.* — „Baptismus Joannis fuit institutus ad praefigurandum baptisma Christi, ad assuefaciendum ad baptismum Christi, et ad annuntiandum baptismum Christi, non ad efficiendum." — Dicendum quod baptisma Joannis fuit institutum ad praesignandum baptisma Christi, sicut dicit Magister, quod erat sacrae rei signum, quia signabat baptismum Christi, et ratione istius erat quodammodo sacramentum. Fuit etiam institutum ad assuefaciendum ad baptismum Christi: *Ego baptizo vos in aqua (Matth. 3, 11);* Glossa: Tantum corpora lavo, quia peccata solvere nequeo, ut sicut nascendo et praedicando praecurro, sic baptizando ad baptisma Christi dirigam. Et quantum ad hoc non est sacramentum, sed sacramentale, sicut torneamentum, in quo milites assuescunt, non est bellum. Fuit etiam hoc ad baptismum Christi nuntiandum, manifestando auctorem, et praeparando materiam: et hoc, cum baptizavit Christum, manifestatus est Christus: *Ut manifestaretur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans (Joan. 1, 31).* Et in illo baptizandi actu contulit Christus aquis vim regenerativam contactu carnis, ut dicit Beda *(Hom. in Evan. oct. Epiph.);* et quantum ad hoc quod fuit initium novae legis, non fuit sacramentum omnino veteris, nec omnino novae legis. Concedendum est igitur, quod fuit institutum ad signandum, non ad efficiendum, sicut dicit Hugo; nec oportet, quod sacramentum sit veteris legis propter hoc, quod initiabat sacramentum novae." *Ibid. q. 2.* — „Baptismo Joannis baptizati rebaptizandi erant, cum ille tantum assuefaceret, et non regeneraret, licet Magister secus senserit." — Dicendum quod duplex fuit super hoc opinio; una videlicet, quod baptizati baptismo Joannis, si non habebant fidem Trinitatis, rebaptizandi erant; si autem habebant fidem Trinitatis, non oportebat eos rebaptizari, sed sufficiebat manus imponi. Et ratio hujus impositionis fuit, quod quia tales habebant ablutionem exteriorem, et habebant fidem Trinitatis, quia interius insigniebantur tanquam charactere, habebant Spiritum sanctum per impositionem manuum; et ideo tales non erant rebaptizandi. Haec autem opinio roboratur per auctoritatem, quia non sunt rebaptizati *(Act. 8, 16—17),* et sunt rebaptizati *(Act. 19, 3—5);* et ideo nec generaliter asserunt, nec negant, sed distin-

ideo adhibuerunt verbum illud *insinuatum*, quod sane referri potest tam ad institutionem, quam ad figuram, typum et symbolum sacramenti extremae unctionis, quod Christus Dominus in ea unctione, de qua Marcus loquitur, voluerit praemonstrare."

guunt ad sustinendum hanc opinionem; et dicunt, quod pro tempore illo impositio manuum plus valebat, quam nunc confirmatio, dabat enim baptismum flaminis. Hujus opinionis fuit Magister, et alii qui eam sustinent. Alia opinio est, quod omnes sunt rebaptizandi, quia ille baptismus Joannis solum assuefaciebat, non regenerabat, et impositio manuum non characterificabat animam; et ista est communis opinio modernorum magistrorum." *Ibid. q. 3.* — „Item quaeritur, cum baptismus Joannis esset praeparatorius ad baptismum Christi, et adveniente veritate cessat umbra, videtur, quod debuit cessare baptizare, ex quo Christus incepit. Respondeo dicendum, quod cessavit, sed non statim. Et ratio fuit quadruplex, ne videretur ei contrarius, ne videretur instabilis, ne videretur indignanter tulisse, ne discipulos suos in invidiam et zelum mitteret. Item quaeritur, quis baptismus potior, utrum Christi, vel Joannis? Quod Joannis videtur, quia Christus fuit baptizatus baptismo Joannis; ergo sicut nobilior fuit Melchisedech sacerdotio Levi, quia Levi fuit a Melchisedech decimatus; eadem ratione videtur de baptismate. Item Christus non baptizabat; sed discipuli Christi non erant majores Joanne; ergo nec baptismus discipulorum Christi major baptismate Joannis. Item quaeritur, utrum baptismus ille daret gratiam? Et quod non, videtur, quia dicitur *(Joan. 7, 39): Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus;* et si aliquis baptizatus fuisset mortuus ante passionem, non intrasset regnum Dei. Respondeo dicendum, quod secundum Chrysostomum *(Hom. 28. in cap. Joan. 3)*, baptismus discipulorum Christi ante passionem fuit tantum praeparatorius, sicut et baptismus Joannis; unde uterque erat expers gratiae. Tamen Beda *(in Hom. Ev. oct. Epiph.)* dicit, quod in illo baptizandi actu contulit Christus aquis vim regenerativam contactu carnis suae. Et Augustinus *(in Joan. Ev. c. 1. tract. 5)* dicit, quod baptizavit Joannes et rebaptizatum est; baptizavit Judas et rebaptizatum non est. Unde dicunt, quod baptismus ille gratiam dabat; et ideo nobilior, quia nobilioris efficaciae. Quod ergo objicitur, quod Christus fuit baptizatus, dicendum, quod baptismus Joannis nullum omnino in Christum habuit effectum. Quod objicitur, quod discipuli baptizabant, dicendum est, quod exterius, sed tamen in eo baptismo Christus baptizabat interius; non sic autem in baptismate Joannis. Quod objicitur: *Spiritus nondum erat datus;* intelligendum est de datione visibili et aperta, quando dabatur per manuum impositionem, non de datione invisibili. Quod objicitur, quod non evolaret ad caelum baptizatus mortuus, dicendum, quod non erat propter defectum gratiae in baptismo, sed quia pretium nondum erat solutum. Et si objiciatur, quod baptismus habuit efficaciam a passione; intelligendum, quod efficaciam habuit collationis gratiae a virtute divina ibi invisibiliter operante, a passione vero quantum ad januae apertionem; vel si nondum erat passus, tamen fides passionis erat praesens, ratione cujus efficaciam habebat, licet non aperiendi januam, tamen dandi gratiam." *Comm. in Ev. Joan. c. 3. v. 26, nn. 192—193. Supplem. vol. I.*

[8] „Ad illud quod quaeritur, quando est institutum, ex Scriptura potest responderi, quae de hoc in multis locis loquitur. Propter quod notandum, quod Dominus baptismi sacramentum primo insinuavit instituendum, secundo instituit, tertio confirmavit institutum. Insinuavit quidem facto et verbo; facto, cum baptizatus esset a Joanne in aqua, ostendit ceteros credentes in aqua fore baptizandos; insinuavit verbo, cum praedixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. (Jo. 3, 3).* Instituit autem, cum ipse baptizare coepit per discipulos Joannis: *Post haec venit Jesus in terram Juda, et baptizabat (Ibid. 22);* et tunc instituit facto et verbo, quia dicitur ibidem, quod *baptizabat,* etsi non ipse in propria persona, tamen discipuli in sua praesentia, secundum quod ipse volebat. Et rursus discipulos misit ad praedicandum et baptizandum *binos (Luc. 10, 1)*, sicut dicit Magister in litera. Confirmavit autem baptismum facto et verbo; facto, cum *de latere ejus* non tantum profluxit *sanguis,* verum etiam *aqua (Jo. 19, 34),* in ipsa passionis consummatione; verbo autem confirmavit, quando post resurrectionem discipulos *(Matth. 28, 17)* ad baptizandum omnes et singulos misit. Et sic patet, quomodo diversimode loquitur Scriptura." *4. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 1 ad 5.* — „Sed incidit hic quaestio primo de hoc quod dicitur, quod Jesus baptizabat. Contra Joannes *(4, 2): Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus;* ergo est ibi contradictio. Respondeo dicendum, quod ille facit, ejus auctoritate facit. Unde facere aliquid hoc est dupliciter, scilicet auctoritate, vel ministerio. Christus baptizabat auctoritate, sed discipuli ejus ministerio: vel Christus baptizabat interius, discipuli vero exterius. Sed tunc est quaestio, unde est hoc, quod Dominus in propria persona non baptizabat exterius? Et videtur, quod deberet, ut aliis praeberet exemplum et formam et modum. Respondeo dicendum, quod ipse aliis praebuit modum et docuit; sed tamen non baptizabat causa vitandi erroris et praesumptionis; erroris, quia credidissent homines, quod alii, qui non essent ab eo baptizati, vere baptizati non essent: praesumptionis, ne baptizati ab ipso extollerentur, et despicerent baptizatos a discipulis, et per hoc baptismum discipulorum." *Comm. in Ev. S. Joan. c. 3. v. 26, nn. 190—191.* Supplem. vol. I.

[9] „Christus eucharistiae sacramentum tantum sacramentaliter sumpsit, non sumendo rem sacramenti, quod in exemplum fecit." — „Dicendum quod quidam dicere voluerunt, quod nullo modo sumpsit, quia sibi non competebat; verumtamen nunc communiter dicunt, quod Christus manducavit sacramentaliter, sicut dicit Esychius, quod primus bibit, ne alii potum sanguinis abhorrerent. Sed de spirituali quidam dicunt, quod sic; dicunt enim, quod fuit ibi unio per actum amoris, et effectus fuit non in se, sed in membris; ut sicut Christus non sibi meruit, sed nobis, sic virtute illius manducationis meruit, ut membra corporis sui magis unirentur sibi. Sed si istud verum esset, tunc haberet effectum in non manducante, et in dormiente. Amplius, ipso baptizato, non sunt alii baptizati. Postremo, spiritualis manducatio dicit intentionem unionis manducantis ad manducatum, actu vel habitu, quorum neutrum fuit in Christo. Propterea dicendum quod, sicut baptismum tantum sacramentaliter suscepit, et non rem; sic et hoc sacramentum. Et hoc quidem in exemplum fecit. Ad illud ergo quod objicitur, quod manducavit spiritualiter, quia fuit in eo cognitio et dilectio, dicendum quod hoc non sufficit, nisi etiam sit ibi incorporatio, quae non potuit esse in ipso, quia non erat di-

versus ab eo, cui incorporatur ista manducatione. Ad illud quod objicitur, quod erat viator, dicendum quod verum est; sed nihilominus erat comprehensor perfectissimus, et nullatenus poterat proficere, nec caritatis habitu, nec fervoris motu. Unde est quod quis, quantumcumque perfectus, dum tamen non sit beatus, si recipiat digne sacramentum, intenditur in eo caritas motu, vel habitu. Ad illud quod objicitur, quod non manducavit sacramentaliter, quia non sub velamine, dicendum quod ad plenam rationem sacramentalis manducationis non oportet, quod veniat signum tanquam velamen velans, sed sufficit, ut veniat tanquam significans; quod autem velet, hoc est per accidens, quia oculus videns non est illuminatus plene; unde velando illuminat, illuminando velat. Ad illud quod objicitur, quod mali tantum comedunt sacramentaliter, dicendum quod aliquis sacramentaliter tantum recipit, quia non est idoneus ad spiritualem efficaciam. Sed hoc potest duplici esse de causa; aut propter gratiae plenitudinem, et hoc perfectionis est, et in solo Christo fuit; aut hoc est propter ipsius ineptitudinem et indignitatem, et sic est in peccatoribus; et sic patet illud." *4. dist. 9. a. 1. q. 4 concl. et ad 1—4.*

[10] „Baptismata pertinentia ad significationem fuerunt ante legem novam, in lege autem nova ad purificationem. Prima quatuor sunt secundum quatuor, quae praefigurantur in baptismo. In baptismo enim est aqua et spiritus, est passionis virtus, et quarto baptizandi actus. Quantum ad aquam, praecessit figura in baptismo diluvii, secundum quod dicitur: *Quos nunc similis formae salvos facit baptisma (1. Petr. 3, 21).* Praemiserat enim, quod in diluvio octo animae salvae sunt factae per aquam. Quantum ad aquam et spiritum in baptismo maris rubri, de quo dicit Apostolus *(1. Cor. 10, 2)*, quod *omnes baptizati sunt in nube, et in mari;* et nubes illa erat ignea, in qua signatur gratiae Spiritus sancti efficacia. Quantum ad virtutem passionis, praefiguratur in baptismo legis, ubi est aspersio per aquam lustrationis; et erat cinis vitulae rufae *(Num. 19, 2)*, in cujus vitulae occisione signatur passio Christi, ut aqua lustrationis habens vim ab illo cinere significet baptismum habere virtutem a passione Christi. Et de hoc baptismate habetur saepe in lege, et ad Hebraeos *(9, 13): Cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem.* Quantum ad actum baptizandi, in baptismo Joannis, ubi immergebatur quis in nomine venturi, in quo praecessit expressa figura quantum ad actum. De hoc baptismate dicitur *Matth. 3, 6; Luc. 3, 16; Marc. 1, 4; Joan. 1, 26.* Et sic quantum ad significationem sunt quatuor. Quatuor etiam sunt quantum ad purificationem; est enim purificatio a culpa, et sic est baptismus poenitentiae; et a culpa et poena satisfactoria, et sic baptismus aquae; et a sequela, et sic baptismus in linguis igneis; et ab omni miseria, et sic baptismus sanguinis. Et sic patet, quod in lege nova sunt quatuor purificantia, et in lege ante novam sunt quatuor significantia. Et medium jungens haec illis fuit baptismus, quo baptizatus fuit Christus, ubi collata est vis regenerativa aquis, et Spiritus in columbae specie descendit de caelis. Et sic patet, quod in universo sunt novem, et non plura, nec pauciora baptismata. Patet etiam, quare Magister tantum tria numerat, quia solum de his loquitur, quae sunt ad baptismi efficaciam quoad purgationem a culpa." *4. dist. 4. p. 2. a. 1. q. 3 ad 5.* — „Eucharistiae sacramentum fuit praefiguratum tum difficultatis, tum dignitatis suae ratione, cum sit donum excellentissimum." — „Dicendum quod illud sacramentum praefiguratum est, et praefigurari debuit tum ratione suae dignitatis, tum ratione difficultatis. Ratione dignitatis, quia praedicatum et exspectatum erat sicut donum Dei excellentissimum; ideo figurae hujus sacramenti praeire debuerunt, ut et in his praefulciretur exspectatio fidelium, et dignitas hujus sacramenti famosior ostenderetur. Unde figurarum praemissio non fuit aliud, quam famae ejus divulgatio. Ratione difficultatis, quia hoc inter sacramenta cetera est difficillimum ad credendum, imo inter cetera credibilia; ideo debuerunt homines ad hoc assuefieri quadam figurarum manuductione." — „Ad illud quod objicitur de confirmatione et extrema unctione, multipliciter respondetur. Quidam enim dicunt, quod omnia sacramenta in veteri lege sunt praefigurata, quoniam rota erit in rota in visione Ezechielis *(1, 16; 10, 10).* Et quod objicitur de duobus sacramentis, solvunt per interemptionem, quoniam tres unctiones legis novae praefiguratae sunt per tres unctiones David *(1. Reg. 16, 13; 2. Reg. 2, 7; 5, 3);* et ita per interemptionem respondent. Alii dicunt aliter, quod illa sacramenta non fuerunt praefigurata propter suam perfectionem; unde distinguunt tria genera sacramentorum. Quaedam enim sunt suprema, ut illa, quae dant gratiam perfectam, vel ad pugnandum, vel ad egrediendum; et talia sunt confirmatio et extrema unctio, quae de ratione sua perfectionem dicunt: et quoniam lex neminem ad perfectum duxit, ideo haec duo sunt propria novae legis. Alia sunt quasi media, quae gratiam magnam dant, ideo pertinent ad legem novam; tamen, quia non dicunt perfectionem, possunt praesignata esse in veteri Testamento; et haec, ut dicunt, sunt duo, scilicet baptismus et eucharistia. Quaedam sunt infima, ut matrimonium, ordo et poenitentia: et haec non sunt propria, imo communia; nec tantum praefigurata, imo inchoata, et in nova lege perfecta. Tamen praeferre alia sacramenta duobus, quae praefigurata sunt, videtur valde absurdum, cum sint haec duo sacramenta, scilicet baptismus et eucharistia, famosissima. Et ideo aliter dicendum, quod quamvis omnia aliquo modo praefigurata sint, haec duo tamen pluribus et expressioribus figuris praefigurata sunt; tum propter difficultatem in credendo, quae est in baptismo, quia primum sacramentum, in eucharistia, quia summum; tum propter dignitatem, quae est in baptismo quantum ad efficaciam, in eucharistia quantum ad continentiam; tum propter Ecclesiae unitatem, quae est in baptismo quantum ad inchoationem, in eucharistia quantum ad consummationem; vel in baptismo quantum ad signaculum christianitatis, in eucharistia quantum ad cultum deitatis. Unde quamvis alia habeant figuras aliquo modo, non tamen ita praecipue, nec ita expresse." *4. dist. 8. p. 1. a. 1. q. 1 et ad 2.* — „Sufficienter a Magistro assignantur figurae eucharistiae sacramenti, tum in lege naturae, tum in lege veteri, videlicet in Melchisedech, in agno et manna, et in lege nova in sanguine passionis." — „Dicendum quod Magister sufficienter assignat figuras in hoc sacramento, habito respectu ad omnes leges. Nam in lege naturae ponit figuram sacrificium Melchisedech, et in lege Moysi

agnum et manna, et in lege gratiae sanguinem passionis. Et sufficientes sunt figurae, si attendamus ad ea, quae praesignantur. Nam in hoc sacramento est visibilis forma; et haec praesignata est in sacrificio Melchisedech. Et est res contenta; et haec est praesignata in agno paschali. Et res signata tantum; et haec est praesignata in manna. Et virtus dans efficaciam; et haec est praesignata in sanguine, qui fluxit de latere Christi. Unde tres primae tenent rationem figurae, sed ultima magis tenet rationem causae; nihilominus habet rationem figurae, pensatis circumstantiis, quoniam de passo et jam mortuo profluxit sanguis et aqua. Quod autem objicitur de sufficientia, jam patet, quia aliae figurae reducuntur ad has; omnes enim oblationes, et omnia sacrificia ad agnum paschalem, et omnes cibi ad manna reduci possunt. Ad illud, quod objicitur de manna, dicendum quod *omnem* tantum valet dicere quantum perfectum; vel si *omnem* distributive dicatur, intelligendum est quantum ad rem contentam. Vel si intelligatur quantum ad effectum, facienda est vis in sapore quantum ad actum cibandi; et tunc alia non superfluunt. Ad illud, quod objicitur de sacrificio Melchisedech, dicendum quod peroptime praefiguratum est ibi et in manna sacramentum eucharistiae, quoniam hoc sacramentum nobis profertur ad esum, et Deo offertur ad cultum; et ideo datur nobis divinitus, et nos Deo offerimus; et hoc signatum est in manna, quod repositum fuit in urna coram Domino, quia datum fuit de caelo ad esum, et iterum coram Domino repositum: taliter datur hoc sacramentum, si quis inspiciat diligentius, quia de caelo nobis datur, et nos sumimus; tamen Deo offerimus. Ad illud, quod objicitur de agno paschali, dicendum quod agnus ille proprie significabat Christi passionem, quae erat radix et fundamentum, virtutem praebens omnibus sacramentis; et ideo omnia praecessit. Et quamvis omnia sacramenta efficaciam habeant a passione Christi, quia tamen in hoc sacramento veraciter continetur Christus passus, ideo esus et usus illius agni praecipue hoc sacramentum signabat; et ideo figuram baptismi praecedebat, non ratione qua illud sacramentum praefigurabat, sed ratione qua praefigurabat passionem. Ad ultimum dicendum, quod sanguis Christi, qui fluxit de latere Christi, non habuit proprie loquendo rationem figurae, quia ibi erat veritas; tamen ratione modi emanandi, quia profluxit de latere mortui, habuit rationem quodam modo praefigurandi, maxime ratione annexi, scilicet aquae." *Ibid. q. 2. concl. et ad 1—5.* — „Eucharistiae sacramentum quantum ad ritum expressius fuit significatum in Melchisedech, quo vero ad effectum in manna." — „Dicendum quod figurae illarum rerum secundum diversas considerationes mutuo se excedunt in expressione, sicut ostendunt rationes inductae. Potest enim sacramentum hoc praefigurari quantum ad ritum, vel quantum ad effectum, sive quantum ad signum, vel quantum ad signatum. Si quantum ad ritum, sic expressior figura praecessit in sacrificio Melchisedech, et hoc patet. Si autem quantum ad effectum, sic expresse praesignabatur in manna . . . Sed tamen adhuc restat quaestio, quare expressior praefiguratio praecessit in lege naturae, quantum ad ritum. Et ad hoc dicendum, quod Dominus instituit legem scriptam, ut implendam et evacuandam, sicut veritas evacuat umbram; ideo ne videremur judaizare, disposuit figuras in lege Moysi dare expressas, sed tamen differentes quantum ad ritum, ut manifeste ex earum institutione ostenderetur legis illius evacuatio et imperfectio. Et ideo magis se dicit Christus sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quam Aaron, ut ostendatur ibi legis et sacerdotii translatio, sicut ostendit Apostolus ad Hebraeos *(5, 10)*: et sic patet totum." *Ibid. q. 3.* — „Sicut signum sortitur nomen signati et e converso, et tamen signum et signatum sunt diversa; sic figura nomen veritatis sortitur, et unum dicitur esse in alio, sicut rota in rota; et tamen aliud est figura, aliud est veritas. Per hunc modum intelligendum, quod lex nova differt a veteri et sacrificium a sacrificio, et ordo ab ordine. Unde sicut sacramentum eucharistiae est novae legis proprium, quamvis in veteri lege fuerit sacrificium, quod erat hujus signum; sic spiritualis potestas, secundum quam attenditur ordinis sacramentum, novae legis propria est, sacerdotium similiter, quamvis istius ordinis et sacerdotii praecesserit signum figurativum. Unde sicut multum differt inter agnum verum et typicum; sic multum differt, licet non tantum, inter potestatem offerendi hunc agnum, et illum. Et ideo concedendum, quod sicut baptismus et eucharistia sunt sacramenta novae legis propria, licet in anterioribus fuerint praefigurata, sic in sacramento ordinis. Ad illud quod objicitur: *Secundum ordinem Melchisedech (Ps. 109, 4)*, dicendum quod intelligitur secundum expressam praefigurationem, sicut ibidem *(Hebr. 7, 22)* Apostolus ostendit, quia praefiguravit Christum quantum ad originem, et quantum ad dignitatem, et quantum ad ritum; quantum ad originem, quia sine genealogia, scilicet expressa in Scriptura; quantum ad dignitatem, quia fuit sacerdos et rex, et Abraham benedixit; quantum ad ritum, quia obtulit panem et vinum. Non sic in sacerdotio Aaron; et ideo peroptime appropriatur in psalmo, et eleganter valde exponit Apostolus." *4. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 3. et ad 1.*

CAPUT V.

De sacramentorum dispensatione.

(Potestas dispensandi sacramenta de jure communi spectat ad solum genus humanum. — Pro omnibus requiritur intentio in dispensante; — pro aliquibus etiam ordo sacerdotalis, vel pontificalis. — Baptismus et matrimonium de jure dispensantur a sacerdotibus. — His existentibus, sacramenta dispensari possunt a bonis et a malis, — a fidelibus et haereticis, — intra Ecclesiam, secundum veritatem et utilitatem, — extra Ecclesiam, secundum veritatem tantum.)

De dispensatione vero [a] sacramentorum hoc tenendum est, quod potestas dispensationis sacramentorum regulariter*) spectat ad solum genus humanum [1]. In omnibus

a) Autem ed 1484.

(*) ***Regulariter,*** scilicet ex divina institutione, solus homo viator est ordinarius sacramentorum minister. Attamen „quia

autem [b] sacramentis dispensandis necessaria est in dispensante intentio. In aliquibus etiam necessario cum intentione requiritur ordo [c] sacerdotalis vel pontificalis. Pontificalis, inquam, necessarius est dispensationi confirmationis et ordinis; sacerdotalis vero [d] dispensationi eucharistiae, poenitentiae [e] et unctionis extremae. Baptismus autem et matrimonium, licet ad sacerdotes spectent, possunt tamen praeter ordinem sacerdotalem dispensari [f] de facto, maxime in articulo necessitatis. His autem existentibus [g], sacramenta dispensari possunt a bonis et [h] malis, et fidelibus et haereticis, intra Ecclesiam et extra, sed intra secundum veritatem et ad utilitatem, extra vero non ad utilitatem, licet dispensentur secundum veritatem (I).

b) Autem om. ibid.
c) Ordo sacer, scilicet ibid.
d) Inquam ibid.
e) Et poenitentiae ibid.
f) Dari et dispensari ibid.
g) Excedentibus ibid.
h) Et a ibid. et inferius.

(I) In sacramentorum dispensatione duo consideranda occurrunt, nimirum ministri, qui ea conficiunt, et fidelibus dispensant, et caeremoniae sive ritus externi, qui adhibentur, ait Concil. Trident. *sess. 22. cap. 5,* ad majestatem sacramentorum commendandam, et ad excitandas mentes fidelium „per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem."

Porro quoad ministros duplex est error, Donatistarum nempe, qui saec. IV Ecclesiam diuturno schismate lacerarunt, et Protestantium saec. XVI. Priores enim, quorum figmentis adhaeserunt saec. XII Waldenses et Albigenses, saec. vero XIV Fraticelli, Wicleffitae et Husitae, quum in sua tantum communione veram Christi Ecclesiam contineri jactitarent, autumarunt sacramenta ab improbis ministris, eoque magis ab haereticis collata, nulla prorsus ac irrita esse censenda. Opposito autem errore Protestantes, qui sacramenta ad fidem, seu potius ad fiduciam excitandam, instituta fuisse effutiunt, a quolibet, vel etiam a diabolo, et absque ulla intentione, imo et derisorie, ea valide administrari docuerunt.

Contra primos, ab Augustino acriter insectatos, est definitio Concilii Trident. *sess. 7, can. 12:* „Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre sacramentum; anathema sit." Et *sess. 7, de baptism. can. 4:* „Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; anathema sit." Igitur quoad baptismum est de fide: quoad caetera sacramenta, cum eadem sit ratio, neque tamen adhuc expressa definitio exstet, est veritas proxima fidei. Idipsum evincitur ex rescripto S. Stephani Rom. Pontif. ad S. Cyprianum in causa rebaptizantium: „Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur per poenitentiam; cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientem non baptizent, sed communicent tantum."

Contra Protestantes autem 1° Concil. Trident. *sess. 7, can. 10* definivit: „Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit." 2° Concil. Florent. in *Decreto pro Armenis:* „Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum." Et Conc. Trid. *sess. 7, can. 11:* „Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit." Ex quibus verbis rite perpensis quaestio etiam resolvitur quoad objectum intentionis, quod in ministro requiritur ad sacramentorum validitatem. Seraphicus noster speciatim de baptismo *4. dist. 6. dub. 2* ait: „Nulla infidelitas aufert baptismum, dum tamen intentio sit salva, faciendi scilicet quod facit

Dei potestas, ut ait S. Doctor *4. dist. 4. p. 2. a. 2. q. 3,* non est alligata sacramento", ita ut alia ratione gratiam conferre non possit; idcirco neque suis ministris propriam alligavit virtutem, adeo ut angelis vel animabus beatis illud ministerium committere non valeat. Hoc etiam S. Thomas aperte docet in *Summa, p. 3. q. 64. a. 7;* et S. Augustinus *lib. 2. c. 15. contra epist. Parmen.* hanc doctrinam veluti certam supponit, dicens: „Nemo accipit sine dante, sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, et homo, qui accipiat, sive per seipsum donante Deo, sive per angelum, sive per hominem sanctum, sicut per Petrum, sive per Joannem, sive per hominem iniquum." Angelos autem vel animas beatorum sacramenta aliquando de facto dispensasse, imo et confecisse, ex historia ecclesiastica compertum habemus. Sacra enim synaxi ab angelis fuisse refectos, praeter nostrum Seraphicum Doctorem, etiam S. Raymundum Nonnatum, S. Stanislaum Kostka, S. Agnetem de Monte Politiano, S. Veronicam de Binasco aliosque, ex eorum actibus constat. Praeterea Nicephorus Callistus, *lib. 11. Hist. Eccl. c. 20,* refert S. Amphilochium Iconiensem Episcopum angelorum ministerio consecratum fuisse. Memoratu quoque dignum est, quod legitur de nostro S. Petro-Baptista, strenuo viginti trium franciscalium in Japponio crucifixorum duce. Siquidem „pluries fuit visus, derelicta cruce, celebrare Missam in suo monasterio de Nangasaqui, illique ministrare Antonius, qui simul cum illo crucifixus fuerat, indutus veste alba, et audiebant canticum quasi caelestem, quamvis non videbant canentes." Cfr. Benedictum XIV *de Serv. Dei beat. et canon. lib. 3, append. 2.*

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, in quantum Deus et homo, sacramenta instituit et [i] ad salutem hominum ordinavit; sic [j] et congruum fuit, ut hominibus dispensarentur per ministerium hominum [2], propter servandam conformitatem dispensatoris ad Salvatorem Christum, et ad ipsum hominem salvandum. Quoniam ergo Salvator Christus humanum genus salvavit, secundum quod exigebat aequitas juris, dignitas ordinis et securitas salutis, operatus est enim [k] salutem nostram modo recto, ordinato et certo; hinc est, quod secundum horum trium exigentiam sacramenta commisit hominibus dispensanda. Primo igitur, quia rectitudo juris exigit, ut opera hominis, secundum quod homo, non fiant praecipitanter; et opera hominis, ut ministri Christi, aliquo modo referantur ad Christum; et opera hominis, ut ministri salutis, aliquo modo referantur ad salutem, vel in generali, vel in speciali; et dispensatio sacramentorum est opus hominis, ut rationalis, ut ministri Christi, et ut ministri salutis; hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione [3], qua quis intendat facere, quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia [4]; in quo clauditur in generali intentio praedicta, quia ipsa Ecclesia sicut sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat [5].

Rursus, quia ordo dignitatis exigit, ut majora majoribus, minora minoribus, et media mediis [l] committantur; et quaedam sunt sacramenta, quae praecipue respiciunt

i) Et recte add. ex cit. edit.

j) Sic recte ibid.; in cet. sicut.

k) Tripliciter add. ibid. et ed. Ven.

l) Mediocribus ed. 1484.

Ecclesia.“ Hanc autem doctrinam pro ceteris pariter sacramentis valere, non est cur ambigendum sit. Errores enim quoad effectus sacramenti, sive sint personales ministri, sive sint sectae ejusdem, dummodo non exprimantur in formula tamquam explicita vel implicita conditio, non excludunt intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Quum igitur haec intentio sit salva, sacramenta valide administrantur, nihil enim, quoad hoc, obstat eorumdem validitati. Et re quidem vera „Concilium,“ quemadmodum animadvertit Bellarminus *de Sacram. in gen. lib. 1. cap. 27. n. 13*, „in toto canone XI non nominat finem sacramenti, neque dicit oportere ministrum intendere quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit.“ Idipsum confirmatur ex *Instructione* a Suprema S. Congr. Univ. Inquisitionis edita die 18 decembris 1872. Quum enim alicubi haeretici, in collatione baptismi, debita quidem utantur materia ac forma, sed expresse monere soleant baptizandos, ne credant ullum effectum in anima baptismum producere, dictitantes ipsum nil aliud esse quam signum mere externum aggregationis illorum sectae; et idcirco quaesitum fuisset: 1. Utrum baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, baptismum nullum habere effectum in anima? 2. Utrum dubius sit baptismus sic collatus, si praedicta declaratio non expresse facta fuerit immediate, antequam baptismus conferretur, sed illa saepe pronuntiata fuerit a ministro, et illa doctrina aperte praedicetur in illa secta? S. Congregatio praedicta die, postquam commemorasset doctrinam Benedicti XIV, *de Syn. Dioec. l. 7. c. 6. n. 9,* et rationem perspicue traditam a Bellarmino, quam superius retulimus, respondit: „Ad 1. negative; quia, non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Ad 2. provisum in primo.“

Quoad vero caeremonias, in ipsas debacchati sunt iidem Protestantes, tum eas veluti inutiles despiciendo; tum denegando Ecclesiae potestatem eas instituendi, vel etiam, salva sacramentorum substantia, mutandi; tum denique eamdem potestatem cuilibet pastori concedendo. Porro contra ipsos Conc. Trid. *sess. 7, can. 13:* „Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.“ Et *sess. 21. cap. 2* aperte „declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret: id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait *(1. Cor. 4, 1): Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso sacramento *(eucharistiae),* cum, ordinatis nonnullis circa ejus usum, *Cetera,* inquit, *(1. Cor. 11, 34), cum venero, disponam.*“

excellentiam virtutis sive dignitatis, ut sacramentum confirmationis et ordinis; quaedam, quae respiciunt indigentiam necessitatis, ut baptismus et matrimonium, quorum unum generat, alterum regenerat ad existentiam debitam; quaedam autem media, ut eucharistia, poenitentia et unctio extrema; hinc est, quod prima, tanquam suprema, non possunt dispensari nisi ab episcopis et pontificibus [6], quantum est de jure communi **); alia vero, tanquam infima, dispensari possunt a quibuscumque ordinibus et personis inferioribus [7], maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione baptismi [8]; media vero a solis sacerdotibus, qui inter episcopos et inferiores personas sunt quasi in medio constituti.

Postremo, quia securitas salutis exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat, et nullus est, qui certus sit de bonitate et credulitate dispensatoris, et idem ipse non est certus de se, *utrum odio vel amore dignus sit (Eccle. 9, 1);* ideo si sacramenta dispensari solum [m] possent a bonis, nullus esset certus de susceptione sacramenti, et sic oporteret semper iterari, et sic malitia unius praejudicaret alienae saluti. Nulla etiam esset stabilitas in gradibus hierarchiae Ecclesiae militantis, quae maxime consistit in sacramentis dispensandis; et ideo congruum fuit, ut sacramentorum dispensatio committeretur homini, non ratione sanctitatis, quae variatur secundum voluntatem, sed ratione auctoritatis, quae semper manet, quantum est de se; ac per hoc oportuit, quod se extenderet ad bonos et ad malos [9], ad eos, qui sunt intra, et ad eos, qui sunt extra Ecclesiam. Verum, quia extra unitatem fidei et caritatis, quae facit nos filios Ecclesiae et

m) Tantum ibid.

** De jure extraordinario, seu ex speciali Apostolicae Sedis privilegio, Cardinales sacerdotali ordine insigniti possunt in sua titulari ecclesia tonsuram et ordines minores personis ejusdem ecclesiae addictis conferre. Eodem privilegio, pro suis dumtaxat subditis regularibus et in propriis ecclesiis, gaudent Abbates regulares exempti et habentes jura episcopalia, dummodo in sacerdotali dignitate sint constituti, et benedictionis munus ab Episcopo acceperint, vel saltem apostolico privilegio muniti sint ad hoc, ut quamvis non benedicti, omnia praestare valeant, quae fieri possunt ab Abbatibus rite benedictis. Cfr. Benedictum XIV in Const. *Ad audientiam* 15 februarii 1753, *§ 16;* et *De Syn. dioeces. l. 2. c. 11. n. 9.*

Iidem Abbates possunt sacramentum confirmationis suis subditis conferre, imo etiam non subditis, de consensu saltem tacito Ordinarii, at non extra territorium Abbatiae. Cfr. *Collectanea in usum S. C. Episc. et Reg. Romae 1863, pag. 139, 690, 718.* Missionariis quoque inter infideles degentibus facultas haud raro conceditur administrandi confirmationem. „Etsi enim, juxta sacrosancti Concilii Tridentini definitionem *(sess. 7 de confirm. can. 3);* solus Episcopus sit ordinarius hujus sacramenti minister solet tamen quandoque justis de causis Sedes Apostolica simplici sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi *(Eugen. IV in Decreto pro Armenis).*“ Verum nemini, nisi „aliâs usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competat, in illius administratione uti licet vestibus ac ornamentis episcopalibus, prout eruitur ex *Instruct. S. C. de Propaganda fide 4 martii 1774.* Semper insuper adhibendum est chrisma ab Episcopo benedictum, quod aperte constat ex citato Decreto Eugenii IV, ubi materia confirmationis dicitur esse „chrisma confectum ex oleo . . . et balsamo . . . per Episcopum benedicto.“

Hic autem quaestio occurrit, an ad solum Pontificem, excluso Episcopo, pertineat jus delegandi simplici sacerdoti administrationem confirmationis. Nec pauca, nec levia esse momenta, ingenue fatetur Benedictus XIV in cit. op. *de Syn. dioec. l. 7. c. 8. n. 3,* quibus innititur opinio eorum, qui putant, „sola inspecta institutione divina, et seclusa Ecclesiae prohibitione, posse Episcopum simplici sacerdoti committere, ut chrismate a se confecto fideles consignet, ne secus degentes in locis, ad quae ipse accurrere nequit, sacramento confirmationis perpetuo careant“ . . . Ceterum, ut ipsemet *ib. n. 7* concludit „quidquid sit de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino, ex sola Episcopi delegatione, collatam; quia Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit . . . Posita autem reservatione facultatis . . . nec licite, nec valide potest Episcopus latinus illa uti: nam, quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis, cujus firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem quam ad ordinem pertinet; Episcoporum vero jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus catholicis, ejusdem auctoritate et imperio limitari, atque ex legitima causa omnino auferri possit.“ Ad rem illud etiam facit, quod tradit noster Seraphicus 4. *dist. 7. dub. 1.*, nempe delegationem, de qua est sermo, esse actum potestatis et jurisdictionis supremae a Christo Domino soli suo in terris Vicario commissae. Ait enim: „Quamvis sacerdos non possit propria auctoritate, tamen pro causa necessaria summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, potest alii quam Episcopo committere.“ Et profecto summus Pontifex, ut verbis utar ejusdem Seraphici, quae *cap. 12* hujus partis leguntur, est *unus primus* et *summus pater spiritualis omnium patrum,* omnium scilicet Episcoporum, et ab eo *tamquam a summo derivatur ordinata potestas.* „Igitur plus potest, ita idem S. D. *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 6. fund. 3,* quam omnes Episcopi, eo quod plenitudinem habeat super omnes.“

membra, nullus potest salvari (II); ideo si sacramenta extra recipiantur [n], non ad salutem recipiuntur [10], quamvis vera sint sacramenta, sed utilia possunt fieri, si quis redeat ad sanctam matrem Ecclesiam, unicam Christi sponsam, cujus filios [o] tantum Christus sponsus reputat dignos haereditate aeterna. Unde Augustinus contra Donatistas *(l. 4. c. 1. 2)*: Ecclesia, paradiso comparata, indicat nobis posse quidem baptismum ejus homines etiam [p] foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere. Nam et flumina de fonte paradisi, sicut Scriptura testatur *(Gen. 2, 8—10)*, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur, et per quas terras fluant, et quod extra paradisum constituta sunt [q], omnibus notum est; nec tamen [r] in Mesopotamia vel in Aegypto, quo illa flumina perveniunt, est felicitas vitae, quae in paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiae [s] potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatae [t] vitae non nisi intra Ecclesiam reperitur, quae super petram etiam fundata est, quae ligandi et solvendi claves accepit *(Matth. 16, 18)*. Haec est una, quae tenet et possidet omnem sponsi sui et Domini potestatem, per quam conjugalem potestatem etiam de ancillis parere filios potest, qui si non superbiant, in sortem haereditatis vocabuntur, si vero superbiant, extra remanebunt [11]. Magis ergo, quia pro Ecclesiae honore atque unitate pugnamus, non tribuamus haereticis, quidquid apud

n) Recipiuntur ibid.

o) Filius ed. Rom. male: filios ed. Ven. et 1484.

p) Etiam om. ed. 1484.

q) Sint ibid.

r) Tamen est ibid.

s) Ecclesiae om. ibid.

t) Baptismi vel beatae ibid.

(II) Anno 1857 Londini societas quaedam, ad procurandam, uti ajebant, christianitatis unitatem, a Protestantibus instituta fuit. Haec expresse profitebatur tres christianas communiones, romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen jure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patebat omnibus ubique locorum degentibus, tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege, ut nemini liceret de variis doctrinae capitibus, in quibus dissentiebant, quaestionem movere, et singulis fas esset propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas, et sacerdotibus sacrificia celebranda indicebat juxta suam intentionem, ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout supponebatur, Ecclesiam catholicam omnes simul jam constituebant, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coirent. Hanc autem novitatem, quae eo periculosior erat, quo ad speciem pia et de christianae societatis unitate admodum sollicita videbatur, Suprema S. Officii Congregatio die 16 septembris an. 1864 expressis verbis reprobavit, et maxima sollicitudine curandum esse monuit, „ne catholici, vel specie pietatis, vel mala sententia decepti, societati, de qua hîc habitus est sermo, aliisque similibus adscribantur, vel quoquomodo faveant, et ne fallaci novae christianae unitatis desiderio abrepti, ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consistit.“ Et re quidem vera „fundamentum, cui ipsa societas innititur, hujusmodi est, quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est, ut supponat veram Jesu Christi Ecclesiam constare partim ex Romana Ecclesia per universum orbem diffusa et propagata, partim vero ex schismate photiano et ex anglicana haeresi, quibus aeque ac Ecclesiae Romanae unus sit Dominus, *una fides* et unum baptisma. Ad removendas vero dissensiones, quibus hae tres christianae communiones cum gravi scandalo et cum veritatis et caritatis dispendio divexantur, preces et sacrificia indicit, ut a Deo gratia unitatis impetretur. Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter christianos schismata et dissensiones a radice evellantur, et christiani omnes sint *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis (Ephes. 4, 3)*. Quapropter Ecclesia catholica preces Deo optimo maximo fundit, et Christi fideles ad orandum excitat, ut ad veram fidem convertantur, et in gratiam cum sancta Romana Ecclesia, extra quam non est salus, ejuratis erroribus, restituantur quicumque omnes ab eadem Ecclesia recesserunt: imo ut omnes ad agnitionem veritatis, Deo bene juvante, perveniant. At quod Christi fideles et ecclesiastici viri, haereticorum ductu et, quod pejus est, juxta intentionem haeresi quam maxime pollutam et infectam, pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest ... Caveant igitur summo studio Christi fideles, ne hisce societatibus conjungantur, quibus, salva fidei integritate, nequeunt adhaerere; et audiant sanctum Augustinum docentem, nec veritatem nec pietatem esse posse, ubi christiana unitas et sancti Spiritus caritas deest.“

eos ejus agnoscimus; sed eos arguentes doceamus, quod ex unitate habent u), non valere ad salutem, nisi ad eandem venerint unitatem [12].

u) Ita legitur ibid. et in edit. Opp. S. Augustini PP. Maurin. Venet. 1733, vol. VIII. col. 121—22. In oct. edit. Brevil. Quod extra unitatem habet.

Ad Caput V.

[1] „Ratio est, quia spiritus est ita praecisus ab Ecclesia, quod nec est membrum actu, nec potentia; et ideo administratio, aut potestas, quae descendit a capite Christo, non pervenit ad ipsum.“ *4. dist. 5. a. 1. p. 1. q. 1. later.*

[2] „Potestatem auctoritatis, cooperationis, excellentiae, invocationis et institutionis Deus non dedit ministris baptizantibus, sed tantum ministerii, quamvis praeter primam ceteras dare potuisset.“ — „Dicendum quod circa baptismum possunt sex potestates annotari, ut videamus quam dare potuit Dominus, et non dedit. Prima est auctoritatis; et haec est, qua Deus a seipso, non aliunde habet potestatem interius mundandi a culpa. Secunda est cooperationis, ut homo, accepta divinitus potentia, in tali actu esset cooperator. Tertia est excellentiae, ut secundum abundantiorem gratiam existentem in baptizante, majorem conferret gratiam baptizando. Quarta est invocationis, ut homo in nomine Petri baptizari possit, sicut in nomine Christi, vel Trinitatis. Quinta est institutionis, ut sicut Christus habuit potestatem instituendi baptismum in aqua, ita alius haberet in aqua, vel alibi. Sexta est ministerii, qua dat, ut per hominem possit exterius ministrari et verbum et elementum. Primam nec dare potuit, nec dedit, ultimam dare potuit et dedit; de omnibus intermediis dicunt magistri, quod dare potuit, sed non dedit. Secundam enim et tertiam non dedit, ne spes in homine poneretur, quia si unus homo posset alium sanare spiritualiter, vel suis meritis plus de gratia daret, speraret homo ab homine gratiam et veniam. Quartam vero et quintam non dedit, ne tot essent baptismi, quot baptistae, quia numeratur baptismus et denominatur ab eo, cujus nomine fit, et ab eo qui instituit; et ideo ne multi essent baptismi, sed unus solus, instituit ut unus solus invocaretur. De potestate vero cooperationis controversia est, quia Magister dicit, quod illam dare potuit; hoc tamen communiter negatur. Sed quia Augustinus *(tract. 5 in Jo.)* videtur hoc dicere, propter hoc notandum, quod cooperari alii est dupliciter. Vel per modum vere efficientis, sicut natura cooperatur Deo in productione naturalium, et liberum arbitrium gratiae in faciendo opus meritorium. Vel per modum disponentis, sicut cooperatur homo Deo quantum ad gratiam recipiendam, quia se disponit. Primo modo, quidquid videatur dicere Magister, Deus dare non potuit, quia creatura capax non fuit, nec hoc modo intellexit Augustinus. Sicut enim tactum fuit *(l. 1. d. 14)*, dare gratiam est potentiae infinitae, et potentiae supra mentem humanam, quae immediate est in Deo. Secundo vero modo dare potuit, ut homo secundum actum interiorem baptizato gratiam obtineret, non gratiam efficiendo, sed ipsam impetrando, sicut dedit homini virtutem faciendi miracula, non quia ipse ea efficeret, sed quia, virtute sibi a Deo data, quoties vellet, impetraret. Sed hanc non dedit homini, scilicet ut tantum posset interius in salvando animam, sicut exterius virtute miraculorum sanat corpora, tunc enim ad eos recurreretur pro salute animae, sicut ad Deum. Dominus autem quantum ad hanc potentiam omnes fecit aequales, ut salutem animae a se solo doceat requirendam, omnes enim aequaliter purgant, qui sacramentum administrant: et ita non est efficacia in actu mentis baptizantis, sed solum in administratione sacramenti.“ *4. dist. 5. a. 3. q. 1.*

[3] „Ludus non semper excludit intentionem, sed compatitur, sicut patet. Et Hugo *(de sacram. lib. 2. p. 5)* ponit exemplum, quia velle dare ludicre est duobus modis; uno modo velle ludere, ita quod nullo modo vult dare; alio modo ita quod vult ludere, et nihilominus vult dare. Et primo quidem modo excludit intentionem, et qui sic dat ludendo, non dat; secundo modo ponit intentionem dandi, et vere dat. Sic in proposito intelligendum. Unde potest esse intentio cum ludo. Et ideo dicit Augustinus *(de bapt. lib. 7. c. 35)*: Implorandum est divinum consilium. Quod si Dominus non revelaret, baptizandus est, tamen sub conditione. Et hoc est, quod dicitur in illo casu, in quo puer Athanasius, simulans se esse episcopum, baptizavit quosdam pueros ludicre; quia postmodum consilio Alexandri episcopi non sunt rebaptizati, quia inferius subditur, quod idem episcopus supervenit, et quaesivit de intentione, et cognovit per verba juvenis, quod habuit intentionem; et ideo non debuerunt rebaptizari; et quod habuit intentionem, conjicitur, quia non baptizavit nisi catechumenos.“ *4. dist. 6. p. 2. dub. 4.* — „Ad baptismum non est necessaria recta intentio, quantum ad substantiam sacramenti, sed tantum est de congruitate.“ — „Dicendum quod intentio idem est quod voluntas ratiocinata, prout dirigitur in finem. Sed finis duplex est; est enim finis, qui est rei terminus, vel complementum; et est finis, qui est rei utilitas. Sic in sacramento duplex est finis, unus scilicet qui est complementum, scilicet quod ibi sit unio verbi et elementi; et finis utilitas, scilicet baptizati, vel baptizantis. Secundum hunc duplicem finem duplex est intentio, sicut aliquis, qui fundat domum, intendit eam consummare, et intendit inhabitare. Sic in sacramento intendit quis prima intentione sacramentum Ecclesiae ministrare, consequenter vel intendit suam utilitatem, vel parvuli salutem, vel quidquid illud sit. Prima intentio est de necessitate sacramenti; secunda tantum de congruitate. Prima intentio non habet rectum et obliquum; sed secunda habet rectum et obliquum. Unde patet responsio, quod ad sacramentum baptismi nihil facit intentio recta, nec aliquid obstat intentio non recta, quantum ad substantiam sacramenti; nocet tamen, vel prodest habenti.“ *Ibid. a. 2. q. 2.*

[4] „In omni sacramento necessaria est intentio. Ratio autem hujus est, quia sacramentum non habet esse suum a natura, sed ab institutione . . . Potest tamen et alia ratio

assignari, quia ad sacramentum necessaria est intentio et institutio. Ad hoc enim quod sit sacramentum, necesse est quod forma et elementum ad unum ordinentur: hoc autem non est ex se, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa. Ideo supervenit institutio Christi, quae formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum determinatum et signatum. Sed tamen institutio, etsi verba ordinavit ad unum, non tamen arctavit, quia ad alios usus possunt sumi, et sumuntur; et ideo ad hoc quod ordinentur, necessarium est intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ecclesia, facere, vel saltem quod Christus instituit, dispensare, alioquin verbum et elementum ut disjuncta, vel ad aliud juncta, talem effectum non faciunt“ *). *4. dist. 6. p. 2. a. 2. q. 1.*

[5] „Domus, in qua fit (paralitici) curatio, est Ecclesia, de qua dicitur *(Prov. 9, 1): Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Hae columnae septem sunt septem sacramenta. Hujus domus janua est sacerdotalis potestas, cujus potestatis auctoritas residet penes Petrum; unde: *Tibi dabo claves regni caelorum (Matth. 16, 19)“. Expos. in Luc. cap. 5.*

[6] Vide inferius *cap. 8. not. 2.*

[7] „Ad esse matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet legitimitas in personis, et unitas in consensu. Ad solemnitatem vero et decorem, sive honestatem, requiritur et parentum traditio, et sacerdotum benedictio: haec autem ita sunt ad decorem sacramenti, ut tamen sint de necessitate praecepti.“ *4. dist. 28. a. 1. q. 5.* Vide inferius *cap. 13. in Appendice.*

[8] „Sacramentum baptismi est sacramentum ecclesiasticum, necessarium et primum. Quia ecclesiasticum, ideo ejus administratio primo et principaliter est commissa clericis, et inter hos sacerdotibus. Quia vero necessarium, et sacerdos non semper adest, ideo ejus administratio se extendit etiam ad laicos, divina misericordia faciente, quae neminem vult perire. Quia vero primum, ideo a nullo alio sacramento dependet; et ideo hujus ministerii potestas se extendit ad omnes, qui possunt facere ea, quae sunt de integritate sacramenti; et quicumque ista faciat, baptizatum est; ille ergo solus excluditur, qui non potest. Propter quod notandum, quod baptismus, sicut alia sacramenta, est sacramentum, et sacramentum unum, et verum, et integrum. Quia sacramentum, ideo est signum visibile, et ideo debet habere dispensatorem visibilem, ut hominem, non spiritum; quia vero unum, ideo debet tradi ab uno dispensatore, non a pluribus; quia verum, ideo non debet idem esse baptizans et baptizatus, sed alius, quia in forma duplex persona exprimitur, cum dicitur: *Baptizo te;* quia vero integrum, ideo concurrunt in eo necessario duo, scilicet elementum et verbum. Verbum autem debet dici; et quia dicere est cum intentione proferre, ideo necesse est quod baptizans habeat discretionem, et non sit stultus; et oportet quod habeat locutionem, et non sit mutus. Quia vero in elementum debet mergere, oportet quod non sit mancus. Omnis ergo talis, qui potest exercere ea, quae sunt de integritate sacramenti, potest baptizare, et in casu necessitatis debet, etiamsi non sit ordinatus. Praeter casum necessitatis solus sacerdos debet baptizare; et si alius facit, quamvis baptizet, tamen graviter peccat.“ *4. dist. 5. a. 1. q. 1.* — „Solet etiam quaeri, utrum aliquis in articulo necessitatis positus possit baptizare seipsum; videtur enim quod sic, propter statum necessitatis, cum possit se mergere et verbum dicere. Et hoc ipsum videtur Innocentius in quadam decretali dicere, quod si Judaeus aliquis aspergat se aqua utens forma baptismi, non habens aliquem, qui ei sacramentum tribuat, evolat, et inter fideles computandus est, ut dicit. Et ad hoc patet responsio, quod nullus potest sibi administrare sacramentum baptismi. Et prima quidem ratio tacta est, quia non salvatur veritas formae, cum in forma duplex persona exprimatur, cum dicitur: *Baptizo te.* Secunda ratio est, quia baptizans pater est spiritualis baptizati; si ergo nemo est filius suus, nemo seipsum potest baptizare. Postremo deficit ibi ratio significationis; quia enim significatur ibi mundans et mundatus spiritualiter, et hoc non potest esse idem, sed alius, ita necesse est etiam, quod sit in sacramento. Prima tamen ratio potior est.“ *Ibid. q. 2. lat.*

[9] „Malus sacerdos non tantum sacramentum, sed etiam rem dat; non ipse, sed Deus, cujus sacramenta sunt bona et impolluta . . . Est quoddam opus, quod habet virtutem a caritate, vel voluntate interna solum; quoddam quod habet ab institutione divina. Primum opus est virtutis et vitii, et a Deo pensatur secundum qualitatem voluntatis. Secundum est opus sacramenti, et hoc pensatur secundum meritum et dignitatem Christi instituentis: et tale semper remanet efficax et impollutum, nec potest aliquo modo pollui, sicut nec meliorari. Habet enim virtutem a Christo, non a ministro, sicut semen jactum in terram aequaliter fructificat, sive sit bonus, qui seminat, sive malus.“ *4. dist. 5. a. 2. q. 1.*

[10] „Episcopus haereticus, servans formam Ecclesiae, et intentionem habens Ecclesiae, vere ordinat, licet non ad utilitatem ordinet.“ — „Dicendum quod, etsi ista quaestio aliquando fuerit dubia multum apud praeclaros doctores de omnibus sacramentis, tam de baptismo, quam de aliis, quod non essent apud haereticos; tamen per illustrissimum doctorem Augustinum *(cont. epist. Parmen. l. 2. c. 13)* aperte est nobis haec quaestio patefacta, quod sacramenta ecclesiastica apud haereticos, qui formam Ecclesiae servant, et intentionem habent faciendi, quod facit Ecclesia, sunt quantum ad veritatem, quamvis non sint quantum ad utilitatem; quia sacramenta dispensant, sed tamen fructum sacramentorum non reportant, pro eo quod Spiritus sanctus non confert gratiam extra catholicam Ecclesiam. Et ideo in omnibus sacramentis, quae habent veritatem differentem ab utilitate, generaliter verum est, quod apud haereticos possunt esse. Omnia autem sacramenta sunt talia, praeter sacramentum poenitentiae, cujus res est interior contritio, sine qua nulla vera est absolutio,

*) Infrascripto dubio ab Episcopo Antibariensi proposito: „An, cum sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo et lupis, in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia absque debita forma? S. C. R. U. Inquisitionis die 6 septembris an. 1625 respondit negative, quia baptismus est janua sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.“

et cum qua nulla absolutio est vana, vel inutilis. Ideo omnia possunt dispensare, et dispensant veraciter, praeter solam absolutionem poenitentiae; et ideo nulla iterantur praeter illam, nisi forte unctio extrema. Et sic, cum ordo habeat characterem, qui praeter Spiritus sancti gratiam, qua peccata delentur, existit, dicendum quod per eos potest veraciter dispensari ... Ad illud, quod objicitur de potestate absolvendi, dicendum quod non est simile, quia absolutio sacerdotalis aut nulla est, aut sine fictione est; nullus autem scienter ab haeretico absolvitur, qui careat fictione. Aliter tamen potest dici, quod potestas quadruplex reperitur in ministris Ecclesiae. Quaedam namque est fundata super ordinem principaliter, ut potestas conficiendi; quaedam super jurisdictionem canonicam principaliter, ut potestas excommunicandi; quaedam super ordinem et eminentiam, ut potestas ordinandi; quaedam super ordinem et jurisdictionem, ut potestas absolvendi et ligandi in foro poenitentiali. Et quoniam character auferri non potest; ideo potestas, quae consequitur characterem, de facto auferri non potest. Sed quoniam jurisdictio descendit ordinate a superiori ad inferius, ita quod plenitudo est in summo Pontifice; ideo potest auferre eam, et potestatem, quae consequitur ipsam. Unde potest excommunicando auferre potestatem absolvendi et excommunicandi, sed non ordinandi. Et per hoc patet responsio ad multa, et ad sequens etiam. Quod enim objicitur, quod in summo Pontifice est plenitudo potestatis, verum est, secundum quod potestas consequitur jurisdictionem, quae maxima et in termino est in eo, sed non in quantum sequitur characterem, quia ille immediate a Deo imprimitur, et est in omnibus aequalis; tamen executio omnis potestatis debet fieri secundum ejus regimen; et ideo, si ipse prohibeat, non potest talis potestas licite exire in actum. Tamen, quia ab ipso non dependet secundum rem de facto, facit sicut et alius; et sic patet totum." *4. dist. 25. a. 1. q. 2. concl. et ad 3 et 4.* — „Episcopus simoniacus simoniace potest vere ordines dare." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod spirituale dicitur tripliciter. Uno modo, quod est spirituale pure, ut gratia et virtutes et dona: et haec nec de facto, nec de jure, vendi possunt, immo si quis habens vellet vendere, non solum non acquireret amplius, sed etiam quod haberet, amitteret. Alio modo spirituale est, quod adjungitur, scilicet rei corporali, quae tamen ratione illius spiritualis consecratur et accipit rationem spiritualis: et hoc spirituale de jure non potest vendi, pro eo quod non potest poni sub pretio; de facto tamen, ratione rei corporalis, vendi potest; et talia sunt sacramenta ecclesiastica. Quoddam est spirituale, quod adjungitur rei corporali, quae tamen habet rationem rei temporalis, ut calix consecratus, vel etiam jus patronatus, quia ibi consecratio juncta est argento, et jus patronatus fundo; et illud dicitur spirituale, quia spirituali annexum: et hoc de facto vendi potest, de jure non potest vendi, tamen potest cum eo, cui adjunctum est in venditione transire, calix enim consecratus vendi potest, ita tamen quod consecratio non vendatur, sed argenti valor; et fundus vendi potest, cui annexum est jus patronatus, sed non ipsum jus patronatus de jure, quin committatur simonia. His praenotatis, ad ordines veniendum est, in quibus est aliquid de primo genere, scilicet gratia sanctificans; aliquid de secundo, scilicet potestas ministerialis per aliquod signum exterius dispensata, cui inseparabiliter est adjuncta. Primam impossibile est pretio comparare, nec vendere; secundam vero possibile est pro pretio dari, quia inseparabiliter est adjuncta exteriori sacramento; et cum illud possit pro pecunia dari, potest et illa potestas vendi. Et sic patet, quod simoniacus simoniace ordines potest dare." — „Episcopus ordinans simoniace, nisi credat ordines sacros pretio appretiari posse, non constituitur haereticus; secus si illud credat." — „Sacri ordines, nec aliquod sacramentum, per pecuniam dari potest sine gravi et enormi peccato, pro eo quod spirituale, quod ex sola liberalitate pro sui dignitate dandum est, mercatur et facit vile. Rursus, quia illud, quod erat impretiabile, sub pretio ponit, quod nullo modo potest fieri, quin fiat contumelia Spiritui sancto; ideo illud non tantum est malum in se, immo etiam secundum se. Si autem quaeras a me, utrum sit peccatum in fide, vel in moribus, dicendum quod ille, qui emit vel vendit spiritualia, aut credit ea pro pretio posse aestimari, et valori rei terrenae aequari, et pro pecunia possideri, committit haeresim manifestam; et sic aestimavit Simon magus *(Act. 8, 19)*. Talis enim errat in fide, quia credit gratiam non esse gratiam. At ille, qui vendit et emit, non credit quod gratia Dei per pecuniam comparetur, sed tamen ardens avaritiâ nititur aliquid assequi vel impetrare per pecuniam, quod ad humanam spectat dispensationem. Et sic non est peccatum fidei, sed morum, quoniam talis peroptime novit, et male facit; sicut et ille, qui fornicatur, sciens fornicationem esse peccatum, non errat in fide, sed in via morum. Et sic simoniacus est avarus et in pessima specie avaritiae, nec est haereticus proprie, sed tamen a Sanctis haereticus vocatur, sive quia ad modum haeretici operatur, sive quia prout haereticus projicitur a Dei servitio et cultu propter enorme scelus." *Ibid. qq. 3—4.*

[11] „Haeretici, si in forma Ecclesiae baptizant, vere baptizant, quia regenerant filios Ecclesiae, et non haeresi." — „Dicendum quod baptismus, qui solum datur ab haereticis in forma Ecclesiae, baptismus est, et baptismus Ecclesiae, quia regenerat filios Ecclesiae, non haeresi, regenerat etiam filios in Christo. Exemplum Augustini contra Donatistas *(de baptis. cont. Donat. l. 1. c. 10. n. 14)* est, quia sicut Jacob non tantum genuit per uterum liberarum, sed etiam ancillarum; sic et Christus. Unde qui boni baptizantur ab haereticis, comparat eos filiis ancillarum; sed qui mali ab Ecclesia, comparat eos Esau. Habet igitur semper efficaciam, nisi habeat obicem in suscipiente; hic autem habet obicem, quando iste, qui baptizatur, consentit haeresi. Et hoc potest esse tripliciter, aut quando est haereticus, et favet errori; aut si non est haereticus, tamen vadit ad haereticum praecisum in contemptu Ecclesiae; aut si non est praecisus, vadit tamen ad occultum, quem scit esse haereticum, propter aliquod commodum vel favorem, et tunc nihil accipit, quia accipit ab haeretico, ut est haereticus. Sed tunc non consentit, quando habet impotentiam discernendi, ut parvulus; vel quando ille haereticus est occultus, et creditur esse catholicus; aut quando homo est in necessitate constitutus, solo necessitatis intuitu. Auctoritates Augustini secundum primam viam intelliguntur. Rationes ad oppositum patent, quia quos

haeretici baptizant, non consentientes haeresi suae, etsi videntur esse de eis, tamen sunt Ecclesiae filii, et filii intrant Ecclesiam. Unde Augustinus dicit contra Donatistas, quod haeretici baptizantur non per id, quod habet repugnans Ecclesiae, sed per id, quod habet communitatem cum ea et unitatem. Et ideo si iste, qui baptizatur, nihil recipiat ab haereticis nisi baptisma, nec in aliis conveniat, judicandus est catholicus, quia cum catholicis convenit, et non habet repugnans; et talis est parvulus. Et ideo quamvis parvuli baptizentur ab haereticis, non tamen sunt inter haereticos quantum ad meritum, sed solum quantum ad numerum; et ideo non sequitur, quod sint inter haereticos, secundum quod haeretici sunt, sed sicut filii Dei; nec etiam quod inter eos, scilicet haereticos, sit Spiritus sanctus, per quem remittuntur peccata." *4. dist. 5. a. 2. q. 2.*

[12] „Haereticus, manens haereticus, habens immersionem in aqua, prolationem verbi et intentionem faciendi quod facit Ecclesia, potest baptizare." — „Accedente verbo ad elementum, fit sacramentum. Sed haereticus dicit verbum et habet elementum; ergo potest conferre sacramentum." — „Item potestas baptizandi non est donum gratiae gratum facientis, sed tantum gratis datae, quia constat, quod mali sacerdotes baptizant; ergo esto quod aliquis sacerdos catholicus fiat schismaticus, vel haereticus, tamen propter hoc non amittit gratiam gratis datam; videtur ergo, quod possit baptizare." — „Dicendum, sicut dictum est, quod ista tria sunt de integritate baptismi, scilicet immersio in aquam, prolatio verbi et intentio faciendi quod facit Ecclesia; et quia haereticus, manens haereticus, potest haec tria habere, potest baptizare et baptizat, quando aliquid istorum non deficit, operatur enim tunc non ut haereticus, sed ut catholicus." * *4. dist. 5. a. 1. q. 2. concl. et fund. 3. 4.*

*) Hisce conclusionibus apprime cohaeret decisio dubii: „An baptismum *sub conditione* conferri debeat haereticis, qui se convertant ad religionem catholicam, a quocumque loco proveniant, et ad quamcumque sectam pertineant." Sacra enim Congregatio R. U. Inquisitionis die vigesima novembris anni 1878 respondit: „*Negative*, sed in conversione haereticorum a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem, seu professionem fidei."

CAPUT VI.

De sacramentorum iteratione.

(Nullum sacramentum iteratur super eandem personam, et materiam, et ex eadem causa. — Tria imprimunt characterem, — ratione cujus nunquam iterantur.)

De iteratione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod licet commune sit omnibus sacramentis non iterari super eandem personam et materiam [a], et ex eadem causa, ne fiat contumelia sacramento; specialiter tamen tria sunt sacramenta, quae non sunt aliquatenus iteranda, scilicet baptismus, confirmatio et ordo. In his namque tribus imprimitur triplex character interior (I), qui non deletur; inter quos character baptismalis retinet [b] fundamentum, nec alii possunt imprimi, nisi ille primitus imprimatur. Unde si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus efficitur, sed est totum de novo faciendum; quia non intelligitur iteratum, quod constat non fuisse factum.

a) Naturam ed. 1484.

b) Tenet ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, licet ratione suae summae virtutis et sapientiae et bonitatis nihil agat inefficaciter, nihil inepte, nihil infructuose; potissime tamen hoc servare [c] debet in nobilissimis operibus suis, cujusmodi sunt illa, per quae reparatur genus humanum. Quoniam ergo sacramenta sunt de genere hujusmodi operum divinorum; hinc est, quod contumelia quodammodo fit eis, quando super eandem materiam et personam, et ex eadem causa iterantur; quia ex hoc ostenditur, quod prius dispensata

c) Ibid in cet. Observare.

(I) Characterem sacramentalem a Scholasticis excogitatum Protestantes effutierunt. Verum contra eos Concil. Trid. *sess. 7. can. 9:* „Si quis dixerit, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit."

fuerunt inefficacia, inepta et infructuosa contra id [d], quod exigebat ipsius reparativi principii virtus et sapientia et bonitas summa, quae semper assistit ad operandum in illis, et per illa sacramenta.

Rursus, quoniam inter haec sacramenta reparantia, in quibus est generaliter efficacia divinae virtutis ad reparationem humani generis, quaedam sunt, quae tantum introducta sunt propter remedia morborum, quaedam etiam [e], quae [f] non solum ad hoc, sed ad statuendum, discernendum et ordinandum in Ecclesia hierarchicos gradus; et morbi possunt variari, expelli et iterum introduci, gradus autem Ecclesiae debent esse firmi [g], solidi et inconcussi; hinc est, quod sacramenta, quae respiciunt morbos iterabiles, habent effectus transeuntes; ac per hoc et [h] iterabiles ratione novae causae. Sacramenta vero illa, quae respiciunt gradus hierarchicos, et status fidei determinatos, necesse est, quod, praeter effectus remediantes, aliquos effectus tribuant permanentes, ad graduum et statuum Ecclesiae distinctionem fixam et stabilem. Et quoniam hoc non potest fieri per dona [i] naturalia, vel dona gratuita gratum facientia, necesse est, quod fiat per aliqua signa substantiae incorruptibili [j], scilicet animae incorruptibili [k] [1], a principio incorruptibili, secundum conformitatem ad incorruptibile [2], indelebiliter [3] et gratis impressa, quae characteres appellantur [4]; qui quoniam nunquam delentur, ideo nec iterari possunt, nec illa sacramenta, in quibus hujusmodi characteres imprimuntur.

Postremo, quoniam triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in populo christiano, in acie ecclesiasticae hierarchiae, scilicet status fidei genitae, roboratae et multiplicatae; secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis, per secundum fit distinctio fortium ab infirmis et debilibus, secundum tertium fit distinctio clericorum a laicis [5]; hinc est, quod illa sacramenta, quae respiciunt triplicem fidei statum praedictum, characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguunt [6], ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo baptismus respicit statum fidei genitae, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israëlitae ab Aegyptiis; et confirmatio respicit statum fidei roboratae, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his, qui ad pugnam non sunt idonei; et [l] ordo respicit statum fidei multiplicatae, in quo distinguitur clerus a laicis, sicut levitae ab aliis tribubus; hinc est, quod in his tantum tribus [m] sacramentis characteres imprimuntur [7]. Quia vero distinctio populi a non populo prima est, et radicalis; hinc est, quod character baptismalis est fundamentum omnium aliorum characterum; et ideo, illo non substrato [n], nihil poterit superaedificari, ac per hoc oportet de novo fieri. Si autem ille [o] substernatur, alii imprimi possunt, nec unquam ulterius iterandi sunt; nec sacramenta tria praedicta, quae hos imprimunt, ex causa aliqua iterantur, et gravis de facto iterantibus debet poena [p] imponi, propter divini contumeliam sacramenti, licet alia quatuor ex causis diversis possint [q] sine sui contumelia iterari.

d) Circa id ibid. et ed. Ven.
e) Etiam om. ed. 1484.
f) Quae add. ex ead. edit.
g) Et om. ibid.
h) Et om. ibid.
i) Dona ex cit. ed. Ingolst. data.
j) Incorporali ibid.; sic et infra.
k) Incorruptibiliter ibid.
l) Et om. ibid.
m) Tribus om. ibid.
n) Illo substracto ibid. ed. Aug. Ven.
o) Ille om. ed. 1484.
p) Poenitentia ibid.
q) Possunt ibid.

Ad Caput VI.

[1] „Circa hoc triplex fuit opinio. Quidam dixerunt, quod character est in tota anima, quia distinguit ovem ab ove, vel ab ea, quae non est ovis; et hoc respicit animae substantiam. Quidam quod in cognitiva, propter rationem signandi; et quoniam signum, quod est ratio cognoscendi, respicit potentiam cognitivam; ergo, etc. Qui-

dam quod in tota imagine, propter rationem configurandi. Et quia actus characteris, a quo nomen accepit, principaliter est configurare; ideo haec tertia opinio melior est, quod scilicet sit in anima secundum imaginem, secundum proprietatem et secundum veritatem. Sed quia imago, etsi sit in tribus, tamen appropriatur cognitivae, secundum quod dicitur *(August. lib. de sp. et an. c. 39)*, quod imago est in potentia cognoscendi, similitudo in potentia diligendi; ideo per appropriationem est in potentia cognitiva." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 3.*

[2] „Ad illud quod quaeritur, cui principaliter *(character)* assimilat, dicendum quod appropriate ipsi Filio, qui character dicitur; vel etiam quia baptizati dicuntur induere Christum, quia ipse est caput et dux exercitus; et quia character per appropriationem respicit fidem." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 2. ad 3.*

[3] „Perpetuitas characteris principaliter sumitur ab ejus conditione et natura. Unde notandum, quod est habitus innatus, et hic est indelebilis omnino; et est habitus acquisitus, et hic, quia est ex acquisitione, perdi potest; et est habitus infusus, vel datus, et hic est duplex. Quidam est datus ad dirigendum; et quia potentiae possunt obliquari, ideo est delebilis, potest enim invenire repugnantiam in subjecto. Est et alius impressus ad distinguendum; et huic indirectio, vel obliquatio potentiae non repugnat. Si enim aliquid repugnaret, hoc solum esset opposita consignatio; sed opposita non potest esse, quia solus Deus potest imaginem suam consignare; ideo si debet opposito signo signari, a solo Deo fiet. Sed ipse numquam imprimit signum sibi contrarium; ideo necesse est, quod character aeternaliter perseveret. Quoniam ergo character proprietas est existens in subjecto perpetuo, in quo non potest habere repugnantiam; ideo ejus impressio est perpetua." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 5.*

[4] „Character, cum sit in anima, et sit qualitas spiritualis, est habitus, non passio, nec potentia. Sed notandum, quod habitus accipitur dupliciter; uno modo proprie, prout distinguitur contra dispositionem per perfectum et imperfectum; alio modo communiter, prout utrumque comprehendit, scilicet omnem qualitatem animam disponentem, sive facile mobilem sive difficile, sive perfectam, sive imperfectam; et sic accipitur, cum dicitur, tria sunt in anima, potentia, passio et habitus, nam dispositio est in anima, et non est potentia, nec passio. Dicendum igitur, quod si accipiatur habitus large, sic character est habitus. Si autem stricte, sic quia character est perpetuus, ideo habitus; sed quia non perficit, sed disponit ad ulteriorem perfectionem, scilicet gratiae, ideo est dispositio. Similiter est in oculo corporali, quia ibi est lumen cum natura inseparabile, sed insufficiens ad videndum, nisi veniat spiritus visibilis a nervo optico. Similiter in intellectu est lumen connaturale inseparabile, non tamen sufficiens ad dirigendam cognitionem, nisi superveniat habitus scientiae. Secundum rem igitur character est quaedam qualitas animam non omnino perficiens, sed disponens ad ulteriorem perfectionem, scilicet gratiae. Unde potest esse, quod sit quoddam lumen spirituale semiplenum, et quidam calor gratis datus. Illud lumen dicitur signaculum animae, vel signari in anima, secundum quod dicitur in Psalmo *(4, 5): Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* signatum, inquam, per naturam, sed specialius per sacramenta divina, specialissime per dona Spiritus sancti gratuita." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 1.*

[5] „Character est signum interius distinctivum. Quia ergo signare non convenit ei nisi ratione signi visibilis; ideo solum in sacramentis, non in virtutibus imprimitur. Quia vero interius spiritualiter est distinguens; ideo in sacramentis, quae sunt non carnalis populi, sed spiritualis, imprimitur, scilicet in sacramentis novae legis, non veteris. Quia distinctivum non unius, sed multorum; ideo unitivum multorum in uno statu fidei. Et ideo in his sacramentis solum imprimitur, quae respiciunt statum fidei determinatum. Tres autem sunt status fidei, scilicet genitae, roboratae et jam multiplicatae; et secundum hoc attenditur triplex distinctio in populo, scilicet bonorum a malis, fortium ab infirmis, clericorum a laicis. Et haec triplex distinctio praecessit in figura in populo Israël. Prima, cum omnes sunt distincti ab Aegyptiis ad veniendum in terram promissionis; secunda, cum fortes ab infirmis ad pugnandum in bello; tertia, cum levitae ab alio populo ad ministrandum in templo. Similiter triplex fuit distinctio in domo David. Prima, domus ejus ab infidelibus; secunda, quia erant ibi specialiter pugnatores; tertia, quia levitae et sacerdotes et scribae ab aliis etiam distincti erant, et etiam duces et principes habebant. Quia ergo tria tantum sunt sacramenta, quae respiciunt statum fidei determinatum, baptismus primum, quia ibi fides gignitur, et homo ab Aegyptiis separatur; confirmatio secundum, quia ibi fides roboratur, et ut pugil inungitur homo ad praeliandum, et ab infirmis discernitur; ordo tertium, quia ibi virtus multimoda datur, et homo ut sanctus ad ministerium templi a laicis separatur; ideo ista tria tantum imprimunt characterem. Natura ergo communis reperta in his et non in aliis est, quia sunt signa visibilia interius operantia, respicientia statum fidei determinatum. Et quia distinctio populi a non populo praecedit alias distinctiones; ideo baptismalis character praecedit alios de necessitate, sed distinctio fortium ab infirmis praecedit distinctionem aliam solum de congruo, non de necessitate. Ex hoc ergo patet ordo characterum, patet et numerus, quia tres sunt secundum tres status et tres distinctiones et tria sacramenta. Patet etiam ratio imprimendi, praesupposita namque identitate ex parte materialis elementi, ratione cujus competit signatio, sumitur ratio principalis ex parte finis. Quia tamen finis movet efficientem, et efficiens secundum exigentiam finis introducit formam in materiam, concurrit triplex ratio: et prima est status fidei determinatio ex parte finis; ex parte efficientis institutio, quae ad talem finem ordinans dedit talem virtutem, ut in his imprimeretur character; ex parte vero formae est sanctae Trinitatis invocatio: et sic patent omnia." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 4.*

[6] „Ratio distinguendi in charactere venit ex ratione significandi, character autem significat gratiam fidei secundum aliquem statum, unde distinguit vel fidelem ab infideli, vel fidelem a fideli; et quod permiscentur, hoc non est ex vitio signi, sed signatorum. Et per hoc patet consequens, quia signum est nobis non per se, sed ratione conjunctionis cum elemento. Et est exemplum; si aliquis assumeret arma regis, signum esset, quod esset de exer-

citu regis; potest tamen nihilominus esse ex parte contraria, quamvis arma significent, quod sit ex parte illa; et non est falsitas in signo, sed in accipiente. Sic in proposito intelligendum, quoniam sicut arma fiunt ad distinguendum exercitus, et tamen ut plurimum confunduntur, quando sunt in bello; sic etiam est nobis, quamdiu sumus in conflictu hujus vitae praesentis miseriae. Exemplum est de habitu religionis, qui est signum bonitatis; tamen communicant etiam in hoc boni cum malis, et carnales cum spiritualibus, et amantes mundum cum contemnentibus." *4. dist. 6. p. 1. a. 1. q. 2 ad 3.*

[7] „Character est signaculum sacramentale a Deo impressum. Quia signaculum sacramentale, ideo gratiam significat, et non tantum significat, imo aliquo modo praeparat, quia usus sacramentorum non tantum est in significando, sed in efficiendo quodammodo. Et quia gratiam significat, et ad gratiam disponit; ideo habet aliquam similitudinem cum gratia, quae est similitudo Dei; ideo aliquo modo configurat Deo. Et quia omnes configurat uni, ideo assimilat etiam gregem Domini inter se; et per hoc distinguit ab his, qui non sunt de grege, vel etiam distinctionem facit in eodem grege secundum aliam et aliam rationem assimilandi." *Ibid. in concl.*

CAPUT VII.

De integritate baptismi.

(Ad baptismi integritatem requiritur expressio Trinitatis in forma vocali, — trina ablutio, — simultanea applicatio materiae, et prolatio formae ab uno et eodem, — et elementum aquae indifferenter. — In eo datur gratia regenerans, — rectificans, — purificans. — Adulto est necessaria fides propria et poenitentia, — parvulo sufficit fides Ecclesiae: — utrique sunt exorcizandi, — et catechizandi.)

Jam nunc septimo loco restat videre de integritate uniuscujusque sacramenti, quae cum sint in numero septiformi, primo dicendum est de baptismi integritate [1], quod est janua omnium aliorum sacramentorum. De integritate igitur sacramenti baptismi [2] hoc tenendum est, quod ad hoc, quod aliquis baptizetur vere et plene, requiritur expressio formae vocalis a Domino institutae, quae est haec: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen (Matth. 28, 19),* absque omissione vocabuli, et sine interpositione vocabuli, absque praeposteratione ordinis supradicti, et sine commutatione nominis praenotati [3]. Requiritur etiam [a] mersio [b], vel ablutio [4] per elementum aquae in toto corpore, vel saltem in digniori parte [5]; ita quod expressio et mersio fiat ab uno et eodem, et in eodem tempore, quibus concurrentibus, si non sit [c] fictio [6] in baptizando [7], datur ei gratia regenerans [8] et [d] rectificans et purificans ab omni culpa [9]. Quod ut efficacius fiat, catechismus et exorcismus, tanquam praeparatorii, praemittuntur tam in parvulis, quam in adultis; ita tamen quod in adultis requiritur fides propria, in parvulis [e] sufficit fides aliena (I).

a) Etiam om. ed. 1484.
b) Immersio ibid.
c) Sit ibid.
d) Et om. ibid.
e) Autem add. ibid.

(I) Circa sacramentum baptismi nonnulli passim errores irrepsere. Ut autem aliquo ordine eos enumeremus, seorsim indicabimus errores circa baptismi essentiam, necessitatem, materiam, formam, ministrum, subjectum et effectum. Circa baptismi essentiam errarunt quidam ex Donatistis, potissime vero Protestantes, qui effutierunt baptismum Joannis nihil differre a baptismate Christi, dum e contra essentiale discrimen inter utrumque intercedit ratione tum auctoris, tum virtutis, tum signi, seu ritus sensibilis. Porro contra eos definivit Conc. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 1:* „Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi; anathema sit." — Ipsemet Baptista Pharisaeis interrogantibus respondit apud Joan. 1, 32: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Cfr. *S. D. 4. dist. 21. a. 2;* et *Comment. in Joan. c. 1. v. 28.*

Circa baptismi necessitatem Pelagiani primo, quibus processu temporis adstipulati sunt Waldenses, Calvinistae et Sociniani, baptismum minime necessarium ad aeternam salutem autumarunt, contra constantem doctrinam Ecclesiae, quae tenet ipsum sacramentum necessarium omnino esse necessitate medii quoad parvulos, necessitate vero praecepti quoad adultos, quibus sufficiens Evangelii notitia fuerit pervulgata, aut in re aut in voto. Siquidem Conc. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 5* definivit: „Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit."

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est, quia cum principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, tamquam perfectissimum et sufficientissi-

Circa baptismi materiam, cum ea duplex sit, nimirum remota, quae est aqua, et proxima, quae consistit in ablutione, duplex pariter invaluit error. Nam quoad materiam remotam, eam prorsus rejecerunt Manichaei; Flagellantes saec. XIV aquae sanguinem suffecerunt; Protestantes quidquid balnei loco esse potest, materiam idoneam baptismi censuerunt; denique Sociniani nonnisi aquam metaphoricam requirebant. Contra omnes autem est definitio Conc. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 2:* „Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto (Jo. 3, 5);* ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.“

Circa materiam proximam, seu ablutionem, Graeci schismatici, apud quos ritus immersionis adhuc viget, Ecclesiam Latinam accusant, eo quod, immersione omissa, per infusionem, seu ablutionem, baptizet, eoque temeritatis devenerunt, ut nullum omnino esse contendant baptismum per ablutionem collatum. Verum contra eos Concil. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 3*: „Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam; anathema sit.“ Ex parte proinde juris est veritas de fide: ex parte autem facti certa omnino est, uti ex baptismate clinicorum, ex multis exemplis, quae in historia ecclesiastica passim leguntur, et ex agendi ratione eorumdem Graecorum conjici potest. Gravissimis autem causis inducta Ecclesia Latina a saeculo saltem tertiodecimo ritui immersionis ritum ablutionis, seu potius effusionis, substituere coepit. Siquidem tempore Seraphici ritum immersionis alicubi in desuetudinem abiisse ex eo patet, quod expresse ipse doceat, *4. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2,* posse utroque modo baptizari. Immersionem tamen suo tempore adhuc viguisse et communiorem fuisse ibidem his verbis testatur: „Mos tamen communis Ecclesiae est baptizare immergendo.“ Cfr. inferius *not. 4.* hujus capitis.

Circa baptismi formam, praetermissis antiquis Gnosticis ac Valentinianis, qui eam essentialiter corruperant, Zwingliani, Calvinistae ac Sociniani ipsam minime necessariam habent, licet in praxi eam servent. Sed contra est Concil. Trident. *sess. 7. de bapt. can. 3* superius relato, et *can. 4*: „Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti etc. . . . non esse verum baptismum; anathema sit.“ — Synodus Pistoriensis, praetextu adhaesionis ad antiquos canones, in casu dubii baptismatis propositum suum declaravit de omittenda formae conditionalis mentione. Hanc deliberationem Pius VI in Const. *Auctorem fidei cens. 27,* temerariam, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contrariam declaravit.

Circa baptismi ministrum, quum triplex distinguatur baptismi administratio, nempe solemnis, publica et privata; et collationis solemnis ordinarius minister sit Episcopus; publicae ordinarius sit sacerdos, extraordinarius vero diaconus; privatae autem in necessitatis articulo quilibet, sive clericus sive laicus, sive mas sive femina, imo sive fidelis sive haereticus et infidelis; Calvinistae negant baptismum a laico, praesertim vero a muliere, etiam in casu necessitatis collatum, esse validum. Contra tamen est Concil. Lateran. IV cap. *Firmiter:* „Sacramentum baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis . . . consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem.“ Et Eugenius IV in *Instruct. pro Armenis:* „In casu necessitatis non solum sacerdos, vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.“ Vide Seraph. *4. d. 5. a. 1* et *2.*

Contra baptismi subjectum, praetermissis Petro de Bruis, ejusque discipulo Henrico Tolosano, haereticis saec. XII, quidam ex Protestantibus ex principio de sola fide justificante intulerunt infantes, quia fidei incapaces, nullo modo baptismum valide suscipere. Lutherus autem, quem Erasmus Roterodamus edocuerat, autumavit pueros, cum adoleverint, interrogandos esse, an velint necne ratam habere professionem in baptismo expressam. Quod si nolint, minime inquietandos esse censuit, sed tantummodo a sacramentorum perceptione arcendos. Porro contra Anabaptistas Concil. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 12:* „Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.“ Et *can. 13:* „Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.“ Contra Lutherum Concil. Trid. *sess. 7. de bapt. can. 14:* „Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab eucharistiae, aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.“

Circa baptismi effectus, quidam haeretici per defectum, quidam per excessum peccarunt. Siquidem Manichaei baptismum nihil ad salutem conferre arbitrati sunt; et nonnulli ex modernis haereticis effutiunt

mum principium, reparare habeat genus humanum per medicamenta sacramentorum, ita quod nihil sit in eis superfluum, nihil inordinatum, nihil etiam diminutum; ita disponere debuit, quod sacramentum baptismi et alia integrarentur [f], secundum quod exigebat sua virtus, nostra salus et etiam noster morbus. Quoniam ergo virtus nos reparans est virtus totius Trinitatis, quam sancta mater Ecclesia credit in animo, confitetur in verbo, et profitetur in signo sub trium personarum distinctione et proprietate, ordine et origine naturali, est etiam virtus passionis Christi, qui mortuus et sepultus fuit et die tertia resurrexit [10]; hinc est, quod ad horum expressionem in sacramento baptismi [g], quod primum omnium sacramentorum est, et in quo primo et principaliter haec virtus operatur, debuit fieri expressio Trinitatis distincta [11], propria et ordinata nominatione [12], quantum est de forma communi; licet in tempore primitivae Ecclesiae potuerit fieri in nomine Christi [13], in quo intellectus clauditur totius Trinitatis. Debuit etiam fieri propria et ordinata nominatio verbi baptizandi [14], cum trina mersione, ad expressionem mortis Christi et sepulturae et resurrectionis post triduum factae *(Rom. 6, 3—5)*, quantum est de congruitate [15]. Et quia simul operatur utraque virtus, et in uno Christo Salvatore, utrumque horum debet fieri ab uno et eodem simul [16], et eodem tempore [17], propter servandam unitatem in sacramento, et significandam unitatem [h] in nostro mediatore.

f) Reintegrarentur ibid.

g) Ex cit. edit. et Ven.: in cet. om.

h) Trinitatem ed. 1484.

Rursus, quoniam salus nostra requirebat inchoari per regenerationem seu renovationem in esse gratiae conferentis spirituale esse, abstergendo immunditiam, effugando [i] tenebras, et refrigerando concupiscentiam, quae universaliter labefactat [j] omnem hominem descendentem seminaliter ab Adam; hinc est, quod sacramentum primum, quod est regenerativum, debuit fieri in elemento, quod haberet conformitatem ex naturali repraesentatione ad triplicem effectum praedictum gratiae inchoantis nostram salutem [18]. Quoniam ergo aqua sua puritate mundat, sua pervietate seu [k] diaphaneitate luminis est delativa, sua frigiditate refrigerat, et maxime communis est omnibus inter omnia liquida;

i) Fugando ibid.

j) Labefecerat ibid.

k) Pervietate seu om. ibid.

baptismum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae *(vide super. cap. V. huj. part. not. I)*. Huc etiam refertur error ille Armenorum a Benedicto XII damnatus, quo asserebant ad aeternam puerorum salutem et baptismi iis collati validitatem, praeter confirmationis sacramentum, eucharistiam quoque iisdem esse administrandam. Protestantes vero fere omnes autumarunt per ipsum sacramentum peccatum originale non tolli, sed tantum tegi, vel radi, aut etiam non imputari: nonnulli praeterea ex recentioribus baptismum nonnisi ut in fidelium caetum homines cooptentur, ordinatum fuisse asseverant. Ast contra primum Protestantium errorem est *can. 5. sess. 5* Concil. Trid.: „Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit.“ Contra secundum est *can. 6. sess. 7* ejusdem Concilii: „Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.“

Verum ipsimet Protestantes ex haeretico principio, quo fides est ratio omnis justificationis, quum ea excitetur per baptismum, contendunt per ipsum non modo peccata commissa non imputari, verum etiam hominem impeccabilem fieri, aut saltem peccata mortalia per baptismum fieri venialia; cum autem aliquis a fide defecerit, in eo baptismum iterandum, ut fides denuo excitetur. Quos errores Conc. Trid. proscripsit *sess. 7. de bapt. can. 6:* „Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.“ Et *can. 10:* „Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.“ Et *can. 11:* „Si quis dixerit, verum et rite collatum baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.“

hinc est, quod sacramentum regenerationis nostrae perfici debuit in elemento aquae [19] indifferenter [20], quia omnis aqua omni aquae est eadem specie [l], et etiam ne [m] aliquis propter defectum elementi periculum salutis incurrere posset.

l) Elementi add. ibid.

m) Ne ibi ibid.

Postremo, quoniam morbus noster, contra quem principaliter est baptismus, est originale peccatum, quod animam privat vita gratiae, et omnium virtutum rectitudine habilitante, et pronam quodam modo reddit ad omne genus culpae, et traducitur aliunde, et parvulum facit concupiscibilem, et adultum actu concupiscentem, redigit etiam in diabolicam servitutem, et in potestatem principis tenebrarum; hinc est, quod ad hoc, quod per illud sacramentum per contrarium sufficiens adhibeatur remedii medicamentum, congruit in eo dari gratiam regenerantem [21] contra privationem vitae gratuitae [22], gratiam rectificantem in septiformi virtute contra privationem virtutis habilitativae, gratiam purificantem ab omni culpa contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam [n] [23].

n) Inclinantem add. ibid.

Et quoniam originale peccatum trahitur aliunde, et parvulum facit concupiscibilem, et adultum actu concupiscentem, necessaria est adulto fides propria [24] et poenitentia [25], sed parvulo sufficit aliena*), quae scilicet est in universali Ecclesia [26]. Quia vero baptismus debet eruere a [o] servitute diaboli, et de potestate principis tenebrarum tam parvulos [27] quam adultos (II); hinc est, quod utrique exorcizari debent ad expulsionem potestatis contrariae [28], utrique etiam catechizari [29]: adulti, ut expulsa caligine erroris informentur ad fidem, parvuli vero, ut sciant patrini [30], quid eos debeant edocere, ne pro humano defectu impediatur [p] baptismatis sacramentum, quo minus habeat finem suum [31].

o) De ibid.

p) Impediantur ibid.

*) Ecclesia tum consuetudine, tum legibus semper cavit, ne infidelium infantes, invitis parentibus vel tutoribus, baptismo abluerentur, nisi essent in extremo mortis discrimine constituti, vel parentes eos exposuerint, aut penitus dereliquerint. Ratio praecipua hujus modi agendi ex eo procedit, quod infantes, usquedum ad usum rationis pervenerint, ex jure naturali non sunt sui juris, sed sub parentum tutela; et idcirco hujusmodi actio esset contra jus naturale. Alterutro tamen parente consentiente, quantumvis patriae potestatis jura matri non competant, baptizari possunt; quod licitum etiam est, si avus nepotes ad baptismum offerat, eorum parentibus invitis. Baptismus autem invitis parentibus collatus, etsi illicitus, validus est censendus. „Offeruntur enim, ut ait S. Augustinus in *Epistola ad Bonifac. n. 5,* ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offerantur, et quorum sancta et individua caritate ad communionem sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo mater Ecclesia, quae in sanctis est, pueros gestat et offert, quia tota omnes, tota singulos offert.“ Cfr. Benedictum XIV in Const. *Postremo mense* 28 februarii 1747; et *De Synodo Dioecesana lib. 6. cap. 4. n. 2.*

(II) Quantum ad effectum baptismi in parvulis, aliquando quidam theologi opiniones contrarias habuerunt, quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis culpam quidem remitti, sed gratiam non conferri, aliis e contra asserentibus, quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. De hac re in Conc. Oecum. Viennensi Clemens V ita definivit: „Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.“

Ad Caput VII.

[1] „Distinguitur triplex baptismus, scilicet flaminis, fluminis et sanguinis. In baptismo flaminis, qui est per poenitentiam et Spiritus sancti gratiam, purificamur a culpa. In baptismo fluminis purificamur a culpa et a satisfactoria poena. In baptismo sanguinis purificamur ab omni miseria. Non sunt autem baptismus flaminis et sanguinis sacramenta, cum in eis deficiant, quae conveniunt sacramento, scilicet repraesentatio ex similitudine, significatio ex institutione, et sanctificatio ex verbi prolatione.“ *Centil. p. 3. sect. 48.* — „Baptismus flaminis sine baptismo fluminis sufficit, dummodo sit impeditus, et habeat voluntatem recipiendi baptismum fluminis.“ — *„Omnis, qui vivit et credit*

in me, non morietur in aeternum (Jo. 11, 26); sed justi credunt, et fideles sunt, antequam baptizentur; ergo si moriantur in tali fide, non moriuntur in aeternum.“ — „Gratia gratum faciens est dispositio sufficiens ad salutem; dispositio autem ad gratiam est in toto corde ad Deum redire et ab errore discedere; et hoc totum potest esse per Dei gratiam sine baptismo fluminis; ergo aliquis solo Spiritus sancti baptismate salvari potest.“ — Item propter quod unumquodque tale, et illud magis*); sed baptismus fluminis sive aquae non sanctificat nisi per Spiritum; ergo Spiritus magis sanctificat, et facit dignum vita aeterna. Si ergo aliquis habeat baptismum flaminis sine aqua, habet sanctificationem; et qui hoc habet, habet quod sufficit ad salutem; ergo etc. Si tu dicas, quod nemo potest habere baptismum flaminis, nisi prius baptizetur baptismo aquae, ostenditur esse falsum; primo quia Deus nullum obligat ad impossibile, et iterum nulli se negat requirenti ipsum. Si ergo aliquis, qui non potest baptizari, ad Deum convertitur, Deus convertitur ad ipsum; sed hoc non est nisi per collationem Spiritus sancti, et hoc est baptizari baptismo flaminis; ergo ille potest haberi sine alio.“ — „Dicendum, quod baptismus flaminis et baptismus fluminis uterque est necessarius ad salutem. Sed primus est necessarius, non quia sit in praecepto, sed quia sine illo nullus liberatur a peccato. Et quoniam omnes peccatores nascimur, et nullus salvari potest, nisi liberetur a peccato; ideo nullus sine baptismo flaminis, neque parvus neque magnus, potest salvari. Baptismus autem fluminis, sive aquae, est necessarius, quia Deus instituit, et quia instituit sub praecepto. Et quoniam quae praecepta sunt, sunt necessaria ad salutem; ideo talis baptismus est ad salutem necessarius. Sed quoniam Deus neminem obligat ad impossibile ex suo praecepto, ut dicit Hieronymus, et iterum quod quis non potest facere, si velit facere, reputatur ei pro facto, sicut dicit Glossa super illud Psalmi *(57, 3): Etenim in corde iniquitates operamini etc.;* quod non potes facere, et vis, Deus factum reputat; ideo baptismus aquae non sic est necessarius, quin, si adsit voluntas, et desit possibilitas, non salvetur aliquis sine ipso. Concedendum est ergo, quod baptismus flaminis sine baptismo fluminis sufficit, dummodo homo habeat voluntatem, et praepediatur, ut ante mortem non recipiat, praepediente necessitate, sicut ostendunt rationes ultimae. Concedendum est nihilominus, quod nullus sine hoc potest salvari, si possit et negligat baptizari. Et hoc est, quod dicit Augustinus *(l. 4. contr. Donat. c. 25),* quod quis potest salvari non percepto sacramento baptismi, sed non potest baptismi sacramento contempto. Tunc autem contemnit, cum baptizari potest, et locus et tempus se offert, et negligit; et tunc etiam privatur baptismo flaminis, quia a gratia cadit . . . Ad illud, quod objicitur de parvulo, quod tunc parvulus maxime non baptizatus potest salvari, dicendum quod parvulus, si haberet baptismum flaminis sine baptismo aquae, nunquam damnaretur. Quod ergo damnatur, hoc est quia privatus baptismo aquae, caret gratiâ Spiritus sancti, quia aliter ad gratiam non potest disponi, quantum est de jure communi, nisi Deus faciat de privilegio speciali, sicut in sanctificatis in utero. Sed adultus, de sententia communi, potest per fidem et dolorem de peccatis ad gratiam disponi, secundum illud *(Ezech. 33, 12, 15): Quacumque hora ingemuerit peccator, vita vivet etc.* Unde non est simile, quia unicuique plus valet fides sua quam aliena, et ita adulto plus valet voluntas sua quam parvulo voluntas aliena. Nec damnatur parvulus propter transgressionem praecepti, sed propter culpam originalis, quae remanet non deleta.“ *4. dist. 4. p. 2. a. 1. q. 1. fund. concl. et ad 3.* — „Baptismus sanguinis excedit intensive baptismum fluminis, baptismus vero fluminis excedit extensive.“ — Processus est ab imperfecto ad perfectum; sed a baptismo aquae ad baptismum sanguinis, sive martyrii, recto ordine proceditur, et non retroceditur; ergo ille baptismus, in quo est status perfectionis, est dignior.“ — „Item, quod proximius est fini, est certius et efficacius; et quod ponit in altiori gradu, illud est simpliciter nobilius et melius; et tale est baptismus sanguinis, quia statim introducit in gloriam sine impedimento, nec tantum acquirit gloriam, imo gloriam eminentem; ergo etc.“ — „Dicendum, quod dignitatis praeeminentia in his baptismatibus conspicitur ex consideratione effectuum eorundem. Utriusque autem effectus, scilicet sanguinis et fluminis, est in liberando a malo, et in ordinando ad bonum, et utroque modo se habent sicut excedentia et excessa. Nam major effectus, sive efficacia in liberando a malo, potest esse vel extensive vel intensive. Si extensive, baptismus aquae excedit, quia plures personas liberat, et a pluribus morbis, quia a peccato mortali et veniali. Baptismus autem sanguinis liberat paucos, et solum a veniali liberat, a mortali non, quia praesupponit caritatem, aliter nihil valeret ad salutem. Similiter in ordinando ad bonum major potest excessus attendi dupliciter, aut extensive, aut intensive. Si extensive, sic praecellit baptismus aquae, quia dat gratiam gratis datam, scilicet characterem, et gratiam gratum facientem, quae disponit ad gloriam et praemium essentiale. Baptismus autem sanguinis gratiam gratum facientem non tribuit, sed consummat; nec tribuit characterem, per quem distinguitur anima, et praeparatur ad gratiam. Utroque modorum praedictorum baptismus sanguinis excedit intensive, sicut exceditur extensive. Nam efficacius et melius liberat a malo culpae et poenae, quia omne resecat et secundum potentiam et secundum actum. Similiter efficacius ordinat ad bonum, quia statim introducit in gloriam; et perfectiorem et gloriosiorem hoc baptismo baptizatus consequitur palmam. Respondendum est ergo ad quaestionem praedictam, quod se habent sicut excedentia et excessa. Si tamen quaeras, quod magis praecellat, credo quod baptismus martyrii, sicut ostendunt rationes inductae . . . Ad illud quod objicitur, quod baptismus aquae habet efficaciam a passione Christi; ergo etc.; dicendum quod argumentum illud deficit dupliciter. Primo, quia passio Christi non operatur ibi secundum totam suam virtutem; secundo etiam, quia baptismus martyrii efficaciam habet a passione Christi, nullum enim martyrium efficax est nisi per illam. Unde scribitur de martyribus *(Apoc. 7, 14): Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni,* non tantum in suo, sed etiam Agni. Ratio

*) Ex gr. id quod est ratio diligendi, magis diligitur quam id, quod propter hanc rationem diligitur. Item principia, quae sunt ratio cognoscendi, magis cognoscuntur.

autem, quare efficaciam habeat majorem, est quia in baptismo sanguinis amplior et plenior est imitatio et professio passionis Christi, quam in baptismo aquae; nam ibi est professio verbo et signo sine actu, hîc autem non solo signo et actione, sed et passione. Unde in baptismo aquae mors significatur, hîc autem suscipitur; unde quia expressior est ibi professio fidei, ideo efficacior. Unde Augustinus loquens ad Fortunatum *(de eccl. dogm. c. 74)* de comparatione horum baptismatum, dicit: Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore. Ille post professionem aspergitur aqua, hic aspergitur sanguine. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti. Et ita patet, quod illud praecellit." *Ibid. q. 2. fund. concl. et ad 2.* — „Baptismus sanguinis non est sacramentum, quia deficiunt ei omnia, quae sunt de ratione sacramenti, scilicet repraesentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex verbi prolatione" ... „Sacramentum est signum expressivum ejus, quod fit interius; sed sanguis potius corpus inficit, quam purificet; ergo cum interius anima non inficiatur, sed purificetur, baptismus sanguinis non est sacramentum." — „Item sacramentum novae legis efficit aliquid, sive confert aliquid interius aliquo modo; sed sanguis exterior et persecutio exterior non efficit interius, sed potius recipit bonitatem ab interiori; ergo etc." — „Item omne sacramentum est institutum, quia ex institutione figurat; hoc autem non est institutum; ergo non est sacramentum." — „Ad illud quod objicitur, quod participat nomen speciei, participat nomen generis etc.; dicendum quod verum est, secundum quod baptismus nominat speciem sacramenti; et hoc quidem facit, dum accipitur pro signo visibili. Sed baptismus non tantum dicitur ablutio exterior, sed etiam purificatio interior; et haec non est species sacramenti, quoniam haec est non tantum in baptismo fluminis, sed etiam flaminis et sanguinis. Unde quia uterque purificat, ideo non absurde uterque baptismus dicitur. Et hoc auctoritate sacrae Scripturae probatur. Nam de baptismo martyrii dicitur *(Luc. 12, 50): Baptismo habeo baptizari etc.;* et de baptismo flaminis habetur *(Act. 1, 5): Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ad illud quod quaeritur, quare martyrium dicitur magis baptismus sanguinis quam ignis, vel alterius elementi, cum omnibus sint Sancti passi, dici potest, quod in martyrio ponitur vita carnis, et vita illa in sanguine est, secundum quod dicitur in lege Moysi; vel dicendum quod hoc dicitur, quia omne genus martyrii ibi habet finem; nam ab omnibus aliis legimus Sanctos interdum liberatos, praeterquam a poena gladii. Si quaeratur ratio hujus, potest dici, quod hoc genus poenae est a mala voluntate hominis immediate, sed alia genera poenarum sunt a creaturis operantibus naturaliter. Et quoniam martyr Deo obtemperat, congruum est, ut ei ad manifestationem divinae bonitatis et in testimonium suae virtutis obtemperent cetera operantia per naturam. Mala autem voluntas contra Deum nititur, et Domino resistere vult, et justo Dei judicio sinitur male agere cum vult; et ideo nec est congruum, ut martyri subjiciatur, nec quod carnifex a malo prohibeatur. Vel ideo Deus ceteros martyres huic poenae subjacere disposuit, ut nullus evadat. Magis enim congruebat de hac quam de alia, quia ab hac Unigenitum non eripuit; quid ergo mirum est, si alios non eripit, ne forte servus videatur major domino suo? Prima tamen ratio videtur melior." *Ibid. q. 3. fund. concl. et ad 3 et 4.*

[2] „Cum in baptismo sint tria, quoddam est sacramentum tantum, ut elementum visibile; quoddam res tantum, sicut gratia curans; quoddam, quod est sacramentum et res sacramenti, ut character. De re sacramenti dicitur communiter, de re et sacramento dicitur proprie, de sacramento autem dicitur magis proprie, sed de lotione adhuc magis proprie, et de elemento sub tali actu maxime proprie; et secundum has quatuor acceptiones quadrupliciter diffinitur. Secundum quod baptismus est nomen elementi significantis et sanctificantis virtute verbi, diffinitur ab Hugone: Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata. Secundum quod pro actu, vel usu elementi, a Magistro diffinitur sic: Baptismus est tinctio corporis exterior, facta sub forma verborum praescripta. Secundum quod accipitur pro sacramento et re sacramenti, quae est character, sic a Damasceno *(l. 4. c. 4)* diffinitur: Baptismus est vitae spiritualis principium, sigillum et custodia et illuminatio mentis. Et tangitur quadruplex conditio characteris, quia enim praeparat ad gratiam, ideo principium vitae; quia distinguit gregem Domini, sic sigillum; quia indelebiliter perseverat, sic custodia; quia specialiter disponit ad fidem, dicitur illuminatio mentis. Secundum quod accipitur pro re sacramenti, diffinitur a Dionysio *(de cael. hier. c. 3):* Baptismus est regenerationis sacramentum, secundum quod primitus subsistit in anima, spiritualiter formans animales motus ad opportunitatem divinorum eloquiorum et actionum, et ad caelestis quietis anagogon iter faciens. In hac diffinitione tangitur res hujus sacramenti, quae est gratia animam vivificans, cum dicit: Secundum quod primitus subsistit in anima. Tangitur etiam habilitatio potentiae per virtutem, primo ad activam, cum dicit: Formans animales motus; secundo ad contemplativam, cum dicit: Ad caelestis quietis anagogon." *4. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1. ad 3.*

[3] „Impedit baptismum in forma mutatio nominis et numeri, additio distrahens, corruptio auferens sensum, et interpositio actum discontinuans. Aliter hi modi non impediunt, neque transmutatio errorem non inducens." — „Quod mutatio impediat, videtur, quia virtus data est illis verbis, et non aliis; ergo etc." — „Item, quod additio impediat, videtur, quia si nihil licet addere canoni Scripturae, multo fortius nec formae sacramenti. Praeterea patet per illud, quod dicitur: *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plagas etc. (Apoc. 22, 18)*". — „Item quod corruptio impediat, videtur, quia verba corrupta aut nihil significant, aut aliud significant, ut patet, cum dicitur patria; sed necessaria sunt verba significantia; ergo etc." — „Item de transmutatione videtur, quia sicut de integritate fidei est numerus personarum, ita ordo professionis; ergo sicut mutatio numeri impedit, ita et ordinis. Item de interpositione videtur, quia baptizare est unus actus continuus; ergo si discontinuatur, necesse est reincipi, aut non erit unus; et ita nec baptismus." — „Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod qualitercumque fiat variatio, dum tamen omnes personae exprimantur, integrum est sacramentum. Aliorum positio fuit, quod necesse est

omnimodam identitatem servari, quantulacumque enim variatio in forma facit non esse sacramentum. Sed utraque istarum positionum respuenda est, quaelibet enim excedit. Unde dicendum, quod aliqua variatio impedit, aliqua non. Variatio enim mutationis impedit, sive fiat ex certa scientia, sive alio modo. Mutatio, inquam, nominis, ut si dicatur: In nomine genitoris et geniti; quia alius modus est exprimendi Trinitatem per nomina principalia, alius per nomina non principalia. Mutatio etiam numeri impedit, ut si dicatur: Baptizo te in nominibus; quia alia est sententia. Ad illud ergo, quod objicitur, quod idem significant, dicendum quod attendendus est modus significandi, quia data fuit virtus nominibus exprimentibus Trinitatem, et hoc principaliter secundum omnem linguam. Quod ergo objicitur, quod magis conveniunt, quia in eadem lingua, dicendum quod, etsi magis quantum ad modum loquendi, non tamen magis quantum ad modum significandi. In nomine enim est considerare vocem, notamen sive expressionem, et significationem. Quantum ad primum magis conveniunt, sed quantum ad secundum minus, quantum ad tertium aequaliter. Et virtus regenerationis data est ratione notaminis, sive quantum ad rationem innotescendi, a qua imponitur nomen; et haec est eadem apud omnes. De additione dicendum, quod aut est additio vocis distrahens intellectum, et haec impedit, si oppositum addatur, ut si dicatur: Patris geniti; aut salvans, ut Patris ingeniti, et tunc non impedit, nisi velit inducere errorem. Quod objicitur de comminatione Apocalypsis, intelligitur de additione distrahente. Ad illud, quod quaeritur de corruptione, dicendum quod corruptio aut est tanta, quod nullo modo tenet sensum, et tunc omnino impedit: aut non est tanta, quin bene maneat, sicut de puero balbutiente intelligitur; et tunc dicendum, quod non impedit, nisi velit inducere errorem. Quod ergo objicitur, quod voces non significant, dicendum quod, etsi non significent ex institutione, significant tamen ex accommodatione usus, ut olli pro illi. Ad id, quod quaeritur de transmutatione, dicendum quod si fiat simpliciter, sine erroris dogmatizatione, non impedit. Et ratio hujus est, quia ordo intelligitur in ipsis verbis, quod Filius a Patre procedat; et sic non oportet exprimere ordinem, sicut nomina personarum ... Ad illud, quod objicitur de interpositione, sive intermissione, dicendum quod aut est tanta intermissio, quod discontinuet intentionem, et longam faciat moram, utpote si longum facit sermonem; ... et tunc necesse est, quod reincipiat. Sed si intervenit parva morula, oblivione vel sternutatione, non discontinuatur actus, nec oportet reincipere." *4. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 3. fund. concl. et ad 1—5.*

[4] „Praesumitur, quod Apostoli baptizaverint aspergendo, et mos ille servatur adhuc in pluribus ecclesiis, et maxime in ecclesia gallicana. Servari autem potest propter hoc, quod est ibi integra ratio sacramenti. Et servari debet, cum necessitas imminet, aut propter infirmitatem baptizantis, quia manus sunt debiles; vel quia rudis est, timetur, ne laedat puerum; vel propter infirmitatem, vel impotentiam baptizati, utpote si non esset totus natus; vel propter penuriam elementi, ut si sit modicum de aqua. Mos tamen communis Ecclesiae est baptizare immergendo, secundum quod tangit Magister in littera, et Sancti dicunt. Et modus est iste. Sacerdos enim debet puerum tenere per latera, et versa facie ad aquam debet mergere, ita quod habeat caput primo versus orientem, secundo versus aquilonem, tertio versus meridiem. Haec tamen ad solemnitatem spectant. Potest igitur utroque modo baptizari, tamen convenientius et aptius et securius est baptizare immergendo: et si satis est de aqua, totum corpus debet immergi; si parum, sufficit, si sit tantum de aqua, quod immergi possit pars principalis, ut caput et pectus, vel caput tantum, vel facies tantum, quia sunt ibi omnes sensus, et ibi maxime viget operatio animae, et secundum illam maxime attenditur ratio imaginis secundum corpus, qualecumque sit, et ratione totalitatis sensuum signat totalitatem mortis et curationis." *4. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2.*

[5] „Baptismus non potest dari existentibus in utero ... Ratio sumenda est ex parte sacramentalis remedii. Quia enim sacramentale remedium respicit operationem Ecclesiae, et operatio Ecclesiae non se extendit ad parvulum nisi extra uterum; ideo nullo tempore, nec fide parentum, nec aliquo sacramento justificatus est parvulus antequam natus, quantum est de lege communi, quia Deus decrevit salvare puerum per sacramentum vel aliquid, quod sit loco sacramenti. Ad hoc autem intelligendum est notandum, quod triplex status distinguitur in homine post animae infusionem. Primus est in utero, secundus extra uterum in statu infantiae, tertius in statu naturae adultae. In primo statu manifestus est Deo, in secundo manifestus est nobis, in tertio manifestus est sibi. In primo ergo statu, cum soli Deo sit notus, potest per ejus voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiae. In secundo statu, quia notus est Deo et Ecclesiae, remedium potest habere a Deo, cooperante adjutorio alieno, non suo. In tertio statu, cum sit omnibus modis notus, scilicet Deo et sibi et Ecclesiae, potest omnibus his modis adjuvari, ut non tantum Deus sua virtute faciat, sed etiam adjuvet fides aliena quantum ad sacramentum, et fides et devotio propria. Prima ergo sanctificatio est per divinam voluntatem, et pertinet ad singulare privilegium. Secunda vero est per legem datam, sicut patet in circumcisione, patet etiam in baptismate, cum dictum sit: *Nisi quis renatus fuerit etc. (Joan. 3, 5).* Tertia est per legem inditam, quam Deus indidit, ut ad Deum recurrat homo petere veniam pro offensa. Et prima quidem est paucorum, ut puta illorum, quos deputat ad aliquod magnum officium; et est praeter legem communem. Ita enim decrevit divina justitia, ut, quantum est de lege communi, non relevetur qui cecidit, nisi aliqua dispositio occurrat: et parvulus quidem sicut per alium cecidit, ita potest per alium relevari disponendo, ut puta per fidem alienam; adultus autem per propriam, sicut per propriam voluntatem peccavit. Quia vero in utero non potest per fidem alienam, vel per sacramentum adjuvari, quoniam non est de foro Ecclesiae, nec nobis notus, et hoc decrevit Deus de lege communi; ideo nullus in ventre purificatus est, nisi de privilegio speciali. Quoniam igitur baptismus respicit legem communem, et legem datam; ideo non debet quis in utero baptizari, nec potest" *). *4. dist. 6. p. 2. a. 1. q. 1.*

*) Quaestioni „an possit valide baptizari puer in utero ma-

[6] „Fictus accedens ad baptismum recipit sacramentum, sed non rem sacramenti.“ — „Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod fictus accedens ad baptismum recipit sacramentum et rem pro instanti illo, quo baptizatur, ut verificetur illud Apostoli *(Gal. 3, 27): Quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis;* sed statim post recedunt vitio fictionis: et hoc dicunt Augustinum sensisse. Sed Magister hoc improbat in littera, et ostendit Augustinum sensisse contrarium. Et propterea aliter est dicendum, quod ficte accedens recipit sacramentum, et non rem. Fictus autem dicitur ille, qui aliud exterius praetendit, aliud habet interius. Talis est, qui exterius se corporaliter subjicit, sed interius voluntate adversatur. Unde cum triplex sit potentia interior, tripliciter potest adversari, aut discredendo quantum ad rationalem, aut malum appetendo quantum ad concupiscibilem, aut sacramentum contemnendo quantum ad irascibilem; et in tali non habet effectum sacramentum, quia Deus nulli invito dat justitiam, nec gratiam, alioquin non esset justitia; et per hoc patet, quod objicit de causa.“ *4. dist. 4. p. 1. a. 2. q. 2.* — „Baptismus, cum imprimat characterem in ficte accedente, recedente fictione, consequitur effectum suum, cum non sit iterabile sacramentum.“ — „Sacramentum baptismi, cum non sit iterabile, imprimit characterem, et ille habet omnem efficaciam, recedente fictione, quam habuisset ante. Unde peccata illa remittit quantum ad poenam et culpam, quae praecesserunt; quae autem post commisit, virtute poenitentiae remittuntur, et pro illis est poenitentia imponenda. Ad illud ergo quod primo objicitur, quod opera mortua non vivificantur; dicendum, quod baptismus non est opus hominis, sed Dei; et ideo nunquam potest esse mortuum. Illud autem, quod dicitur de operibus mortuis, intelligitur de operibus nostris. Ad illud quod objicitur, quod causa debet esse conjuncta effectui, dicendum quod character semper manet, et illud efficit, quod faceret gratia, fictione recedente. Ad illud quod objicitur de sacramento eucharistiae, patet responsio, quod non valet, tum quia transit, et nihil relinquit gratis datum disponens ad gratiam gratum facientem, tum etiam quia est iterabile. Ad illud quod objicitur de eo, qui medio tempore commisit, dicendum quod omnia remittuntur ei, sed non reportat commodum; quoniam tam de fictione quam de peccatis post perpetratis est ei poenitèntia imponenda. Et sic patet totum.“ *Ibid. q. 3.*

[7] „Invitus coactione sufficienti, vel inducenti cum delusione, et absque intentione, non recipit baptismum, licet inductus cum intentione permittendi id erga se fieri, quod intendit Ecclesia, sit baptizatus.“ — „Coactio duplex est, scilicet sufficiens et inducens. Si aliquis mergatur coactione sufficienti, utpote cum violenter acceptus est, et ipso renitente, manibus et pedibus mersus est, talis nullo modo baptizatus est, quia nullo modo fuit in eo consensus, nec voluntas, imo fuit omnino repugnans. Si autem aliquis immergatur coactione inducente, utpote minis, vel flagellis, ita quod magis vult se subjicere sacramento Ecclesiae, quam morte perire; dico quod, aut intendit alios illudere et mortem evadere, et tunc quia non est intentio, non est sacramentum, cum nullus dicatur baptizatus esse, qui consentit se immergi ad iocum. Aut ipse vult illud, quod facit Ecclesia, circa se fieri magis quam velit perire; et tunc, sive credat sive non, sive velit habere gratiam sive non, dicendum quod recipit sacramentum, eo quod, quamvis non sit ibi voluntas meritoria, est tamen ibi consensus et voluntas, nec est simpliciter involuntarium. Unde quia talis vult exterius sacramentum recipere, vult aliquid in se fieri, quod fit. Et sic propter hoc, quod subjicit se causae, se subjicit necessario annexo; et ideo secundum canones et doctores theologiae talis judicandus est baptizatus. Ad illud quod objicitur de matrimonio carnali, dicendum quod non est simile; quia enim coacta connubia consueverunt habere malos exitus, ideo sacri canones interdixerunt ipsa. Alia tamen potest esse ratio hujus, ut dicitur infra. Nihilominus tamen illud verum est, quod non tanta voluntas requiritur in aliquo ad susceptionem baptismi, sicut ad contractionem matrimonii. Si enim pater exponat parvulum ad baptizandum, non potest parvulus, cum ad adultam aetatem venerit, revocare: non sic est de matrimonio, quia quantumcumque pater obliget parvulum, nunquam obligatur, nisi consentiat, cum pervenerit ad annum discretionis . . . Ad illud, quod objicitur de comminatione mortis, dicendum quod major potest esse coactio quam haec; nam haec est solum inducens, non sufficiens. Sed cum accipitur, velit, nolit, et immergitur, ibi est sufficiens coactio. Quamvis enim voluntas non possit cogi in volendo, potest tamen simpliciter homini fieri coactio in actu exteriori. Unde voluntas inducta voluntas est, et ideo hîc imprimitur character, et ibi non. Exemplum est in eo, qui ponit thura timore mortis, et de eo cujus manus trahitur violenter; primus consentit et peccat, et dicitur sacrificare, secundus non. Sic qui sacramentum inductus suscipit, dicitur consentire, sive inducatur amore bono vel malo, sive timore bono vel malo, suscipit sacramentum, quia sacramenti susceptio est bonis malisque communis; et ideo talis voluntas sufficit ad sacramentum, ut seniores dicunt. Et sic patet, quibus character baptismalis imprimitur.“ *Ibid. q. 1.*

[8] „Sanctificatus in utero debet baptizari tum propter bonum obedientiae, tum propter humilitatem, tum propter unitatem.“ — „Sanctificatus baptizari debet baptismo aquae, sicut baptizatus baptismo flaminis. Et est ratio triplex. Prima propter bonum obedientiae, quia Deus praecepit, ut omnes renascantur aqua. Secunda propter humilitatem, quia debet se reputare peccatorem, et indigere Christi redemptione. Tertia propter unitatem, ut ab aliis membris Christi non discordet. Non ergo baptizatur propter hoc, quod sanctificatio non sufficiat, sed propter rationes praedictas, propter quarum exempla danda Christus fuit circumcisus. Ut autem obediret legi, subjecit se signo

---

tris,“ S. Alphonsus respondet affirmative probabilius, si puer attingatur aqua in utero matris medio aliquo instrumento; quia talis infans, cum existat jam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat illud, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia haec est veluti pars infantis. Sed sub conditione baptizandus est, quia non constat, utrum valida sit talis baptismi collatio. Proinde, si puer nascatur, iterum sub conditione baptizandus est, ex eo quod prius baptisma incertum sit. In praxi igitur semper observanda est ejusdem S. Doctoris conclusio: „His positis, puto in casu necessitatis omnino infantem (sub conditione tamen) baptizandum esse in praedictis casibus.“ *(Theol. mor. de baptism. n. 107.)*

peccatoris, quo non ipse se peccatorem, sed alios se peccatores profiteri doceret, postremo ut patribus non esset dissimilis. Patet igitur responsio, quod sanctificatus non recipit baptismum in remedium, quod si faceret, esset inordinatio, vanitas et contemptus, sed in signaculum, quod habet tria bona conjuncta, scilicet obedientiam, humilitatem et unitatem, quantum ad unitatem characteris. Ad illud ergo quod objicitur, quod sanctificatio transcendit, dicendum, quod quamvis hoc verum sit quantum ad gratiam, quae delet culpam et habilitat ad bonum, tamen non transcendit quantum ad characterem, quia illum non imprimit; et ideo ratione illius adhuc baptismus debet recipi." *4. dist. 6. p. 2. a. 1. q. 2. concl. et ad 1.*

[9] „Baptismus digne suscipientis omnem delet culpam, et restituitur homo in pristinam innocentiam quantum ad animam." — „Sicut auctoritates dicunt, et magistri communiter asserunt, in sacramento baptismi, si plene percipitur ejus efficacia et remedium, omnis culpa deletur, et restituitur homo in pristinam innocentiam quantum ad animam. Si quaeratur ratio hujus propter quid, dicendum quod hujus ratio causalis fuit divina liberalitas, quae tantam huic sacramento contulit efficaciam. Si autem quaeratur ratio hujus, potest congruitas triplex assignari. Prima potest esse ex parte ejus, contra quod baptismus est. Baptismus enim proprie est contra originale, quod inter omnia peccata pejores in anima reliquit sequelas, et cujus corruptio est universalis et magna. Et ideo congruum fuit, ut Deus magnae efficaciae remedium instituerat in contrarium, ut sicut in corruptione illius morbi manifestatur rigor divinae justitiae, sic etiam in remedio manifestaretur dulcedo divinae misericordiae, ut non solum ille morbus, sed omnia, quae consequuntur annexa, hujus remedii virtute deleantur. Et hoc est, quod dicitur *(Rom. 5, 15): Non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Secunda congruitas est ratione ejus, ad quod est, scilicet ad regenerandum. Unde in hoc sacramento transfertur homo a potestate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei, et maxime aperitur largitas divinae manus in primo reditu et adventu. Et hoc est, quod dicitur *(Tit. 3, 5—6): Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* Tertia congruitas est ratione ordinis, quia illud est primum inter omnia sacramenta, et fundamentum ad alia; ideo ut perfectum sternatur fundamentum, placuit divinae misericordiae huic sacramento perfectam dare efficaciam ad delendam omnem culpam, ut posteriorum oblitus is, qui baptizatus est, et quasi novus effectus, omnino ad interiora extendat se. Et quia disposuit huic sacramento dare praecipuam efficaciam, et quod virtus passionis specialiter huic sacramento adesset; ideo dedit expressam significantiam, hoc enim inter cetera magis indicat animam fieri sanctam et puram. Concedendum est ergo, quod delet omnem culpam." *4. dist. 4. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Baptismus delet omnem poenam aeternam, atque assumptam, sive satisfactoriam, licet non quamcumque contractam." — „Distinguendum est in poenis, quaedam enim poenae sunt aeternales, et quaedam temporales. Ab omni aeternali absolvit baptismus, delendo omnem culpam. In temporali vero distinguendum, quia quaedam contrahuntur, quaedam assumuntur. Contrahuntur autem, sicut fames et sitis, et passiones contemporaneae vitae. Quaedam imponuntur et assumuntur, ut jejunia, et corporalia et spiritualia exercitia, et laboriosa opera. Baptismus ergo absolvit ab omni poena aeternali, absolvit nihilominus ab omni poena temporali satisfactoria, sive assumpta, non autem ab omni contracta, utpote a fame, siti et infirmitate, et ceteris poenis talibus. Ratio autem hujus est, quod Deus ad hoc ipsum non ordinavit. Et ratio, quare non ordinavit, est, quia congruum fuit, quod hujusmodi poenalitates in nobis relinqueret; et hoc ad manifestandam aequitatem divini judicii, ad demonstrandum fructum passionis Christi, ad promovendum meritum liberi arbitrii. Ad manifestandam aequitatem divini judicii, ut illa sententia, quam dictaverat de morte Adae et posterorum ejus immobilis permaneret; unde ab illa nemo evadit. Ad ostendendum fructum passionis Christi, quia si Dominus curaret naturam et fomitem, filius nasceretur immunis a culpa, nec indigeret regenerari a Christo; ideo ut omnes se ipsius passione noscant egere, data est virtus sacramento a passione, sive ad hoc ordinatum est, ut poenas remittat personales, non naturales, quia remedium respicit personam, non naturam. Ad amplificandum meritum liberi arbitrii, promovent enim ad bonum multipliciter hujusmodi poenalitates. Dantur enim propter humilitatem: *Sagittae Domini militant in me, quarum indignatio ebibit spiritum meum (Job 6, 4);* propter timoris incussionem: *Terrores Domini militant contra me (ibid.);* propter sui ipsius cognitionem tantummodo: *Sola vexatio dabit intellectum auditui (Isa. 28, 19);* propter stimulationem ad bonum: *Surgite et ite, quia non habetis hîc requiem (Mich. 2, 10);* propter exemplum non peccandi: *Adam exemplum meum ab adolescentia mea (Zach. 13, 5);* propter exercitium virtutum: *Hae sunt gentes, quas reliquit Dominus, ut erudiret Israël (Judic. 3, 1);* propter hoc ut sit signum adoptionis filiorum: *Si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis (Hebr. 12, 8).* Propter hoc etiam, ut nemo accipiat hoc in retributionis praemium, ne scilicet homines propter hoc ad baptismum venirent. Si enim datur ibi immortalitas, propter hoc plures accederent quam propter gratiam, nec fides tunc haberet meritum, cui humana ratio praeberet experimentum." *Ibid. q. 2.* — „Baptismus, quoad characteris impressionem et peccatorum deletionem per gratiam, in omnibus aequalem habet effectum, licet quoad habilitationem ad bonum gratiae plus recipiat magis dispositus." — „Dicendum, quod sicut supra dictum est, prima res baptismi est character, secunda est infusio gratiae, tertia est restitutio innocentiae. Quantum ad characterem non est magis vel minus, unus enim alio non est magis baptizatus. Quantum ad tertium, scilicet innocentiam, aequaliter, quia unus non est magis innocens alio. Quantum ad medium vero, quod est gratia, dicendum quod est magis et minus. Sed gratia duplicem habet actum, scilicet delere peccatum, et habilitare ad bonum. Quantum ad deletionem peccati, majorem habet effectum in eo, qui plura commisit; sed non tamen propter hoc est major, quia modica gratia potest delere omnem culpam. Quantum vero ad habilitationem ad bonum, in eo, qui magis disposuit se, majorem habet efficaciam. Et propterea ipsa est

major, quia ex hac parte attenditur augmentum gratiae." *Ibid. q. 3.*

[10] „Quando institutus fuit baptismus? Dicendum, quod materialiter, cum baptizatus fuit Christus; formaliter, cum resurrexit, et formam dedit *(Matth. 28, 19);* effective, cum passus fuit, quia inde habuit virtutem; sed finaliter, cum ejus necessitatem praedixit et utilitatem, ut hîc: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.*" *Comment. in Ev. Jo. cap. 3. v. 12. n. 164.* Supplem. vol. I.

[11] „Quia, ut determinat Augustinus, baptismus est sacramentum fidei, non singularis personae, sed totius Ecclesiae; ideo fides personae nihil obest, nihil prodest. Et ideo . . . quidquid sit de fide cordis, judicandum est de baptismate secundum expressionem oris, sive sermonis. Ideo, qualitercumque credat, etsi totam exprimat Trinitatem, baptizatus est; si autem non totam, non est baptizatus, et rebaptizandus est." *4. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 2.*

[12] „Necesse est exprimi verbum vocale, quia Deus contulit vim verbo; unde sine verbo nullius est efficaciae. Ratio autem, quare voluit exprimi, est perfecta fidei professio, ut sit in facto et verbo. Est etiam perfecta signatio, quia enim peracta est regeneratio per Verbum incarnatum, et Verbum incarnatum optime signatur per verbum voce indutum; ideo voluit et instituit, quod esset ibi verbum vocale." *4. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 2.*

[13] „Apostolis licuit baptizare in nomine Christi divinitus inspiratis, sed non licet modo nobis. Dicunt tamen aliqui, quod verbum illud non amisit virtutem propter constitutionem Ecclesiae ordinantis, quod tantum fiat in nomine Trinitatis; unde, etsi peccaret sic baptizans, tamen baptizatum esset. Sed communis opinio et certior est, quod non esset baptizatum, quia cum sit unicum baptisma in Ecclesia, ideo unica debet esse forma; et ideo tantum in nomine Trinitatis baptizat tota Ecclesia. Quod ergo objicitur, quod Apostoli baptizabant in nomine Christi, dicendum quod data fuit virtus illi verbo tempore primitivae Ecclesiae. Et una ratio fuit, quod nomen Christi implicat et insinuat totam Trinitatem. Christus enim unctus dicitur, et ideo ungentem et unctum et unctionem insinuat, et sic cum praedicta forma concordabat. Alia ratio fuit, quia nomen Christi erat ignotum et contumeliosum, utpote crucifixi, ut nomen publicaretur, et in reverentia haberetur, tunc temporis eo usi sunt. Et quia, cessante causa, cessat effectus, Christi nomine publicato, et honorabili facto, amplius nec debuit, nec potuit in eo impleri sacramentum baptismi, quia ad tempus tantum institutum fuit." *4. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 2. ad 3.*

[14] „Verbum *baptizandi* est de necessitate formae. Ratio autem quare est de necessitate, est institutio. Ratio autem institutionis est, quia intentio est necessaria sacramento; et hoc est sacramentum necessitatis, et est ad alterum. Ideo propter periculum defectus intentionis proprio verbo expressa est ibi forma." — „Nihil est magis necessarium ad baptismum quam intentio baptizantis, aeque enim est necessaria intentio ut fides; ergo nihil est magis de necessitate formae, quam verbum exprimens intentionem; sed tale est hoc verbum *baptizo;* ergo si aliquid est de necessitate formae baptizandi, verbum baptizandi est de necessitate." *4. dist. 3. p. 1. a. 2. q. 1. concl. et fund. 3.*

[15] „Unitas vel multitudo immersionum non est de substantia baptismi, sed solum de bene esse; quia quotiescumque immergat, dum tamen debito modo et sine dilatione magna verba proferat, baptismus est, et sacramentum integrum. Et si non sit ei de necessitate, est tamen de congruitate propter significationem, cui congruit unitas et Trinitas, ut patet in fide Trinitatis, quia unitas est in essentia, sed Trinitas in personis. Similiter in morte Christi, quia una est in essentia, sed tribus diebus fuit in corde terrae. Similiter gratiae, quia una est in se, sed triplex in virtutibus. Ideo unitas et Trinitas convenit, sed tamen magis Trinitas propter expressionem majorem; et ideo utrumque morem servat Ecclesia. Sed Romana Ecclesia tanquam praecellens trinam servat immersionem, tum propter signationem Trinitatis, tum etiam triduanae sepulturae, tum etiam propter triplicis concupiscentiae minutionem, a qua anima liberatur, tum etiam propter triplicem virtutem, qua imago in anima reformatur." *4. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 1.*

[16] Vide superius *cap. V. not. 8.*

[17] „Solet quaeri, si plures sint in extrema necessitate, utrum possint simul baptizari. Et quod sic, videtur. Propter necessitatem indultum est omnibus; ergo videtur, quod unus possit baptizare plures, ubi est periculum mortis. Et ad hoc respondetur . . . quod potest, quia si baptizaret ita: Baptizo vos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, baptizatum est. Et si tu objicias, quod mutat formam, ut si dicatur: Nos baptizamus, dicendum quod in hoc non est mutatio formae. Nam, sicut dicit Priscianus, *nos* non ingeminat singulare suum, ut dicatur ego et ego, sed ego et tu, vel ego et ille; et ideo si dicatur: Nos baptizamus, aliquid dicitur a forma extraneum, et forma mutatur. Sed cum dicitur: Baptizo vos, sensus est: Baptizo te et te; et ideo non est formae mutatio, sed geminatio, nam hîc non introducitur persona alia nisi baptizans et baptizata; non sic est in forma alia, cum dicitur: Nos baptizamus. Attendendum tamen, quod si per pluralem numerum non fiat vis aliqua, nisi quae fit secundum cursum solitum loquendi, secundum quod Papa de se unico dicit: Nos dicimus, et in vulgari hoc utimur linguagio, non dicerem tunc formam mutari, nec corruptam esse. Sed si iste sermo seriose diceretur, et cum pondere sui sensus, alium generaret intellectum; et ideo non esset baptismus, quia, sicut praedeterminatum est, mutatio formae aufert baptismum. Ex praedictis ergo patet, quod unus potest simul plures baptizare, non plures unum; et ratio est mutatio formae in uno et non in alio. Potest nihilominus alia ratio assignari, quia non est necesse, quod simul duo baptizent, si uterque potest verbum dicere, et mergere. Sed necessitas et utilitas est, quod simul duo baptizentur, quando sunt in articulo mortis. Alia tamen ratio est, quia baptizans minister Christum signat; unde sicut in hoc quod unus habebat plures uxores, salvari potuit ratio sacramenti aliquo modo, quia Christus est sponsus multarum animarum, sed non e converso; sic in proposito est intelligendum, quod unus est baptizans interius, scilicet Christus Dominus, a quo est unitas in sacramento baptismi." *4. dist. 5. a. 1. q. 1. 4. later.*

[18] „Baptismus convenienter in aqua institutus fuit, quia ipsa est signum aptum ad significandum omnia ea,

quae per tale sacramentum nobis conferuntur.“ — „Dicendum quod sacramentum baptismi est maxime efficax et maxime necessarium inter alia sacramenta. Efficax, quia in eo imprimitur character, qui disponit animam ad susceptionem luminis gratiae, ut transparentia vitrum ad susceptionem luminis corporalis; datur etiam gratia mundificans animam, datur etiam illi gratiae actus remittendi ardorem concupiscentiae. Sed quia haec oportuit dari in eo signo, quod sua proprietate multiplici haec omnia designaret, tale autem est aqua, quia transparet, et est pervia lumini; et ideo characterem signat, et iterum abluit et mundat inter omnes liquores, et ideo signat gratiam mundantem. Item infrigidat, ideo signat remissionem ardoris concupiscentiae. Conveniebat ergo maxime aqua baptismatis sacramento ob efficaciam. Similiter etiam propter necessitatem. Quia enim sacramentum est, a quo nemo absolvitur, et in quo omnes communicant; necesse fuit institui in liquore communi apud omnes, et in quo abundant pauperes et divites; talis autem liquor est aqua; ergo etc.“ *4. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Ex baptismi institutione nulla proprietas absoluta de novo fuit aquis collata, sed solum nova ordinatio ejus ad hoc, ut per eam homo regeneretur.“ — „Dicunt aliqui, quod Dominus contactu mundissimae carnis suae vim contulit aquis, quam non habebant; et vis ista fuit aliqua proprietas absoluta, et haec proprietas fuit aquae melioratio et reductio ad statum primum, in quo erat ante hominis lapsum, quia post lapsum omnia elementa sunt deteriorata, ut habitatio congrueret habitatori deteriorato. Sed quia homo per aquae sacramentum meliorari debebat et resurgere; ideo aqua meliorata et ad primum statum reducta est; et hanc vocant illam vim. Sed ista positio non potest stare. Primo, quia haec vis dicitur vis ad regenerandum; sed hanc non habebat aqua in statu innocentiae, quia non erat opus regeneratione; unde illa melioratio nihil facit ad rem. Praeterea, si aqua est meliorata, et non alia elementa; ergo videtur, quod ordinatio elementorum sit dissipata, cum necesse sit, quod habeant debitam proportionem. Et propter hoc dicunt aliqui, quod collatio vis regenerativae non est aquae melioratio vel purificatio, sed alicujus virtutis supernaturalis collatio, quae non est data aquae secundum esse perfectum, quoadusque veniat verbum, sicut vis immutandi visum non est in colore perfecta, nisi superveniente lumine; et haec supra naturam data est aquae, et supra naturam ibi existit, ut effectum habeat supra naturam per voluntatem divinam. Sed quoniam illud difficile est intelligere, quo modo aliquid absolutum, sive secundum naturam, sive supra naturam, sit modo in aqua, quod non erat prius, et quo modo datum sit contactu carnis etiam aquis remotis; propterea dicendum, sicut tactum fuit supra, quod vis illa non est aliqua proprietas vel essentia absoluta, addita aquae, sed solum ordinatio ejus ad hoc, quod homo regeneretur. Prius enim omnes liquores erant indifferentes, et poterat, in quantum est de se, in aliquo alio liquore baptizari, ut in aqua. Sed cum Dominus voluit mergi, et baptizatus est in aqua, sola aqua habuit ordinationem ad hoc; et ideo solum in ea potuit fieri baptismus. Sed quia non instituit baptismum fieri tantum per immersionem, imo etiam per verborum prolationem, et talium verborum; similiter et verba ad hoc ordinavit. Unde aqua, in quam mersus est, et verba, quae protulit ulterius, habent vim, non unum sine altero, quia utrumque insimul ad regenerationem obtinendam ordinavit. Et sic patent objecta ad utramque partem, quia prima procedunt de vi, ut est ordinatio ad regenerationem, secunda autem de vi, quae est qualitas absoluta. Haec autem vis non est per transfusionem, sed per institutionem. Unde sicut Dominus non tantum verba, quae protulit, ordinavit, et instituit ad regenerandum, sed etiam omnia consimilia; sic non tantum aquam, quam tetigit, sed omnem aquam specie consimilem. Est autem omnis aqua omni aquae specie consimilis; et ideo omni aquae contulit. Et est simile. Si rex ordinaret, quod literae suae tantum haberent virtutem et efficaciam, quae scriberentur in pellibus caprinis, et quae essent scriptae aliquibus determinatis verbis, et hoc quidem faceret manu sua scribendo in illo genere pellis, diceretur, quod rex illa manu sua efficaciam dedit illi pergameno, et omni pergameno ejusdem speciei, etiam quod futurum est usque ad multa tempora, et hoc per solam institutionem et ordinationem, non per alicujus virtutis alterius collationem; sic intelligendum in proposito, quoniam Dominus tactu carnis mundae dedit vim aquis, non quia munditia transiret a carne in aquam, sed quia, cum Dominus esset mundus, voluit ob nihil aliud in aquam mergi, nisi ut illa mersione aqua haberet istam ordinationem. Unde si aqua crearetur de novo consimilis isti in specie, credo quod eandem haberet ordinationem, et eandem diceretur habere virtutem. Et si tu objicias mihi: Omnis relatio fundatur super aliquid absolutum, eo quod aliquid absolutum de novo advenit; ergo si haec ordinatio, quae est relatio, advenit, oportuit aliquid absolutum dari; dicendum quod illud non habet veritatem in relationibus voluntariis, quia nummus, ut dicit Augustinus *(l. 2. de Trin. c. 16; et de civ. Dei, l. 21. c. 26)*, sine sui mutatione fit pignus; et similiter haec vox (buba) sine sui mutatione potest fieri significativa; similiter et in proposito intelligendum. Et licet utraque harum opinionum sit catholica et probabilis; haec tamen est magis intelligibilis, et consona Sanctorum auctoritatibus. Dicuntur enim aquae mundatae et sanctificatae et virtuosae effectae, quia ad sanctificationem animae et munditiam efficaciter sunt ordinatae, non faciendam ab ipsis, sed suscipiendam et dandam in ipsis a Deo ipsi homini baptizando: et sic exponenda sunt consimilia. Nec est intelligendum, quod aliqua actio sit ab aquis in animam. Aquae enim illae non habent proprie virtutem illam, nec operationem, sed earum virtus et actio est efficax ordinatio vel secundum actum, vel secundum habitum; et sic non habent calumniam, quae circa haec dicuntur.“ *Ibid. q. 2.*

[19] „Aqua abluens est signum gratiae intus mundantis, et ablutio est signum interioris mundationis, quae duo sunt unum sacramentum, licet principalior sit aqua quam ablutio.“ — „Ad intelligentiam praedictorum est notandum, quod baptizare in graeco tantum valet quantum lavare in latino; unde: *Descendebat in vallem Bethuliae, et baptizabat se (Judith 12, 7).* Ab eo autem quod est lavare, oritur lavacrum et lotio. Lavacrum est aqua deputata ad lavandum, sicut balneum est aqua deputata ad balneandum humano artificio. Lotio vero est usus, vel effectus aquae.

Baptismus igitur accipitur pro lavacro, ut: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro (Cant. 4, 2);* Glossa: Loti in baptismo. Et e converso, unde Apostolus *(Tit. 3, 5): Per lavacrum regenerationis et renovationis.* Accipitur etiam pro lotione: *Tenentes traditionem hominum, baptisma calicum et urceorum (Marc. 7, 8),* id est lotiones. Similiter ablutio pro baptismo, ut: *Qui lotus est, non indiget etc. (Jo. 13, 10),* lotus, id est baptizatus. Cum ergo nomen baptismi aequivaleat lavacro, et etiam lotioni, dixerunt aliqui, quod baptismus, secundum quod est nomen sacramenti, idem est quod lavacrum; alii, quod est idem quod tinctio. Primae opinionis videtur fuisse magister Hugo, sed secundae Magister. Credo tamen, quod utroque modo dictum est sacramentum; quia, secundum quod lavacrum, est sacrae rei signum, aqua enim abluens signum est gratiae intus mundantis, et ablutio signum interioris mundationis; et ita utrumque sacramentum. Nec tamen duo sacramenta, quia unum est propter alterum. Aqua enim non est sacramentum nisi in quantum abluens; et lotio non est sacramentum nisi quia lotio aquae, vel in aqua; et ideo tantum unum sacramentum. Si tamen quaeras, quod per prius et proprius dicitur sacramentum, utrum baptismus pro lavacro, an pro lotione, est distinguendum. Quia baptismus dicitur sacramentum sanctificans, et sic principalius dicitur de lotione, quia immediatius respicit interiorem effectum: et baptismus dicitur etiam sacramentum signans, et sic principaliter dicitur de lavacro, quia signatum interius proprie et per prius est gratia mundans, et per consequens ipsa lotio. Et est exemplum. Circulus expositus ante tabernam signum est vini vendendi, et expositio circuli est signum venditionis; tamen magis proprie est signum circulus quam expositio; sic aqua magis quam ablutio." *4. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1.*

[20] „Baptismus institutus est in elemento aquae, quia aqua per suam qualitatem repraesentat gratiam baptismalem. Ad hoc ergo quod sit baptismus, requiritur quod salvetur proprietas et species aquae, ut sit aqua naturalis, et habens aliquo modo proprietatem lavandi; et hanc etiam habet aqua turbida. Si vero has conditiones aqua perdat, vel quod miscetur cum praedominante et alterante, et ducente in alias proprietates*), non est dicendum tunc in illo liquore tradi baptismatis sacramentum." *4. dist. 3. p. 2. dub. 2.*

[21] „Illius est baptizare, cujus est regenerare; et illius regenerare, qui habet sponsam, ex qua generet. Propterea dicit (Baptista): *Qui habet sponsam, sponsus est (Jo. 3, 29);* et ex ea regenerare potest, et baptizare: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam; et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae (Ephes. 5, 25—26).* Beda *(in Jo. c. 3):* Christus est sponsus, sponsa est Ecclesia de gentibus congregata, *despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo (2. Cor. 11, 2).* Illius igitur est regenerare." *Comm. in Ev. Jo. c. 3. n. 197;* Supplem. vol. I.

*) Proposito dubio de baptismo collato cum aqua benedicta, quae tamen ob climatis intemperiem foetida evaserat, Congregatio S. Officii die 17 aprilis 1830 respondit: „Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis praeferendam aquam naturalem."

[22] „Immortalitatem, sive sanitatem carnis, posset baptismus dupliciter restituere; aut ita quod ibi daretur gratia consummata, et hoc nihil aliud esset, quam dare gloriam, quod Dominus non decrevit facere, quia vult, quod voluntas perveniat ita libere, ut instituta est ab initio. Si autem fieret immortalitas in carne, non existente perfecta gratia in anima, tunc posset ibi esse error et ratio deviandi, quia appeteret hujusmodi medicinam spiritualem propter remedium corporale; et ita in salute corporis deordinaretur et infirmaretur, quod non est conveniens." *4. dist. 4. p. 2. dub. 7.*

[23] „Oportet nos ex necessitate purgari, et gratificari per restitutionem innocentiae, quod facit gratia baptismalis. Quod significatum fuit Matthaei tertio *(16—17),* ubi super Jesum baptizatum caeli aperti sunt, Spiritus sanctus descendit in specie columbae, et vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus.* Ubi notantur tres effectus baptismi, januae apertio, quam peccatum clauserat, per hoc quod caeli aperti sunt; innocentiae restitutio per columbam, quam innocentiam peccatum abstulerat; gratificatio ibi: *Hic est Filius meus dilectus,* quia peccatum filios irae fecerat." *Serm. de Semin. n. 19;* Supplem. vol. I.

[24] „Ad baptismum necessaria est fides alicujus articuli, et sacramentum baptismi habet efficaciam a fide Ecclesiae, quia ipsius est sacramentum, et non singularis hominis." — „Dicendum, quod fides non tantum necessaria est sacramento baptismi, sed et omnibus sacramentis, specialiter tamen sacramento baptismi, quia omnia sacramenta virtutem habent a fide, ut dicit Hugo. Hujus autem ratio sumitur generaliter respectu omnium sacramentorum, non solum necessitatis, sed etiam congruentiae. Ratio autem necessitatis est, quoniam in fide est prima ratio uniendi, et prima ratio elevandi supra naturam. Propter primam rationem uniendi necessaria est in sacramentis, quoniam gratia sacramentalis comparatur ad virtutem passionis ut ad meritum, sed ad virtutem Trinitatis sicut ad principium effectivum. Ad hoc autem quod virtus passionis magis operetur, et disponat in sacramentis quam alibi, necesse est, quod aliquo modo copuletur hujusmodi signis. Hoc autem non potest esse sine eo, in quo est prima unio; et haec est fides, per quam meritum capitis fit membrorum. Dum enim credimus, quod pro nobis passus est, meritum Christi fit Ecclesiae. Similiter ad hoc, quod virtus divina specialiter et mirabiliter influat supra naturam, necessaria est fidei virtus, in qua est prima ratio elevandi potentiam supra naturam; et haec est fides, propter quod etiam maxime attribuitur ei virtus faciendi miracula. Ratio autem congruentiae est, quia sicut sacramenta dicunt quoddam velamen gratiae interioris, quod tamen aliquo modo illuminat ad cognoscendum; sic fides velamen dicit futurae contemplationis et visionis, et tamen hoc velamen potius est illuminans quam obscurans. Et rursus, sicut in sacramentis est aliquid mysticum, et aliquid gratuitum; sic aliquid in fide respicit non tantum intellectum, sed etiam affectum. Haec ergo est ratio generalis, quare fides necessaria est omnibus sacramentis. Sed specialiter appropriatur baptismo, quoniam baptismus est primum inter sacramenta, et janua sacramentorum, sicut fides janua virtutum. Et rursus, quia in hoc sacramento magis explicite est professio fidei quam in aliquo alio sacramento,

tum in actu, tum in verbo, et in actu est professio fidei passionis, scilicet per immersionem, sed in verbo professio fidei Trinitatis. Unde et major efficacia est in hoc sacramento quam in aliquo alio; et ex hoc patet, cujus articuli fides sit necessaria, scilicet passionis, a qua est meritum, et Trinitatis, quae est principium effectivum. Concedendae ergo sunt rationes, quae ostendunt, quod ad baptismum necessaria est fides alicujus articuli. Attamen sicut baptismus est sacramentum non singularis hominis, sed Ecclesiae; sic efficaciam habet a fide Ecclesiae, et hoc per unitatem sponsae et columbae." *4. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 3.* — „Quod quaeritur de dormiente, dicendum quod si est adultus, aut prius consensit et voluit, aut noluit et renuit. Si consensit et voluit, si baptizatur, baptizatus est; aut si prius negavit et renuit, baptizatus non est. Si autem indifferenter se habuit quantum ad id, quod exterius est, non potest sciri nisi per ipsum; et si prius voluit, baptizatus est, si noluit, non; quia oportet, quod sit aliqualis consensus in adulto, vel coactus, vel spontaneus. Si quaeratur, quid debeat fieri, dicendum quod nullus debet aliquem baptizare dormiendo, nisi praesumatur, quod non evigilet ante mortem, et nisi praesumatur de ejus voluntate per signa, vel verba, vel parentum saltem, quia de christianis natus. In hoc casu, his concurrentibus, debet baptizari; et nisi fuerit fictio in anima ipsius ante dormitionem, tunc recipit sacramentum et rem, ut dicit Innocentius. Si autem fuerit fictio, sed tamen voluntas ad baptismum, recipit sacramentum et non rem. Omnino eodem modo dicendum est de furioso." *4. dist. 6. p. 2. dub. 3.*

[25] „Contritionem de originali peccato habere non est necessarium, sed congruum est iis, qui se illud peccatum habere sciunt." — „Congruum, inquam, quod displiceat, non in speciali, sed in generali, quia debet ei displicere omne, quod a Deo separat; nec est necessarium. Ratio autem, quare non est necesse, ut conteratur, est, quia non est actu nostro commissum. Et sic, licet in adulto sit talis originalis displicentia, non tamen est poenitentia, quia poenitentia proprie est respectu voliti." *4. dist. 16. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Poenitentia, ut est virtus, cujus actus est contritio, necesse est, quod praecedat baptismum in adulto, qui habet actuale peccatum, nemo enim inchoare potest novam vitam, nisi poeniteat eum veteris vitae." *Ibid. q. 2.*

[26] „Ad salutem parvuli requiritur virtus passionis Christi cum fide proximi, sicut dicit Augustinus *(ad Bonif. ep. 23)* ... tamen non oportet, ut sit fides offerentium, sed sufficit quod sit fides Ecclesiae, quae est; vel si haec deficeret, sufficeret meritum fidei, quod fuit in Ecclesia. Sicut enim orationibus sanctorum in via Deus reconciliatur multis peccatoribus; sic merito sanctorum, qui sunt in patria, multa remittuntur nobis, quia prius meruerunt nobis. Et hoc dicit Augustinus ad Bonifacium, cum offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam, tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam etiam ab ipsis, si ipsi fideles sint, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, et quorum sancta et individua caritate ad communionem spiritualem adjuvantur; et ita offerentes possunt intelligi sancti, non solum qui sunt in Ecclesia militante, sed et qui sunt in triumphante. Nihilominus tamen verum est, quod sacramentum baptismi prodest parvulis merito fidei Ecclesiae militantis, quae quamvis possit deficere in aliquibus personis specialiter, generaliter tamen nunquam defecit, nec deficiet, juxta illud: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi (Matth. 28, 20).* Unde, sicut species semper salvatur in aliquo individuorum, sic fides in aliquo fidelium, et hoc divina providentia faciente. Nec unquam fuit, postquam incepit Ecclesia, quin semper esset aliquis, qui Deo placeret, sic nec unquam erit." *4. dist. 4. p. 1. dub. 2.* — „Parvuli baptizati recipiunt rem sacramenti, id est, remissionem peccati originalis, merito passionis Christi, fidei alienae et virtute sacramenti." — „Magis consonat rationi et pietati, quod conditio parvulorum possit ab aliquo juvari quam laedi; sed parvuli sine suo consensu possunt trahere, et trahunt culpam; ergo multo magis gratiam." — „Item *per unum hominem peccatum intravit in mundum,* et per unum vita *(Rom. 5, 12. 18),* per Adam peccatum, per Christum vita; sed non est minus potens Christus quam Adam, et gratia magis se diffundit quam culpa; ergo si Adam potuit ipsos vitiare sine consensu, multo magis salvare eos potuit sacramentum Christi." — „Item omnis suscipiens sacramentum, suscipit rem, nisi habeat obstaculum; sed parvulus suscipit sacramentum, et non habet obstaculum, quia voluntas non repugnat, nec culpa potest resistere; ergo etc." — „Dicendum quod parvuli recipiunt rem sacramenti, quae est remissio culpae originalis; et hoc merito passionis Christi et alienae fidei et virtute sacramenti. Et ratio hujus est, tum ratione divinae misericordiae, tum ratione suae impotentiae, tum ratione talis culpae. Quia enim per actum alterius fuit culpa contracta, et ipsi non poterant se adjuvare, misericors Deus congruum reputavit eis per alium subveniri. Quia enim pro illa culpa nullus satisfacere poterat purus homo; ideo subvenit Deus toti humano generi per passionem Christi. Et rursus, quia passio effectum non habet nisi in his, qui volunt fieri membra Christi, et consentiunt, et hoc non poterat parvulus velle; ideo subvenit ei voluntas et fides aliena. Sed quia fides subvenit profitendo, et haec est in sacramento, ubi est professio mortis Christi in signo; ideo subvenit per sacramentum. Tria ergo sunt disponentia parvulum ad salutem. Primum est passio Christi, secundum fides aliena, scilicet Ecclesiae, tertium vero et immediatum est virtus sacramenti, quae characterem imprimit, quia ad gratiam disponit ... Sacramentum, quantum est de se, semper significat et sanctificat; sed tamen in parvulo non habet effectum signandi, sed sanctificandi, quia non est capax doctrinae, est tamen capax gratiae, sicut et culpae; et hoc est ex largitate divinae misericordiae, quamvis enim non significet parvulo, tamen aliis significat gratiam, quam tribuit parvulo." *4. dist. 4. p. 2. a. 2. q. 1. fund. concl. et ad 4.*

[27] „Nullus parvulus salvatur nisi virtute sacramenti, quantum est de lege communi, non quia parvulus teneatur praecepto, sed quia sine sacramento, vel quod aequivaleat sacramento, Deus non disposuit dare gratiam. Hoc dico, quia qui propter hoc solum occisus est a persecutore, cum portaretur ad baptismum, ne baptizaretur, moritur pro baptismo; ideo in sanguine suo pie creditur baptizatus. Si autem alia de causa occiditur, quantumcumque defera-

tur, et pro eo oretur, damnatur. Ratio autem hujus est, quia post passionem Christi formata est Ecclesia et ecclesiastica sacramenta, et omnis parvulus, qui salvatur, in fide Ecclesiae salvatur, quantumcumque parentes sint mali; et ideo nisi opus ecclesiasticum, ut puta sacramentum tale, fiat circa eum, expers est fidei Ecclesiae, ac per hoc et salutis. Alia etiam ratione, quia cum omnes post passionem salventur per fidem passionis jam revelatae; ideo congruebat huic tempori, ut nullus salvaretur, nisi vel in se haberet fidem, vel circa ipsum fieret expressa fidei professio quantum ad mortem Christi. Ex his patet, quare in lege sufficiebat sola fides, modo vero non; facit enim hoc certitudo divinae dispositionis. Quod ergo objicitur de adulto, dicendum quod uterque excusatur a praecepto, sed adultus habet gratiam poenitentiae, ad quam se disponit per contritionem, quae disponit ad illam gratiam; et illa supplet locum baptismi, parvulus non. Ideo adultus potest disponi ad gratiam alterius sacramenti antequam ad gratiam baptismi, et ad illam non potest parvulus disponi nisi per sacramentum; ideo moritur sine gratia, et moritur in culpa, et ideo damnatur. Quod objicitur, quod fidem parentum reputat suam, dicendum quod non facit nisi virtute sacramenti ... Ad ultimum, quare antiquitus salvabantur in fide parentum et non modo, jam patet responsio; nec sequitur, quod tunc melioris conditionis essent, quia nullus status est melior propter generalitatem remedii, particularis autem personae conditio potest esse deteriorata. Deus autem in institutione sacramentorum statum concernit generalis Ecclesiae, non particularis personae. Et quoniam certitudo remedii major est, et communior est in sacramento, quam in fidei merito; ideo patet illud." *4. dist. 4. p. 2. dub. 4.*

[28] „Exorcismus fit et ad solemnitatem baptismi, et ad deprimendam diaboli vexationem erga baptizandum." — „Aliqui dixerunt, quod exorcismus solum fit ad solemnitatem et ad expressiorem signationem, nec aliquid efficitur ibi, sed solum signatur quod efficitur in baptismo. Alii autem dixerunt, quod non tantum fiat ad baptismi solemnitatem, imo habeat effectum spiritualem, licet semiplenum, ad disponendum ad baptismum; unde parvuli non baptizati, sed exorcizati, morientes sustinent minores tenebras. Primi nimis parum dixerunt, et Sanctorum auctoritates plus dicunt; secundi nimis dixerunt. Ideo tenendum est medium, quod fit ad solemnitatem baptismi, et ad cohibendum diabolum, ut non possit occidere parvulum, nec ita fortiter vexare adultum, ut retrahat a baptismo. Unde non est contra vexationem, quam facit in corpore, sed quam faceret, quia diabolus, ex quo videt hominem praeparari ad baptismum, ipsum vexaret. Unde Gregorius *(lib. 24. moral. c. 7)*, dicit, quod illos pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit; sed quando videt se deseri, tunc provocatur. Ad illud quod objicitur, quare non statim datur baptismus, dicendum quod propter solemnitatem, et propter hoc quod baptismum debet praecedere doctrina, sive catechismus. Ut ergo diabolus arceatur a catechismo, annectitur exorcismus. Nec fit propter aliquam efficaciam gratiae in anima, sed solum ad signantiam et ad arcendam potestatem contrariam. Ordo autem eorum, quae sunt ad solemnitatem baptismi secundum morem Ecclesiae, usitatior hic est*). Primo exsufflatur, et hoc ut virtus diaboli exterior expellatur, et interior expellenda significetur. Secundo signum crucis fit in pectore et in fronte, ut daemon cognoscat se expellendum tam in occulto cordis, quam in aperto confessionis. Tertio sal in ore ponitur, ut significetur, quod per baptismum sapor sapientiae praeparetur, et foetor fomitis restringatur. Quarto fit linitio aurium et narium cum sputo, ut significetur gratia ad discernendum et obediendum. Quinto fit inunctio in pectore et scapulis, ut significetur gratia unctionis ad Deum amandum, et ad ejus onera portanda. Sexto post baptismum fit inunctio chrismatis in vertice, ut significetur apertio mentis imputribilis ad contemplandum aeterna, chrisma enim confectum est ex oleo lucente et balsamo conservante. Septimo vestitur vestimento mundo et albo, ut significetur candor innocentiae et stola resurrectionis. Ultimo ponitur cereus in manibus ejus, ut sit lucerna pedibus ejus verbum Domini et lumen semitis ejus *(Ps. 118, 105)*. Secundum Hugonem vero de sancto Victore, forma exorcismi et aliorum sacramentalium in baptismo ita praeficitur. Puer primo signatur crucis signaculo in fronte, in pectore, in oculis, in naribus, in ore, in auribus, ut totius corporis sensus hoc signaculo muniantur, cujus virtute omnia sacramenta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur. Unde Rabanus *(de Constitut. Cleric.)*: Ut ab eo diabolus expellatur, in vase suo pristino suae interemptionis signum cognoscens, jam sibi deinceps istud fiat alienum. Postea datur sal benedictum in os ejus, ut sapientia conditus careat foetore iniquitatis, et ultra non putrescat a vermibus vitiorum. Sicut enim sal conservat carnem a foetore et putrefactione, sic sapientia per ipsum significata spiritum conservat, ne solvatur in vitia, et foetat per infamiam. Deinde exsufflatur malignus foris, ut spiritus spiritu pellatur, scilicet Spiritu sancto malignus, quia Spiritus sanctus per flatum datus est: *Insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum (Jo. 20, 22)*. Postea tanguntur ei aures et nares cum saliva, ut tactu supernae sapientiae aures aperiantur ei ad audiendum verbum Dei, et nares similiter ad discernendum odorem vitae et mortis. Hoc signavit Dominus, cum dixit in sanatione surdi et muti: *Ephpheta (Marc. 7, 34)*. Glossa: Sputum de capite Domini est divina sapientia, quae solvit labia, ut dicat: Credo in Deum. Post haec introducitur baptizandus in Ecclesiam. His habitis et completis, venit sacerdos ad fontem, et consecratur fons in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut sanctitas sacramenti non ex eo, qui ministrat, constare sciatur, sed ex eo qui sanctificat. Post haec traditur novae vitae auditoribus catechumenis symbolum fidei, in quo apostolicae doctrinae forma consistit. Hoc non dicitur in moderno ordinali, ut credo. Post hoc

*) S. Rituum Congregatio die 22 septembris 1820 quoad ea, quae tantummodo ad solemnitatem baptismi pertinent, sequentia decrevit: „Si sacerdos in necessitate extra ecclesiam baptizet, omittere debet omnes caeremonias, quae baptismum praecedunt, etiamsi infans tamdiu victurus videatur. Collato autem baptismo ut supra, debet infantem in vertice ungere chrismate, si habeat, imponere vestem albam, et candelam accensam praebere. Cum autem convaluerit infans, praesentandus est in ecclesia; ibique, et nunquam extra ecclesiam, supplendae sunt caeremoniae omissae, quae baptismum praecedunt."

oblatus ad baptismum parvulus, et interrogatus a sacerdote, si abrenuntiet satanae et omnibus pompis ejus, et omnibus operibus ejus, per ora gestantium respondet, ut aliena iniquitate obligatus, aliena fide et confessione salvetur. Postea inungitur oleo sacro in pectore, tanquam muniatur adversus hostem, ne ei deinceps immunda et noxia persuadere possit. Ungitur et inter scapulas, ubi vigor portandi onus est, ut fortitudinem accipiat ad portandum onus Christi. Deinde interrogatur, si credat in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum et vitam aeternam; et sub hac fidei responsione et trina immersione a sordibus vetustatis abluitur novum indutus hominem. Deinde postquam baptizatus a fonte ascendit, sacro chrismate in vertice ungitur, ut spiritum Christi participando, merito Christi deinceps christianus appelletur, cohaeres regni et gloriae sacra unctione effectus. Deinde traditur ipsi jam christiano vestis candida, ut qui primae nativitatis decorem vetustatis pannis obfuscaverat, habitu regenerationis gloriae praeferat indumentum. Tegitur etiam caput sacro velamine post unctionem sacram, ut intelligat se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri. Ad ultimum cereus accensus datur in manu ejus, quatenus implere doceatur illud Evangelii *(Matth. 5, 16): Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Hanc lampadem si inextinguibilem servaverit, inter virgines sapientes cum sponso caelesti ad nuptias introibit. Et statim, si adest episcopus, confirmatur, et datur ei eucharistia post confirmationem, si sit adultus, ut sic Christo incorporetur." *4. dist. 6. p. 2. a. 3. q. 2.*

[29] „Innuit Magister, quod exorcismus fit post catechismum. Contra: Videtur, quod male ordinet, quia exorcismus est ad expulsionem mali, sed catechismus ad institutionem boni; sed prius est malum expellere, quam bonum inserere; ergo prius fuit agendum de exorcismo. Resp. Dicendum quod ista duo possunt tripliciter ordinari, aut ratione ejus, ad quod sunt; aut ratione ejus, a quo dispensatur; aut ratione ejus, in quem fiunt. Si ratione ejus ad quod, sic. Quia catechismus est ad perfectionem intellectus, et exorcismus ad id, quod respicit affectum, quia ad suggestionem diaboli expellendam, catechismus praecedit; et sic ante exorcismum est catechismus. Si ratione ejus a quo, quia catechizatio est ab ordine lectorum, et exorcizatio est ab exorcistis, et lectorum ordo praecedit; sic ante exorcismum est catechismus. Si ratione ejus in quem, sic dicendum quod adultus est prius capax doctrinae quam gratiae, parvulus e contrario; et ideo in adultis praecedit catechismus, in parvulis e contrario exorcismus; et ideo ordo mutatus est secundum aliquas Ecclesias, nec servatur ille, qui consuevit esse in primitiva Ecclesia, quia tunc baptizabantur adulti, nunc autem parvuli." *4. dist. 6. p. 2. dub. 7.* — „Parvuli baptizandi debent catechizari, quoniam per patrinos possunt obligari, licet non possint instrui, et ut uniformis servetur baptismi ritus." — „Catechismus in adultis praecedit baptismum propter duas causas, ut baptizandi instruerentur de credendis, et ut se obligarent voluntarie ad Dei imperia facienda, quasi non coacte, sed voluntarie illa impleturi erant*). Parvuli vero, etsi non possunt doceri, possunt tamen per patrinos obligari; ideo fit in eis catechismus et propter rationem obligandi, et propter uniformitatem, ut consimiliter omnes baptizentur, sicut consimilem effectum recipiunt ... Ad illud quod quaeritur, utrum patrini obligentur, dicendum quod si non haberent alium doctorem, obligantur ad instruendum ipsum in his, quae sunt de necessitate fidei et morum, vel ad hoc quod facerent instrui, vel ad hoc quod ille crederet vel servaret; nunc autem, quia multos habent doctores, non tenentur. Ad illud quod quaeritur de parvulis, utrum obligentur, dicendum quod sic, quia ibi non requiruntur nisi ea, ad quae tenentur de jure naturali, nulla autem supererogationis; ideo non est simile de ingressu in religionem. Ad illud quod quaeritur, utrum talis obligatio sit votum, dicendum quod proprie non, quia est de eo, quod supererogationis est; tamen extenso nomine est votum, quia est voluntaria obligatio. Non autem facit duplex peccatum, quia non obligatur magis quam prius de necessitate, sed de bono et aequo." *Ibid. a. 3. q. 1. concl. et ad 3—5.*

[30] „Sicut dicit Hugo de sancto Victore *(l. 2. de Sacr. p. 6)*, patrini vocantur, qui parvulos ad baptismum offerunt, quia regenerandos ad novam vitam offerunt, et in oblatione et in responsione quodammodo faciunt ad ipsorum regenerationem; et ideo recte patrini dicuntur. Et post subjungit: Placuit patribus, ut per singulos baptizandos patrini singuli admitterentur, id est unus tantum, sive vir, sive mulier; propterea fortassis, ne spiritualis cognatio, cui reverentia debetur, passim diffusa, in matrimonii copula obesse potuisset. Sed quaedam Ecclesiae hanc consuetudinem non servant, plures ad susceptionem parvulorum admittentes"*). *4. dist. 6. p. 2. dub. 6.*

[31] „Parvuli in baptismo recipiunt plene rem sacramenti, scilicet gratiam cum virtutibus sicut adulti, quamvis per eas non operentur." — „Notandum, quod potentiae animae dupliciter impediuntur, ne debite exeant in actus suos. Uno modo a corporis imperfectione et corruptione, et sic impediuntur in parvulis et stultis et dormientibus; et contra hoc impeditivum est corporis perfectio et bona dispositio. Alio modo impediuntur ab habitu malo, et a concupiscentia, sive a culpa; et contra hoc impedimentum est gratia, sive virtutes, per quas expediuntur ad operandum. Virtutes ergo reddunt potentias faciles, ipsas perficiendo, et hoc removendo culpam; aliam autem expeditionem non faciunt. Unde cum parvulus sit habens utrum-

*) Ab iis, qui ex haeresi ad catholicam fidem redeuntes baptizantur sub conditione, exigitur ut, collato baptismo, praeteritae vitae peccata confiteantur, et ab eis sub conditione absolvantur. Ita decrevit S. R. et U. Inquisitionis Congregatio die 17 junii 1715, et iterum die 17 decembris 1868.

*) „Sancta Synodus ... statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur." *Conc. Trid. sess. 24, decr. de reform. matrim. cap. 2.* — „Sanctissimus decrevit, catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse: absolute autem non licere, nec per se, nec per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur." *Decr. S. Off. diei 10 maji 1770.*

que impedimentum, alterum removetur per virtutes, non utrumque; et ideo non est omnino facilis ad operandum. Hujusmodi autem habitus expeditivus habet triplicem ortum, nam quidam est innatus, quidam acquisitus, quidam infusus. Primus incipit cum natura, et ab ejus principiis ortum habet; et ideo est in natura imperfecta imperfectus, et cum natura crescente crescit, et cum natura perfecta perficitur, ut patet in naturali judicatorio. Secundus vero, scilicet acquisitus, ortum habet a libero arbitrio, qui non habet usum, donec natura aliquo modo perficiatur; et ideo sequitur naturam perfectam. Tertius vero ortum habet a Deo, non a natura, nec a libero arbitrio. Et quia non habet ortum a libero arbitrio, potest esse in parvulo ante usum liberi arbitrii. Quia vero non habet ortum a natura, potest esse perfectus, natura existente imperfecta." *4. dist. 4. p. 2. a. 2. q. 2.* — „Aequaliter dat Deus gratiam parvulis in baptismo de lege communi, quia tamen non est ejus potentia alligata sacramento, majorem potest dare uni quam alteri." — „Dicendum quod gratia mensuratur secundum liberalitatem Dei dantis, non secundum qualitatem suscipientis, nisi de congruo; et hoc secundum quod suscipiens se praeparat, non secundum quod est capax. Quia ergo Deus operatur ibi secundum exigentiam sacramenti, et ulterius unus non est dispositus magis quam alter; ideo aequaliter omnibus parvulis dat, quantum est de lege communi. Quia tamen potestas ejus non est alligata sacramento, non est necesse, quod semper det aequaliter, sed potest facere cui vult privilegium speciale." *Ibid. q. 3.*

CAPUT VIII.

De integritate confirmationis.

(Sacramentum confirmationis cur institutum. — Ad ejus integritatem in forma exprimendum est, praeter actum confirmandi, signum etiam crucis, et nomen Trinitatis. — Ejus materia est oleum olivarum balsamo permixtum, — quae applicatur per impositionem manus Episcopi super confirmandum, et per crucis impressionem in ejus fronte.)

De sacramento confirmationis hoc tenendum est, quod ad ipsius integritatem requiritur forma vocalis, quae secundum morem magis communem haec [a] est: *Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis; in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen* [1]. Requiritur etiam chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum et balsamo, de quo cum per manus Episcopi [2] signum crucis fronti imprimitur sub praedicta forma verborum, confirmationis suscipitur sacramentum, per [b] quod confirmatur homo ut pugil ad nomen Christi audacter et publice confitendum (I) [3].

[a] Haec om. ed. 1484.

[b] Propter ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, sicut aeternaliter conceptum est in corde Patris, et temporaliter in carne sensibiliter apparuit homini; sic neminem reparat, nisi ipsum et corde credendo concipiat, et creditum exterius confitendo depromat confessione debita, cujusmodi est confessio veridica, veritate plena, quae non tantum est veritas speculativa [4], verum etiam practica. Haec autem est, in qua non tantum est adaequatio intellectus, sermonis et [c] rei [5]; verum etiam in qua totus homo veritati conformatur secundum intelligentiam rationis, secundum complacentiam voluntatis, et secundum adhaerentiam

[c] Et om. ibid.

(I) Protestantes, quibus praeluserant Photius, Waldenses, Wicleffitae et Husitae, confirmationem otiosam quandam caeremoniam appellarunt, quam proinde quilibet sacerdos conferre potest. Injurios insuper Spiritui sancto dixerunt, quotquot sacro confirmationis chrismati virtutem tribuunt.

Sed contra est definitio Concil. Trident. *sess. 7. de confirm. can. 1*: „Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum ac proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit." Et *can. 2:* „Si quis dixerit, injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit." Et *can. 3:* „Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit."

Hîc tamen admonendum est, in Ecclesia Graeca antiquam etiam nunc vigere consuetudinem confirmandi infantes immediate post baptismum. Praeterea ab immemorabili mos invaluit ab Episcopis demandandi presbyteris munus conferendi sacramentum confirmationis, qui mos adhuc in ea Ecclesia perseverat, ex tacita saltem conniventia Romanorum Pontificum, ut ait Benedictus XIV *de Synodo dioec. lib. 7. cap. 9. n. 3.* Quoad ministrum extraordinarium hujus sacramenti in Ecclesia Latina, diximus superius ad *cap. V hujus part. not. *.*

virtutis, ut sic [d] *ex toto corde, tota anima et tota mente (Matth. 22, 37)* [c], sit *ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta (1. Tim. 1, 5):* et talis est confessio integra, placida et intrepida; ut sit integra [e], ratione ejus de quo est; placida, ratione ejus coram quo fit; intrepida, ratione ejus a quo fieri habet illa confessio. Quoniam ergo ad hoc homo pusillanimis non est idoneus, nisi per manum supernae gratiae confirmetur [7]; ideo ad [f] hoc sacramentum confirmationis fuit divinitus institutum [8], tanquam immediate sequens baptismum [9].

d) Sic ibid. In cet. sit.

e) Ante integra ed. Romana ponit ex; quod om. editt. Arg. Aug. Ven.

f) Ad om. ed. 1484.

Quia vero finis imponit necessitatem iis, quae sunt ad finem; ideo integrari debet hoc sacramentum secundum exigentiam confessionis praedictae, et suarum conditionum, trium videlicet praedictarum. Primo ergo, quoniam confessio haec debet [g] esse integra, et integritas confessionis non est, nisi quis confiteatur Christum verum hominem pro hominibus crucifixum, eumdemque verum Dei filium incarnatum [h] in Trinitate Patri et Spiritui sancto per omnia coaequalem; hinc est, quod in forma vocali non tantum fit expressio actus confirmandi, verum etiam ipsius signi crucis, et nominis beatissimae Trinitatis. Amplius, quia confessio debet esse placida, ratione ejus coram quo fit, et fieri habet coram Deo et hominibus, et Deo non potest placere, nisi adsit lumen intelligentiae et nitor conscientiae, nec proximis [i], nisi adsit odor bonae famae et vitae honestae; ideo ad horum designationem in [j] elemento exteriori commiscetur oleum olivarum, quod est nitidum, et balsamum, quod est odoriferum; ut per hoc significetur quod confessio, ad quam hoc sacramentum ordinat et disponit, conjunctum debet habere nitorem conscientiae et intelligentiae cum suavi odore tam vitae quam famae, ne contrarietas aliqua sit inter linguam et conscientiam, vel inter linguam et famam, propter [k] quam talis confessio non [l] acceptetur ab homine, nec approbetur a Christo [10].

g) Habet ibid.

h) In unitate ibid.

i) Proximo ibid.

j) In om. ibid.

k) Per ibid.

l) Nec ibid.

Postremo, quoniam talis confessio debet esse intrepida, ut nec pudore, nec timore dimittat quis dicere veritatem, et tempore persecutionis [m] ignominiosam mortem Christi in cruce confiteri publice formidat quis et erubescit, praecipue horrens incidere in consimilem poenam et ignominiam passionis, et hujusmodi timor et pudor potissime apparet in facie, et maxime in fronte [11]; ideo ad omnem verecundiam et formidinem propulsandam, et manus potestativa imponitur, quae confirmet, et crux fronti imprimitur, ut non erubescat eam publice confiteri, nec formidet pro confessione nominis Christi, si opus fuerit, quantamcunque poenam vel ignominiam sustinere, tanquam verus pugil unctus [n] ad praelium, et tanquam strenuus miles ferens in fronte regis sui signum et crucis ejus triumphale vexillum, cum quo paratus sit penetrare hostium cuneos securus. Non enim potest crucis gloria libere praedicari, si crucis poena et ignominia formidetur, juxta quod sanctus dicebat Andreas: „Ego si crucem expavescerem, gloriam crucis minime praedicarem.“ *)

m) Christi add. ibid.

n) Linitus ibid.

*) *Martyrium S. Andreae, c. 4* apud Galland. Biblioth. *vol. 1. pag. 155.*

Ad Caput VIII.

[1] „In hoc sacramento datur gratia ad robur fidei quantum ad confirmationem in corde, et quantum ad confessionem liberam in ore. Et quia difficillimum et arduissimum erat Christum crucifixum confiteri, tum propter opprobrium, secundum quod dicitur: *Praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (1. Cor. 1, 23);* tum propter periculum, quia adversarii tales nitebantur occidere: *Haec facient vobis propter nomen meum (Jo. 15, 21);* hinc est, quod decuit duplicem actum in forma poni, unum, qui respicit liberam crucifixi

confessionem, quasi eam semper ferret in fronte; alterum, qui respicit cordis stabilitionem.“ *4. dist. 7. a. 1. q. 1 ad 3.*

[2] „Confirmatio non potest conferri nisi ab Episcopis, quia ipsi sunt praelati principales in Ecclesia.“ — „Ratione videtur, quia dicit quaedam Glossa, quod Philippus ille, ad cujus praedicationem Samaritani crediderant *(Act. 8, 12)*, non poterat manus imponere, quia non erat Apostolus; ergo solum Apostolis hoc concessum erat.“ — „Dicendum quod illud sacramentum nec potest, nec debet per alios dispensari; et si alii praesumunt, nihil faciunt. Et ratio hujus est, quia auctoritas Ecclesiae fuit derivata ad membra secundum ordinem Ecclesiae primum; unde sicut soli Apostoli hoc poterant, sic nunc soli eorum successores possunt. Sed tunc est quaestio, quare hoc sacramentum et ordinis a solis Episcopis traditur, et solis Episcopis fuit commissum. Dicendum quod ratio hujus est, quia ipsi et eorum successores sunt praelati in Ecclesia principales. Praelati autem duplex est officium, scilicet inferiores in gradu suo statuere et collocare in ordine, et murum opponere se, sive gregem suum defendere; ideo ipsi soli ordines faciunt et corroborant. Aliter dicunt aliqui, quod in his duobus sacramentis datur gratiae plenitudo; ideo ab his debent dari, qui habent plenitudinem auctoritatis, ab aliis non. Propter hanc eamdem rationem consecrare Ecclesias et Abbates, quia sunt opera excellentiae, solis Episcopis sunt concessa, pro eo quod habent excellentem auctoritatem. Alia ratio potest reddi, quod ipsis Episcopis est cura de subditis, et maxime de clericis, cum curam habeant de omnibus, licet aliis commissa sit custodia, tamen placuit Spiritui sancto, ut aliquod sacramentum omnes subditi a praelato reciperent immediate, similiter quod clerici aliquid: et id est duplex sacramentum, in quo duplex imprimitur signaculum. Unde et Apostolus ad Romanos *(1, 11): Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis spiritualis gratiae ad confirmandum vos.* Multae possunt hîc rationes assignari et convenientiae, quia in talibus magis locum habet congruitas quam necessitas, quia institutio necessitatem facit praecipue. Ad illud, quod objicitur de baptismo, dicendum quod non est simile; quia enim baptismus est sacramentum necessitatis, ideo potestas ejus omnibus est concessa: non sic autem est de confirmatione. Ad illud quod objicitur, quod Spiritus sanctus operatur ubi est, dicendum quod gratia Spiritus sancti, per quam dicitur in nobis operari, duplex est, scilicet gratum faciens, et sic operatur opera nostra ad salutem ejus in quo est; et gratia gratis data, et per hanc operatur salutem in altero: et haec manet in homine, gratia gratum faciente recedente, ex dispensatione divina, ut subditi salus non impediatur malitia praelati . . . Ad illud quod objicitur, unde habeat hoc Episcopus, dicendum quod nec a jurisdictione, nec ab ordine sacerdotali, sed ab auctoritate et dignitate episcopali; et haec dicit ordinem in eminentia. Haec autem eminentia confertur Episcopo, cum consecratur; et ideo si renuntiet jurisdictioni, adhuc potest confirmare. Quamvis ergo non habeat ex ordine sacerdotali, nec ex jurisdictione temporali, habet tamen ex aliquo, quod superexcellit utrumque. Aliqui dicunt tamen, quod hoc habet ratione institutionis.“ *4. dist. 7. a. 1. q. 3. fund. concl. et ad 1. 2. 4.* — „Quamvis sacerdos non possit propria auctoritate, tamen pro causa necessaria summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, potest alii quam Episcopo committere; et ille non facit auctoritate sua, sed auctoritate sibi commissa; unde ille potius facit, cujus auctoritate fit. Unde non est dubium, quin pontificalis auctoritas sit de necessitate hujus sacramenti.“ *Ibid. dub. 1.* Vide superius *ad cap. 5. not. *.*

[3] „Confirmationis sacramentum competit omni sexui existenti in pugna spirituali.“ — „Est necessarium non necessitate absoluta, sed conditionata; et contemnens periculo se exponit.“ — „Dicendum, quod est necessitas simpliciter, et est necessitas conditionata. Simpliciter non est gratia confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti et vincere volenti, sicut comedere necessarium est vivere volenti. Unde Melchiades Papa dicit, et habetur de consecratione: Quia in hoc mundo aetate victuris inter hostes invisibiles et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam, quia omnes viventes in pugna vivunt, quia *militia est vita hominis super terram (Job 7, 1).* Ex institutione ergo Ecclesiae est, quod nullus ab hoc sacramento excipitur; sed omnes suscipere debent, ut sint strenui pugnatores. Et ideo si quis, cum habet locum et tempus et opportunitatem, negligendo contemnit, periculo se exponit.“ *4. dist. 7. a. 3. qq. 1. 2.*

[4] „Veritas potest considerari in comparatione ad illud, in quo est; et sic verum est, quod dicit Augustinus: Veritas est id, quod est. Alio modo per comparationem ad intellectum, quem movet; et sic veritas, sicut dicit philosophus in Metaphysica, est finis intelligentiae speculativae.“ *1. dist. 3. p. 1. dub. 7.*

[5] „Est enim veritas rerum, veritas signorum, seu vocum, et veritas morum. Veritas rerum est indivisio entis et esse, veritas sermonum est adaequatio vocis et intellectus, veritas morum est rectitudo vivendi. Et istae sunt tres partes philosophiae, quas philosophi non invenerunt, ut essent; sed quia jam secundum veritatem essent, omnino adverterunt, secundum Augustinum. Haec triplex veritas consideratur ex parte principii originantis, ex parte subjecti suscipientis et ex parte objecti terminantis. Respicit autem originans principium in ratione triplicis causae, originantis, exemplantis et terminantis, nam *ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. 11, 36).* Ergo veritas indicat, quod mens nostra fertur naturali inclinatione ad veritatem, secundum quod est causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi: secundum causam essendi, veritas rerum; secundum rationem intelligendi, veritas vocum; secundum ordinem vivendi, veritas morum. Ex parte autem animae omnis irradiatio veritatis super intelligentiam nostram, aut fit super ipsam absolute, et sic pertinet ad notitiam rerum speculandarum: aut in comparatione ad interpretativam, et sic est veritas vocum: aut in comparatione ad effectivam et motivam, et sic est veritas operabilium. Ex parte objecti sic: omne quod est, aut est a natura, aut a ratione, aut a voluntate. Secundum primam est notitia, quae est de rebus, secundo modo de sermonibus, tertio modo de moribus. Ergo secundum principium, subjectum et objectum, est triplex radius veritatis in anima, per quam possit anima non solum elevari ad perpetua, sed etiam in causas omnium. Sed si addatur condimentum fidei, tunc potest eo facilius,

ut causa essendi attribuatur Patri, ratio intelligendi Filio, ordo vivendi Spiritui sancto.“ *Serm. 4. in Hexaëm. in princ.*

[6] „Exponuntur ab Augustino *(l. 1. de doct. christ. c. 22)* sic: *Ex toto corde,* id est ex toto intellectu, sine errore; *ex tota anima,* id est ex tota voluntate, sine contradictione; *ex tota mente,* id est ex tota memoria, sine oblivione . . . Et a Bernardo *(serm. 20 in Cantic.)* sic: *Ex toto corde,* id est sapienter; *ex tota anima,* id est dulciter; *ex tota fortitudine,* id est fortiter, ut non seducamur fallaciis, non abducamur blanditiis, non frangamur injuriis. Et ad haec tria reduci possunt illa tria: *Ex corde puro, conscientia bona et fide non ficta.“ 3. dist. 27. dub. 3.*

[7] „Gratia baptismi et gratia confirmationis, in quantum gratum faciens, eadem est, sed respectu effectus est diversa.“ — „Utraque gratia est gratum faciens; sed in una anima est una gratia gratum faciens, quia duo accidentia, et maxime accidentia simplicia, in eodem subjecto esse non possunt, cum sint ejusdem speciei; ergo constat, quod una numero.“ — „Item eadem per essentiam est virtus debilis et robusta; ergo gratia baptismalis similiter et gratia confirmationis eadem.“ — „Item gratia praeveniens et subsequens est eadem per essentiam; sed sic se habet gratia baptismalis et confirmationis, quia baptismalis praevenit, ut homo juste velit, confirmatio confirmat, ne frustra velit; ergo etc.“ — „Cum quaeritur, utrum gratia, quae datur in sacramento baptismi et confirmationis, sit eadem vel alia, ista quaestio dupliciter potest intelligi. Vel quod in sacramento confirmationis non confertur aliqua gratia, nec aliquis character, sed solum baptismalis confirmetur sine alicujus appositione: et hoc quidem est quaerere, utrum in confirmatione conferatur aliqua gratia. Si enim confertur, cum non conferatur quod collatum est, patet quod ista quaestio ex praecedenti quaestione soluta est, quia ibi datur gratia . . . Vel potest quaeri, utrum sint eaedem vel eadem, esto quod in utroque detur gratia, ita quod ex his una gratia per essentiam fiat, sicut fit de eo quod auget, et de eo quod augetur. Et hîc sunt tres positiones. Quidam enim dicunt, quod differunt essentialiter, sicut virtutes et dona, quia in baptismo datur gratia, quae influens in potentias facit virtutes; in confirmatione vero datur gratia, quae influens in potentias facit dona; in ordine vero datur gratia, quae influens in potentias facit beatitudines. Etsi pulchra videatur haec positio, tamen veritatem non habet, quia in virtutibus et donis ponit gratiam essentialiter differre. Rursus, connexionem illorum dissolvit, in sacramentis enim non est connexio, ut in virtutibus et donis. Alia positio est, quod gratia haec et baptismalis, etsi sint gratum facientes, differunt tamen in essentia, sicut morbi contra quos ordinantur. Et distinguuntur in subjecto, quia in diversis partibus animae potentialibus; ut sicut partes animae, partes corporis, sic partes gratiae, partes animae, sive potentias perficiant. Unde dicunt, quod distincte manent in anima, nec una auget aliam, nec confirmat, nisi per accidens, scilicet quia confirmat hominem. Tertio modo potest dici, quod gratia gratum faciens in anima est una, quia una est anima, quae gratificatur, et uni; et rursus, tota gratia tollitur unico peccato. Propter hoc dicendum aliter, sicut in virtutibus gratuitis, quod est ibi gratia et habitus substratus, et gratia una in omnibus, sed habitus substrati alii et alii. Sic in sacramentali etiam gratia et est gratia gratum faciens, et effectus specialis, quem habet virtute sacramenti; et in quantum gratum faciens una est, sed ratione effectuum distinguuntur. Et quia sacramentum signat gratiam, ut in tali effectu; ideo signa et sacramenta sunt diversa. Concedendum est ergo, quod gratiae baptismali superadditur gratia confirmationis, quae habet alium effectum, scilicet ablationem pusillanimitatis; et hoc probant tres primae rationes. Concedendum est etiam, quod cedit in unam, sicut probant tres sequentes rationes. Quamvis enim gratia per essentiam sit eadem, tamen effectus, ad quem ordinatur, est alius et alius; et ideo non est repugnantia inter rationes illas. Gratia enim in anima una est gratum faciens, sed effectus sunt multi et varii. Et quoniam signa sacramentalia ordinantur ad gratiam secundum effectus curationis; ideo sunt varia signa et sacramenta, et non solum signa exteriora et visibilia, sed etiam interiora, ut puta sunt characteres, qui sunt signa distinctiva.“ *4. dist. 7. a. 2. q. 2. fund. et concl.* — „Gratia confirmationis cum praesuppositione est major gratia baptismali, sed praecise loquendo major est illa baptismi.“ — „Gratia baptismalis est contra culpam originalem et omnes ejus sequelas; sed gratia confirmationis contra unam sequelam, ut puta pusillanimitatem; sed congruum est contra morbum majorem efficaciorem dari medicinam; ergo etc.“ — „Item ratione effectus primi videtur, quia majus donum est de inimico fieri amicum, quam de amico magis amicum; sed in baptismo fit homo amicus, in confirmatione autem magis amicus; ergo in baptismo confertur majus donum.“ — „Item baptismus facit hominem innocentem, et statim aperit caelum; sed hoc non facit confirmatio, nec aliud sacramentum; ergo baptismus est efficacius sacramentum.“ — „Dicendum quod gratia confirmationis praesupponit gratiam baptismalem, sicut bene esse supponit esse. Quando ergo fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dupliciter. Uno modo cum praesuppositione; et sic omnino major est gratia confirmationis quam baptismalis, sicut bene et perfecte vivere melius est quam vivere, quia hoc addit ad illud, et complet. Si autem intelligatur praecise, ut scilicet haec gratia, quae additur, sit major vel minor, dicendum sine dubio, quod non est tantae efficaciae, ut patet, quia vivificare mortuum major gratia est et potentia, quam jam vivificatum sanare vel fortificare, praecise loquendo; sed cum praesuppositione majus est esse vivum et sanum, quam vivum tantum.“ *Ibid. q. 3. fund. et concl.*

[8] „Si hoc verum est, eucharistia confirmat; unde illud Psalmi *(103, 15): Panis cor hominis confirmat.* Ad hoc multipliciter respondetur. Primo modo sic, quod istud sacramentum ordinatur ad robur per se, sed eucharistia per accidens. Sed hoc non solvit, quia sive per se, sive per accidens, dum tamen habeat effectum eundem, videtur alterum superfluere. Secundus modus dicendi est, quod confirmatio confirmat contra malum, sed eucharistia in bono. Sed nec illud sufficit, quia omne sacramentum, cum sit remedium, est contra malum; et ita eucharistia. Alii dicunt, quod duo sunt nobis necessaria, scilicet fides et mores, et unum confirmat in fide, scilicet confirmatio, sed eucharistia quantum ad bonos mores, quia, ut dicit Bernardus, eucharistia non solum delet venialia, sed etiam

consensum fortificat, ne inclinetur ad mortalia. Alii dicunt, quod utrumque fortificat fidem; sed duo necessaria sunt ad fidem firmam, scilicet corde credere et ore confiteri: et eucharistia confirmat quantum ad fidem in corde, sed confirmatio quantum ad confessionem, sive prolationem in ore. Alii dicunt, quod utrumque fortificat a caritate, quia ab ejus fortitudine pendet fortitudo omnium; sed caritas potest deficere dupliciter, scilicet per defectum alimenti, vel per actionem contrarii, sicut patet in igne materiali: et contra primum est eucharistia, quae cibat; contra secundum confirmatio, ut impugnantibus resistat. Alii dicunt aliter et probabilius, quod confirmatio est ad corroborationem fidei, sed eucharistia caritatis. Et hoc patet, quia hîc est signum confessionis fidelis, ibi signum unionis. Et si quaeratur, quare magis confirmantur hae duae virtutes quam aliae, dicendum quod quia in his duabus pendet fortitudo spiritualis aedificii, quantum ad intellectum et affectum. Et quia in fide est prima elevatio, in caritate elevatio summa, et utrobique difficultas, et quia pronitas est ad contrarium; ideo magis confirmantur.“ *Ibid. dub. 2.*

[9] „Non baptizatus non potest confirmari, nisi prius baptizetur. Ratio autem hujus venit ex duplici re hujus sacramenti. Primo ex parte gratiae, quia ibi datur gratia justificans, hîc roborans; et ista praesupponit illam. Alia ratio venit ex parte characteris, quia character ille fundamentum est aliorum; ideo, illo non impresso, alii non possunt imprimi. Et quoniam, cum in sacramentis non imprimatur character, in quibus aptus natus est imprimi, dicitur nihil fieri; ideo non baptizatus non potest in tali statu confirmari . . . Quomodo autem character baptismalis fundamentum sit, patet; quia ille respicit fidem, sive inchoationem fidei, et alii respiciunt statum fidei; et sicut se habet fides ad statum, ut alii status ad initium, sic character ad characterem.“ *4. dist. 7. a. 3. q. 3.*

[10] *4. dist. 7. a. 1. q. 2.*

[11] „Inter partes, quae se offerunt sensibus nostris, caput est dignius, et in capite facies, scilicet anterior pars; et ideo hoc sacramentum datur in facie, sed magis in fronte, quia ibi est sedes verecundiae. Unde quia hoc sacramentum est contra confusionem et verecundiam confitendi nomen Christi, quae linguam contrahit, ne aperte dicat, debet hoc sacramentum in fronte dari. Frons quidem pars est faciei eminentior; unde dixerunt quidam, quod in nova lege fit prima unctio in capite ratione virtutis, secunda vero in fronte, tertia iterum in capite. Et prima fit in baptismo, secunda vero in confirmatione, tertia vero in Episcopi consecratione. Et prima signata est in prima unctione *(1. Reg. 16, 13)*, secunda vero in unctione David super domum Juda *(2. Reg. 2, 4)*, tertia vero in unctione David super cunctum regnum *(2. Reg. 5, 3)*. Et satis possunt aptari istis, si quis inspiciat. In prima enim David non habuit potentiam, in secunda habuit potentiam et resistentiam, in tertia habuit potentiam et praesidentiam super gentem suam.“ *4. dist. 7. dub. 4.*

CAPUT IX.

De integritate eucharistiae.

(Eucharistia instituta fuit, ut genitos in esse gratiae et roboratos enutriret, — conservando in eis devotionem ad Deum per sacrificium oblativum, — dilectionem ad proximum per sacramentum unitivum, — delectationem intra seipsos per viaticum refectivum. — In ea datur corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini; — et ad prolationem duplicis verbi fit transubstantiatio, — remanentibus solis accidentibus, — et sub utraque specie uno, toto et indiviso Christo contento. — Ad eam digne suscipiendam fides et caritas exigitur; — et celebranda est cum solemnitate praecipua quoad omnia adjuncta.)

De sacramento eucharistiae[1] hoc tenendum est, quod in hoc sacramento verum Christi corpus et verus sanguis non tantum significatur, verum etiam veraciter continetur sub duplici specie, panis scilicet et vini, tanquam sub uno, et non sub duplici sacramento[2]; hoc autem est[a)] post consecrationem sacerdotalem, quae fit in prolatione vocalis formae a Domino institutae[3], super panem scilicet: *Hoc est corpus meum*[4], super vinum vero: *Hic est calix sanguinis mei*[5]. Quibus verbis[6] cum intentione conficiendi a sacerdote prolatis[7], transubstantiatur utrumque elementum secundum substantiam in corpus et sanguinem Jesu Christi, remanentibus speciebus sensibilibus, in quarum utraque continetur totaliter, non circumscriptibiliter, nec localiter[b)], sed sacramentaliter totus Christus. In quibus etiam proponitur nobis ut cibus, quem qui digne accipit, non solum sacramentaliter, verum etiam per fidem et caritatem spiritualiter manducando, corpori Christi mystico magis incorporatur, et in seipso reficitur et purgatur; qui vero indigne accedit, *judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans sanctissimum corpus Domini (1. Cor. 11, 29)* (I).

a) Est om. ed. 1484.

b) Nec localiter om. editt. Nor. Arg. Ven. et 1484.

(I) Quum eucharistia considerari possit vel prout sacramentum, vel prout sacrificium, idcirco in enumerandis erroribus contra ipsam exortis eadem distinctio servabitur.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, et sufficientissimum est [c] in virtute, et sapien-

c) Est om. ed. 1484.

In augustissimo igitur sacramento eucharistiae plura impugnata passim fuere, ejus nempe natura et institutio, materia, forma, minister, necessitas, dispositiones, virtus et effectus, de quibus proinde singillatim dicendum occurrit.

Ac primo, quoad eucharistiae naturam et institutionem, ipsam eucharistiam non stabilem ac permanentem, sed in solo usu ac sumptione positam, Lutherani et Calvinistae contenderunt, ex quo pronum ipsis fuit inferre Christum in eucharistia latreutico cultu minime honorandum esse, eamque neque servari, neque ad infirmos deferri posse. Sed contra eos Conc. Trident. decrevit *sess. 13. can. 4:* „Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.“ Et *can. 6:* „Si quis dixerit, in sancto eucharistiae sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras; anathema sit.“ Et *can. 7:* „Si quis dixerit, non licere sacram eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem astantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.“ Consuetudo praeterea, quae a priscis temporibus ad nos usque in Ecclesia constanter et universaliter viguit, Protestantium figmenta condemnat.

Secundo, realem Christi praesentiam in eucharistia Berengarius archidiaconus Andegavensis, omnium primus, ut videtur, inficiatus est, qui a Lanfranco archiep. Cantuariensi scriptis exagitatus, et in Conciliis Romanis an. 1059 sub Nicolao II, et an. 1079 sub S. Gregorio VII, et in Burdigalensi, eodem anno, anathemate perculsus, post iteratos relapsus, poenitens in Ecclesiae sinu diem supremum obiit. Berengarii haeresim saec. XII instaurarunt Petrobrussiani, et saec. XVI Zwinglius, Carlostadius, Oecolampadius, Bucerus et Calvinus, ac tandem Sociniani et Rationalistae, quos omnes sub unico Sacramentariorum nomine scholae appellare consueverunt. Porro contra eos Concil. Trident. *sess. 13. can. 1:* „Si quis negaverit, in sanctissimae eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.“

Tertio, Calvinistae eo ipso intulerunt Christum in eucharistia nonnisi spiritualiter sumi. Sed contra est Concil. Trident. *sess. cit. can. 8:* „Si quis dixerit, Christum in eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter; anathema sit.“

Quarto, dogma transubstantiationis negatum fuit a Lutheranis, qui absurda figmenta *impanationis* et *invinationis,* vel etiam *consubstantiationis,* seu *companationis,* invexerunt. Contra autem Concil. Trident. *l. c. can. 2:* „Si quis dixerit, in sacrosancto eucharistiae sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.“ Huc etiam refertur censura propos. 29 Synodi Pistoriensis.

Quinto, Christum in qualibet sacramenti specie, et sub singulis cujusque speciei partibus contineri, inficiati sunt sacramentarii. Adversus quos Conc. Trid. *l. c. can. 3*: „Si quis negaverit, in venerabili sacramento eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis utriusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.“

Sexto, necessitatem sumendi utramque speciem eucharisticam adstruit quaedam ex Husitis secta, cujus adepti Calixtini idcirco fuerunt nuncupati. Hunc errorem etiam Protestantes adoptarunt. Sed contra Conc. Trident. *sess. 21. can. 1:* „Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere; anathema sit.“ Et *can. 2:* „Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit.“ Et *can. 3:* „Si quis negaverit, totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur; anathema sit.“ Neque contraria consuetudo in Ecclesia olim recepta his canonibus vim infert, etenim ipsum Concilium *ead. sess. cap. 2* declaravit, „hanc potestatem perpetuo in Ecclesia

tissimum est in sensu; ideo sic nobis contulit sacramenta, secundum quod exigit sapientia et sufficientia [d] sua. Et quia sufficientissimum est, ideo largiendo medicamenta fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret."

d) Sufficientia ibid. et ABCD et editt Arg. Aug. Nor. Ven. Efficientia ed. Rom.

Errores recensiti naturam et institutionem eucharistiae respiciunt; quoad vero materiam, quae constituitur ex pane triticeo et vino ex vite, Michaël Caerularius, Photiani schismatis instaurator, Ecclesiam Latinam accusavit, eo quod panem azymum in eucharistia conficienda adhiberet, contra usum Ecclesiae Graecae, in qua panis fermentatus consecratur. Porro Concil. Florentinum sancivit: „Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici."

Praetermissis autem antiquis Ebionitis, Encratitis et Manichaeis, qui aquam vino substituerant, mixtionem aliquarum aquae guttularum cum vino, quam ex praecepto Ecclesiae facere jubemur, Lutherani humanum figmentum, Calvinistae vero indifferentem ac liberam dixerunt. Contra quos Concil. Trident. *sess. 22. can. 9*: „Si quis dixerit . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit." Id autem statutum fuisse docet Tridentinum *l. c. cap. 7:* „tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi *(17, 15)* beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur."

Quoad eucharistiae formam, quae est in verbis consecratoriis; eam vel inutilem, vel erroribus scatentem Protestantes ac Rationalistae passim effutierunt. Contra quos Concil. Trident. *l. c. can. 6:* „Si quis dixerit, Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum; anathema sit."

Quoad ministrum consecrationis, Montanistae saec. III omnibus, etiam mulieribus, Waldenses quibusque viris, Lutherus cuilibet Christiano baptizato potestatem tribuerunt consecrandi eucharistiam. Postremus autem ad confusionem vitandam, extra casum necessitatis, delegationem requirebat. Itaque contra eos Concil. Trident. *l. c. can. 2:* „Si quis dixerit, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit."

Quoad necessitatem, nonnulli ex Graecis schismaticis et plures Calvinistae autumarunt eucharistiam necessitate medii necessariam, et etiam parvulis*); qui quidem error jamdiu obsolevit. Contra eum tamen Conc. Trident. *sess. 21. can. 4:* „Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem; anathema sit."

Eucharistiae autem sumptionem esse de necessitate praecepti divini, ita ut nulli adulto liceat ab ea prorsus abstinere, evincitur ex verbis ipsius Christi apud *Joann. 6, 54:* „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis." Denique ex praecepto Ecclesiae omnes fideles adulti, saltem semel in anno, scilicet in Paschate, ad sacram eucharistiam accedere tenentur ex decreto Concil. Oecum. Lateran. IV sub Innocentio III, et oppositum censura inussit Trident. *sess. 13. can. 9:* „Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae; anathema sit."

Quoad dispositiones, opposito errore Protestantes ac Jansenistae peccarunt. Illi quidem, quia fidem, seu potius fiduciam, minime vero conscientiae puritatem requirunt. Isti, quia condignam de peccatis patratis poenitentiam, et amorem Dei purissimum exigunt, ex quo fit, ut a frequenti communione fideles arceant, catholicosque ad eam frequenter accedentes, irreverenter ac sacrilege erga sacramentum se habere contendant. Porro contra primos Conc. Trident. *sess. 13. can. 11:* „Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum sanctissimae eucharistiae sacramentum; anathema sit." Contra secundos est censura duarum propositionum ab Alexandro VIII damnatarum, quae sunt: „Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint." — „Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers."

Excessu etiam nonnulli inter catholicos aliquando peccarunt, dictitantes usum quotidianae commu-

*) Antiqua Ecclesiae consuetudo obtinuit, ut sanctissimae eucharistiae participes fierent infantes statim post baptismum, quae quidem consuetudo apud Graecos etiamnum perseverat. Quandonam in Ecclesia Latina obsoleverit, incertum est; vestigia postrema hujus ritus inveniuntur apud Hugonem a S. Victore, qui saeculo duodecimo vixit.

morborum et charismata gratiarum, non tantum instituit sacramentum, quod nos in esse gratiae generaret, ut baptismus, et genitos augmentaret et roboraret, ut confirmatio;

nionis esse de jure divino. Contra quos S. C. Concilii die 12 februarii an. 1679 haec statuit: „Usum quotidianae vel frequentis communionis semper probatum fuisse a Patribus, nihil tamen hac in re praecepisse Concil. Trident., sed tantum optasse, ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicarent. Idque merito, cum ex altera parte magna sit humana infirmitas, ex altera multa gratiae dona a Deo concessa, quae humanis oculis scrutari non possimus. In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana sacrae communionis sumptione, unica praecepti formula, deterreantur; sed magis quid singulis permittendum per se aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet, illudque omnino provideat, ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici corporis suavitatem degustet . . . Porro episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes communionem quotidianam esse de jure divino."

Quoad demum effectus, ipsimet Protestantes contenderunt primarium, vel etiam unicum, eucharistiae effectum esse remissionem peccatorum. Sed contrarium definivit Tridentinum *sess. 13. can. 5:* „Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit."

Hucusque de eucharistia, quatenus est sacramentum; nunc vero aliquid circa ipsam dicendum occurrit, prout est sacrificium. Porro sacrificium eucharisticum considerari potest tum in seipso, tum in suis adjunctis. In seipso spectato, ejus veritatem Lutherus a diabolo, ut ipse fatetur, edoctus, negavit, cui ceteri sectarii suffragati fuerunt. Contra eum Conc. Trid. *sess. 22. can. 1:* „Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit." Et *can. 3:* „Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit." Et *can. 4:* „Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit."

Imposturam praeterea Lutherus appellavit celebrationem Missae in honorem sanctorum, quod damnatum fuit in Trid. *l. c. can. 5*: „Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit."

Missam quoque privatam idem Lutherus diabolico conatu abrogare contendit, illicitamque autumavit eam, in qua nemo praeter celebrantem sacramentaliter communicatur. Huic haeresi propius accessit Synodus Pistoriensis, quae, agnito principio „victimae participationem esse partem sacrificii essentialem," addidit *prop. 28:* „Non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo." Contra Lutherum autem Conc. Trid. *l. c. can. 8:* „Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas; anathema sit." Contra Synodum vero est censura praedictae propositionis lata a Pio VI in Constit. *Auctorem Fidei;* in qua ea „quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus, qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant, et quasi damnandae essent ut illicitae Missae illae, in quibus, solo sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter sive spiritualiter communicat", damnata fuit ut „falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens."

Jansenistae praeterea negant esse in arbitrio sacerdotis applicare fructum sacrificii cui vult; idque errorem jura Dei magnopere offendentem autumant. Hujusmodi figmentum proscriptum invenitur in censura *prop. 30* praedictae Synodi Pistoriensis: „Doctrina Synodi, — qua dum profitetur credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis; *dein continuo subjicit:* non tamen, quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem veluti magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet: *unde et consequenter traducit veluti* falsam opinionem invectam in populum, quod illi qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebrent unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant: — Sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem et orationem, specialis illa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis per-

verum etiam quod genitos et augmentatos enutriret, ut sacramentum eucharistiae, propter quod haec tria sacramenta omnibus dantur, qui accedunt ad fidem. Quoniam ergo nutrimentum nostrum, quantum ad esse gratuitum, attenditur in unoquoque fidelium per conservationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, et delectationis [e] intra seipsum; et devotio ad Deum exercetur per sacrificii oblationem, dilectio ad proximum per unius sacramenti communionem, et delectatio intra seipsum per viatici refectionem; hinc est, quod principium nostrum reparativum istud sacramentum eucharistiae dedit in sacrificium oblationis, et sacramentum communionis, et viaticum refectionis [8].

e) Dilectionis ed. 1484.

Quia vero principium nostrum reparativum non tantum est sufficientissimum, verum etiam [f] sapientissimum, cujus est omnia agere ordinate; ideo sic dedit et disposuit nobis sacrificium, sacramentum et viaticum exhibere, secundum quod competit tempori [g] gratiae revelatae, statui viae et capacitati nostrae. Primo igitur, quoniam tempus gratiae revelatae requirit, quod jam non offeratur oblatio qualiscumque, sed pura, placida et plenaria; et nulla alia oblatio est talis, nisi illa, quae in cruce fuit oblata [9], scilicet Christi corpus et sanguis; hinc est, quod necessario oportet in hoc sacramento non tantum figurative [10], verum etiam veraciter corpus Christi, tanquam oblationem huic tempori debitam, contineri. Similiter, quia tempori gratiae consonat, quod sacramentum communionis et dilectionis [h] non tantum sit communionem et dilectionem significans, verum etiam ad illam inflammans, ut efficiat, quod figurat; et quod maxime nos inflammat ad dilectionem mutuam, et maxime unit membra, est unitas [i] capitis, a quo per vim amoris diffusivam, unitivam et transformativam manat in nos dilectio mutua; hinc est, quod in hoc sacramento continetur verum Christi corpus et caro immaculata, ut se nobis diffundens, et nos invicem uniens et in se transformans per ardentissimam caritatem [11], per quam se nobis dedit, se pro nobis obtulit, et se nobis reddidit, et nobiscum existit usque ad finem mundi *(Jo. 6, 48 seqq.)*. Per hunc etiam modum refectio competens statui gratiae est refectio spiritualis, communis et salutaris. Refectio autem spiritus est Verbum vitae, ac per hoc refectio spiritualis ipsius [j] spiritus in carne est

f) Et ibid.

g) Tempore ibid.

h) Et dilectionis om. ibid.

i) Cum unitate ibid.

j) Ipsius om. ibid.

sonis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod veluti ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum; *falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*"

Nomine autem adjunctorum veniunt idioma, caeremoniae ac vocis prolatio, quibus sacrificium Missae celebratur. In haec quoque Protestantes et Jansenistae debacchati sunt. Et in primis, quoad idioma, latino vulgare substituendum contenderunt. Sed contra est Conc. Trid. *sess. 22. can. 9:* „Si quis dixerit . . . lingua tantum vulgari Missam celebrari debere . . . anathema sit." Et proscriptio *prop. 86* Quesnelli: „Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae, et intentioni Dei." Et proscriptio etiam *prop. 33* et *66* Synodi Pistoriensis.

Quoad caeremonias, eas directe Protestantes, indirecte Jansenistae impugnarunt. Contra primos Conc. Trid. *l. c. can. 7:* „Si quis dixerit, caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis; anathema sit." Contra secundos, censura, qua a Pio VI notatae fuerunt *prop. 31* et *32* Synodi Pistoriensis, nempe: „Propositio Synodi enuntians, conveniens esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere." — „Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae, floresque apponantur."

Demum quoad vocem, utrique omnia in Missa alta voce recitanda autumarunt. Sed contra est Conc. Trid. *l. c. can. 9:* „Si quis dixerit, Ecclesiae romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse . . . anathema sit."

Verbum incarnatum, seu caro Verbi, quae cibus est communis et salutaris, quia licet sit una, omnes tamen salvantur per ipsam.

Quia ergo non est dare alium cibum spiritualem communem et salutiferum, nisi ipsum verum corpus Christi; hinc est, quod necesse est, ipsum in hoc sacramento veraciter esse contentum, exigente hoc perfectione sacrificii placativi, sacramenti unitivi et viatici refectivi[12], quae debent esse in tempore novi Testamenti, et gratiae revelatae, et veritatis Christi.

k) Videri ibid.
l) Relevamen ibid.
m) Tum ibid. et infra.

Rursus, quia statui viae non competit Christum aperte videre[k], propter velamen[l] aenigmatis et propter meritum fidei, nec convenit Christi carnem dentibus attrectare, et[m] propter horrorem cruditatis et propter immortalitatem ipsius corporis; ideo necesse fuit, corpus et sanguinem Christi tradi velatum sacratissimis symbolis, et similitudinibus congruis et expressis. Et quoniam nihil magis idoneum est ad refectionem, quam cibus panis, et potus vini[13], nihil est etiam magis idoneum ad significationem unitatis corporis Christi veri et mystici, quam panis factus de mundissimis granis[14], et vinum expressum de purissimis acinis[15] in unum collectis[16]; ideo sub his speciebus[17] magis quam sub aliis debuit hoc sacramentum exhiberi. Et quia Christus sub illis speciebus esse debebat non secundum mutationem factam in ipso, sed potius in eis[18]; ideo ad prolationem duplicis verbi praedicti[19], in qua insinuatur existentia Christi sub speciebus illis, fit conversio[20] substantiae utriusque[21], in corpus et sanguinem[22], remanentibus[23] solis[24] accidentibus, tanquam signis ipsius corporis contentivis, et etiam expressivis[25] (II).

Quia vero corpus Christi beatum et gloriosum non potest dividi in partes suas, nec separari ab anima, neque a divinitate summa[26]; ideo sub utraque specie est unus

n) Et om. ibid.
o) Et om. ibid.

Christus, et totus, et[n] indivisus, scilicet corpus et[o] anima et Deus[27]; ac per hoc utrobique est unum et simplicissimum sacramentum, continens totum Christum[28]. Et quoniam quaelibet pars speciei[29] significat corpus Christi[30]; hinc est, quod totum sic est in tota specie, quod in qualibet ejus parte, sive sit integra, sive divisa[31]: ac per hoc non

p) Vel ibid.
q) Aut ibid. In cet. ut.

est ibi, ut circumscriptum[32], ut[p] occupans locum[33], vel habens situm, aut[q] perceptibile per aliquem sensum corporeum et humanum, sed omnem latens sensum, ut fides habeat

(II) Juverit hîc apponere decisionem S. Congregationis R. U. Inquisitionis, quam sub die septima julii an. 1875 protulit, quoad explicationem transubstantiationis factam per quatuor propositiones. — „Utrum tolerari possit explicatio transubstantiationis in ss. eucharistiae sacramento, quae sequentibus propositionibus comprehenditur: 1° Sicut formalis ratio hypostaseos est *per se esse*, seu per se subsistere, ita formalis ratio *substantiae* est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tamquam primo subjecto; probe enim ista duo discernenda sunt: *esse per se* (quae est formalis ratio hypostaseos) et *esse in se* (quae est formalis ratio substantiae). 2° Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non *per se* subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina, ita *substantia* finita, ex. gr. substantia panis, desinit esse *substantia*, eo solum, et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut jam non *in se* sit, sed in alio ut in primo subjecto. 3° Hinc transubstantiatio, seu conversio totius *substantiae* panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, explicari potest hac ratione, quod corpus Christi, dum fit substantialiter praesens in eucharistia, sustentat *naturam panis*, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia*, quia jam non est *in se*, sed in alio sustentante; adeoque manet quidem *natura panis*, sed in ea cessat formalis ratio *substantiae*; et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi. 4° Igitur in eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum jam in alio supernaturaliter existentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem *supernaturalis accidentis*, non quasi ad modum naturalium accidentium afficerent corpus Christi, sed eo dumtaxat quod a corpore Christi modo, quo dictum est, sustentantur. — *Doctrinam transubstantiationis, prout hîc exponitur, tolerari non posse.*"

locum et meritum. Propter quod etiam, ut non deprehendatur, accidentia illa habent omnem operationem, quam etiam habebant prius[34], licet sint praeter subjectum[35], quamdiu continent intra se Christi corpus, quod quidem est, quamdiu durant in suis proprietatibus naturalibus, et sunt idoneae ad cibandum.

Postremo, quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu, non in ventre, sed in mente; et mens Christum non attingit nisi per cognitionem et amorem, per fidem et caritatem[36], ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem[r], et caritas inflammat ad devotionem; ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet, quod spiritualiter comedat[37], ut sic Christum[s] per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat, per quae[t] non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ejus mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote et inconsiderate accedit, *judicium sibi manducat et bibit (1. Cor. 11, 29),* quia tanto sacramento contumeliam facit[38]. Et ideo consilium[u] est his, qui se sentiunt minus mundos mente vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quousque parati ad esum veri agni[39], mundi[40], devoti et circumspecti accedant[41]. Propter quod etiam hoc sacramentum praeceptum est celebrari cum solemnitate praecipua, tam[v] quantum ad locum, quam[x] etiam ad tempus, et quantum ad verba et orationes, et quantum ad vestimenta in celebratione Missarum[42]; ut tam ipsi sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes[43] percipiant[y] gratiae donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur et in ipsum Christum per excessivum amorem ardentissime transferantur[z][44].

r) Recogitationem: ad recordationem om. ibid.
s) Christum om. ibid.
t) Quem ibid.
u) Consilium om. ibid.
v) Tam om. ibid.
x) Quantum ibid.
y) Participent ibid.
z) Referantur ibid.

Ad Caput IX.

[1] „Quaeritur, quare hoc sacramentum potius dicitur eucharistia, cum in omnibus detur gratia bona, et in baptismo maxime detur magna gratia. Respondeo, dicendum quod hoc proprie dicitur de eucharistia, tum quia principaliter est ibi ratio boni, tum quia etiam ratio gratiae. Ratio boni, quia bonum est diffusivum et communicativum. Unde cibus, qui communicat se pluribus et per partes, est bonus; qui communicat se pluribus totus et successive, melior est, ut verbum Dei, quod praedicatur; qui vero communicat se pluribus et totum et simul, iste est optimus: et talis est iste cibus. Hic etiam est ille cibus, qui est summum bonum, scilicet Christus Dominus; et sic praecipue reperitur ibi ratio boni. Reperitur ibi etiam principaliter ratio gratiae, tum per modum contentivi, tum per modum affectivi. Per modum contentivi, quia hoc est solum sacramentum, quo ipsa gratia est contenta secundum veritatem, imo plenitudo gratiae; unde assimilatur ipsi caritati, quae unit fini, et habet idem pro objecto et pro fine. Ratione affectivi, quoniam hic est carbo ignitus, caro scilicet Christi, quae inflammat et beatificat; non tantum gratificat, sed etiam multipliciter adjuvat. Primum quidem, quia est cibus incorporans capiti: *Qui manducat carnem meam, in me manet (Joan. 6, 57).* Secundo, quia fortificat: *Panis cor hominis confirmat (Ps. 103, 15).* Tertio quia delectat: *Panem de caelo dedisti eis, omne habentem delectamentum (Sap. 16, 20).* Quarto valet ad augmentum fidei, sicut dicitur infra *(dist. 13).* Quinto ad sublevationem spei: *Ecce ego vobiscum etc. (Matth. 28, 20).* Sexto ad dilatationem caritatis, quia est memoriale amoris: *Hoc quotiescumque feceritis (1. Cor. 11, 24—25).* Septimo ad remissionem venialium, sicut dicit Innocentius *(lib. de myst. Missae),* ubi inquit: Hoc sacramentum venialia delet, et cavet mortalia.“ *4. dist. 8. p. 1. dub. 2.*

[2] „Unitas sacramenti non est unitas simplicitatis, constat enim ex verbo et elemento, sed integritatis; nec integritatis absolutae, sed in comparatione, quia non uniuntur in tertio, tanquam in forma, sed tanquam in signo. Quoniam ergo hoc sacramentum, quamvis duo signa contineat, et duo verba, quia tamen ex his perfectum resultat signum et ordinatum ad unum, scilicet ad unionem corporis mystici; ideo est unum sacramentum. Ratio autem talis integritatis et ordinationis unius dispositivae venit a natura, quia nec panis est per se plene reficiens, nec vinum, sed utrumque. Et una plena refectio in natura venit ex utroque, et ita disposita sunt ad unam refectionem signandam. Sed completiva venit ab institutione divina, qua una institutione haec duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectionem, et ideo unum sacramentum, ratione naturae et institutionis divinae.“ *4. dist. 8. p. 2. a. 2. q. 2.*

[3] „*Et accepto pane,* hîc agit de institutione eucharistiae, circa quam introducuntur tria, scilicet consecratio domi-

nici corporis, collatio potestatis et consecratio Christi sanguinis. Primo ergo quantum ad consecrationem corporis, dicit: *Et accepto pane, gratias egit et fregit; et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur (Luc. 22, 19)*, in quo Dominus consecravit, et formam consecrandi instituit in his verbis: *Hoc est corpus meum.* Sed nota, quod quatuor sunt hîc opiniones. Prima est, quod confecit virtute divinitatis sine verbis; et post verba dixit, et virtutem dedit verbis. Secunda est, quod prius verba dixit in occulto, et post in manifesto. Tertia, quod semel tantum verba dixit, sed prius fregit et post confecit. Quarta est opinio, quod semel verba dixit, et dicendo confecit, et conficiendo instituit, et prius dixit quam fregit. Unde litera praepostera est, et debet construi sic: Accepit panem, et gratias egit dicens: *Hoc est corpus meum*, et fregit et dedit. Commutavit autem Dominus sacramentum agni in sacramentum panis, quia iste est cibus magis communis et naturalis, simul exprimens vim cibativam et connexivam in corpore Christi vero et mystico. Unde Psalmus *(103, 15): Panis cor hominis confirmet*, panis scilicet caelestis: *Panem angelorum manducavit homo (Ps. 77, 25)*; et: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi (Joan. 6, 51).* Hujusmodi panis suavitas praefigurata fuit in manna, de quo Sapiens: *Et paratum panem de caelo praestitisti illis (Sap. 16, 20).* Praefigurata nihilominus in Genesi *(49, 20): Aser pinguis panis ejus, et praebebit delicias regibus.* Praefigurata fuit etiam dignitas in sacrificio Melchisedech: *At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei et ait (Gen. 14, 18—19).* Et ideo de Christo dicitur in Ps. *(109, 4): Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Sicut enim Melchisedech benedixit, ita et iste et multo amplius, quia hic est sacerdos aeternus. Unde Glossa: Verbo solo convertit panem in corpus suum. Est ergo sententia verbi ista: *Hoc est corpus meum*, id est, signatum per hoc convertendum in corpus meum, est corpus meum. Vel hoc transit in corpus meum, quod est integrum et perfectum. Efficacia autem verbi est, ut hoc dicto fiat. Unde Ambrosius *(lib. de initiandis c. 9):* Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret *(4. Reg. 1, 10)*, non valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet? Et iterum: Quid quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum ipse praeter naturam sit partus ex Virgine? Licet autem solo verbo confecerit, dicitur tamen, quod panem accepit, gratias egit, fregit et dedit, propter mysterium significationis. In acceptione autem panis intelligitur assumptio carnis, quia dicitur: *Caro mea vere est cibus (Jo. 6, 56).* Accepit panem ad designandum illud: *Verbum caro factum est (Jo. 1, 14).* In gratiarum actione intelligitur defluxus gratiarum a capite in totum corpus ecclesiae: *De plenitudine ejus non omnes accepimus, gratiam pro gratia (Jo. 1, 16).* In fractione intelligitur afflictio passionis, qua fuit flagellis concisus, clavis perforatus et lancea transfixus, secundum illud: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea (Ps. 21, 17).* In datione intelligitur liberalitas communicationis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est (Jo. 6, 52).* Quia sacramentum hoc est summe gratuitum, secundum illud: *Gratis accepistis, gratis date (Matth. 10, 8).* Secundo, quantum ad collationem potestatis, subdit: *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo dat eis potestatem, ut faciant quod ipse fecit; ac per hoc etiam sacerdotalem ordinem eis tradidit, quasi diceret illud: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis (Jo. 13, 15).* Etiam insinuat, quare debeat facere, scilicet in memoriale dominicae mortis: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat (1. Cor. 11, 26)*; et: *Memoria Josiae in compositione odoris facta opus pigmentarii (Eccli. 49, 1).* Et de hac memoria dicitur: *Recordare paupertatis et transgressionis meae, absynthii et fellis (Thren. 3, 19)*; et post: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea (Ibid. 20).* In memoriale Dominicae virtutis: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus (Ps. 110, 4)*; et iterum: *Domine, nomen tuum in aeternum: Domine, memoriale tuum in generatione et generationem (Ps. 134, 13)*; et: *Erit quasi signum in manu tua, et quasi appensum quid, ob recordationem, ante oculos tuos; eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Aegypto (Exod. 13, 9).* In memoriale etiam dominicae caritatis, secundum illud: *Domine, nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animae (Isai. 26, 8)*; et: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum (Cant. 8, 6).* Hoc est memoriale vivum et verum, quia non est tantum signum rememorativum, verum etiam et demonstratum; ideo dicitur: *Hoc est corpus meum*, quia ipsum est sacramentum signativum et sanctificativum, de quo dicitur: *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu (1. Tim. 3, 6).* Ipsum etiam viaticum conservativum et confortativum: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (Jo. 6, 58—59).* Ipsum est sacrificium acceptum et placativum, secundum illud: *Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum (1. Petr. 2, 5).* Et hinc quidem necesse est hîc contineri verissimum corpus Christi. Tertio, quantum ad consecrationem sanguinis, subjungit: *Similiter et calicem, postquam caenavit, dicens: Hic est calix, novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Et attendendum est, quod Evangelistae non eodem modo formam hanc exprimunt. Nam Matthaeus *(26, 28)* et Marcus *(14, 24)* dicunt: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Apostolus autem dicit: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine (1. Cor. 11, 25).* Ecclesia autem nulla istarum formarum utitur, nam dicit: Hic est calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Nec est contrarietas, quia scribentes non intendunt formam verborum praecise describere, sed historiam texere. Sed Ecclesia servat formam ab Apostolis traditam in conficiendo, quam et a Christo acceperant. Et implicat in se forma Ecclesiae quidquid per omnes Evangelistas et per Apostolum dictum est. Nominatur autem hîc calix potus contentus in calice, sicut ibi: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum (Matth. 20, 22)?* In calice autem continebatur vinum permixtum aqua, licet Evangelista non exprimat, quia hoc intelligitur, et quia mos erat, et quia vinum forte erat, et quia Christus

maxime sobrius erat; et hoc etiam a mysterio non vacat. Quia sicut aqua unitur vino, sic Christo populus; et ideo in hujus designationem dicitur, quod de latere Christi *exivit sanguis et aqua (Jo. 19, 34)*. Et ideo Ecclesia sumit utraque commixta. Transubstantiabatur autem totum illud in sanguinem Christi verum; unde dicitur: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est (1. Cor. 10, 16)?* Per hunc enim sanguinem, novum confirmatum est testamentum; unde ad Hebraeos *(9, 18): Nec primum quidem testamentum sine sanguine dedicatum est.* Unde in Exodo *(24, 8): Sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Sed ille fuit sanguis animalium, qui non potuit auferre peccata, secundum illud: *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata (Heb. 10, 4);* et ideo testamentum illud fuit vetus et temporale. Testamentum ergo novum dedicari non potuit, nec debuit, nisi in sanguine Christi. Ideo ad Hebraeos *(9, 11—12. 15): Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Et ideo novi testamenti mediator est.* Et ratio hujus est, quia sanguine Christi redemptum est genus humanum. Ideo ad Hebraeos *(9, 22)* dicitur: *Sine sanguinis effusione non fit remissio,* non cujuscumque, sed Dei agni et sponsi Jesu Christi; unde in Apocalypsi *(5, 9): Redemisti nos Deo in sanguine tuo;* et *(ibid. 1, 5): Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et quia *per sanguinem crucis ejus pacificavit, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt,* sicut dicit Paulus *(Coloss. 1, 20);* ideo sanguinis sacrificium debet esse sacramentum restitutivum, quem etiam lambant pulli aquilae, secundum illud: *Pulli aquilae lambunt sanguinem (Job 39, 30);* quo inebriantur amici sponsi, secundum illud: *Bibite et inebriamini, carissimi (Cant. 5, 1);* quo incitantur ad praelium viri athletae, secundum illud: *Elephantis ostenderunt sanguinem uvae et mori, ad acuendos eos in praelium (1. Mac. 6, 34);* et: *Ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni (Apoc. 12, 11).* Et talibus dicitur: *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes (Hebr. 12, 4).*“ *Expos. in cap. 22 Luc.*

[4] „Ista oratio singularis est inter omnes orationes; aliae enim sunt indicativae veritatis, sive existentiae, haec autem id ipsum, quod figurat, facit. Unde est verbum operativum, et operativum non operatione successiva, sed instantanea. Et operativum non alicujus rei novae, vel existentis, sed terminus ejus est ens actu completum, et non mutatum; et ad illud quidem terminatur, ut est alterius signum, id est corporis Christi mystici. Et hoc totum facit virtute verbi increati adjuncta, ministro circa materiam nihil agente. Ex his sex conditionibus patet ratio omnium dictorum in hac forma, si quis inspiciat. Quia enim hic sermo est conversivus et transitivus, sive ad transitionem ordinatus, ideo operativus; et operatio est circa substantiam panis, ideo pronomen demonstrat panis substantiam sub accidentibus, quae oculis conspici possunt; et tangitur illud, quod convertitur, per subjectum, sicut illud in quod, per praedicatum. Quia vero terminus operationis est actu ens non innovatum; ideo debet poni ibi verbum essendi, non fiendi, ut significetur conversio esse sine mutatione termini, scilicet in eo, quod est. Quia subito, ideo simul est fieri et factum esse, ideo est praesens verbum instantaneum, et non futurum; et tale est praesens hujus verbi, scilicet *sum, es;* ideo melius dicitur *est* quam *erit*. Quia vero operatio terminatur ad corpus Christi verum, ut signum mystici, in quo est diversitas operationum; ideo dicitur *corpus,* non caro, quia corpus commune est ad totum heterogeneum et homogeneum, caro autem dicit homogeneum. Quia vero hoc operatur virtute verbi increati conjuncta, et ut conjuncta; ideo dicit *meum*. Loquitur enim sacerdos in persona Christi, ideo pro Christo dicit *meum*. Quia vero minister nihil operatur circa materiam, nec immutat; ideo nihil plus est de forma. Etenim si minister non tangat, nec frangat, dum tamen intendat, et verba dicat, confectum est: non sic est in baptismo. Ex his patent omnia objecta, hoc solo excepto, scilicet de veritate locutionis. Quo modo enim est locutio vera, si demonstratur substantia panis, cum haec sit semper falsa: Panis est corpus Christi, cum sint formae incompossibiles? Et si tu dicas, quod hoc verbum *est* non dicit ibi inhaerentiam, sed potius conversionem; tunc ergo secundum hoc potius competeret verbum imperativum. Et propterea notandum, quod sicut in Verbo aeterno, Filio Dei, Domino nostro Jesu Christo, est veritas et omnipotentia; sic in verbo suo ab ipso prolato est veritas et efficacia, ut tale verbum sacramentis novae legis competat; ideo debuit ita dicere verbum enuntiativum veritatis, sicut est ipsa veritas, ac per hoc indicativum. Et quia non esset verum simplici enuntiatione, ut non esset falsum, junxit verbo efficaciam ore suo. Et quia mandavit aliis facere et dicere, et ipse non jubet aliquem esse falsum; ideo in ore eorum, in quibus dedit mandatum, dedit verbo efficaciam. Et ideo hoc verbum *est* in hac oratione non identitatem, nec simultatem signat; sed hoc esse corpus, hoc est ad hujus verbi prolationem hoc totum transire in corpus. Unde oratio ista in ore alterius, quam in ore sacerdotis, falsa est, quia non convertit, neque transubstantiat hoc in illud, nec vera est per identitatem. Et hic sensus, quamvis sit huic orationi proprius, et similiter formae sanguinis, tamen non est alienus a ratione, pensatis conditionibus superius assignatis. Ex quibus alia objecta patent. Nec videatur inconveniens dicere, quod hoc verbum *est* non identitatem dicit, sed potius conversionem in hac oratione, quae non tantum est significativa, sed etiam operativa. Magis tamen debuit poni verbum essendi quam operandi, quia magis competebat formae, ut simul esset efficacia cum veritatis enuntiatione, simul etiam notaretur termini immutabilitas cum conversione.“ *4. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 1.*

[5] „Forma consecrationis calicis, videlicet: *Hic est calix sanguinis mei,* est recta et certa, et tota congrua; quod autem additur, est de bene esse.“ — „Dicendum quod haec forma: *Hic est calix sanguinis mei,* est forma recta, et certa, et forma congrua. Sed utrum sit tota, an quod sequitur, sit de integritate, dubium est; creditur tamen quod est tota. Tamen quod sequitur, non est frustra additum, nec debet aliquid resecari. Quod autem ista sit forma recta, patet per hoc, quod ipsam tenet Romana Ec-

clesia, quae fuit ab Apostolorum Principibus edocta ... Accipienda est igitur forma a canone, quia illa traditur non per modum narrationis, sed institutionis ... Accipienda est igitur ab ipsis Apostolis, non ab Evangelistis, quia Apostoli Ecclesiam instituerunt, secundum quod a Domino acceperunt; Evangelistae vero divina verba et opera narraverunt attendentes ad intellectum, non ad vocem. Ideo nec Evangelistae in forma conveniunt, quia formam fortassis tradere non intendunt, sed conveniunt in sensu, quem narrare volebant. Et sic patet, quod haec est forma. Utrum autem illa, quae traditur in Evangeliis, sit forma, in qua conficiatur, quis audeat negare, aut quis praesumat asserere, cum nesciamus, an ipsi intenderunt formam describere, an verba narrare? Quod si intenderunt formam dare, forma in illis verbis omnibus salvatur, et modica variatio verbi, salvo sensu, formam non mutat. Et ita ex hoc non habetur, quod ista, quae habetur in canone non sit forma; imo vere est forma, cum in sensu cum aliis conveniat. Quod si non intendant, tunc restat, quod ista est forma; ac per hoc haec forma est recta et certa. ... Est etiam congrua, quia in hoc sacramento significatur sanguis Christi, ut effusus in pretium, et ut administratus in potum. Sanguis autem neutrum dicit de se expresse, sed per conjunctionem cum calice, quia sanguis in calice ut effusus et potandus proponitur. Ideo calix in Scriptura significat aliquando passionem, ut in Matthaeo *(20, 22): Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Significat et potus refectionem per transumptionem, ut in Psalmo *(22, 5): Calix inebrians quam praeclarus est.* Propter hunc duplicem tropum melius dicitur *calix sanguinis,* quam sanguis per se. Si ergo quaeratur, ad quid transumitur, dico quod ad contentum. Unde dicitur *calix sanguinis,* sicut calix vini, cum dicitur, bibe calicem. Si quaeras, quare non de corpore dicitur cibus corporis; dicendum quod corpus Christi de se cibus est, sed sanguis non dicitur potus, nisi prout propinatur in calice passionis ... Ad illud quod ultra quaeritur, quare *sanguinis* ponitur in obliquo, dicendum quod in recto intelligitur, nec obliquus et rectus construuntur transitive ut diversa, sed identitas est, sicut cum dicitur potus vini vel creatura salis. Et sic patet, quod est forma congrua. Est etiam tota et perfecta, sufficiens enim est ad signandum transubstantiationem vini in sanguinem Christi. Unde quod additur, est de bene esse, quia in sequentibus describuntur effectus sanguinis in hoc sacramento figurati, et in passione effusi, qui triplex est. Unus est testamenti innovatio, et innovati confirmatio, quia in morte confirmatur testamentum *(Hebr. 9, 17),* et novum efficitur, quia vetus, quod in sanguine taurorum fuerat confirmatum, ibi est evacuatum; ideo dicit: *Novi et aeterni testamenti.* Alius effectus effusionis sanguinis est fidei manifestatio, quia quod erat sigillatum et secretum, in passione Agni est apertum. Ideo dicitur *Mysterium fidei,* scilicet secretum; hoc enim erat in fide secretissimum, et, hoc revelato, revelata est fides; vel quia difficilius ad credendum. Tertius effectus est salus quorumdam judaeorum et multorum gentilium; et ideo dicit: *Qui pro vobis,* per Apostolos intelligens judaeos; *et pro multis,* per hoc intelligens gentiles. Vel ideo dicit, quia in hoc sacramento sacerdotes debent pro se specialiter et pro aliis rogare; ideo dicit, *pro vobis* sacerdotibus, et *pro multis* subditis per vos convertendis. Posset hîc quaeri de harum formarum variatione quantum ad additionem, diminutionem et cetera consimilia; et de hoc sentiendum est, quod dictum est circa formam baptismi *(Cfr. cap. VII huj. part. n. 3).“ 4. dist. 8. p. 2. a. 1. q. 2. concl. et ad 1—4, 7—10.*

[6] „Una est potestas conficiendi sacramentum eucharistiae, consistens in ministro et in verbo.“ — „Ad hanc quaestionem dupliciter respondetur, secundum duplicem opinionem de virtute verbi. Quidam enim dicunt, quod verbum habet virtutem quandam, quae est qualitas absoluta; et sic est causa efficiens consecrationis. Et hi ponunt, quod potestas conficiendi principaliter residet penes verbum, et verbum illam virtutem habet, quia est verbum Christi. Et est exemplum de praecone, sive nuncio, qui compellit populum per edictum regis. Potestas quidem compellendi consistit principaliter in edicto, et hanc habet, quia exit a rege ... Alia positio est, quod virtus verbi non est aliqua qualitas absoluta, sed solum ordinatio ad talem effectum, ut ad ejus prolationem fiat, non ad prolationem factam a quolibet, sed ab habente Christi signaculum. Et secundum hanc positionem dicendum, quod una est potestas conficiendi, consistens in ministro et in verbo; sicut in literis papalibus; si quaeratur, ubi est major vis, an in verbo, sive in scripto, an in sigillo, dicendum quod una vis est in utroque, quia unum dat vim alii, nam charta scripta sine sigillo non habet aliquam vim, similiter nec charta sigillata sine scripto. Objectiones ad utramque partem procedunt, ac si essent diversae potestates omnino. Et si quaeras, quo modo est una potestas in duobus, dicendum quod una ordinatio est, et virtus et potestas illa est per ordinationem ad hunc effectum, et nihilominus haec tria quasi una ordinatione concurrunt, scilicet ordo, verbum et elementum. Penes elementum est ordinatio per modum potentiae passivae, penes verbum ordinatio potentiae activae, similiter penes sacerdotem. Sed in sacerdote potestas est ad modum generalis et mediate, in verbo per modum specialis et immediate. Cum enim potestas sit in sacerdote ad conficiendum et absolvendum, verbo tamen cum intentione prolato arctatur ad hoc, ut conficiat. Potestas autem illa in sacerdote ponit characterem, quae est qualitas absoluta nobilitans animam sacerdotis. In verbo secundum hanc opinionem nihil ponit novum, quod sit aliquid absolutum, sed ad aliquid. Et ideo, si quantum ad substratum loquamur, posset dici, quod nobilior est potestas sacerdotis quantum ad id, quod est in eo. Et quod objicit in contrarium, quod non potest nisi per virtutem verbi, dici potest, quod verbum prolatum et habet ordinationem, et habet virtutem divinam assistentem. Ratione primi se habet ad sacerdotem sicut instrumentum, ratione vero virtutis assistentis, sicut agens nobilius; et de illa virtute concedo, quod nobilior est. Sed tamen propter hoc non sequitur, quod verbum sit nobilius; bene tamen sequitur, quod est immediatius. Sic igitur duobus modis respondetur secundum duas opiniones. Quae autem harum opinionum verior sit, difficile est judicare, et difficilius videtur aliquam harum improbare. Nam prima, quae dicit, quod in verbo est virtus divinitus, dicit hoc esse supra naturam secundum immensitatem divinae potentiae. Et quis posset ne-

gare, quod Deus posset hoc facere? Et si potest, quis neget, quod det sacerdotibus, si placet? Et etiam multae auctoritates videntur hoc dicere. Similiter quis audeat alteram improbare, quae dicit, quod in verbo est efficax ordinatio, et amplius sibi asserere non praesumit? Et haec quidem vera est. Quis autem audeat arguere, si amplius non vult asserere, cum nec fides cogat, nec auctoritas compellat amplius dicere, maxime ad haec perspecta, quae non possit satis exponi hoc modo sine sensus distorsione? Et ideo, quia magis est sobria, et magis intellectui consona, potest, cui placet, huic positioni satis secure adhaerere." *4. dist. 13. a. 1. q. 3. concl. et ad 1.*

[7] „Eucharistiae sacramentum, ubi fuerit ordo, intentio, verbi prolatio et debitum elementum, est verum sacramentum, etiam quod sacerdos malus vel haereticus fuerit, licet haereticorum sit in damnum ipsorum et assistentium." — „Aliqui voluerunt distinguere, ex quibus videtur fuisse Magister, quod sacerdotes mali, quidam occulte sunt mali, et de Ecclesia, saltem nomine et numero, et quoad exteriorem faciem; et tales possunt. Alii vero sunt manifeste mali, et ab Ecclesia praecisi; et tales non possunt. Sed haec positio videtur consonare positioni Cypriani, qui posuit, quod haeretici non habeant sacramenta vera, quod satis improbat Augustinus. Propter hoc dicendum aliter, quod in sacramento duo attenduntur, scilicet sacramenti veritas, quae consistit quantum ad rem primam; et sacramenti utilitas, quae consistit quantum ad rem ultimam, quae est incorporatio vel unio quantum ad corpus mysticum. Si de veritate sacramenti loquamur, veritas salvatur, ubi est ex parte ministri ordo et intentio et verbi prolatio, cum adest debitum elementum. Si autem loquamur quantum ad utilitatem, dicendum quod sacerdos bonus conficit ad utilitatem suam et assistentium, malus occultus ad damnum suum, nihilominus tamen ad utilitatem assistentium, qui cum fide et devotione Missam audiunt; sed praecisus et haereticus ad damnationem suam et omnium assistentium." *4. dist. 13. a. 1. q. 1.* — „Eucharistiae sacramentum soli sacerdotes possunt conficere; et si alius tentet non sacerdos, nihil facit." — „Hoc quidem docet fides nostra, quam ab Apostolis percepimus, et ipsi a Domino; unde ordinaverunt Ecclesiam secundum Dei institutionem. Et quia Apostoli et eorum postmodum successores potestatem conficiendi personis specialibus contulerunt, quas et sacerdotes appellaverunt; ideo solum illis tenet fides licitum esse. Huic consonat ratio, quod sacramentum illud, quod in magna reverentia habendum fuit, specialibus personis commissum est, et committi debuit. Aut ergo ratione sanctitatis, aut ratione auctoritatis. Si sanctitatis, ut dicunt haeretici; tunc ergo nemo est certus, utrum conficiat, et salus nostra pendet ex aliena bonitate. Si auctoritatis, et auctoritas potest tam bonis quam malis concedi; et hanc vocamus ordinem sacerdotii. Constat ergo, quod illi soli possunt." *Ibid. q. 2.*

[8] „Mystice per manna significabatur congrue Christus sub sacramento altaris. Primo, quia ipse est panis angelorum, scilicet sacerdotum, secundum illud: *Angelus Domini exercituum est (Malach. 2, 7).* Secundo, quia caelitus paratur, id est, quia virtute caelesti conficitur; unde: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi (Jo. 6, 41); Parasti cibum illorum, quoniam ita est praeparatio ejus (Ps. 64, 10).* Tertio, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, id est, devotione, reficiuntur, secundum illud: *Desiderium animae ejus tribuisti ei (Ps. 20, 3);* item: *Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo (Ps. 77, 29—30).* Quarto, quia cum ipso rex gratiae descendit, et datur, sicut et ros cum manna descendebat, ut habetur in Numeris *(11, 9);* et ideo panis iste eucharistia dicitur, eucharistia enim bona gratia interpretatur. Quinto, quia sicut apparebat manna ut semen coriandri albi, sic et Christus sub nebula candida sumitur: *Ecce nubem candidam, et supra nubem sedentem similem Filio hominis (Apoc. 14, 14).* Sexto, quia sex diebus et non in sabbato colligebatur; sic Christus in praesenti sub sacramento sumitur, sed in futuro sabbato, de quo dicitur: *Erit sabbatum ex sabbato (Isa. 66, 23),* ad faciem videbitur; *tunc autem facie ad faciem (1. Cor. 13, 12);* item: *Videbimus eum, sicuti est (1. Jo. 3, 2).* Septimo, quia usque ad ingressum terrae promissionis in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt; sic usque ad finem mundi in deserto hujus mundi fideles Ecclesiae nutriuntur, secundum illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth. 28, 20)." Expos. in Sapient. c. 16.*

[9] „In hoc sacramento fit repraesentatio dominicae passionis; unde fiunt signationes septem vicibus propter passionem Domini exprimendam. Prima vice fiunt tres propter trinam Christi traditionem, scilicet a Deo, Juda et judaeo. In secunda vice fiunt quinque propter quinque personas, quae in traditione fuerunt, quae fuerunt persona traditi, persona tradentis Judae, personae ementium, quae fuerunt tres, scilicet pontifices, scribae et pharisaei. In tertia vice duae propter duplicem conversionem duplicis elementi, scilicet panis et vini. In quarta vice fiunt quinque propter quinque plagas. In quinta vice fiunt duae propter vincula, quibus fuit ligatum corpus, et propter flagella, quibus usque ad sanguinem fuit flagellatum. In sexta vice fiunt tres propter crucifixionem factam linguis judaeorum, quando ter clamaverunt: *Crucifige (Jo. 19, 6).* In septima vice fiunt tres cruces de corpore super calicem propter tres cruciatus, scilicet propassionis, passionis et compassionis; et duae alterae propter aquam et sanguinem, quae de Christi latere profluxerunt." *Centiloq. p. 3. sess. 50.*

[10] Cfr. superius *cap. IV hujus partis not. 8,* ubi de figuris eucharistiae in lege veteri sermo fuit.

[11] „Efficacia sacramenti eucharistiae est magis unire, fortificare, tollere peccata venialia, et ad augmentum virtutum et caritatis prodesse." — „Cum hoc sacramentum sit unionis, effectus ejus primus aut est unire, aut magis unire; sed non de novo unire, sed jam unitos magis unire. Magis autem unire est tripliciter. Aut quia quis unitur majori vinculo; ut ille magis unitur, qui majorem habet caritatem. Aut quia eodem vinculo unitur strictius; ut ille, qui secundum eundem habitum ferventius amat. Aut quia eodem firmius; ut ille, qui in eodem habitu est magis radicatus. Dicitur ergo hoc sacramentum magis unire, quia digne accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, et iterum reddit fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc, quod reddit caritatem magis ignitam, adjuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem. Ex hoc quod magis firmat, adjuvat ad vitandum omnia scelera; et ratione

utriusque valet ad augmentum virtutum, et maxime caritatis, quae est vinculum non quantum ad essentiam, sed quantum ad fervorem vel radicationem. Fervor enim minuitur quotidie per venialia, et radicatio; ideo oportet per hunc cibum restaurari deperditum ... Ad illud quod objicitur, quod venialia delentur in contritione, dicendum quod iste non est effectus primus, sed ex consequenti fit, quando homo indiget, ut puta quando fervor caritatis per se non est ita intensus, quod peccata venialia deleat, adjungitur carbo divinitus, per quem vigoratur, et vigorata delet venialia; nihilominus tamen, si non habet venialia, caritatis fervor vigoratur." *4. dist. 12. p. 2. a. 1. q. 3. concl. et ad 2.*

[12] „Viaticum dicitur triplici ex causa. Prima est, quia est cibus itinerantium, quia datur transeuntibus de hac vita ad patriam. Secunda, quia institutus est a Christo, ut itinerante, sive transeunte. Tertia, quia signum est transitus Christi, sicut phase." *4. dist. 8. p. 1. dub. 3.*

[13] „Sacramentum eucharistiae commode debuit ordinari et confici in speciebus panis et vini." — „Istius sacramenti duplex est res, scilicet corpus Christi verum et mysticum. Et quia signa sunt instituta propter expressionem rei signatae, talia debuerunt esse, quae de sui natura nata essent utrumque exprimere. Et quoniam corpus mysticum est ex multis aggregatis in unum, talia elementa esse debuerunt, quae ex multis aggregantur in unum; tale autem est panis, quia est ex multis granis puris, tale etiam est vinum, quod est ex multis racemis puris; ideo recte unionem corporis Christi mystici signat. Corpus autem Christi verum continetur in hoc sacramento ut cibus, quia propter hoc institutum est sacramentum, non ut cibus qualiscumque, sed ut cibus conveniens, cibus efficax, cibus sanans, cibus omnibus communis; ideo debuit institui signum, quod quidem esset cibus habens istas proprietates. Cibus autem magis conveniens est panis de frumento et vinum; et hujusmodi signum est, quod naturae non generat ex frequentatione fastidium, quod non convenit de aliquo alio cibo. Est etiam efficax in confirmando, quia panis confortat *(Ps. 103, 15)*, et vinum laetificat *(Eccli. 40, 20)*. Est etiam sanus, sicut dicit Isaac in dietis, quia uterque ad sanitatem facit. Ulterius, est cibus communis et usitatus, maxime inter gentes rationabiliter viventes; unde Damascenus: Consuetudo est hominibus manducare panem et bibere vinum. Ideo conjugavit eis Dominus divinitatem, et fecit ea corpus et sanguinem suum; ut per haec, quae sunt secundum naturam consueta, in quibus vita conservatur, ad ea, quae sunt supra naturam, anima transferatur." *4. dist. 11. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Materia congrua huic sacramento de natura sua est panis de frumento et vinum de vite, propter hoc quod iste cibus inter omnes cibos, et potus ille inter omnes potus est convenientior, efficacior, sanior et communior. Et ideo Dominus se grano frumenti comparavit *(Jo. 12, 24)*, et ligno vitis *(Jo. 15, 1—5)*; et ex hac causa in his duabus speciebus confecit, et conficiendo instituit. Ideo in alio pane quam de frumento, vel in alio vino quam de vite, non potest confici ... In omni autem pane de frumento, sicut in omni vino de vite, sive ibi sit differentia accidentalis, sive specifica, ut dicunt quidam, potest confici, salvata specie illius panis et illius vini." *Ibid. q. 4.*

[14] „Christus consecravit in pane azymo, et non in pane fermentato, ut dicunt Graecorum quidam." — „Utrum Christus confecerit in azymo, an in fermentato. Et quod in azymo, videtur: *Prima autem die azymorum (Matth. 26, 17)*." — „Item: *Et primo die azymorum (Marc. 14, 12)*; et: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha (Luc. 22, 7)*; sed isto die non reperiebatur fermentatum in omnibus finibus Israël; ergo si conficiens in domo judaeorum voluit comedere pascha, non potuit conficere nisi in azymo." — „Item ratione videtur, quia Dominus non venit solvere legem, sed adimplere *(Matth. 5, 17)* mandata legis; sed praeceptum erat, quod comederent pascha cum azymis *(Exod. 12, 8; Deut. 16, 8)*; ergo comedit azyma. Sed de illo pane confecit, quem in coena comedit; ergo etc." — „Item Dominus debuit eo modo conficere, quo magis sacramento conveniret; sed azymum ratione integritatis magis convenit huic sacramento; ergo in pane azymorum debuit conficere; unde: *Non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis et veritatis (1. Cor. 5, 8)*." — „Ad primum dicendum, quod Dominus pascha celebravit quartadecima luna. Unde non praevenit, sicut expresse tres Evangelistae concordant, nec praevenire debuit. Si enim manducatio agni typici est figura manducationis agni veri, manducatio agni veri debuit illam sequi, non praeire. Unde quia in luna quartadecima pascha fecit, quando tantum comedebantur azyma, patet quod in azymo confecerit. Ad illud quod objicitur, quod praevenit, quia crucifixus est quartadecima luna, respondent quidam, quod luna quartadecima est crucifixus, quia solemnitates durant a sero usque ad aliud sero; unde primo sero comedit agnum, et antequam veniret alterum sero, est crucifixus. Aliter dicitur et melius, quod passio ejus inchoata est statim post coenam, quia fuit in agonia, et fuit comprehensus etc.; unde optime est factum, quod agni comestio et ipsius immolatio facta est quartadecima luna, non, quia consummata, sed inchoata. Ad illud quod objicitur, quod *non introierunt praetorium, ut non contaminarentur (Jo. 18, 28)*, dicendum quod pascha tribus modis accipitur. Uno modo pascha cibus paschalis dicitur, ut azyma, quae per septem dies comedebatur a judaeis. Alio modo pascha dicitur agnus paschalis: *In qua necesse erat occidi pascha (Luc. 22, 7)*. Tertio modo dicitur pascha agnus verus: *Pascha nostrum immolatus est Christus (1. Cor. 5, 7)*. Et primo modo accipitur in Joanne. Ad illud, quod objicitur de die festo, dicendum quod illi septem dies omnes erant dies festi, sed primus erat per excellentiam, festus dies hic est quintusdecimus amplius majori excellentia sabbatum, quod erat inter illos dies festos, in quo nihil debebant parare, tum propter suam celebritatem, tum propter azyma. Quod ergo dicit Joannes, loquitur de die quintadecima, antequam facta est coena. Quod autem dicunt judaei *non in die festo*, intelligendum est de sabbato. Similiter quod mulieres quiescunt, hoc est ob reverentiam sabbati, non quia primus dies, quia in primo die aliquid parare, sed in sabbato parare nil licebat. Ad illud quod objicitur, quod Dominus non debuit facere nos judaizare, dicendum quod Dominus de lege non retinuit, sed de novo instituit, sicut patet de baptismo, quia illi aqua lustrabantur, et nos aqua lustramur; sed hîc instituit, quia sacramento congruebat. Ad illud, quod quae-

ritur de controversia Graecorum et Latinorum, dicendum quod, sicut dicit Leo Papa, antiqui Patres propter judaeorum institutionem, et quando error ille vigebat de legali observantia, decreverunt ex consilio Spiritus sancti cessare, quousque error ille minueretur, sicut decreverunt in Christi nomine baptizare. Unde omnis Ecclesia primo in azymis conficiebat, postmodum ex hac causa in fermentato. Sed cessante jam illa causa, rediit jam Romana Ecclesia ad ritum pristinum, Graeci vero tamquam superbi noluerunt ad ritum primum redire; et ideo ex hoc ita coacti sunt defendere, primo dicentes se ita accepisse; secundo vero, quia hoc non sufficiebat, addiderunt rationem propter hoc, ne judaizarent; tertio, quia hoc non sufficiebat, si Dominus in azymis confecisset, ausi sunt hoc dicere, quod Dominus confecit de fermentato. Et quia Evangelistae dicunt contrarium, ausi sunt dicere, quod falsum dixerunt; et a Joanne correpti sunt. Ecce quo modo error parvus in principio, multus est in fine. Tamen tam ipsi conficiunt quam nos; hoc enim non est de substantia sacramenti, sed de congruentia. Et hoc patet ex imitatione vel institutione sacramentorum." *4. dist. 11. p. 2. a. 2. q. 1 fund. concl. et resp.*

[15] „Aqua non est de integritate sacramenti eucharistiae, sed est quid annexum materiae, et de congruitate." — „Dicendum quod de integritate sacramenti hujus sunt quatuor, scilicet materia, et forma, et ordo, et intentio consecrantis. De congruitate autem et bene esse sunt, quae sunt his annexa. Aqua ergo, cum non sit aliquid horum, non est de necessitate, sed annexum est materiae, scilicet vino, quia adjungitur vino, et in ipsum convertitur, et postmodum in sanguinem; et ideo est de congruitate. Ratio autem hujus connexionis est expressior signatio, quia aqua signat populum, et per conjunctionem sui cum vino signat unitatem capitis cum membris, per vinum autem signatur unio membrorum ad invicem. Rationes igitur ostendentes, quod aqua non sit de substantia sacramenti, sunt concedendae." — „Nihil est de substantia sacramenti hujus materialiter, quod non remanet neque secundum substantiam, neque secundum accidentia; sed aqua est hujusmodi; ergo etc." — „Item elementum, quod est de substantia unius sacramenti, non est de substantia alterius, cum sint sacramenta distincta; sed aqua est materia baptismi; ergo non est de necessitate hujus sacramenti." — „Item omne, quod est de substantia, aut est quantum ad significantiam, aut quantum ad efficaciam. Non quantum ad significantiam, quia debent signare corpus Christi verum et mysticum, et sanguis sufficienter signatur per vinum, et similiter unio corporis mystici. Nec quantum ad efficaciam, quia sine aqua est transubstantiatio . . . Ad illud, quod quaeritur de congruitate, dicendum quod est de congruitate. Quod dicit de insipiditate, dicendum quod signat populum, qui est insipidus, et sapidus fit per conjunctionem cum sapientia Christo, sicut aqua cum adjungitur vino. Ad illud quod objicitur, quod non commiscetur aliquid pani, dicendum quod non est simile, quia non potest ei sic aliquid commisceri, ut transeat in ipsum, quia durior, propterea non habet virtutem conversivam ut vinum; praeterea principalius refertur ad signandam nostram redemptionem. Ad aliud dicendum, quod Dominus apposuit; et quidam hoc conjiciunt propter Domini sobrietatem, quod non biberit vinum purum, maxime forte tale, quale est in terra promissionis. Sed haec conjectura debilis est; sed scimus, quod Apostoli, qui coenae Domini interfuerunt, ita Ecclesiae reliquerunt. Nec objectio valet de Evangelio, quia non omnia scripta sunt; et ratio quare de aqua non est scriptum, est ne putetur de substantia sacramenti. Ne autem putetur praeter necessarium, fuit in passione Domini insinuatum, cum *exivit sanguis et aqua (Jo. 19, 34)*. Et ideo peccat, qui omittit, et qui ex haeresi vel contemptu omitteret, peccaret mortaliter*). Qui enim negligit ex hoc, quod nullam habet diligentiam, peccat mortaliter; qui negligit ex hoc, quod habet diligentiam semiplenam, peccat venialiter, sed tamen graviter peccat, quia hoc sacramentum cum omni diligentia est consecrandum. Et quantum istud opus et hoc sacramentum praecedit alia opera, tantum negligentia in hoc praeponderat aliis negligentiis." *4. dist. 11. p. 2. a. 1. q. 3. concl. fund. et resp.* — „Videtur, quod *(mixtio aquae et vini)* possit separari, quia experimento est probatum, quod, quantacumque aqua misceatur, juncus appositus attrahit aquam, et segregat; ergo videtur, quod nunquam ita possit misceri, ut Magister dicit. Resp. Sicut dicit Philosophus *(5. met. cont. 9)*, quando praedominatur vinum, solvitur species aquae etc., et cum soluta est et conversa in vinum, totum est vinum; et sic converti potest, non enim converti potest nisi panis vel vinum. Aliqui tamen volunt dicere, quod aqua non convertitur in

*) Scitu dignum est hîc loci, quod censuit S. Congregatio de Propaganda Fide die 30 januarii 1635, de eo quod quaerebatur, an Armenis, quibuscum agebatur de eorum cum S. Romana Ecclesia unione, indulgeri posset, ne aquam vino affunderent. „In Congregatione particulari super unione Armenorum Poloniae, proposita quaestione circa Liturgiam, an scilicet in calicem consecrandum possit non admisceri aqua, Congregatio censuit, non esse permittendum Armenis ad unionem cum S. Romana Ecclesia venientibus, ut cum solo vino sacrificium Missae peragant, ob plures rationes. Prima est, quia licet hujusmodi mixtio aquae cum vino non sit de necessitate sacramenti, sed tantum ex praecepto Ecclesiae, super quo dispensare potest Papa; nihilominus quia aqua cum vino consecrando miscetur ex traditione apostolica, idque Christum fecisse ex testimoniis ss. Patrum creditur, nullo modo debet hujusmodi ritus sacrificandi tolerari, aut Armenis permitti. Secunda est, quia ritus hujusmodi Armenorum aut involvit haeresim Monophysitarum, aut saltem de illa est suspectissimus. Nam Nicephorus *(Histor. libr. 18. cap. 53)* clare dicit, Armenos solum vinum consecrare, ut per hoc ostendant unam tantum esse in Christo naturam. Tertia est, quia sacrum Concilium Florentinum in Instructione ad Armenos per verbum, *decernimus*, Armenis unitis jubet, ut parum aquae in vino misceant in sacrificio. Quarta est, quia semper Armeni petierunt a Sede Apostolica, ut ritus hujusmodi eis permitteretur; et nihilominus id semper eis fuit negatum. Nam Gregorius VII, ut in ejus epistola lib. 7, Alexander III, Callixtus III, Eugenius III, Eugenius IV in dicto Concilio Florentino, Joannes XXII, Benedictus XI et demum Paulus V in apostolicis literis ad Melchisedech Patriarcham nuncupatum Catholicum, hujusmodi ritum permittere expresse renuerunt. Quinta et postrema, quia Lutherus hujusmodi ritum probavit, et Calvinistae eumdem observant in sua coena; et si Armenis permitteretur praedictus ritus in regno Poloniae, Calvinistae, qui in eo non pauci reperiuntur, Romanam Ecclesiam calumniarentur, quod scilicet mutaverit sententiam, et cum eis sentiat."

sacramento, sed tenet semper rationem aquae, et est ibi propter signationem solum, sicut si superinfunderetur aqua post transubstantiationem, sive conversionem vini. Hanc duplicem opinionem ponit Innocentius in decretali quadam de corpore Domini; primam tamen magis approbat, et magis videtur approbanda. Vinum enim potest convertere aquam in se in parva quantitate, ut Philosophus dicit in primo de generatione. Fuerunt etiam aliqui dicentes aquam converti in alios humores, et vinum in sanguinem. Sed hoc nihil est, cum solum substantia panis et vini possit transubstantiari. Unde si aliquis puram aquam in calicem poneret, omnino nihil conficeret. Non sic est de vino. Et ideo prima opinio tanquam probabilior est tenenda. Quod ergo objicitur de junco, dicendum quod non separat aquam mixtam, sed per naturam convenientem aquae attrahit partes vini aquosas, totius, inquam, vini, non quia ibi sit aqua, sed partes debiles vini, quae minus habent de virtute." *Ibid. dub. 5.*

[16] „Quare Dominus magis grano frumenti se comparat inter grana, et ligno vitis inter ligna? Respondeo, hoc est propter corpus verum et mysticum. Verum corpus Christi verus cibus est, et verus sanguis est verus potus. Quia igitur ex granis frumenti fit panis optime reficiens, et ex vite vinum optime potans; ideo comparavit se viti et grano. Et inde est, quod in his duabus speciebus sacramentum altaris conficitur. Alia ratio est propter corpus mysticum, quia sicut ex purissimis granis frumenti et acinis uvae conficitur panis et vinum; sic ex puris fidelibus corpus Christi mysticum." *Comm. in Joan. c. 15. v. 11. n. 1025;* Supplem. vol. I.

[17] „Species panis et vini ambae sunt de integritate sacramenti eucharistiae quoad significantiam, sed non quoad efficaciam." — „Dominus, cum illud sacramentum tradidit, in utraque specie confecit; sed non est sacramentum completum, nisi secundum quod ipse instituit; ergo etc." — „Item forma verbi est de integritate sacramenti; sed forma corporis non est nisi super panem, et forma sanguinis non est nisi super vinum; ergo utraque species est de integritate sacramenti." — „Item nullum sacramentum est iterandum, quamdiu manet; ergo nec consecratio supra consecrationem est addenda, cum est perfecta; sed ad consecrationem panis additur consecratio vini; ergo nondum est perfecta; ergo etc." — „Item in hoc sacramento exprimitur mysterium nostrae redemptionis; sed hoc non fit in solo pane, sive etiam corpore, sed etiam sanguine; et sic etc." — „Dicendum quod in sacramento duo sunt, scilicet efficacia et signantia. Esse igitur de integritate sacramenti dupliciter est. Aut quantum ad efficaciam; et sic neutra species est de integritate, sed quaelibet est totum, quod habet efficaciam*). Aut quantum ad signationem vel significantiam; et sic sunt de integritate, quia in neutra per se exprimitur res hujus sacramenti, sed in utraque simul. Et hoc patet sic. Hîc significatur Christus, cibus perfecte reficiens manducantes sacramentaliter et spiritualiter. Perfecta autem refectio non est in pane tantum, nec in vino tantum, sed in utroque; ideo non in uno tantum perfecte signatur ut reficiens, sed in utroque. Reficit autem hoc sacramentum non quoscumque, sed manducantes spiritualiter. Manducare autem spiritualiter est cognoscere et affici circa ejus passionem, quae fuit in corporis ejus multiplici afflictione, et sanguinis effusione, in quo manifestatur immensa Dei caritas, et in hoc anima perfecte reficitur et delectatur; et ideo utrumque distincte significatur, scilicet corpus et sanguis. Rursus, delectatio et refectio non est in passione quia passio, sed quia nostra redemptio; ibi etiam mira utilitas nos delectat. Et quia redempti sumus in corpore et anima, ad hoc est perfecta redemptio, et Christus exposuit corpus et animam. Et ideo, ut perfecta esset, vel signaretur redemptio, et ex hoc perfecta refectio, debuit signari corpus in pane, et anima, cujus sedes est in sanguine, in vino. Ratio igitur integritatis est significantia Christi nos perfecte reficientis in meditatione suae amantissimae passionis, et nostrae jucundae redemptionis, quae non per alterum horum perfecte signari potuit, sed per utrumque . . . Ad illud, quod objicitur primo ad oppositum, patet responsio, quia etsi totum in utraque specie contineatur, non tamen per alterum perfecte signatur; et ideo fideles recipiunt perfectum sacramentum sub una specie, quia ad efficaciam recipiunt. Sed quantum ad signantiam sufficit, quod Ecclesia facit in eorum praesentia, nec oportet quod ipsi recipiant, propter periculum effusionis, et propter periculum erroris, quia non crederent simplices in altera specie totum Christum recipere. Exemplum patet de eo, cui exivit sanguis ab hostia, quia non credebat, quod esset sanguis in specie corporis. Ad illud, quod objicitur tertio, quae necessitas est, quod oporteat sanguinem signari, dicendum quod hoc est tum propter passionem, tum propter animae redemptionem. Anima enim, cum sit spiritualis, non potuit in se signari, sed in annexo, ut puta in sanguine, in quo est sedes animae, non quia in solo sanguine sit, sed quia anima rationalis unitur mediante potentia sentiendi, et illa mediante potentia vegetandi. Et quia illa habet tres vires, scilicet generativam, augmentativam et nutritivam, prima, quae est fundamentum omnium, est nutritiva, et nutrimentum sanguinis, vel aliquid loco ejus; ideo etc. Ad illud, quod objicitur de baptismo, dicendum quod baptismus principaliter signat mortem et sepulturam, sed hoc sacramentum signat eum passum. Et quoniam passus est in anima et in carne, passus corporis afflictione et in sanguinis effusione; ideo utrumque hîc signari debet. Unde non est simile, quia ista non est tota causa, nec principalis, sed principalis est signatio refectionis perfectae secundum statum viae. Causae autem congruentiae multae sunt, et accipiuntur tum ex propria rei significatione, quam efficit sacramentum, et haec est nostra refectio; tum rei, quam signat allegoria, et haec est Christi passio. Refectio autem potest significari ut perfecta; et sic significatur per haec duo quantum ad modum duplicem, quia alii suaviter, alii cum majori labore reficiuntur. Prima significatur per sanguinem et speciem vini, secunda per speciem panis. Vel quantum ad effectus, quia confortat, et hoc per speciem panis; et laetificat, sive delectat, et hoc per vinum. Quantum

*) Per transennam hîc adnotamus errorem Graecorum schismaticorum, qui volunt in Missa praesanctificatorum per immersionem particulae in calicem ex sacratissima hostia detractae transubstantiationem fieri in sanguinem Christi. Vide Benedictum XIV *Tract. de fest. D. N. J. C. p. 1. § 336.*

ad signationem allegoricam debet signari corpus et anima, quia Christus utramque assumpsit, et in utraque passus est, et utramque redemit; et haec omnia ad congruitatem faciunt; et similitudo, quae praeexigitur, congruitatem, superveniens institutio inducit necessitatem.“ *4. dist. 11. p. 2. a. 1. q. 2. fund. concl. et resp.*

[18] „Constat, et verum est, quod corpus Christi secundum veritatem est in altari, et prius non fuit; ergo secundum aliquam mutationem sui, vel alterius. Non sui, quia est immutabile. Non alterius, nisi panis; ergo etc. Et si dicas, quod corpus Christi est mutabile secundum locum, quia haec est mutatio entis completi, et haec est in corpore Christi; contra: Omne quod mutatur secundum locum, si accedit ad unum, recedit ab altero; ergo secundum hoc Christus recedit a caelo. Praeterea, nihil quod mutatur secundum locum, simul tendit ad differentias diversas positionum; sed simul consecratur corpus Christi Romae et Parisiis; ergo si corpus Christi movetur Romae, non ergo Parisiis; ergo etc.“ *4. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1. fund. 3.*

[19] „Verbo non est data aliqua qualitas, per quam operetur transubstantiationem, sed divina institutione firmatum est, ut, ipso prolato cum intentione conficiendi a sacerdote, fiat transubstantiatio.“ — „Ratione videtur, quia corpus Christi est nobilissimum inter creata; sed potentia transubstantiandi potest in illud, quia convertit aliud in ipsum; sed nihil potest supra aliud, nisi quod est nobilius, et nihil creatum est ipso nobilius; ergo nulla virtute creata fit; ergo nec virtute verbi prolati.“ — „Item si virtus est data verbo a Christo, aut verbo in mente, aut in scripto, aut in prolatione. Non in mente, nec in scripto; ergo in prolatione. Sed verbum, quod Christus protulit, nunquam resumi potest; ergo dicitur aliud: sed illud nunquam fuit nisi nunc; ergo nec data est ei potestas, sive virtus.“ — „Item si datur in prolatione, aut subito, aut successive. Si successive; ergo successive operatur, quod stultum est dicere, ut manifestum est. Non enim dare est, quod una pars panis primo transubstantietur quam alia, cum verbum respiciat aequaliter totum; nec quod una pars Christi prius sit ibi quam alia, quia tunc partes corporis Christi glorificati essent separabiles, quod stultum est dicere. Si subito, aut in principio, aut in medio, aut in fine. Si in principio, et statim cum est, operatur; ergo in principio fit transubstantiatio; ergo si non compleret verba, tamen factum esset. Similiter de medio. Si in fine; sed verbum in fine non est; ergo datur non enti.“ — „Item si in fine, constat quod, desinente verbo, desinit et virtus; ergo in eodem instanti virtus incipit et desinit, et est et non est.“ — „Item si datur virtus, aut toti, aut alicui parti. Si toti, ergo aut quaelibet pars habet totam virtutem, aut partem; si totam, ergo quaelibet pars facit. Si partem virtutis, cum partes non sint simul, nec erit virtus simul, nec operatio simul; si alicui parti, quaero cui.“ — „Item si Deus dat virtutem verbo in prolatione, tunc cum verbum prolatum deficiat, videtur similiter, quod illa nobilis virtus statim desinat esse, et inconveniens esset, quod Deus sic tam nobilem virtutem daret, quae statim desinat esse.“ — „Item si corrumpitur, quaero in quid cedit; aut in aliquid, aut in nihil. In aliquid non, quia non ex aliquo. Si in nihil, tunc videtur contra communem sententiam Sanctorum et philosophorum, quae est, quod nihil, quod corrumpitur, cedat omnino in non ens.“ — „Dicendum quod hîc est duplex opinio, sicut tactum est supra *(4. dist. 1. q. 4; et d. 13. a. 1. q. 3).* Quidam enim ponunt, quod datur verbis aliqua virtus spiritualis, per quam operantur transubstantiationem, Deo nihilominus intime operante. Et haec virtus verbi habet posse, et respicit panem, non enim se extendit ad corpus Christi. Et est exemplum. Si Deus esset dator formarum, sicut aliqui posuerunt, agens particulare solum operaretur per comparationem ad terminum a quo, non ad quem. Et datur haec virtus verbo supra naturam et supra intellectum, et datur subito, ut dicunt, sed non oportet, ut operetur statim, cum datur, quia operatur secundum nutum dantis, et est virtus simplex operans instantanee. Et tamen est in subjecto composito et successivo, quoniam est ibi supra naturam. Sed quia difficillimum est, et non intelligibile videtur, quando ista virtus datur verbo, utrum tunc detur, vel ante sit data, et quo modo, et qualiter datur, et quo modo operatur, si ponatur esse aliqua qualitas data verbo; propterea est alia via, quod virtus verbi extenso nomine dicitur, non quia aliqua qualitas sit data verbo, per quam operatur, sed ex divina institutione hoc firmatum est, ut, isto verbo prolato a sacerdote super panem cum intentione conficiendi, panis transubstantietur. Unde ad prolationem illius verbi verbum increatum facit. Ista ergo ordinatio verbi infallibilis ad talem effectum virtus dicitur, quae non est aliqua qualitas data verbo, nec aliquid de novo creatum ... Sicut rerum creatio est a sola virtute increata, sic et transubstantiatio. Sed in hoc est hîc additio, quia hoc ad prolationem verbi prolati, illud sine aliquo ministerio. Aliae rationes omnes patent, quia nihil absolutum est verbis datum, sed Christus unica institutione non tantum verbum, quod protulit, sed omne consimile prolatum a sacerdote supra naturam ordinavit, ut statim ipso prolato ipse sacerdos invisibilis assistens converteret. Unde nihil datur verbo de novo, quando sacerdos illud pronuntiat, sed illa institutione primaria efficacem habuit ordinationem ad hoc, propter quod non immerito dicitur habere virtutem. Per hunc etiam modum intelligo sacramenta novae legis esse causam et efficere, sicut supra determinatum est *(dist. 5. p. 1. a. 1. q. 4),* non quia gratiam donent, sed quia efficacem ordinationem habent divina pactione ad gratiam. Non sic sacramenta veteris legis, excepta circumcisione. Habet nihilominus hoc sacramentum causalitatem ratione rei contentae, scilicet carnis Christi, quae ad gratiam disponit. Et haec positio magnorum est, et bene intelligentium.“ *4. dist. 10. p. 2. a. 1. q. 3. fund. et concl.*

[20] „In sacramento eucharistiae est conversio panis in verum Christi corpus, non in partem, sed in totum.“ — „Sicut dicit Magister, quorumdam fuit positio, quod non est ibi aliqua conversio, sed ad invocationem verborum sine conversione fit divina virtute, ut corpus Christi sit ibi. Sed haec positio contraria est auctoritati Sanctorum, et rationi. Rationi quidem, quia aufert sacramenti veritatem, congruitatem et miraculi utilitatem. Veritatem, quia ponit ex hoc falsitatem in forma; ponit etiam mutationem circa Christi substantiam ... Congruitatem tollit, quia cum manet ibi panis, non est adeo ductivum in

alterum, sicut cum manent sola accidentia, quae dependent, et per se stare non possunt. Utilitatem etiam, quia dum potestatem et rationem quaerit, minuit meritum fidei. Propter hoc ergo haec positio est reprobanda, et neminem habet ex doctoribus defensorem*)." *4. dist. 11. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Totus panis convertitur in corpus Christi, in eucharistia solis accidentibus remanentibus." — „Quamvis illud sacramentum sit plenum miraculis, quia tamen non ponuntur esse nisi quae faciunt ad sacramenti veritatem, et ejus occultationem; ideo ponunt communiter doctores, quod totum transit in totum, solis accidentibus remanentibus causa necessaria et utili. Et propterea, relicta prima opinione, quae tollit conversionem materiae, relicta alia, quae tollit conversionem formae, magis catholicam**) tenemus, quod totus panis in corpus Christi convertitur; et optimo modo ista conversio transubstantiatio dicitur. Si autem quaeras, sub quo genere motus vel mutationis contineatur, dicendum quod haec est mutatio singularis, quae nullum simile plenum habet, assimilatur tamen in aliquo aliis. Quia enim in hac mutatione nihil commune manet, assimilatur creationi. Quia vero principium initiale non est nihil, sed aliquid; ideo dissimilis est creationi, et similis generationi. Quia vero terminum finalem non habet aliquid de novo factum, sed prius existens; ideo est dissimilis generationi, et similis augmento. Quia vero corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis existit; ideo est dissimilis augmento, et similis loci mutationi. Quia vero in alio loco existit, et a proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit; ideo omni motui et mutationi dissimilis est, et est prorsus mutatio singularis. Corruptioni vero et diminutioni nullo modo assimilatur, quia operationes sunt imperfectae, quae non decent divinam virtutem haec operantem. Rursus, quia in alteratione variantur accidentia sensibilia, et hoc non contingit huic sacramento propter fidem, nec illi assimilatur." *Ibid. q. 2.* — „Conversio panis in corpus Christi non est annihilatio, sed in rem meliorem mutatio; ideo conversio vel transubstantiatio, et non annihilatio dici debet." — „Nihil quod convertitur in rem digniorem se, annihilatur; sed panis convertitur in rem multo digniorem se; ergo etc." — „Item actio penes terminum denominatur; ergo cum annihilatio denominetur ab hoc, quod est nihil, et annihilatione nihil sit; sed nihil non habet aliquid de bono; ergo nec annihilatio; sed nulla actio est a summo bono nisi bona; ergo etc." — „Item a summo bono nunquam id, quod est bonum, fit malum; ergo a simili nunquam id, quod est ens, fit non ens, sive nihil." — „Item Augustinus: Conditor naturae nihil facit contra naturam; sed omnis natura appetit esse, sicut dicit Philosophus, naturam, inquimus, desiderare quod melius est, et esse quam non esse." — „Item in sacramento debet salvari ratio signi, sive conveniens signatio; sed hoc sacramentum non est corruptivum, sed conservativum et meliorativum; ergo in ipso non debet esse annihilatio." — „Dicendum quod . . . quorundam positio fuit, quod esset annihilatio panis, cum nihil de eo remaneat. Quia videbatur indignum dicere, quod aliquid extraneum in corpus Christi transiret; ideo rationabilius videbatur eis, quod panis corpori Christi cederet non mutando locum, sed desinendo esse, et Christi corpus superveniret, quam quod panis in ipsum converteretur. Sed haec positio stare non potest, cum hoc non deceat Deum facere, qui est tota causa in hac conversione, nec deceat sacramentum opus tam vile. Ideo communiter ponunt omnes, quod non est annihilatio panis, imo in meliorem substantiam commutatio; et ideo transubstantiatio, non annihilatio talis conversio est, et sic appellari debet. Amplius, si panis non converteretur in corpus Christi, non esset intelligere, quo modo corpus Christi inciperet esse in altari sine sui mutatione." *Ibid. q. 3. fund. et concl.* — „Panis convertitur in corpus Christi, non in divinitatem, nec in animam, nec in sanguinem, licet haec omnia sint ibi." — „Dicendum quod praecise panis in id convertitur, cum quo habet similitudinem, super hanc enim similitudinem fundatur institutio, et advenit verbi sanctificatio. Quia ergo panis habet similitudinem tantum ad corpus; ideo est institutum tantum converti in corpus. Et verbum sanctificans, scilicet: *Hoc est corpus meum,* signat converti in corpus; ideo non in divinitatem, nec in animam, nec in sanguinem aliquid panis convertitur. Nec est sub sacramento corpus sine istis, quia non sunt ibi propter conversionem, sed propter inseparabilem conjunctionem, sive indivisionem. Sanguis enim est ibi ratione commixtionis, anima ratione conjunctionis, sed deitas ratione unionis." *Ibid. q. 4.* — „Conversio panis in verum Christi corpus fit in instanti et non successive, licet fiat ad verbi prolationem, nam fit per verbum increatum." — „Successio est per resistentiam suscipientis, ut patet in diffusione lucis in aëra, quia nihil est ibi resistens; sed ex parte panis nulla est resistentia; ergo nec successio aliqua." — „Item quantum operatio est a virtute potentiori, tanto velocior, ut patet; sed haec est a virtute infinita; ergo est in instanti." — „Item non ob aliud est successio in operatione nisi propter praeparationem et inductionem proprietatum; sed hîc nulla est praeparatio; ergo nulla successio." — „Item successio aut hîc est, quia panis successive abjicitur, aut quia corpus successive introducitur. Non quia panis, quia non est ponere, quare citius convertatur una pars quam alia, nec materia quam forma. Nec quia Christi corpus, quia illud non potest habere nisi esse perfectum et integrum." — „Quod ergo objicitur, quod non sunt simul, dicendum quod successivum non est simul cum instantaneo nec secundum totum, nec secundum partem, sed tamen secundum aliquid sui, ut puta factum vel dictum esse, quod est vel in ratione medii, vel principii, vel finis. Unde certum est, quod quando totum dictum est, totum factum est; sed quando Dominus facit, ipse novit. Ad illud vero quod objicitur de illo instanti, utrum sit panis, dicendum quod in mutatione subita est simul fieri et factum esse, et simul desinere et desiisse. Quia ergo in instanti desinit esse panis, non est panis. Rursus, quia incipit esse corpus, vel convertitur in corpus, est corpus Christi . . . Tempus sive instans mensura ultimi esse panis et primi esse corporis potest dupliciter accipi. Vel in divisione propria uniuscujusque, sicut dicit Philosophus, quod unumquodque pro-

*) Imo haeretica modo est, et anathemate perculsa a Concilio Tridentino, ut superius ostensum fuit, *sess. 13, can. 2.*

**) Post praedictum Concilium est de fide, eam enim *sess. et can. cit.* definivit.

pria periodo mensuratur, quae quidem cum ipsa re incipit et desinit; et sic sunt diversae mensurae discontinuae, et diversa instantia consequenter se habentia, sicut sunt duo esse, scilicet esse panis, et esse corporis. Si autem accipitur instans secundum communem mensuram, quae est tempus continuum et commune, non intercisum, ut est mensura motus primi mobilis, vel etiam ut tempus consideretur secundum essentiam, non secundum esse, tunc accipitur determinatum instans secundum nostram signationem. Signetur ergo unum instans in tempore, in quo ultimo est panis; signetur et aliud instans, in quo primo est corpus Christi. Ego dico, quod non est signare duo instantia consequenter se habentia in continuo, manente continuo. Unde quodlibet horum per se signari potest, sed duo simul impossibile est signare. Et sic patet, quod in alio et alio instanti habet esse panis et corpus secundum rem, et secundum quod est mensura realis et propria, licet secundum mensuram communem duo instantia immediate signare non contingat. Hic autem modus solvendi rationabilior et certior videtur omnibus praedictis, quoniam supra tria principia certa fundatur. Primum est, quod in eodem instanti simplici impossibile est contradictoria esse, quantumcumque instans habeat diversitatem secundum considerationem. Secundum est, quod in continuo, manente continuo, impossibile est instantia esse consequenter, nec vere signari. Tertium est, quod inter esse panis et inter esse corporis Christi, vel inter duo contradictoria, nihil est medium." *Ibid. q. 5. fund. concl. et resp.* — „Cum ista conversio sit singularis, solum illa propositio est vera et propria, in qua verbum signat non identitatem panis ad corpus, neque causalitatem, neque innovationem, neque ullam ad causas inferiores ordinationem, sed solum conversionem cum praepositione importante transitum, non causam." — „Dicendum quod ista conversio est singularis, quia totum in totum transit, et hoc virtute supra naturam; ideo panis ad corpus non est identitas, non est innovatio in Christi corpore, nulla est causalitas in pane, nulla est secundum causas inferiores ordinatio. Ex his eliciuntur quatuor regulae. Prima est, quod omnia verba signantia identitatem panis ad corpus Christi, faciunt sermonem falsum. Unde omnes tales locutiones impropriae sunt, et exponendae: Panis *erit* corpus Christi; vel quod *fuit* panis, *est* corpus Christi; et simpliciter non sunt recipiendae cum relativo et verbo substantivo. Et ideo non valet ratio, quam adducit. Quia enim totum in totum transit, non est major identitas, imo minor, imo nulla. Secunda regula est, quod omnia verba signantia innovationem circa corpus Christi, sunt false dicta; quae autem signant conversionem et transitum, vere dicuntur. Et quia *generari* dicit innovationem, *fieri* potest dicere transitum, ut cum dicitur: Hoc fit illud; ideo cum verbo fiendi potest concedi, non cum verbo generandi . . . Ratio ad oppositum non valet, quia objicit de *fieri,* prout dicit alicujus generationem; sed non sic accipitur hîc. Unde haec est magis propria: Panis fit corpus, quam de pane fit corpus; et haec simpliciter est impropria: Corpus Christi fit; sed conceditur, fit hîc. Tertia regula est, quia non est ordinatio panis ad corpus Christi secundum causas inferiores; ideo verba hoc signantia, sicut hoc verbum *potest,* absolute dictum, faciunt locutionem falsam; ut si dicatur: Panis potest esse corpus. Sed si dicatur ordinatio secundum causas superiores, tunc est in locutione veritas; ut si dicatur: Panis potest converti a Deo. Et sic dicit Ambrosius, et ratio concludit, quia actus ille est a potentia superiori. Quarta regula est, quia nulla est causalitas, sed solum transitus panis in corpus Christi, quod omnes praepositiones causalitatem importantes reddunt locutionem impropriam. Unde impropriae sunt cum hac praepositione *de* vel *ex,* secundum quod dicunt causalitatem; sed cum est aliqua acceptio ordinis, nec tamen secundum illam omnino propriae. Et ideo dicendum, quod illa est vera et propria, in qua verbum signat non identitatem, nec innovationem, nec ordinationem naturalem, sed solum conversionem cum praepositione importante transitum, non causam. Unde haec est propria: Panis convertitur in corpus Christi." *Ibid. q. 6.*

[21] „Majus est creare quam transubstantiare; ex eo tamen quod corpus Christi superexcellit omnem creaturam, prout est cum anima et divinitate, transubstantiatio superexcellit omnem rei alterius creationem." — „Dicendum quod si loquamur de virtute creante et transubstantiante, quae major sit quantum ad se, non est differentia, quia una est, nec intensa, nec remissa. Si autem quantum ad effectum, quis sit indicativus majoris potentiae, sive magis declarativus potentiae divinae, dicendum quod in qualibet harum operationum est considerare principium initiale, distantiam mediam et terminum finalem. Quantum ad principium initiale majoris virtutis attestatio est creare quam transubstantiare, quia ibi ex nihilo, hîc operatur in aliquid et ex aliquo. Quantum vero ad distantiam mediam est aequalitas virtutis, quia utrobique nihil commune reperitur, nec manet secundum genus subjectum, licet secundum genus praedicabile in altero. Quantum vero ad terminum finalem, quia in creatione fit, ut quod non erat, sit; in transubstantiatione fit, ut quod erat alicubi, sine sui mutatione sit alibi: illud quidem est majus, sed hoc rarius; et illud majus est, sed istud majus videtur. Quantum ergo ad terminum finalem majus est creare, sed majus videtur transubstantiare. Rationes ergo primae verae sunt, quia major effectus est creare, et quantum ad terminum finalem, et quantum ad principium initiale. In hoc tamen quod corpus Christi superexcellit omnem creaturam, prout est cum anima et divinitate, et transubstantiatio facit, ut illud corpus sit in altari; ideo excellit omnem rei alterius creationem, non tamen sui formationem, scilicet in utero, sicut videbitur." *4. dist. 10. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Concipiendi Christum est virtus praestantior quam virtus conficiendi sacramentum." — „Illa virtus est dignior, quae subjectum suum facit dignius et excellentius; sed virtus concipiendi data Virgini Mariae fecit eam multo digniorem quam virtus, sive potestas consecrandi, data sacerdoti, vel verbo; ergo virtus concipiendi est excellentior." — „Item opus illud est majus et excellentius, de quo tenetur quis secundum rectam rationem plus laudare Deum et ei regratiari; sed magis tenemur laudare Deum de conceptione gloriosae Virginis, quam de consecratione, quam facit sacerdos in altari; ergo etc." — „Item illa virtus est potentior et major, quae potest in plus; sed beata Virgo unica conceptione concepit illud idem et tantum, quantum omnes sacerdotes omnibus consecrationibus

conficiunt a principio mundi usque ad finem, et praeterea novum aliquod, quod non erat, nobis concepit; sed sacerdos non conficit nisi quod erat; ergo virtus conceptionis ad majorem effectum, sive terminum, se extendit; ergo nobilior.“ — „Dicendum quod dupliciter est loqui de utraque harum virtutum. Aut prout sunt in suo fonte et primo principio, ut dicatur virtus concipiendi, quae operata est conceptionem et principaliter et propria auctoritate, et similiter virtus transubstantiandi; et sic non est comparatio secundum magis et minus in se. Sed si comparetur ad manifestationem factam per effectus, judicandum est, quod se habent sicut excedentia et excessa. Licet enim utrumque sit nobilissimum, et ostendat Dei potentiam esse summam, in illo tamen magis laudatur majestas divina, et in hôc captivatur magis ratio nostra. Alio modo possumus loqui de hac duplici virtute, prout dicitur communicari creaturae, secundum quod dicitur, quod Virgini data est potestas concipiendi, et sacerdoti per verbum potestas conficiendi. Et sic, loquendo simpliciter, virtus concipiendi est dignior et excellentior, quia subjectum magis nobilitat; majus enim est esse matrem Dei, quam esse sacerdotem. Quia etiam actio Virginis est singularior, gloriosior et praeclarior, majus enim est concipere quam conficere, quia terminus actionis plus accepit a concipiente matre, quam a conficiente sacerdote. Accepit enim a matre humanitatem et esse, non tantum esse hîc, vel esse ibi; in consecratione vero, sicut melius patebit, corpus Christi non incipit esse; ergo etc. Ad illud ergo, quod objicitur de nobilitate corporis Christi, jam patet responsio. Nam corpus Christi in consecratione non fit; quod si fieret, tunc utique bene concederem rationem. Sed certe tunc non fit ejus humanitas, quia facta est in conceptione. Non fit gloria corporis, quia facta est in resurrectione. Non fit perfecta aetas, quia triginta annorum spatio est perfecta. Unde argumentum deficit, quia arguit ac si fieret. Sed per consecrationem nihil novum fit, sed hoc solum fit, ut quod erat in caelo perfectum et gloriosum, virtute transubstantiandi idem sine mutatione sit in altari. Ad illud quod objicitur, quod minor est dispositio, dicendum quod ex utraque parte erat potentia obedientiae. Verumtamen esto quod minor sit dispositio, tamen virtus data verbo vel sacerdoti non efficit, vel reducit ad actum, sicut virtus conceptionis data Virgini ... Ad illud quod objicitur de communicatione, quod nobilior est virtus, quae se magis communicat, dicendum quod hoc verum est, ceteris aliis paribus; sed non sic est in proposito. Nam beatissima Virgo Maria tantam habuit divinitus sibi collatam virtutem, quod recte Mater Domini dicitur et est verissime. Sacerdos autem nec Verbum, nec pater, nec mater Christi potest dici, quamvis ad ejus ministerium convertatur panis in beatissimum corpus Christi.“ *Ibid. q. 2.*

[22] „Nullum est incommodum, sive aqua in sacramento alteretur, et forma ejus remaneat, sive quod ipsa mutetur in vinum virtute specierum.“ — „Nihil convertitur in sanguinem nisi per transubstantiationem; sed virtus transubstantiandi non est in elemento, sed in verbo; ergo quantumcumque addatur elementum alius speciei, non fit transubstantiatio; ergo manet substantia cum accidentibus; ergo non convertitur in sacramentum.“ — „Item si convertitur, aut ergo virtute sanguinis, aut virtute vini. Virtute sanguinis non, quia sanguis ille est glorificatus; ergo non habet potentiam convertendi aliquid aliud in se.“ — „Item non virtute vini, quia vinum quod convertitur, ratione substantiae, non ratione proprietatum convertitur, et ibi non est substantia vini; ergo nulla vis, quae possit convertere.“ — „Item aqua non est nata de se converti in sanguinem; ergo si apponatur vino consecrato, non transit in sanguinem; ergo manet substantia ejus; et sic etc.“ — „Dicendum quod accidentia non habent virtutem convertendi aliam substantiam in sacramentum. Et ratio hujus est, quia in hoc sacramento est transubstantiatio, transubstantiatio autem non fit sine verbo; ideo quantumcumque apponatur aliquod aliud elementum, nisi adsit verbum, non fit sacramentum. Et si tu objicias, quod aqua benedicitur per verbum, et oleum benedicitur, et tamen si non benedictum proportionabiliter apponatur, efficitur benedictum; respondetur, quod non est simile, quia consecratio in oleo et benedictio in aqua non ponunt nisi accidens aliquod et proprietatem quandam sanctificationis. Sed hîc consecratio ponit conversionem in veram substantiam, et continentiam ejusdem, quae est a sola virtute increata assistente ipsi verbo. Alia etiam est ratio, quia aqua benedicta tota attingitur, et secundum totum, quod habet in se, commiscetur aquae supervenienti, et oleum benedictum non benedicto oleo; sed sanguis ibi contentus nulli humori miscetur, pro eo quod non est ibi diffusus, sed est sanguis glorificatus intra venas Christi contentus, et ideo a nullo liquore attingitur; et ideo nihil per mixtionem vel contactum potest in ipsum converti. Si ergo aliquid convertatur, necesse est, quod per transubstantiationem et novam consecrationem convertatur. Concedendum est ergo, quod species vini juncta alii liquori non convertitur in sacramentum ... Ad illud quod quaeritur, si aqua modica convertitur a specie vini, respondetur dupliciter secundum diversos. Uno modo quod non convertitur, ita quod solvitur forma substantialis aquae, sed converti ibi est solum alterari, quia mutatur sapor et color et odor, et participat proprietates vini; et ideo quantum ad sensum nostrum conversa est. Et talis conversio disponit ad conversionem in sacramentum, si adesset verbum; sed cum non adsit, non convertitur, sed manet substantia habens proprietatem vini per actum et virtutem illius speciei. Alius modus dicendi est, quod aqua convertitur in vinum, et hoc virtute illarum specierum, non, inquam, in vinum, quod sit unum secundum speciem, sed vinum solum secundum materiam, sicut caro secundum speciem convertit carnem secundum materiam. Et si tu objicias, quod nihil dat, quod non habet, verum est secundum substantiam vel secundum virtutem, et species illae, quamvis non habeant substantiam vini, habent tamen virtutem et operationem; et ideo sicut verum vinum solveret speciem aquae modicae, et converteret secundum veritatem, ita intelligendum est in proposito. Uterque modus dicendi est probabilis satis, et quocumque horum modorum dicatur, non sequitur, quod aqua juncta vino fiat sacramentum, et consecretur.“ *4. dist. 12. p. 1. a. 2. q. 2. fund. concl. et ad 2.*

[23] „Congruit ibi accidentia remanere, sicut dicit Hugo, in solatium sensus, et in fidei meritum. Dum enim velatur verum corpus carnis, et fides magis meretur credendo

quod non videt, et sensus libentius recipit. Congruum autem est, quod sola remaneant sine subjecto propter efficaciorem significationem, quia efficacius et perfectius ducunt in signatum, cum non habeatur ibi stabiliens per naturam propter convenientem cibationem. Quia enim iste cibus est spiritualis, ideo oportet animam sublevari a carnalitate sensus per fidem, et a carnali dilectione per caritatem. Et ideo non debuit ibi remanere panis materialis propter fidei promotionem, dum enim sublevatur intellectus ad intelligendum quod est supra naturam, scilicet accidentia esse sine subjecto, fit habilior ad credendum, quod est supra seipsum, quod totus Christus sit in tam parva hostia. Quarta ratio propter divinorum perfectionem, quae debet in hoc sacramento reperiri, cum sit perfectissimum. Et attenditur duplex perfectio in hoc sacramento. Prima est in hoc, quod accidentia accipiunt modum nobilissimum essendi, scilicet esse per se; et in hoc quod substantia illa, quae suberat, cum esset materialis et corruptibilis, transubstantiatur in substantiam, sive in corpus spirituale et incorruptibile, et in corpus divinitati conjunctum et gloriosum." *4. dist. 12. p. 1. a. 1. q. 2.*

[24] „In sacramento eucharistiae vere sunt accidentia sine subjecto, et non in aëre circumfuso, ut aliqui dixerunt." — „Aliqui voluerunt dicere, quod species illae erant in aëre circumfuso. Sed illud manifeste falsum est, tum propter hoc, quod non denominant accidentia aërem circumiacentem, tum etiam quia impossibile est accidens transmutare subjectum, vel transmigrare de subjecto in subjectum. Si ergo fuerunt in pane, non possunt esse in aëre. Et iterum, aëre non mutato, transferuntur de uno loco ad alium. Item locum replent, et aërem expellunt; sed nullum locatum comparatur ad locum ut ad suum subjectum, et nullum accidens expellit subjectum proprium. Propter haec et his similia, communiter tenent magistri, quod accidentia sunt ibi sine subjecto." *4. dist. 12. p. 1. a. 1. q. 3.*

[25] „Existentia corporis Christi in sacramento altaris est supra captum intellectus humani, non tamen supra captum intellectus fidelis." — „Dicendum quod aliqui voluerunt hîc subtiliari et dicere, quod hoc aliquo modo erat intelligibile. Et quamvis existentia talis sit supra naturam corporis humani non glorificati, non est tamen supra naturam corporis glorificati, quia corpus illud habet proprietates et nobilitates lucis, corpus autem lucis tantae nobilitatis est per naturam, quod in majori spatio et in minori potest esse, ita quod ipsum nec sit majus, nec minus. Exemplum autem dant sic. Si lux candelae, sive lumen, sit in magna domo, et postmodum transferatur in parvam, lux candelae tanta est in parva, quanta in magna, non rarior, nec densior; similiter radius, si dirigatur in propinquum et longinquum. Similiter volunt dicere in corpore glorioso, et maxime in corpore Christi. Sed ista manuductio ad intelligendum potius intellectum obfuscat, quam aperiat. Primum quia exemplum non est conveniens in se, lumen enim non est corpus, nec defluxus corporis, nec rarefit, nec condensatur. Rursus, non est conveniens ad propositum, quia diffusio luminis, eo quod arctatur secundum spatium, configuratur secundum illud, in quod diffunditur. Si ergo corpus Christi sic esset in hostia, oporteret, quod figura nasi et aliorum membrorum configuraretur planitiei hostiae. Et iterum non potest intelligi, quod contrahatur, quin una pars corporis intret sub alia, ac per hoc non maneret corporis quantitas et figura; et multa inconvenientia ad hoc sequuntur. Ideo dicendum aliter, quod est supra naturam corporis glorificati, nec proprietates illae possunt convenire alicui per naturam, et si conveniant, hoc solum est per miraculum; et ideo non est quaerendum simile, per quod capiatur. Si ergo quaeratur ratio, per quam intelligatur, vel utrum sit intelligibile, dicendum, quod est loqui de intellectu nostro, ut est humanus, vel ut est fidelis. Si ut est humanus, sic intelligit conversus ad imaginationem et sensum, et judicat secundum causas intrinsecas et inferiores; et ideo deficit in assentiendo, quia non assentit nisi secundum manuductionem, quae ortum habet ab imaginatione et sensu. Item, quia judicat secundum causas intrinsecas et creatas, et ita comparando potentiam continendi active ipsius hostiae ad potentiam continendi passive Christi ipsius corporis; et quia invenit repugnantiam et improportionabilitatem, ideo contradicit in ratiocinando. Et ita iste articulus dicitur esse supra intellectum, et contra intellectum, secundum quod est intellectus humanus. Si autem loquamur de intellectu, secundum quod est fidelis, sic dicendum quod assentit secundum dictamen fidei, et secundum regulam veritatis aeternae; ideo sufficit in assentiendo, et concordat in ratiocinando. Intellectus enim fidem habens statim credit, ex quo hoc propositum est sibi, scilicet quod Christus est sub speciebus illis; et hoc adjutus lumine fidei. Similiter concordat in ratiocinando, quia aspicit ad causas superiores. Sic enim dicit intellectus: Deus potest facere omne, quod est congruum. Et fides assumit: Congruum est, quod caro Christi exponatur in cibum. Et ideo ratio concludit, quod Deus hoc possit ibi facere. Item intellectus dicit, quod veritas non potest dicere falsum; et fides assumit: Veritas dixit: *Hoc est corpus meum;* et praecepit, ut diceretur; ergo dixit verum. Cum ergo sit in nobis duplex intellectus, scilicet fidelis et humanus; ideo sentimus in nobis aliquando colluctationes. Fidelis tamen intellectus praevalet ei, qui est humanus, quia elevat ipsum extra animalitatem; attamen non ita elevat, quod comprehendat, ut meritum fidei integrum maneat. Et hoc patet, quia intellectus humanus dicit, quod impossibile est, quod majus contineatur a minori: et fidelis respondet, quod verum est localiter; et corpus Christi magnum non est ibi localiter, sed sacramentaliter; et quamvis illud sit impossibile per naturam, tamen potest esse Deo possibile. Et quia nescimus quid Deus posset, mutato modo essendi; ideo licet intellectus sibi praevaleat, tamen nondum comprehendit. Et sic patent rationes ad utramque partem, primae enim procedunt de intellectu secundum quod humanus, et secundae de intellectu secundum quod fidelis. Ad illud tamen quod quaeritur, quare plus hoc dicitur esse supra intellectum, dicendum quod in hoc quodam modo communicat nostra imaginatio, cum corpus Christi sit imaginabile. Et quoniam illuditur ei, quia ut est sub sacramento, subterfugit imaginationem, imo supra ipsam est, ut praehabitum fuit, cum accipiat modum essendi, quem habet spiritus; ideo cum repugnet imaginatio, magis est contra intellectum. Sed in articulis aliis, scilicet divinitatis, omnino deficit, et non adeo re-

pugnat. Ad illud quod quaeritur, quare disputatur de hoc sacramento, cum totum sit fidei, dicendum quod non ad generandam fidem, sed ad nutriendam, ne propter ignorantiam aliquis concedat repugnans fidei, vel neget consequens ad fidem; et hoc quam utilissimum et necessarium est, quia multa ponuntur in hoc sacramento ab incautis, in quibus est periculum in asserendo. Unde disputamus, non ut melius credamus, sed ut fidem illibatam servemus, dum, ipsa cognita, errores cavemus, et cavendo in veritate persistimus." *4. dist. 10. p. 2. a. 2. q. 1.* — „Visus quantumcumque gloriosus ad hoc non attingit, ut videat corpus Christi sub sacramento altaris, sicuti est." — „Dicendum, quod existentia corporis Christi sub sacramento est sublimata supra modum essendi, et omnis corporis, et omnis rei corporalis et dimensivae. Et ideo, cum visus non abstrahat a quantitate, quia est de ratione sensatorum, et percipere habeat corpus secundum modum existendi corporalem; dicendum est, quod nullo modo visus quantumcumque gloriosus ad hoc attingit, ut videat ibi Christum, sicuti est, etiamsi praesens sit. Et si alicui miraculose ostensum est, nunquam tamen ostensum fuit in forma, quam ibi habet, ut communiter dicitur, quia ostensum fuit in forma parvuli, et ipse est ibi secundum eandem quantitatem, quam habet in caelo, et sic est in qualibet parte; et iste modus existendi abstrahitur ab omni sensu." *Ibid. q. 2.*

[26] „Ad illud quod quaeritur, si in triduo fuisset reservatum, dicendum quod mortuus esset sub speciebus; et similiter, si aliquis confecisset, non esset ibi nisi corpus mortuum. Quod objicitur, quod tunc imperfectum esset etc., dicendum quod sacramentum esset perfectum ab efficacia, quia corpus erat unitum divinitati; et esset perfectum a signantia, sed tamen non a continentia. Et ratio hujus est, quia imperfectio erat in ipso signato, quia corpus erat mortuum. Similiter dicendum, quod non est esse ibi animam virtute verborum, sed propter conjunctionem. Unde quia in triduo non erat conjuncta, ideo non esset ibi, non propter virtutem verborum, quae modo sit major, sed propter alium statum corporis; verba autem sacramentalia sunt ordinata ad convertendum in corpus, quale erat secundum statum prolationis verborum. Sed numquid poterat Christus facere, si corpus erat mortuum sub sacramento, quod anima egrediens de corpore pendente in cruce intraret corpus sub sacramento, et ita simul esset vivum et mortuum? Dicendum quod hoc facere nihil aliud esset, quam redire, unde exierat; unde hoc esset corpus suum vivificare, quia omnino unum est; et ideo est ibi imaginatio mala, quia imaginatur corpus Christi unicum esse ut diversa corpora, et quod unum sit et perfectum et vivum, et aliud non. Hoc autem non debet intelligi, quia tantum unum est corpus." *4. dist. 11. p. 2. a. 2. q. 2. ad 4—6.*

[27] „Christus tradidit discipulis corpus suum mortale et passibile in coena, licet ibi non poterat passio illi inferri, quia in sacramento erat impassibiliter." — „Dicit Glossa: Solet quaeri, quale corpus discipulis suis dedit Dominus; et respondet: Dicimus tale, quale erat, quia passibile et mortale." — „Item si dedit impassibile et immortale, cum haberet in se passibile et mortale; ergo aliter dedit in signo, quam in se; ergo fuit ibi fictio." — „Item si immortale, esto quod reservaretur, simul esset vivus et mortuus; ergo simul viveret et non viveret: et si hoc, duo contradictorie opposita essent simul vera de eodem, quod non potest credi, nec intelligi." — „Item cum dicitur: *Hoc est corpus meum,* panis solum convertitur in corpus, sed anima est ibi solum per concomitantiam; ergo si in triduo fuisset confectum, esset mortuum corpus, cum anima esset separata; ergo similiter si esset reservatum; ergo passibile et mortale." — Circa hoc duplex est opinio. Una magistri Hugonis et suorum sequacium, quod Christus corpus suum immortale et impassibile dedit sub sacramento. Et non est inconveniens, quod sit habens alterum et alterum modum essendi, habitu et actu. Habitu quidem erat mortale; sed ex aliqua causa sumpsit ad tempus immortalitatem, sicut subtilitatem in nativitate, agilitatem in mari, claritatem in monte; sic immortalitatem sub sacramento. Nec est ibi contradictio vera, quia corpus Christi, ex hoc quod in pluribus locis est, oppositas habet proprietates; sicut portare et portari, quiescere et moveri, sic pati et non pati. Quantum enim ad hoc accipit rationem universalis, licet vere sit singulare. Et secundum opinionem istorum, si reservatum fuisset, non esset mortuum in pyxide. Sed quia haec opinio simul contradictoria ponit dici de eodem secundum quod idem, et hoc non est necessarium ponere in hoc sacramento; ideo minus est rationabilis. Propterea est alia opinio Magistri et Innocentii et sequacium, quod dedit tale corpus discipulis, quale habuit. Quamvis enim corpus Christi simul virtute sacramenti sit in pluribus locis, easdem tamen habet absolutas proprietates, tanquam unum numero. Et propter hoc, ad intelligentiam objectorum in contrarium, dicendum quod duplex est proprietas, quae convenit corpori Christi, quaedam absoluta, quaedam relata ad locum. Proprietas absoluta, quae convenit corpori Christi, ut in uno loco est, cum sit una, convenit tamen ut in omnibus. Sed proprietas relata ad locum, cum sit in diversis locis, etsi conveniat ei in uno loco, non tamen oportet, quod in omnibus. Unde non oportet, si corpus Christi sit in multis locis, quod si movetur in uno, moveatur in altero. Similiter non oportet, quod si aliquis percutit ipsum in uno loco, in alio similiter percutiat, quia talis operatio respicit praesentiam localem agentis. Ita similiter non oportet, quod si videatur in uno loco, in alio videatur, quia hoc respicit praesentiam visibilis. Concedendum ergo, quod Christus corpus possibile et mortale habebat sub sacramento, sed tamen non poterat ibi sibi passio inferri, quantumcumque homo percuteret; unde dicendum quod sub speciebus illis erat passibilis, sed erat ibi impassibiliter. Unde loquendo de passione illata, si quaeratur, utrum posset ibi pati, ista distinguenda est; aut enim hoc, quod est *ibi*, determinat actum, aut compositionem intellectam circa subjectum. Si determinat actum, falsa est, quia sensus est, quod sub sacramento poterat ei passio inferri; et hoc est falsum, quia sicut ibi non poterat sentiri, ita nec poterat ei passio inferri. Si autem determinat compositionem intellectam circa subjectum, sic locutio est vera, et est sensus: existens ibi poterat pati, quia si passio in alio loco ei inferretur, etiam ibi passionem sentiret et moreretur. Unde si fuisset reservatum corpus illud, habuisset plagas sub sacramento, sicut extra, sed tamen non esset illi ibi illata passio sub tali modo existendi

Propter hoc dicunt magistri, quod ibi existens erat passibilis passione illata sibi alibi, tamen erat ibi impassibiliter. Et si sic magister Hugo intellexit, habet veritatem. Sed tunc illa adaptatio de dotibus non valet; si enim dotes dicunt qualitates aliquas, non video quomodo corpus non sit alteratum, saltem ad tempus. Constat autem quod, quando dedit sacramentum, corpus ejus actu et habitu habebat proprietatem passibilitatis; ergo non habebat oppositam, modum tamen existendi in alio alium habebat, qui modus sublimabat ipsum supra habere passionem, ac per hoc supra passibilitatem sentiendi, ut erat ibi, vel contingendi. Unde, quamvis esset passibile, tamen nunquam poterat ibi palpari; similiter nec passio ibi inferri". *4. dist. 11. p. 2. a. 2. q. 2. fund. et concl.*

[28] „In altari non tantum est corporis Christi veritas, imo etiam quantitas. Et ad intelligentiam objectorum notandum, quod etsi in hoc sacramento fieri debeant miracula, non tamen debent fieri, nisi quae congruant sacramento. Sacramentum autem illud est mysterium fidei; et ideo est verum et occultum. Quia verum, ideo cum dicitur: *Hoc est corpus meum,* corpus panis transit in corpus Christi, et hîc, et ubicumque dicatur. Et ex hoc oritur duplex miraculum. Primum est, quia panis transit in corpus Christi integrum et perfectum. Et aliud, quia corpus Christi integrum est, ubicumque fit haec transubstantiatio, ita totum et perfectum in parvo loco, et unum in pluribus locis. Quia vero occultum, ideo debent manere species et omnia sensibilia, ipso non apparente. Et ex hoc est duplex miraculum, unum quia accidentia sunt sine subjecto, alterum vero, quod est ibi corpus clarissimum, et est praesens, et non videtur." *4. dist. 10. p. 1. a. 1. q. 2.*

[29] „Corpus Christi verum in eucharistia non frangitur; quin imo in quot partes dividatur hostia, in qualibet est integrum." — „In fractione specierum eucharistiae est vera fractio, cum ibi sit vera divisio, quantitas vera et vera soliditas." *4. dist. 12. p. 1. a. 3. qq. 1. 2.*

[30] „Ipsa fractio signat passionem, sed partes istae signant partes corporis Christi mystici. Et quia partes in corpore Christi mystico sunt in triplici differentia, quidam enim regnant in paradiso, quidam securi exspectant in sepulchro, quidam autem pugnant in merito; ergo tantum tres partes fiunt in hoc sacramento." *4. dist. 12. p. 1. a. 3. q. 3.* — „Fractio est passio, partes fractae tres justorum differentiae; quidam regnant in caelo; hi per tinctam; quidam securi exspectant in sepulchris, hi per eam, quae antiquitus servabatur, quidam pugnant in mundo, hi per siccam partem hostiae figurantur." *Centil. p. 3. sect. 50.*

[31] „Corpus Christi vere existens in hostia, est totum in toto, et totum in qualibet parte, in qua salvatur species totius." — „Dicendum, quod duplex est hîc positio. Aliquorum enim positio est, quod sub totali specie sit totum corpus, ita quod sub nulla parte totum ante fractionem, sed post fractionem est in qualibet parte totum; et hoc dicunt venire non a virtute convertendi, quia hoc non est per conversionem, sed per inseparabilem unionem. Sicut enim ubi corpus, ibi anima Christi propter conjunctionem; sic cum haec pars contineat aliquam partem corporis, et inseparabiliter, rursus illa pars non possit dividi ab aliis, quia corpus est incorruptibile; propter conjunctionem, qua separat partem hostiae ab hostia, totum trahit secum. Et ponunt exemplum in speculo, quia imago habet esse spirituale, quod non potest dividi, et in altera parte speculi remanet pars imaginis, similiter et tota. Simile etiam dicunt in anima sensibili, quae nata est esse in corpore annuloso, propter consimilem rationem in partibus et toto; unde quando dividitur pars a toto, remanet in ea tota anima. Sic suo modo in proposito. Unde quia non est ponendum in hoc sacramento, nisi quod necesse est; et ratio cogit post fractionem esse in partibus divisis hostiae, ante fractionem autem ponere esse in omnibus partibus ratio non cogit, nolunt amplius ponere. Aliorum opinio est, quod corpus Christi ita est in toto, quod in qualibet parte, in qua salvatur species totius. Et hoc quidem ponunt non propter necessitatem, sed propter rationem inducentem et in conversione, et in fractione; in conversione, quia cum totum sit homogeneum, non est major ratio, quare magis una pars in unam partem, quam in totum convertatur, ex quo non requiritur determinata pars. Unde Innocentius: Ego sane concesserim, quod talis panis in totale corpus convertitur, ita tamen quod nulla pars panis in aliquam partem corporis transit. In fractione similiter videmus, quod qua ratione post in qualibet parte totus est, eadem ratione similiter est ante. Unde Innocentius: Reor, salva fide majestatis, quod ubi est panis consecratus, totum in singulis partibus contineatur; quod inde cognoscitur, quoniam in quotcumque partes species dividantur, in singulis est totus Christus. Et haec positio est probabilior, et huic magis consentio, quia facit ad veritatem sacramenti et utilitatem fidei; ad veritatem, quia Christus ibi continetur ut signatum in signo; et quia ratio signandi uniformiter est in partibus et in toto, ad veritatem sacramenti spectat, quod uniformiter sit in partibus et in toto. Ad utilitatem fidei facit, quia phantastica imaginatio multum impedit nos ab elevatione ad contemplandum credenda. Sed si corpus Christi ponatur ibi, ita quod pars in parte, et totum in toto, non est omnimoda abstractio ab imaginatione. Sed quando ita ponitur, quod totus sub qualibet parte, hoc nullatenus cadit sub imaginatione. Unde multum sublevatur homo ad puritatem intelligentiae." *4. dist. 10. p. 1. a. 1. q. 5.*

[32] „Illud dicitur esse dimensive alicubi, quod ita est in illo, quod totum in toto, et pars in parte secundum commensurationem; et hujusmodi non debuit esse corpus Christi sub sacramento, quia tunc necessarium esset illi aequari et configurari. Sed hoc non congruebat veritati sacramenti, quia ad veritatem sacramenti requiritur, quod sit ibi in quantitate sua; et si aequaretur hostiae, non esset in sua quantitate, sed conformaretur, vel configuraretur non in sua figura; et ideo hoc non debuit fieri, sed debuit fieri, ut corpus habens suam perfectionem esset in hostia illa, et ita habens suam dimensionem, non esset ibi dimensive." *4. dist. 10. p. 1. a. 1. q. 4.*

[33] „Sicut dicit Innocentius: Quemadmodum Dei Filius secundum divinitatem habet triplicem modum essendi, in omnibus per essentiam, in justis per gratiam, in Christo per unionem; sic corpus Christi localiter est in caelo, personaliter in Verbo, sacramentaliter in altari: hoc tertio modo dicit ipsum reperiri in pluribus locis, quia plures

sunt species continentes. Unde, per se loquendo, est in uno loco tantum, in quo diffinitur sicut individuum. Quia vero multa in ipsum convertuntur, quae sunt in diversis locis, et ipsum per consequens est in diversis locis secundum illum modum, secundum quem multa in ipsum convertuntur, et hoc sub sacramento. Unde notandum ad intelligentiam objectorum, quod corpus Christi est individuum secundum se, et individuum in quod plura convertuntur. Quia individuum secundum se, est in caelo tantum in proprio et diffinitivo loco. Quia vero in ipsum plura convertuntur, non habet terminum substantiae limitatum ad unum locum, sed extendit se ad locum conversionis. Et quia conversionis loca non possunt esse omnia, nec unum solum, imo plura, quantum ad hoc nec immense est sicut Deus, nec omnino diffinitive sicut aliquod individuum, sed medio modo, sicut Deus secundum modum essendi per gratiam non in omnibus, sed in pluribus. Si ergo quaeratur ratio, quare corpus Christi est in pluribus locis, credo quod haec sit ratio, quia plura convertuntur in ipsum totum, et in pluribus locis. Si quaeratur autem quare plura, dicendum quia Dominus instituit. Et si quaeratur ratio institutionis, dicendum quod quia cibus spiritualis et communis, ideo natum est cibare plures, et ideo plura convertuntur in ipsum; aptitudinem autem cibandi spiritualiter habet ex unione cum divinitate, actum vero ex existentia sub sacramento; et ideo institutum est, ut plura in illud corpus convertantur, et sub hoc sacramento." *4. dist. 10. p. 1. a. 1. q. 3.*

[34] „Operationes specierum eucharistiae, si fiat comparatio ad principium, sunt supra naturam; si autem ad objectum, sunt naturales." — „Dicendum ad intelligentiam praedictorum, secundum unum modum dicendi satis probabilem, quod ex comparatione virtutis ad operationes ex virtute egredientes, operationes habent regulari secundum potentias et virtutes, a quibus egrediuntur. Propter quod notandum, quod aliquando datur alicui potestas conformis suae naturae, et actus egressus ab illa potentia est naturalis, sicut cum caeco redditur potentia videndi. Aliquando datur potestas alicui partim conformis naturae, et partim supra naturam; et tunc actus egrediens quodam modo est naturalis, quodam modo supra naturam, sicut caeco videre nocte. Quandoque datur potestas omnino supra naturam; et tunc actus egrediens ab illa potentia est miraculosus simpliciter, et supra naturam, sicut Virgini data est potestas pariendi. Considerandum est igitur, quod in hoc sacramento est haec omnia reperire. Nam prima quantitas naturaliter habet substare aliis accidentibus, et alia accidentia naturaliter sustentari ab illa. Si ergo detur quantitati potentia sustentandi alia accidentia, illorum existentia in quantitate est naturalis, et operatio sequens habet potentiam naturalem. Unde dico, quod operationes illarum specierum in sensus sunt naturales, quia in quantitate habent esse conveniens immutationi sensuum. Omnes igitur rationes hoc ostendentes sunt concedendae. Ad oppositiones manifesta est responsio, quia quantitas est ibi loco materiae, et per illam sunt hîc et nunc, et habent esse materiale, et conveniens immutationi sensuum, et accidentia primo sunt in quantitate . . . Quia vero datur ulterius quantitati illi potentia subsistendi transmutationibus illarum formarum, talis potentia partim est conformis naturae, partim supra naturam. Conformis est quantum ad subsistentiam contrarietatis, quia quantitati per se insunt contraria; sed supra quantum ad hoc, quod manet eadem secundum se, facta mutatione; hoc enim est proprium solius substantiae, et ita supra naturam contrarietatis. Ad illud, quod quaeritur de transmutatione, utrum sit naturalis, vel miraculosa, dicendum quod ratione naturarum illarum specierum, quae habent naturam contrarietatis, illa transmutatio est naturalis; sed ratione subsistentialitatis est supra naturam, ita partim naturalis et partim supra naturam. Rationes igitur ad partem oppositam factae in secundo problemate currunt secundum has duas vias. Nam quae probant, quod sunt naturales, sumuntur a natura contrarietatis formarum illarum; quae vero probant, quod sunt supra naturam, procedunt secundum viam subsistentialitatis: sic patet secundo quaesitum de transmutatione. Si vero datur illis accidentibus potentia convertendi in substantiam, cum desinunt esse, et cum corpus Christi ibi desinit esse, talis potentia omnino est supra naturam; et ideo talis actus est omnino supra naturam, et miraculosus. Ad illud, quod quaeritur de nutritione, dicendum quod ibi triplex est operatio. Prima est, quod species illae per actionem virtutis agentis transmutantur; et haec partim est naturalis, partim supra naturam. Secunda est, quod in fine transmutationis cedunt in substantiam, ita quod in illam convertuntur, sicut converteretur substantia panis, si esset praesens; et haec est miraculosa. Tertia est, quia substantia illa postea convertitur in carnem; et haec est simpliciter naturalis. Sed quamvis iste modus dicendi probabiliter possit sustineri, aliter tamen potest dici securius et brevius, quod operationes accidentium, sive virtus operans, habet comparari ad illud, a quo egreditur, et ad illud, circa quod operatur. Si loquimur per comparationem ad illud, a quo egreditur, sic dico quod, cum per naturam omnis virtus operans vel sit substantialis, vel saltem ab illa dependeat et reguletur, substantia circumscripta, si ulterius accidens operetur, ita miraculum est, quod operetur per se, sicut miraculum est, quod per se maneat; et ita omnis operatio est miraculosa. Si autem loquamur per comparationem ad objectum, sive sit ad organum sensus, sive aliud quodcumque corpus, sic dico, quod accidentia multas habent ibi operationes naturales; unde quod albedo moveat visum, et sapor gustum, hoc non est supra naturam, nec contra, sed secundum naturam. Quoniam ergo albedo non separatur ibi, ut habeat esse mathematicum, sed salvatur esse naturale et singulare; ideo illae operationes, quae inerant albedini et aliis accidentibus, adhuc naturáliter insunt. Concedendum ergo est, quod immutatio et transmutatio quodam modo naturaliter est in relatione ad objectum, quia salvatur ibi natura accidentium; quodam modo est supra naturam in comparatione ad subjectum, quia accidentia per se agunt; et secundum hoc currunt rationes ad partes oppositas adductae." *4. dist. 12. p. 1. a. 2. q. 3. et ad 1—3.*

[35] „Miraculo fieri potest, ut accidentia sint sine subjecto, cum Deus sua virtute possit ea a substantia separare." — „Dicendum quod per miraculum potest fieri, quod accidentia sint sine subjecto, sive substantia. Cum enim differant per essentiam, potest Deus sine omni inconvenientia per virtutem suam illa separare. Ad rationes

ad oppositum respondent quidam, quod esse per se, et esse in alio dicunt rationem substantiae et accidentis quoad modos consequentes, qui sunt inseparabiles secundum potentiam naturalem; ideo per hujusmodi habent notificari, quia oppositiones currunt quoad rationes dicentes essentiam; similiter de oppositione quoad differentias essentiales. Potest tamen dici aliter, quod est accidens ut est accidens, et est accidens secundum species, sive differentias speciales. Nam in quantum comparatur ad subjectum, habet dici accidens; in quantum ad operationem, habet dici hoc. Notandum igitur, quod sicut comparatio accidentis ad operationem est dupliciter, scilicet secundum actum et secundum aptitudinem, ita etiam ad subjectum. Comparatio vero accidentis ad propriam operationem secundum aptitudinem est essentialis et inseparabilis. Unde non potest esse, quod sit albedo, et non sit visus disgregativa. Comparatio vero secundum actum consequitur essentiam; unde posset accidens separari ab actuali operatione, unde albedo non semper disgregat. Sic dicendum, quod comparatio accidentis ad subjectum secundum aptitudinem est essentialis, et haec nunquam privatur ab accidente, nec ab illis speciebus; verum est enim dicere, quod sunt natae esse in subjecto. Comparatio vero actualis, quamvis semper insit actu secundum naturam, tamen sequitur essentiam; et ideo potest separari sine aliquo inconvenienti potentia supra naturam." *4. dist. 12. p. 1. a. 1. q. 1.*

[36] „Eucharistia habet efficaciam in digne accedente tantum et debite praeparato per sui dijudicationem." — „Dicendum quod sacramentum hoc non habet efficaciam in aliquo, nisi in digne accedente. Digne autem accedere in hoc consistit, quod homo se praeparet, sicut debet. Tantum enim sacramentum recipere, sicut recipitur alius cibus, non est congruum, nec fructuosum. Et quia in hoc sacramento praesens est divina majestas, et summa exprimitur caritas; ideo debet recipi cum honore et devotione. Et quia cum honore et devotione non suscipitur tam nobilis hospes in immundo hospitio, necesse est, quod homo hospitium Deo praeparet per sui dijudicationem. Et quia non praeparat hospitium hospiti, nisi ipsum cognoscat, necesse est, quod cibum istum ab aliis discernat. Ad hoc ergo quod sacramentum hoc habeat in aliquo efficaciam, primo oportet cibum istum ab aliis discernere per fidem, secundo hospitium praeparare per sui ipsius probationem, tertio in hospitium paratum recipere cum honore et devotione. Et primum et secundum habemus ab Apostolo, secundum ibi: *Probet seipsum homo (1. Cor. 11, 28);* primum ibi: *Non dijudicans corpus Domini (ibid. 29);* de tertio habemus exemplum in Zachaeo *(Luc. 19, 6).* Et quia multi recipiunt hoc sacramentum, qui se non debite praeparant; *ideo multi imbecilles et infirmi, et dormiunt multi (1. Cor. 11, 30)." 4. dist. 12. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Etsi virtus Dei non sit limitata, quominus per eucharistiam possit remittere culpam; tamen de communi lege non prodest nisi existentibus in caritate." — „Non limitamus largitatem Dei, quin in hoc sacramento possit, et aliquando faciat remissionem omnis culpae; sed secundum forum commune, et generalem rationem institutionis sacramenti, dicendum quod istud sacramentum datum est in cibum illis, qui sunt de corpore Christi, et omnes tales habent caritatem; ideo effectum habet in solis justis. Effectus autem in justis est liberando a culpa veniali et praeservando a mortali." *Ibid. q. 2.*

[37] „Duplex est modus manducandi, cujus distinctio oritur a triplici principio, videlicet a dispositione sumentium; quia quidam accedunt male dispositi, et hi manducant sacramentaliter; quidam bene, et hi spiritualiter. Ulterius secundo oritur distinctio a modo sumendi; quidam enim suscipiunt ore corporis, et hi sacramentaliter; quidam vero ore cordis, et hi spiritualiter; unde secundum duplex os, duplex est manducatio. Tertio oritur distinctio ab ipso sacramento, quia duplicem habet rem, quarum una potest recipi sine altera." — „Eucharistiae spiritualis manducatio est recogitatio cibi, id est carnis Christi pro nobis expositae in pretium ad redimendum, et in cibum ad reficiendum, et incorporatio per amorem." — „Eucharistiae sacramentalis manducatio est manducare sacramentum, ut sacramentum. Ad hoc ... exiguntur cibi existentia, et ejus ad cibatum naturalis convenientia ... intentio, et intentionis regulatio per fidem, quae est in ipso, vel secundum fidem, quae est in altero." *4. dist. 9. a. 1. qq. 1—3.* — „Quaeritur de dignitate hujus manducationis. Dicitur enim quod manducantes hunc panem non moriuntur, sicut manducantes manna. Contra: hoc autem intelligitur de vita spirituali, aut corporali; si de spirituali nihil dicitur, quia Patres sancti, qui comederunt manna, non sunt spiritualiter mortui. Si de corporali, similiter, quia qui manducat hunc panem, non vivit corporaliter, sed moritur. Si dicas, quod indigne manducantes manna sunt mortui spirituali morte, et hos vocat patres eorum; similiter indigne manducantes corpus Christi moriuntur morte spirituali: *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (1. Cor. 11, 29).* Propterea quaeritur, quid est manducare indigne, et quare peccat manducans indigne? Respondeo, dicendum quod cibus iste praeponitur illi ratione vivificationis dupliciter; tum quia ille non poterat vivificare nisi per istum, quem signabat; tum quia hic vivificat magis; ideo dicitur de justis, quod *omnes eandem spiritalem escam manducaverunt (1. Cor. 10, 3).* Sed qui solum ad illum habebant oculum, mortui sunt spiritualiter, quia tantum carnaliter gustaverunt. Ita respondet Augustinus *(in Jo. tr. 26. n. 11).* Aliter potest dici, quod manna ordinabatur ad conservationem vitae corporalis, sed hic ad conservationem vitae spiritualis. Et vult Dominus dicere, quod ille panis solummodo vitam corporalem continuabat ad tempus; sed iste vitam spiritualem continuat in aeternum digne sumentibus; et ideo illo est dignior. Indigne vero accipientes peccant, et convertitur eis panis in venenum; et isti sunt, qui remorsum habent mortalis peccati. Ratio, quare peccant, est contemptus, quia tantum hospitem inducunt in tam vile hospitium. Quomodo autem digne accipiatur, docet Augustinus *(ibid.).* Innocentiam, inquit, ad altare apportate; peccata si sint quotidiana, saltem non sint mortifera; antequam ad altare accedatis, attendite, quid dicatis: *Dimitte nobis debita nostra etc. (Matth. 6, 12).* Tunc securi accedite; panis est, non venenum." *Comm. in Evang. Joan. c. 6. nn. 465—469.* Suppl. vol. I.

[38] „Mali sumunt rem sacramenti, quae est corpus Christi verum, natum de Virgine, et quod pependit in cruce, mortuum est, resurrexit, et est in caelis." — „Di-

cendum quod, sicut tangit Magister in litera, aliqui voluerunt dicere, corpus Christi verum a malis non sumi, quia non decet tantam majestatem, et carnem tam sanctam et puram, in corpus peccatis subditum introire. Unde volebant dicere, quod corpus Christi verum a speciebus abscederet, ex quo peccator ipsum labiis et ore polluto contingeret. Sed quoniam hoc in errorem ducit, et manifeste est contra auctoritates Sanctorum; ideo communiter tenent doctores fideles tanquam certitudinaliter verum, quod in re media, quae est corpus Christi verum, non est differentia inter justum et impium, quia ipse Dominus utrique se offert nunc, sicut pro omnibus se tunc obtulit in cruce. Sed quantum ad ultimum, scilicet unionem in corpore mystico, multum refert, quia boni recipiunt inde fructum, mali non, imo potius damnum. Unde concedendum, quod recipiunt rem sacramenti, quae est corpus Christi verum, quod natum est de Virgine, quod pependit in cruce, quod a mortuis resurrexit, et est in caelis." *4. dist. 9. a. 2. q. 1.* — „Peccator sumit corpus Christi ad damnationem, quia ipsum contemnit, licet nullam corpus illud det animae maculam." — „Dicendum, quod peccator sumit sibi corpus Christi ad damnationem, non quia ipsum corpus aliquam maculam det animae, sed quia peccator ipsum contemnit, dum se praeparare, cum immundus sit, negligit, et Dominum in tam foedum hospitium introducit. Et est ibi peccatum omissionis, in hoc quod se non paravit tanto hospiti suscipiendo; et peccatum contemptus, quia Christo, quantum in se est, contumeliam facit. Ideo dicit Apostolus, quod *reus est corporis et sanguinis Domini (1. Cor. 11, 27)*, qui ei contumeliam facit, et ipsum contemnit ... Ad illud quod objicitur, quod videre sit peccatum, sicut manducare, dicendum quod non est simile, primo quidem, quia non est tantae irreverentiae videre, sicut manducare; secundo vero, quia manducando sacramentum sumitur, et gratia offertur; et quando peccator perseverat in peccato, tempore, quo Dominus visitat ipsum personaliter, non tantum vocaliter, auget contemptum; ideo peccat mortaliter. Unde dicendum, quod est peccatum in gustu propter duo, scilicet propter irreverentiam et propter negligentiam, quia debebat se praeparare ad gratiam; in visu quantum ad neutrum est peccatum. In tactu vero est medio modo; nam si est peccatum, hoc est solum propter irreverentiam, quia non est ordinatum sacramentum, ut tactu det gratiam. Sed quia est immundus et foetidus spiritualiter, peccat, si tangit, quia tantae rei, quantum in se est, facit injuriam. Distinguitur tamen in tactu, quia aut praevenitur, et necessitas urget, ut puta quia corpus Christi in locum immundum caderet, nisi colligeret; et hoc modo si tangit, non peccat, quia non est irreverentia; aliâs peccat. Et si tu objicias, quod semper est peccatum, quia Bethsamitae videntes arcam sunt interfecti *(1. Reg. 6, 19)*, Oza percussus est, quia arcam tetigit *(2. Reg. 6, 7)*; dicendum quod hoc non fuit figura videntium et tangentium Christum, sed Bethsamitae figuram gerunt simplicium hujus sacramenti arcana videre volentium, qui propter tumorositatem frequenter in fide pereunt et moriuntur; et Oza figuram gerit sacerdotum carnalium, qui in peccatis existentes ad conficiendum accedunt, nam aliqui dicunt, quod in nocte cum uxore jacuit. Literalis autem ratio, quare illi interfecti sunt, est quia contra Domini mandatum fecerunt, quia Dominus praeceperat, quod nullus de plebe videret arcam. Praeceperat etiam, ut sacerdotes eam ferrent; et tunc, quia utrique contra praeceptum Domini fecerunt, ideo percussi sunt. Nunc autem dicendum est, quod quia gustus facit irreverentiam, simpliciter peccat, qui gustat. Quia vero in tactu est irreverentia, licet non semper, nec tanta; ideo non tantum peccat, et potest esse, quod sine peccato faciat. Quia in visu irreverentia non est; ideo nulla culpa, nisi aliqua conditio superaddita faciat culpam ex sua deformitate." *Ibid. q. 2. et ad 4.* — „Manducans sacramentum eucharistiae praeparatus minus sufficienter, et tantum probabiliter, gratiam non recipit, nec incurrit offensam; secus qui nullo modo praeparatus est, quia peccat mortaliter." — „Ad praedictorum intelligentiam dicendum, quod in hoc sacramento tenetur percipiens se praeparare, quia Deus venit ad habitandum in homine. Praeparatio autem non semper est sufficiens, sed haec est sufficiens, quando inimicus Domini expellitur de hospitio per veram examinationem et contritionem, sive judicium poenitentiae. Rursus, quia divina majestas summa se dignatione humiliat, et divina bonitas offert gratiam, debet homo cum metu reverentiae et cum omni dilectione accedere, ad hoc quod digne manducet. Digne ergo manducare est sufficienter se praeparare, scilicet peccati omnis expulsione, reverentia et dilectione. Quidam igitur sunt, qui se sufficienter praeparant secundum veritatem; quidam autem non sufficienter secundum veritatem, sufficienter tamen secundum probabilitatem; quidam autem neutro modo se praeparant, imo contemnunt. Qui ergo sufficienter se praeparat, manducat digne; qui se nullo modo praeparat, manducat indigne; qui autem minus sufficienter se praeparat, scilicet secundum probabilitatem potius quam secundum veritatem, non manducat digne, quia non se praeparavit digne sufficienter, nec indigne, quia se praeparavit tantum probabiliter; talis, quamvis non recipiat gratiam, non tamen incurrit offensam." *Ibid. q. 3.* — „Sacerdos debet dare sacramentum eucharistiae petenti publice, quantumvis sciat ipsum esse peccatorem, si est peccator occultus; si autem manifestus, dare non debet." — „Dicendum quod sacerdos debet dare illi, quem scit esse peccatorem, si petat in aperto, si sit occultus peccator, et ipse solus scit. Si manifestus, nullo modo debet dare, sive petat, sive non, sicut dicit Dominus *(Matth. 7, 6; 15, 26)*, et Cyprianus *(Epist. lib. 10. epist. 10)* de histrionibus. Ratio autem, quare debet dare, est multiplex. Prima est, quia nescit, utrum Deus occulte operetur; secunda est, ne prodat crimen ejus; tertia est, ne alios scandalizet; quarta, quia ille jus habet in facie Ecclesiae, et tunc tenetur illi jus suum petenti reddere ... Ad illud quod objicitur de occulto, dicendum quod peccator indignus est, et in veritate non habet jus; habet tamen jus secundum judicium Ecclesiae, quia non constat de peccato, nec constare potest: et ideo, quando operatur secundum veritatem et judicium suum, non tenetur dare; quando secundum judicium Ecclesiae, tenetur. Et ex hoc patet, quod non facit contra veritatem, sed secundum veritatem. Judex enim in foro Ecclesiae judicat secundum ea, quae patent, non secundum ea, quae latent; unde scandalum non est tota causa. Ultimum patet, quia non deberet dare hostiam non con-

secratam; nam si daret, peccat ille, et ipse simulando, nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ob vitandam infamiam, et in dominici corporis reverentiam." *Ibid. q. 4. et ad 5 et 6.* — „Missa mali sacerdotis quoad substantiale est aequalis missae boni, licet istius oblatio quoad circumadjacentia praecellat." — „Dicendum quod de missa est loqui quantum ad substantiale, quod est ibi, et hoc est confectio corporis et sanguinis Domini; et quantum ad hoc aequalitas est in omnibus, quia unum et idem ab omnibus fit. Sunt etiam in missa aliqua circumadjacentia, sicut petitiones, orationes, obsecrationes, et devotus motus et affectus. Et quantum ad hoc, melius valet missa boni sacerdotis, quia magis provocat ad devotionem. Et si quis libentius audiat missam sacerdotis devotioris, credo, quod bene facit, dum tamen credat ipsum in substantiali non superexcedere peccatoris missam; alioquin periculose erraret. Rationes procedunt ad partes oppositas secundum has duas vias . . . Si aeque bona est (missa boni ac mali sacerdotis), ergo male prohibent sacri canones audire missam ab haereticis et schismaticis et simoniacis et fornicariis notoriis. Propter hoc quaeritur, quare horum magis missam prohibent, et qui dicantur notorii fornicarii . . . Dicendum quod hoc est, quia directe repugnant huic sacramento. Nam in hoc sacramento est secretum fidei, et ideo repelluntur haeretici; est vinculum caritatis, ideo schismatici; est vas gratiae, unde eucharistia dicitur, ideo simoniaci, qui gratiam emunt et vendunt; est elevans hominem ad statum spiritualem, ideo repelluntur notorii fornicarii, qui omnino sunt carnales. Et dicuntur notorii fornicarii, non propter suspicionem tantum, vel alia signa probabilia, sed secundum ordinem juris, condemnati de tali crimine, vel sponte in judicio confessi, vel canonice convicti, vel etiam propter evidentiam facti, sive sceleris. Et voco evidentiam, quando factum ita notorium est, quod non indiget testibus, cum nulla possit tergiversatione celari . . . Ex hoc patet, quod omnes tales, quando conficiunt, peccant, et similiter qui praeter necessitatem audiunt, quia faciunt contra Ecclesiae statuta." *4. dist. 13. a. 1. q. 4, et quaest. lat.*

[39] „Eucharistiae frequens sumptio est bona, si accedens videat se esse paratum; si vero frigidum se agnoscat, melius est abstinere; et si medio modo se habeat, mediocriter debet accedere." — „Dicendum quod, si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum, et spiritualiter comederet hunc cibum cum honore et devotione. Quia igitur tempore Ecclesiae primitivae erant mundi per baptismi innocentiam, et caritate ardentes per donationem Spiritus sancti; ideo congruebat eis quotidie communicare. Quia vero postmodum caritas refriguit, et per peccata munditia baptismalis ut in pluribus perdita fuit; relictum fuit judicio et conscientiae uniuscujusque, ut reciperet, quando se dispositum videret, ne aliter manducaret ad suam damnationem. Et quia homines inceperunt fieri negligentes, oportuit, ut iterum institueretur a summo Pontifice frequentatio. Sed quia frequentabant multi, et non bene se praeparabant, instituit Fabianus, ut tribus anni solemnitatibus, in quibus homines melius parantur, et quas desiderabilius exspectant, communicarent, scilicet Natali, Paschate et Pentecoste. Et quia homines adhuc processu temporis in his tribus temporibus negligenter se praeparabant; ideo hoc ad extremum est ad Pascha reductum, quod praecedit tempus praeparationis, scilicet quadragesima. Si ergo quaeritur, utrum expediat frequentare alicui, dicendum quod si videat se esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiae finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est quod raro. Si autem medio modo, medio modo debet se habere; et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor; et tunc secundum illam partem, secundum quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit." *4. dist. 12. p. 2. a. 2. q. 2.*

[40] „Corporalis immunditia, sejuncta ab ea, quae est mentis, impuritate, non impedit sumptionem dignam eucharistiae; secus, si mentis immunditiam habet annexam." — „Dicendum quod immunditia corporalis quadruplex est; quaedam est conjuncta spirituali secundum veritatem, ut pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula; quaedam est conjuncta spirituali secundum conformitatem, ut pollutio veniens ex diabolica illusione, vel ex naturae superfluitate, in qua sentitur pruritus et delectatio inordinata; quaedam vero est, quae non est conjuncta spirituali, tamen est generans horrorem immunditiae in anima, ut pollutio veniens ex infirmitate; quaedam autem est pure corporalis nullum horrorem immunditiae in anima generans, ut immunditia in pede. Prima immunditia impedit, propter hoc quod homo debet reputare se immundum. Unde non recipit sacramentum cum reverentia, qui sic immundus est, nisi necessitas compellat; et propter irreverentiam privatur fructu et incurrit damnum. Secunda immunditia, quae est in illusione diabolica, arcere debet ex congruo, quoniam quamvis non sit certum, quod sit anima ibi maculata, tamen probabiliter potest dubitari; et ideo qui se reputat immundum, bene facit. Unde Isidorus *(de Cons. dist. 6):* Quisquis nocturna illusione polluitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum sese praesentiat inquinatum; tamen hoc, ut tentaretur, culpae suae attribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat. Tertia immunditia est indifferens, quia tantum est poena; et ideo non arcet. Si tamen ratione horroris abstineat, devotio et reverentia est laudanda; unde nec mulier menstruata arcetur, nec etiam mulier post partum, sicut dicunt jura . . . Quarta simpliciter est indifferens inter omnes has immunditias. Prima magis impedit, ultima nullo modo; omnes tamen impediunt de congruo secundum gradus. Unde si quis quaerat, utrum semper, quando polluitur corporaliter, cessare debeat, dicendum est, quod si sentit inquinationem illam multum animam inclinasse, quia in actu illo fit homo caro, sive in somnis, sive in vigiliis, consulendum esset ei facere reverentiam sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam, et ulterius devotio trahat ad perceptionem, et solemnitas trahat, vel aliquid quod multum recompenset; tunc arbitrarer ipsum sine remorsu posse accedere. Concedendum ergo, quod solum propter carnis immunditiam non impeditur, sed quia haec immunditia conjuncta est immunditiae mentis; nec solum propter immunditiam mentis, quia cogitatio cito transit, sed immunditia carnis horrorem relinquit, et diutius durat et inordi-

nat; et ideo quamvis pollutio sit peccatum veniale, magis tamen impedit quam aliud veniale, propter horroris diuturnitatem et majorem deordinationem.“ *4. dist. 12. p. 2. a. 2. q. 3.*

[41] Cfr. opusculum *De praeparatione ad Missam.*

[42] Dignissima, quae a sacerdotibus prae manibus habeantur, sunt etiam eximia Seraphici nostri Doctoris opuscula, quorum tituli: *Expositio Missae;* et *De instructione sacerdotis ad celebrandam Missam.*

[43] „Propter reverentiam sacramenti sunt duo instituta circa modum sumendi hoc sacramentum, scilicet quod sumatur jejuno stomacho, et quod tantum semel, ut ab aliis cibis discernatur.“ *4. dist. 12. p. 2. dub. 3.*

[44] „Adverte tamen, quod effectus sacramentorum solet esse secundum dispositionem et praeparationem suscipientium. Neque enim Judas praemissa dona suscepit, qui corpus Domini suscepit, si tamen suscepit. Ideoque tibi summopere studendum est, ut quantum potueris, ante susceptionem digne te praepares, qui enim corpus et sanguinem Domini indigne sumit, *judicium sibi manducat et bibit (1. Cor. 11, 29).* Tria autem sunt, quae exigit a te hujus sacramenti digna susceptio, scilicet corporalem munditiam, puritatem conscientiae et actualem devotionem. Corporalis autem munditia aliquando ex decenti, aliquando ex necessario est requisita. Puritas autem conscientiae, praesertim a criminibus, ipsa est necessaria. Ideo vide, ut ante susceptionem hujus sacramenti contritionem habeas, atque si fieri potest, ante conspectum Domini humiliter lacrymas fundas, quibus te laves a peccatis tuis, quae fecisti, et quae omisisti, et quae facere potuisti corde, ore et opere. Actualem autem devotionem in te faciunt timor et amor. Timor incutit reverentiam, amor autem desiderium et affectum. Habeas reverentiam et timorem, terribilis enim est haec mensa, ad quam cum debita reverentia et congrua vigilantia necesse est accedas. Siquidem in hac sacerdotali mensa nunc praesens est Christus, et qui ultimam coenam cum Apostolis coenavit, ipse istam quoque consecravit. Non enim homo est, qui proposita, scilicet panem et vinum, corpus Christi facit et sanguinem, sed ille, qui pro nobis crucifixus est, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute et gratia proposita consecrantur. Quomodo tu igitur ad illam mensam, ad praesentiam Christi, ad tactum Dei Filii, intrepidus audes accedere, quem Joannes Baptista tangere contremiscit *(Matth. 3, 14)?* Petrus, Apostolorum princeps, a se prae formidine repulit, dicens: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (Luc. 5, 8).* Cogita, quod iste, quem tu sumis, erit judex tuus. Time igitur, ne, si indigne sumpseris et sine reverentia, post mortem invenias iratum, cum ad ejus tribunal praesentatus fueris judicandus, quem tremunt Potestates, adorant Dominationes. Denique cogita, quod licet mille millibus annorum te ad hoc sacramentum per puras orationes et sanctissimas praeparationes praeparaveris, nihil esset ad condignam susceptionem, etiam si haberes merita omnium Sanctorum, quanto magis tu, qui sine devotione, sine praeparatione accedis. Item attende propriam utilitatem modo superius dicto, et reputabis te indignum, et acquires reverentiam congruam. Et hoc valet maxime pro hujus sacramenti susceptione, ut quantum poteris, fias vilis in oculis tuis. Habe etiam desiderium ad hujus reverendi sacramenti susceptionem, panis enim iste, ut dicit Augustinus, esuriem quaerit hominis interioris. Diversi autem diversimode affectum ad susceptionem hujus sibi formant sacramenti. Aliqui enim trahuntur amore unionis Christi, ut dilectum in se saepius amplexentur; aliqui trahuntur desiderio sanationis passionum suarum et malorum desideriorum, ut eum quasi medicum advocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos trahit conscientia delictorum, eo quod hoc sacramentum institutum est in remissionem peccatorum; aliquos trahit amor et compassio proximi, ut succurrant per hanc hostiam vivis simul et defunctis. Ut autem desiderium tuum accendatur, cogita, quod Christus omnium ad se accedentium dolores tulit, et omnes infirmitates nostras ipse portavit *(Isai. 53, 4).* Mulier accedens retro sanata est *(Matth. 9, 20);* peccatrix pedes osculans est mundata *(Luc. 7, 38);* Chananaea, dum importune sequitur, est exaudita *(Matth. 15, 28);* leprosi accedentes mundati sunt *(Marc. 1, 40);* daemoniaci *(Matth. 12, 22),* paralytici *(Marc. 2, 11),* et cuncta naturae monstra, dum accedunt et credunt, salutem consequuntur, nam *virtus ex illo exibat, et sanabat omnes (Luc. 6, 19).* Publicani et peccatores accedentes veniam merentur, nec eorum convivia despexit. Igitur cum feceris quod in te est, accede in fide et fiducia, sperans de infinita Dei pietate. Debes etiam praecipue ante hujus sacramenti susceptionem devotissime Christi passionem percurrere, nam specialiter in memoriam passionis hoc sacramentum legitur institutum. Si autem quaeris, quo te affectu magis debeas excolere, timoris scilicet et reverentiae, an amoris et desiderii, an debeas, ut multi, cum importuna desiderii festinantia anhelare, an, ut nonnulli, reverentiae et timoris magnitudine, magnitudinem sacramenti attendens, et propriam infirmitatem considerans, magis debeas affectu retrahi et elongari; ad hoc Sancti responderunt, utrumque affectum commendantes, uniuscujusque conscientiae, quid ei melius visum fuerit, relinquentes. Festinavit siquidem Zachaeus, ut Dominum gaudens in domum suam susciperet *(Luc. 19, 6);* Centurio, propriae infirmitatis conscius, repulit eum, dicens: *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum (Matth. 8, 8).* Unum tamen est, quod omnibus generaliter tutum videtur, ut scilicet ex reverentia timentes, spem et desiderium non relinquamus, ut ex spe et fiducia non amittamus timorem et reverentiam; sed semper inter haec utraque confidentes et timidi fluctuemus. Ait enim sanctus Gregorius: Nihil nobis securius, quam sub spe timere. Simpliciter tamen loquendo, dubium non est, quin melior sit affectus amoris quam timoris; sed quod est simpliciter melius, in casu est saepe pejus, et pluribus periculosius.“ *Fascicular. c. 7.*

CAPUT X.

De integritate poenitentiae.

(Sacramentum poenitentiae omnibus, quantumcumque peccatoribus, quamdiu sunt in statu praesentis vitae, quandocumque et quotiescumque patet. — Integratur per contritionem in animo, — confessionem in verbo, — satisfactionem in facto; — ita tamen, ut contritio omnia peccata mortalia respiciat quoad praeteritum, praesens et futurum. — Omnibus et solis in sacerdotali ordine constitutis datur duplex clavis, scilicet clavis scientiae ad discernendum, et clavis potestatis ligandi atque solvendi in foro interno, — quae postrema primo concessa est uni, primo et summo capiti, — a quo deinde in Episcopos et sacerdotes curatos descendit. — Omnes hi eam alteri committere possunt; sufficienter quidem sacerdos curatus, magis Episcopus, maxime Pontifex summus; — sed Pontifex summus et Episcopi habent praeterea potestatem ordinariam in foro externo per censuras, — et per indulgentias.)

De sacramento poenitentiae[1] hoc tenendum est, quod ipsa est secunda tabula post naufragium *(Hier. epist. 130. § 9)*[2], ad quam naufragans per mortale peccatum recurrere potest, quamdiu est in statu praesentis vitae, quandocumque et quotiescumque divinam clementiam voluerit implorare. Ipsius autem partes integrales sunt contritio in animo [a], confessio in verbo, et satisfactio in facto. Ex quibus tunc poenitentia integratur, cum peccator omnem mortalem culpam perpetratam et facto deserit, et verbo accusat, et animo detestatur, proponens nunquam iterare peccatum[3]. His autem debito modo concurrentibus, cum absolutione facta ab eo, in quo est ordo, clavis [b] et jurisdictio, absolvitur homo a peccato, et reunitur Ecclesiae, et reconciliatur Christo, mediante clave sacerdotali (I); per cujus etiam judicium non tantum fieri habet absolutio, verum etiam

a) Animo ed 1484.

b) Potestas clavium ibid. et ed. Ven.

(I) Quum in sacramento poenitentiae impugnata potissimum fuerint ejus existentia, materia, forma ac minister, idcirco de iis erroribus aliquid praemonendum occurrit.

Ac primo, poenitentiam e sacramentorum albo expunxerunt Protestantes; ex praejacta enim doctrina de sola fide ad justificationem necessaria docuerunt vi fidei per baptismum excitatae non modo non imputari peccatum originale, immo neque hujus, uti dicunt, manifestationes vel emanationes, scilicet peccata actualia. Hinc fit, ut in eorum sententia hoc sacramentum a baptismo minime distinguatur. Sed contra est Concil. Trident. *sess. 14. can. 1:* „Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.“ Et *can. 2:* „Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum, poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.“ Et *can. 3:* „Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt:* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium; anathema sit.“

Secundo quoad materiam, duplex materia, vel strictius quasi materia, etiam in poenitentia assignatur, materia scilicet proxima et remota, quae postrema rursus bifariam distinguitur in necessariam ac liberam. Materia igitur necessaria sunt omnia et singula peccata mortalia post baptismum patrata: materia vero libera sunt peccata venialia, vel etiam mortalia aliâs rite confessa. Materia autem proxima in communiori sententia constituitur ex actibus poenitentis, nempe ex contritione, confessione et satisfactione, quae proinde partes etiam integrales hujusce sacramenti passim dicuntur.

Porro de materia remota necessaria haeretice senserunt Protestantes, qui non omnia ac singula peccata mortalia confessario declaranda esse effutierunt. Eos Tridentinum damnavit *sess. 14. can. 7*: „Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; ... anathema sit.“

De materia autem remota libera minus recte opinati sunt Jansenistae, arbitrantes inutilem, vel etiam

visionem, et loco spei habebimus perfectam tentionem. Ratio autem hujus connexionis sumi potest quadrupliciter, secundum quadruplex genus causae. Primo quidem ex parte causae materialis, quae scilicet est nostra necessitas. Secundo ex parte causae efficientis, quae est Dei largitas. Tertio ex parte causae formalis, quae est virtutum conformitas. Quarto ex parte causae finalis, quae est praemii dignitas. Causa enim materialis virtutum assignari potest non ex qua, sed in qua. Et haec quidem est rationalis anima secundum suas potentias, secundum quas ipsa anima potest obliquari et dirigi. Et quoniam illae potentiae animae non possunt per unum habitum virtutis rectificari, sed per diversos, necesse est ad hoc, quod anima perficiatur in esse gratuito, et fiat Deo placita et justa, quod ipsa secundum diversos virtutis habitus rectificetur in se, et in qualibet ejus potentia. Ideo propter necessitatem ex parte susceptibilis necesse est virtutes gratuitas esse connexas. Causa vero virtutum efficiens est divina liberalitas, cujus est nullo modo deficere in necessariis, sed omnia administrare affluenter et abunde. Unde sicut divina liberalitas, perficiens rem in esse primum, dat ei totum, per quod possit in esse conservari; ita perficiens ipsam in esse secundo, dat illi integram perfectionem, per quam et in illo esse manere possit, et singulis vitiis obviare. Ideo conveniens est divinae largitati, cum gratificat hominem, diversitatem virtutum, in quibus consistit rectitudo vitae, eidem tribuere. Causa autem formalis ipsarum virtutum gratuitarum est ipsa Dei gratia, quae virtutes ceteras, quantum ad habitus sibi substratos, perficit et informat; et hoc per suam praesidentiam et influentiam, per quam animam facit gratam et quantum ad se et quantum ad ejus potentias. Unde quia illa gratia conformiter se habet ad omnes virtutes; ex quo etiam ipsa habetur, aut quaelibet virtus habetur, aut nulla; et ideo necesse est virtutes esse connexas. Causa autem finalis virtutum est ipsa gloria, quae veniens in animam, undique et plene perficit eam. Et ideo necesse est, quod per gratiam undique disponatur, nisi enim praecedat sufficiens dispositio, non inducitur perfectio. Necesse est ergo necessitate finis omnes potentias animae perfici per virtutes gratuitas, ut idoneae sint et dispositae ad susceptionem gloriae. Et sic patet, quod ratio connexionis virtutum gratuitarum sumitur ex quadruplici genere causae.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 1.*

[17] „Virtutes habent omnes in eodem aequalitatem respectu praemii; tametsi, respectu objecti fervoris et radicationis, disparitatem habeant ad invicem.“ — „Dicendum, quod de ipsis gratuitis habitibus contingit loqui dupliciter, aut quantum ad ipsum habitum, aut quantum ad exercitium. Si loquamur de ipsis quantum ad habitum, hoc potest esse dupliciter, aut respectu gratiae informantis et quodam modo causantis, aut respectu liberi arbitrii suscipientis et cooperantis. Si respectu gratiae informantis; sic omnes habent aequalitatem, pro eo quod gratia gratum faciens secundum quantitatem suam et excellentiam reddit gratam Deo animam, et ejus potentias et habitus et operationes meritorias. Si vero loquamur de ipsis respectu liberi arbitrii consentientis et suscipientis, sic quia liberum arbitrium in actu unius virtutis majorem invenit complacentiam, quam in alio, etiam majorem invenit repugnantiam in uno, quam in altero, secundum diversas sui inclinationes et dispositiones; sic non aequaliter est omnimodam reperire aequalitatem in habitibus virtutum, pro eo quod liberum arbitrium magis fervet quantum ad unam virtutem, quam ad aliam, magis adhaeret etiam uni virtuti quam alii. Si vero loquamur de virtutibus quantum ad exercitium, sic vix, vel nunquam aequantur nec in se, nec in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem. In se non, quia exercitium unius virtutis est fructuosius, quam exercitium alterius, sicut exercitium pietatis, quam abstinentiae. Exercitium vero unius virtutis in eodem est securius, quam exercitium alterius; sicut exercitium humilitatis et timoris, quam alterius virtutis. Similiter non habent aequalitatem in comparatione ad liberi arbitrii cooperationem; quia nemo est, qui aequaliter se exerceat in actu omnium virtutum, aliqui enim magis vacant circa activam, aliqui vero magis circa contemplativam. Et sic concedi potest, quod habitus gratuiti quodam modo sunt aequales et quodam modo inaequales. Aequales quidem sunt quantum ad gratiam informantem, sicut ostendunt rationes ad primam partem; inaequales vero in comparatione ad liberi arbitrii consensum et exterius exercitium. Et secundum hoc dissolvi possunt rationes, quae ad utramque partem inducuntur. Aliter potest dici, quod de virtutibus est loqui quadrupliciter. Aut quantum ad dignitatem respectu objecti; et sic una est excellentior altera etiam in eodem, sicut virtutes theologicae, quam cardinales. Aut quantum ad fervorem et facilitatem respectu actus proprii; et sic adhuc non est necesse, quod habitus gratuiti in eodem adaequentur. Aut quantum ad radicationem et stabilitatem respectu subjecti; et sic adhuc non est necesse aequalitatem esse, quia talis radicatio venit ex frequentia et assuefactione circa actus alicujus virtutis. Aut quantum ad ordinem et efficaciam respectu praemii; et quantum ad hoc habent aequalitatem in eodem, propter hoc quod quantitas meriti cujuslibet virtutis mensuratur secundum quantitatem gratiae, quae facit opus Deo placitum, et secundum quantitatem caritatis, quae dat operi cujuslibet virtutis valorem et pondus. Et quia una est gratia gratum faciens, ceteras virtutes informans in uno homine, una est etiam caritas per modum ponderis ad finem inclinans; hinc est, quod quantum ad ordinem in finem et efficaciam merendi, necesse est omnes virtutes in eadem aequari. Rursus, quia bonitas principalis et essentialis virtutum in hoc attenditur, quod ordinant et disponunt ad summum praemium, et in hoc virtutes habent aequari; hinc est, quod Magister simpliciter concludit, et Sancti dicunt, in uno et eodem aequales esse omnes habitus gratuitos.“ *3. dist. 36. a. 1. q. 5.*

[18] „Fides informis est in genere virtutis, secundum quod virtus dicit habitum rectificantem ac vigorantem potentiam, non autem ut capitur pro virtute meritoria gratuita.“ — „Virtus dupliciter consuevit accipi, cum dicimus aliquem habitum esse virtutem, proprie videlicet et communiter. Proprie namque dicitur virtus recta ratio perducens in finem; et hoc modo virtus est principium operis meritorii, et dicitur solummodo de habitu gratia informato, sine quo non contingit pervenire ad finem gloriae. Alio modo dicitur virtus communiter habitus rectificans potentiam aliqua rectitudine justitiae, et vigorans

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quod Verbum, est fons veritatis et

tem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit." Et *can. 8:* „Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae; anathema sit." — Contra secundos idem Trid. *sess. 14. cap. 1:* „Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit."

Quoad tertium actum integralem poenitentiae, qui est satisfactio, duplex itidem irrepsit error, ex parte scilicet Protestantium et Jansenistarum, ex quibus priores eam injuriosam esse Deo, et supra potestatem collatam sacerdotibus jactitarunt; posteriores ex adverso adeo ipsam necessariam arbitrati sunt, ut neminem ante plenam satisfactionis solutionem absolvendum esse statuerint.

Contra Protestantes igitur Concil. Trident. *sess. 14. can. 12*: „Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit." Et *can. 13:* „Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab ea inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit." Et *can. 14:* „Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit." Et *can. 15:* „Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit."

Contra Jansenistas est censura propositionis cujusdam Petri de Osma: „Non peracta poenitentia, confitentes absolvi non debere," quam ut haereticam Sixtus IV damnavit anno 1479. Eadem doctrina reprobata fuit ab Alexandro VIII in propositione 15, inter varias ab eo proscriptas; a Clemente XI in prop. 87 Paschasii Quesnelli, et a Pio VI in propos. 34, 35 et 38 Conciliabuli Pistoriensis, quam respuit uti „falsam, temerariam, communi praxi Ecclesiae injuriosam, inducentem in errorem, haereticali nota in Petro de Osma confixam."

Hactenus de materia; nunc tertio dicendum occurrit de forma, quae in verbis absolutionis consistit. Circa eam errarunt Protestantes, qui ipsam absolutionem declarativam tantum, minime vero effectivam remissionis culpae asserere haud dubitarunt. Contra quos Concil. Trident. *sess. 14. can. 9:* „Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos cum absolvere possit; anathema sit."

Quarto quoad poenitentiae ministrum, ipsimet Protestantes quemlibet, sive sacerdotem sive laicum, esse ministrum absolutionis contenderunt. Jansenistae autem ad validam absolutionem statuerunt solam potestatem ordinis, minime vero potestatem jurisdictionis requiri, nec praeterea dari casuum reservationem autumarunt. Porro contra primos Concil. Trident. *l. c. can. 10:* „Si quis dixerit . . . non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: *Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo (Matth. 18, 18);* et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt:* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit." — Contra secundos, 1° Nota inusta propositioni 37 Synodi Pistoriensis a Pio VI, in *cit. Const.*, quae propositio „sic intellecta, quod ad validum usum hujus potestatis *(absolvendi),* non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam," damnatur ut „falsa, temeraria, erronea, et Concilio Tridentino contraria". Verba Tridentini, ad quae alludit S. Pontifex, habentur in *cap. 7. sess. cit.*, ubi ait: „Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam

sapientiae, eo ipso quod incarnatum, fons est pietatis et indulgentiae; ideo reparare debet genus humanum per medicamenta sacramentorum, et praecipue contra [c] morbum praecipuum, qui scilicet est mortale peccatum, juxta quod decet pontificem pium, medicum peritum, et judicem aequum; ut sic in curatione nostra appareat Verbi incarnati summa clementia et summa prudentia et summa justitia.

c) Circa ed. 1484.

Primum igitur, quoniam in curatione nostra a mortali culpa per poenitentiam apparere debet ipsius Christi pontificis piissimi summa clementia, et summa clementia pontificis superexcedit omnia peccata humana, qualiacumque et quantacunque sint, et quotiescumque fuerint perpetrata; hinc est, quod peccantes suscipere ad veniam est ipsius pontificis clementissimi, non solum semel, nec bis, sed quotiescumque suppliciter [d] imploraverint clementiam Dei [4]. Et quia divina clementia tunc vere et suppliciter imploratur, quando intervenit poenitentiae lamentum, et ad hoc potest homo se convertere, quamdiu est in statu praesentis vitae, quia convertibilis est in bonum et in malum [5]; hinc est, quod quantumcumque et quandocumque et quotiescumque peccator peccaverit, ad sacramentum poenitentiae potest habere refugium, per quod sibi fiat remissio peccatorum [6].

d) Suppliciter om. ibid.

Rursus, quia in curatione nostra debet apparere et manifestari ipsius Christi medici peritissimi summa prudentia, et prudentia [e] medici est in adhibendo remedia contraria, per quae non tantum morbus auferatur, verum etiam praescindatur causa; et [f] cum peccetur in Deum delectatione, consensu et perpetratione, scilicet [g] corde, ore et opere; hinc est, quod prudentissimus medicus instituit, ut contra deordinationem peccatoris secundum triplicem vim, scilicet affectivam, interpretativam et operativam, quae fit per delectationis complacentiam [h] occultam, esset reformatio poenitentis secundum triplicem vim praedictam, per dolorem poenitentiae [7], conceptum in corde [8] per compunctionem [9], expressum in ore (II) per confessionem [10], consummatum in opere per satisfactionem [11]. Et quia omnia peccata mortalia ab uno Deo avertunt, et uni gratiae opponuntur, et unam principalem hominis rectitudinem pervertunt; hinc est, quod ad hoc, quod poenitentiae sacramentum [i] sit sufficienter ex suis partibus integratum, necesse est, quod poenitentia habeatur [12] de omnibus [13] peccatis [14], et quantum ad praeteritum per displicentiam [15] de perpetratis [16], et quantum ad praesens per cessationem de perpetrandis [17], et quantum ad futurum per propositum nunquam recidivandi vel in idem, vel in aliud genus peccati [18]; ut sic totaliter recedendo a culpa per poenitentiam [19], divina gratia suscipiatur, per quam obtineatur venia [20] omnium peccatorum [21].

e) Summa prudentia ibid.
f) Om. ibid.
g) Ibid. In cet. in corde.
h) Complementum et complacentiam ibid.
i) Ita ibid.; in cet. ed. medicamentum.

Postremo, quoniam in curatione nostra manifestari debet ipsius Christi judicis

esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem." — 2° Idem Tridentinum, *l. c. can. 11:* „Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit." Damnatae quoque fuerunt propositiones 44 et 45 Synodi Pistoriensis, in quibus reservationem casuum improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem appellavit; et spem patefecit rituale reformatum iri insimul cum ordine poenitentiae.

(II) Per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, Clemens VIII decreto 20 junii 1602 damnavit ad minus uti falsum, temerarium et scandalosum, praecepitque ne unquam tamquam aliquo casu probabilis haec propositio defendatur, vel ad praxim quovis modo deducatur.

recta justitia, et ipsius in propria persona non est judicare ante judicium ultimum et finale; ideo ad particularia judicia ante finem judices debuit constituere. Et[k] quia judices isti inter Deum offensum et hominem offendentem[22] sunt[l] quasi intermedii, ut proximi Christo, et[m] praepositi populo, Domino autem illi praecipue sunt proximi et familiares ratione officii, qui sunt ejus praecipue ministerio consecrati, scilicet sacerdotes; ideo omnibus in sacerdotali ordine constitutis[23] et solis[24], datur potestas duplicis clavis[25], scilicet clavis[n] scientiae ad discernendum[26], et clavis, quae est potestas ligandi et solvendi[27], ad dijudicandum et absolutionis beneficium impendendum[28].

j) Et om. ibid.
k) Sed ibid.
l) Sint ibid.
m) Et rest. ex ead. edit.
n) Clavis om. ibid.

Quia vero propter confusionem vitandam non quilibet cuilibet est praelatus in Ecclesia militante, cum ipsa ecclesiastica hierarchia debeat esse secundum potestatem judiciariam ordinata; ideo haec potestas ligandi et solvendi concessa est primo[o] uni primo et summo sacerdoti, cui collata est tanquam summo capiti potestas universalis, et deinde[p] secundum particulares Ecclesias dividitur in partes, ita quod primo in Episcopos, deinde[q] in presbyteros descendit a capite uno[29]. Ideo licet unusquisque sacerdos habeat ordinem et clavem, ad eos tamen usus clavis tantum se extendit[30], qui sibi ordinarie sunt subjecti[31], nisi sibi ab eo, qui habet jurisdictionem ordinariam, committatur[32]. Cum vero illa jurisdictio sit principaliter in capite summo, et deinde in Episcopo, et postremo in sacerdote curato; potest quidem a quolibet eorum committi alteri[33], sufficienter quidem ab infimo, magis a medio, et maxime a supremo[34]. Et quia in Pontifice summo et etiam in Episcopis est hujusmodi jurisdictio, non tantum ad judicandum inter Deum et hominem in occulto, verum etiam ad judicandum inter hominem et hominem[r] in aperto, tanquam in illis, quibus[s] commissum est Ecclesiae regimen et custodia (III), sicut sponso committitur sponsa; hinc est, quod gladium habent praelati[35], quo possunt percutere ad juris defensionem[36] in excommunicatione[37], et potestatem largiendi de thesauris meritorum Ecclesiae[38], quos habent[t] repositos, et commendatos tam a capite quam a membris[39], et hoc in relaxatione (IV)[40]; ut sic[u] tanquam veri Dei judices li-

o) Primo om. ibid.
p) Inde ibid.
q) Et deinde ibid.
r) Inter Deum et hominem ed. Ven. male.
s) In quibus ed. 1484.
t) Quos summus pontifex habet repositos; ibid. et ed. Ven.
u) Sic praelati ed. 1484.

(III) *Illis* tantummodo, qui in ecclesiastica hierarchia sunt constituti, *commissum est* a Christo *Ecclesiae regimen et custodia.* His S. D. verbis Regalistae refutantur, qui potestatem ecclesiasticam deprimentes, et civilem plus aequo extollentes, illam huic subjiciendam esse dictitant. Quaenam autem relationes inter utrasque intercedere debeant, et quae utilitates ex earum mutua concordia in utrasque derivent, Leo XIII in Epistola Encyclica 10 februarii hujus anni 1880 ita ostendit. „Nemo dubitat, inquit, quin Ecclesiae conditor Jesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut conjunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus, quae sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt caelestia concredita. Hujusmodi autem compositione ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus juvandi hominum genus in eo, quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia . . . si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur, multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non justum imperium: alteri vero adjumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.“

(IV) Quum Christus iis verbis apud Matthaeum 16, 19: „Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis,“ potestatem Petro commiserit non modo retinendi vel remittendi peccata per absolutionis retentionem vel prolationem; verum etiam potestatem excludendi fideles indignos ab usu quorundam bonorum spiritualium per ecclesiasticas censuras,

gandi et solvendi integram possideant potestatem[41], per quam impoenitentes feriant; et

et potestatem ipsas relaxandi, sive iterum in Ecclesiam excipiendos expulsos, sive eos eximendo a poenis temporalibus, quae culpis debitae, in hac vel altera vita luendae sunt, methodum Seraphici secuti, qui in textu, postquam de absolutione sacramentali disseruisset, de excommunicatione, sub qua quaelibet censura venit, et de relaxatione, scilicet de Indulgentiis, rectissimo ordine agit; hîc loci errores tum contra censuras, tum contra Indulgentias exortos breviter, ut de more, praemittere juverit.

Et primo, quod ad censuras attinet, Protestantes, licet potestatem ferendi censuras Ecclesiae inesse in dubium revocare ausi non fuerint, attamen in eas vehementer debacchati sunt. Nostris etiam temporibus, Lutheri premens vestigia, vim excommunicationis infirmare sophistico libello conatus est Carolus Passaglia, veritatis olim strenuus vindex et assertor, nunc vero deplorabili casu inter hostes Catholicae Ecclesiae cooptatus. Porro contra eos aperte sunt citata Christi verba apud Matthaeum; quibus adjici possunt ea *ibid. 18, 17:* „Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus"; in his enim excommunicatio evidenter innuitur. Praeterea, contra rectam censurarum doctrinam sunt, tum propositio 90 Quesnelli, a Clemente XI proscripta, quae est: „Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis;" tum propos. 46—50 et 64 Synodi Pistoriensis a Pio VI damnatae. Postremae hae sunt: „46. Propositio asserens, — effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiae: — Quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in caelo, animas obligans, *falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.* 47. Item, quae tradit, — necessarium non esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto*, non aliam vim habere nisi seriae comminationis, sine ullo actuali effectu, *falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiae potestati injuriosa, erronea.* 48. Item quae pronuntiat, — inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc saeculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset, *falsa, temeraria, Ecclesiae praxi injuriosa.* 49. Item quae damnat — ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia, *falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.* 50. Item in eo quod insinuat, — soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum *(sess. 14. c. 1. de ref.)* suspensionis ex informata conscientia legitime infligendae, *jurisdictionis Praelatorum Ecclesiae laesiva.* 64. Doctrina, quae veluti superstitiosam universe notat quamcumque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum: — Tamquam superstitiosa censenda esset effcacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto Ecclesiae certum numerum precum, vel externarum actionum praefinientis pro Indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite ex ordine peragendo, *falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiae auctoritati derogans, erronea.*" Concilium vero Tridentinum, hanc potestatem supponens in Ecclesia, eam vocat „nervum ecclesiasticae disciplinae ad continendos in officio populos valde salutarem, et spiritualem gladium" *(sess. 25. cap. 3. de ref.).*

Denique circa Indulgentias, potestatem eas largiendi Ecclesiae inesse inficiati sunt, omnium primi, Montanistae, quibus processu temporis adhaeserunt Waldenses et Wicleffitae; acrius tamen bellum in eas indixit Martinus Lutherus. Sed contra Concil. Trident. *sess. 25 post cap. 21*: „Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant." Praeter verba allata, ad rem haec alia faciunt: „Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis." Habetur etiam exemplum Pauli, qui incestuosum Corinthium *(2. Cor. 2, 6),* jamdiu poenitentiae operibus addictum, a poenitentia, quae ei supererat, exemit.

Neque praetereundi sunt errores circa Indulgentias a Jansenianis in vulgus disseminati, quos omnes Pius VI in *prop. 40—43* Synodi Pistoriensis reprobavit his verbis: — 40. „Propositio asserens, — Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti: — Quasi Indulgentia, praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam, *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in articulo 19 Lutheri damnata.* — 41. Item in eo quod subditur, — Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum: — Quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat Indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, *falsa,*

compescant rebelles (V), et nihilominus absolvant et reconcilient Deo et sanctae matri Ecclesiae [42] veraciter poenitentes [43].

temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata. — 42. Item in eo quod superaddit, — luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos, *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.* — 43. In eo demum, — quod impudentissime invehitur in tabellas Indulgentiarum, altaria privilegiata etc., *temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices, atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.*"

Relate vero ad caelestem thesaurum, cui Indulgentiae nituntur, ipsum ex meritis et satisfactione Christi constitui, vel ipsi Protestantes ultro fatentur, utpote qui, omnem satisfactionem ac meritum nostrum ablegantes, totum meritis Christi adtribuunt. Ipsum tamen thesaurum constitui praeterea ex meritis et satisfactionibus Sanctorum, quum Sanctorum communionem rejiciant, inficiantur. Porro contra eos sunt verba Clementis VI, in Extravaganti *Unigenitus:* „Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis ac superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius Pater; ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum caeli clavigerum, ejusque successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum . . . Ad cujus quidem thesauri cumulum beatae Dei Genitricis, et omnium electorum, a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur."

(V) Haec verba ad rem faciunt contra *liberalismum,* quem dicunt *catholicum,* qui est inter „praecipuos errores, qui hodie societatem humanam universam conturbant *(Pius IX in Brevi ad Direct. Ephem. Ruthen.* Peuple, *11 dec. 1876).*" Catholico-liberales enim, ignorare affectantes, quod qui „est excommunicatus, ut ait S. D. *(4. dist. 18. p. 2. a. 1. q. 6 ad 4),* propter offensam manifestam per sententiam vel facti evidentiam, ante absolutionem debet praestare emendam," invasores pontificii principatus eorumque fautores, ceterosque omnes sanctae Romanae Ecclesiae jura pessumdantes nollent, ut tamquam rebelles compescerentur, dignosque qui Deo et sanctae matri Ecclesiae reconcilientur, dictitare haud erubescunt, licet nedum patratorum scelerum veraciter poeniteant, et emendam praestare, usurpataque restituere sint parati, quin imo, potentes in iniquitate, pervicaciter in sua malitia glorientur. Verum quantum a veritate aberrent isti „sapientes in oculis suis, sibique arrogantes non concessam missionem consulendi ac suadendi ea, quae temere arbitrantur expedire revocando ordini pacique restituendae *(Pius IX in Brev. ad Conv. Cathol. Bergom. 15 novemb. 1877)*"; et quo studio ab eorum perniciosissimis insidiis fideles cavere debeant, supremus veritatis magister Pius IX sa. me. saepissime proclamavit. Siquidem Catholici-liberales ii sunt, „qui velut jugum cum illis ducturi, societatem nectere conantur inter lucem et tenebras, ac participationem inter justitiam et iniquitatem, per doctrinas, quas dicunt catholico-liberales, quaeque perniciosissimis fretae principiis, laicae potestati spiritualia invadenti blandiuntur, animosque in obsequium, aut saltem in tolerantiam, iniquissimarum legum perinde inclinant, ac si scriptum non esset *(Matth. 6, 24): Nemo potest duobus dominis servire (Brev. 6 martii 1873 ad Circul. S. Ambros. Mediol.).*" „Illi videlicet, qui sive obliquis imbuti opinionibus, sive non considerantes, aut non intelligentes intrinsecam indolem, vim, malitiam praesentium vicium, seque sapientes arbitrati, pugnantia inter se principia componi valere arbitrantur, et concordiam inter infensissimos religionis osores ac ejusdem sectatores, per hanc aut illam politicam conventionem perinde posse restitui, ac si per tenue fomentum cuti admotum profundum viscerum ulcus sanare liceret. Hi, qui pacem ubique clamitant, et viam pacis, quae in sola tranquillitate veri solidique ordinis posita est, non cognoverunt, dum paci se servire dicunt, dissidia serunt inter fratres, unitatis robur, hostibus inexpugnabile, dissolvunt, ac inscii efficacissime suffragantur eorum causae *(Brev. 9. sept. 1875 ad Conv. Cathol. Florent.).*" Quapropter Catholico-liberales „periculosiores sunt omnino et exitiosiores apertis hostibus, tum quia inobservati, et fortasse etiam nec opinantes, illorum conatibus obsecundant; tum quia intra certos improbatarum opinionum limites consistentes, speciem quandam probitatis et inculpabilis doctrinae praeferunt, quae imprudentes alliciat conciliationis amatores, et decipiat honestos, qui apertum adversarentur errorem; atque ita dissociant animos, unitatem discerpunt, viresque conjunctim opponendas adversariis infirmant *(Brev. cit. 6. mart. 1873).*" Hinc idem perstrenuus veritatis vindex ex specula Israël fideles iterato monuit, quod „hodie non pugnare dumtaxat cum hostibus ubique coguntur, sed diligentius etiam cavere a falsis fratribus, qui studium pacis praetendentes, prudentiamque suadentes, restinguere vigores, viresque comprimere aut dissociare nituntur fidelium sanam propugnantium doctrinam, eosque ad conciliationem trahere cum erroribus toties a Nobis proscriptis

(Brev. 28. sept. 1876 ad Episc. Alexand.).“ Et sane, „nonne nova amarulenta irrisio et ludibrium existimandum est illud, quod saepe dicitur, nempe debere Nos conciliationis et concordiae consilia cum novis dominatoribus inire, cum haec conciliationis ratio non aliud ex parte Nostra esset, nisi omnino prodere non modo summa sanctae hujus Sedis jura, quae tamquam sacrum et inviolabile depositum ad hanc supremam cathedram evecti custodienda ac tuenda recepimus, sed etiam et praecipue prodere divinum ministerium Nobis pro salute animarum commissum; tradere haereditatem Christi in manus auctoritatis hujusmodi, cujus opera ad ipsum catholicae religionis nomen, si fieri posset, delendum, diriguntur *(Allocut. 12 martii 1877)*?“

Quae cum ita sint, jure merito nonnulli ex recentioribus primae notae theologis Catholico-liberales inter schismaticos recensent, quorum peccatum, juxta Bullam *Apostolicae Sedis,* excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacet. Cl. Avanzini in *Comment. de Const. Apost. Sedis, n. 5,* proposita sibi quaestione: „Comprehendunturne sub hac censura illi Catholici liberales, ut ajunt, qui, repulsa data legibus et mandatis Romani Pontificis, sese publice gerunt tamquam solutos ab ejus obedientia, licet nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant, vel nullam ecclesiasticam auctoritatem constituere conentur?“ Respondet. „Puto comprehendi: quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia Romani Pontificis. Conditio autem, ut alicui auctoritati schismaticae adhaereant, vel eam constituere conentur, ut schismatici faciunt, non requiritur, quum satis sit ab obedientia pertinax recessio.“

Ad Caput X.

[1] „Poenitentia est habitus virtutis, et virtutis secundum propriam acceptionem, non tantum secundum communem. Et haec probabilior est, ut credo, sicut patebit melius in sequentibus. Ad intelligentiam autem objectorum notandum, quod poenitentia est expulsiva peccati actualis, quod est macula animam deformans, et iterum ad malum inclinans, sive a bono dehabilitans; et iterum naturam vulnerans, quam etiam perpetravit quis per actum voluntatis cum delectatione et libidine. Quia igitur delere culpam ut deformantem est gratiae reformantis, ut dehabilitantem est virtutis habilitantis, et ut vulnerantem naturam est sacramenti curantis, ut actu perpetratam per actum voluntatis cum delectatione et libidine, similiter est actus voluntatis, et cum passione contraria; ideo poenitentia recte dicitur gratia, virtus, sacramentum, actus, passio.“ *4. dist. 14. p. 1. a. 1. q. 1.*

[2] „Nomen et proprietas tabulae competit poenitentiae sacramento. Ad quod intelligendum oportet nosse, quid sit mare, quid naufragium, quid navis, et quid tabula. Mare est praesens saeculum, secundum illud Psalmi *(103, 25): Hoc mare magnum.* Navis, quae perducit ad portum salutis, est unitas ecclesiastica, de qua dicitur: *Transeuntes mare per ratem liberati sunt (Sap. 14, 5);* et: *Nisi in navi manseritis etc. (Act. 27, 13).* Naufragium navis est per separationem et scissionem membrorum, secundum illud Judae *(1, 19): Hi, qui segregant semetipsos etc.* Tabula est adjutorium aliquod collatum, per quod posset ille, qui est in periculo naufragii, sublevari a periculo peccati; et hoc est sacramentum. Et cum duplex sit peccati periculum, duplex est naufragium. Et duplex est sacramentum liberans a duplici naufragio, scilicet a naufragio originalis; et hoc est baptismus. Et quia originale est primum, ideo baptismus est tabula prima. Et secundum naufragium est per actuale; et quia hoc curat poenitentia, ideo dicitur secunda tabula.“ *4. dist. 22. a. 3. q. 2.* Cfr. etiam *14. p. 1. dub. 1.*

[3] „Nam nullum horum est perfectum sacramentum sine alio. Et . . . quamvis non sint simul actu, sunt tamen simul voto vel effectu. Unde quando quis conteritur, habet confessionem et satisfactionem in proposito; et quando quis satisfacit, conteritur, et habet duorum praecedentium effectum.“ *4. dist. 16. p. 1. dub. 1.* — „Materiale in hoc sacramento est humiliatio poenitentis, sive quantum ad actum contritionis, sive quantum ad verbum accusationis, sive quantum ad poenam satisfactionis; formale vero est absolutio sacerdotis. Haec duo simul juncta significant poenitentiam interiorem, secundum quod per ipsam est remissio culpae perfecta quantum ad culpam et quantum ad poenam; quantum ad remissionem peccati quoad culpam, rationem habet signi exterius sacramentum; quantum ad remissionem poenae, habet quodammodo rationem causae.“ *4. dist. 22. a. 2. q. 2.*

[4] „Poenitentia iterari potest, quotiescumque homo est in hac vita; sed post hanc vitam non potest. Et ratio, quare poenitentia possit et debeat iterari, et baptismus non, est triplex. Una est, quia in baptismo imprimitur character, qui est indelebilis, in poenitentia non. Secunda ratio est, quia baptismus est contra morbum non iterabilem, qualis est morbus peccati originalis; sed poenitentia contra morbum iterabilem, qualis est morbus peccati actualis; unde quia medicina debet aptari morbo, patet etc. Tertia ratio est, quia baptismus habet totam efficaciam a passione; sed poenitentia non habet efficaciam tantum a passione Christi, sed ab actu nostro; et ideo baptismus non iteratur, sicut nec passio; poenitentia vero iteratur, secundum quod voluntas nostra convertitur et revertitur: inde est, quod in baptismo omnis poena remittitur, in poenitentia non. Et si baptismus iteraretur, daretur nobis occasio peccandi; non sic est in poenitentia, quia bene punit. Ad illud ergo, quod objicitur in contrarium de verbo Apostoli *(Hebr. 6, 6): Impossibile est eos, qui prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam;* potest fieri vis in hoc, quod dicit *impossibile,* quia non ex viribus humanis; vel *impossibile* id est difficile, loquitur enim de imperfectis, qui difficulter resurgunt. Vel ut fiat vis in *poenitentia,* quia loquitur de renovatione, quae est in poenitentia, quam sequitur ba-

ptismus; haec enim virtutem totam habet ab hostia passionis, et de hac dicit Apostolus *(Hebr. 10, 26): Non relinquitur hostia pro peccato* ... Ad illud quod objicitur de baptismo et contumelia sacramenti, patet responsio ex praedictis, quod non est simile. Hic enim non fit contumelia sacramento, quia sic institutum est, et efficaciam habet; sed secundus vel iteratus baptismus nullius est efficaciae. Non fit etiam contumelia passioni, quia non sic totam et plenam efficaciam a passione recipit, ut baptismus." *4. dist. 14. p. 2. a. 1. q. 2 concl. et ad 1. 2. et 5.*

[5] „Sic erraverunt aliqui circa poenitentiam, sicut circa caritatem. Dixerunt enim quod habens semel veram caritatem, nunquam perdit eam, similiter et habens veram poenitentiam, nunquam eam perdit. Sed hoc est manifestus error, et contra Scripturam. Ratio autem, quae istos decepit, fuit, quia non consideraverunt quid dicatur, vel quid importetur per hoc nomen, *verum*, cum dicitur vera poenitentia, vel vera caritas. Quamvis enim *unum* dicat indivisionem principiorum entis, et *verum* indivisionem entis ab esse, sive actu absoluto (prout tamen natum est notum fieri apud intellectum), et *bonum* indivisionem ab actu ut in finem relato; tamen, quando *verum* reflectitur supra *bonum*, ut cum dicitur *vera virtus*, utrumque potest importare, et utroque modo accipi potest. Et ideo intelligendum, quod veritas poenitentiae dupliciter accipitur, sicut et cujuslibet virtutis; uno enim modo dicitur virtus *vera*, quae habet verum virtutis opus, vel nata est habere, quantum est de se; et sic haec veritas est de essentia virtutis. Alio modo dicitur virtus vera, quae perducit in finem, et haec veritas non est essentialis virtuti, sed tantum dicit virtutis statum, sive continuationem. Secundum hoc dicendum, quod si primo modo dicatur poenitentia vera, quae verum virtutis habet actum; sic de veritate poenitentiae est detestari malum commissum, et pro illo tempore nullum committere, et de futuro proponere non committere; et ab omnibus his potest homo cadere, et ita a poenitentia vera, veritate primo modo dicta. Si autem dicatur vera, quia perducit in finem, ut finalis et continuata, ab hac non est cadere. Sed hanc non est dicere hominem habere nisi in fine, et post non contingit cadere." *4. dist. 14. p. 2. a. 1. q. 1.*

[6] „Quilibet poenitentiam agens, super culpam commissam, propter Dei offensam et propter emendam, veniam invenit." — „Dicendum quod agere poenitentiam, sive dolere de culpa commissa, est dupliciter, aut propter laesionem naturae, aut propter offensionem majestatis divinae, et ipsius justitiae. Primam poenitentiam super culpa commissa habere potest quis ex sola natura, sine aliqua gratia; sicut enim homo naturaliter se diligit, ita etiam odit omne, propter quod malum incurrit. Et haec poenitentia est in malis et in damnatis, et erit aliquando in angelis malis, cum absorpti erunt a poenis; sed in hac vivit et regnat mala voluntas, cum sit proprii boni amica; ideo Deus eam non acceptat, nec quis sic poenitens invenit gratiam, vel veniam. Alia est poenitentia, qua quis poenitet propter Dei offensam, paratus ei facere emendam; et haec non est sine divina gratia gratum faciente, vel gratis data. Et haec adeo disponit ad gratiam, quod nullus est sic poenitens, quin inveniat gratiam et veniam; et ideo Deus nulli eam dat, nisi cum quo proponit facere misericordiam. Et quoniam diabolus hanc habere non potest, ideo non potest habere veniam. Sed si per impossibile poneretur, quod diabolus hanc haberet, utique Dominus daret ei gratiam. Haec igitur est potissima causa irremediabilitatis peccati diaboli; quia non potest poenitere, nec liberum arbitrium ejus verti ad veniam petendam. Concedendum igitur, quod omnis agens poenitentiam super culpam secundum assignationem praedictam, quantumcumque peccaverit, inveniat veniam." *4. dist. 14. p. 2. a. 1. q. 3.*

[7] „Dolor contritionis potest dici, prout est quaedam pars poenitentiae divisa contra confessionem et satisfactionem, et est purgativa culpae; alio modo, prout motus interior voluntatis, cui se subjicit anima poenitens: et dolor iste est poena satisfactoria, impetrativa augmenti gratiae et gloriae. Primus dolor est sacramentalis proprie et per se, quia est effectivus remissionis culpae, ad quem solum semel tenetur poenitens. Alius non est sacramentalis proprie et per se." *4. dist. 16. p. 1. a. 3. q. 2 ad 3.* — „Contritio, quoad praeparationem in fieri, et quoad durationem, est successiva; quantum ad inductionem formae, quae est dissensus animae, et quantum ad esse, est in instanti." — „Dicendum, quod est loqui de contritione quantum ad durationem, et quantum ad esse, et quantum ad fieri. Si quantum ad durationem, cum duret longo tempore, sic dico, quod est successiva, sicut est vivere hominis. Si quantum ad esse, quia est actus fixus in detestatione peccati, et actus ut quies, sic dico, quod esse ejus est in instanti. Si quantum ad fieri, est distinguendum, quia in fieri est praeparatio, et formae inductio. Dico ergo, quod praeparatio ad actum contritionis est successiva, quia multa oportet prius considerare; sed ipse dissensus animae postea in instanti fit." *Ibid. q. 1.*

[8] „Sicut peccatum perpetratur per consensum, sic e contra deletur et destruitur per dissensum voluntatis rationalis. Et quia dissensus ab ea re, quam impossibile est non esse, generat dolorem, sicut dicit Augustinus *(de Civ. Dei, lib. 14, 15);* ideo dicendum, quod contritio est dolor per essentiam. Sed attendendum, quod dolor dicitur dupliciter: uno modo, ipse dissensus voluntatis; alio modo, passio resultans in sentientem, vel sensualitatem, ex illo dissensu, per quam prorumpit homo in lacrymas: et ille dissensus est de essentia contritionis, sed illa passio est effectus ejus." *4. dist. 16. p. 1. a. 1. q. 1.*

[9] „Dolor dicitur contritio, et dolor dicitur compunctio. Contritio, quia conterit, vel peccata in corde illo dolore teruntur; sed compunctio, quia cor compungitur. Sed compungitur cor secundum duplicem aspectum, aut carentia gloriae, aut consideratione offensae; et secundum hoc attenditur duplex irriguum, scilicet superius et inferius; et ita compunctio communior est quam contritio." *4. dist. 16. p. 1. dub. 3.* — „Ad sacramentum poenitentiae non est necesse, quod accedat habens caritatem, vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Haec autem dispositio attritio est, quae frequenter ob confessionem superadjunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat contritio, sive ut ad ipsam contritio subsequatur: et multis ibi gratia conceditur. Unde dico, quod sufficit, quod probabiliter se disponat ad gratiam per omnium peccatorum

detestationem. Quod si se non disponit, immo cum voluntate peccandi accedit, dico quod peccat mortaliter, quia sacramentum irritum facit, quantum est in se, et hoc non sine contemptu: unde tenetur iterum reverti ad sacerdotem, et petere absolutionem." *4. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 4.*

[10] „Confessio vocalis Deo facta, non simpliciter, sed in casu, est de lege naturae; sed homini confiteri non dictat natura, nisi in generali." — „Dupliciter sunt aliqua de dictamine juris naturalis, aut in generali, aut in speciali; in speciali, ut honorare parentes, in generali, ut dictat natura ea, quae superaddit lex evangelica, sicut sunt aliqua supererogationis, ut consilia, vel etiam aliqua sacramenta. Intelligendum est igitur, quod est confessio peccati mentalis et vocalis. Mentalis confessio est recognitio peccati et offensae; et haec est de dictamine naturae in speciali, secundum quod cognitio offensae est de dictamine naturae. Cognitio autem offensae humanae est de dictamine naturae per se, secundum quod est rationalis; sed cognitio offensae divinae est de dictamine naturae adjutae aliquo modo per fidem. Quomodo enim scit homo se offendere Deum, quem non videt, nisi per aliquem radium fidei hoc cognoscat? Cum autem homo cognoscit, quod Deum per praevaricationem inhonorat, natura dictat, quod ab ipso est misericordia humiliter petenda; et hoc nunquam est, nisi cognoscatur culpa. Vocalis vero confessio est duplex, scilicet quae fit Deo, et quae fit homini. Vocaliter confiteri Deo dictat natura, non simpliciter, sed in casu, ut puta quando Deus exigit, sicut exegit ab Adam et Cain; vocaliter autem confiteri homini non dictat natura, nisi in generali, dictat enim, quod omnibus modis reconciliari oportet Deo, quibus ipse statuit. Unde natura sic dictabat, quod si Deus arbitrum constitueret inter se et peccatorem, ipsi esset culpa revelanda; et ita dictabat in generali. Dictabat etiam, quod illi essent dicenda vera. Et sic patet, quomodo confessio spectat ad legem naturae. Quaedam enim est de dictamine naturae per modum necessitatis, quia natura dictat illam simpliciter et specialiter; quaedam etiam est de dictamine naturae per modum expedientis, non simpliciter, sed in casu necessitatis, ut confessio vocalis facta Deo; quaedam vero dictabat in universali solum, et haec est confessio facta homini. Ex his patet ... prima ratio inducta ex simili in confessione vocali laudis, quia sicut in casu laudare oportet ore, tamen semper debet, actu vel habitu, laudare in corde; sic et intelligendum de confessione peccati. Ad illud quod objicitur de partibus aliis, scilicet contritione et satisfactione, dicendum quod istae partes respiciunt poenitentiam, secundum quod est virtus, et secundum quod est sacramentum; sed specialiter contritio et satisfactio respiciunt virtutem. Sed confessio magis est poenitentiae ut sacramentum, confessio enim peccati, quae fit homini, ortum habet non tantum a natura, sed etiam ab institutione divina. Et ex hoc patet responsio ad ultimum, quod dicit, quod est opus virtutis. Dico enim, quod revera opus virtutis est, sed non omnino, sed virtutis cum adjunctione institutionis sacramenti; virtus enim non dictat, quod peccata occulta dicantur homini. Similiter nec poenitentia dictat illud per se, quantumcumque homo doleat; sed cum Deus instituit, tunc virtus obedientiae imperavit, poenitentia acceleravit, et veritas actum direxit. Et ita patet, ad quam virtutem spectet confiteri, et quomodo sit opus virtutis, et cujus. Unde poenitentia in generali dictat, secundum quod est virtus volens facere emendam, obedientia per mandatum specificat, veritas elicit et regulat." *4. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Confessio vocalis, ut sacramentum, est solius legis evangelicae, nec praecessit in lege veteri, nisi in figura, quia illi legi non competebat." — „Duo sunt principaliter in confessione, propter quae oportuit, et conveniens fuit confessionem institui. Primo est propter detectionem peccati et manifestationem, et iste est finis confessionis in se; secundus finis est propter reconciliationem faciendam Deo, et ejus Ecclesiae. Primo igitur fit propter peccati detectionem; peccator enim, dum *male agit, odit lucem (Joan. 3, 20);* et ideo in reversione ad justitiam oportet redargui opera infructuosa tenebrarum. *Quae* autem *arguuntur, a lumine manifestantur (Eph. 5, 13),* hoc autem est per confessionem; et ideo debuit in ea lege institui confessio, in qua est manifestatio veritatis; in ea, inquam, lege, in qua Verbum caro factum est, ut intelligibile fieret sensibile et manifestum. In ea lege debent occulta et tenebrosa opera manifestari, et verba cordis formam vocis induere. Haec autem est lex gratiae; et ideo confessionis institutio, quantum ad primum finem, competit legi gratiae. Alius finis est ad reconciliationem faciendam, humano arbitrio mediante; ideo fit homini, ut homo sit judex et arbiter inter Deum et peccatorem. Arbiter autem talis debet esse, qui possit manum ponere in utrumque; talis autem non potuit esse, quousque Deus factus est homo; et tunc homo deificatus datus est nobis mediator et arbiter Christus, qui potuit arguere, et manum ponere in utrumque. Hic autem reliquit in Ecclesia successores, quos et arbitros constituit et rectores Ecclesiae, quibus commisit auctoritatem reconciliandi. Et quoniam haec auctoritas primo fuit in Christo, et in nullo potuit esse, antequam veniret ille praecipuus mediator, et hoc solum in lege nova fuit; ideo tantum in hac lege institui confessio debuit. Concedo ergo, quod confessio, prout est sacramentum, confessio, inquam, vocalis, solius novae legis fuit, nec praecessit in lege veteri, nisi in figura, quia illi legi non competebat. Praecessit autem in hoc, quod sacerdotibus data erat auctoritas discernendi inter lepram et non lepram, sanctum et profanum. Sed haec quidem erant corporalia, et non spiritualia; et illam figuram ostendit Dominus impletam esse in lege nova, cum mundatos ad sacerdotes mittebat, ut dicitur *(Matth. 8, 4)."* *Ibid. q. 2.* — „Ad illud vero, quod manifestare peccatum est contra rationem, dicendum quod peccati propalatio potest fieri dupliciter, vel ad sui ipsius commendationem, sicut faciunt peccatores, *qui laetantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis, quorum viae perversae sunt, et infames gressus eorum (Prov. 2, 14—15);* quibus *facta est frons mulieris meretricis (Jer. 3, 3);* et de quibus dicitur *(Isai. 3, 9): Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt.* Et haec est contra naturam et contra rationem rectam, et ad provocandam divinam inimicitiam. Et verecundia et *confusio* huic opposita *est adducens gratiam et gloriam (Eccli. 4, 25).* Alia est confessio, quae fit ad sui accusationem, ad inveniendam divinam propitiationem: et haec est ordinata ad faciendam emendam, vel ad curandam plagam occultam.

Unde sicut natura dictat, quod vulnus etiam in locis secretis est aperiendum medico ad curationem, quamvis dictet pudenda operienda; sic est de peccatis. Et sicut si aliquis vulnus nollet ostendere, judicaretur superbus et stultus, et faceret contra naturam et salutem suam; sic intelligendum est in proposito . . . Quamvis autem naturae dictamini consonum sit erubescere, et nunquam detegere peccatum per confessionem, propter illam tamen causam non est dimittenda confessio. Et hoc propter multiplicem utilitatem quam habet, et propter quam instituit eam Deus. Valet enim ad peccati cognitionem, propter instructionem sacerdotis: *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris . . . venies ad sacerdotes etc. (Deut. 17, 8—9)* Ad cogniti deletionem: *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei (Ps. 31, 5).* Si propositum valet, quanto magis valet opus. Ad cognitionem et deleti satisfactionem, quia erubescentia in confessione est magna pars satisfactionis: *Est confusio adducens gratiam et gloriam (Eccli. 4, 25).* Ad poenae diminutionem in clavium potestate: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis (Matth. 16, 29).* Ad Dei laudem: *Da gloriam Deo, et confitere et indica mihi quid feceris (Jos. 7, 19).* Ad intercessorum multiplicationem: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem (Jac. 5, 16).* Ad conscientiae assecurationem, unde David, statim cum dixit: *Peccavi,* audivit: *Transtulit Dominus peccatum tuum (2. Reg. 12, 13).* Et hoc magnum bonum est: *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae (2. Cor. 1, 12).*" *Ibid. q. 1 ad 1—3.*

[11] „Satisfactio requirit emendam praesentem pro culpa praeterita, et propositum firmum pro vitanda futura." — „Ad satisfactionem completam duo requiruntur, scilicet emenda praesens pro culpa praeterita, et propositum firmum in vitando futura." *4. dist. 15. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Quoniam sine gratia gratum faciente et caritate impossibile est aliquem Deo placere et opera ejus acceptari; ideo nec satisfacere est possibile. Potest tamen homo, antequam habeat caritatem, praeparare se ad habendam caritatem, et ad exequendam satisfactionem. Et sic intelligitur consilium Domini: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (Luc. 11, 41);* et consilium Danielis *(Dan. 4, 24): Peccata tua eleemosynis redime,* ut se praeparent per eleemosynam ad gratiam, qua accepta, multiplicando eleemosynas, satisfacerent." *Ibid. p. 1. a. 1. q. 3.* — „Satisfactio proprie fit ipsi Deo, sed in Ecclesia et per Ecclesiam, ut innotescat voluntas Dei per sacerdotes." — „Cum peccator peccat, se ad poenam aeternam obligat. Cum autem divina misericordia justificat, seu vivificat, omnem remittit culpam, et reatum poenae aeternae, qui inseparabiliter adhaeret culpae. Sed quia misericordia non potest praejudicare justitiae, cujus est mala punire; ideo sic solvit a culpa et poena, ut tamen remaneat obligatus ad aliquantulam poenam temporalem. Sed quoniam peccator ipsum Deum offenderat et Ecclesiam damnificaverat, commisit Dominus judiciariam potestatem super peccatores rectoribus Ecclesiae, et in eos compromisit tanquam in arbitros, ut sic innotescat voluntas Dei poenitentibus per sacerdotes, et per illos imponatur poena peccatoribus, et Domino satisfiat principaliter, et Ecclesiae per consequens. Unde satisfactio proprie de peccato fit ipsi Deo; tamen per Ecclesiam et in Ecclesia." *Ibid. p. 2. a. 2. q. 2.* — „Satisfactio fit per opera poenalia, quibus redditur honor Deo, quia ordinatur deordinatum, curatur infirmus et solvitur debitum." — „Est satisfactio per opera poenalia; et hujus ratio est quadruplex. Prima est, quia ibi est honoris ablati redditio. Unde honorem istum debet homo reddere amplius, quam si non abstulisset; et ideo requiritur, ut non tantum Deo famuletur per operationem bonam, verum etiam seipsum dejiciat per poenam assumptam. Secunda ratio est, quia est primo deordinati reordinatio; et quia deordinatum per culpam, optime ordinatur per poenam; ideo etc. Tertia ratio est, quia ibi est infirmati curatio, quia infirmatus per delectationis calorem, curatur per poenalitatis algorem; et ideo etc. Quarta ratio est, quia ibi est debiti absolutio; et quia peccator est debitor poenae; ideo debet per poenam satisfacere." *Ibid. q. 3.* — „Satisfactio fit jejunio, oratione et eleemosyna, cum iis omnibus reconciliemur Deo." — „Dicendum, quod oratio et jejunium et eleemosyna, quodlibet horum accipitur proprie, communiter et communissime. Proprie oratio est ascensus ad Deum ad aliquid degustandum, vel impetrandum, vel exsolvendum; communiter oratio dicitur, secundum quod comprehendit omnem actum contemplativae ad Deum relatum; communissime, secundum quod comprehendit omnem bonum actum, secundum quod dicitur: Non cessat orare, qui non cessat bene facere *(Glossa super 1. Tim. 5).* Similiter jejunium dicitur proprie afflictio carnis secundum gustum; communiter omnis carnis afflictio, quae consistit in vigiliis et flagellis et jejuniis proprie dictis; communissime dicitur jejunium abstinentia ab omni mortali: *Hoc est jejunium, quod elegi; dissolve colligationes impietatis (Isa. 58, 6).* Similiter eleemosyna dicitur proprie opus pietatis impensum proximo ad relevandam indigentiam corporalem; communiter, omne opus pietatis proximo impensum sive spirituale, sive corporale; communissime dicitur omne opus misericordiae, sive proximo, sive sibi impensum, secundum quod dicit Augustinus *(Enchirid. c. 76. n. 20),* quod eleemosyna hominis debet incipere a semetipso, justa illud: *Miserere animae tuae placens Deo (Eccli. 30, 24).* His praesuppositis, dicendum quod haec tria, prout partes satisfactionis dicunt, accipiuntur non communissime, nec proprie, sed communiter; et tunc patet eorum distinctio et sufficientia manifeste. His praemissis, dicendum quod sufficientia et distinctio harum partium potest accipi secundum appropriationem et secundum proprietatem. Secundum appropriationem, cum enim triplex sit radix peccati, sicut dicitur in Joanne *(1, 2. 16),* aut *concupiscentia carnis,* et contra hanc est jejunium; aut *concupiscentia oculorum,* et contra hanc est eleemosyna; aut *superbia vitae,* et contra hanc est oratio; hoc dico secundum appropriationem, quia unumquodque horum valet contra omnes, appropriate tamen magis opponuntur, sicut dictum est: et ex hoc patet numerus et sufficientia. Per proprietatem vero sic: opus poenale, aut ordinat nos ad Deum, et sic est oratio; aut ad nos, et sic est jejunium, quod macerat carnem nostram; aut ad proximum, et sic est eleemosyna: et sic patet sufficientia, secundum illud: *Sobrie et juste et pie vivamus (Tit. 2, 12).* Aliter potest accipi secundum reconciliationem, quia per orationem Deo reconciliamur. Sed, sicut dicit Augustinus *(Enarr. in*

Ps. 42. n. 8): Si vis orationem tuam volare in caelum, fac duas alas, scilicet jejunium, et eleemosynam. Tobias *(12, 8): Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.* Aliter accipitur sufficientia, quia duplex est vita, scilicet activa et contemplativa. Quantum ad contemplativam oratio, quantum ad activam eleemosyna; ut autem homo sit dispositus ad utramque, sic est jejunium." *Ibid. q. 4.* — „Eleemosyna, ut sit satisfactoria, justo titulo debet possideri, ut res, quae pro eleemosyna datur, vera sit eleemosyna." ... Ad illud quod objicitur de necessariis et superfluis, dicendum quod necessarium dicitur dupliciter, vel secundum naturae arctitudinem, vel secundum communem usum vivendi. Si secundum arctitudinem non tenetur, nec oportet ei imponi, qui peccavit, quia hoc est perfectionis illorum, qui totum victum exspectant a Christo, sicut sunt viri, qui sunt in statu perfecto. Et ideo si fiat eleemosyna, debet fieri de eo, quod superest huic necessario, et bene est satisfactoria. Alio modo dicitur necessarium, quod expedit homini secundum communem modum vivendi; de quo dicit Augustinus, quod multa superflua habere probabimur, si sola necessaria teneamus: et de tali fit proprie eleemosyna satisfactoria, de superfluo vero non fit, quantum est de rigore justitiae. Tamen credo, quod divinae misericordiae benignitas tanta est, quod totum acceptat, et quasi pro nihilo salvat nos." *Ibid. a. 2. q. 1 et ad 2 et 3; resp. ad 2. pro fund.* — „Restitutio non est pars satisfactionis proprie sumptae, quia restituere tenetur, qui rem possidet alienam, secundum omne jus; si autem satisfactio communiter teneatur, sic est pars ejus, quia opus poenale est." — „Circa hoc duplex est opinio. Quidam dicunt, quod restitutio non est pars satisfactionis, sed fundamentum. Quaedam enim requirunt ad poenitentiam, sive satisfactionem, ut fundamenta, et talia sunt peccati dimissio, et alienae rei restitutio; quaedam ut expedientia, ut vitare pravam societatem; quaedam ut satisfactoria, ut jejunium, oratio, eleemosyna; quaedam ut perficientia, ut sunt opera supererogationis: *Quodcumque supererogaveris, reddam tibi (Luc. 10, 35).* Et ratio eorum est, quia culpa proprie est in Deum, et quia satisfactio per poenam arbitrariam fit arbitrio sacerdotis. Sed alia opinio est, quia restitutio est opus satisfactorium, si fiat in caritate, alioquin non; sed sic nec alia opera. Posset tamen dici, quod satisfactio dicitur communiter et proprie; communiter, omne opus poenale voluntarie assumptum, sive ad quod tenetur judicio Dei, sine judicio sacerdotis; et sic restitutio est opus satisfactorium, et ejus pars. Si autem dicatur satisfactio proprie per poenam voluntarie assumptam, ad quam non tenebatur nisi ex culpa, et judicio sacerdotis; sic non est pars ejus, quia restituere tenetur, qui habet rem alienam, secundum omne jus, etiam si sacerdos nunquam imponat." *Ibid. q. 4.* — „Jejunium est opus satisfactorium, cum sit poenale, et Deo placet, quia corporis et spiritus est reordinativum." — „Jejunium est opus satisfactorium, secundum quod ipse Dominus dicit: *Hoc genus daemoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio (Marc. 9, 28).* Est, inquam, satisfactorium liberando a poena, cum sit poenale; et Deo est placitum, quia corporis et spiritus est reordinativum, ut corpus spiritui non repugnet contumaciter: *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, sentiet illum contumacem (Prov. 29, 21);* ut spiritui subjiciatur totaliter: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (1. Cor. 9, 27);* ut non crucietur aeternaliter: *Est qui multa redimat modico pretio (Eccli. 20, 12),* et: *Diem pro anno dedi tibi (Ezech. 4, 6);* ut glorificetur aeternaliter: *Id quod est in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae (2. Cor. 4, 17)."* *Ibid. q. 2.* — „Oratio vocalis ordinatur ad mentalem, et e converso, et quaelibet est satisfactoria; licet ea, qua ad gemitum accenditur homo, plus sit satisfactoria." *Ibid. q. 3.* — De oratione vide etiam superius *part. 5. cap. 10. nn. 1. 2. 4. 7.*

[12] „Semper obligatur homo conteri de culpa commissa, non tamen ad semper, sed tantum pro loco et tempore." — „Sicut dicit Hugo *(de sacram. l. 2. p. 2),* cum Deus absolvit hominem a culpa, ligat eum vinculo perpetuae detestationis, tenetur enim semper malum, quod fecit, detestari. Sed quia tentio talis est praecepti affirmativi, quod semper obligat, sed non ad semper; ideo dico, quod semper tenetur conteri, sed non ad semper, sed pro loco et tempore, videlicet cum recogitat mala sua, in quibus offendit Deum ... Ad illud quod objicitur, quod est poena, dicendum quod nunquam peccator se tantum potest punire, quin majori poena sit dignus secundum rigorem justitiae. Et quia homo sibi rigidus debet esse, et alii pius; nunquam tantum se affligit per contritionem, quod sit superfluum, dum tamen hoc possit sustinere, quia totum est ei ad gloriae cumulum. Tamen nota, quod contritio, ratione displicentiae peccati, semper est necessaria, saltem in habitu; ratione vero gemitus et planctus, vel doloris sensibilis, non est necessaria, maxime viris perfectis, qui audierunt voce interna quod audivit Magdalena: *Dimittuntur tibi peccata tua (Luc. 7, 48);* sicut dicit Bernardus *(in Cant. circ. prin.),* sed ulterius possunt et debent meditationem suam ad dulcedinem patriae supernae convertere. Ante vero hunc statum, sanum consilium est, peccata sua ante oculos revocare ad gemitum et dolorem. Praeterea displicentia non dicit semper poenam, imo frequenter magnam habet laetitiam conjunctam, dum considerat in se liberationem plenam." *4. dist. 16. p. 1. a. 3. q. 2 et ad 5.*

[13] „Non potest peccator de uno peccato satisfacere, quin de aliis satisfaciat, alioquin simul esset aversus et conversus ad Deum, quod implicat." — „Non enim satisfacere dicit tolerantiam poenae tantum, quia Deus in malis nostris non delectatur, sed delectatur in justitia voluntatis nostrae et reconciliatione, quae non potest haberi de una culpa sine alia, tum propter connexionem virtutum in una gratia, quae delet culpam omnem mortalem, cum habeat omnem virtutem annexam: tum propter divinam largitatem, quae secundum partem non gratificat, immo omnem offensam condonat; tum propter peccata mortalia, quae omnia communicant in aversione et contemptu Dei, et omnia sunt contra Deum et contra unum; et ideo si Deus remitteret culpam de uno sine alio, simul esset is, cui remittitur, amicus et inimicus, conversus et aversus. Et ideo, sicut dicit Magister, error est hoc ponere, quod homo satisfaciat Deo offendendo Deum, quia semper manet aversio et imaginis deformatio et inimicitia. Et ideo dicitur *(Eccl. 9, 18):* Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Et beatus Jacobus *(2, 10):* Qui offendit in uno, factus est omnium reus; quia qui peccat in uno, non

satisfacit pro aliquo, eo quod in omni peccato unus offenditur, et impossibile est, quod Deus sit amicus et inimicus ejusdem." *4. dist. 15. p. 1. a. 1. q. 2.*

[14] „Confiteri peccata venialia est quidem expediens, sed non tenemur, nisi secundum quod vel ligat conscientia, vel obligamur ab Ecclesia." — „Confiteri omnes differentias peccati est necessarium, tum ex parte audientis, tum ex parte confitentis, cum ille sit judex, et hic debeat justificari." — „Confiteri circumstantias aggravantes est bonum, sed non necessarium simpliciter: alleviantes vero est congruum: trahentes vero in aliud genus peccati, est necessarium." *4. dist. 17. p. 3. a. 2. qq. 1—3.*

[15] „Contritionis dolor quoad sensum non est necesse quod sit maximus, neque secundum displicentiam rationis absolute, sed bene in comparatione ad alios dolores." — „Cum quaeritur de quantitate doloris, dolor potest dici displicentia rationis, vel passio ex hac resultans in sensualitate. Si hoc secundo modo accipiatur, dico quod non est necesse magis dolere de peccato, quam de re temporali, nec etiam necesse est dolere, quia non est in potestate cujuslibet; talis enim dolor non consequitur amorem, sed consequitur ipsam affectionem, et affectio experimentalem cognitionem. Et quia non omnes habent experientiam divinae dilectionis, ideo non omnes ita sensibiliter dolent de peccatis; tamen quod magis etiam sensibiliter doleat aliquis de peccato, quam de aliquo damno, hoc est perfectionis, et congruum, non necessarium. Sed in quantum dolor dicitur displicentia rationis, sic dico quod displicentia mensuratur secundum quantitatem caritatis. Quantitas autem caritatis dupliciter potest accipi, vel in se, vel in comparatione ad alios amores. In se, sic dico quod est parva et major et maxima. In comparatione ad alios, sic dico quod vindicat sibi dominium in corde, quamdiu est; nec unquam ibi est, nisi sit domina. Unde dico, quod ad hoc quod aliquis habeat caritatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia. Hoc autem est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo velit offendere Deum: sic intelligendum est de displicentia contritionis. Unde dico, quod peccatum debet tantum displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo velit in ipsam consentire, vel consensisse, quoniam voluntas, quae ex aliqua causa consentit in peccatum, justa non est. Unde sicut non oportet habentem caritatem velle mori pro Christo, sed in casu, in quo vel oportet ipsum amittere caritatem, vel vitam, tunc tenetur magis velle mori pro Christo, quam caritatem amittere; sic in proposito est intelligendum, quod non teneor nunc pro satisfactione, vel reconciliatione peccati omnem poenam sustinere, quia Deus non exigit: et ideo sicut ego possum salvari non sustinendo martyrium, sic possum reconciliari Deo sine multis doloribus. Haec sint dicta de amissione rerum temporalium. Si vero de comparatione et praeelectione culpae, vel poenae quaeratur, respondent aliqui, et faciunt in hoc vim, quia potest intelligi respectu praeteriti, vel futuri. Sed ego non video in hoc vim, quia justa voluntas, et vere poenitens, ita detestatur praeteritum peccatum, quod fecit, sicut futurum ne fiat: et ita est peccatum velle peccasse, sicut velle peccare. Ideo de peccati praecedentis dolore et detestatione, dicendum quod in casu, in quo oportet praeeligere, vel consentire in peccatum, sive complacentiam peccati, vel tolerantiam poenae, quilibet tenetur praeeligere, sive magis eligere poenam, quam velle peccare, vel peccasse. Praeter casum necessitatis dico, quod praeeligere omnem poenam est perfectae virtutis, dubitare vero est infirmitatis, quia timor naturalis valde facit dubitare, et ista dubitatio simul potest stare cum caritate; sed praeeligere culpam alicui poenae, hoc est iniquitatis, si est cum deliberatione et plena voluntate, quia omnis voluntas est iniqua, quae peccatum vult vel absolute, vel conditionaliter. Unde periculum est et stultitia quaerere hoc ab aliquo infirmo, vel etiam a seipso, quia hoc est hominem ponere in tentationem: unde nullus confessor debet hoc ab aliquo, qui sibi confitetur, quaerere; sed si poenitens se offerat et dicat se malle mortuum esse, quam peccasse, vel simile aliquid, gaudendum est, quia signum bonae voluntatis est. Si ergo quaeritur, utrum dolorem contritionis necesse sit esse maximum, si dicatur de dolore sensualitatis, manifestum est quod non: si de displicentia rationis, aut quantum ad intentionem motus absolute; et sic nec hoc modo oportet esse maximum: si in comparatione ad alios dolores, dico, sicut de amore, quod oportet quod habeat praedominium: et sic procedunt rationes probantes ipsum inter omnes alios dolores de rebus creatis obtinere principatum. Quod si intelligatur de dolore sensualitatis ad omnes per interemptionem solvendum est, sicut tactum est, quia sequitur experientiam et delectationem et etiam complexionem, vel aliquod tale; ideo sensibiliter magis dolet quis de morte unigeniti." *4. dist. 16. p. 1. a. 2. q. 1.*

[16] „Contritio, secundum quod dicit displicentiam rationis de peccato, non potest esse nimia; sed quoad sensualitatem posset habere excessum." — „In contritione est dolor, prout est displicentia voluntatis rationalis; et est dolor passio, redundans in sensualitatem. Quantum ergo ad displicentiam rationis, concedo quod non potest esse contritio nimia, quia peccatum nulli potest displicere nimis, in quantum peccatum. Quantum autem ad passionem redundantem in sensualitatem, vix aut nunquam est nimia; tamen posset esse tantus dolor, quod humana infirmitas non posset sufferre sine magno detrimento; et tunc dico quod temperandus esset. Sed esto quod non temperaret quis, quia non adverteret, et raperetur a fervore, non credo quod in tali casu peccaret, quia daret operam rei licitae. Si autem advertit, debet temperare; tamen paucis hoc consilium est necessarium. Si autem non temperaret, vel per affectionem gaudii, vel per consolationem spei, credo quod transcenderet metas virtutis, et ita contritionis. Contritio enim, sicut caritas, nominat quid informatum gratiâ. Unde dolor contritionis, manens contritionis, non potest esse nimius, quia displicentia peccati nunquam tantum potest intendi, quod possit esse nimia, cum sit ex consideratione recta." *4. dist. 16. p. 1. a. 2. q. 2.* — „Quaeritur, quare magis denominatur nomine contritionis, et quae convenientia doloris ad contritionem. Dicunt aliqui, quod ideo hoc nomine censetur, quia sicut unguentum sanativum conficitur ex multis herbis in mortariolo contritis, sic unguentum compunctionis conficitur ex herbis peccatorum, quae natae sunt in terra nostra, cum conteruntur in mortariolo conscientiae; ita videtur Bernardus super Cantica *(serm. 10)* dicere. Sed tum ab hac contritione non diceretur homo contritus, sed conterens. Ideo

addendum, quod in hac contritione tria sunt attendenda, quod conteritur, a quo conteritur, et ad quid contritio terminatur. Quod conteritur, est cor peccatoris, quod est tanquam vas fictile, repletum veneno peccati, juxta illud: *Fel draconum vinum eorum (Deut. 32, 33).* A quo conteritur est duplex mola; una superius sursum elevans, et haec est spes veniae ex consideratione misericordiae; alia mola deorsum deprimens, est timor poenae, veniens ex consideratione divinae justitiae. Et de his molis dicitur: *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam (Deut. 24, 6).* Istud vas ad hoc conteritur, ut emollescat, quia durum est: *Cor enim durum male habebit in novissimo (Eccli. 3, 27);* vel melius, ut peccati delectatio totaliter effundatur; ideo dicitur contritio, non fractio, quia fractio est in majores partes, contritio in minores. Et quando in majores partes est fractio, sapor aliquo modo remanet; ut autem non remaneat nec sapor, nec veritas, ideo in partes minimas conteritur. Et haec delectatio totaliter removetur per poenam aeternam, et removetur per gratiam; et ideo utrobique dicitur contritio, et in poena aeterna, secundum illud: *Conteretur cum delinquente delictum (Eccli. 27, 3);* et per gratiam: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (Ps. 50, 19).* Sed aliter, quia ibi conteritur in pulverem, non ut aliud vas fiat, quia de impiis dicitur: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis (Ps. 1, 4);* sed in contritione gratiae est contritio ad generandum vas novum et solidum per humorem gratiae et lacrymarum; et ideo recte dicitur contritio, non attritio, quia partium tritarum est unio, ut fiat vas in honorem, secundum illud de Paulo *(Act. 9, 15): Vas electionis est mihi. Si quis emendaverit se ab his, erit vas (2. Tim. 2, 24).*" *4. dist. 16. p. 1. a. 1. q. 1. ad 7.*

[17] „Ad dolorem faciendum sufficit quod res, quae displicet voluntati, sit praesens aspectui, non secundum conjecturam, sed secundum certitudinem, quia ita est, et non potest aliter esse; et tunc est dolor, sive illud, de quo gemitus est, sit praesens, sive praeteritum, sive futurum. Unde cum dicitur mihi certitudinaliter, quod aliquis, quem diligo, cras morietur, generat in me dolorem; multo magis de praeterito, in quo est perfecta certitudo." *4. dist. 16. p. 1. a. 1. q. 1 ad 6.*

[18] „Debet autem dolor animi duos habere comites, ut sit purgativus animae, et placativus Dei, scilicet timorem divini judicii, et ardorem interni desiderii, ut timendo, cor humile; desiderando et amando, cor devotum; et dolendo, cor recuperes illibatum. Time igitur divina judicia, quae sunt *abyssus multa (Ps. 35, 7).* Time, inquam, vehementer, ne forte, quamquam sis aliqualiter poenitens, adhuc tamen Deo displiceas. Time vehementius, ne post hoc Deum offendas. Time etiam vehementissime, ne finaliter a Deo discedas, semper carens lumine, semper ardens igne, nunquam carens verme, nisi per veram poenitentiam in gratia finali decedas, ut sic cum Propheta decantes: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui (Ps. 118, 120).* Dole quoque, ac satage propter commissa peccata. Dole, inquam, vehementer, propter annihilationem omnis boni divinitus tibi dati. Dole vehementius, propter impugnationem Christi pro te nati, et propter te crucifixi. Dole vehementissime, propter vilipensionem Dei, cujus transgrediendo leges inhonorasti majestatem, denegasti veritatem, offendisti bonitatem; totumque universum dehonestasti, deformasti, deordinasti; dum divinis adversando statutis, imperiis et judiciis, omnibus tibi propter Deum servientibus, abusa es naturis, scripturis, justitiis, misericordiis, donis gratuitis et praemiis repromissis. Quibus diligenter consideratis, *luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum (Jer. 6, 26); deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui (Thren. 2, 18).*" *De regim. animae nn. 8—9.* Supplem. vol. III.

[19] „Contritio potest intendi, atque augmentum sumere, quemadmodum caritas et poenitentia augentur." — „Contritio est motus virtutis, habens quantitatem virtutis, sicut est virtus, a qua est; unde et augmentum et intentionem habet secundum id, a quo recipit quantitatem, hoc autem est virtus poenitentiae. Unde sicut certum est caritatem augeri, ita et poenitentiam; ac per hoc certum est contritionem et intendi, et augeri. Unde notandum, quod quemadmodum caritas dicitur intendi quantum ad fervorem, et augeri quantum ad essentialem virtutem; et primum est a cooperatione liberi arbitrii, secundum vero est a dono caelesti; ita et in proposito oportet intelligi, quod motus contritionis ferventior esse potest secundum cooperationem liberi arbitrii. Unde ex aequali gratia aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrii; sed proprie loquendo non dicitur major, nisi virtute poenitentiae augmentatae; et hoc est per gratiam." *4. dist. 16. p. 1. a. 4. q. 1.* — „Contritio, prout est deletiva culpae, secundum habitum habet augeri; sed prout est deletiva poenae, etiam secundum actum." — „Dupliciter est loqui de contritione, aut prout est deletiva culpae, aut prout est deletiva poenae. Si prout est deletiva culpae, sic operatur in justificatione impii in instanti; et sic actu non potest habere ordinem respectu specialium peccatorum, quia simul et in instanti est contra omne peccatum commissum. Habet tamen secundum habitum, quia dolor ille habitualiter disponit ad detestandum aliquod plus, aliquod minus; et quia habilitat ad detestandum malum, quia malum, ideo ad magis detestandum majus malum. Si autem loquamur, prout est deletiva poenae, tunc dicendum quod habet majorem intensionem et minorem, etiam secundum actum." *Ibid. q. 2.*

[20] „Resurgens per poenitentiam a peccato potest resurgere in majori, in minori et in aequali gratia, secundum quod se melius praeparat." — „Poenitentia, quantum ad habitus substantiam, et gratiae, et habilitatem naturalium, pristinam restituit peccatori sanitatem, licet non semper quoad decorem accidentalem." — „Opera bona prius facta, cum peccator revertitur ad poenitentiam, reviviscunt, et manent viva." — „Etenim aliud est vivificari, aliud recuperari. Recuperatio enim respicit esse, sed vivificatio respicit ordinatum esse, sive ordinem, vel tale esse. Et quoniam quod desinit esse, si iterum incipiat esse, non est idem numero, sed aliud; ideo habitus, si corrumpatur et amittatur, idem non recuperatur. Sed quia possibile est, quod idem manens idem habeat alium et alium ordinem, secundum hoc attenditur vivificatio et mortificatio in operibus." *4. dist. 14. p. 2. a. 2. qq. 1—2 et q. 3 ad 3.* — „Quia *universae viae Domini misericordia et veritas (Ps. 24, 10);* ideo in justificatione, quae est

opus misericordiae, misericordia sic remittit culpam, ut justitiae regulam non praetereat. Propterea adhuc detinet obligatum ad poenam. Illa autem poena ob rigorem divinae justitiae est viribus nostris improportionabilis, et nostrae cognitioni ignota, et pro illa oportet, quod satisfaciat Deo. Providit adhuc ergo nobis viam misericordia divina, et constituit arbitrum sacerdotem, et illi dedit potestatem arbitrandi et taxandi poenam, et manifestandi nobis, et partem poenae remittere ex virtute passionis Christi, ut divina justitia pro illa parte solutionem ab isto non exigat, sed ex passione Christi poena sit contenta. Quanta sit pars illa, nostrum non est determinare, sed Dei. Et tunc sacramentum poenitentiae non tantum erit onerosum, sed etiam fructuosum. Hanc ergo opinionem sustinendo concedendum est, quod sacerdos remittit aliquam partem poenae, non aeternae, non purgatoriae, sed communiter illius poenae, qua Deus obligat peccatorem post absolutionem a culpa. Et pro illa nunquam punitur in purgatorio, nec alibi; sed pro alia parte, a qua non absolvit, vel punietur hîc sufficienter, vel Dominus exigit in purgatorio." *4. dist. 18. p. 1. a. 2. q. 2.* — „Dimissa peccata per poenitentiam, quoad culpam nullo modo redeunt." — „Aliquorum opinio fuit, quod priora peccata redirent et priora demerita, sicut ostensum fuit supra, quod redeunt priora merita, et reviviscant per gratiam subsequentem. Dicebant enim bona et mala quantum ad mortificationem et deletionem, et quantum ad reditum et vivificationem pari passu ambulare, secundum illud quod Dominus dicit de viro justo, qui se a justitia avertit, omnium justitiarum ejus non recordabor, et de peccatore resurgente, quod non recordatur iniquitatum *(Ezech. 18, 22—24)*. Sed tamen illud non videtur intelligibile, quod eadem caritas amissa redeat, si est habitus creatus, nec quod eadem culpa similiter: si enim omnino deletur, non redit eadem, quae prius, sed nova. Et ideo fuit secunda opinio magis aliquantulum temperata, quod peccata non redeant nisi per quatuor peccatorum genera, scilicet per odium fraternum, per apostasiam, per contemptum confitendi, et per hoc quod dolet se poenituisse. Unde fecerunt versus:

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Poenituisse piget, pristina culpa redit.

Ratio autem eorum, praeter auctoritates, quae hoc dicere videntur, et tanguntur in littera, fuit, quia Dominus remittit culpam sub quadruplici conditione, scilicet si ipse dimittat proximo, si perseveret in fide, si confiteatur culpam, si perpetuo detestetur culpam commissam. Et quoniam pactio frangitur, non existente conditione, quando aliquis peccat aliquo genere peccatorum, dicunt culpam redire. Sed nec ista positio debet teneri, licet fuerit magni clerici, scilicet Praepositivi, quoniam non rectum habet fundamentum. Constat enim culpam non deleri nisi per gratiam. Constat etiam ad praesentiam gratiae omnino deleri culpam. Si enim gratia praesens est, culpa omnino deleta est; quod si deleta est, et jam non est, nec est, qui faciat eam esse in anima; ideo non videtur esse probabile, quod propter aliquam conditionem deficientem culpa dimissa iterum redeat. Et ideo est positio probabilis et recta, quam tenent moderni Doctores, quod peccata dimissa nullo modo redeant quoad culpam. Ad illud quod objicitur primo de remotione operimenti, dicendum quod aliud est operiri in conspectu hominis, aliud in conspectu Dei. In conspectu hominis cooperiri potest aliquid, ita tamen quod propter hoc non desinat, sicut pictura operitur panno, non quia non sit, sed quia non apparet. In conspectu autem Dei, quem nihil potest latere, operire est facere quod non sit: et hoc modo caritas operit priora peccata delendo; et ideo, cum jam non sunt, remoto operimento, non apparent. Ad illud quod objicitur, quod gratia vivificat opera mortificata, respondetur ad hoc, quod non est simile, tum ex parte gratiae, tum ex parte bonorum, tum ex parte divinae misericordiae. Ex parte gratiae, quoniam ipsa potentior est ad bonum, quam culpa in malum. Ex parte bonorum, quia connexio est in bonis, et manent in unitate corporis mystici, non sic in malis. Ex parte divinae misericordiae, quae pronior est ad miserendum quam ad condemnandum; et ideo non valet. Sed aliter potest dici, quod aliud est bona opera mortificari, aliud peccata deleri. Bona namque opera mortificantur, non quia esse desinant, sed quia reputantur indigna remuneratione aeterna propter indignitatem solum peccantis. Sed peccata deleri, vere dicit peccati expulsionem, et remotionem talis vitii ab anima. Unde sicut caritas, quae est habitus animae, nunquam eadem redit, si amittatur; sic nec culpa eadem redire potest." — „Peccata illa, quae prorsus dimissa sunt, non redeunt per sequentem culpam, nisi quoad poenam damni: quae vero, quoad aliquam partem poenae, necdum dimissa fuerunt, quoad illam sic redeunt, quod ratione annexi illa erit aeterna." — „Aliqui voluerunt dicere peccata praecedentia redire quoad reatum, quia per culpam sequentem tot reatibus obligatur ad poenam, quot prius erat obligatus. Et ratio hujus tangitur in littera. Dicebant enim, quod quot peccata commiserat, tot vinculis obligabatur, cum veniebat ad poenitentiam, ut detestaretur praeterita mala; et ideo, cum peccat, omnia vincula rumpit; et ideo tot reatibus reus est, quot prius peccata commisit. Sed illud nihil est. Primum, quia sufficit una detestatione detestari cetera, nec tenetur simul et semel divisim detestari omnino; ergo in uno non peccat nisi omissione unica. Aliorum opinio fuit, quod peccata priora redeant per recidivum quantum ad aequivalentiam, pro eo quod ingratitudo, quae est conditio peccati, adeo aggravat peccatum, ut sit ita reus, sicut per omnia peccata praecedentia reus fuerat. Sed illud non videtur verum. Primo, quia ingratitudo pensatur secundum quantitatem beneficii; sed majus beneficium praestat Deus conservando innocentiam, quam revocando ad poenitentiam; ergo gravius peccavit, cum primo innocentiam perdidit, quam quando recidivavit; ergo ingratitudo non facit, quod adeo sit peccatum grave, ut praecedentia. Praeterea ingratitudo ista est peccati circumstantia a parte peccantis; sed magis aggravat peccatum libido, vel genus peccati, quam aggravet circumstantia; ergo nunquam propter ingratitudinem unum peccatum leve secundum genus aequipollebit peccatis praecedentibus gravibus et enormibus. Et ideo aliter dicendum, quod reatus est obligatio ad poenam; poena autem peccati duplex est, scilicet poena damni et sensus, possumus enim loqui de reatu peccati dupliciter, aut quantum ad poenam damni, aut quantum ad poenam sensus. Si quantum ad poenam damni; sic quia qui peccat *in uno, factus est omnium reus (Jacob. 2, 10),*

credendum est, quod peccata dimissa redeunt. Si autem loquamur quantum ad poenam sensus, sic distinguendum est. Quia quaedam peccata sunt omnino dimissa quantum ad poenam et culpam, et talia nullo modo redeunt; quaedam autem dimissa sunt in parte, et de talibus fienda est satisfactio. Et quoniam culpa sequens tollit potentiam satisfaciendi, quamdiu manet, per hoc ipsum iste obligatur ad supplicium aeternum, non ratione sui principaliter, sed ratione annexi: et sic intelligendum est peccata redire. Verum est etiam, quod aliquo modo aggravat culpam sequentem praecedens remissio, quia est ibi contemptus praestiti beneficii, non tamen ita, quod faciat aequivalentiam." *4. dist. 22. a. 1. q. 1. concl. et ad 1. et 2; et q. 2. concl.* — „Conversio frequenter non habetur in morte pro eo, quod anima adeo intenta est dolori mortis et aegritudinis, quod minus potest ad seipsam redire, et cogitare quae spectarent ad hoc, ut haberet aliquis sufficiens remedium verae poenitentiae." *4. dist. 20. p. 1. dub. 3.* — „Duplex est certitudo, scilicet scientiae et conjecturae; certitudinem scientiae nemo habet nisi per revelationem, certitudinem autem conjecturae habet, qui sanus poenitet, cum ei prospera arrident; tunc signum est, quod dolor suus est ex Dei gratia, non ex affectione terrena. Utraque harum certitudine caret, qui in fine poenitet sera poenitentia, quia magis habet rationem ad oppositum, quam ad propositum." *Ibid. dub. 1.*

[21] „Confessio sacramentalis sacerdoti soli et in secreto debet fieri, nisi sit peccatum aliquod enorme, quod totam commovet urbem, vel etiam totum orbem, quod quidem debet quis confiteri in publico, ut in publico poenitentia solemnis imponatur, et ut ostendat et recognoscat se reum, ut puta si sit haereticus manifestus. Quantum vero est de confessione, secundum legem communem, debet unico sacerdoti fieri in privato . . . Ratio autem hujus est, quia occultatio duplici ex causa competit sacramento, tum quia hîc manifestantur peccata sacerdoti, non ut manifestentur, sed ut deleantur et occultentur, quia *caritas* confessionis *operit multitudinem peccatorum (1. Petr. 4, 8):* tum etiam quia manifestantur sacerdoti ut Deo, ad testimonium conscientiae internae. Et ideo ut homo totam conscientiam revelet homini tamquam Deo, et hoc testificante teste secreto, in tali manifestatione non debet admitti alienus, sed sacerdos unicus, qui teneat locum Christi. Et sic occultatio competit duplici ex causa. Una est, quia confessio est adeo onerosa, sive ignominiosa, quod vix aliquis, aut nullus audet coram multitudine confiteri, cum pauci audeant plene et integre confiteri etiam coram unico sacerdote. Alia ratio est, quod manifesta confessio est periculosa. Si enim conscientiae manifestarentur, infinita mala orirentur, et rixae et discordiae et infamiae, sicut manifeste apparet." *4. dist. 17. p. 3. a. 1. q. 3.*

[22] „Ratio autem hujus est, quia donum gratiae gratis datae non repugnat iniquitati, quin simul stet cum ea, sicut patet in scientia et aliis donis. Et rursus, perversitas non repugnat utilitati illius doni. Sicut enim malus praedicator bene praedicat, et frequenter fructificat, propter quod Dominus noluit prohibere eum, qui in nomine ejus ejiciebat daemonia *(Luc. 9, 50),* quamvis eum non sequeretur, quia hoc erat ad utilitatem aliorum; sic quia bonum illud gratiae gratis datae ordinatum est ad utilitatem communem, et quamvis non valeat accipienti, tamen valet aliis; ideo Dominus, qui in distributione sacramentorum utilitatem communem considerat, et suam institutionem non retractat, malis confert istam potentiam, qui ordinati sunt secundum Ecclesiae catholicae formam. Sic ergo quantum ad id, quod est de necessitate clavis, sive quantum ad esse, sive quantum ad executionem, cum nihil exigatur ad hoc nisi ordo et jurisdictio, et hoc dicit donum gratiae gratis datae, tam in bonis, quam in malis est." *4. dist. 19. a. 1. q. 2.*

[23] „In ordine sacerdotali clavium potestas confertur. Hujus autem ratio est institutio divina. Institutionis autem congruitatem videre possumus, quoniam harum clavium conservator habet officium mediatoris et officium reconciliatoris. Mediator autem est inter Deum et hominem, reconciliator vero reducendo ad Ecclesiam et reconciliando Ecclesiae. Ad hoc autem, ut possit esse mediator perfectus et competens inter Deum et hominem, oportet, quod posse habeat offerendi *dona et sacrificia pro peccatis (Hebr. 5, 1),* in quibus Deus placetur. Ad hoc, quod possit esse reconciliator, oportet, quod possit reducere ad corpus Christi mysticum, cujus caput est ipse Christus verus; et ut recta sit et ordinata potestas, oportet, quod habeat posse conficiendi sanctissimum corpus Christi. Hoc autem pertinet ad solos sacerdotes. Et ideo mirabilis Dei sapientia ordinatissimo modo ordinans ecclesiasticas potestates, hanc potestatem ligandi et solvendi solis sacerdotibus commisit: et ita in ordine sacerdotali dantur claves." *4. dist. 19. a. 2. q. 1.*

[24] „Cum triplex sit obstaculum ingrediendi in regnum, et triplex potestas illud removens; triplex est clavis spiritualis, differens secundum gradum et dignitatem. Obstaculum autem ingrediendi in caelum est debitum alicujus peccati. Hoc autem est triplex. Primum peccati mortalis commissi, et hoc est debitum aeterni supplicii. Hoc autem obstaculum solus Deus amovet, quia hoc removetur per culpae deletionem; et ideo potestas hoc removens est potestas divina, quae ab aliquibus dicitur clavis auctoritatis. Secundum obstaculum est debitum peccati contracti, et illud est debitum solutionis pretii, et hoc solvi potuit per eum, qui potuit satisfacere: talis autem fuit solus Christus, et ideo haec potestas removens illud obstaculum est solius Christi; et vocant eam aliqui clavem excellentiae. Tertium obstaculum est debitum peccati dimissi, quia postquam homini dimissa est culpa, adhuc est obligatus ad temporalem poenam, et hoc removeri potest per illum, qui potest peccati poenam taxare; et talis est minister Christi, non tantum Christus; et illa potestas est hominibus communicata, et vocatur ista potestas clavis ministerii. Cum igitur triplex sit potestas secundum triplex obstaculum, triplex est clavis. Prima, scilicet auctoritatis, a qua est; secunda, scilicet excellentiae, et haec est in solo Christo; et tertia est clavis ministerii, quae descendit a clave auctoritatis mediante clave excellentiae, et de hac dictum est Petro *(Matth. 16, 19): Tibi dabo claves regni caelorum."* *4. dist. 18. p. 1. a. 1. q. 1.*

[25] „Scientia non est clavis, secundum quod dicit habitum, sed in quantum dicit auctoritatem sive officium discernendi. Hoc autem officium, sive haec auctoritas, est consequens ordinem inseparabiliter. Et haec est clavis essentialiter . . . Et hanc tenent communiter doctores, hoc

addentes, quod scientia habitus est sicut dispositio faciens ad bene esse, vel etiam sicut dispositio materialis, sine qua altera clavis exire non potest in actum. Sicut enim lux visiva non est humidum crystallinum, tamen illud exigit ad suam operationem; sic ipsa auctoritas discernendi requirit habitum scientiae; et quanto melius habetur scientia, tanto meliori modo habetur clavis. Et ideo maluerunt Sancti hanc clavem vocare hoc nomine, quam alio." *4. dist. 18. p. 1. a. 3. q. 1.*

[26] „Habens clavem et potestatem clavis, mediator est Dei ad hominem, et hominis ad Deum. Unde per ipsum peccator ascendit ad Deum, et sic est sacerdos os peccatoris, sive loquens pro peccatore; et per ipsum descendit Deus ad hominem: et sic est sacerdos angelus Dei, immo os, eo quod ipse separat pretiosum a vili. Secundum quod ascendit, habet se per modum inferioris et supplicantis; secundum quod descendit, per modum superioris et judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, et ad hoc est idoneus; secundum secundum modum potest Ecclesiae reconciliare. Et ideo in hujus significatione in forma absolutionis praemittitur deprecatio per modum deprecativum, et subjungitur absolutio per modum judicativum; et deprecatio gratiam impetrat, sed absolutio praesupponit tantum. Nunquam enim sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret, quod esset absolutus a Deo. Si ergo quaeratur, utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam; dicendum, quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis, et illud signatum est in benedictione sacerdotum, sed per modum imperantis non. Quoniam ergo potestas sonat per modum activi et imperantis ex se; hinc est, quod potestas clavium, proprie loquendo, non se extendit supra culpam." *4. dist. 18. p. 1. a. 2. q. 1.*

[27] „In foro poenitentiali duo sunt quemadmodum in foro judiciali. In illo enim sunt duo isti actus, scilicet discernere causam, et postmodum sententiare; et isti sunt actus diversi: ad hoc quod plene committatur alicui auctoritas, necesse est utrumque committi, alioquin plenam non habet auctoritatem. Est tamen duplex auctoritas concurrens in unam plenam. Quod patet, quia eam contingit dividi." *4. dist. 18. p. 1. a. 3. q. 2.*

[28] „Dominus Jesus Christus, omnium creator et gubernator, sanctam Ecclesiam suam, ascensurus in caelum, Apostolis regendam et dilatandam commendavit, principaliter beato Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertio: *Pasce oves meas (Jo. 21, 17).* Sed ut ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam sancti Apostoli per Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, parochias et alias canonicas distinctiones, ut quia per unum vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congrue satisfieri, plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur; et secundum curae pastoralis amplitudinem etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis ecclesiasticae apud Sedem Apostolicam Romanae Ecclesiae, cui Apostolus Petrus princeps Apostolorum specialiter praesedit, et successoribus suis ibidem eamdem potestatem reliquit. Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiae contulit; et quod ubique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in sua speciali sede Romana; et quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in caelo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu fluit omnis gloria Sanctorum, licet eam differenter singuli participent pro captu suo. Praedicta vero distinctio ecclesiarum et parochiarum triplici de causa est instituta, scilicet propter rectorum sollicitudinem. Quod enim cuique specialius committitur, diligentius exequitur, nec exspectat, ut alter provideat his, qui suae sollicitudini specialiter sunt commissi. Item propter subditorum utilitatem, quia facilius reguntur, et singulis expeditius potest satisfieri, ut dictum est, per plures ministros quam per paucos, sicut Moyses solus, non valens onera multitudinis populi sustinere, partitus est tribunis, centurionibus, quinquagenariis ac decanis, ut majores majora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta sibi tamen plenitudine potestatis *(Exod. 18, 25—26)*, in typo futurae dispositionis Ecclesiae militantis. Item propter deprehendendas fraudes haereticorum, et latebras peccantium, ut quisque pastor super gregem suum vigilans, possit luporum deprehendere insidias, et errantium ovium absentiam cognoscere, et ad gregis unitatem, eas quaerendo, revocare." *Opusc. Quare Fratres Minores praedicent etc. in princ.*

[29] „Si loquamur de potentia solvendi, quantum ad essentiam, sic radicaliter est in ipsa anima, sicut et character, nec videtur ab illo differre, nisi secundum relationem quandam: et hoc modo inseparabiliter se tenet cum sacerdotali ordine. Alio modo possumus loqui quantum ad usum: et hoc modo necessario requiritur status viatoris et auctoritas jurisdictionis. Quod status viatoris requiratur, patet; quia sicut ratio merendi non competit caritati extra statum viae, sic nec potestas reconciliandi, et sacramenta exhibendi, sive administrandi, nisi in statu Ecclesiae militantis. Et sic per mortem dicitur potestas usum amittere in anima separata. Quod iterum requiratur jurisdictio, patet sic. Sacerdos enim est mediator, et in quantum mediator, inferior est Deo, et superior poenitente; et arbiter et judex homini constitutus loco Dei ad aperiendum, sive solvendum, et ad parcendum, sive puniendum. Talis autem judicatio non est sine aliqua jurisdictione in eum, qui judicatur, quia nemo potest aliquem judicare, nisi qui judex ejus constituitur ab eo, qui potest. Et ideo jurisdictio est tamquam vis motiva ipsius clavis, sive manus; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, nunquam aperiet: et si amittitur haec jurisdictio, cessat clavis executio . . . Superior enim potestas potest subditos eximere a potestate inferioris, et hanc auferendo, aufert jurisdictionem." *4. dist. 19. a. 2. q. 2.*

[30] „Sicut dicit Dionysius: Lex divinitatis est media per prima, et ultima per media perducere ad purgationem, illuminationem et perfectionem. Ideo, sicut videmus in omnibus, sive in rationabilibus, sive in naturalibus, sive in caelestibus, quod ad hoc, quod sit concordia et decor, oportet, quod sit ordo; sic intelligendum est et in spiritualibus potestatibus in ipsa Ecclesia. Unde legitur, quod *terribilis* est *ut castrorum acies ordinata (Cant. 6, 9).* Quo-

niam igitur ordo attenditur secundum praelationem et subjectionem, et praelatio attenditur secundum ascensum et descensum, non secundum aequalitatem; et in ascendendo ad superius est status et reductio ad unum, e contra in descendendo est multiplicatio; ideo secundum rectum ordinem Ecclesiae oportuit unum esse praelatum primum et supremum, in quo esset status omnis praelationis ecclesiasticae. Et quia in illo statu est tamquam in primo et simplicissimo in illo genere; ideo virtus in eo unita est, et solus est inter praelatos, qui habeat plenitudinem potestatis. Item quoniam per recessum ab una fit multiplicatio, et per hoc virtutis diminutio; ideo quanto praelati alii inferiores sunt, tanto plures sunt, et tanto minorem habent potestatem; ita quod status est in sacerdotibus parochialibus, qui immediate gerunt populi curam, et istorum jurisdictio arctata est ad portiunculam determinatam, et cuilibet commissa est sua portio secundum rectam ordinationem, et illa judicatur esse messis sua. Et quoniam non licet alii sacerdoti mittere manum vel falcem in alienam messem; ideo alius non habet potestatem ejus subditum absolvere, nisi sit superior, vel vicem habeat superioris, ut poenitentiarii Domini Papae, et poenitentiarii Episcopi, legati et privilegiati, qui faciunt hoc auctoritate superioris, sicut nuntius a principe procedens potest in omnes subditos aliis inferioribus. Haec autem intelligenda sunt secundum legem communem, quia in articulo necessitatis indulget rectitudo juris cuilibet sacerdoti quemlibet absolvere, si sit in Ecclesiae unitate." *4. dist. 19. a. 3. q. 1.*

[31] „Ut diligenti examinatione indiget, qui debet esse doctor in medicina corporum; ita multa consideratione opus est, si sit idoneus, qui debet esse doctor et medicus animarum, cum sint subtiliores et periculosiores et incurabiliores morbi peccatorum, quam passiones corporalium infirmitatum. Illi vero, qui se ad haec officia impudenter ingerunt, indignantes si ad ea tardius promoventur, quam sint imprudentes, perpendere nolunt aut nesciunt, et eo ipso se ad hoc ostendunt et reddunt indignos. Nam si digni fuerint et idonei, non deberent se ad hoc ingerere, sed modeste exspectare, quousque per inspirationem Dei a praelatis suis et fratribus ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni, vel nondum idonei, tunc si se ingerunt, primo quidem temerarii sunt, quod antequam vocentur, ad tantum officium currere praesumunt. Unde Jeremias *(23, 21): Ipsi currebant, cum ego non mitterem eos,* scilicet praedicare. Et Paulus *(Rom. 10, 15): Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* Idem alibi *(Hebr. 5, 4): Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron etc.* Et Christus dicit in Joanne *(8, 42): Neque enim a meipso veni, sed ille me misit,* scilicet Pater. Secundo superbi, quia seipsos reputant dignos et idoneos ad quod forte nec Deus, nec fratres, vel praelati sui judicant eos idoneos, sicut Core *(Num. 16, 1—2),* qui voluit sibi sacerdotium vindicare. Tertio stulti, quia cum talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam, noxiam libertatem et internae devotionis exstinctionem, et alia plura pericula, quod ipsimet se talibus incaute ingerunt, nimis stulte se tantis periculis sine necessitate exponunt, cum fugere magis deberent a periculo, quam illud appetere, nescientes quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quarto non carent rancore invidiae, vel contra eos, qui ad haec officia eos promovere possunt, et non faciunt, vel qui forte impediverunt, imputantes illorum malevolentiae magis quam suae insufficientiae, quod non promoventur; cum ipsi sibi videantur ad haec digniores quam illi, quos vident jam promotos esse, quibus in scientia et aliis se reputant aptiores." *Lib. Apolog. in eos, qui Ord. Fr. Minor. adversantur; resp. ad q. 4.*

[32] „Sacerdos est mediator, et in quantum mediator, inferior est Deo, et superior poenitente; et arbiter et judex homini constitutus loco Dei ad aperiendum, sive solvendum, et ad parcendum, sive puniendum; talis autem judicatio non est sine aliqua jurisdictione in eum, qui judicatur, quia nemo potest aliquem judicare, nisi qui judex ejus constituitur ab eo, qui potest*). Et ideo jurisdictio est tamquam vis motiva ipsius clavis, sive manus; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, numquam aperiet; et si amittitur haec jurisdictio, cessat clavis executio." *4. dist. 19. a. 2. q. 2.*

[33] „Si quis dicat eos (Fratres Mendicantes) a Papa et Episcopis non posse mitti, derogat Apostolicae auctoritati et potestati clavium in praelatis, et plenitudini potestatis in summo Pontifice, qui in terris (ut Scriptura asserit, fides sentit, jura testantur, rationes etiam irrefragabiles convincunt) caput unum et summum, et sponsus unicus, et hierarcha praecipuus, in quo etiam totus Ecclesiae militantis status, obtinet locum Christi. Ideo omne genu debet ei curvari et principum et praelatorum, et clericorum et laicorum et religiosorum in terris ad instar Christi in caelis, cui omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum." *De paupert. Christi, quaest. 1. art. 2. in fin.*

[34] „Quod in Ecclesia aliquis habeat potestatem, hoc est ab ipso Christo, qui potestatem contulit Apostolis, et praecipue ipsi Petro. Utramque enim Dominus ipsi Petro contulit potestatem, et ligandi et solvendi in foro poenitentiali, et ligandi et solvendi in foro judiciali. Prima potestas respicit ordinem, secunda praelationem. Unde secundum primam par potest assolvere parem, secundum secundam non potest par ligare parem, nec superiorem. Et hujus ratio est, quia illa est ordinis, haec autem praelationis, scilicet potestas excommunicandi. Prima potestas ligandi et solvendi in foro poenitentiali aditum caeli aperit, et ideo recte dicitur clavis. Secunda per censuram judicii subditos coërcet, et ideo dicitur gladius. Prima potestas est potestas arbitrandi inter Deum et hominem, secunda vero inter hominem et hominem; et ideo prima respicit ordinem, secunda praelationem. Prima potestas, quoniam collata est Petro, ut sacerdoti, descendit in omnes sacerdotes, quamvis non omnes habeant executionem. Secunda, quia collata est Petro, ut praelato, descendit in omnes personas ecclesiasticas, quae habent praelationem,

*) Sacerdotibus iter transmarinum suscepturis Ordinarii locorum, unde naves solvunt, possunt facultatem concedere excipiendi fidelium confessiones tempore navigationis. Id S. Officii Congregatio die 17. martii 1869 his verbis declaravit: „Posse sacerdotes iter arripientes ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, adprobari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium confessiones valide et licite accipere valeant, usquedum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit."

vel jurisdictionem. Unde qui habent jurisdictionem ordinariam in judicando aliquos, habent potestatem coërcendi eos per censuram ecclesiasticam, ut judicium eorum inviolabiliter observetur. Et quoniam jurisdictionem habent non solum habentes claves, sed etiam non habentes, habent, inquam, vel ex jure, vel ex consuetudine; ... ideo possunt excommunicare. Rursus, quia aliqui habent claves, qui non habent jurisdictionem in foro judiciali, ut simplices sacerdotes; ideo non possunt excommunicare nisi per commissionem, vel nisi in casibus determinatis ... Ergo ... haec potestas non sequitur praecise potestatem clavium." *4. dist. 18. p. 2. a. 1. q. 3.*

[35] „An aliquis debeat excommunicari pro damno, vel injuria illata Ecclesiae." — „Ratione videtur, quia gladius unicuique datur ad defensionem; sed potestas excommunicandi est gladius spiritualis; ergo potestate excommunicandi potest Ecclesia se defendere et contra damnum et contra injuriam. Item justum est unumquemque puniri in eo, in quo peccat; ergo si peccat in matrem Ecclesiam inferendo damnum et injuriam, justum est, ut perdat ejus beneficia et suffragia; sed hoc est excommunicari; ergo etc. Contra: Excommunicatio sive anathematizatio est maledictio; sed dicitur *(Rom. 12, 14): Benedicite maledicentibus vos; benedicite et nolite maledicere;* ergo maledicentibus vel malefacientibus non debet Ecclesia maledicere; ergo nec excommunicare. Item excommunicatio est beneficiorum subtractio; sed Deus non subtrahit misericordiam et beneficia ab iis, qui offendunt ipsum; ergo si praeceptum est ecclesiasticis viris, ut sint misericordes et perfecti sicut Pater caelestis, *qui facit solem oriri super bonos et malos,* sicut dicitur *(Matth. 5, 45);* ergo non debet Ecclesia hoc subtrahere propter damnum vel injuriam aliquam sibi factam. Item in excommunicationibus damnificatur homo in spiritualibus; sed improportionabiliter majus est damnum in spiritualibus quam in temporalibus; sed si quis incendit vel fregit ecclesiam, vel percussit clericum, vel aliquod tale, non damnificavit nisi in temporalibus; ergo cum non debeat infligi major poena, quam sit damnum, videtur quod propter hoc non debeat excommunicari. Item Ecclesia militans debet imitari triumphantem; sed dicitur in canonica Judae *(1, 9—10),* quod *cum Michaël altercaretur de corpore Moysi, non est ausus judicium inferre blasphemiae, sed dixit: Imperet tibi Dominus;* ergo videtur pari ratione, quod Ecclesia nullum altercantem cum ipsa debeat excommunicare, sive anathematizare." — „Excommunicari principaliter nemo potest nisi pro contumacia; licet pro damno et injuria, sed non principaliter." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod duplex est excommunicatio, sive excommunicandi modus, quaedam enim excommunicatio est a jure, quaedam a judice. Prima excommunicatio est praeservativa, secunda est curativa. Prima excommunicatio, etsi videatur ad conservandam libertatem ecclesiasticam, sicut secunda fieri videtur propter emendam; tamen prima principaliori modo fertur ad cavendam culpam, quia magna culpa est et multum gravis, quando quis peccat in Ecclesiam. Similiter secunda principaliori modo fit ad frangendam contumaciam, et ideo talis secundum formam juris nulli debet infligi nisi contumaci; et ideo debet monitio praemitti, ut sic de contumacia convincatur. Contumax autem dicitur, qui semel et bis monitus, tertio peremptorie citatus, non comparet; aut si comparet, non vult stare juri; vel quando offensa est manifesta, et jussus a judice non vult emendare; tali autem competit haec medicina ... Ex his patent rationes ad utramque partem. Concedo enim, quod pro damno vel injuria potest excommunicationis sententia dictari a judice, sed non principaliter propter hoc. Et similiter pro emenda potest ferri a judice, sed non principaliter propter hoc, sed propter contumaciam ... Rationes ad oppositum ostendunt, quod non principaliter pro damno, sed pro peccato. Unde Ecclesia maledicit et subtrahit beneficia ob meritum illius, non propter damnum suum; ob illius culpam, non propter vindictam. Si enim ille velit redire, et non posset emendare, statim Ecclesia parcet. Ad illud, quod objicitur, quod Ecclesia damnificat illum in spiritualibus, dicendum quod Ecclesia non damnificat, sed ille, qui peccat et est contumax, seipsum damnificat. Sed Ecclesia ostendit ipsum damnificatum, ut sic saltem malum suum erubescat et deserat: et si quodam modo magis damnificet, haec aggravatio damni ad utilitatem ipsius finaliter secundum intentionem Ecclesiae ordinatur. Ad illud, quod objicitur, quod Michaël non maledixit, dicendum quod diabolus est obstinatus in malo et incorrigibilis, et maledictio illata sibi non potest eum nec per se, nec per accidens ordinare ad benedictionem; et ideo nulla fuit utilitas in maledicendo diabolum. Sed dum Ecclesia maledicit subditum, facit ei confusionem pro peccato; et quia tali confusione potest a peccato resipiscere, ideo maledicit, ut postea benedicat, ideo ligat, ut absolvat; et ideo non est simile de hac maledictione et de illa." *4. dist. 18. p. 2. a. 1. q. 2. fund. concl. et ad 1—4.*

[36] „In divinis et ecclesiasticis judiciis, in quibus est instructio, curatio et correctio, duplex reperitur modus instruendi, et corrigendi, et etiam curandi. Quemadmodum igitur nolentibus acceptare rationem ostensivam fit argumentatio ducens ad impossibile; et morbis, qui non curantur per emplastrum, apponitur vulnus et cauterium; et invitis et incorrigibilibus fit curatio per flagellum; sic esse oportuit in Ecclesiae rectoribus. Et ideo Dominus institutor et fundator Ecclesiae eidem non tantum dedit medicamenta sacramentorum ad curandum accedentes, sed etiam gladium spiritus, quod est verbum Dei, et potestatem amputandi et resecandi contemptores et rebelles." *4. dist. 18. p. 2. a. 1. q. 1.* — „Excommunicatus bene potest iterum excommunicari, vel ejusdem excommunicationis iteratione, ad suam majorem confusionem, vel etiam alia propter novae culpae commissionem; et tunc tot erunt excommunicationes, quot causae principales, pro quibus excommunicatur. Sicut enim iteratur culpa, ita rationabiliter iterari potest et debet ipsa poena." *4. dist. 18. p. 2. q. 1. q. 4.*

[37] „Relaxationes possunt fieri super eos, qui sunt de Ecclesia militante, tam adjuvando quam judicando; super eos vero de statu medio, tantum adjuvando; sed super eos de Ecclesia triumphante, nullo modo." — „Relaxatio, sive indulgentiae collatio, duo dicit, scilicet thesauri Ecclesiae communicationem, et cum hoc quamdam judiciariam absolutionem ... Dico igitur, quod quia bona et thesaurus Ecclesiae est in Summi Pontificis potestate, et illi qui sunt in purgatorio, ratione caritatis idonei sunt spiritualia beneficia recipere, Papa potest eis bona Ecclesiae communicare.

Quantum autem ad auctoritatem judicandi, cum illi jam exierunt forum Ecclesiae et ecclesiasticum judicium, videtur, quod eis non possit fieri absolutio, nisi per modum deprecationis; et ita, proprie loquendo, non fit eis relaxatio. Sed si large dicatur relaxatio cujuscumque auxilii impensio, et bonorum Ecclesiae communicatio, sic potest eis relaxatio fieri; sed haec non tenet modum judicii, sed potius suffragii. Amplius, relaxatio propter dicta non tantum dicit judiciariam absolutionem, verum etiam dicit aliquam commutationem in poenam aliquam voluntarie assumptam et cum devotione; et hoc videmus in omnibus indulgentiis. Hoc autem non potest esse quantum ad eos, qui sunt in purgatorio, quia sunt extra statum illum, in quo posset eis persuaderi alicujus poenae devota et voluntaria assumptio; et ideo non competit eis relaxatio, nisi forte per medium, sive per accidens. Si quis enim vellet crucem pro mortuo patre assumere, non est aliqualiter negandum, quod si voluntas sit summi Pontificis, quin indulgentia illa prosit." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 5.* — „Sicut videmus in politiis et communitatibus humanis, quod thesaurus reipublicae propter duo maxime consuevit proferri, et communicari exterius; sic est in spiritualibus intelligendum. Profertur namque thesaurus extra ad dispergendum propter gloriam principis, sicut faciunt reges curiales, sicut fecit Assuerus *(Esth. 1, 4)*. Alio modo propter utilitatem communitatis, ut quando laeditur communitas, proferunt stipendia et donativa militibus, ut eant ad pugnam. Sic thesaurus Ecclesiae ab his, qui habent dispensare, duplici ex causa debet distribui. Una causa est propter gloriam principis, et laudem: et laus et honor Dei est in Sanctis suis; et Sancti honorantur in constructione basilicarum, et visitatione basilicarum, et commemoratione virtutum suarum; et idem fit in praedicationibus et sermonibus; ideo pro his omnibus indulgentiae recte fiunt. Alia causa est communis utilitas, quae quidam utilitas est defensio Terrae Sanctae, defensio fidei, promotio studii, et consimilia; et ideo pro talibus debent fieri. Et quoniam haec consistunt in actibus exterioribus; ideo maxime pro actibus exterioribus debent fieri indulgentiae." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 4.*

[38] „Relaxationes et indulgentiae fiunt de meritis supererogationis, quae sunt in Ecclesia, quae quidem sunt sicut thesaurus spiritualis ejus. Haec autem merita supererogationis non omnium est dispensare, sed Episcoporum tantum; et ideo relaxationes facere ad solos Episcopos pertinet. Ratio autem, quare thesaurus Ecclesiae solis Episcopis committitur dispensandus, est, quia Ecclesia thesaurum istum habet ex desponsatione sui cum Christo, qui est vir ejus et sponsus, et cui generat filios et filias, id est perfectos et imperfectos, ad quorum educationem Christus vult servari haec bona. Et quoniam in lege *(Ruth 4, 5)* tactum est, quod qui recipit uxorem fratris sui, ut suscitet fratri suo defuncto semen, debet succedere in bonis, quae pertinent ad filiorum educationem, secundum quod innuitur; illis solis competit iste thesaurus dispensandus, qui sunt sponsi Ecclesiae. Tales autem sunt Episcopi, qui sponsi sunt, et habent vim generandi filios et filias, id est perfectos et imperfectos. Et inter hos maxime Summus Pontifex, qui est totius universalis Ecclesiae sponsus et rector. Ideo omnes Episcopi, qui habent prolem, possunt facere indulgentias, et praecipue Summus Pontifex, qui est totius universalis Ecclesiae sponsus et rector, quia ipsi competit totius spiritualis thesauri dispensatio, secundum quod curam habet de tota Ecclesia et omnibus ejus filiis *). Unde omnes sunt ejus filii, et ipse est pater omnium. Concedendum igitur est, quod indulgentias facere non tantum non conceditur laicis, sed nec

*) Juverit hîc apponere Decretum S. Congregationis Indulgentiarum 12. januarii 1878, quod ita est: „Romani Pontifices in concedendis indulgentiis moderamen semper consueverunt observare, ne *per indiscretas et superfluas indulgentias et claves Ecclesiae contemnantur, et poenitentiae satisfactio enervetur (cap.* Ex eo *14 de poenit. et remiss.)*. Eodemque consilio ducti haud unquam omisere indulgentias, quas moderaminis fines excessisse perspexerunt, intra eosdem cohibere. Sacrosancta item Tridentina Synodus *(sess. 25, decr. de indulg.)* veteri et probatae Ecclesiae consuetudini inhaerens, moderationem in indulgentiarum concessione enixe inculcat, *ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur*. Abusus vero, qui in indulgentias irrepserint, *emendatos et correptos cupiens*, Episcopis mandat, ut eos Ecclesiae suae diligenter quisque colligat, et ad summum Romanum Pontificem deferat, *cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur*. Quae auctoritas a Romanis Pontificibus per Sacram Indulgentiarum Congregationem post ipsius institutionem solet exerceri. — Quare varii abusus, quos in nonnullis regionibus adversus adeo salutarem Ecclesiae disciplinam inolevisse compertum est, propositi fuerunt in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14. decembris 1877 sub forma sequentium dubiorum: — 1° Potestne Episcopus, vel alius quicumque praelatus, eidem actui pietatis, sive eidem pio sodalitio, cui a Romano Pontifice jam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adjungere? Potestne crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias? — 2° Potestne Episcopus fidelibus dioecesis non suae indulgentias concedere, si Ordinarius loci consentit? Potestne tolerari hujusmodi praxis, si nihil aliud intenditur, nisi ut per majorem numerum praelatorum indulgentias concedentium summa dierum indulgentiarum eidem actui devoto adnexam multiplicetur? — 3° Potestne Episcopus eidem rei, vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare? — 4° Potestne Episcopus in partibus infidelium, quamvis auxiliarius Ordinarii alicujus dioecesis, indulgentiam quadraginta dierum concedere sicut dioecesanus? — 5° Potestne Episcopus, quin limites sui juris excedat, ad augendas indulgentias, eumdem actum pietatis in partes dividere, et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere? — 6° Potestne Delegatus Apostolicus, virtute facultatum, quas a Summo Pontifice accepit, in concedendis indulgentiis concurrere cum uno vel altero Episcopis territorii delegationis suae, ut idem objectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet? — 7° Praelati, quibus privilegio apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debentne hac facultate uti per modum actus toties, quoties talis solemnitas occurrit; an vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum concurrentium, aut in perpetuum? — Sacra Congregatio respondendum duxit ut infra: Ad primum, negative, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur, ad secundum, negative ad utrumque; ad tertium, quartum et quintum, negative; ad sextum, consultius ut se abstineat; ad septimum, affirmative ad primam partem, negative ad secundam."

etiam sacerdotibus, nec praelatis inferioribus, ut abbatibus vel prioribus." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 3.*

[39] „Relaxatio plus dicit quam communicatio, dicit enim quamdam auctoritatem, ratione cujus dicitur isti indulgentiam praestare; et ideo, quamvis quilibet habens caritatem bona sua possit communicare, non tamen omnis potest relaxare, sed qui habet ad hoc concessam sibi auctoritatem. Item differt communicatio a relaxatione, quoniam relaxatio fit de praeteritis malis per merita Christi vel Ecclesiae, quae praecesserunt; communicatio autem proprie respicit futurum bonum, non solum praeteritum. Et quamvis possit dare alicui, quod jam non est datum, nec determinatum alicui, sicut unam Missam, quam cantat pro aliquo mortuo; tamen si cantavit eam pro suis peccatis, vel dedit alii, non potest sua auctoritate commutare. Hinc est quod, qui recipit relaxationes pro se, non potest dare alteri; quia si Ecclesia solvit debitum suum apud Deum, non propter hoc dedit potestatem, quod solveret ipse pro alio. Et si Deus dimisit isti debitum, non propter hoc potest iste dimittere alii, quod Deo debetur. Nec valet illud argumentum de communicatione naturali. Quia enim aliquis omnino liber est in possidendo temporalia, quicumque est liberae conditionis, et libere possidet, libere potest alteri dare; qui autem servus est, non potest sine auctoritate domini. Omnia autem nostra sunt Christi, et omnia merita sunt spiritualia, et nos sumus ejus servi; et ideo nihil possumus in alterum transferre vel dare, nisi sit data auctoritas a Christo." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 3 ad 3 et 4.* — „Poena satisfactionis potest commutari ratione unitatis caritatis quoad rationem pretii solvendi, non quoad illud, quod in se habet medicamenti." — „Poena satisfactoria habet in se duplicem rationem, sive virtutem; poena enim talis propter duo est maxime, et propter medicamentum contra sequelas peccati, et in pretium ad solvendum reatum peccati. Si ergo loquamur de ista poena, secundum quod est purgatoria, sive medicinalis, cum morbus non recipiat medicinam ex poena aliena, sed propria (unde non extinguitur concupiscentia in me, si tu jejunas pro me), quantum ad hanc rationem poena satisfactoria nec potest, nec debet commutari in aliam personam. Posset tamen commutari in poenam internam, quia gemitus cordis plus frequenter medetur et reparat animam, quam diuturnitas poenae exterioris. Si autem loquamur de poena, secundum quod habet rationem pretii, hoc modo est concedendum, quod potest commutari, quia potest unus pro alio solvere poenam. Sed haec commutatio debet fieri auctoritate sacerdotis, cujus est hîc duo considerare, scilicet debitam in subditis dispositionem, et debitam proportionem in poena. Debitam dispositionem voco, quod in uno sit sufficientia, et in alio indigentia, et in utroque sit caritas, quae facit bona communia. Si vero alterum horum desit, non fit commutatio recte. Debitam vero proportionem voco, ut minor poena in majorem commutetur, quia plus satisfacit Deo poena propria quam aliena, sicut efficacius homo meretur sibi quam alii. Unde sicut poena assumpta commutat in majorem poenam purgatoriam, eo quod multo minus est illa accepta, pro eo quod ista est voluntaria; similiter debet propria poena commutari in majorem alienam, ad hoc ut fiat commutatio recta." *Ibid. q. 1.* — „Poenae relaxatio fieri potest non modo in foro Ecclesiae, sed etiam in foro Dei, ita ut major taxetur in minorem, cujus residuum merita Ecclesiae satisfaciunt." — „Dicendum quod relaxationes fiunt et fieri possunt; sed qualiter possint fieri, diversimode nobis insinuant diversi. Quidam enim, distinguentes forum Dei et forum Ecclesiae, dixerunt hujusmodi relaxationes non fieri, nec intelligi quantum ad forum Dei, sed quantum ad forum Ecclesiae. Hoc autem sic intelligunt. Sacri canones pro mortalibus peccatis graves et diuturnas poenitentias taxant, ut pro uno mortali septennium, vel amplius, secundum quod gravius est; quae poena adeo gravis est, quod vix aut nunquam posset quis facere, et pauci invenirentur, qui vellent. Ideo constituerunt rectores Ecclesiae poenitentias secundum arbitrium imponi, et de residuo relaxationes constituerunt fieri; quod et facere potuerunt, quoniam constitutio humana erat, et in humana constitutione potest homo hîc dispensare et temperare, quae dispensatio quaedam relaxatio non indebite appellatur. Sed tamen ista opinio, etsi relaxationes videatur ponere, verius tamen interimit; quia si relaxant ita, quod Deus non relaxet, potius deceptio quam relaxatio vera judicanda est, et potius crudelitas quam pietas dici potest, dum minuendo hîc poenitentiam, in futuro ad graviora trahit supplicia. Ideo aliter dicendum, quod relaxatio illa non solum valet in foro Ecclesiae, verum etiam in foro Dei, quia Deus habet pro condonato, quod sic condonatur. Modus autem intelligendi, qualiter fieri possit, talis est. Praesupponendum quod bonum obtinemus ex triplici merito, scilicet ex merito proprio, et ex merito capitis, et ex merito ecclesiasticae unitatis. Et quod ita sit, in se manifestum est, quia quilibet meretur sibi per gratiam, quam habet. Quod Christus meruit nobis, nemo dubitat, nisi qui fide caret. Quod Ecclesia mereatur nobis, et ejus merita, patet per verbum Augustini . . . Nemo potest digne poenitere, quem non sustineat unitas Ecclesiae . . . Per hunc modum sicut meritum obtinendi est triplex, sic meritum liberandi a malo. Meritum scilicet proprium, et hoc est meritum nostrae contritionis; et per hoc meremur liberari a poena aeterna, ita quod simul sunt haec duo, sicut in angelis, gratia et gloria. Secundo modo meritum Christi, et hoc operatur in sacramentis, et potestate clavium; et per hoc remittitur pars poenae. Tertio modo est meritum unitatis ecclesiasticae; et per illud adhuc fit remissio. Et sic secundum triplex meritum triplex fit poenae condonatio, ut sic currat misericordia cum justitia; et in qualibet est commutatio majoris in minus. Unde poena aeterna primo mutatur in temporalem in remissione culpae; secundo temporalis magna et supra vires in poenam competentem viribus commutatur in sacerdotis absolutione; tertio vero commutatur poena, ad quam tenetur judicio Ecclesiae, adhuc in minorem in relaxatione, et pro alio residuo merita Ecclesiae satisfaciunt, ita quod in nullo praejudicatur justitiae." *Ibid. q. 2.* — „Communiter secundum doctores, ad hoc quod indulgentiae, vel relaxationes, aliquid valeant, exigitur duplex conditio ex parte donantis, et duplex ex parte recipientis. Ex parte dantis requiritur potentia, requiritur etiam honesta et rationabilis causa. Non enim credenda esset indulgentia veri valoris, si quis daret eam euntibus videre torneamenta. Ex parte recipientis duplex, scilicet confessio cum vera

contritione*), et fides cum vera devotione, ut vere de peccatis sit poenitens, et vere confidens, quod pastoris indulgentia sibi valeat." *Ibid. q. 6. in concl.* — „In relaxatione, ad hoc quod fiat, consideranda est in eo, qui facit, potentia, ut sit talis, qui supra jus possit, et non sit illi juri subjectus: et in eo, cui fit, sit causa idonea, scilicet necessitas, vel utilitas; alioquin non dispensatio, sed dissipatio debet dici . . . Dispensatio est juris relaxatio, facta cum causae cognitione ab eo, qui habet jus dispensandi. Unde dispensare dicitur, quasi diversa pensare; et ideo in eis, quae statum Ecclesiae decolorant, dispensandum non est, et cum eis, qui nituntur jus infringere: et hoc est, quando multis conceditur, quod paucis esset concedendum; et quando sic accipitur, ut non sit sibi de gratia, sed tamquam si esset de jure communi." *4. dist. 19. dub. 6.*

[40] „Potestas quadruplex reperitur in ministris Ecclesiae. Quaedam namque est fundata super ordinem principaliter, ut potestas conficiendi. Quaedam super jurisdictionem canonicam principaliter, ut potestas excommunicandi. Quaedam super ordinem et eminentiam, ut potestas ordinandi. Quaedam super ordinem et jurisdictionem, ut potestas absolvendi et ligandi in foro poenitentiali. Et quoniam character auferri non potest; ideo potestas, quae consequitur characterem, de facto auferri non potest. Sed quoniam jurisdictio descendit ordinate a superiori ad inferius, ita quod plenitudo ejus est in summo Pontifice; ideo potest auferre eam, et potestatem, quae consequitur ipsam. Unde potest excommunicando auferre potestatem absolvendi et excommunicandi, sed non ordinandi . . . Quod objicitur, quod in summo Pontifice est plenitudo potestatis, verum est, secundum quod potestas consequitur jurisdictionem, quae maxima et in termino est in eo; sed non in quantum sequitur characterem, quia ille immediate a Deo imprimitur, et est in omnibus aequalis; tamen executio omnis potestatis debet fieri secundum ejus regimen; et ideo, si ipse prohibeat, non potest talis potestas licite exire in actum. Tamen quia ab ipso non dependet secundum rem, de facto facit sicut et alius." *4. dist. 25. a. 1. q. 2. et ad 3.*

[41] „Ecclesia judicat illos, quos aliquando regeneravit unda baptismatis, alios vero minime propter hoc, quod aliquo modo non sunt facti de Ecclesia." *4. dist. 47. dub. 1.*

[42] „Dicuntur illi, qui praesunt pure in spiritualibus, Dominationes; quia verum dominium est, quando superantur vitia, ac virtuosa opera in regno animae, sive Ecclesiae, dominantur. Non autem possunt exstirpari mala, ut bona efficaciter dominentur, nisi per praelatorum ministerium, quibus caelitus collata est auctoritas, ut per ipsorum officium et sacramentorum mysterium evacuentur vitia, et mores in hominibus corrigantur; et sic subditorum mentes per morum disciplinam ad deiformem similitudinem reformentur. Et ideo apud praelatos animarum istius Dominationis auctoritas a Domino est relicta, ut, ipsis cooperantibus, peccati servitus penitus auferatur, et vera libertas spiritus electis mentibus per ipsorum ministerium conferatur. Unde dicitur in libro Sapientiae *(Sap. 9, 2—3): In sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae tuae, quae a te facta est, ut disponas orbem terrae in aequitate, et in directione cordis, et in justitia etc.;* quasi dicat, ideo dominium hominis super hominem contulisti, ut cor aversi hominis per injustitiam, mediante justitia, ad Deum iterato dirigatur. Recognoscant igitur pontifices Christi ac sacerdotes, quod a Dominatore universae terrae receperunt supremum dominium, et a diebus saeculi non solum hominibus, imo et angelicis spiritibus penitus inauditum . . . Patet igitur, quod dignitas clericalis, quae in sua radice considerata, est penitus spiritualis, merito est consona ordini Dominationis, quae sic praecedit alios inferiores ordines, quod illos illuminat, perficit et purgat, et tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur. Quia sicut spiritus dignitate et officio praecellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est quam saecularis; et ideo bene sortitur nomen Dominationis. Unde regalis potestas subjacet potestati et auctoritati spirituali, sicut in prima canonica Petri *(2, 9)* dicitur: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium etc.* Nam temporale regnum velut quoddam adjectum subjacet sacerdotio in novo Testamento, sed in veteri Testamento sacerdotium subfuit regno. Unde dicitur in Exodo *(19, 5—6): Elegi vos in populum peculiarem, in sacerdotale regnum etc.*, ubi regnum ponitur substantive, sed sacerdotium adjective; et ideo reges tunc poterant amovere ab officio summos sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar *(3. Reg. 2, 27).* Jam vero possunt sacerdotes et pontifices ex causa amovere reges, et deponere imperatores, sicut saepius accidit, et visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, et reipublicae necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas, non a rege, non a principe saeculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur; *spiritualis* enim homo *judicat omnia, et a nemine*, nisi a solo Deo, *judicatur (1. Cor. 2, 15)."* *De Eccles. Hierarch. part. 2. cap. 1.*

*) Abs re non erit hîc referre declarationem S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, datam sub die 17. decembris 1870, quae ita est: „Juxta Apostolicae Sedis praxim in plenariae indulgentiae concessionibus apponitur clausula: *Christifideles, qui vere poenitentes, confessi, sacraque communione refecti etc.* Haec clausula juxta declarationem aliâs datam exprimit conditionem, ita ut confessio inter opera injuncta recensenda sit, et nemo indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, nisi sacramentalem confessionem faciat, et cetera injuncta opera adimpleat. Jam vero in indultis, quibus partiales indulgentiae conceduntur, nulla mentio fit de sacramentali confessione, sed adhibetur clausula, *corde saltem contrito.* Hinc apud nonnullos quaestio orta est, an praescripta contritio requiratur dumtaxat uti mera dispositio, nempe ut quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi: vel potius clausula illa *corde saltem contrito,* inducat veram conditionem; scilicet tamquam pars operis injuncti contritio ipsa habenda sit, ita ut ad indulgentiam lucrandam etiam ab iis actus contritionis emittendus sit, qui in statu gratiae et caritatis reperiantur . . . Sacra Congregatio, re sedulo diligenterque perpensa, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet: *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam."*

CAPUT XI.

De integritate unctionis extremae.

(Sacramentum extremae unctionis cur institutum; — ejus efficacia; — ejus materia est oleum simplex et consecratum; — ejus forma est per verbum deprecativum; — fit per inunctionem infirmi in septem partibus determinatis; — non datur nisi adultis, petentibus et in periculo constitutis, — et a solis sacerdotibus: — in multis differt a sacramento confirmationis.)

De sacramento extremae unctionis hoc in summa tenendum est, quod ipsa est sacramentum exeuntium ex hac vita, praeparans et disponens ad sanitatem perfectam. Valet etiam ad delenda venialia, et ad recuperandam sanitatem praesentem, si infirmo expediat. Ad hujus autem [a] sacramenti integritatem requiritur oleum simplex, sed consecratum (I), vocalis expressio orationum [b], inunctio infirmi in septem partibus determinatis, scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus et lumbis. Nec debet illud sacramentum dari nisi adultis, et postulantibus, imminente periculo mortis, et hoc per manum [c] et ministerium sacerdotis. Ex quo colligitur, quod inter hoc sacramentum et confirmationem est differentia septiformis, scilicet in efficacia, in materia, in forma, in suscipiente, in dante, in loco et in tempore (II).

a) Autem om. ed. 1484.

b) Verborum et orationum ibid.

c) Manus ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, nos reparat, in quantum *mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (1. Tim. 2, 5);* et [d] in quantum Jesus, habet salvare, in quantum autem Christus unctus, habet unctionis gratiam in alios derivare *(Hebr. 1, 9).* Hinc est, quod ipsius est in sacramentis suis unctionem membris suis tribuere salutarem. Quoniam autem anima, ad hoc quod perfecte sanetur, indiget triplici genere sanitatis, scilicet ad strenuitatem actionis, ad suavitatem contemplationis et ad felicitatem comprehensionis; et prima est intrantium in aciem Ecclesiae, secunda est praesidentium in eadem, quorum est alios erudire, et tertia est exeuntium de eadem per mortem; hinc est, quod non solum unctionem sacramentalem instituit Dominus in confirmatione, verum etiam mediam in ordine pontificali, et extremam [e] imminente periculo mortis.

d) Et om. ibid.

e) Extremam unctionem ibid.

(I) Paulus V die 13. januarii an. 1611 propositionem sequentem, „quod nempe sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit,“ temerariam et errori proximam declaravit. Idipsum declaravit Gregorius XVI die 14. septembris an. 1842. Ex delegatione tamen Rom. Pontificis etiam simplex sacerdos potest facere hanc benedictionem, ut eruitur ex Instructione Clementis VIII 31. augusti an. 1595 super aliquibus ritibus Graecorum, quam Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis*, § 4 confirmavit. Cfr. eumdem Benedictum XIV *de Synod. dioec. l. 8. c. 1. n. 4.*

(II) Sacramentum fictitium, histrionicamque hypocrisim passim Protestantes, duce Calvino, extremam unctionem vocarunt. Basnagius vero et Launojus ipsam ab omnibus indiscriminatim conferri posse autumarunt. Contra eos autem Conc. Trid. *sess. 14. can. 1:* „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.“ Et *can. 2:* „Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.“ Et *can. 3:* „Si quis dixerit extremae unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiae beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.“ Et *can. 4:* „Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.“

Quoniam ergo finis imponit necessitatem his, quae sunt ad finem; hinc est, quod secundum exigentiam hujus finis debet hoc sacramentum operari, debet etiam integrari, suscipi et dispensari. Primum igitur, quia hujus sacramenti operatio debet regulari a fine, et finis est, quia introductum est ad salutem felicitatis perpetuae facilius et expe-

f) Expedientius ibid. ditius [f] consequendam, et hoc fit per devotionem sursum levantem, et per exonerationem a culpis venialibus et aliis sequelis, quae deorsum deprimunt; hinc est, quod sa-

g) Et om. ibid. cramentum istud efficaciam habet et [g] ad devotionem excitandam, et ad venialia dimit-

h) Pluribus ibid. tenda, et ad peccatorum scoriam facilius abolendam [1]. Et quia plurimis [h] infirmis expedit adhuc vivere ad suorum cumulum meritorum; hinc est, quod sacramentum istud et animam vigorando in bono, et exonerando a malo, frequenter etiam alleviat a morbo [2].

i) Hoc ibid. Et hinc [i] est, quod dicit B. Jacobus *(5, 15)*, quod *oratio fidei salvabit infirmum; et, si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

Rursus, quia hujus sacramenti institutio debet esse secundum exigentiam finis, et

j) Ita ibid. et editt Arg. Aug. Ven.: haec ed. Rom. male. hic [j] est acquisitio spiritualis salutis per remissionem culparum, et haec salus respicit sanitatem et munditiam conscientiae interioris, secundum quam judicat ille judex caelestis; hinc est, quod in isto sacramento debet esse oleum simplex et consecratum [3], quia

k) In hoc ed. 1484. sanctitatem et nitorem designat in [k] habitaculo conscientiae [4]. Quia vero super istam [l]

l) Illam ibid. salutem mortalis homo non habet potestatem; hinc est, quod oratio et forma vocalis [5] exprimitur per verbum deprecativum, ad impetrandum gratiae donum [6]. Et quoniam anima infirmitates spirituales contrahit in corpore secundum quatuor virtutes ipsius cor-

m) Et interpretativam ibid. poris regitivas, scilicet sensitivam, interpretativam [m], generativam et progressivam; hinc

n) Ungenda ibid. est, quod membra his virtutibus deservientia sunt inungenda [n] [7]. Quia igitur quinque sunt membra deservientia quinque sensibus, scilicet oculi visui, aures auditui, nares olfactui, manus tactui, et os gustui et etiam alii virtuti, scilicet interpretativae, et pedes deserviunt progressui, et lumbi generationi, quia genitalia indignum et pudendum est contrectari et etiam nominari; hinc est, quod inunctio debet fieri in septem locis praedictis [8], ut sic disponatur homo per hoc sacramentum ad plenitudinem sanitatis per deletionem omnis venialis peccati.

Postremo, quia istius sacramenti susceptio a fine dependet, et finis est velocior transitus ad caelum per depositionem omnium venialium, et conversionem mentis ad Deum; ideo non debet dari nisi adultis, qui venialiter peccant, nec aliquibus nisi petentibus, qui devotione sursum eriguntur, nec aliquibus nisi in periculo constitutis, et quasi in transitu ad alium statum [9]. Et quia hoc sacramentum est periclitantium [10], et

o) Pro et tamen ibid. leg. tamen [o] habet materiam sacram, scilicet oleum consecratum; hinc est, quod propter periculum evitandum communiter committi debet sacerdotibus, et propter consecrationem olei non est nisi a consecratis manibus contrectandum [11].

p) Secundum variationem ibid Ex variatione [p] igitur finis in confirmatione et unctione extrema oritur diversitas in efficacia, in materia et in forma, in loco et in tempore, in suscipiente et in dispensante. In efficacia, quia illud sacramentum disponit ad melius agonizandum, hoc ad celerius evolandum. In materia, quia illud in oleo permixto balsamo, hoc vero in oleo puro. In forma, quia illud in indicativa, hoc vero in deprecativa. In loco, quia illud in fronte, hoc vero in multiplici parte. In tempore, quia illud in sanitate, hoc vero in

q) Hoc non nisi ibid. aegritudine. In suscipiente, quia illud non solum adultis, verum etiam parvulis, hoc vero [q]

tantum adultis. In dante, quia illud ab episcopis, hoc autem a sacerdotibus quibuscumque *). Et haec omnis diversitas a fine procedit, quia, sicut claruit, diversitas in finibus proximis diversitatem introducit in his, quae ad fines illos habent finaliter ordinari.

(*) In Ecclesia Graeca viget alicubi consuetudo, ut per plures presbyteros hoc sacramentum administretur. Hanc autem consuetudinem tolerandam censuit Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis* 26. maji 1742 pro Italo-Graecis, *§ 5* dicens: „Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi hujusmodi viget consuetudo; dummodo credant et asserant illud sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno presbytero valide et licite confici."

Ad Caput XI.

[1] „Dicitur in institutione istius sacramenti: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei (Jac. 5, 15);* ergo istud sacramentum est ordinatum contra aliquem morbum peccati... Et cum non sit contra originale, nec contra mortale, relinquitur, quod sit contra peccatum veniale ... Sed notandum, quod de veniali peccato est loqui dupliciter, aut prout est quis in statu viae, aut prout est quis in egressu. Si prout est in statu viae, sive in itinere; sic morbus venialis est quasi inseparabilis, vel quadam necessitate iterabilis, et per hoc quodam modo incurabilis; et ideo non debuit contra ipsum aliqua medicina specialiter et principaliter ordinari; imo quodam modo omnia sacramenta valent ad ejus curationem secundum plus aut minus. Si autem loquamur, prout anima est in statu egrediendi, sic possunt curari sine iteratione. Et sic cum anima possit trahere talia cremabilia, quae retraherent a gloria, instituit divina misericordia remedium, quod anima curari posset quantum ad remissionem culpae, et etiam partis poenae; et hoc est sacramentum unctionis extremae. Modus autem curandi veniale peccatum in hoc sacramento correspondet modo infirmitatis. Veniale autem peccatum gravat animam deprimendo deorsum, ut non ita intendat in Deum per devotionem et amorem, pro eo quod est ibi conversio inordinata ad commutabile bonum, et pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit Augustinus in libro Confessionum. Et ideo cum curatio directe sit per contrarium, per illud curatur, quod animam aggravatam per devotionem sursum elevat. Et quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam (Sap. 9, 15);* cum illud sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quemdam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima, et per consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animae; hinc est, quod istud sacramentum principaliter est ad curationem et alleviationem infirmitatis spiritualis, scilicet peccati venialis, et per accidens est ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis *), quodam modo ad vigorandam animam, quae regit corpus. Et sic patet, quid sit in hoc sacramento res tantum, quid signum, et quid res et signum. Signum tantum est unctio exterior, res tantum est venialis curatio, res et signum, in ipsa anima devotionis excitatio, quae non est aliud quam quaedam spiritualis unctio." *4. dist. 23. a. 1. q. 1.*

[2] „Quod non sit ad morbum corporalem curandum per se, videtur. Quia sacramenta novae legis in digne suscipientibus efficiunt quod signant; si ergo viri sancti digne suscipiunt sacramenta; ergo haberet unctio semper in eis efficaciam sanandi; ergo viri sancti nunquam morerentur ... Ad illud quod objicitur, quod non valet principaliter, dicendum, quod verum est: et hoc innuit ipsa forma orationis, in qua non fit mentio nisi de remissione peccatorum. Si objicitur, quod nullo modo debet valere a simili, quia corporalis medicina non sanat spiritualem morbum; dicendum quod non est simile, quia spiritus continet corpus. Unde passiones animae spirituales multum redundant in carnem; unde Sapientia dicit *(Prov. 17, 22):* Spiritus tristis exsiccat ossa. Ideo non mirum, si tranquilletur anima et vigoretur et laetificetur, si etiam hoc redundat ad corpus. Et sic hoc sacramentum respectum habet ad corpus relevandum propter alleviationem spiritus. Ad illud, quod quaeritur, per quam naturam hoc facit; dicendum quod per virtutem supra naturam. Sed illa operatur secundum divinam institutionem, quae noluit per hoc sacramentum prodere secretum fidei, et ita nec secundum legem communem ab infirmitatibus incurabilibus liberare. Et iterum in hoc sacramento aliquid est naturale, aliquid supra naturam. Effectus namque, qui est in spiritu, est supra naturam; sed quod ille redundet in carnem, illud naturale est, secundum quod in Psalmo *(62, 2)* dicit homo devotus: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea;* et iterum alibi *(Ps. 27, 7): Refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei."* *4. dist. 23. a. 1. q. 1. ad 5—6.*

[3] „Si oportet sacramentum unctionis fieri de oleo consecrato, quaero cui competat nomen vel ratio sacramenti, an oleo, an unctioni. — Dicendum quod oleum consecratum, proprie loquendo, non est sacramentum, sed ad sacramentum ordinatum. Et ratio hujus est, quia non habet nec perfectam significationem, nec sanctificationem, quousque applicetur infirmo, et superveniat sacerdotalis oratio; tunc enim significatur gratia ejus inungens, et tunc est

*) Concilium Tridentinum, de effectibus hujus sacramenti disserens *sess. 14. c. 2,* ait: „Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, (infirmus) consequitur." Idcirco, monet Benedictus XIV *in cit. op. de Syn. dioec. l. 8. c. 7. n. 2,* „ad inungendum infirmum exspectanda non est ultima hujus vitae periodus, qua extremum agat spiritum; hunc enim effectum non operatur sacramentum per modum miraculi, quod in illis circumstantiis esset necessarium, sed virtute quadam, supernaturali quidem, sed quodam modo ordinaria, quae causas naturales adjuvat."

primo sacramentum, et non ante. Et ideo non est simile de corpore Domini, ubi in prima sanctificatione fit conversio, et post non additur uberior interior sanctificatio, quae novam introducat virtutem." *4. dist. 23. a. 1. q. 3. ad 5.*

[4] „Sicut aqua in baptismo est elementum, sic in confirmatione chrisma, et in unctione oleum consecratum ab Episcopo . . . A parte finis sumitur ratio, quoniam hîc datur gratia sanans languores spirituales, et datur gratia ordinans ad sanitatem perfectam, quae quidem est gloriae; ideo debet signari per oleum, quod est curativum, ratione curationis, et per oleum consecratum, ratione ordinationis ad supereminentem curationem, et per oleum simplex, non permixtum, quia ad ingressum in gloriam requiritur et sufficit bona conscientia." *4. dist. 23. a. 1. q. 3.*

[5] „Omnia sacramenta, quae habent formam, eamdem debent habere per totam Ecclesiam catholicam, quia variatio formae est variatio sacramenti, et sacramentum debet esse uniforme sicut fides et Ecclesia. Sed hoc sacramentum non habet eamdem formam, nam in Ecclesia Gregoriana est haec forma: Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid oculorum vitio deliquisti. In Ambrosiana est haec: Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates; vel similis huic. Ergo non videtur, quod aliqua forma sit substantialis. — Dicendum, quod secundum id, quod est necessarium et essentiale sacramento, eamdem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris." *4. dist. 23. a. 1. q. 4 ad 2.*

[6] „Extremae unctionis forma est oratio deprecativa, et hoc ex principali institutione, multiplici congruentia ordinata." — „Aliqui voluerunt dicere, quod istud sacramentum non habebat formam verbi essentialem, sed quae solum erat de bene esse; et ideo non fuit expressa, nec in Ecclesia invenitur unica, sed diversa. Sed tamen istud non est securum dicere, nec secundum textum Scripturae, cum in istius sacramenti institutione maximam vim videatur Jacobus in oratione instituere, et sibi totam efficaciam attribuere, cum dicit: *Oratio fidei salvabit (5, 15),* non dicit unctio. Oratio autem fidei dicitur non ipsius inungentis, sed ipsius Ecclesiae, in cujus fide administrantur sacramenta. Sicut ergo in aliis sacramentis non sufficit corde credere, nisi fiat professio in verbo exteriori; sic intelligendum est hîc, quod non sufficit oratio mentalis sine vocali. Et ideo forma verbi est de integritate sacramenti, forma, inquam, verbi, secundum quod est expressiva orationis fidei. Et hoc propter talem institutionem istius sacramenti. Unde nota, quod est forma verbi, quae exprimit actum et intentionem; et talis est per modum indicativum, et non est de sacramenti necessitate, sed congruitate; et haec in aliquibus Ecclesiis habetur, sed non in Romana, quae maxime vitat ea, quae possunt esse occasio deviandi. Et est forma, quae exprimit orationem; et quoniam oratio est per modum deprecativum, talis forma est deprecativa: et haec est de necessitate sacramenti hujus, et habetur in omnibus Ecclesiis, quoniam haec tangitur in institutione hujus sacramenti. Et quoniam non exprimitur verbum determinatum, sed solum oratio fidei; ideo non oportet, quod sit uniformitas in verbo orationis, sed solum quod sit in sensu. Si quaeras, quare in isto sacramento potius est oratio de essentia quam in alio, respondeo, quod ratio principalis est institutio. Si autem quaeras rationem institutionis, dici potest, quod haec habet rationem congruitatis multiplicem. Prima est ex parte suscipientis, qui propter infirmitatem est destitutus; ideo oratione est relevandus. Secunda est ex parte modi curandi, qui est per devotionem et elevationem animae ad spiritualia; et quia quod super omnia excitat animam ad hoc, est oratio; ideo etc. Tertia ratio est ex parte morbi, quoniam hîc fit remissio peccati, interveniente ministerio sacerdotis: et quoniam in remissione culpae sacerdos non se habet nisi per modum deprecantis, unde et in absolutione sua utitur oratione deprecativa; . . . hinc est, quod optime institutum fuit unctionem non fieri sine oratione, cujus expressio est forma sacramenti." *4. dist. 23. a. 1. q. 4.*

[7] „Illae partes non inunguntur nisi prout concurrunt in unum, cui deserviunt, et secundum cujus nutum moventur. Et ideo, quia unctio est in his secundum unam naturam, et per comparationem ad unum; ideo unum est sacramentum" *). *Ibid. ad 3.*

[8] „Etsi anima secundum essentiam sit in qualibet parte corporis tota, et secundum potentiam intellectivam partem determinatam corporis non concernat; tamen secundum potentiam sensitivam et operativam determinat sibi aliquas partes corporis organizatas, in quibus delectatur, et secundum quarum delectationes diversa incurrit peccata." *4. dist. 23. a. 2. q. 3 ad 3.*

[9] „Hoc sacramentum est principaliter ad venialia delenda, secundum quod possunt convenientem recipere effectum; et per hoc est in alleviationem animae aggravatae a corpore corruptionem habente. Et ideo istud sacramentum debet dari solis infirmis, qui peccare potuerunt venialiter **), et his, prout sunt in articulo mortis, sic enim

*) Receptissima fuit apud Scholasticos, quibus plurimi ex recentioribus etiam subscripsere theologi, opinio omnes sensuum unctiones pertinere ad substantiam et integritatem sacramenti, ita ut ex singulis, tamquam ex suis partibus essentialibus, constituatur atque integretur. Alii ex adverso validum censent extremae unctionis sacramentum, si vel una tantum inungatur corporis pars, unica prolata forma universali, omnes sensus complectente. Porro etsi de hac quaestione, quae sane gravissima est, nulla hactenus ab Apostolica Sede prodierit sententia; secundae tamen opinioni „validissimum fundamentum, ait Benedictus XIV *De Syn. dioec. l. 7. c. 3. nn. 3. 4,* praebet diversa in unctionum numero disciplina, quam in diversis Ecclesiis sua aetate viguisse affirmat Albertus Magnus . . . Tanta autem in unctionum numero difformitas non fuisset singularum Ecclesiarum arbitrio permissa, si certum earumdem numerum sacramenti validitas exposceret. Majus adhuc argumentum huic eidem opinioni suppeditant recentiora peculiarium Ecclesiarum ritualia, unicam unctionem fieri permittentia, si omnes perfici nequeant."

**) In sententia igitur Seraphici beatissimam Virginem extrema unctione caruisse est inferendum. Non omnibus tamen theologis haec sententia arridet. Audiatur Benedictus XIV *de Syn. dioec. l. 8, c. 6. n. 3.* „Quod speciatim attinet, ait, ad beatissimam Virginem, res valde dubia et controversa est, an ea, utpote omnis peccati expers, fuerit capax et particeps sacramenti extremae unctionis. Affirmant S. Antoninus *3. part. tit. 14, cap. 8 et 13,* Canisius *l. 1. de beat. Virg. c. 9,* Henriquez

possunt a culpa veniali liberari convenienter et sufficienter. Et hoc invenitur in ipso textu, status, inquam, infirmitatis; et hoc est quod dicitur: *Infirmatur:* periculum in hoc, quod dicitur: *Quis,* quasi discretive et notabiliter et graviter, ita quod deficit virtus naturae et auxilium medicinae. Discretio vero rationis in hoc, quod dicitur: *Induc presbyteros;* et iterum in hoc, quod subinfert: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Concedendae igitur sunt rationes monstrantes hoc sacramentum dari debere solis infirmis, ratione utentibus, et in periculo mortis existentibus. ... Ad illud quod objicitur de his, qui intrant justum bellum, dicendum quod, etsi tales sint in periculo mortis secundum fortunam, non tamen secundum naturam. Sacramenta autem ecclesiastica non fortunam sequuntur, sed naturam respiciunt. Si tu objicias de illo, qui damnatus est per sententiam, dicendum quod talis infamis est in facie Ecclesiae, etiam si secundum veritatem non habeat culpam ... Ad illud quod objicitur, quod alii indigent alleviatione, dicendum quod ad hoc principaliter sacramentum istud non ordinatur, sicut patet in ipsa forma, sed ad peccatorum remissionem, quae per sensus exteriores perpetrata sunt; et ideo non datur infantibus, nec naturaliter stultis." *4. dist. 23. a. 2. q. 2. concl. et ad 2—3.*

[10] „Istud sacramentum et debet et potest iterari. Si autem quaeratur ratio hujus, dicendum est, quod generalis ratio, quare sacramentum non debeat iterari, est, quia effectus ejus est perpetuus, qui non iteratur. Unde characteris impressio non est generalis ratio, sed potius effectus perpetuatio. Unde ex quo panis semel consecratus est, non debet amplius consecrari, quamvis non imprimatur ibi character; et similiter oleum benedictum non debet amplius benedici, sive consecratum non debet amplius consecrari. Quoniam igitur in unctione extrema non imprimitur character, nec datur effectus perpetuus, maxime si homo ab infirmitate resurgat*); ideo secunda operatio sacramenti necessaria est. Et ideo iterari potest et debet medicina absque aliqua contumelia ipsius sacramenti." *4. dist. 23. a. 2. q. 4.*

[11] „Hujus sacramenti dispensatio ex officio spectat ad sacerdotes; et illud confirmat auctoritas et ratio, quia dicitur: *Inducat presbyteros etc., et orent super eum.* Ratio, quia cum hujus sacramenti materia sit oleum consecratum, non debet administrari, nec contingi nisi ab eo, qui habet manus consecratas, et talis est sacerdos; ideo non se extendit ad omnes. Nec ad solos Episcopos, quia cum hoc sit sacramentum periclitantium, qui non possunt adire praelatos, sed magis e converso, oporteret multos perire, si a solis Episcopis dari deberet. Ideo disposuit Spiritus sanctus, quod *unguentum* non solum esset *in capite,* vel in barba Aaron, sed etiam descenderet usque *in oram vestimenti (Ps. 132, 2),* scilicet usque ad inferiores sacerdotes. Nec solum sumitur ratio a parte unctionis, verum etiam a parte orationis. Quoniam enim officium mediationis sacerdotibus competit, sicut competit offerre dona et sacrificia pro peccatis *(Hebr. 5, 1),* nec solis Episcopis nec etiam laicis; sic etiam dispensatio hujus sacramenti, cujus efficacia principaliter consistit in oratione fidei, cujus est sacerdos minister de ratione sui officii." *Ibid. q. 1.*

---

de sacram. l. 3. c. 11. n. 7, et Suarez *disp. 42, sect. 2. n. 8;* quia habebat potentiam, quam vocant *antecedentem,* ad peccandum, etsi ob singularem Dei erga ipsam providentiam illa potentia nunquam proditura erat in actum: eo plane modo, quo dicimus, nunquam fore, ut praedestinatus ex hac vita decedat cum lethalis culpae reatu. Contra Victoria *in Summ. n. 222,* Vasquez *in 3. p. disp. 119. c. 8,* et Tannerus *tom. 4. disp. 7. q. 1. dub. 3,* beatissimam Virginem extremae unctionis incapacem pronunciant; licet enim, inquit Tannerus, absolute loquendo, potuerit peccare, attamen ex privilegio, non utcumque eidem concesso, sed veluti consentaneo, et quasi debito excellentiae et dignitati, qua praestabat, divinae maternitatis, fuit ab omni peccato praeservanda; ac proinde non potuit ullo pacto eidem aptari extremae unctionis forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti etc.*"

*) Labente saeculo undecimo et ineunte decimo secundo, illicitam nonnulli reputabant hujus sacramenti iterationem; alii eam nonnisi post triennium a die, quo semel inunctus aliquis fuerat, permitti posse arbitrabantur; alii denique censebant non licere ipsum repetere intra ejusdem anni spatium, etiamsi jam semel inunctus in periculosum morbum iterato incidisset. Verum has omnes opiniones paucos nactas fuisse fautores ex eo conjici potest, quod sententia jamdiu praevaluerat, usuque communi recepta atque approbata fuerat, quam hîc loci Seraphicus tenet, et omnes Scholastici docuerunt, quamque Concilium Tridentinum *sess. 14, cap. 3* infallibili auctoritate confirmavit his verbis: „Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint." An autem durante eadem infirmitate iterari valeat, Benedictus XIV *de Syn. diœc. l. 8. c. 8. n. 4* haec habet: „Si post susceptam extremam unctionem morbus ita remittat, ut aegrotus mortis periculum evasisse videatur, sed, antequam convalescat, iterum in vitae discrimen relabatur, etiam juxta praesentem disciplinam poterit absque scrupulo denuo sacra unctione muniri."

CAPUT XII.

De integritate ordinis.

(In sacramento ordinis spiritualis potestas traditur. — Ordinem praecedunt tonsura et psalmistatus. — Septiformis est ordinis gradus usque ad sacerdotium, — in quo est status ordinum. — Huic sacramento, praeter potestatem simplicem, competit etiam potestas excellens, — cujus est ordines dispensare, — quaeque quanto magis ascendit, tanto magis unitur, — et in uno Pontifice summo terminatur, — a quo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae membra; — et ideo hoc sacramentum dispensandum est cum magna discretione et solemnitate.)

De sacramento ordinis haec in summa tenenda sunt, quod ordo est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato. Licet autem ordo sit unum de

a) Est om. ed. 1484.

b) Subdiaconibus . . . diaconibus ibid.

c) Sub om. ibid.

d) Conservata, ibid.

septem sacramentis, septiformis tamen est ordinis gradus. Primus est [a] in ostiariis, secundus in lectoribus, tertius in exorcistis, quartus in acolythis *), quintus in subdiaconis [b], sextus in diaconis, septimus in sacerdotibus. His autem quasi per modum cujusdam praeparatorii supponitur clericalis tonsura et etiam psalmistatus, per modum autem complementi superponitur Episcopatus, Patriarchatus et etiam Papatus [1]; a quibus manant ordines, et dispensari debent sub [c] debitis signis, tam ex parte visus, quam ex parte auditus, solemnitate debita nihilominus observata [d], quantum ad tempus, locum, officium et personam.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, ut Deus et homo, sacramentorum medicamenta ad salutem hominum instituit ordinate, discrete et potestative, secundum exigentiam suae bonitatis, sapientiae et virtutis; hinc est, quod ipsa medicamenta sacramentorum commisit hominibus dispensanda non qualitercumque, sed eo modo, quo exigebat ordo, discretio et potestas. Oportuit ergo aliquas personas ad hujusmodi officium exequendum distingui et segregari, quibus ordinario jure potestas hujusmodi committeretur (I).

(I) Quod ad sacramentum ordinis attinet, impugnata passim fuere a Protestantibus et a Jansenistis respective ejus institutio, naturaque, numerus insuper ordinum et hierarchia ecclesiastica, quae ex ipso sacramento constituitur. Protestantes enim, Wicleffi renovantes figmenta, quum cuilibet christiano baptizato sacerdotalem dignitatem, auctoritatemque tribuant sacra ministeria peragendi, intulerunt sacerdotium immerito inter sacramenta recenseri, utpote quod nihil aliud sit quam externa quaedam aliquorum deputatio ad sacra ministeria obeunda, et praecipue ad munus praedicationis exercendum, a populo ejusque auctoritate, delegata. Quum proinde haec deputatio sit ab ipso populo, ab eoque possit pro suo libitu revocari, sequitur primo distinctionem hierarchiae ecclesiasticae a laicatu a jure humano esse desumendam; secundo, nullam dari distinctionem inter Episcopos, presbyteros et ministros; tertio, posse sacerdotem per revocationem deputationis iterum laicum effici. Praeterea, si in ordinatione non est ratio sacramenti, ideo neque in ea datur Spiritus sanctus, neque per eam imprimitur character, neque ad eam opus est sacra unctione, nec varii ordines, quibus veluti per gradus ad sacerdotium ascendendum sit, praerequiruntur, quos omnes errores Protestantes explicite professi sunt. Concilium vero Tridentinum *sess. 23* eos anathemate perculsit sequentibus canonibus. *Can. 1:* „Si quis dixerit, non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.“ — *Can. 2:* „Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.“ — *Can. 3:* „Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit.“ — *Can. 4:* „Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere: *Accipe Spiritum sanctum;* aut per eam non imprimi

*) In Ecclesia Graeca ex quatuor minoribus ordinibus unus lectoratus confertur, ceteros „vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis ordinibus esse adnexum, iidem Graeci affirmant.“ Ita Benedictus XIV in Const. *Etsi pastoralis* 26. maji 1742, pro Italo-graecis, *§ 7,* qui ibidem ad controversias de medio penitus tollendas, quae oriri solebant quoad dubitationes, quinam nimirum ordines essent supplendi ab eo, qui primum ritu graeco aliquibus ordinibus initiatus, deinde ritu latino ad reliquos esset promovendus, ita decrevit: „Si quis ritu graeco clericus et lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut majores ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is antequam subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero, praeter lectoris ordinem, ad subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, et ex dispensatione item apostolica facultas sibi facta sit ceteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per subdiaconatum, graeco ritu collatum, acolythatum et ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus ordinibus diaconatum, aut etiam presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum presbyteratus respective ordinem, aut episcopatum, promovendus sit ex apostolica concessione: nimirum exorcistatus ordinem in ipso, antequam presbyter ordinetur, aut episcopus consecretur, esse supplendum.“

Et quia hujusmodi discretio non debuit fieri, nisi per signa sacra, cujusmodi sunt sacramenta; hinc est, quod debuit esse aliquod sacramentum, quod esset sacrum signa-

characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit." — *Can. 5:* „Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias; anathema sit." — *Can. 6:* „Si quis dixerit, in Ecclesia non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit." — *Can. 7:* „Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit." — *Can. 8:* „Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit."

Protestantibus autem, saltem ex parte, affines sunt Richeriani et Jansenistae, qui licet divino jure hierarchiam ecclesiasticam a laicatu distinctam fateantur; attamen, quoad hierarchiam ordinis, et ipsi quatuor ordines minores contemptibiles esse, dignosque qui ab Ecclesia abolerentur, docent; quoad vero hierarchiam jurisdictionis, communitati fidelium omnem potestatem Christum contulisse autumant, a qua communitate derivanda in singulos ministros erat. Quibus innixum principiis, Conciliabulum Pistoriense Ecclesiam *collegium aequalium*, Episcopos *primos inter pares,* Romanum Pontificem *caput ministeriale* appellavit, cui proinde primatum jurisdictionis prorsus denegavit. Ex his patet, Jansenistas hierarchiam jurisdictionis funditus evertere, quam etiam Gallicani infirmarunt, qui concilium Summo Pontifici praestare contenderunt. Porro contra Jansenistas, praeter citatos canones Tridentini, est proscriptio Synodi Pistoriensis facta a Pio VI per Bullam *Auctorem fidei* sub die 28. augusti 1794. Inter ceteras referenda hîc est censura propositionis secundae, quae ita est: Propositio „quae statuit potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicetur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum, sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, haeretica est." Propositio quoque tertia ejusdem Synodi damnata fuit his verbis: „De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua veluti Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia; haeretica. — Contra eosdem sunt etiam Canones Concilii Vaticani, *Constit. dogm. 1.*" — 1° „Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit." 2° „Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit." 3° „Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit." — Contra Gallicanos idem Concil. Vatican. *Const. cit. c. 4:* „Docemus, et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit." — „Nihil autem est manifestius in sacris litteris et in sanctorum Patrum scriptis, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus, quam ea quae de suprema Romani Pontificis potestate Oecumenicum Concilium Vaticanum decrevit atque sancivit, renovando atque uberius declarando, prout recentiores errores postulabant, Oecumenicae Synodi Florentinae eadem super re definitionem, videlicet: Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum; et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli,

culum, ordinativum, distinctivum et[e] potestativum ad sacramenta cetera dispensanda modo distinctivo, potestativo et ordinativo. Et ideo ordo definitur signaculum quoddam,

e) Et om. ibid.

quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore: hanc autem esse catholicae veritatis doctrinam, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest . . . Habes hinc quid Christus Dominus circa hierarchicum Ecclesiae regimen et ordinationem ipse constituerit. Episcoporum vero (quibus jure divino communis dignitas est) distinctio et discretio potestatis jure ecclesiastico invecta fuit, „ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluceret, et nihil usquam a suo capite dissideret *(S. Leo Pp. ad Anastas. Thessalon. ep. 14).*“ „Ab ipso enim quasi quodam capite dona sua voluit Dominus in corpus omne manare *(Id. ad Hilar. Arelat. ep. 10);*“ et revera ab eo ejusve successoribus majores Sedes habuere quidquid rite obtinent honoris et potestatis. Quoniam autem beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet *(S. Petr. Chrysol. ep. ad Eutych. inter Op. S. Leon. Pp.),* praestat quaerentibus fidei veritatem, ejusque dignitas in successoribus non deficit, vides horum esse et debitum et jus ea de praemissis decernere, quae Ecclesiae bonum ac utilitas et vera animarum salus, quae suprema lex est, pro diversis temporibus ac locorum adjunctis, in Domino suggesserint.“ *Epist.* Pii Pp. IX *ad Patriarcham Babylon. Chaldaeor.* 16 nov. 1872.

Huc etiam referendi sunt errores tum de Ecclesia ejusque juribus, tum de societate civili, sive in se, sive in suis ad Ecclesiam relationibus spectata; tum denique de civili Romani Pontificis principatu, quos omnes Pius IX in Syllabo proscripsit. Porro errores de Ecclesia ejusque juribus ibidem damnati sunt: — „19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis; sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat. — 20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu. — 21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem. — 22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. — 23. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt. — 24. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. — 25. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio, vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea cum libuerit a civili imperio. — 26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi. — 27. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi. — 28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Literas promulgare. — 29. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae. — 30. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. — 31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede. — 32. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. — 33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicaram rerum doctrinam. — 34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero, et agenti in universa Ecclesia, doctrina est, quae medio aevo praevaluit. — 35. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri. — 36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest. — 37. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae. — 38. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.“

Errores de societate civili: — 39. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. — 40. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur. — 41. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitae, competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus, quod vocant *Exequatur;* sed etiam jus *appellationis,*

in quo spiritualis potestas traditur ordinato; ita quod simul in ejus notificatione clauduntur tria praedicta, ex quibus colligi possunt in summa, quae ad integritatem ordinis

quam nuncupant, *ab abusu*. — 42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet. — 43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata)* super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante. — 44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. — 45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu, aut approbatione magistrorum. — 46. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. — 47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim. — 48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. — 49. Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent. — 50. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Literas accipiant. — 51. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quae Episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem. — 52. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione; omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota noncupanda admittant. — 53. Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere, ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias, perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare. — 54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. — 55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est."

Errores de civili Romani Pontificis principatu: 75. „De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii. — 76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret." — Quo autem in consiliis impiorum haec abrogatio tendat, et quaenam sit libertas ac felicitas servata Ecclesiae civili principatu destitutae, in patulo apud omnes est, praesertim „ex quo invasores civilis Nostri principatus, ut ait S. P. Pius IX in Allocutione ad Cardinales die 12. martii an. 1877 habita, omnibus divinis ac humanis juribus proculcatis . . . vi atque armis . . . hanc sanctam Civitatem expugnavere, ac tantae iniquitatis opere Ecclesiam universam luctu ac dolore compleverunt." Siquidem, ipse prosequitur, „simulatae atque infidae promissiones, quas iis funestis diebus ipsi super rebus nostris Guberniis exteris obtulere, declarantes se velle obsequium et honorem reddere libertati Ecclesiae, et liberam ac plenam esse velle Romani Pontificis potestatem, efficere non potuerunt, ut Nos, vana spe illecti, non penitus praeciperemus animo quae luctuosa ac misera Nos sub eorum dominatione manerent; quia probe conscii consiliorum impiorum, quae propria sunt hominum, quos novarum rerum studia et sceleratum foedus consociat, aperte praenunciavimus eam sacrilegam invasionem non tantum spectare ad civilem Nostrum principatum opprimendum, quantum ad destruendas facilius, temporali Nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad evertendam sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam, licet immerentes, gerimus in terris, omnino labefactandam." — Rationem autem, cur civilis principatus Romanae Ecclesiae, divino sane consilio, adjectus fuerit, et quare Summi Pontifices contra illius violatores et usurpatores ipsum asserere ac vindicare nunquam praetermiserint, S. P. Leo XIII fel. reg. gravissimis hisce verbis ad scriptores omnium catholicarum ephemeridum Romam conventos, die 22. fe-

f) Et om. ibid. exiguntur. Primum igitur, quoniam ordo est signaculum distinctivum et [f] sequestrativum ab omni populo, ut quis totaliter divino sit cultui mancipatus; ideo ordines praecedit distinctio quaedam in tonsura et corona [2], per quam intelligitur appetituum temg) Superna ibid. poralium resecatio [3], et mentis elevatio ad aeterna [4 g)], ut totus ostendatur clericus depu-

bruarii anni praeterlapsi 1879 habitis, luculentissime ostendit. „Interest quam maxime, ne qua errandi relinquatur occasio, rursus in catholicorum mentem reducere, supremam Ecclesiae potestatem, quae Petro ejusque successoribus divinitus collata est, ut universam Christi familiam in fide contineret, et ad aeternam caelestis regni beatitudinem adduceret, ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare: ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam providissimo Dei consilio factum esse, ut post periculosa primae aetatis discrimina, civilis principatus Romanae Ecclesiae adjiceretur, eidemque longo saeculorum tractu inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur. Hac autem ratione, sane gravissima, non regni ambitu, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices, quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae jura sarta tecta servare et pro viribus tueri: Nosque ipsi, Praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem jura asserere et vindicare non praetermisimus, nec unquam praetermittemus. Quapropter vos, filii dilectissimi, qui Petri Cathedrae maxime addicti, ad Sedis Apostolicae causam defendendam paratissimos vos exhibetis, unanimes et alacres, voce ac scriptis, imperii necessitatem ad liberum spiritualis potestatis exercitium propugnare ne desinatis; atque historia duce ostendite, illud imperium tam legitimo jure fuisse constitutum ac perdurasse, ut aliud in humanis rebus majus vel aequale nemo praetendat. Si quis autem, ut vobis multorum invidiam conciliet, civilem Ecclesiae Romanae principatum cum Italorum fortuna et regnorum prosperitate componi non posse dictitaverit, contra objicite, nihil a Romanis Pontificibus, si imperio potiantur, nihil a Catholica Ecclesia, si libertate fruatur, populorum saluti et incolumitati esse timendum. Non enim Ecclesia seditiosas commovet turbas, sed continet potius et componit; non simultates aut odia fovet, sed caritate restinguit; non imperandi libidinem aut superbiam acuit, sed potius supremi judicii severitate et caelestis regis temperat exemplo; non civilis societatis jura invadit, sed firmat; non regnorum dominium affectat, sed apostolici magisterii munere sibi divinitus demandato religiose perfungens, ea principia integra servat, quibus omnis ordo nititur, et ex quibus pax, honestas et omnis civilis cultus efflorescit."

Hîc loci indicandi denique sunt novissimi illi haeretici, „qui se *Veteres-catholicos* dicunt per ejusmodi nominis abusionem, quae ridicula plane foret, nisi tot errores monstruosi istius sectae adversus praecipua catholicae fidei principia, tot sacrilegia in re divina conficienda et in sacramentorum administratione, tot gravissima scandala, tanta demum animarum Christi sanguine redemptarum pernicies vim lacrymarum potius ab oculis exprimerent. Et sane quid moliantur ac spectent miserrimi isti perditionis filii, luculenter patet, tum ex aliis eorum scriptis, tum maxime ex impio illo et impudentissimo quod nuper ab eo vulgatum fuit, quem ipsi modo pseudoepiscopum sibi constituerunt. Quandoquidem inficiantur ac pervertunt veram jurisdictionis potestatem in Romano Pontifice et Episcopis beati Petri et Apostolorum successoribus, eamque ad plebem, seu, ut aiunt, ad communitatem transferunt; rejiciunt praefracte et oppugnant magisterium infallibile cum Romani Pontificis, tum totius Ecclesiae docentis; et adversus Spiritum sanctum a Christo promissum Ecclesiae, ut in ea maneret in aeternum, ausu incredibili affirmant, Romanum Pontificem, nec non universos Episcopos, sacerdotes et populos, unitate fidei et communionis cum eo conjunctos, in haeresim incidisse, quum definitiones oecumenici Concilii Vaticani sanxerunt et professi sunt. Eapropter denegant etiam indefectibilitatem Ecclesiae, blasphemantes ipsam in toto periisse mundo, proindeque visibile ejus Caput et Episcopos defecisse: ex quo sibi ferunt necessitatem impositam legitimi episcopatus instaurandi in suo pseudo-episcopo, qui non per ostium, sed aliunde ascendens, uti fur et latro, in suum ipse caput Christi damnationem convertit. Nihilo secius infelices isti, qui catholicae religionis fundamenta suffodiunt, qui notas ejus omnes et proprietates evertunt, qui tam foedos et multiplices commenti sunt errores, seu potius depromptos e veteri haereticorum penu et simul collectos in medio protulerunt, minime erubescunt se catholicos dicere, et *veteres-catholicos,* dum doctrina, novitate et numero suo utramque a se vetustatis et catholicitatis notam quam maxime abjudicant ... Sed homines isti per iniquitatis et perditionis viam audacius progressi, uti justo Dei judicio haereticorum sectis usuvenit, hierarchiam quoque sibi fingere voluerunt, sicuti innuimus, ac notorium quemdam a catholica fide apostatam, Josephum Hubertum Reinkens pseudoepiscopum sibi elegerunt et constituerunt; atque ut nihil impudentiae deesset, pro consecratione ejus ad illos confugerunt Ultrajectenses Jansenianos, quos ipsi, antequam ab Ecclesia desciscerent, haereticos et schismaticos ducebant una cum ceteris catholicis." *Epist. Encyc.* Pii Papae IX, 21 nov. 1873.

tatus esse ad divinum cultum[5]; et ideo dicit[h] in susceptione coronae: *Dominus pars haereditatis meae (Psalm. 15, 5)*[6]. Et quia talis debet esse instructus in divinis laudibus, quae maxime consistunt in psalmis; ideo psalmistatus, tanquam praeambulans, ceteros[i] ordines antecedit[j], quem tamen largo modo Isidorus inter ordines numeravit *(lib. 2. de eccl. offic. c. 12)*[7]. Secundo vero, quia ordo est signaculum ordinativum[8], et in seipso etiam est ordinatum, et ordo consistit in graduum disparitate et distinctione completa[9], secundum quod exigit septiformis gratia[10], ad cujus dispensationem sacramentum ordinis principaliter ordinatur[11]; hinc est, quod septem sunt ordines gradatim ordinati usque ad sacerdotium[12], in quo status est ordinum[13], quia ipsius est consecrare sacramentum corporis Christi, in quo est plenitudo omnium gratiarum; unde alii sex sunt tanquam subministrativi, et quasi gradus quidam, per quos ascenditur ad thronum[k] Salomonis[14]. Qui et sex sunt propter numeri perfectionem, quia senarius est primus numerus perfectus[15 l]; et propter hoc, quod[m] sic exigit perfectio et sufficientia officii ministrandi[16]. Nam oportet aliquos ministrare quasi a remotiori, aliquos a propinquiori, et aliquos a[n] proximo, ut nihil desit in[o] ministerio ordinato. Et quia quodlibet istorum[p] ministeriorum geminatur secundum actum purgandi et illuminandi et perficiendi[q]; hinc est, quod sex sunt ordines ministeriales, et septimus[r] omnium perfectissimus[17], in quo altaris conficitur sacramentum, qui consummatur in ordine uno, tanquam in termino ultimo et completo[18].

h) Dicitur ibid.

i) Alios ibid.
j) Praecedit ibid.

k) Gradum ibid.

l) Perfectionis ibid.

m) Quod om. ibid.

n) De ibid.
o) In add. ibid. et editt. Arg. Nor. Ven.

p) Horum ed. 1484.

q) Et perficiendi add. ibid.

r) Est add. ibid.

Postremo, quia ordo est signaculum potestativum, non tantum respectu aliorum sacramentorum dispensandorum, verum etiam respectu sui[19], et potestas super potestatem est potestas excellens[20]; ideo sibi non tantum competit potestas simplex, cujusmodi est in ordine simplici, verum etiam eminentia potestatis, cujusmodi est in his, quorum est ordines ordinarie[s] dispensare. Et quia excellentia quanto magis descendit, tanto magis dilatatur, et quanto magis ascendit, tanto magis unitur[21]; hinc est, quod plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchae, et unus pater patrum[22] (II), qui Papa merito appellatur, tanquam unus primus[23] (III) et summus pater spiritualis omnium

s) Ita ibid. et editt. Arg. Aug.; ordinate ed. Ven. ordinare et Ven. ordinare et disp. ed. Rom.

(II) S. Doctor in enumerandis praerogativis, quibus Romanus Pontifex pollet, eundem omnino servat ordinem, quem in dogmatica Constitutione de Ecclesia Concilium Vaticanum tenuit, ita ut ipsa veluti amplius commentarium videatur doctrinae hîc loci a nostro Seraphico summatim traditae. Supervacaneum igitur nemo dixerit, si praefatam Constitutionem ad textum declarandum hîc supposuimus. — „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem, non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui crediturі erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt (*Joan. 17, 11*). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre *(Joan. 17, 18)*: ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurgeret *(S. Leo M. serm. IV. cap. 2. in die Natal.)*." *Conc. Vatic. in Const.* Pastor aeternus, *in principio.*

(III) Innocentius X die 29. januarii an. 1647 propositionem hanc, quae est Antonii Arnaldi: „S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiae principes, qui unicum efficiunt; vel: sunt duo Ecclesiae catholicae coryphaei ac supremi duces, summa inter se unitate conjuncti; vel: sunt geminus universalis Ecclesiae vertex, qui in unum divinissime coaluerunt; vel: sunt duo Ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput

t) Ita. Ed. Ven. et 1484.

patrum (IV), imo pastor t) omnium fidelium [24] (V), et hierarcha praecipuus [25], sponsus unicus, caput indivisum (VI), Pontifex summus [26], Christi vicarius (VII), fons et origo [27], regula cunctorum principatuum ecclesiasticorum [28] (VIII), a quo tanquam a summo deri-

constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis Ecclesiae," haereticam censuit et declaravit.

(IV) „Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat *(Joan. 1, 42): Tu vocaberis Cephas,* postquam ille suam edidit confessionem, inquiens *(Matth. 16, 16): Tu es Christus, Filius Dei vivi,* solemnibus his verbis allocutus est Dominus *(Ib. 16, 17—19): Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis."* *Concil. Vatic. in cit. Const.* Pastor aeternus, *cap. 1.*

(V) „Uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens *(Jo. 21, 15—17): Pasce agnos meos; pasce oves meas.* Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum prae ceteris Apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiae ministro, delatam fuisse." *Conc. Vat. ibid.*

(VI) „Quod autem in beato Petro Apostolo princeps pastorum et pastor magnus ovium, Dominus Christus Jesus, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id, eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolus, princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet, et judicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus, in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent." *Conc. Vatic. ibid. cap. 2.*

(VII) „Credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem infallibilem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur." *Conc. Vatic. ibid. cap. 3.*

(VIII) „Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse; erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Tantum autem abest, ut haec summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni *(epist. ad Eulog. Alexandrin. l. 8. ep. 30):* Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum

vatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiae membra[29] (IX), secundum quod exigit praecellens dignitas u) in ecclesiastica hierarchia[30] (X).

u) Dignitas Ecclesiae ed. 1484.

Et quia haec dignitas praecipue manet in ordine, ideo hoc sacramentum non debet dispensari nisi cum magna discretione et solemnitate; ac per hoc non a quolibet[31], nec cuilibet[32], nec in quolibet loco, nec quolibet tempore[33], sed personis literatis[34], honestis[35] et a cunctis irregularitatibus alienis[36], jejuno stomacho, loco sacro, tempore missae **). Et temporibus ab ecclesiastico jure statutis debent hujusmodi ordines dispensari, et hoc ab Episcopis, quibus propter sui eminentiam reservatur dispensatio ordinum, confirmatio per impositionem manuum, consecratio monialium[37] et abbatum, et dedicatio ecclesiarum ***), quae propter sui celebritatem non debent dispensari nisi ab his, qui habent praeeminentiam potestatis[38].

meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur." *Concil. Vatic. ibid.*

(IX) „Ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam, jus eidem esse consequitur in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnata et reprobata est sententia illorum, qui supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestate obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur." *Concil. Vatic. ibid.*

(X) „Et quoniam divino apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praecst, definitum est etiam et declaratum, eum esse judicem supremum fidelium *(Pii VI Breve* Super soliditate, *28. nov. 1786),* et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri *(Concil. Oecum. Lugdun. II);* Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio *(Ep. S. Nicolai I ad Michaël. Imperat.).* Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium, tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem, appellare ... Ipso autem apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tamquam Petri principis Apostolorum successor, in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea in primis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat, declaraverunt." *Concil. Vatic. ibid. cap. 3 et 4.*

**) Ordines minores intra Missarum solemnia conferri quidem congruit; sacros vero ex gravi praecepto omnino oportet. Horum tamen collatio, quamvis illicita, valida foret, prout iterato summi Pontifices deciderunt. Vide Benedictum XIV *de Syn. dioec. l. 8. c. 11. n. 5—7.*

***) Ex privilegio apostolico etiamsi quis episcopali charactere non sit insignitus, ecclesias potest consecrare; et historia ecclesiastica nos docet Romanos Pontifices hujusmodi privilegio abbates celebriorum monasteriorum aliquando donasse. „Par enim, ita Benedictus XIV in *Epist. prima ad Abbat. Campidon.,* quae legitur in *Appendice vol. IV* ejus Bullarii, Nobis visa est, cum ad sacramenti confirmationis, tum ad ecclesiarum dedicationis ministrum designandum, causa et exemplum. Enimvero, quamvis sacramenti confirmationis administratio ita soli conveniat episcopo, ut nullus antistes simplicem sacerdotem, qui baptizatos confirmet, possit delegare; multis tamen Praedecessorum Nostrorum exemplis docemur, ejusmodi munus sacerdotibus et praecipuis quibusdam abbatibus, esto nullo charactere episcopali insignitis, fuisse collatum; modo extraordinarius confirmationis minister oleo, cui episcopus pridem benedixit, utatur ... Haud dissimili dispensatione ecclesias consecrandi privilegium, quod alioquin nulli convenit, nisi episcopali dignitate praefulgeat, apostolicae auctoritatis limites non excedit, quamvis nulli episcoporum jus sit simplicem sacerdotem ad id muneris designare."

Ad Caput XII.

[1] „Necessarius est ordo in Ecclesia duplici ratione, scilicet propter pulcritudinem et propter rectitudinem. Cum enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset ordo, manifesta appareret confusio: et haec est multitudinis foedatio. Unde omnis sapiens, qui eo ipso quod sapiens est, pulcritudinis est amator, non producit multa sine ordine: et inter haec maxime apparet sapientia Dei, quae inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ecclesiae. Necessarius est etiam ordo propter rectitudinem. Nam multitudo, cum in statu est, in quo deviare potest,

errat, si non habet ducem, nec rectorem, sicut dicitur: *Vidi cunctum Israël dispersum in montibus, sicut oves non habentes pastorem (3. Reg. 22, 17).* Quoniam ergo multitudo Ecclesiae est in statu, in quo potest deviare, indiget capite et regimine; et cum unus non possit omnibus sufficere, nec ad omnia, ideo oportet secundum plus et minus ecclesiastica officia et potestates distribuere, ut Ecclesia regatur et dirigatur sine errore." *4. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 1.*

[2] „In sacramento ordinis datur potestas ad istud nobile officium exequendum. Et quoniam haec omnibus non datur, nec omnibus dari debet; ideo oportet personas hoc officium suscipientes primo consignari, et hoc signaculo, quod ostendat distinctionem, et quod etiam sit in eruditionem. Nullum autem ita conveniens est, ut tonsura cum corona. Primo ratione situs, quia in superexcellenti parte debet hoc signaculum poni, ut significetur officium nobilitatis, ad quod parati sunt. Secundo vero, quia tonsura inferior cum rasura superiori circularem figuram faciunt in capillatura; et ita appellari potest corona, quae signat eos parari ad regale sacerdotium, secundum illud: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium (1. Petr. 2, 9);* ideo signaculum regale rectissime eis competit ad distinguendum. Competit nihilominus ad erudiendum; et in hoc, quia in talis signaculi collatione est superfluitatis amotio, et summitatis capitis denudatio, et figurae orbicularis impressio. In primo instruuntur clerici, quid sit vitandum, quoniam superfluitas terreneitatis, secundum illud Apostoli *(1. Tim. 6, 8): Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Unde et in hoc signatur, quod debent esse succincti lumbos mentis. In secundo instruuntur, quantum ad illud, quod est desiderandum, et quod est tenendum; et hoc est bonum supremum, secundum illud Apostoli *(Philipp. 3, 20): Nostra conversatio in caelis est;* mente enim debemus accedere Deo, et sobrii esse proximo. In tertio instruuntur, qualiter sit ad illud perveniendum. Figura enim orbicularis est simplicissima, capacissima et pulcherrima, in quo signatur, quod simplices debent esse in mente: *In simplicitate cordis, quaerite illum (Sap. 1, 1);* dilatati in affectione: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est (2. Cor. 6, 11);* et pulchri in conversatione, quia *confessio et pulcritudo in conspectu ejus (Ps. 95, 6);* et hoc est per munditiam, juxta illud Psalmi: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat (Ps. 100. v. 6).* Et sic patet, quare sic debeant consignare per tonsuram et coronam. Nam tonsura dicitur amotio capillorum a parte inferiori, sed corona amotio orbicularis a parte superiori. Vel corona posset dici etiam ipse circulus, et tunc corona utrumque comprehenderet." *4. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 1.*

[3] „In susceptione coronae clerici non abrenuntiant bona temporalia quantum ad possessionem ex praecepto, sed solum de bono et aequo." — „Renuntiare temporalibus in eo, qui Ecclesiae deservit, sive in eo qui clericus est, perfectionis et non necessitatis est. Unde et hoc fuit in Ecclesia primitiva, quod nihil habebat aliquis proprium, nihil suum esse dicebat; et adhuc hodie per Dei gratiam invenitur in religionis perfectione. Ad hoc tamen non compellitur clericus nec jure divino, nec humano. Verumtamen de bono et aequo minus debent insudare sollicitudini temporalium clerici quam laici, qui exspectant successionem in posteris. Sed nunc illud verificatum est: *Unus est, et secundum non habet, et tamen laborare non cessat (Eccle. 4, 8).* Unde una ratio est, quia non exspectant posteros; alia ratio est, quia magis debent esse intenti ad spiritualia, et sollicitudo temporalis excludit spiritualem. Ideo auctoritates loquuntur quasi ipsi omnibus temporalibus debeant cedere, et omnia dimittere; sed hoc non intelligitur quantum ad possessionem, sed potius quantum ad affectionem; nec ad hoc inducunt sibi novam obligationem super alios ex debito, sed solum de bono et aequo*). Ad illud quod objicitur de sacerdotibus et levitis, quod non debeant haereditatem habere *(Deut. 18, 1),* dicendum quod illud intelligitur quantum ad terrae divisionem, non quantum ad possessionem mobilium, ut pecudum et domorum, et suburbanorum ad pecora alenda. Ratio autem, quare temporalis haereditas in possessione terrae non dabatur levitis, erat duplex; prima, quia ipsi ut cultores Dei per totum populum debebant dispergi; secunda, ut circa divinum cultum magis essent intenti, quia habebant, unde aliâs valerent sustentari. Nunc autem clerici sunt de omni gente per totum mundum dispersi; et ideo istud praeceptum non mansit. Et iterum, sacerdotii Christi non tam fuit figura sacerdotium Aaron, quam etiam Melchisedech, qui, secundum quod dicitur *(Hebr. 7, 1),* fuit rex et sacerdos, sicut Christus. Et quamvis Dominus honorem regalem recusaverit propter exemplum humilitatis, et ipse pauper et mendicus fuerit; tamen propter suam dulcissimam benignitatem ad hoc alios non arctavit. Sciebat enim, quod melius est habere mercenarios, quam nullos vel paucos filios; et ideo, caritate refrigescente, disposuit Spiritus sanctus, ut Ecclesia temporalibus abundaret, ne cultus Dei propter paupertatem et inopiam deperiret. Et istud aperte videtur, quia Ecclesiae pauperculae quasi nullum inveniunt rectorem, nisi sit talis, quod pro sui vilitate ab omnibus contemnatur. Unde nullatenus credendum est statum universalis Ecclesiae aliter regi, quam disponit Spiritus sanctus, quidquid sit de personis specialibus." *4. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 3. et ad 4 et 5.*

[4] „Corona clericorum non est sacramentum, sed dispositio quaedam, ut catechizatio est dispositio ad baptismum." — „Sicut in transeuntibus de uno statu ad alium praemittitur aliquod praeparatorium, quod non ponit in statum, sed disponit, sic in proposito intelligendum est. Nam suscipientes ordinis sacramentum in quodam speciali statu inter fideles collocantur. Unde quemadmodum inter statum saecularem et religiosum, medius est novitiatus, in quo nec saecularis, nec religiosus est proprie, cum non voverit ea, quae sunt religionis, servare; et sicut inter fideles et infideles, medii sunt catechumeni, qui tamen non sunt inter fideles computandi, imo hora communionis de Ecclesia consueverunt emitti sicut novitii de capitulo; sic clerici medii sunt, in quantum habent tonsuram, inter laicos et ordinatos. Quia tamen signum istud omnibus est commune, ideo omnes clerici nuncupantur, et confunditur nomen. Sicut ergo novitiatus non est religio, sed ad religionem

*) Wicleffus contendit Ecclesiam catholicam et clerum a possessione bonorum temporalium esse prohibendos. Haec figmenta a Concilio Constantiensi et a Martino V die 22. februarii 1418 damnata fuerunt.

disponit; et catechumenatio, sive catechizatio, non est baptismus, sed dispositio et praeparatio; sic commune signaculum non est sacramentum, nec ordo, sed tantum dispositio. Ad illud quod objicitur, quod est sacrae rei signum, dicendum quod ista non est tota ratio sacramenti, sed amplius oportet addere. Non enim sufficit signatio, nisi etiam ibi aliquid conferatur; quod cum non fiat in corona, quia nulla traditur spiritualis potestas, patet quod non est ordo." *4. dist. 24. p. 1. a. 1. q. 2. et ad 1.*

[5] „In omnibus ordinibus character imprimitur, quod est signum perpetuum distinctivum." — „Aliqui voluerunt dicere, quod character in solo ordine sacerdotali imprimatur, sed in ordinibus inferioribus solum disponitur quis ad talis characteris susceptionem, nam propter suam nobilitatem de congruo exigit ordines inferiores habere praevios. Sed cum ordines inferiores, saltem sacri, sint de perfectione sacramenti, et in his fiat segregatio perpetua clericorum a laicis, non videtur in solo sacerdotio character imprimi. Et ideo dixerunt alii, quod character imprimitur in omnibus ordinibus sacris, sed non in minoribus. Et hujus signum est, quia isti non possunt laicis commisceri, alii vero sic. Sed cum nullus ordo iterari possit, et quilibet habeat aliquid de ratione sacramenti, videtur quod in quolibet sit aliquid, quod habeat rationem rei et signi, et rationem signaculi perpetui; hoc autem characterem dicimus. Non igitur videtur, quod in illis solis imprimatur character. Et ideo est opinio probabilior, quod in omnibus ordinibus character imprimatur, sicut rationes expressae ostendunt. Cum enim character sit signaculum distinctivum et perpetuum, et Christo configurativum, et hoc est in omnibus ordinibus reperire, non est dubitandum characterem in omnibus imprimi . . . Ad illud quod objicitur de indelebilitate et perpetuitate, dicendum quod character omnium ordinum manet in anima, sive revertentis ad laicatum, sive morientis, ut signaculum distinctivum, et hoc vel ad gloriam, si bene usus est, vel ad ignominiam, si male; nec oportet, quod maneat semper quantum ad usum ministerii, quia iste usus quodam modo convertitur in praemium, vel supplicium." *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 1 et ad 3 et 4.*

[6] „Corona enim signaculum est, quo assignantur in partem sortis ministerii divini. Corona regale decus significat, quia servire Deo regnare est. Unde ministri Ecclesiae reges esse debent, ut se et alios regant, quibus Petrus ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium (1. Petr. 2, 9)* . . . Videtur male dicere, quia dicitur sacerdotibus, quod sunt *regnum sacerdotale (Exod. 19, 6)*; ergo secundum hoc sacerdotium adjacet regno, non e converso; ergo magis deberet dicere *regnum decorum.* Respondeo, dicendum, quod differentia est inter vetus et novum Testamentum, inter comparationem sacerdotum et regni. Quia enim vetus Testamentum erat adhuc carnalium et carnaliter viventium, ideo potestas saecularis erat principalior, et potestas sacerdotalis erat minor. Et ideo signanter dicebatur in lege *regnum sacerdotale,* quia sacerdotium pendebat ex regno. Sed contra in novo dicitur *regale sacerdotium,* quia principalius est nunc sacerdotium quam regnum, et potestas spiritualis quam temporalis, sive carnalis; sic enim competebat statui gratiae." *4. dist. 24. p. 1. dub. 3.*

[7] „Psalmistatus proprie ordo non est, sed ordini annexus, fusius tamen ordo dici potest." — „Dicendum, quod psalmistatus proprie non est ordo, sed officium ordini annexum. Et ratio hujus est, quia non dicit officium, cui debeat specialis gradus ordinis deputari, sed solum est annexum ordinis, psalmista enim et cantor pro eodem reputantur." *4. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 2.*

[8] „In quolibet ordine character imprimitur in eo signo, quod majorem habet similitudinem ad signatum, et in quo principalis potestas, quam ordo respicit, significatur tradi ordinato. Ad quam significandam duo concurrunt exterius, scilicet traditio alicujus instrumenti, et expressio vocalis verbi, ut in signo visibili simul et audibili significetur dari: et haec duo sunt essentialia et intrinseca ordinis sacramento." *Centil. p. 3. sect. 52.* — „Character ordinis imprimitur, cum dantur instrumenta, quae deserviunt suo ministerio et officio, non in unctione, neque in benedictione." — „Ad praedictorum intelligentiam habendam haec sunt praesupponenda, quod omne sacramentum aliquod signum essentiale habeat exterius; nullo enim modo accidit sacramento esse signum, sed essentiale est simpliciter. Amplius supponendum est, quod in omni sacro, in quo imprimitur character, istud est essentiale sacramento, in quo, sive per quod, character imprimitur. Amplius, cum signum debeat habere similitudinem ad signatum, in eo imprimitur character, quod exterius magis est in sacramento sibi simile. Quoniam igitur in ordine imprimitur character, quod est signaculum ad aliquam potestatem spiritualem; hoc pro generali regula habendum est, quod in illo signo exteriori imprimitur character in quolibet ordine, in quo principalis potestas, quam respicit ordo, signatur tradi ordinato. Ad hanc autem signandam duo concurrunt exterius, scilicet traditio alicujus instrumenti, et expressio verbi, ut sic in signo visibili simul et audibili significetur dari. Nec sufficit signum audibile sine visibili, propter hoc quod aliud verbum aliud debet respicere signum, ut patet in aliis sacramentis. Nec sufficit signum sine verbo, quia ad multa potest tale signum, scilicet liber vel illud vas dari; et ideo oportet per verbum arctari. Et haec duo sunt essentialia et intrinseca sacramento, et perficientia sacramentum. Quoniam enim manus est organum organorum in operando, et lingua in exprimendo, recte significatur conferri potestas in officio utriusque; et haec in quolibet ordine reperiuntur, secundum quod reperitur et characteris impressio. Sed quoniam characteres sunt diversi, habentes majorem dignitatem et minorem, secundum gradus potestatum; ideo tam signa quam verba diversificantur, maxime in ordinibus sacris, et in minoribus. In ordinibus enim sacris, quoniam datur ibi nobilis potestas et excellens, fit manus impositio, non tantum instrumenti traditio; quoniam manus est organum organorum, in quo scilicet principalius residet potestas operandi; unde sic ordinabant in Ecclesia primitiva, ubi nonnisi isti duo ordines explicite erant. Sed in ordinibus minoribus fit traditio alicujus instrumenti, ut clavis vel libri, vel exorcismi etc. Et si plura instrumenta tradantur uni, illud pro principali habendum est, quod Episcopus tradit cum prolatione verbi: *Accipe potestatem.* Unde in omissione principalis debet ordo iterari, quia praesumitur, quod characterem non receperit. Sed in aliis consequentibus, si

fiat defectus vel negligentia, debent suppleri. Concedendum est igitur, quod in unctione non imprimitur character; sed tantum fit propter solemnitatem et dignitatem corporis dominici, quod non est contrectandum nisi manibus consecratis. Pontifici autem fit unctio in capite, in quo significatur abundantia gratiae, quae in praelatis debet in excellentia reperiri. Et hinc est, quod manus sacerdotis unguntur oleo sancto, sed caput Pontificis chrismate, ut significetur, quod in eo debet esse excellentia vitae in conspectu Dei in scientia, et in conspectu hominum quantum ad famam. Concedendum est etiam, quod non fit characteris impressio in ipsa benedictione, quia potius est instituta ad devotionem excitandam, et impetrandam gratiam, quam sit de sacramenti substantia. Ad illud ergo, quod objicitur de manuum impositione, quod non reperitur in omnibus, ratio jam dicta est; reperitur tamen aliquid simile, scilicet collatio alicujus instrumenti, in quo est protensio manus, et fit signatio collationis potestatis. Ad illud quod objicitur, quod sacerdotes imponunt manus, dicendum, quod illa manus impositio non est ad ordinis collationem, sed ad significationem. Significatur enim gratia communionis, quae in ordine sacerdotali confertur, et per sacerdotem debet administrari; ideo non imponunt manus sacerdotes diacono, sed solus Episcopus, in cujus impositione manuum non tantum est figuratio, sed etiam potestatis collatio. Praeterea in hoc significatur, quod ille qui ordinatur, in illo ordine consecratur, cum sacerdotes manus sacratas imponunt. Et nota, quod etsi multi sint assistentes, sufficit tamen quod tres manus imponant; aliud est ex abundantia, nec tamen illud est de necessitate sacramenti. Ad illud quod objicitur, de libri vel vasis traditione, dicendum quod, sicut omne instrumentum, sive armatura, in virtute manus est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possunt signari. Unde, sicut post videbitur, in impositione manuum in Ecclesia primitiva ceteri ordines implicabantur, qui postmodum processu temporis explicati sunt, et quantum ad verbum et quantum ad signum et quantum ad personas. Ad illud quod objicitur de verbi expressione, dicendum, quod semper intelligendum est fuisse verbum aliquod, in quo exprimeretur potestas talis dari; sed non fuerunt verba praefixa, nisi in solis duobus sacramentis, quibus Dominus verba specialia ore proprio praedixit; et ideo in aliis, etsi verba sint necessaria, non tamen sunt determinata vocabula, vel vocaliter, sed verba quaecumque sensum exprimentia, quantum est de ratione sacramenti, sufficiebant, si quis in haeresim introducere non intendebat. Sed nunc necessarium est servare formam ab Ecclesia statutam et approbatam. Ad illud quod objicitur de modo imperativo, dicendum, quod Pontifex summus gerit personam Christi, et personam superioris, sicut dicit Isidorus *(lib. de Officiis)*. Et quoniam potestas superioris plus et minus traditur, et descendit, et secundum illam, qui conferunt, subsunt; ideo rectissime modo imperativo utitur: et sic patet responsio ad primam quaestionem. Omnes aliae quaestiones ex dictis patent, praeter illam, quae est de ortu istorum. Nam benedictio et manus impositio a Patriarchis venit; sed inunctio figuram habuit in lege, ubi dicitur *(Levit. 8, 11)*, quod inunctus est summus sacerdos.“ *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 4. et ad 1—3, 5—6.*

[9] „Oportet autem eam ordinari tribus ordinibus lapidum. Sunt autem gradus purgativi, illuminativi, perfectivi. Purgatio autem triplex est, purgatur homo a consortio foedorum, a nubilo ignorantiarum, ab infestatione daemonum. His respondet ordo ostiariorum, lectorum, exorcistarum. Ordo ostiariorum, ut excludantur immundi, excommunicati, energumeni, catechumeni, et non fundati in fide ... Ordo lectorum est, ut purgetur a nubilo ignorantiarum per auditum lectionis, ut homo sciat historiam eorum, quae leguntur, et sic informetur; unde etiam in primitiva Ecclesia, quia tunc quasi omnes erant literati, legebatur eis lectio. Tertia purgatio ab infestationibus daemonum, per ordinem exorcistarum. Ordo primus respondet angelis, secundus archangelis, tertius principatibus. Item est ordo graduum ad illuminandum, per ordinem acolythorum, subdiaconorum, levitarum. Acolythorum est ferre lumina, subdiaconorum legere epistolam, diaconorum legere evangelium. Omnes enim ministrant vasa, sed diversimode, quia acolythus ampullam, subdiaconus parat calicem, diaconus offert, unde etiam aliquando ministravit sanguinem, quando ministrabatur sanguis aliis. Sunt ergo isti ordines illuminativi. Illustratio autem quaedam est per exempla exteriora, quaedam per documenta mediocria, quaedam per documenta suprema. Primi portant cereos, ut acolythi, quibus dicitur: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes (Luc. 12, 35)*. Lucernae enim sunt opera lucida, secundum Gregorium *(in Ev. hom. 13)*. Secundi illuminant verbo et exemplo: *Ut sitis simplices ... inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verba vitae continentes (Philip. 2, 15—16)*; ut subdiaconi, qui continent verbum epistolarum. Tertii per documenta altissima, sententiae evangeliorum; et sic diaconi. Unde etiam solebant praedicare, ut Stephanus, Laurentius, Vincentius. Unde angelus ad pastores ait: *Annuntio vobis gaudium magnum etc. (Luc. 2, 10)*. Ille angelus est diaconus. Ordo acolythorum respondet Potestatibus, ordo subdiaconorum Virtutibus, ordo diaconorum Dominationibus. Est autem ordo perfectivus, et ille est triplex, sacerdotalis, episcopalis et patriarchalis, consummatio enim est secundum triplicem modum. Unde est in administratione communi sacramentorum, sine quibus non est salus, ut baptismo, poenitentia, unctione extrema. Primum est via, per quam introducitur homo in Ecclesiam; secundum, per quod homo reducitur in gradum pristinum; tertium, per quod homo introducitur in caelum. Primum est ad deletionem originalis, secundum ad deletionem mortalis, tertium ad deletionem omnis venialis. Et quia in his non est perfectio nisi in Christo, ideo sacramentum eucharistiae committitur sacerdoti specialiter. Secunda est in administratione ordinum privilegiatorum, ut sacri ordinis et confirmationis. Haec est non aliorum, sed Episcoporum, qui sunt sacerdotibus perfectiores; ideo in ipsis debet esse altior perfectio ad dandum Spiritum sanctum, qui nonnisi per Apostolos dabatur; ideo etiam locum tenent Apostolorum, super Apostolos autem est Christus, et post Petrus.“ *Serm. 22. in Hexaëm. post init.*

[10] „Videtur male dicere, quia dona Spiritus sancti sunt connexa; et isti gradus non sunt connexi necessario, nec simul; ergo non videtur, quod istud sacramentum sit gratiae septiformis. Item nulla videtur esse connexio horum

ordinum ad dona Spiritus sancti, quia ostium custodire ad nullum donorum Spiritus sancti videtur pertinere. Respondeo dicendum, quod verbum Magistri per quamdam appropriationem intelligendum est, non per proprietatem, quod dona Spiritus sancti divisim dentur in ordinibus singulis; sed usus horum donorum his septem gradibus aptari possunt, et hoc ascendendo a minori usque ad summum." *4. dist. 24. p. 1. dub. 2.*

[11] „Ordines quidam sacri sunt, quidam non sacri, non ratione sui, sed ratione mysterii requirentis in ministris sanctitatem." — „Dicendum est, quod sacramentum ordinis gradus habet plurimos; et prima quidem distinctio est per gradus inferiores et superiores, sive per gradus sacros et non sacros. Ratio autem, quare hoc sacramentum gradus habeat, est, quia ordinat ad dispensandum sacramentum dignissimum, et ministrandum in templo Dei. Ad ministrandum autem illud concurrunt quaedam officia digniora, et quaedam minus digna; quae etsi omnia requirant ministros sanctos, illa tamen, quae attenduntur circa altare, et circa portationem vasorum sacrorum, et circa oblationem sacrificii consummandam, potissime requirunt ministros sanctos, secundum illud: *Mundamini, qui fertis vasa Domini (Isa. 52, 11).* Sanctitas autem, vel sanctificatio, potissime consistit in continentia; ideo sunt quidam ordines, qui requirunt continentiam in ministris, quidam vero minime. Ideo recte quidam ordines sacri dicuntur, quidam non sacri, non ratione sui, sed ratione mysterii, ad quod requiritur sanctitas in ministro; et sic patet ratio hujus distinctionis ordinum per sacros et non sacros." *4. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 1.*

[12] „Diversi characteres ordinum non sunt essentialiter ordinati: sed bene habent congruitatem ordinis inter se, non necessitatem." — „Dicendum, quod est ordo necessitatis, et est ordo congruitatis. Si ergo loquamur de ordine istorum graduum ecclesiasticorum, dicendum quod non est ordinatio necessaria, nec essentialis, pro eo quod ordo posterior dari potest et suscipi sine priori. Si autem loquamur quantum ad ordinationem congruitatis, sic est ibi ordo, eo quod ad bene esse ministerii sequentis praeexigatur ordo, sive potestas ministerii praecedentis. Quemadmodum igitur si quis velit ordinate procedere, prius debet exordium praemittere, post narrationem, et post ratiocinationem, et postremo conclusionem; tamen si vellet, incipere posset a posteriori, licet non ita ordinate; sic in ordinibus oportet intelligi. Cum enim ordines inferiores ministrent sacris, et sacri ordines ministrent sacerdotio, et inferior gradus prior sit in ascendendo, et potestas ministerialis sit inferior; patet quod ibi est ordo, non tamen necessitatis, quoniam potestates diversae sunt, et per seipsas obtineri et haberi possunt, licet non ita perfecte sine aliis. Est igitur ordo in his gradibus secundum majorum accessum ad ultimum gradum, scilicet sacerdotium." *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 3.*

[13] „Episcopatus proprie non est ordo, sed ordinis eminentia, vel dignitas; nec in eo novus character imprimitur." — „Utrum Episcopatus sit ordo. Et quod sit, videtur. Gelasius Papa distinguens gradus ordinum, ita dicit. Deinde subdiaconus, et postea presbyter, et archidiaconus, si meretur, Episcopus ordinetur. Item, Isidorus *(lib. 7. de etym. c. 12)*: Episcoporum quadripartitus est ordo: ergo Episcopatus est ordo. Item ratione videtur, quia nullus recte dicitur ordinari nisi ab ordinis susceptione; sed qui promovetur in Episcopum, recte dicitur in Episcopum ordinari, sicut per omnes canones innuitur, qui de hac materia loquuntur; ergo etc. Item, illa inter virtutes est virtus praecipua, quae virtutes alias regit, et eis imperat; ergo pari ratione in ordine ille erit magis praecipuus, qui alios dispensat et regit; et ille est ordo episcopalis; ergo etc. Item hoc videtur per diffinitionem ordinis. Ordo enim est, ut dicit Magister, signaculum, quo spiritualis potestas traditur ordinato; sed hoc totum est in Episcopatu, patet ergo etc. Minor patet per ipsam ordinationem Episcopi, in qua traditur sibi baculus, qui significat potestatem spiritualem; unde dicitur sibi, cum traditur ei baculus: Accipe baculum pastoralis officii, id est potestatem ligandi et solvendi; et sis in corrigendis vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus animos subditorum demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. Item, solemnior inunctio, solemnior benedictio et solemnior manuum impositio fit in consecratione Episcopi quam sacerdotis; sed talis inunctio non potest esse vacua a significatione et efficacia, cum sit novae legis; ergo est amplioris efficaciae: si ergo sacerdotium est ordo, multo fortius videtur quod Episcopatus. — Contra: Magister Hugo de sancto Victore *(lib. 2. p. 3. c. 6)* distinguens gradus ordinum dicit sic: Primus est ostiariorum, secundus lectorum, tertius exorcistarum, quartus acolythorum, quintus subdiaconorum, sextus diaconorum, septimus sacerdotum. Hic gradus dispares in ordine ordinis habet dignitates, scilicet Episcopi etc.; ergo Episcopatus solum dicit dignitatem, non ordinem etc. Item distinctio graduum et ordinum omnis est propter altaris ministerium, scilicet propter sacrificium, in quo est consummatio omnis divini cultus; ergo cum perventum est ad illud, ibi debet esse status; sed in presbyteratu pervenitur ad statum; ergo etc. Item, gradus ecclesiastici talem habent ordinem, quod possibile est posteriorem accipere omisso priori, quod patet per illud quod dicitur: *Sollicitudo etc.* et extra de clerico per saltum ordinato; *Tuae litterae etc.* Sed impossibile est aliquem promoveri in Episcopum sacerdotio omisso, sicut dicitur extra de excessibus praelatorum, ex literis, et infra, ubi dicit Innocentius: Pontificale officium sine altaris ministerio non valet adimpleri; ergo videtur, quod Episcopatus non sit ordo alius quam sacerdotium. Item, promotus in sabbato ad ordinem sacrum, non debet in die sequenti alium ordinem sacrum suscipere; sed promotus in sacerdotem potest in die sequenti scilicet dominico, in Episcopum promoveri; ergo videtur, quod Episcopatus non sit ordo sacer." — „Cum ordinis potestas principaliter sit ordinata ad dispensationem sacramentorum, et maxime illius sacramenti nobilissimi, scilicet Corporis Domini, ibi est status graduum et ordinum ascendentium; et ita ultra sacerdotium non est gradus ordinis. Sed tamen ultra hunc gradum et ordinem videmus esse diversorum dignitatum et officiorum, quae tamen novum gradum vel ordinem non constituunt, ut Archipresbyter, Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, Pontifex summus, quae ultra sacerdotium non addunt ordinem, nec gradum novum, sed solum dignitatem et officium. Et ita Episcopatus, prout consecratio ordinem sacerdotii, vere potest non ordo; sed prout distinguitur

contra sacerdotium, dicit dignitatem quamdam, vel officium Episcopi annexum, et non est proprie nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur. Unde sicut non recipit alias claves, sic nec alium ordinem. Et hoc sensit Magister Hugo *(l. 2. q. 3);* hoc etiam sensit Magister sententiarum ... Hoc etiam tenet communis opinio, quod in Episcopatu character novus non imprimatur, sed illi aliqua eminentia confertur, quae semper manet cum ipso charactere ordinis, ablata omni jurisdictione. Hanc ergo opinionem sustinendo dicamus, quod Episcopatus, praecise loquendo, non est ordo, sed ordinis eminentia, vel dignitas" *). — Ad illud ergo, quod objicitur de Isidoro et Gelasio, dicendum, quod ad eorum auctoritates et consimiles unica responsione potest responderi, quod ipsi nomen ordinis ampliant ad officia et dignitates; sed Magistri nostri strictius accipiunt, scilicet pro gradu potestatis. Et hoc patet per hoc, quod Isidorus dicit, quod Episcoporum quadripartitus est ordo. Cum enim ordinatus in Episcopum, si assumatur ad Archiepiscopatum, non consecretur de novo, sed solum accipiat pallium, patet quod non potest intelligi, quod novus sit ibi ordo, sed solum dignitas altior. Si ergo dicit ipsos esse diversos ordines, manifestum est quod nomen ordinis ad officia et dignitates se extendit. Et per hoc patet aliud sequens. Sicut enim ampliatur vocabulum et significatio ordinis, ita et verbum, cum dicitur: Iste ordinatur in Episcopum. Unde non ita proprie dicitur aliquis ordinari, cum promovetur in Episcopum, sicut cum promovetur in sacerdotem, sed magis proprie dicitur consecrari **). Unde et Apostolus *(Act. 20, 28)* loquens proprie, dicit: *Posuit nos Spiritus sanctus episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et *(1. Tim. 3, 1): Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ad illud quod objicitur, quod per Episcopum ordines dispensantur, dicendum quod numquam possunt per Episcopum dispensari, nisi ordines illos, quos dispensat, haberet, maxime nisi haberet sacerdotium; et ideo concedo bene, quod Episcopatus includit necessario ordinem perfectissimum, scilicet sacerdotium, et illi superaddit aliquam eminentiam, quam et ipsum nomen insinuat, dicitur enim Episcopus ab epi, quod est supra. Ad illud, quod objicitur, quod ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas etc. dicendum, quod Episcopatus deficit quantum ad utramque partem diffinitionis. Primo namque deficit a ratione ordinis, quantum ad hoc, quod dicitur signaculum, quia signaculum ibi accipitur pro charactere, et hic non imprimitur in Episcopatu: cujus signum est, quod non potest Episcopus consecrari, nisi sit sacerdos; et ita per se characterem non imprimit. Amplius deficit, quia non datur ibi nova potestas, sed solum potestas ligandi et solvendi ampliatur; et ideo in hujus signum baculus pastoralis porrigitur. Unde sicut collatio pallii non dat novum ordinem Archiepiscopo ultra Episcopum; sic nec collatio baculi, aut annuli, aut mitrae, aut alicujus consimilis ultra sacerdotem, talia enim potius sunt sacramentalia quam sacramenta, non enim sacramentalia tantum praecedunt sacramentum, sed etiam sequi possunt. Ad illud quod objicitur, quod solemnior est inunctio, dicendum, quod verum est, pro eo quod ad summum pontificatum assumitur, et datur ibi eminentia status et dignitatis pastoralis, in qua debet esse eminentia sanctitatis. Unde illa sanctitatis eminentia per superabundantem inunctionem debet signari, secundum quod dicitur de summo pontifice Aaron *(Ps. 132, 2): Sicut unguentum in capite ejus, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Unde quia ad officium illud major requiritur sanctitas, quam requiratur ad ordines; hinc est, quod major fit inunctio. Reges enim et Principes consueverunt inungi in signum dignitatis, quibus non ordo confertur, sed regalis dignitas; sic et Episcopi, quibus confertur ordo sacerdotalis. Et propter hoc ratio illa non valet, quia inunctio non respicit ordinem, in quantum est ordo, sed magis dignitatem. Unde et sacerdos non inungitur ad ordinis necessitatem, sed magis ad solemnitatem, ut digne possit corpus Christi sacratissimum consecrare." *4. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 3.*

[14] „In diversis ordinibus diversi imprimuntur characteres. Ratio autem hujus est, quia non solum, eo quod ad Dei cultum assumuntur, distinguuntur ab aliis, imo etiam inter ministrantes ordo est et distinctio, et ulterius gradus illi, et potestates ministrandi, si semel dantur, numquam auferuntur, etiamsi ad altius ministerium elevetur, qui in minori ministraverat; et ideo in diversis ordinibus diversa signacula debent imprimi, secundum quae nobis diversitas potestatum ministrandi, et perpetuitas innotescat. Tale autem signaculum est character; et ideo in diversis ordinibus diversi imprimuntur characteres." *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 2.*

[15] „Senarius dicitur primus perfectorum, quia constat ex omnibus partibus suis aliquoties, scilicet tribus, duobus et uno." *1. dist. 2. a. 1. q. 4.*

[16] „Hic ordo tamquam nobilissimus debet habere alios sibi administrantes respectu duplicis potestatis. In conficiendo Corpus Christi verum sibi serviunt subdiaconi et diaconi, ita quod potestas et officium subdiaconi est in accipiendo hostias a plebe; potestas et officium diaconi est easdem subdiacono susceptas sacerdoti offerre. In absolvendo autem Corpus Christi mysticum quatuor minores subserviunt sacerdoti; ita quod potestas et officium jani-

*) Idem tenet etiam S. Thomas in *Summa, suppl. p. 3. q. 35. a. 3.* Verum communior modo est apud theologos opposita sententia, quae docet Episcopatum esse Ordinem a presbyteratu specie distinctum.

**) Minime extra propositum putamus, si hîc ex Benedicto XIV *de Syn. dioec. l. 13. c. 13. n. 5* adjicimus, „quod etsi affirmari nequeat ab hac sancta Sede fuisse definitam quaestionem, an Episcopi consecratio, quam unus expleverit Episcopus, irrita sit et nulla, an potius tantummodo illicita; nemo tamen inficias ierit, quin probabilior et magis plausibilis sit opinio, quae validam esse propugnat, quamvis illicitam, ejusmodi ordinationem; hancque amplexi fuerint et in praxim redegerint Romani Pontifices, qui frequenter indulta elargiuntur, ut in remotioribus regionibus, in quibus haud facile tres Episcopi una convenire possunt, ordinandus consecrationis munus recipiat ab uno Episcopo, duabus ipsi assistentibus dignitatibus, vel duobus etiam simplicibus sacerdotibus: quod porro nullatenus praestarent, nisi probabiliorem arbitrarentur sententiam illam, quae asserit validam firmamque ac tantummodo illicitam esse ordinationem, quam unus peregerit Episcopus; ideoque in sua facultate esse illiciti actus notam ab ea removere, impertiendo facultatem, ut ab uno tantum Episcopo expleri possit."

torum est ad locum sacrum admittere; lectorum est documentum praebere; exorcistarum est auxilium praestare; acolythorum est exempla monstrare. Hoc officio septiformi Dominus usus fuit. Fuit namque ostiarius, quando, facto flagello, ejecit negotiantes de templo. Fuit lector, quando legit in synagoga, assumpto libro. Fuit exorcista, quando saliva sua tetigit linguam surdi et muti. Ostendit se acolythum, quando dicit: *Ego sum lux mundi (Jo. 8, 2).* Fuit subdiaconus, quando lavit pedes discipulorum, et linteo se praecinxit. Fuit diaconus, quando post coenam corpus et sanguinem suum discipulis dispensavit. Fuit sacerdos, dum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos et hostia. Et etiam quando in coena panem in corpus, et vinum in sanguinem commutavit." *Centil. p. 3. sect. 53.*

[17] „Ordines sunt septem, nec plures, nec pauciores*); unus tamen est, cui deserviunt ceteri, videlicet sacerdotium." — „Omnes in hoc concordant, scilicet quod huic sacramento competit graduum distinctio. Sive propter hoc, quod penes ipsum membra Ecclesiae in corpore mystico ordinantur secundum diversas operationes et gratias, secundum quod dicit Apostolus *(1. Cor. 12, 6).* Sive propter hoc, quod secundum illud sacramentum configuratur et conformatur pulcritudo Ecclesiae militantis pulcritudini Ecclesiae triumphantis. Sive propter hoc, quod illud sacramentum in supremo ponit, et disponit hominem ad gratiam perfectionis; et gratia perfecta in pluralitate donorum Spiritus sancti consistit. Sive propter hoc, quod illud sacramentum ordinatur ad dignissimum ministerium, quod est consecratio dominici corporis, ad quam non statim est convolandum, sed per gradus paulatim ascendendum, cum id sacramentum propter sui nobilitatem et reverentiam multa debeat habere ministeria inferiora. Omnibus his modis accipitur ratio pluralitatis in gradibus ordinum; et secundum aspectum ad has rationes plurificandi sumitur sufficientia graduum ecclesiasticorum diversimode a diversis." *4. dist. 24. p. 2. a. 2. q. 4.*

[18] „Sacramentum ordinis unum est, multas tamen habet partes, quae sacramentum non plurificant, pro eo quod non sunt omnino partes subjectivae, et tamen recipiunt praedicationem totius, quia naturam habent quodam modo partium subjectivarum. Et tales sunt partes potestativae, quae maxime competunt ordini, tum quia ordo dicitur ordinata potestas, quae ex ordinatione multorum ad unum redditur perfecta, et quodlibet illorum participat rationem potestatis, licet non perfecte; tum etiam quia ordo concernit distinctionem in partibus, sicut et numerus. Unde quemadmodum partes numeri quodam modo habent naturam partium integrantium in hoc, quod simul convenientes per ordinem reddunt numerum perfectum, ut partes senarii constituunt senarium, et tamen quaelibet pars numeri est numerus; sic omnes gradus ordinum unum faciunt sacramentum perfectum, et tamen quilibet gradus ordo dicitur." *4. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 4.*

[19] „Ordo, prout dicit ordinatam potestatem ad ministerium, vel ad opus, vel ad alterum, est sacramentum." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ordo dupliciter dicitur. Uno modo dicitur ordo ipsa relatio ordinatorum, ut praelatio et subjectio; et haec non dicitur, nec est sacramentum. Alio modo dicitur ordo ordinata potestas, secundum quam ipsum subjectum potens habet ordinari dupliciter, scilicet ad opus, vel ad ministerium; et habet etiam ordinari ad alterum, hanc autem potestatem dicimus ordinis sacramentum. Hanc autem necesse est poni in Ecclesia propter regimen et decorem, quae attenduntur penes ordinem, quare debet esse in Ecclesia ordo. Sed principalior ratio, quare haec potestas debet conferri per modum sacramenti, est propter sacramentorum dignitatem, quae in Ecclesia dispensantur, et in quibus Deus colitur, quae ut non venirent in contemptum, non debuerunt omnibus committi dispensanda, sed personis spiritualibus; et dum his committitur, quod aliis non, datur his potestas, per quam speciali ordine situantur in Ecclesia Dei. Et quoniam hi debebant ab aliis per signa aliqua secerni, et id signum est rei sacrae; ideo potestas haec debuit ordinari per modum sacramenti. Et istud convenientissimum est, cum enim sit ad sacramentorum ordinatam dispositionem et distributionem, debuerunt ministri ad hoc ordinari per alicujus sacramenti susceptionem, in quo datur potestas, per quam ministri Dei ad ministrandum, et etiam inter se ordinantur; ideo recte ordo appellatur." *4. dist. 24. p. 1. a. 2. q. 2.*

[20] „Largissime dominandi potestas dicitur respectu omnis rei, qua homo potest ad libitum et votum suum uti: et hoc modo dicitur homo esse dominus possessionum suarum, sive mobilium, sive immobilium. Alio modo dicit excellentiam potestatis in imperando ei, qui est capax rationis et praecepti. Tertio modo dicitur potestas coërcendi subditos, et haec potestas dicit quamdam arctationem libertatis: et talis potestas dominandi proprie dicitur dominium, cui respondet servitus." *2. dist. 44. a. 2. q. 2.*

[21] Vide superius *cap. 10. hujus partis n. 30.*

[22] „Locum tenent (Episcopi) Apostolorum, super Apostolos autem est Christus, et post Petrus. Oportet ergo esse Patrem Patrum, quem nos Papam vocamus; qui tamen propter humilitatem quatuor habet Patriarchas, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hierosolymitanum, Antiochenum. Et de his loquitur Isaias *(19, 18): Erunt quinque civitates loquentes lingua Chanaam.* Roma autem universalis est; ideo *civitas solis vocabitur una (ibid.).* Quia etsi aliae quatuor sedes plenam auctoritatem habeant super Ecclesiis partialibus, sola tamen Roma universaliter, sicut sol super planetas habet plenitudinem potestatis super omnes. Et secundum hoc sunt tres ordines, non quidem propter novi characteris impressionem, quia ultra sacerdotium non est gradus, sed propter eminentiam et potestatem. Primus respondet Thronis, secundus Cherubim,

*) Quod hîc loci noster Seraphicus docet, omnes nempe ordines veram sacramenti participare rationem, etsi communior et probabilior sententia sit, non tamen ab omnibus, neque post Concilium Tridentinum, admittitur. Quin imo etiam nunc, testante Benedicto XIV, *de Syn. dioec. l. 8. c. 9. n. 3,* „quaestio valde admodum difficilis et implexa est, an reliqui ordines, diaconatu inferiores, verum sint sacramentum." Tridentinum siquidem definivit *sess. 23. can. 6* hierarchiam, divina ordinatione in Ecclesia institutam, constare episcopis, presbyteris et ministris; per ministros tamen saltem diaconos esse intelligendos, liquido patet; verum ceteros ordines diaconatu inferiores in iis verbis comprehendi nemo probare potest. Consulto autem Concilium eam vocem *ministris* adhibuit, ut diaconos denotaret, et de reliquis nihil definiret, sed scholae disputationi relinqueret.

tertius Seraphim; quia oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem *(Tit. 1, 9)*. Papa autem debet esse perfectissimus inter omnes." *Serm. 22 in Hexaëm. cir. med.*

[23] „*Respondens Simon Petrus dixit* . . . unus pro omnibus respondet, ut commendetur unitas Ecclesiae in fide, confessione et praelatione. Unde Petrus, tanquam unus praelatus universalis Ecclesiae, unus pro omnibus respondet. Propter quod dicebat Paulus *(1. Cor. 1, 10): Obsecro, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.* Unde merito istius confessionis unius pro omnibus nomen Petri est sibi confirmatum, et universalis praelatio super Ecclesiam est concessa, secundum quod dicitur: *Et ego dico tibi etc.* Unde apparet, quod non ex impetu, sed Spiritu sancto incitatus, prior respondit Petrus. Et hoc est, quod dicitur in Glossa: Unus pro omnibus, et prae omnibus, quia senior et princeps Apostolorum . . . Unde in hoc clare patet, quod Christus hoc verbo confutavit errores, et stravit totius fidei fundamentum, secundum illud: *Fundamentum aliud nemo potest ponere (1. Cor. 3, 11)*, Hinc est, quod Petrus est vocatus, et ei concessum est, ut de Ecclesia ejus nunquam deficiat vera fides: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*" *Exposit. in Luc. cap. 9. v. 20.*

[24] „Dominus Papa non est subjectus Constitutionibus Patrum, sed super omnes est." *4. dist. 19. dub. 6.* Vide etiam superius *cap. 10. huj. part. n. 28.*

[25] „Sedes Apostolica immediate curam Ecclesiae habet, a qua ceteri Ecclesiarum pastores, tam majores, quam minores, gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate, quam immediate, et a qua omnes canonum leges emanant." *Determinat. quaest. circa Regul. S. Franc.*

[26] „Cura pastoralis non est dominium, sed dispensatio et officium ecclesiasticae potestatis. Unde hierarchia, secundum Dionysium *(de eccl. hier. c. 1)*, est potestas ordinata ad dispensandum sacra omnia potestati subjecta. In potestatibus autem ordinatis quidquid potest inferior, etiam potest superior, at non e converso. Unde et ipse hierarcha habet totam potestatem in se ordinatam, quae est hierarchia per varios gradus distributa. Unde nominans hierarchiam, nominat omnem hierarchicam potestatem. Unde docet Dionysius *(ibid.)*, quod licet ille hierarcha aliis tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas ad agenda omnia quaecumque per sibi subditos fieri possunt ad salutem fidelium procurandam." *Expos. Regulae, cap. 9.*

[27] „Si unus non esset, qui in omnes exercere posset jurisdictionem, ubi maneret status Ecclesiae? Si partibus discordantibus non esset, qui posset mittere manum in ambabus, fuisset synagoga felicior quam Ecclesia, quia illa habebat unum summum pontificem, qui omnes discordias poterat terminare, ut patet in Deuteronomio *(17, 8—10)*." *Expos. Regulae, in Prolog.*

[28] „Petrus, a petra dictus, a Domino positus est Ecclesiae fundamentum: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam (Matth. 16, 18)*. Ubi Rabanus: Ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab unitate fidei, vel societate illius, quolibet modo segregant seipsos, nec a vinculis peccatorum absolvi, nec januam possunt regni caelestis intrare. Hinc Petro Dominus dedit super alios Apostolos ordinariam potestatem, dicens *(Luc. 22, 32): Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* In hujus rei figuram dicitur *(Sap. 19, 24)*, quod *in veste poderis, quam habebat* Aaron, *totus erat orbis terrarum.*" *Expos. Regulae, in Prolog.*

[29] „Romana Ecclesia plenitudinem potestatis a Petro Apostolorum Principe acceperat, in quam nulla Patrum sententia nec interdictum ponere, nec arctare potuit, nec ei praejudicare, nec ligare eam ad aliquid." *1. dist. 11. a. 1. q. 1. in concl.*

[30] „Hoc sana fide tenendum est, quod Dominus suo Vicario plenitudinem potestatis contulit, et tantam utique recepit potestatem, quantam decebat homini puro dari; et hoc ad aedificationem corporis sui, quod est Ecclesia. Unde super hoc non temerarie judicare, sed gratias plurimas Deo debemus agere." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 5 ad 4.*

[31] „Summus Pontifex plus potest quam omnes episcopi, eo quod plenitudinem habeat potestatis super omnes." *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 6. fund. 3.*

[32] „Ergo de sancta Ecclesia . . . *procedunt fulgura*, id est multa miracula; et *voces*, id est admonitiones ad bene agendum; et *tonitrua*, id est comminationes ad malum relinquendum." *Comment. in Apocal. c. 4. v. 5. n. 276;* Suppl. vol. II.

[33] „Igitur libellum illum *(Gerardi de Abbatis Villa)* calumniosum, cujus hoc initium est: Tantum sibi praesumptionis etc., cum aemulatione non secundum scientiam fuisse conscriptum, neque sanam continere doctrinam, qui diligenter vult considerare, luculenter potest advertere: primum quidem, quia in defensione illius libri erronei, qui sic incipit: *Ecce videntes clamabunt foris*, paucis revolutis temporibus per Sedem Apostolicam reprobati*), non absque nota rebellionis est editus, legislatoris spreta sententia, quam in Deuteronomio *(17, 8—12)* sanxit: *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes levitici generis, et sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille.* Quod si tempore sacerdotii figurativi pontificis sententiae adversari malum erat, mortisque poena mulctandum, multo fortius tempore veritatis et gratiae revelatae, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat nullatenus tolerandum, in fide vel moribus ejus definitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipse reprobat, reaedificando quod ipse destruit, defensando quod damnat." *Apolog. pauper. c. 1.*

[34] „Summus Pontifex, penes quem prima in terris residet auctoritas, non a rege, non a principe saeculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur: *Spiritualis* enim homo *judicat omnia, et a nemine*, nisi a solo Deo, *judicatur (1. Cor. 2, 15)*." *De Eccles. Hierarch. p. 2. c. 1.*

[35] S. D. duplicem potestatis plenitudinem distinguens, plenitudinem scilicet sufficientiae, et plenitudinem superexcellentiae, priorem Episcopis etiam concedit, posteriorem

*) Scilicet libelli *de periculis novissimorum temporum* a Guilielmo de Sancto-Amore et sociis Parisiensibus vulgati, et ab Alexandro IV an. 1256 III non. octobris damnati.

soli summo Pontifici tribuit. En ejus verba: „Voco largo modo plenam potestatem, prout dicit plenitudinem sufficientiae, per quem modum est in Episcopis; non prout dicit plenitudinem superexcellentiae, sic enim est in solo summo Pontifice, plenitudo scilicet potestatis et auctoritatis.“ *4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 3 ad 2.*

[36] „Sicut inter caelos est ordo magni, majoris et maximi, ut quoddam caelum sit infimum, quoddam medium, quoddam summum, ita tamen quod est influentia superiorum in imos, et non inferiorum in summos; est etiam ponere caelum, quod est creatione primum, quod est situ altissimum et influentiâ maximum, sicut est caelum empyreum*), quod influit in omnia inferiora et media, et a nullo ipsum recipit influentiam; sic et in Ecclesia Dei quidam sunt praelati minimi, ut parochiales presbyteri, quidam medii ut Episcopi, quidam maximi ut Patriarchae, ex quibus Romanus est dignitate summus et influentia maximus, eo quod ipse auctoritatem dat aliis, et omnibus praecipit, et ipse a nemine recipit, quia caelo primo per omnia est similis.“ *Serm. 1. de St. Apost.*

[37] „Ecclesia est unio rationalium uniformiter et concorditer unitorum per concordem et uniformem custodiam divinae legis, per unionem et concordem cohaerentiam divinae pacis, per uniformem et concordem consonantiam divinae laudis. Haec autem ordinata sunt, quia laus esse non potest, ubi non est pax; nec divina pax, ubi non est observatio divinae legis. De concordi et uniformi custodia divinae legis scribitur sic ad Timotheum *(1. Tim. 3, 14. 15): Haec tibi scribo, fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Ecclesia dicitur columna et firmamentum, et quia mentis illustramentum, et quia virtutis stabilimentum. Venientes enim ad eam illustrantur per fidem, et stabiliuntur per virtutis constantiam. Et haec duo facit lex divina. Unde est columna filiorum Israël, per cujus motum apparent omnia, quomodo agendum et quomodo quiescendum. In hoc enim omnes Ecclesiae concordant, ut custodiant legem Dei, ut olim totus populus motum nubis aspiciebat. Qui ad hanc non aspicit semper, non est de unitate Ecclesiae, ut si non eam intelligas; et si intelligas, et non sequaris. Iterum loquendum est Ecclesiae rationalium unitorum per conformem et concordem cohaerentiam divinae pacis. Unde dicitur in Ecclesiastico *(3, 1): Filii sapientiae Ecclesia justorum, et natio illorum obedientia et dilectio.* Ecclesia enim natio diligens se est, dilectio enim nascitur ex legis impletione. Lex enim praecipit dilectionem, dicente Apostolo *(1. Tim. 1, 5): Finis praecepti est caritas, de corde puro et conscientia bona et fide non ficta.* Et alibi *(Rom. 13, 8): Qui diligit proximum, legem implevit.* Et probatur per verbum Salvatoris dicentis *(Matth. 22, 40): In his universa lex pendet et prophetae.* Oportet ergo, ut legis observatores sint amatores, dicente Joanne *(13, 35): In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et Apostolus *(1. Cor. 14, 33): Non est Deus dissensionis, sed pacis.* Item, loquendum est Ecclesiae rationalium unitorum per uniformem et concordem consonantiam divinae laudis, ut in Psalmo *(21, 26): Apud te laus mea in ecclesia magna.* Sicut ex multitudine vocum unitarum secundum quamdam proportionem et harmoniam dulcedo fit cantus; sic ex multorum affectione harmonia spiritualis placens Deo altissimo, auctore psalmographo *(Ps. 67, 27): In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.* Qui autem sunt observatores divinae legis, sunt amatores divinae pacis, et persolutores divinae laudis.“ *Serm. 1. in Hexaëm. in princ.*

[38] „Mulieres non modo non debent, et non possunt de jure ordinari, sed de facto non ordinant ... Et si quaeratur ratio hujus, dicendum quod hoc venit tam ex institutione Ecclesiae, quam ex hoc quod eis non competit ordinis sacramentum. In hoc enim sacramento persona, quae ordinatur, significat Christum mediatorem. Et quoniam mediator solum in virili sexu fuit, et per virilem sexum potest significari; ideo possibilitas suscipiendi ordines solum viris competit, qui soli possunt naturaliter repraesentare, et secundum characteris susceptionem actu signum his conferre.“ *4. dist. 25. a. 2. q. 1.*

[39] „Determinatio temporis non est quantum ad sacramenti necessitatem, sed potius quantum ad susceptionis congruitatem et solemnitatem, quam in majoribus ordinibus oportet servari, saltem quantum ad annos discretionis*), propter votum continentiae, et ordinum dignitatem. Ulterior vero protelatio temporis quantum ad sacerdotes, quantum ad tempora moderna non exigitur, quia sicut in multis malitia supplet aetatem, ita in multis bonitas et sanctitas supplet. Praeterea multi nunc ordinantur, qui non praeficiuntur populo, ut religiosi; ideo non oportet in eis ita servare tempora, ut in aliis, maxime si sit sanctitas vitae, et scientia, et maturitas morum.“ *4. dist. 25. a. 2. q. 2. ad 5.*

[40] „Ad aliquem ordinem requiritur usus rationis de necessitate sacramenti, ad aliquem ordinem de necessitate praecepti, ad aliquos de honestate et congruitate. Ad Episcopatum namque, quoniam ibi contrahitur matrimonium spirituale, necessario requiritur consensus, sine quo non fit matrimonium, nec spirituale, nec corporale ... Ac per hoc necessario requiritur usus rationis et discretionis de necessitate sacramenti, licet multa alia requirantur, de necessitate scilicet praecepti. Ad ordines vero sacros requiritur rationis usus de necessitate praecepti, pro eo quod ad illos ordines non debent admitti nisi qui possunt ad continentiam obligari; et ideo qui ordinant scienter eos, qui non possunt obligari, quia ratione carent, faciunt contra statutum et praeceptum Ecclesiae. Et ideo si tales ordinantur exterius, characterem recipiunt de facto, quia non contradicunt, quamvis non consentiant. Ad minores vero ordines requiritur de honestate rationis usus, quia ibi committuntur officia, quae spectant non solum ad habentes usum rationis, imo etiam ad habentes scientiam litteraturae.“ *4. dist. 25. a. 2. q. 2.*

[41] „Sacramentum ordinis non solum abundat ab aliis secundum rationem signi, propter hoc quod non tantum sacramentum, sed etiam suscipiens sacramentum tenet ra-

*) De caelo empyreo et ejus influentia vide superius *part. 2. cap. 3.*

*) „Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur.“ Conc. Trident. *sess. 23. decr. de reform. c. 12.*

tionem signi; imo etiam abundat secundum rationem remedii, quia non solum ibi gratia ad curandum subjectum ordinatur, sed etiam datur gratia, quae ordinat ad curandum alios; unde collocat hominem non tantum in statu sanitatis, imo etiam in gradu honestatis et dignitatis. Et ideo ad hoc sacramentum requiritur non persona quaelibet, sed persona honesta, cui honor et dignitas competat clericalis. Et quoniam honestas multum respicit exteriora; ideo non solum propter defectum vitae efficitur quis inhabilis ad hoc sacramentum suscipiendum, sed etiam propter defectum multorum aliorum. Ad hoc enim quod persona sit honesta, oportet quod in ea concurrat honestas a parte originis, nominis, corporis, actionis, conditionis et conversationis. Propter defectum a parte originis ineptus est filius sacerdotis spurius, et etiam quilibet illegitimus. A parte nominis, sive famae, inepti sunt infames, et publice poenitentes ... Propter defectum a parte corporis, corpore vitiati, et daemoniaci, et epileptici ... Propter defectum a parte actionis, ut quando incidit in peccatum enorme, sive factum, ut homicidium ... et hoc est propter magnum horrorem, qui est in sanguinis effusione, sive juste fiat, sive injuste; vel propter hoc, quod dividit unitatem animae et corporis. Propter defectum conditionis, ut servus ... Propter defectum conversationis, ut curiales ... In omnibus autem tradunt distinctiones, sive exceptiones; sed illae spectant ad scientiam inferiorem." *4. dist. 25. a. 2. q. 4.*

[42] „Bigami inepti sunt ad ordinis sacri susceptionem. Quoniam de significatione ordinis primaria est, quod ordinatus significet Christum, ut sponsum Ecclesiae; et hoc non potest significare bigamus, qui habuit uxorem viduam, quoniam Ecclesia unicum habuit sponsum, et Christus unicam habet sponsam; hinc est, quod tales inepti sunt ad ordines, maxime principales et sacros, in quibus homo jam incipit expresse figurare Christum. Unde bigamia reddit ineptum ad diaconatum et subdiaconatum et sacerdotium, et potissime ad episcopatum. Et ideo in his ordinibus numquam legitur dispensatum, nec dispensari debet, non quia sacramentum essentialiter deficiat, immo bigamus recipit characterem, sed quia perfectio sacramenti in ipso deficit, qui nulla ratione potest suppleri per hominem, nec repensari; tamen in ordinibus inferioribus ex causa necessitatis dispensationem recipit ... Ratio sumitur ex parte totius hominis, cujus est matrimonium contrahere, et quod est subjectum matrimonii, in quo quidem est impedimentum non ratione immunditiae, vel qualitatis absolutae, quae fit in carne, sed propter significationem deficientem. Quia enim contraxit cum una, signavit Christum; quia vero ab una recessit, et contraxit cum secunda, recessit a significatione*); et ita est defectus sacramenti, scilicet unitatis, quae in sacramento matrimonii et ordinis debebat significari." *4. dist. 25. a. 2. q. 3. concl. et ad 2.*

[43] „Quantum est de jure communi, hoc licitum est solis Episcopis, quia ipsi sunt sponsi, qui debent Christo animas consecrare, secundum quod dicit Apostolus *(2. Cor. 11, 2): Despondi vos uni viro virginem castam exhiberi Christo;* et debent filios perfectos generare. Et ideo habent clavium potestatem in excellentia, et eis solis ista, quae sunt excellentiae, commissa*)." *4. dist. 20. p. 2. dub. 6.*

[44] „Sicut sacri canones dicunt, secundum jus commune non potest aliquis ordines dispensare, praesertim ordines sacros, nisi solus Episcopus. Hujus statutum ortum habet ex sacra Scriptura, et Spiritus sancti ordinatione. Ex sacra Scriptura, quia cum Dominus duo genera discipulorum habuit, quosdam in numero duodeno, quosdam in numero septuagesimo, primos Apostolos nominavit *(Luc. 6, 13)*, super quos etiam fundavit Ecclesiam, ipsos tamen primo fundando in se, alios simplices discipulos appellavit. Et Apostolis primo fuit collata potestas imponendi manus et consecrandi, non autem simplicibus discipulis, sicut patet ex textu et ex glossa. Et quoniam Apostolis successerunt Episcopi, discipulis vero sacerdotes simplices; ... ita patet, quod auctoritas ordinandi et manus imponendi, secundum formam Ecclesiae primitivae, Episcopis appropriatur. Unde et Apostolus *(1. Tim. 5, 22)* scribens dicit: *Manus cito nemini imposueris.* Consilium etiam Spiritus sancti concordat, quo et Scripturae sunt editae, et Constitutiones ecclesiasticae. Quia enim ordo potestas est, sive in ordine potestas traditur; ideo ab eo debet tradi, qui potestatem habet, et in quantum habet potestatem. Posse autem gradus distribuere et conferre non est cujuslibet potestatis, sed ejus qui in potentia supereminet, sicut patet etiam in regimine curiae saecularis. Ad hoc ergo, quod ordo recte tradatur, disponit Spiritus sanctus, quod tradatur ab eo, qui non solum habet ordines, per quos est potens, sicut et alii, sed et eminentiam dignitatis, per quam potest super alios. Hunc autem dicimus ordinem, qui dicit ordinem cum eminentia. Ideo patet, quod duo requiruntur ad hoc, quod Episcopus possit ordinem conferre, scilicet quod ille habeat illum ordinem, et quod habeat episcopalem dignitatem. Alia ratio est, quia si passim omnibus esset concessum, tot admitterentur ad ordines, quod non servaretur ordo, imo potius generaretur confusio. Et ideo dispositum est Dei consilio, quod solis Episcopis ordinum dispensatio, et aliorum perfectorum, ut consecratio abbatum, monialium, et ecclesiarum, et consimilium concedatur. Posset etiam alia ratio assignari, sive ex hoc quod Episcopus sponsus est, sive ex hoc quod sacramentum ordinis statum perfectionis dicit; ideo his, qui habent potestatis eminentiam, debuit reservari: et Episcopus, tamquam sponsus, filios, id est perfectos, et filias, id est imperfectos, debuit generare. Prima tamen ratio melius valet." *4. dist. 25. a. 1. q. 1.*

*) Bigamum, ideoque irregularem, esse censendum etiam illum, qui unam uxorem ante baptismum, aliamque post baptismum habuit, S. Innocentius I contra opinionem S. Hieronymi definivit.

*) Origo ritus dandi velum monialibus repetitur ex illis verbis Apostoli *(1. Cor. 11, 5): Omnis mulier orans, aut prophetans, non velato capite, deturpat caput suum.* Aliud autem est velum *receptionis*, quod datur novitiae, dum tirocinium probationis aggreditur, aliud *professionis*, et aliud *consecrationis*. Hujus postremi tantum reservatur impositio Episcopis, qui nec presbyteros possunt ad eam delegare. Hodie fere ubique hujusmodi consecratio in desuetudinem abiit; ubi tamen adhuc est in usu, fieri debet in ecclesia exteriori et certis diebus festis; et insuper oportet, ut monialis velum acceptura saltem vigesimum quintum aetatis annum attigerit, sit virgo, et ad Ordinem ab Apostolica Sede approbatum, non tamen ad aliquem ex mendicantibus, pertineat.

CAPUT XIII.

De integritate matrimonii.

(Matrimonium fuit ante peccatum in officium naturae, — post peccatum in remedium. — Quid significet, — et quomodo introducatur. — Ejus bona sunt tria, — et impedimenta duodecim.)

De sacramento matrimonii [1] haec in summa tenenda sunt, quod matrimonium est conjunctio [2] legitima maris et feminae, individuam vitae consuetudinem retinens [3]. Haec autem conjunctio non solum fuit post peccatum, verum etiam ante peccatum. Sed prius institutum fuit sacramentum conjugii in officium, nunc autem non solum in officium, verum etiam in remedium contra libidinis morbum [4]. Prius significabat conjunctionem Dei et animae; nunc vero [a] praeter hoc significat conjunctionem Christi et Ecclesiae, et duarum naturarum in unitate personae. Introducitur autem haec conjunctio in esse per liberum consensum animorum ex parte utriusque personae, exterius expressum in aliquo signo sensibili; consummari autem habet in copula carnali. Nam per verba de futuro dicitur [b] matrimonium initiari, per verba de praesenti ratificari, sed per carnalem copulam habet consummari (I). Hujus autem sacramenti tria sunt bona, scilicet [c] fides, proles,

a) Autem ed. 1484.

b) Habet ibid.

c) Scilicet om.

(I) Matrimonium, ut patet, spectari potest vel quatenus officium naturae, vel quatenus sacramentum. Porro, prout est officium naturae, ejus honestas impugnata fuit ab antiquis Gnosticis et a Manichaeis, qui nuptias a diabolo invectas illicitasque esse autumabant. Adversus eos Concil. Trident. *sess. 24. can. 1:* „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, . . . neque gratiam conferre; anathema sit.“ Et *ibid.* in *Doctrina:* „Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una (Gen. 1, 23. 24).*“

Praecipui tamen errores modo versantur circa matrimonium, prout est sacramentum. Et primo quoad ejus essentiam, Protestantes et Neoterici nudum contractum naturalem, minime vero sacramentum esse docent. Contra eos, praeter canonem cit. Concil. Trident., est propositio 65. Syllabi a Pio IX damnata: „Nulla ratione fieri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.“ Neoterici praeterea matrimonium civile inducentes, autumant in matrimonio sacramentum nihil esse aliud quam quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ita ut vi contractus mere civilis haberi possit inter christianos matrimonium veri nominis. Sed contra hoc figmentum idem S. Pontifex in Allocutione habita die 27. septembris an. 1852 proclamavit, „inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari nunquam posse.“ Et in praecitato Syllabo damnavit sequentes propositiones, quae sunt 66. et 73.: „Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.“ — „Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.“ Et Leo XIII in litteris 1. junii 1879 ad Archiep. et Episc. Eccl. Provinc. Taurin. Vercell. et Genuen., omnino ad rem haec habet: „Vos certe non latet, quomodo ad honestandam civilis potestatis immissionem in christiana matrimonii legislatione, ceu moderni progressus inventum, adducatur contractus a sacramento resolutionis conceptum; ita ut, divisim habito pro contractu, subjici Status dictioni idem praesumitur, Ecclesiae solummodo ritualis benedictionis opus relinquendo. Ad vim theoriae huic comparandam praesto sunt et exterorum codicum auctoritas, et factum alicujus catholicae nationis, penes quam matrimonium lex civilis et laica prorsus moderatur. Verumtamen quidquid jurisperiti acatholici, vel Status autocratiae addicti referant, pro certo habetur, nunquam vere catholicorum conscientiam excipere hujusmodi posse doctrinam ceu christianae legislationis de matrimonio fundamentum; eo quod dogmatico errori innitatur, pluries ab Ecclesia damnato, utpote qui ad externam caeremoniam et ad meri ritus conditionem sacramentum redi-

et sacramentum *(Aug. de gen. ad litt. l. 9. c. 7);* et duodecim impedimenta, quae impediunt contrahendum, et dirimunt jam contractum[5], quae in his versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Haec socianda[d] vetant conjugia, juncta retractant*).

d) Facienda ibid.

gat: doctrina isthaec christiani matrimonii essentiae conceptum subvertit, in quo connubiale ligamen, religione sanctificatum, una fit res cum sacramento, et cum eo unum individuum constituit subjectum et unicam substantiam. Quamobrem in christiana societate connubium profanare, idem est ac illud de gradu dejicere, fidei subjectorum religiosae injuriam inferre, atque exitiosas eorumdem conscientiae intexere insidias, eo quod sola civilis actus legalitas nec sufficit, nec sufficere potest ad honestandas eorum uniones, et felices reddendas eorum familias. Neque catholicarum nationum prodest exemplum, quae diris funditus agitatae luctis motibusque socialibus, talem subire reformationem coactae fuere; quam vel inspiraverunt doctrinae et opera heterodoxorum, aut indidit imperantium vis; quae tamen reformatio, praeter quam quod uberrimos dederit amaritudinis fructus, nunquam pacificâ usa est possessione, sed incessanter reprobata fuit per proborum catholicorum conscientiam, necnon per legitimum Ecclesiae magisterium."

Etiam quoad matrimonii proprietates, quae ad unitatem et ad indissolubilitatem reducuntur, errores irrepserunt. Et quidem unitati per excessum adversabantur Novatiani et Montanistae, damnantes ut illicitas secundas nuptias; et Graeci, qui quartas reprobabant. Contra hos, Eugenius IV ad Armenos: „Declaramus, non solum secundas, sed et tertias et quartas atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum non obstet, licite contrahi posse."

Per defectum autem contra unitatem venit polygamia simultanea, quam christianis juri divino non adversari, imo aliquando permittendam esse, Protestantes contenderunt. Sed contra Concil. Trident. *sess. 24. can. 2:* „Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; anathema sit."

Quoad secundam matrimonii proprietatem, nempe indissolubilitatem, praenotandum est matrimonium distingui in verum, ratum et consummatum. Verum dicitur matrimonium ab infidelibus legitime contractum: ratum est matrimonium a christianis initum, et ita vocatur, quia in eo est ratio sacramenti: consummatum demum est idem ratum, usu interveniente, completum. Praenotandum est etiam solutionem esse posse vel a vinculo, vel tantum a toro seu ab habitatione. Hisce praemissis, Protestantes 1° negant indissolubilitatem matrimonii esse juris divini. Sed contra Concil. Trident. *sess. 24* in *Doctrina de matrim.:* „Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc etc.* 2° Contendunt matrimonium consummatum pluribus ex causis, praesertim, in quo cum Graecis schismaticis conveniunt, propter adulterium, dissolvi posse quoad vinculum. Sed contra Eugenius IV in praecitato Decreto pro Armenis statuit, quod „quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit." Et Concil. Trident. *sess. cit. can. 5:* „Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse matrimonii vinculum: anathema sit." Et *can. 7:* „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit: anathema sit." 3° Negant matrimonium tantum ratum dissolvi posse per solemnem votorum professionem. Sed contra Trid.

*) Quindecim modo enumerari solent impedimenta dirimentia, his contenta versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave si mulier parti nec reddita tutae,
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Igitur, praeter indicata a S. Doctore, tria adjunguntur impedimenta, nempe aetatis, raptus et clandestinitatis. Sed primum ingreditur, ut ita dicam, in defectu libertatis et idoneitatis, de eoque S. D. agit *4. dist. 36. a. 2. qq. 1. 2:* secundum includitur in impedimento violentiae; tertium autem tempore Seraphici nondum exstabat.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quod Verbum Dei, est fons sapientiae in excelsis; eo ipso quod incarnatum, est clementiae fons in terris; et ideo eo ipso quod Verbum increatum, est humani generis formativum ex summa sapientia; eo ipso quod incarnatum, est ipsius reformativum ex summa clementia: ideo enim [e] humanum genus reparat per clementiam, quia prius reparabile fecit ex sapientia, quae pro suo summo ordine exigebat, quod genus humanum faceret potens stare, potens labi, potens etiam reparari, sicut in praecedentibus ostensum fuit. Quoniam ergo Verbum Dei in sua sapientia hominem fecit, sicut et congruum fuit, potentem stare, cadere et surgere; hinc est, quod genus humanum eo modo propagandum ordinavit, quod ex [f] ipso modo propagandi haberet, quod manuduceret ipsum ad standum; haberet etiam, quod manuduceret

[e] Enim om. ibid.

[f] Ex om. ibid.

l. c. can. 6: „Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.“ 4° Ecclesiam errore insimulant, eo quod separationem inter conjuges quoad torum aliquando permittit. Sed contra Trid. *l. c. can. 8:* „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.“ 5° Statum conjugalem virginitati anteponunt. At contra Trid. *l. c. can. 10:* „Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut caelibatu, quam jungi matrimonio; anathema sit.“ 6° Validum asserunt matrimonium Clericorum in sacris Ordinibus constitutorum, et Regularium, qui castitatem solemniter sunt professi. Sed contra Concil. Trident. *l. c. can. 9:* „Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.“ — Est etiam propositio 72 damnata in Syllabo, nempe: „Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.“ 7° Prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, benedictiones et alias caeremonias ecclesiasticas damnant. Sed contra Concil. Trident. *l. c. can. 11:* „Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.“

Erasmus Roterodamus, et post eum Calvinus, imo etiam Lutherus, si ex matrimonio nulla proles suscepta fuerit, docuerunt matrimonia a filiisfamilias contracta insciis vel invitis parentibus esse nedum illicita, verum etiam nulla et irrita, jure naturali ac divino. Hunc errorem Conc. Trid. *l. c. cap. 1. de Reform.* reprobavit ac damnavit his verbis: „Tametsi dubitatum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, prout eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis ea semper detestata est et prohibuit.“

Novatores nostri temporis praeterea negant matrimonium esse indissolubile jure naturae. Contra quos est *prop. 67* in Syllabo damnata, quae est: „Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.“ — Denique nonnulli neoterici autumant matrimonium legitimum infidelium nunquam dissolvi posse quoad vinculum. Sed contra Innocentius III in Decreto: *De divortiis* statuit: „Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur; ad secunda, si voluerit, vota transibit; et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, *1. Cor. 7, 15, si infidelis discedit, discedat* . . . Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum.“ Hinc Benedictus XIV *De Syn. Dioec. l. 6. c. 4. n. 3* ait: „Certum est, infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso, et per apostolum Paulum promulgato, dissolvi, cum conjugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris.“

ad remedium, sicut etiam in propagatione illa est aliquid per peccatum, scilicet libido, quod traducit morbum. Et quia status hominis erat ex conjunctione ipsius animae ad Deum per amorem unitivum modo castissimo, singulari et individuo; remedium veniebat ex conjunctione divinae naturae et humanae in unitatem hypostasis et personae, unitatem, inquam, divina gratia introductam, ut singularem et individuam; hinc est, quod Deus ab initio instituit [6], ut propagatio fieret per conjunctionem maris et feminae individuam [7] et singularem [8], quae significaret ante peccatum conjunctionem Dei et animae, seu Dei et supercaelestis [g] hierarchiae, post peccatum vero conjunctionem Christi et humanae naturae, seu Christi et Ecclesiae [9]; et ideo utrobique est sacramentum, scilicet ante et post, licet alio et alio modo, quantum ad significationem et usum [10]. Cum enim esset sacramentum, antequam superveniret morbus, libido, quae supervenit per peccatum, potius habet per matrimonium excusari [11], quam ipsum valeat [h] vitiare [12]; quia non morbus medicamentum corrumpit, sed medicamentum habet curare morbum [13] (II). Ex quo manifeste apparet, quid sit matrimonium, et qualiter divinitus sit introductum in esse.

g) Sub caelestis ed. Rom., supercaelestis ed. Ven. et 1484.

h) Habeat ed. 1484.

Rursus, quia quaelibet praedictarum spiritualium unionum [i] in sacramento matrimonii significatarum est unio unius sicut agentis et influentis, alterius [j] sicut patientis et suscipientis, et hoc faciente amoris vinculo, qui ex mera voluntate procedit; hinc est, quod matrimonium debet esse conjunctio duplicis personae, differentis secundum rationem agentis et patientis, scilicet virilis sexus et muliebris, et hoc ex mero consensu voluntatis [14]. Et quia voluntas exterius non apparet, nisi per signa ipsam exprimentia; hinc est, quod necesse est, ut consensus mutuus exterius exprimatur [15]. Quia vero consensus ut de futuro non est proprie consensus [16], sed ipsius promissio [17], consensus vero ante commixtionem non facit plenariam unionem, quia nondum sunt una caro; hinc est, quod per verba de futuro dicitur matrimonium esse initiatum, de praesenti ratum vel [k] confirmatum, sed in carnali copula consummatum [18], quia tunc sunt una caro, et unum corpus fiunt; ac per hoc plene significat unionem illam, quae est inter nos et Christum [l]. Tunc enim plene traducitur corpus unius in corpus alterius secundum sui comparis potestatem ad procreandam [m] prolem. Et ideo ipsius matrimonii sunt tria bona [19], scilicet sacramentum [20], propter vinculum insolubile [21], fides, propter debiti solutionem [22]; proles [23] vero, sicut effectus consequens ad utrumque [24] (III).

i) Et add. ibid.

j) Et alterius ibid.

k) Ratum vel om. ibid.

l) Deum ibid.

m) Procreandum ibid.

(II) Ad rem huc veniunt verba S. P. Leonis XIII, quae leguntur in novissima ejus Epistola Encyclica 10. februarii hujus anni 1880. „Principio quidem, ait summus Pontifex, lex est provisa divinitus, ut quae Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit, quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim juvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Jamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum conjiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturae, et divinae providentiae tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum fieri potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex hujusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animorum incolumitatique reipublicae perniciosius.“

(III) Multiplices ac praeclaros fructus, quos ex divina institutione matrimonia in publicam utilitatem ac salutem ferunt, S. P. Leo XIII in eadem praecitata Epistola Encyclica ita enumerat: „Si consideretur, quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis

Postremo, quia dicta conjunctio matrimonialis debet esse ex libero consensu procedens ad copulationem personarum distantium in unam matrimonii [n] legem [25], et hoc potest duodecim modis impediri; hinc est, quod duodecim sunt impedimenta matrimonii [26]. Quod patet sic. Ad matrimonialem namque consensum requiritur libertas in consensu [27], et libertas in consentiente, et idoneitas ad conjunctionem. Sed libertas in consensu tollitur per duo, secundum duas partes involuntarii, scilicet per ignorantiam et per violentiam [28]. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet error [29] et violentia [30]. Libertas autem in consentiente tollitur per hoc, quod quis est alligatus alteri, et hoc, vel Deo vel homini. Si Deo, hoc est, vel per votum expressum [31], vel per aliquid, quod habet votum annexum. Primum est in voto [32], secundum in ordine [33]. Si autem homini, hoc est [o] dupliciter, aut per ligamen existens, aut per ligamen praecedens. Primum est in ligamine [p], quo quis ligatus est uxori; secundum est in crimine, quando moechus, vel moecha machinatus est in mortem conjugis [34], vel, ipso vivente, fidem de contrahendo dedit [35]. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet votum, ordo, ligamen et crimen. Idoneitas autem ad unionem est distantia personarum conveniens, quae tollitur, per nimiam proximitatem, vel [q] per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas venit sive [r] per generationem [36], sive per aliquid simile generationi, ut est cognatio legalis [37] [s] spiritualis [38]; aut venit per commixtionem sexuum, aut per contractionem sponsalium [39]. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet cognatio [40], affinitas [41] et publicae justitiae honestas [42]. Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea, quae sunt naturae, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad ea, quae sunt fortunae, quae non sunt in nostra potestate, ut patet, cum est unus servus et alter liber; aut quantum ad ea, quae sunt religionis christianae, ut cum unus [t] est baptizatus, alter vero minime [u]. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet impotentia coëundi [43], error [v] conditionis [44] et disparitas religionis [45]. Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quae, Spiritu sancto dictante, introducta [x] sunt in Ecclesia Dei, cui [y] etsi omnia sacramenta sint [z] commissa, potissime conjugii sacramentum commissum est regulandum (IV) propter varietates, quae

n) Matrimonialem ibid.

o) Est om. ibid.

p) Ligamen ibid.

q) Et ibid.

r) Sive om. ibid.

s) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Ven.; aut ed. Rom.

t) Quis ed. 1494.

u) Alter non ibid.

v) Et error ibid.

x) Inducta ibid.

y) Ita ibid., in cet. editt. Cui scilicet Ecclesiae.

z) Ita ibid. in cet. sunt.

et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeterquam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam conjugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adjumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia caelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia, quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis exspectare civitates jure possunt genus et sobolem civium, qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem. Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex."

(IV) Waldenses omnium primi, ut videtur, matrimonii impedimenta parvi pendere sunt ausi, eosque secuti sunt Novatores saec. XVI, qui ea despicientes effutierunt in Ecclesiae facultate non fuisse jus constituendi impedimenta dirimentia eamque in iis constituendis erravisse. Saec. XVII Marcus Antonius De Dominis Archiep. Spalatensis, et dein a fide desertor, quem secutus est Joannes Launojus doctor sorbonicus, Ecclesiam regiae potestati subjectam esse dictitarunt. Ex horum figmentis doctrina Regalistarum derivavit, qui proprium et originarium jus Ecclesiae sive statuendi impedimenta, sive in causis matrimonialibus quibuscumque sese ingerendi agnoscere renuentes, illud civili potestati exclusive tribuunt; vel ad summum, qui

circa hoc sacramentum incidere possunt, et propter morbum annexum, qui est maxime

temperatiores dicuntur, utrique potestati ecclesiasticae et civili ex aequo convenire contendunt. Haec Regalistarum doctrina superiore saeculo late diffusa fuit, opera potissimum Jansenistarum, qui ipsam in odium pontificiae potestatis et in principum gratiam omni cavillationum arte defenderunt, ac in Pistoriensi Conciliabulo proclamarunt. Hinc factum est, ut civiles legislationes fere ubique, licet variis passim appellatae nominibus, ut Gallicanae, Febronianae, Josephinae, Leopoldinae, Tanuccianae etc. hac pice inficerentur. Nostris autem temporibus, etsi saltem aliquatenus praefata Regalistarum figmenta in desuetudinem abierint, imo etiam alicubi penitus fuerint sublata, uti in dominiis austriacis, in quibus anno 1855 conventione a piissimo Imperatore Francisco Josepho I, maxima sui nominis gloria et summo omnium bonorum gaudio, cum Sede Apostolica inita matrimonium ad canonicas sanctiones revocatum fuit; non desunt tamen, qui iisdem damnatis doctrinis imbuti, eas mordicus tueri, ubi adhuc quoquo modo vigent; vel pro viribus suscitare, ubi jam obsoleverint, impio ausu conantur.

Sed contra omnes recensitos errores Concilium Tridentinum *sess. 24. can. 3* definivit: „Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.“ *Can. 4:* „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.“ Et *can. 12:* „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.“ Porro hunc canonem loqui de jure proprio et originario, non de jure quasi-concessionali, prout Synodus Pistoriensis autumavit, constat ex censura propositionis 59 ejusdem Synodi his verbis contenta: „Doctrina Synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia; quod jus originarium praeterea dicitur cum jure dispensandi essentialiter connexum; subjungens, supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; — quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; — *canonum 3, 4, 9, 15 sess. 24 Concilii Tridentini eversiva, haeretica.*“

Contra autem modernos Regalistas Pius IX sequentes propositiones in Syllabo damnavit: — 68. „Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. — 69. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. — 70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. — 74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.“

Sed contra Regalistarum errores Ecclesiae jura strenue tuitus est S. P. Leo XIII in praecitata novissima Epistola Encyclica, cujus verba, quum omnino ad rem faciant, nefas esset hîc loci non referre.“ „Christus, inquit, matrimoniorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in conjugia christianorum omni cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. Et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos *(Act. 15, 29);* civem Corinthium incesti damnatum beati Pauli auctoritate *(1. Cor. 5, 5);* propulsatos ac rejectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei christianae primordia; nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum. — Simili modo jus matrimonii aequabile inter omnes atque unum omnibus est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine *(cap. 1. de conjug. serv.)* exaequata viri et uxoris jura; etenim, ut ajebat Hieronymus, „apud nos quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur“ *(Oper. t. 1. col. 455):* atque illa eadem jura ob remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adultera sumere *(can.* Interfectores, et *can.* Admonere, *quaest. 2),* juratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est, quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus conjugii cupidis quidquam de justa libertate minueretur *(cap. 30. quaest. 3. cap. 3. de cognat. spirit.);* quod nuptias

infectivus, et minime tenens modum; et ideo ipsius Ecclesiae est gradus cognationum [aa] aa) Cognationis ibid.

inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit *(cap. 8 de consang. et affin.; cap. 1. de cognat. legali)*, ut nimirum supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit *(cap. 26 de sponsal.; capp. 13, 15, 29 de sponsal. et matrim., et alibi)*; quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum *(cap. 1 de convers. infid.; cap. 5 et 6 de eo qui duxit in matr.)*, quod conjugiorum decus *(cap. 3, 5 et 8 de sponsal. et matr. — Trid. sess. XXIV, cap. 3 de reform. matr.)*, quod religionis incolumitatem *(cap. 7 de divort.)* sarta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad conjugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam temporum, et injurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit. — Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte; sed multo aetate nostra peccant perniciosius, qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque hujus rei causa in eo praecipue sita est, quod imbuti falsae philosophiae opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere: acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiae atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiae subesse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum. Sed jam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua jura fortiter vindicent, atque omnem conjugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de causis, quae conjugiis impedimento sint; hinc judiciales sententiae de contractibus conjugalibus jure ne initi fuerint an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere juris constituendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla jam ratio habeatur nec divinae potestatis ejus, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia pervenisset. — Attamen *Naturalistae*, iique omnes, qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed naturâ insitum. Quocirca Innocentius III *(cap. 8 de divort.)* et Honorius III *(cap. 11 de transact.)*, decessores Nostri, non injuria nec temere affirmare potuerunt, „apud fideles et infideles existere sacramentum conjugii“. Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore juris et aequitatis cognitione praestiterant; quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. Postremo magnum pondus est, magna vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii *(can. Apost. 16, 17. 18)*, de nuptiis servos inter et ingenuas *(Philosophum. Oxon.*

limitare[46], sicut pro tempore expedire videt (V), et personas legitimas vel illegitimas judicare[47], et divortia facere[48] (VI). Sed nunquam debet, nec potest matrimonium, quod

1851), tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem: praesertim cum jus illud ab Ecclesia profectum a civili jure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr *(Epist. ad Polycarp. cap. 5)*, Justinus *(Apolog. maj. n. 15)*, Athenagoras *(Legat. pro Christian. nn. 32, 33)* et Tertullianus *(De coron. milit. cap. 13)*, tamquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. Postea vero quam ad christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui, de matrimoniis jubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano *(De Aguirre, Conc. Hispan. tom. 1, can. 13, 15, 16, 17)*, Arelatensi *(Harduin., Act. Concil. tom. 1. can. 11)*, Chalcedonensi *(ibid. can. 16)*, Milevitano II *(ibid. can. 17)* aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis jure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Justinianus *(Novel. 137)* fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate *(Fejer Matrim. ex instit. Christ. Pest, 1835)*; cujus ipsius judicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium *(cap. 3 de ordin. cognit.)*, de divortiis (*cap. 3 de divort.)*, denique de rebus omnibus cum conjugali vinculo necessitudinem quoque modo habentibus *(cap. 13. qui filii sint legit.)*. — Igitur jure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiae potestate esse „impedimenta matrimonium dirimentia constituere *(Trid. sess. XXIV, can. 4)*, et causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare *(ibid. can. 12)*." — Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari; cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium, matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. — Huc accedit, quod ob hanc causam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia christianorum ad principes reipublicae esse jure traductam. Quod si hac in re alienum violatum jus est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum. — Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et injustitiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum" . . . Attamen „non ipsa ignorat, neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt, qui reipublicae praesunt" . . . Quin immo „vult atque optat, ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur."

(V) Nam, quemadmodum S. P. Leo XIII scripsit in eadem Epistola, „Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione juris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate jurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum; nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret, causae justae et graves impulerunt."

(VI) Antireligiosa doctrina contra connubiorum sanctitatem supremum attigit gradum in lege gallicana anno 1792 promulgata, quae conjugium spectans ut mere civilem contractum, et nulla sacramenti vel

legitime [bb] introductum est (VII), annullare, quia quos Deus conjunxit, non potest homo,

bb) Nec potest legitime matrimonium, quod introductum etc. ibid.

impedimentorum ratione habita, divortia omnibus permisit. Napoleo I codicem reipublicae emendavit, sed religioni matrimonium non restituit. Porro quam late etiam nostra aetate pateat via ad hujusmodi excessus renovandos, quantique materiam mali divortia contineant, et quid ex iis timendum sit in societatis perniciem, audiatur supremus Ecclesiae Magister Leo XIII, qui in praecitata Encyclica gravissimis hisce verbis mentem suam aperuit. „Quia modo passim libuit humanum jus in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum conjugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni, quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere christiana religio jubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac rejecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae hominum naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione christiana major, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod jure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliaeve causae liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur. — Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem juris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa hominum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse conjugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate conjunctionis humanae, stulte putantes extremum grassanti morum corruptelae remedium ab ejusmodi legibus esse quaerendum. — At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia, infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum januamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant inter certos, aut ante provisos, limites coërcere. Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans. — Haec certe sunt omnia per se clara; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti poenituerit; qui nisi contraria lege remedium mature quaesissent, timendum erat, ne praeceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta cum licentia violari coepit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum, enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane multis: istas tamen propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis: in quibus si quando datus est conjugiorum discidiis locus, incommodorum, quae consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per injurias, per adulteria fingere causas ad

quantumcumque sit magnae potentiae, separare[49], cum ipsius Dei judicio judicandi remaneant universi.

illud impune dissolvendum, cujus pertaesum esset, conjunctionis maritalis vinculum: idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes judicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros et calamitosos habiturae sint leges divortiorum fautrices, si-cubi forte in usum aetate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint: quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum sacramenti posthabita, diffingere ac deformare conjugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime conjiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis exspectare, quae potius in certam societatis perniciem sunt evasura. — Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit *(Pius VI, Epist. ad Episc. Lucion. 28. maji 1793. — Pius VII, Litt. encycl. die 17. febr. 1809, et Const. dat. die 19. jul. 1817. — Pius VIII, Litt. encycl. die 29. maji 1829. — Gregorius XVI, Const. dat. die 15. augusti 1832. — Pius IX, Alloc. habit. die 22. sept. 1852);* quod haeresim deterrimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit *(Trid. sess. XXIV, can. 5 et 7);* quod usitatam graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit *(Conc. Florent., et Instr. Eug. IV ad Armenos. — Bened. XIV, Const.* Etsi pastoralis, *6. maji 1742);* quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur *(cap. 7 de condit. appos.);* quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent *(Hieron. Epist. 79 ad Ocean. — Ambros. lib. VIII in cap. XVI Lucae, n. 5. — August., De nuptiis, cap. 10).* — Pontifices vero maximi quoties restiterunt principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitate gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum; a Caelestino III et Innocentio III adversus Alphonsum a Legione et Philippum II principem Galliarum; a Clemente VII et Paulo III adversus Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem. — Quae cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere oblatumque Ecclesiae adjumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati juris civilis insimulationem."

(VII) „Omnibus exploratum esse debet, ita idem Summus Pontifex ibidem, si qua conjunctio viri et mulieris inter Christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse quam ritum aut morem jure civili introductum; jure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat."

Ad Caput XIII.

[1] „Hoc sacramentum appellatur conjugium, appellatur et nuptiae, appellatur et matrimonium. Et hanc triplicem denominationem habet secundum triplicem comparationem, sive considerationem. Potest enim considerari secundum illud, quod est; et sic dicitur conjugium, quasi commune jugum, quia mutuum est vinculum et mutua potestas ... Aut secundum signum, in quo apparet; et sic dicuntur nuptiae, quasi a nubibus, quia nubentes operiri solebant, et eorum capita velabantur; unde et nomen translatum est. Aut secundum fructum, ad quem perducit; et quoniam perducit ad bonum prolis, ideo matrimonium appellatur. Magis autem bonum prolis per matris nomen datur intelligi, quia mulier propter procreationem liberorum facta est in adjutorium viri, et quia in procreatione prolis magis incumbit sibi labor. Unde nota, quod matrimonium quatuor habet etymologias secundum nomen matris. Uno modo dicitur matrimonium, quia matris monos, id est lex; quia, ut dicit Augustinus *(contra Faustum l. 16. c. 26):* Ad hoc debet femina nubere etc. Secundo modo, quia matrem monet, ut servet foedus contra luxuriam; contra

quod dicitur *(Prov. 2, 17—18): Reliquit ducem pubertatis suae, et pacti Dei sui oblita est.* Tertio modo, quia matrem in vita defendit, tum per virum, tum per prolem, quia mulier indiget defensore: *Defendite viduam (Isai. 1, 17).* Quarto matrimonium dicitur matris munium, id est matris officium, pro eo quod prolis enutritio et acquisitio maxime spectat ad mulierem in concipiendo, in portando, in pariendo, in nutriendo et in compatiendo. Unde sicut possessio dicitur patrimonium, quia paterna sollicitudine acquiritur; sic prolis acquisitio matrimonium est." *4. dist. 27. a. 1. q. 2.*

[2] „Sicut in ablutione baptismi est aliquid permanens, sicut impressio characteris, et aliquid transiens, ut lotio exterior, et utrumque dicitur baptismus; sic in matrimonio est aliquid permanens, et hoc est vinculum, per quod ligatur vir et mulier, quantumcumque exterius separentur, et aliquid transiens, sicut conjunctio primo facta per verbum exterius, vel per exteriorem actum; et utraque dicitur matrimonium, et utraque est conjunctio. Et ideo recte matrimonium conjunctio dicitur." *Ibid. q. 1.*

[3] „Notatur ibi quadruplex genus causae, scilicet formalis, in hoc quod dicitur: Conjunctio maritalis: efficiens, in hoc quod dicitur: Viri et mulieris, quae in quantum consentiunt, se habent in ratione causae efficientis; materialis, in hoc quod dicitur: Inter legitimas personas; finalis, in hoc quod dicitur: Individuam vitae etc.; ubi tangitur bonum sacramenti, quod est principale matrimonii." *4. dist. 27. dub. 1.*

[4] „Quia institutio respicit usum, usus matrimonii est in remedium, et est in officium. Usus autem aliorum sacramentorum est tantum in remedium; ideo matrimonii usus non tantum convenit infirmis, sed etiam sanis. Et ideo duplex fuit ejus institutio, una ante lapsum in officium, alia post lapsum in remedium." *4. dist. 26. a. 1. q. 1.*

[5] „Hoc sacramentum habet impedimenta plura, sed quaedam impediunt ex congruitate, et ista dicuntur impedire contrahendum, sed non dirimere jam contractum; ut est Ecclesiae interdictum, si fiat clanculo*), et tempus feriatum; quia talia respiciunt solemnitatem matrimonii. Quaedam impediunt de necessitate, quia non stat cum eis

*) Tempore Seraphici clandestinitas impediebat tantum, non dirimebat matrimonia. Quamvis enim, ut etiam ex ipso S. D. *4. dist. 28. a. 1. q. 5* patet, clandestina conjugia Ecclesia nunquam non fuerit detestata, ea tamen pro validis semper habuit. Verum post Concilium Tridentinum, in iis regionibus, in quibus ipsum promulgatum fuit, clandestinitas impedimentum dirimens esse coepit. In illa enim Synodo, *sess. 24, decr. de reform. matrim. cap. 1,* sancta Ecclesia, cujus est, ut ait ipsemet Seraphicus in textu, *sicut pro tempore expedire videt, personas legitimas vel illegitimas judicare,* occulte contrahentes illegitimos declaravit ad conjugia ineunda, et idcirco ea irrita ac nulla sunt censenda, imo nec in sponsalia possunt transire. En Concilii verba: „Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit; et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat." Dubitatum aliquando fuit, an, stante bona fide, sustineri posset pro valido matrimonium coram parocho et unico teste contractum. At Congregatio Concilii die 14. januarii 1673 negative respondit. Eadem tamen, proposito dubio super validitate matrimonii contracti coram duobus testibus sine parocho in loco, ubi haereticus tantummodo minister residebat, catholicus autem parochus, aliusve sacerdos, vel omnino non aderat, vel illius adeundi libera potestas non erat, omnibus facti circumstantiis rite perpensis, pro validitate respondit die 30. martii 1669. Ita ex Benedicto XIV *de Syn. dioec. l. 12. c. 5. n. 5.* Ex qua postrema decisione facile eruitur, impotentiam adeundi proprium parochum vel Episcopum, vel sacerdotem ab his delegatum, dummodo sit communis in aliqua provincia, ex. gr. ob politicam vel religiosam regni perturbationem, excusare ab impedimento clandestinitatis. Verum expressius id exposuit Pius VI in epistola ad Episcopum Lucionensem sub die 28. maji 1793, occasione gallicae perturbationis, dicens: „Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, horum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit a S. Congregatione Concilii Tridentini interprete." Idem tamen Pontifex eodem anno die 5. septembris in Brevi ad Episcopum Genevensem declaravit, „quoties duo saltem testes minime adfuerint, matrimonia esse invalida, et quatenus fieri posse, revalidanda." Neque praetereunda videtur ad pleniorem rei, de qua agitur, elucidationem, responsio S. Congregationis Cardinalium pro negotiis Ecclesiae Gallicanae specialiter deputatorum, quam die 22. aprilis 1795 Episcopis Galliae dedit, qui dubium proposuerant: An, supposito quod matrimonium celebratum fuerit absque benedictione sacerdotis, qui tunc haberi non poterat, conveniat necne, ut praefata benedictio postea suppleatur. Respondit, „fideles hortandos esse, ut cum sacerdotis (catholici cujuscumque) copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen iis declarabit, hujusmodi benedictionem ad validum matrimonium minime pertinere. Hic porro sacerdos in simili casu, haec verba: Ego vos conjungo, proferre non debet, cum haec verba ad benedictionem nuptialem non pertineant, sed ad ipsam celebrationem matrimonii." Nuperrime autem, testante cl. Vecchiotti, *Instit. Canon. lib. 5. c. 13. § 106,* Congregatio S. Officii „declaravit facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tum adesse, cum per mensis spatium accessus ad eumdem tutus non sit. Pariter matrimonium celebratum in locis missionis absque praesentia parochi, qui habitualem residentiam non habet, validum est, etiam si nupturientes non valde distent e loco, ubi parochus residet, ut patet ex S. Sedis declaratione an. 1829, quam Episcopus S. Ludovici refert. Ex quibus colligitur, prosequitur idem auctor, matrimonia, quae, non servata forma a Tridentino praescripta, contrahuntur, valida esse tum in locis, ubi decretum de clandestinitatis impedimento vel non est publicatum ac susceptum, vel diuturna consuetudine non est observatum; tum etiam in locis, ubi, licet promulgatum fuerit, usuque receptum, nulli tamen proprii adsunt pastores, vel adsunt, sed nullo modo aut difficillime et cum gravi periculo adiri possunt. Quod aequitati valde consentaneum est. Siquidem ubi impossibilitas universalis et perpetua foret, totamque rempublicam, regionem, aut communitatem aliquam afficeret, aequitas postulat, ut forma tridentina, quoad illud personarum genus, cui difficillimum, aut fere impossibile redditur eam servare, non censeatur inducta. Idem dicendum esse nonnulli arbitrantur, ubi impotentia adeundi parochum vel Episcopum particularis sit, quia eadem ratio valere videtur.

Animadvertendum est tamen, sponsalia, seu promissiones de futuro, sine parocho ac testibus facta, etiam post Tridentinum esse omnino valida, prout eadem Congregatio anno 1573 his verbis declaravit: „Concilium Tridentinum decrevisse tantum

sacramentum: unde dicitur impedire contrahendum, et dirimere contractum, quia, quamvis esset contractum de facto, tamen in veritate, non fuit sacramentum, nec matrimonium verum." *4. dist. 34. a. 1. q. 2.* — Quum porro de impedimentis dirimentibus inferius seorsim sermo habeatur, hîc duas quaestiones addere sufficit, quae ad impedimenta simpliciter impedientia spectant. — „Ratione duplici interdictum est celebrare nuptias aliquibus temporibus, non tamen per simplicem consensum contrahere, vel sponsalia." — „Duplex est ratio, quare in his tribus temporibus interdictum sit nuptias celebrare, una scilicet moralis, alia figuralis. Moralis quidem est de his tribus temporibus anni propter praecipuarum solemnitatum expectationem, in quibus consueverunt fideles communicare, scilicet Natalis Domini, Pascha et Pentecostes, quando debent se fideles praeparare, ut Dominum suum possint digne et reverenter accipere; et per hoc debent sensum a terrenis aliquatenus elevare. Et quoniam in sponsae traductione et nuptiarum celebratione propter novitatem vehementer animus convertitur ad illud, quod deorsum est, et ad gaudia vana; ideo ista tria tempora ex rationabili causa sunt interdicta, scilicet tempus Adventus usque ad octavas Epiphaniae, tempus a septuagesima usque ad octavas Paschae, tempus a tertio die ante Ascensionem usque ad octavas Pentecostes *); et quia multae abusiones fiunt, quae his temporibus non conveniunt. Alia est ratio figuralis, scilicet quia in his temporibus sunt dies jejuniorum; et sicut dicitur *(Matth. 9, 15): Non debent filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus; cum autem auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt;* ideo quodam modo in his diebus signatur absentia sponsi; et ideo in talibus diebus non debet fieri sponsi et sponsae conjunctio, nec nuptiarum celebratio. Unde non est interdictum contrahi sponsalia vel matrimonium in his diebus per simplicem consensum, sed interdictum est nuptias celebrare, et sponsam in domum viri adduci; et hoc totum congruitatis ratio exigit, pro eo quod est constitutio humana." *4. dist. 32. a. 4. q. 1.* — „Matrimonia tempore indebito contracta non possunt simpliciter separari, licet in poenam ad tempus separari possint." — „Dicendum quod junctos matrimonialiter triplici modo separat Ecclesia. Quosdam simpliciter quantum ad vinculum, ostendens inter eos non fuisse matrimonium; et hoc est propter hoc, quod intervenit aliquod impedimentum, quod est contra substantiam matrimonii, vel ex parte consensus, vel legitimitatis personarum; et illud dicitur impedire contrahendum, et dirimere jam contractum. Quosdam separat simpliciter quantum ad tempus solum in poenam; et hoc est propter aliquod crimen, quod est contra matrimonii bonum. Quosdam separat ad tempus solum ad poenitentiam agendam; et hoc quando intervenit aliquod impedimentum, quod non est contra matrimonium, nec quantum ad substantiam, nec quantum ad bonum, sed inducit peccatum; et tale est ecclesiasticum interdictum." *Ibid. q. 2.*)*

[6] „Institutio matrimonii est a Deo. Sed nota, quod quaedam sunt sacramenta, quae sunt purae fidei, sicut baptismus et confirmatio, et consimilia; quaedam autem non tantum sunt fidei, sed etiam naturalis dictaminis; et talia sunt poenitentia et matrimonium; sed tamen non omnino sunt de dictamine juris naturalis. Quae primo modo sunt, Deus instituit mandando; quae secundo modo, instituit interius illustrando: et sic instituit matrimonium. Unde ipse non praecepit Adam, quod Evam duceret in uxorem, sed illustravit eum interius, ut intelligeret eam sibi dandam in uxorem, et omnibus posteris per liberum consensum uxores illo modo conjungi." *4. dist. 26. a. 1. q. 2.*

[7] „Secundum quod dicit Dominus, repudium uxoris nunquam licitum fuit, ut sine culpa fieret; fuit tamen licitum, ut fieret sine poena. Unde aliquid licere alicui, hoc est duplici de causa; aut quia non obviat juris rectitudo, et sic non fuit repudium licitum; aut quia non obviat juris punitio, et hoc modo licuit uxorem repudiare, quia tunc non obviavit juris punitio." *4. dist. 33. a. 3. q. 1.* — „Repudiare uxorem Moyses ad multa mala vitanda, et coacte propter majus malum evitandum juste permisit." *Ibid. q. 2.* — „Post repudium aliquid fuit licitum et concessum, ut ambos, scilicet virum et mulierem, manere innuptos, vel etiam ante nuptias alias invicem reconciliari. Aliquid fuit licitum et permissum, ut scilicet vir, uxore repudiata, aliam duceret uxorem, non enim fuit prohibitum habere plures. Aliquid fuit illicitum et prohibitum, ut videlicet uxor repudiata, viro vivente, duceret alium. Quia enim nunquam licuit uni uxori plures habere viros, cum primus vir repudiatae vivat, non licet ei habere secundum. Hoc tamen non fuit prohibitum directe, sed oblique, in poenam ejus impositum, ut nunquam possit redire ad virum priorem, quia voluntarie se polluit cum se-

---

matrimonia per verba de praesenti clandestine contracta, irrita et nulla esse; sponsalia autem per verba de futuro contracta reliquisse in illis terminis juris, in quibus erant ante Concilium."

Non est autem cum clandestinis conjugiis confundendum *matrimonium,* ut ajunt, *conscientiae,* quod coram Parocho, vel alio sacerdote legitimo deputato, et duobus testibus contrahitur ea lege, ut ea vulgari et manifestari non debeat. Ad hujusmodi tamen matrimonia ineunda „non satis est quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens, urgentissima," ut ait Benedictus XIV in Const. *Satis vobis* 17. novembris 1741, ab Episcopo probanda, a quo dispensatur tum super denunciationibus, tum super descriptione ejusdem matrimonii in publico et ordinato matrimoniorum libro. „Ex quibus satis intelligitur, ait cl. Vecchiotti *Op. cit. vol. III, § 83,* matrimonium conscientiae verum et legitimum esse, nec temere confundendum cum aliis occultis conjunctionibus, quae non sunt verae nuptiae, sed foedi et damnati concubitus. Nemo tamen, prosequitur, inficiari poterit, occultis hujusmodi conscientiae matrimoniis spiritum Ecclesiae nequaquam favere. Quantum enim a sacramenti dignitate, et ecclesiasticarum legum praescripto haec matrimonia, ut plurimum, abhorreant, satis superque conjici potest exitiosis illis effectibus, quos recenset Benedictus XIV Constit. cit."

*) Post Concilium Tridentinum tempus feriatum limitatum fuit „ab adventu D. N. Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive." *Sess. 24. l. c. cap. 10.*

*) Praedictis duobus impedimentis impedientibus duo alia addenda sunt, nempe sponsalia cum alia persona inita et nondum dissoluta, et votum simplex castitatis, vel religionem ingrediendi, vel etiam non nubendi, aut suscipiendi Ordines sacros. Hinc versus:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

cundo; et ideo dicitur *(Deut. 24, 4;* et *Jerem. 3, 1)* quod *polluta et contaminata est mulier illa*, propter adulterium scilicet quod commisit cum secundo. Concedendum est igitur, quod licitum est post repudium uxorem viro reconciliari, nisi culpa adulterii interveniat, propter quam puniendam prohibetur, ne ad virum redeat, quia tunc licite fiebat divortium. Unde miro modo, licet occulto, tamen vere ipsa lex judicabat inseparabile esse conjugii sacramentum: et hoc magis expresse tangit Jeremias." *Ibid. q. 3.*

[8] „Sine necessitate, congruitate, utilitate et honestate nunquam dispensavit Deus tenere concubinas, quia illae sunt causae, quae ad talem dispensationem concurrunt." — „Dicendum, quod ad dispensationem ad hoc quod debite fiat, et convenienter homo ea utatur, ista quatuor sunt concurrentia, scilicet necessitas, congruitas, utilitas et honestas; et ista quatuor sunt hîc. Primum quidem congruum fuit illud tempus dispensationis, quoniam tempus fuit figurae. Et quoniam Christus generare debebat liberos et filios per baptismum, et in Ecclesia catholica, et in haereticis diverticulis; ideo in figura debuit praecedere matrimonium, sive generatio, ex libera et ancilla. Et rursus, quoniam inter illos, qui ab haereticis baptizantur, quidam haeresim sequuntur, quidam ad Ecclesiam revertuntur; ideo utriusque figura praecessit; primi in Ismaële, de quo dictum est *(Gen. 21, 10): Ejice ancillam et filium ejus;* secundi in ancillis Jacob, quarum filii sunt inter liberos computati *(Gen. 30, 3 et segq.)*. Hoc habetur ab Augustino *(lib. 2 de Baptis. c. 10)*. Fuit ergo temporis congruitas. Fuit etiam necessitas, quia pauci erant Deum colentes; et ut cultus divinus non periret, necesse fuit, ut filios multiplicarent. Et contingebat, quod uxores steriles haberent; ideo necessitatem habuerunt tunc plures habere. Fuit etiam utilitas, quia filii erudiebantur a parentibus, et mores patrum servabant; et ideo quanto plures, tanto cultus Dei erat celebrior; et ideo erat tunc utile multos procreare. Fuit etiam honestas, quia non affectu libidinoso, sed casto; non affectu adulterii, sed maritali, etiam concubinas cognoscebant. In cujus rei testimonium de Abraham dicitur, quod non ipse accepit ancillam, sed uxori obedivit, et ei in ea debitum reddidit, et affectu viri cognovit. Et ideo dicitur, quod Sara *dedit Agar in uxorem* Abraham *(Gen. 16, 3)*, non quia fuerit uxor, quia postmodum fuit ejecta, sed ut significetur, quod eo affectu eam cognovit, quo et uxorem. Unde Augustinus vocat ipsum virum feminis viriliter utentem, uxore temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. Ex hoc patet, quod haec dispensatio non se extendit ad tempus naturae institutae, nec gratiae, quia in natura instituta non erat tempus figurae, nec necessitas sterilitatis. Similiter in tempore gratiae cessaverunt figurae, et omnes vocantur ad Christi cultum, et multiplicatum est genus humanum valde. Ratione utilitatis se extendit ante tempus Abrahae, quia ante non multiplicabantur ad cultum Dei, sed ad malum, quia imitatores erant paternorum scelerum; et ideo deleti sunt cum terra. Ratione vero honestatis ad illos solos se extendit, qui uxoribus et concubinis temperanter, et ad cultum Dei multiplicandum sciebant et volebant uti; aliter eis dispensatio non valebat. Ista autem dispensatio facta est divina inspiratione in patriarchis et rege David, quoniam utrisque de semine facta est repromissio. Et quia isti erant capita, et imitandi erant tanquam sancti, et intellexerunt recte dispensationem hanc ad omnes extendi, qui erant imitatores eorum in castitate; et mos fuit ex hoc introductus, durans usque ad Christi adventum. Sed tunc cessavit, quia cessavit congruitas et necessitas, ut visum est. Unde omnibus, quibus licuit, licuit solum ex dispensatione, quae fuit per inspirationem; et hoc dicitur *(Extrav. de divortio)* in quadam decretali Innocentii, ubi dicitur, quod nunquam licuit alicui nisi divina inspiratione. Ad illud quod objicitur, quod Deus non facit contra jus naturae, dicendum quod verum est contra jus naturae, quod ordinat in ipsum; sed contra jus naturae, quod ordinat ad proximum, potest. Non tamen facit contra, sed supra; quia ratio recta sic dictat hoc non esse faciendum, ut tamen dicat in ejus opposito, Deo esse obediendum. Ad illud quod objicitur, quod una sit plurium, dicendum quod si una esset plurium, nulla esset utilitas, quia unus potest fecundare plures, sed non una a pluribus. Esset etiam damnum, quia defectus tranquillitatis, non enim potest cum pace unus duobus dominis servire, sicut unus dominus duobus servis imperare; et vir caput est, et dominatur mulieri. Deesset etiam bonum sacramenti, quia una anima non duobus viris, sed Christus multis copulatur animabus. Et amplius esset incertitudo prolis, et confusio haereditatis. Ad illud quod objicitur, quod Deus instituit, quod *duo in carne una (Matth. 19, 5)*, dicendum quod verum est tempore legis naturae, et tempore gratiae. Sed ex causa tempore legis debuit dispensare; nec facit contra suam institutionem ipse, qui rem instituit, cum pro loco et tempore dispensat." *4. dist. 33. a. 1. q. 3 et ad 1—3.* Cfr. etiam *ibid. qq. 1. 2.*

[9] „Potest accipi pro matrimonialis copulae significatione omnis conjunctio, cujus principium est amor, sive sit amor vel appetitus naturalis, sive animalis, sive rationalis. Per appetitum naturalem est in qualibet re creata conjunctio materiae et formae, materia enim formam ad perfectionem sui naturaliter appetit; et quantum ad hoc omnis primordialis institutio creaturae potuit figuram habere matrimonii, quando *dixit* Deus, *et facta sunt; mandavit, et creata sunt (Ps. 148, 5)*. Ipsa quoque unio humani corporis cum spiraculo, per quod *factus est homo in animam viventem (Gen. 2, 7)*, potuit matrimonialem copulam figurare. Per animalem quoque amorem, sive appetitum, est inclinatio cujuslibet creaturae sensibilis ad sui speciei conservationem; propter quod in utroque sexu creatae sunt, et in diluvio bina et bina servatae sunt. In hoc ergo praefigurabatur hominum copula conjugalis. Per amorem autem rationalem est in hominibus copula amicitiae et societatis, quae, quantum est de se, ad indissolubilitatem tendit: *Omnis amicus dicet, et ego amicitiam copulavi (Eccli. 37, 1);* et: *Omne animal diligit sibi simile; sic omnis homo proximum sibi, omnis caro ad similem sibi conjungetur, et omnis homo sibi simili sociabitur (ibid. 13, 19. 20)*. Hujusmodi ergo amor bene significat copulam foederis conjugalis. Ipsum quoque matrimonium figura est copulae spiritualis, quae est inter Deum et animam per gratiam, de qua Osee *(2, 20): Et sponsabo te mihi in fide;* et Apostolus *(1. Cor. 6, 17): Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.* Item significat eam copulam dignissimam Filii Dei cum humana natura in thalamo uteri virginalis, de qua parabolice Dominus loquitur

(Matth. 22, 2): Simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Gregorius *(hom. in Evang. 38):* Tunc Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae conjunxit, et Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum. Item significat copulam Christi et Ecclesiae, de qua in Apocalypsi *(21, 2): Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Descendisse de caelo dicitur, vel quia, descendente Dei Filio per humanae naturae assumptionem, ipse sibi eam copulavit, vel quia Ecclesia praesens, quantum potest, illam caelestem patriam imitatur. Item significat illam beatam copulam Dei et Ecclesiae triumphantis per gloriam, de qua in Apocalypsi *(19, 9): Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni sunt vocati;* et iterum *(22, 17): Et spiritus et sponsa dicunt: Veni.* Quia illa caelestis curia hanc praesentem Ecclesiam ferventissimis desideriis ad seipsam cum Christo Deo sponso semper invitat." *Symbolica theologia,* in op. *Ratio novae collectionis etc. P. Fidelis a Fanna, Min. Ref. pag. 285.*

[10] „Matrimonii signum est verbum vel nutus explicans consensum; et cum sit quodam modo ab instinctu naturae, non habet hoc sacramentum elementum extra sensibile." *4. dist. 26. a. 2. q. 1.*

[11] „Suscipientibus hoc sacramentum datur remedium, quantum est de ratione sacramenti, quod excusat coitum, et facit illud esse veniale, sive non esse peccatum, quod aliâs esset peccatum. Et hoc potest esse sine dono gratiae, et habuit hoc illud sacramentum statim post lapsum. Sed nunc tempore legis novae non tantum praestat illud remedium, sed etiam aliquod gratiae donum digne suscipientibus, utpote his, qui ex caritatis consensu uniuntur ad procreandum prolem ad divinum cultum. Ratione enim expressionis consensus in individuam consuetudinem vitae, et ratione benedictionis Ecclesiae, cujus est sacramenta Ecclesiae debite tractare, sublevatur anima a corruptione concupiscentiae inordinata, et datur gratia ad copulam singularem, et ad copulam utilem, et ad copulam inseparabilem. Et ex hac gratia fit remedium contra triplicem inordinationem concupiscentiae, et nascitur triplex bonum matrimonii. Concupiscentia enim inclinat ad multas . . . inclinat ad delectationem, non ad utilitatem . . . fastidium generat post impletionem . . . Ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat, ex copula utili bonum prolis, ex copula inseparabili bonum sacramenti." *4. dist. 26. a. 2. q. 2.*

[12] „Actus conjugii excusatur per sacramentum tanquam morbus per remedium, et potest excusari tam quoad culpam mortalem, quam quoad venialem." — „Circa hoc quidam erraverunt dicentes, quod in actu generativae non est culpa nisi per excessum, sicut in actu nutritivae. Alii erraverunt dicentes semper esse peccatum, et nullo modo excusari; imo propter peccatum matrimonium vitiari, non vitium excusari, malum enim junctum bono ipsum vitiat, non e converso bonum malum excusat. Et primi quidem non intellexerunt morbum, quomodo scilicet infecta est vis generativa. Secundi vero non intellexerunt sacramentum esse remedium et medicamentum, quod non vitiatur a morbo, sed e contra morbum sedat. Et ideo qui recte credunt, videntes morbum et remedium, dicunt actum conjugii per sacramentum excusari tanquam morbum per remedium. Si quis autem velit rationem morbi et remedii intueri, potest patere sic. Primum quidem omnis actus, in quo regnat pruritus libidinis, adeo quod absorbetur ratio, et homo efficitur totus caro, est actus deordinatus, et actus, in quo, quantum est de se, pervertitur regnum animae, et inordinatio quae est in viribus animae, secundum quam ordinationem attenditur justitia quaedam, quae non tantum est in ordinatione ad alterum, sed in ordinatione virium animae ad se; sed hoc est in actu conjugali, sicut experimento patet, et Sancti dicunt, maxime Augustinus et Origenes. Et in Glossa tangitur: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat (1. Cor. 6, 18);* Glossa: Hîc proprie servit anima corpori in tantum, ut ipso momento et experimento hujus flagitii nihil cogitare homini liceat, aut intendere, quia mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis. In hujus autem deordinationis argumentum plurimum facit erubescentia naturae, quae mendax esse non potest. Erubescit autem motum illorum membrorum et actum tanto plus, quanto est melius ordinata. Et sic patet, quod actus ille de se est morbidus, quia sine tanta deordinatione exerceri non potest, sicut in eadem Glossa tangitur post. Ecce igitur qualiter possumus videre morbum. Remedium autem intueri sic possumus. Quidam enim est actus, qui dicit deordinationem mentis ad Deum, ut idolatrare et perjurare; quidam est, qui dicit deordinationem creaturae ad creaturam, sive unius ad alterum, sive ejusdem ad se. Primus est malus et morbidus secundum se, et nullo modo potest fieri bene, nec divino mandato, nec aliter. Secundus vero, quia non habet essentialem deordinationem, potest per divinum imperium ordinari; utpote cum Deus praecipit occidere hominem, cum etiam praecipit rem alienam accipere, cum etiam inspirat seipsum occidere, sicut Samson, in quem *irruit Spiritus Domini (Judic. 15, 14).* Per hunc modum ordinavit coitum Osee cum muliere, quae non erat sua uxor, per Dei mandatum *(Os. 1, 2).* Sed quoniam actus iste conjugalis non omnibus debebat praecipi, providit divina dispositio illam deordinationem ordinare non per mandatum, sed per aliquod statutum, et per statutum, quod esset signum illius conjunctionis, quae erat ordinata ad concupiscentiae remedium; et ita per sacramentum matrimonii, quod, quia habet rationem medicinae, potius excusat, quam vitiet. Sicut cum Dominus praecepit Hebraeis, ut vasa Aegyptiorum asportarent *(Exod. 3, 22),* asportatio non facit praeceptum malum, sed potius e contra praeceptum, quod est potentius et superius, fecit asportationem bonam et meritoriam, quae aliâs esset culpabilis et mala. Sancti igitur et omnes catholici dicunt coitum per sacramentum matrimonii excusari a culpa mortali, maxime quando gratia prolis fit. Sed de modo excusandi est duplex opinio, quia quidam voluerunt dicere, quod excusatur a culpa mortali, sed non a veniali, quia mortale fit ibi veniale. Alii dixerunt, et hoc videtur sentire Augustinus, quod, cum Deus perfectum det remedium contra morbum, quando gratia prolis coitur, potest esse sine omni culpa. Et hoc est magis consonum rationi et pietati fidei, et concedendae sunt rationes ad hoc; si tamen haec intentio duret a principio usque in finem, ut non deflectatur ad aliud mens, quod tamen est valde difficile." *4. dist. 31. a. 2. q. 1.*

[13] „Matrimonium accipit rationem spiritualitatis et gratiae, quando consensus jungitur benedictioni, ubi explicatur significatio, et obtinetur per benedictionem sanctificatio*); et ideo in benedictione sacerdotali consistit ratio spiritualis praecipue.“ *4. dist. 26. a. 2. q. 2 ad 4.*

[14] „Matrimonium uno modo comprehendit vinculum, et exterius signum; et sic matrimonium est consensus expressus, non ejus effectus. Alio modo, prout stat pro vinculo interiori. Hujusmodi autem vinculum habet causam primam et habet causam proximam, prima est divina institutio, proxima est humana pactio, quae est convenientia consensuum duorum, scilicet maris et feminae. Et ideo dico, quod consensus est causa matrimonii, sed non tota, imo cum institutione divina consensus non alterius tantum, sed utriusque personae.“ *4. dist. 27. a. 2. q. 1.* — „Matrimonium non est, ubi consensus est ad tempus, quia ibi implicatur aliquid contra naturam matrimonii.“ — „Dicendum quod ad hoc, quod fiat matrimonium, necesse est consensum esse et exprimi simpliciter; unde dici debet: Accipio te in meam. Quod si alio modo consentiat, non est consensus matrimonialis, sive conjugalis, sed adulterium. Unde deficit matrimonium verum, sive deficiat in corde, sive in ore, consensus simpliciter: sed quando in corde, tunc in conspectu Dei et secundum veritatem; quando in ore, tunc in facie Ecclesiae. Ratio autem, quare oportet simpliciter consentire, et quod nihil valet consensus ad tempus, est, quia consensus non facit matrimonium, nisi eatenus, quatenus praesupponit divinam institutionem, divina autem institutio respicit congruam signationem. Si ergo est signatio rei indivisibilis, sive conjunctionis; ideo constituit Dominus conjunctionem talem ad perpetuitatem. Et huic etiam competit dictamen juris naturalis, quia vir potest uxori dare simpliciter potestatem sui corporis; et ideo si consensus consonat institutioni, necesse est, quod sit ad omne tempus, alioquin causa particularis non concordat universali; et ideo nihil fit, nec consentit in talem ut in uxorem, sed potius in concubinam.“ *4. dist. 28. a. 1. q. 2.*

[15] „Ad omnis sacramenti esse necessario requiritur signatio, sive expressio. Omne enim sacramentum signum est, et ut signum administratur; et ideo istud est necessarium. Sed in aliquibus est materia determinata, et forma verborum praescripta, quae vim habent sibi ad hoc datam; et talia sacramenta nunquam fiunt, nisi illa verba pronuntientur. In aliquibus autem non venit vis in verbo exteriori, sed ab intrinseco, ut in poenitentia quantum ad confessionem, et in matrimonio; et in talibus sufficit qualiscumque fiat expressio, sive verbo, sive scripto, sive etiam quocumque nutu alio. Concedendum est igitur, quod matrimonium non contrahitur, nisi consensus exterior exprimatur vel per verba convenientia, vel per nutus idem importantes.“ *4. dist. 28. a. 1. q. 4.* — „Matrimonium verum non est in foro Dei, ubi est tantum exterior et non interior consensus, licet in foro Ecclesiae esse aliquando possit.“ — „Est loqui de matrimonio dupliciter, aut in foro, seu facie Ecclesiae, aut in foro conscientiae, secundum duplex forum, scilicet judiciale et poenitentiale. Et secundum hoc est dupliciter judicare, quia in foro judiciali judicatur secundum allegata, in foro poenitentiali secundum veritatem et conscientiam. Si ergo in foro poenitentiali loquamur, quia hoc est judicium secundum veritatem et in conspectu Dei, dicendum quod, sicut dicunt Doctores nostri, nec est matrimonium, nec matrimonium judicandum. Et cum hujus sit multiplex ratio, haec tamen est praecipua, quia in omnibus sacramentis requiritur intentio voluntaria faciendi, quod facit Ecclesia. Quia ergo talis secundum veritatem non intendebat contrahere matrimonium, non fuit, nec est sacramentum. Si autem loquamur in foro judiciali, ubi secundum allegata oportet judicari, si probari potest consensus per verba exteriora, in quibus non apparuit evidens dolus, matrimonium judicatur. Sed tamen Ecclesia decipitur, sed non est deceptio contra justitiam, quia non est ibi ignorantia juris, sed facti. Ergo si sit consensus exterior sine interiori, non est matrimonium secundum veritatem, nec secundum divinum judicium, nec secundum conscientiae forum, quamvis esse videatur, et judicetur secundum judicium ecclesiasticum . . . Ad illud quod objicitur, quod fraus non debet alicui patrocinari, dicendum quod duo sunt ibi, scilicet verbi dolositas, sive falsitas, et vera carentia consensus. Verbi dolositas non patrocinatur, imo obest in omni foro, sive judiciali, sive poenitentiali, quia utrobique vel punitur, vel pro obligatione reputatur. Sed vera carentia haec est, quae suffragatur in conspectu Dei, ut verum matrimonium non sit. Ad illud, quod nemo scit, utrum interius consentiat, dicendum quod, quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi manifestus dolus appareat; ideo de quolibet praesumendum est, quod corde consentiat, si ore exprimat, nec est aliud credendum.“ *4. dist. 27. a. 2. q. 2. concl. et ad 4—6.*

[16] „Quia non est ibi consensus, ideo non matrimonii contractio: quia vero est promissio, ideo est obligatio. Propterea non matrimonium, sed sponsalia debent dici. Et haec quidem firmata sunt, quando simplici promissioni additur juramentum. Secundum enim jura cogendus est vir, ut mulierem accipiat in uxorem, nisi aliquis casus interveniat, qui solvat sponsalia“ *). *4. dist. 28. a. 1. q. 1.* —

[17] „Consensus conditionatus, si fiat per verba de futuro, judicari habet sicut et consensus de futuro. Unde sicut consensus de futuro non facit matrimonium, sed desponsationem, sive sponsalia; sic nec talis consensus sub conditione. Attendendum tamen, quod conditio aut apponitur per modum poenae, aut ut determinatio contractus. Si per modum poenae, nullius est vigoris, pro eo quod matrimonia debent esse libera. Unde si quis proponat: promitto contrahere tecum sub poena centum marcarum; vel, si non contraxero, dabo tibi centum; etiamsi non contrahat,

*) „Sancta Tridentina Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum eucharistiae sacramentum pie accedant.“ *Sess. 24, decr. de ref. matrim. c. 1.*

*) Ante oculos habenda hîc est censura prop. 58 Synodi Pistoriensis.“ Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere: — Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae, falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes, laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.“

non debet, nec tenetur ad illam poenam. Si autem apponitur ut determinatio contractus sive consensus, distinguendum est. Aut enim est conditio honesta, aut inhonesta. Si est honesta, stante conditione, stant sponsalia, non stante, non stant; ut si quis dicat: Contraham tecum, si placuerit patri meo, vel si tu volueris converti ad fidem. Si autem est inhonesta, duplex est, aut est contra substantiam matrimonii, aut non. Si contra substantiam matrimonii, tunc nulla est obligatio; ut si dicat: Contraham tecum, si procuraveris venena sterilitatis, vel aliquod hujusmodi. Si autem est inhonesta, et non contra substantiam matrimonii; ut si dicatur: Contraham tecum, si furatus fueris, vel si Deum offenderis; talis conditio pro non adjecta habenda est ... Si autem consensus fiat per verba de praesenti, aut conditio est praeterita, aut praesens, aut futura. Si conditio est praeterita, ut: Accipio te in meam, si mortuus est pater tuus; vel de praesenti, ut: Accipio te in meam, si es virgo; stante conditione, stat matrimonium. Si autem conditio est de futuro, aut futuri necessarii, aut futuri contingentis. Si futuri necessarii, ut: Accipio te in meam, si sol orietur cras; tunc est matrimonium. Si autem conditio est contingens, dico quod non est matrimonium, eo quod consensus pendet de futuro, sicut et conditio; et ideo judicandum est tunc, sicut de futuro, nec est matrimonium, nisi carnalis copula subsequatur, quia tunc intelligitur a conditione apposita recessisse." *4. dist. 28. a. 1. q. 3.*

[18] „Copula carnalis non est de integritate sacramenti matrimonii quantum ad esse necessitatis, sed solum quantum ad esse completionis." — „Quod non sit de integritate quantum ad signantiam, videtur, quia perfectum matrimonium fuit inter Adam et Evam ante cognitionem carnalem, et ante dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis etc. (Gen. 2, 23)*, quam eam cognosceret; ergo commixtio non est de integritate. Item perfectum matrimonium fuit inter Mariam et Joseph, quia fuit ibi bonum prolis, bonum fidei et sacramenti, et sine commixtione; ergo etc. Item quod non sit de integritate remedii, videtur, quia Augustinus *(de bono conjug. c. 3)* dicit, quod sanctior est copula mentium quam corporalis; ergo major datur ibi efficacia contra concupiscentiam in unione mentali quam carnali. Item in actu illo efficitur homo totus caro; ergo per oppositum cum gratia, quae est remedium contra concupiscentiam, faciat spiritualem, nunquam datur in illo actu ... Integritas rei dupliciter accipitur, videlicet vel quantum ad esse necessitatis, vel quantum ad esse completionis. Si loquamur quantum ad esse necessitatis, verum est quod sacramentum matrimonii esse habet sine commixtione carnis. Si autem quantum ad esse plenitudinis, sic est de ejus integritate ... Et hoc patet sic. In matrimonio enim considerantur haec tria, scilicet signum, officium, remedium. Quantum ad significationem dicendum, quod duplex est ejus significatio, significat enim conjunctionem Christi et Ecclesiae per caritatem, et conjunctionem eorumdem per naturae conformitatem *). Similiter duplex est officium, unum enim est mutuae educationis et fomenti, et aliud procreandae prolis. Similiter duplex est remedium, unum est quantum ad concupiscentiae defluxionem, ut scilicet non ad omnem mulierem intendat; aliud quantum ad inordinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine matrimoniali affectu mulierem cognoscat. Primum igitur signatum et primum officium et primum remedium sunt in sacramento matrimonii quantum ad conjunctionem animorum, secundum est solum quantum ad conjunctionem corporum. Et primum est de substantia matrimonii quantum ad esse necessarium, secundum quantum ad esse plenum ... Et secundum hoc distinguunt juristae matrimonium, scilicet matrimonium ratum et matrimonium consummatum." *4. dist. 26. a. 2. q. 3. fund. 1—4. et concl.*

[19] „Bona tria, fides, proles et sacramentum, signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia." — „Sunt de necessitate matrimonii, licet duo, fides et proles, quodam modo sint ad esse, et quodam modo ad bene esse." *4. dist. 31. a. 1. q. 2.* — „Cum sint tria bona matrimonii, scilicet fides, proles, sacramentum, unum, scilicet sacramentum, est de necessitate matrimonii. Sacramentum enim venit ex mutua obligatione, et divina institutione, et signatione illius unionis; et ideo, quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et sacramentum. Sed alia duo bona quodam modo sunt de esse, quodam modo de bene esse. Si enim loquamur quantum ad matrimonii usum, sic sunt de bene esse, quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut quotidie est; et non solum est absque his, sed etiam cum suis oppositis. Unde sterilitatis et abortus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimoniale vinculum contractum. Si autem loquamur quantum ad matrimonii contractum, qui est per matrimonialem consensum, sic potest esse contractus absque his duobus bonis, ut puta in sterilibus et in continentibus, si tamen non est contra haec. Tunc autem est consensus contra haec, quando sub tali pacto consentitur, ut prolis sterilitas procuretur, vel uxor alii prostituatur, tunc enim non est consensus, vel pactio matrimonii, sed potius adulterii, cum directe repugnet institutioni matrimonii. Sed carentia sive absentia horum duorum non repugnat, quia fides venit ex recto matrimonii usu, et quia possunt homines abuti ipso; ideo potest deesse fides. Similiter proles venit ex fructu ventris; et quia steriles possunt esse vel natura vel arte, ideo matrimonium hoc bono potest carere." *Ibid. q. 3.*

[20] „Non tantum secundae nuptiae, sed etiam tertiae et quartae et ampliores sunt licitae, dum tamen fiant bono fine, scilicet propter prolem generandam, vel propter fornicationem vitandam, vel propter necessitatem suam sustinendam, ut cum contrahit vir cum muliere, ut ipsum fo-

*) Sunt theologi, qui opinantur vinculum matrimonii ratum inter fideles multo fortius esse matrimonio inter infideles consummato. „Verum negari nequit, ait Benedictus XIV *De Syn. dioec. l. 13. c. 21. n. 4*, complures alios esse huic opinioni contrarios; qui scilicet negant matrimonii rati vinculum inter fideles fortius esse vinculo matrimoniali, quod inter infideles fuerit consummatum: matrimonium enim ratum eam Christi Domini unionem significat, qua se per gratiam animabus justorum communicat; matrimonium vero consummatum eam repraesentat unionem, qua idem Dominus noster per Incarnationem cum Ecclesia sese conjunxit ... Et quidem matrimonium etiam inter infideles consummatum unionem illam significat Christi cum Ecclesia per Incarnationem ... Quod adeo veritati conforme censuit Vasquez in *3. p. d. Thom. tom. 4. disp. 2. n. 57*, ut absque erroris nota id negari non posse docuerit."

veat, et e converso.“ — „Secundae nuptiae in se sunt sacramentum, in comparatione vero ad primas habent semiplenam rationem sacramenti ... Sed attendendum, quod nuptiae possunt esse secundae ex parte viri, et primae ex parte mulieris, vel e converso, vel ex parte utriusque. In primo casu salvatur ratio sacramenti, Christus enim unitur pluribus animabus, et sibi eas desponsat: in secundo casu, minus: in tertio, minime. Et ideo in primo casu, cum mulier est virgo, quamvis vir sit bigamus, nuptiae benedicuntur.“ — „Proprie loquendo, non sunt honorabiles, quia carent gloria; sunt tamen tolerabiles, quia carent culpa.“ *4. dist. 42. a. 3. qq. 1—3.*

[21] „Insolubilitas consequitur matrimonium non tantum consummatum, sed etiam ratum: et propter hoc etiam ratum est, quia quamdam insolubilitatem, licet minorem, quam matrimonium consummatum, habet, habet tamen sibi competentem sicut et illud. Sicut enim vinculum matrimonii consummati est insolubile, viventibus extremis vita corporali, nec solvitur nisi morte corporali; sic nec matrimonium, in quo est conjunctio mentium et animorum, potest solvi, nisi homo moriatur spiritualiter huic mundo, sive operi carnis; et hoc fit intrando religionem, et emittendo votum castitatis solemne. Ex tunc enim solvitur tale matrimonium, ex quo spiritualiter moritur.“ *4. dist. 27. a. 3. q. 2.*

[22] *4. dist. 31. a. 2. qq. 2. 3;* et *dist. 32. a. 1—3.*

[23] „Proles potest quaeri triplici intentione, primo ut educetur ad cultum Dei, secundo ut in haereditate succedat, tertio ut quis in prolis multitudine et pulcritudine gloriosus appareat. Primum est bonum sub ratione boni, secundum est sub ratione indifferentis, tertium est bonum deformatum, sive ad malum tractum. Bonum igitur matrimonii, quod est bonum simpliciter, judicandum est prolis cum tali intentione et cum tali ordinatione. Si autem aliis duobus modis habeatur, habetur quidem aliquid bonum, sed non sicut institutum est, et competit huic sacramento, quod institutum est ad procreandam prolem ad cultum divinum.“ *4. dist. 31. dub. 1.*

[24] „Cum triplex bonum sit in conjugio, scilicet fides, proles, sacramentum: fides est, quod suam cognoscat et non aliam; hoc est bonum moris de se ordinatum, et cadit in genere honesti: prolis vero bonum cadit in genere conferentis, confert enim prolis multiplicatio ad speciei conservationem et perfectionem numeri, sicut cibus ad conservationem individui: bonum enim sacramenti cadit in genere delectabilis, quia tanta est ibi unio, ut relinquat homo patrem et matrem, et sint duo in carne una *(Matth. 19, 5);* unde praecipitur viris, ut uxores diligant sicut corpora sua *(Ephes. 5, 28).* Et sic patet, quod cum tria sint in electione, sicut vult Philosophus *(3 et 5 Eth. c. 5),* scilicet honestum, conferens et delectabile, in triplici genere est bonum conjugii: et haec tria bona pura essent in statu puritatis et innocentiae, sed per peccatum sunt suis contrariis admixta. Quoniam in actu illo est quaedam inhonestas contracta ratione improbitatis libidinis et pruritus; et ideo in bono honesto quaedam permiscetur inhonestas. Est etiam quoddam damnum, quia impeditur homo a rationis instantia, seu intentione; unde procreando prolem ad cultum Dei, impeditur, ut tunc perfecte colere Deum non valeat: sic igitur bono conferenti permiscetur damnum. Est etiam delectabili, scilicet sacramenti indivisioni, quaedam tribulatio et augustia, quia *qui cum uxore est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est (1. Cor. 7, 33);* et ita bonum delectabile permiscetur tristitiae et angustiae. Quoniam ergo bonum est, tamen permixtum; ideo appeti potest, et etiam melius est non appeti. Unde *qui jungit virginem suam bene facit, et qui non jungit* virginem, *melius facit (1. Cor. 7, 38).“ 4. dist. 31. a. 1. q. 1.*

[25] „Consensus, qui matrimonium facit, est consensus in mutuam suorum corporum potestatem. Et hoc sonant verba, cum dicunt: Accipio te in meam, vel in meum ... Sed notandum est, quod aliter datur potestas corporis in contractione matrimonii, aliter in consummatione. In contractione ita datur uni, ut non possit, illo vivente, dari alii; ita etiam datur illi, ut jus habeat petendi, et necesse sit reddere petenti, nisi moriatur mundo per votum castitatis solemne, et ingressum religionis ... In matrimonii autem consummatione omnino transfertur potestas, ita quod nec voto privato nec solemni possit petenti debitum adversari.“ *4. dist. 28. a. 1. q. 6.*

[26] „Ratio, quare hoc sacramentum magis habeat impedimenta, quam alia, est duplex. Una est ratione causae efficientis, quia quamvis omnia sacramenta sint a divina institutione, et humana dispensatione, tamen hoc sacramentum maxime consistit in humana dispensatione, quia per consensum contrahentium oritur, nec habet dispensatorem determinatum. Alia ratio est ratione finis, quia cum omnia sacramenta sint in remedium, istud non tantum est in remedium, sed etiam in officium; et cum alia sint spiritualia, huic conjuncta est actio carnalis ... Et ideo facilius recipit impedimenta.“ *4. dist. 34. a. 1. q. 1.* Cfr. *ibid. q. 2.*

[27] „Secundum faciem Ecclesiae consensus praesumptus matrimonium facit, quando scilicet probabiliter praesumitur, quod consensus ille sit maritalis. Hoc autem potest esse tripliciter; primo modo, quando consentit ore; secundo vero, quando etsi non consentit ore, tamen voluntate consentit in carnale opus, petendo et reddendo quod exigitur; tertio modo, quando reclamare potest, et habet locum et tempus, et non reclamat, consentire praesumitur; et ideo amplius non auditur. Immo in facie Ecclesiae pro matrimonio habetur non propter negligentiam, sed propter consensum, qui creditur inclinatus et voluntarius simpliciter, quamvis in principio fuerit coactus.“ *4. dist. 29. dub. 3.* — „Si aliquis consentit in absentem per procuratorem, potest fieri matrimonium, non solum sponsalia contrahi, sicut in praesentiarum potest unus alteri consensum exprimere per interpositam personam. Quod autem quaeritur, utrum ipsa poenitente matrimonium contrahatur, dicendum quod revera, si non ante poeniteat, quam ille consentiat, res est salva. Et si poenitet in corde, et reclamat in signo in conspectu testium, per quos possit probari, utpote negando, vel matrimonium cum alia contrahendo, revera non est matrimonium nec in conspectu Dei, nec in conspectu Ecclesiae, quia consensus non simul concurrunt, maxime si fecit quod in se fuit, ut renovatio voluntatis ejus ad nuntium perveniret. Et hoc patet, quia si statim, ex quo poenitet, cum alia contraheret, matrimonium esset. Quod objicitur, quod dedit alteri suam potestatem, dicendum quod semper intelligitur potestatem ad hunc actum

dare, consensu in ipso remanente, qui est de essentia matrimonii interius in facie Dei, et exterius in facie Ecclesiae.“ *Ibid. dub. 2.*

[28] „Impedimentum fit, sive potest fieri, ex quadruplici causa. Nam ex efficiente causa provenire possunt tria. Efficiens causa est consensus, ad consensum autem concurrit ratio et voluntas: contra rationis actum est error; contra actum voluntatis, vis vel violentia; contra actum utriusque, conditio servitutis, quae impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem. Ex parte causae materialis tria, quia matrimonium est conjunctio voluntarie introducta; ergo est personarum naturaliter disparatarum; conjuncti ergo proximitate sunt inepti ad matrimonium. Sed conjuncti possunt esse tripliciter, consanguinitate, affinitate, justitia publicae honestatis, quae contrahitur ex sponsalibus per verba de praesenti: et sic sunt tria impedimenta. Ex parte causae formalis tria, quia matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas viri et uxoris; impedimentum autem contra hoc est, quando non potest dare sui corporis potestatem. Et hoc potest esse tripliciter; aut quia tradidit alteri, qui adhuc vivit, et sic est ligatio; aut quia se dedicavit Deo, et sic est sacer ordo; aut quia Deo et praelato, et sic est votum, quando quis vovet ingredi religionem, vel continentiam solemnem. Ex parte finis similiter tria, quia matrimonium est ad procreandam prolem ad cultum Dei, vel saltem in remedium honestatis. Contra rationem procreandi, vel remedii, est impotentia coëundi; contra cultum Dei, qui est in fide, est disparitas cultus, qui est in moribus, est criminis enormitas. Ita sunt duodecim impedimenta. Similiter aliquam recipiunt divisionem, ut impotentia coëundi et crimen, sicut melius patebit infra. Posset tamen aliter horum impedimentorum sumi sufficientia. In matrimonio enim considerantur personae, quae junguntur, et ipsum vinculum, et illud per quod vinciuntur, et illud ad quod vinciuntur. Quod vincitur, et vinculum per quod et ad quod, et personae, quae vinciuntur, debent aliquo modo convenire in cultu Dei et fide; sed distare vinculo naturali et consimili propter hoc, quod natura abhorret personas multum consimiles in actu illo sociari. Multum igitur distant, quando sunt dispares in cultu; multum appropinquant, quando sunt juncti cognatione, vel affinitate, vel publicae honestatis justitia. Propinquitas consanguinitatis est ex fructu matrimonii, sed affinitatis ex actu, justitia publicae honestatis tenet medium inter utrumque; et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet cultus disparitas, cognatio, affinitas et publicae honestatis justitia. Consideratur iterum ipsum vinculum, quo vinciuntur individualiter; et ob hoc non possunt conjungi vel vinciri, qui sunt aliis obligati. Obligari autem alii est dupliciter, aut Deo, aut homini; et homini dupliciter, aut per matrimonium, et sic est ligamen; aut per servitutem, et sic conditio: obligari similiter Deo est dupliciter, aut per votum, aut per id, quod habet annexum votum, ut sacer ordo: et sic sunt alia quatuor, ligamen, conditio, votum et ordo. Tertio circa matrimonium consideratur illud, per quod contrahitur; et sic est consensus, et hic respicit actum rationis, et contra hunc est error; et actum voluntatis, et contra hunc est violentia: et sic sunt duo. Quarto consideratur usus matrimonii, et hic dupliciter impeditur; aut per impossibilitatem utendi, et sic est impotentia coëundi; aut per abusum, et sic est enormitas criminis. Et sic patet numerus et sufficientia horum impedimentorum.“ *4. dist. 34. a. 1. q. 2.*

[29] „Error potest esse dupliciter in consensu, aut error circa personam, aut circa proprietates personae. Si sit error circa personam, talis consensum tollit, et matrimonium impedit . . . Si autem sit error proprietatum personae, talis error non omnino tollit consensum; et ideo non omnino impedit matrimonium, nisi quando est error conditionis, sive servitutis.“ *4. dist. 30. a. 1. q. 1.* — „Error fortunae non excludit consensum, immo consensum inducit. Inducitur autem consensus a falsa aestimatione ad eliciendum consensum verum: et cum non sit in aliam personam, quam in hanc, verus est consensus, et verum est matrimonium . . . Aliud est spe pecuniae consentire, aliud sub conditione consentire. Qui enim consentit spe pecuniae, supponit divitias in aestimatione, et absolute elicit consensum ex voluntate; et ideo matrimonium contrahit: sed qui sub conditione, reservat sibi adhuc consensum; et ideo non est matrimonium, nec est similitudo inter hunc consensum et illum.“ *Ibid. dub. 3.*

[30] „Duo sunt de ratione voluntarii, videlicet cognitio singularium, sive circumstantiarum, et quod operationis principium sit intrinsecum.“ *2. dist. 22. a. 2. q. 3. ad 6.* — „Consensus coactus vi, vel metu justo, utpote qui in virum constantem cadere potest, non facit matrimonium; sed si post coactionem in carnalem copulam consensit, ex tunc incipit esse matrimonium. Coactio autem ex metu levi non impedit matrimonium.“ — „Dicendum quod consensus coactus potest esse dupliciter, scilicet vi vel metu. Vis est majoris rei impetus, quae repelli non potest: metus est instantis vel futuri periculi trepidatio. Tunc autem fit vis, quando capitur, ducitur, trahitur invitus vel ligatus, ipso reclamante et renitente; et haec est coactio, in qua non est consensus, et in hac omnino non est matrimonium. Est et alia coactio per metum, ut cum aliquis minatur mortem, vel intentat, si non consentiat. Et de hac coactione distinguunt aliqui, quod talis consentiens, aut consentit ore, sed non corde; et tunc non est matrimonium aliquo modo: aut corde consentit, quamvis coactus; et tunc matrimonium est in conspectu Dei, quia voluntas coacta, voluntas est; sed non est in conspectu Ecclesiae, quae praesumit, quod talis non consenserit corde; et ideo judicat et sententiat, ut uterque alteri in Domino nubat. Sed certe in istud non videtur consentire decretalis praedicta *(de sponsal. et matrim.)*, quae dicit, quod consensus non habet locum, ubi metus vel coactio intercidit. Et ideo distinguitur aliter, quod metus duplex est, quidam levis, quidam justus. Justus, utpote qui in virum constantem cadere potest; levis est, cum quis parvum malum minatur, vel cum talis minatur, de quo praesumitur, quod implere non possit. Et talis metus non facit consensum adeo defectivum, quod impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat jam contractum; sed consensus cum tali metu facit matrimonium. Tunc autem est metus justus, quando aliquis comminatur damnum mortis, mutilationis, servitutis et stupri. Tunc autem cadit in virum constantem, quando praesumitur probabiliter, quod ille qui minatur, possit minas implere; non tamen esset timendum, si

simplex rusticus minaretur duci. In hoc metu dicunt jura consensum non facere matrimonium. Sed ratio hujus sumitur a diversis diversimode. Quidam enim dicunt, quod hoc est ex indulgentia juris. Jura enim indulgent tales separari, vel quia praesumunt consentiente ore non consensisse corde; et quia verbum solum dixit, ut poenam redimeret; vel etiam ratione finis, quia coacta matrimonia pessimos exitus consueverunt habere. Alii dicunt, quod non ex juris indulgentia, sed hoc facit defectus liberi et perfecti consensus, quia plenus debet ibi esse consensus; et hoc videtur probabilius. Si tamen post coactionem in carnalem copulam consensit, ex tunc incipit esse matrimonium*). Ad illud ergo, quod primo objicitur, quod coacta voluntas, voluntas est, dicendum quod verum est, sed nunquam sufficit talis voluntas ad faciendum bonum, nec etiam ad contrahendum matrimonium, pro eo quod Dominus voluit hoc sacramentum contrahi per consensum liberum, non coactum. Ad illud, quod objicitur, quod qui coactus consentit in baptismum, baptizatur; respondetur, quod baptismus est opus Dei, non hominum, sed matrimonium est ad consensum hominum. Aliter potest dici, quod non est simile, quia non tanta libertas ibi requiritur, quanta in matrimonio, totum enim esse matrimonii a consensu causatur. Ad illud, quod objicitur, quod consensus inducitur per blanditias, dicendum quod blanditiae non ita detrahunt de ratione consensus sicut minae, quia blanditiae ad amorem excitant, sed minae ad terrorem. Ad illud, quod objicitur de eo, qui negat Christum timore, dicendum quod facilius est peccare quam benefacere. Unde plura exiguntur ad constituendum bonum, quam ad faciendum malum. Praeterea nullus timor respectu peccati perpetrandi potest, nec debet cadere rationabiliter in virum constantem. Nam talis timor est tantum respectu alicujus rei faciendae, quae non est nostrae saluti contraria, sicut vir constans rationabiliter prius deberet permittere se interfici quam Deum negare; sed non rationabiliter ageret, si dimitteret se interfici, antequam in aliquid indifferens consentiret. Matrimonium autem non est de his, quae sunt saluti contraria, vel contra salutem. Et sic patet, quomodo intelligitur de metu, qui potest cadere in constantem virum." — „Consentiens in renitentem, perseverante renitentia corde et signo, praejudicium non facit sibi, ut non possit cum alia consentire." — „Matrimonium est maris et feminae conjunctio, omnis autem talis conjunctio est aequiparantiae relatio; sed omnis talis requirit convenientiam inter extrema, quia ad minus est inter duos. Unde si alter duorum desinat esse similis, non est similitudo; ergo a simili in matrimonio, si alter dissentiat, non est matrimonium, nec sponsalia; constat ergo, quod nulla est ibi obligatio, nec aliquod praejudicium. — Dicendum, quod quaerere, utrum consentienti in renitentem fiat praejudicium, est quaerere, utrum matrimoniale vinculum claudicet, ut ex parte sit solidum, et ex parte contritum: et hoc est quaerere, utrum aliquis sit vir, cujus non est uxor; et aliqua sit uxor, quae non habet virum. Et haec in seipsa quaestio solvitur, pro eo quod in ea opposita implicantur propter naturam matrimonialis vinculi, quod est relativum et mutuum, quod signat ipsa comparatio et relatio uxoris ad virum. Dico igitur, quod matrimonium non potest esse claudum quantum ad vinculum, quia si mulier invita est, et in dissensu perseverat tam signo quam corde, nullum est matrimonium, nec unus acquirit potestatem aliquam in alterum, pro eo quod in altero extremo defuit consensus. Unde primus non se habet per modum efficientis, sed disponentis; et ideo si secundus adveniat, tunc perficit matrimonium, pro eo quod jam habet consensum mutuum, qui est ejus principium completum; et ex tunc vir obligatur, et ei praejudicium ad consentiendum in personam aliam generatur." — „Pater non potest cogere, nec praecipere filiis, ut contrahant matrimonium, nisi caritas aut rationabilis quaedam causa eos liget." — „Matrimonii contractus debet esse liber omnino, tum ratione signationis, tum etiam ratione talis et tantae obligationis, quae in illo contractu consistit; et ideo non est praecipiendum a parentibus filio praecepto obligatorio, quod contrahat, quia potest continere, si vult, et iterum, si vult, contrahere. Et adhuc per praeceptum non potest pater ad contrahendum cum hac vel cum illa eum obligare, nisi caritas vel rationabilis causa eum liget, vel promissio ipsius voluntaria. Rationabilis autem causa ligat, quando pater habet inimicitias, et non potest evadere, nisi filius cum consanguinea inimici contrahat; caritas vero ligat, quando pater prohibet filio, ne contrahat cum muliere mala; ob promissionem voluntariam ligatur, ut quando ipsemet se obligat contrahendo sponsalia, praejudicium sibi generat in hoc, quod inchoat matrimonium, unde tenetur ad consummandum, et ad hoc compelli potest per mandatum ecclesiasticum." 4. dist. 29. q. 1. pp. 1. 2. 3. — „Furia concomitans,

*) Hoc apprime cohaeret juri, quod ante Tridentinum vigebat. Siquidem Innocentius III *cap. 7 de raptor.* haec decreverat: „Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, et quod antea displicuit, tandem incipiat complacere." Verum in eo Concilio *sess. 24, c. 6 de reform. matrim.* decretum fuit: „Inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium: quodsi rapta, a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat." Quamobrem, ait cl. Vecchiotti *op. cit. l. 5. c. 13. § 109*, „vulgo fertur, novum raptus impedimentum a Synodo Tridentina inductum esse, non solum quod recesserit a placitis civilium legum, dum inter raptorem et raptam nuptias dirimit, non perpetuo quidem, sed quoad haec in illius potestate manserit, verum etiam quod recedit a jure Decretalium in cit. cap. *de raptor.*, quatenus consensus raptae ad contrahendas nuptias ineptum fore constituit, nisi a raptore [illegible]

et removens potestatem consentiendi, impedit matrimonium." *4. dist. 34. a. 3. q. 1.*

[31] „Post copulam carnalem emisso voto, vir debet debitum reddere uxori petenti, sed non potest petere." — „Dicendum quod continere est duobus modis, aut omnino, ita quod debitum nec petat, nec solvat; aut non omnino, ita quod debitum non petat, tamen petenti solvat. Primo modo non potest vir continere, uxore invita, quia non potest ei auferre jus, quod habet in corpus viri. Secundo modo continere potest, ipsa contradicente, et vovere potest; et si voveat, servare tenetur, scilicet ut numquam debitum petat." — „Uxore petente ante carnalem copulam, potest vir duos menses continere, sed post tenetur reddere debitum, vel manifestare se mortuum mundo per solemne votum." — „Dicendum quod ante consummationem matrimonii utraque persona nec omnino obligatur, nec omnino est libera. Non omnino obligatur, quia potest mori mundo; et sic matrimonium solvitur, ipso vivente in carne; et tunc, hoc facto, omnino est absolutus: nec omnino libera, quia si vult huic mundo vivere, necesse habet petenti debitum reddere. Et quia in medio est inter vitam hujus saeculi et vitam religiosam, sive spiritualem; ideo sacri canones terminum praefixerunt, ut possit deliberari, videlicet terminum duorum mensium, vel circa illud. Et ideo dicendum, quod uxore petente potest continere per duos menses, sed post vel tenetur reddere debitum, vel manifestare se mundo mortuum per solemne votum ac religionis ingressum; quod si non faciat, tenetur ad debitum solvendum . . . Quaeritur juxta hoc, unde hoc est, quod copula conjugalis violenter extorta matrimonium consummat, et consensus coactus matrimonium non ratificat; et utrum huic liceat post copulam mulieris vovere continentiam. Et quod sic, videtur; quia si prius licebat, et nullus potest ei jus suum violenter auferre; patet etc. . . . Dicendum, quod quia matrimonium est consummatum, non potest sine assensu viri religionem intrare, nec votum vovere. Ad illud quod objicitur, quod matrimonium debet esse liberum, dicendum quod verum est quantum ad consensum, in quo est matrimonii fundamentum; ista tamen copula, quamvis sit violenta, quia tamen maritalis est, et fundata super consensum voluntarium; ideo voluntaria judicatur, et ideo matrimonium radicatum consummat. Praeterea consensus de sui ratione importat libertatem, non sic conjunctio corporalis." *4. dist. 32. a. 1. qq. 1—2.*

[32] „Ista duo sunt de essentia voti, scilicet promissio et obligandi intentio. Cum votum sit obligatio nova et voluntaria, quia de novo est superaddita, promissio est necessaria: quia vero voluntaria, oportet quod velit obligari, et quod se obligare intendat. Sed contingit promittere duplici verbo, scilicet interiori et exteriori. Promissio quantum ad verbum interius cogitationis et deliberationis est de necessitate voti simplicis, quod obligat quantum ad Deum, qui intuetur cor. Sed promissio quantum ad verbum vel signum exterius est de necessitate voti solemnis, quod obligat quantum ad faciem Ecclesiae, quae judicat secundum ea quae patent." *4. dist. 38. a. 1. q. 1.* — „Votum, generaliter loquendo, est de iis, quae ad Deum pertinent, et faciunt ad salutem: simpliciter vero et proprie est de his, quae promovent ad salutem ultra statum communem. Unde quaecumque sunt talia, cadunt sub voto; quae autem his opposita sunt, ut quae ad dispendium salutis vergunt, sub voto cadere non possunt, quoniam votum debet habere comites, quos habet juramentum, scilicet veritatem, judicium et justitiam. Primo namque necesse est, ut in eo sit justitia, scilicet ut illud quod vovetur, spectet ad salutem: et sic bonum est et honestum. Secundo necesse est in eo esse judicium, ut vovens deliberate voveat, non praecipitanter. Tertio quod sit in eo veritas, et quod discrete et juste voveat, et hoc persolvat. Si ergo id vovetur, quod ad detrimentum justitiae facit, non est ibi lex voti, nec obligatio, sed ipsi voto fit injuria, nec est obligatio ad servandum, sed potius ad poenitendum, sicut de conscientia erronea judicatur." *Ibid. q. 2.* — „Quicumque liber est, potest vovere; ideo religiosi sine praelati licentia non possunt vovere, neque servi de iis, quae ad corporale servitium attinent, sine domino." *Ibid. q. 3.* — „Votum simplex continentiae non dirimit matrimonium jam contractum, licet generaliter impediat contrahendum." — Dicendum quod votum continentiae est tale votum, quod generaliter impedit matrimonium contrahendum, sed non generaliter dirimit jam contractum, nisi solemnizatum; et rationem hujus assignant aliqui Ecclesiae institutionem. Quod enim vovens sit persona illegitima, hoc non est ex voto, quia in ipso matrimonio perfecto continentia servari potest ab eo, qui debitum non exigit, sed solvit. Unde Augustinus *(in Ps. 149)* dicit, quod computatur pro sanctificatione perfecta, si non exigis, sed reddis quod debes. Sed quod impediat, hoc est ex constitutione Ecclesiae, cujus est personas legitimas vel illegitimas matrimonio determinare. Ratio autem, quare Ecclesia de voto solemni instituit, ut dicunt, est, quod in voto solemni non potest decipi, et potest in fractione ejus scandalizari, quia publicum est; sed in voto simplici neutrum habet locum, quia privatum est. Sed haec solutio videtur supponere duplex falsum. Unum, quod sit ab institutione Ecclesiae talis illegitimitas; quia Ecclesia, ut communiter dicitur, non potest ibi dispensare, potest autem dispensare generaliter in suis constitutionibus. Aliud falsum est, quia votum solemne non dicitur quia notorium, vel publicum, quia votum, quantumcumque publicetur, nisi aliud adsit, simplex judicatur, nec impedit matrimonium jam contractum. Unde aliud est votum publicum, aliud solemne. Ideo alia ratio assignatur, et accipitur a voti solemnizatione. Votum enim tripliciter solemnizatur, scilicet ordinis susceptione, professionis emissione, et habitus professorum assumptione cum aliis, quae hominem professum ostendunt*). Et hoc est commune in voti solemnizatione, quod fiat coram persona, quae locum Dei tenet, et quae votum potest approbare; quia in recipiente votum continentiae transfertur potestas corporis voventis in alium, quia alius adest, qui recipit; sed in voto simplici, ubi homo mera se obligat voluntate, et in nullius manibus hoc facit, obligatur quidem, sed tamen dominium

*) Modo tamen „ad valide emittenda vota solemnia . . . requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est." Ita in *Declar. Encycl. Litter. S. Congr. super Statu Regularium* de votorum simplic. profess. *n. 11, edita die 12. junii 1858.*

sui corporis in alterum non transfertur*). Et quia quod translatum est in potestatem unius, non potest transferri in potestatem alterius; ideo, emisso voto solemni, non potest matrimonium contrahi, in quo est translatio dominii proprii corporis. Sed quod translatum non est, adhuc transferri potest; ideo, voto simplici emisso, potest vir potestatem sui corporis in matrimonio dare; ideo, si contrahat, contractum est. Amplius, in voto solemni Deo et homini obligatur; sic et in matrimonio. Et quoniam utrobique est par obligatio, et par obligatio non solvit vinculum paris obligationis, sed bene praepotens super vinculum minoris obligationis; ideo obligatio voti solemnis non potest infringi per superveniens vinculum matrimonii. Hoc autem non ideo dico, quod faciat scandalum, quia et illud potest esse in voto simplici; sed hoc facit obligatio duplex cum translatione potestatis in alterum. Est igitur haec summa rationis, quia votum solemne obligat aequaliter districte ex opposito, non simplex; ideo impedit." *4. dist. 38. a. 2. q. 1.* — „Votum potest mutari et propter necessitatem supervenientem, et propter periculum imminens ex observatione." — „Dicendum, quod licet votum mutare ex causa, illud scilicet, quod recipit recompensationem, sed non ex levitate, nec ex propria voluntate, quam obligavit, sed ex necessitate, sive utilitate, cum praelati auctoritate, excepto voto religionis, vel etiam status perfectioris, in quod potest aliud votum commutari sine praelati licentia, quia propter sui dignitatem licentiam dant jura. Sanum est tamen consilium, quod fiat superioris auctoritate, ubi non creditur, quod contradicat, ne videatur ex levitate procedere, et auctoritatem superioris contemnere. Ratio autem, quare licet votum mutare et commutare, est propter necessitatem supervenientem, vel propter periculum, quod imminet frequenter in observatione, vel propter majorem utilitatem et voventis et aliorum. In his enim ratio recta et divina illustratio manifeste clamat, quod per mediatorem et procuratorem debeat et possit provideri, ut Deus non damnificetur, nec iste periclitetur, in quo et iste debuit salvari, et Deus honorari, et propter quod votum ordinatum est fieri ... Ad illud, quod objicitur de matrimonio, dicendum quod non est simile, quia vinculum matrimonii ligat non tantum ratione promissionis, sed etiam signationis rei insolubilis, in quam nulla potest auctoritas. Praeterea, non est unum matrimonium melius alio, sicut votum; et ideo non competit matrimonium permutari, nec commutari, sicut competit de voto." *Ibid. q. 2. concl. et ad 5.* — „Votum potest dispensari a summo Pontifice, prout dispensatio dicit juris declarationem, non autem ut dicit juris relaxationem." — „Dispensatio dicitur dupliciter, uno modo juris relaxatio, alio modo juris declaratio. Dicunt ergo aliqui, quod Papa potest in voto dispensare, secundum quod dispensatio est juris relaxatio, eo quod ejus auctoritas est supra obligationem voti. Et rationem hujus assignant, quia Papa est immediatus omnium praelatus, et ad ipsum spectat omnium ordinatio, maxime quantum ad ea, quae sunt supererogationis. Et quia omnium voluntates ejus subsunt auctoritati et dispositioni; ideo nullum votum aliter debet emitti nisi cum hac conditione, nisi Dominus Papa de vovente aliter duxerit disponendum; et ideo nullus obligatur ad votum faciendum, cum Papa aliter disponit. Quod si illam conditionem non apponat, tamen non potest eam excludere; et ideo dicunt, quod in omni voto potest dispensare, et ab omni obligatione absolvere. Et ad omnes rationes respondent, quod non est ibi obligatio absoluta, sed conditionata; et ideo dispensare potest, cum possit illam conditionem infringere, si sibi aliud de vovente placeat disponere. Sed cum illa, quae Deus consulit facienda, absque dubio bona sint, sine haesitatione totis visceribus implenda sunt. Videtur etiam, cum Deus voluerit unumquemque liberum esse, quod unusquisque sine conditione aliqua talia possit et debeat vovere. Et ideo alii dicunt, quod Papa in nullo voto potest dispensare, secundum quod dispensare est juris relaxatio, quia obligatio voti pendet ex jure divino, non humano, ex jure naturali, non ex constitutione Patrum. Propterea Papa non habet posse, nec auctoritatem in votum, relaxando jus, quia illud non est ei subjectum, habet tamen potestatem, quantum jus sibi dat; et ideo dispensare potest, secundum quod dispensatio est juris declaratio. Et haec positio est rationabilior et securior, et quia magis per ipsam satisfit conscientiae. Ad intelligentiam ejus est notandum, quod jus obligationis voti constituitur ex duplici jure naturali, ex hoc videlicet quod homo debet esse verax in promisso, et ex alio quod nihil debet homo promittere, nisi salva sua salute et divinae majestatis honore. Ergo ex jure naturali est, quod quis per votum non impediri debet, quin facere possit sibi utilius, et ideo acceptabilius. Et ideo in omni voto, quod recipit recompensationem melioris boni, sive simpliciter, sive pro loco et tempore, Dominus Papa, cujus est jus dilucidare, potest dispensare. Et in hoc communiter omnes conveniunt, sed diversificantur penes modum dispensandi. Aliqui enim dicunt, quod non est aliquod votum, quod pro loco et tempore non recipiat recompensationem; ideo nullum est, in quo non possit dispensare. Unde dicunt, quod bono continentiae praefertur bonum universalis Ecclesiae, ut pax; et ideo in voto continentiae, de quo minus videtur, potest fieri dispensatio, vel simpliciter, vel ad tempus, sicut etiam aliquando factum est. Alii vero dicunt, quod votum continentiae non recipit recompensationem, quia non est digna ponderatio animae continentis, quando obtinetur victoria de domestico inimico; in omnibus aliis est recompensatio; ideo potest dis-

*) Vota simplicia, quae religiosi viri, post praecitatas *Encycl. Litter. diei 19. martii 1857,* ante solemnem professionem emittere tenentur, cum ceteris votis simplicibus aequiparari nequeunt. Ea enim, juxta declarationes citatas, *nn. 1, 2, 3,* sunt „perpetua ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient." Praeterea „eorumdem dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi, gravibus urgentibus causis, preces porrigere poterunt. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut, data dimissione, professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant." Attamen, licet perpetua sint ex parte voventis, quum perpetua non sint ex parte personae, *coram qua fit, quae locum Dei tenet, et quae votum potest approbare;* idcirco „nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvitur, non vero per professionem votorum simplicium." *Decl. ejusd. Encycl. Litt. ed. die 25. januarii 1861.*

spensari in omnibus, praeterquam in hoc. Tertii dicunt, quod perfectioni religionis, quae est in imitatione Christi, nihil potest aequari, nec pro illa recompensari; et quia illa substantialiter consistit in triplici voto, scilicet continentiae, paupertatis et obedientiae, in his tribus non potest dispensari; perfectio enim consistit in assimilatione ad Christum maxime, sicut dicit Augustinus *(l. de vera rel. c. 16)*. Et quia in nullo tantum assimilatur homo Christo, sicut in his, nihil potest haec tria homini recompensare, quoniam recompensatio non tantum aliorum respicit bonum, verum etiam voventis, quoniam Deus vult, quod magis sit unusquisque sollicitus de sua salute, quam aliorum. Quae istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire, et satis potest quaelibet sustineri; ideo nullam assero. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum, ut dicatur, quia nec in omni, nec in nullo, sed in quodam sic et in quodam non." *Ibid. q. 3.*

[33] „Ordines minores ad contrahendum matrimonium non praestant impedimentum, licet ministerium et beneficium in Ecclesia occidentali oppositionem habeant ad matrimonium." — „Dicendum, quod in ordinibus minoribus est considerare ordinem et officium, sive ministerium et beneficium; et simul haec tria possunt comparari ad matrimonium. Et ordo minor nullam habet oppositionem ad matrimonium ratione sui, sive characteris, nec quantum ad contractum matrimonii, nec quantum ad usum; sed ministerium et beneficium, secundum Ecclesiam occidentalem, oppositionem habent ad matrimonium quantum ad usum propter honestatem. Et quoniam clericus in minoribus ordinibus non tenetur, nec est obligatus ad officium, nec ad ministerium; ideo potest contrahere sine aliquo impedimento." *4. dist. 37. a. 1. q. 1.* — „Sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum, ratione statuti ecclesiastici et voti." — „Absque dubio, sicut sacri canones dicunt, sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, et dirimit jam contractum. Verumtamen quantum ad modum dicendi, sive intelligendi, inter doctores diversos diversitas opinionum resultat. Quidam enim dicunt, quod ordo sacer impedit matrimonium propter votum annexum, ad quod obligatur, qui suscipit ordinem sacrum. Sed quoniam in susceptione ordinis non videtur voti emissio, aut, si est emissio, haec est quantum ad factum, quamvis non sit quantum ad verbum; sed non videtur tunc differre ab impedimento voti, quod falsum est, quia apud Graecos non est votum continentiae, quia illi sacerdotes licite utuntur uxoribus*), et tamen nullus potuit, nec potest in sacris ordinibus constitutus contrahere, sicut ex Synodo septima habetur, quae celebrata fuit apud eos, in quo se huic statuto subjecerunt, praeter votum continentiae; ideo aliorum est opinio, quod ordo praestat impedimentum ratione statuti ecclesiastici, quod ligat clericos suscipientes ordines ad nunquam contrahendum. Sed quoniam auctoritates canonum inveniuntur, quae utrumque sonare videntur, ut quod in susceptione ordinis est solemnizatio voti; ideo dicendum est melius, quod, etsi apud Graecos non impediat, hoc est ratione statuti, et sic non impedivit, ut dicunt quidam, a tempore Apostolorum; tamen apud Latinos impedivit et ratione statuti, et ratione voti. Sicut enim ordo monachorum et habitus continentiam habet annexam per illum, qui habitum instituit, et regulam dedit monachalem; ideo qui profitetur, et suscipit habitum, dicitur emittere votum consequenter; sic ordo apud Latinos ex ecclesiastica constitutione habet inseparabiliter continentiam annexam. Et ideo qui illum suscipit, spontanee se obligat, ita quod illa obligatio procedit ex statuto pariter et ex voto. Et sic patet, quod impedit, et qualiter impedit." *Ibid. q. 2.* — „Ecclesia potuit, et ei licuit, quia et decens erat, et expedire videbatur, statuere, ut sacer ordo impediret matrimonium contrahendum, et dirimeret contractum." — „Istud statutum de clericorum continentia fecit Ecclesia, quia potuit, sive licuit, quia decuit, quia expediens fuit. Potuit autem Ecclesia dupliciter, tum propter auctoritatem praelatorum, et maxime Pontificis summi, tum propter consensum subditorum. Propter auctoritatem namque potuit, quoniam etsi omnia sacramenta auctoritatem respiciant in dispensante aliquo modo, tamen illud sacramentum praecipue inter alia. In cujus signum in ordinis datione loquitur potestatem habens ille, qui ordines confert, unde et dicit: Accipe potestatem etc.; et ideo istud onus, quod voluit summus Pontifex huic ordini, sive sacramento, alligare, potuit, et sibi licitum fuit. Sed huic auctoritati et potestati successit in Latinis voluntas obtemperandi, quia tale statutum super se libenter receperunt; et haec duo fecerunt statutum firmum. Sed Graeci dederunt tergum, et quia non consenserunt in nobile statutum, ut vasa sua servarent munda, ablatum est regnum et intelligentia Scripturarum, et datum est genti facienti fructum ejus *(Matth. 21, 23)*. Sic igitur patet, quod potuit. Nec solum licuit, imo etiam decuit; et hoc propter duo, quoniam in actu carnali, qui est usus matrimonii, ut plurimum est libido, et in cohabitatione ut plurimum est sollicitudo; et libido, sive carnalis delectatio, reddit foetidum et immundum, et sollicitudo reddit divisum. Et quoniam clericum in sacris ordinibus constitutum decet esse mundum, cum ferat vasa Domini *(Isai. 52, 11)*; decet nihilominus esse sollicitum et attentum, ut sollicite et diligenter serviat Domino, et stu-

*) Abs re non erit hîc afferre, quae Benedictus XIV quoad matrimonia presbyterorum italo-graecorum statuit in Constit. *Etsi pastoralis* 6. maji 1742, *§ 7.* „Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem non secus ac Latini servarent; nihilominus ut eorum clerici, subdiaconi, diaconi et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines virgines, non viduas, neque corruptas, duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum promoveri omnino prohibemus. Praeterea si quis subdiaconus, diaconus, vel presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit; vel, si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena, aliisque nostro et Successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus, matrimonium enim post recensitos Ordines contractum nullum irritumque declaramus. Presbyter Graecus conjugatus, antequam ad sacrum Sacrificium, seu sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam, vel per triduum ab uxore curet abstinere."

deat, quo modo placeat Christo; ideo decens fuit eos ab uxoribus separari, ut per omnia fierent idonei cultores ministri altaris. Si enim illi, qui comedebant panes propositionis, vasa sancta habere debebant *(1. Reg. 21, 4)*, quanto magis isti, qui agno immaculato assistunt, et dispensant, et sumunt, omni puritate et sanctitate debent fulgere, et vasa sua custodire in sanctificatione et honore, non in desiderii potestate? Certe hoc non tantum decens, sed et etiam decentissimum judicabit omnis anima, quae est templum Spiritus sancti. Et non tantum decuit, imo etiam expediens fuit, primo propter vitandum irregularitatis periculum, secundo propter vitandum latrocinium . . . Ad illud quod objicitur, quod clerici indigent remedio, dicendum quod verum est; sed tamen non solum est remedium matrimonii ad vitandam fornicationem, sed multo nobilius est remedium macerare carnem. Unde quando otium est, et nulla est carnis maceratio, sed nutritur et impinguatur venter, tunc praestatur fomentum igni luxuriae; et ideo aliquibus videtur difficile continere. Sed si occuparent se bono exercitio, et carnem macerarent, alio remedio non indigerent; et istud remedium est eis concessum, quia convenit eorum statui. Aliud vero est remedium, quod non competit eorum coelibatui. Ad illud quod objicitur, quod difficillimum est abstinere juvenibus ab actu carnis, dicendum quod revera hoc difficillimum est, quia qui ignem abscondit in sinu, quomodo potest eum ferre, ut ejus plantae non ardeant *(Prov. 6, 27—28)*? Difficile autem est exstinguere ignem immittendo ligna, sed facillimum est superinfundendo aquam. Si enim vis continere, necesse habes mulieres effugere, et carnem macerare, maxime si juvenis es. Quod si hoc feceris, et continentiam amare coeperis, fiet tibi non solum non difficile, imo per omnia facile. Cum enim dicitur, quod lex nova est onus leve *(Matth. 23, 4)*, hoc dicitur ratione caritatis, quae cetera mandata facit facilia, qua qui caret, valde difficulter potest onus portare. Ad illud, quod objicitur de perfectione, dicendum quod Ecclesia nullum compellit absoluta impulsione, sed sub conditione, quae est in voluntate hominis, scilicet si velit ordinem suscipere, et hoc non est compellere simpliciter; sed homo tunc se obligat, quando voluntarie sumit ordinem, oportet enim, quod accipiat ipsum cum suo onere . . . Ad illud, quod objicitur de ampliatione cultus divini, dicendum quod, cum tot sint de laicis, qui vacent illi multiplicationi carnali, et tam pauci, qui sciant, possint et velint vacare spirituali; ideo oportuit haec duo officia dividi. Et cum divisa sint, adhuc carnalis generatio multos habet ministros, et spiritualis paucos. Non ergo timendum est, quod deficiat cultus Dei propter defectum generationis carnalis, sed multum timendum est, ne tepescat propter defectum spiritualis." *Ibid. q. 3. et ad 1. 2. 3. 5.*

[34] „Occidere uxorem potest quis tripliciter, aut persequendo culpam, aut persequendo naturam, aut persequendo matrimonium. Persequendo culpam, aut cum in fornicationis crimine deprehendit, et adeo detestatur, quod in ultionem criminis mortem infligit. Persequendo naturam, ut si mulier propter defectum aliquem, quem habet in se, non habet gratiam viri; unde vir eam exosam habens et gravem, propter istam detestationem et odii intensionem, furore accenso, ipsam perimit. Persequendo matrimonium, ut quando moechatur cum aliqua, quam vult ducere in uxorem, et non potest nisi uxore mortua; et ideo ipsam interficit. Primum est grave peccatum propter excessum, secundum est gravius, tertium est gravissimum. In quolibet horum prohibetur a matrimonio contrahendo, sed magis in secundo, et maxime in tertio: et in quolibet horum casuum dispensatur ab Ecclesia, et maxime in juvenibus, sed in primo de facili, in secundo difficilius, in tertio quodammodo sic, et quodammodo non. Respectu ergo illius personae, cum qua moechabatur, et propter quam habendam in matrimonio occidit conjugem, nunquam cum eo dispensabitur, imo, si junctus fuerit, simpliciter separatur; sed respectu aliarum propter periculum dispensatur. Unde quamvis crimen non faciat omnino illegitimum, respectu omnium, propter periculum fornicationis; facit tamen simpliciter illegitimum respectu alicujus personae determinatae, scilicet homicidium junctum cum adulterio, vel adulterium cum fidei datione, vel datio fidei cum uxoricidio. Et sic concedendum est, quod tale crimen impedit matrimonium aliquo modo taliter, quia impedit, sed non dirimit; alio modo quod etiam dirimit. Ad illud ergo, quod objicitur, quod qui occidit uxorem alienam, propter homicidium non efficitur inhabilis ad matrimonium, dicendum quod non est simile. Quia enim offendit matrimonium in se, cum uxorem propriam interficit, ideo in se debet puniri; non sic cum interficit alienam" *). *4. dist. 37. a. 2. q. 3. et ad 1.*

[35] Sub his verbis duo criminum genera matrimonium dirimentia includuntur, nempe adulterium cum promissione futuri matrimonii, et adulterium ac matrimonium, vivente conjuge, cum adultera attentatum. Adulterium autem, seclusa machinatione et fide futuri matrimonii, non est impedimentum dirimens.

[36] „Ut intelligibilia fiant, quae dicuntur in parte ista, praeponenda est triplex definitio . . . Primo ergo videndum est, quid sit consanguinitas. Consanguinitas autem definitur sic: Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum. Stipes autem vocatur persona, qua aliqui duxerunt originem, a qua descendentes sunt consanguinei ad invicem, et illi etiam, a quo sunt. Secundo videndum est, quid sit linea consanguinitatis, quae definitur sic: Linea est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos gradus continens. Unde dicitur ordinata collectio, quoniam sicut ordo est in linea praedicamentali secundum superius et inferius, ordo vero tripliciter potest accipi, vel ad illud quod supra, vel ad illud quod infra, vel ad illud quod juxta; ideo tres lineae consueverunt assignari. Quaedam enim est ascendentium, quaedam descendentium, quaedam transversalium. Secundum lineam ascendentem computantur gradus, ita scilicet, pater et mater, avius et avia, proavus et proavia, atavus et atavia. Secundum lineam descendentem filius et filia, nepos et neptis, pronepos et

* Cum hoc impedimentum sit de jure ecclesiastico, et nullum supponat, uti ex. gr. supponit affinitas, vinculum naturale, si quis baptizatus, hujusmodi crimen ante baptismum, commiserit, eodem impedimento non afficitur. Id constat ex *Declar. S. C. de Prop. Fide,* sub die 28. augusti 1852.

proneptis, abnepos et abneptis. Secundum lineam transversalem duo fratres et filii duorum fratrum, nepotes duorum fratrum, pronepotes duorum fratrum, et ibi est status. Tertio videndum est, quid sit gradus, qui sic definitur: Gradus est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quota generationis distantia duae personae differant inter se. Et nota, quod ista definitio est secundum jura canonica, nam secundum jura civilia gradus accipiuntur secundum numerum personarum collectarum in linea. Unde dicunt legistae, quod frater et soror duos gradus faciunt; sed decretistae dicunt, quod unum et primum gradum. Nec est contradictio, quia unius habitudinis duo sunt extrema. Et quia secundum jura canonica gradus est habitudo, cum duplicis extremi una sit habitudo, ponitur unus gradus. Sed quia duae sunt personae, et quaelibet suum respectum habet ad principium; ideo computantur secundum leges duos gradus. His visis, notandae sunt hae tres notulae. Prima est, quod nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusive. Et talis est hujusmodi prohibitio, quod si quis contra eam praesumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat; et tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam detinent assignatam ... Secunda notula est, quod toto gradu personae descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite. Et ideo, si aliquis vult scire, quoto gradu aliqui sibi attineant, cum talis attinentia originem ducat a stipite, oportet quod ad illam personam recurrat, cui immediatius conjungitur ... Tertia regula est, quod quando personae inaequaliter distant a stipite, ut puta, quando una in secundo gradu et altera in quinto, linea consanguinitatis et gradus debet computari secundum distantiam magis remoti ... Ratio autem hujus est, quod tota ratio proximitatis ortum habet a stipite; ergo nullus proximior est alicui collaterali, quam stipiti. Si ergo distat a stipite per quinque gradus, pari ratione distat a collaterali, sive distet per unum gradum, sive per duos distet gradus in quinque. Quod si amplius distet, secundum magis distantem oportet computari; et ideo ille, qui distat in quinto gradu, potest contrahere cum illo, qui distat in secundo. His autem praesuppositis ... vinculum consanguinitatis est et fundatur in relatione ad eamdem originem et in affectione naturali, quae extenuatur, secundum quod protenditur propagatio." — „Consanguinitas impedit matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturae, in aliquo vero dictamine legis divinae, et in aliquo praecepto ecclesiastico." — „Consanguinitas secundum legem naturalem impedit in primo gradu, secundum legem veterem usque ad secundum, secundum vero legem evangelicam usque ad quartum." *4. dist. 40. a. 1. qq. 1—3.*

[37] „Cognatio legalis ita describitur: Cognatio legalis est proximitas proveniens ex adoptione. Oritur autem quasi triplex proximitas ex adoptione. Una est quasi descendentium, quae attenditur inter adoptantem et filiam, vel neptem adoptatam. Alia est quasi a latere, scilicet illa, quae est inter filium naturalem et filiam adoptivam. Tertia vero est quasi quaedam affinitas inter adoptatum et uxorem adoptantis, vel adoptantem et uxorem adoptati. Hae sunt species, de quibus parum dicitur in jure canonum. Secundo intelligendum est, quod ista cognatio, sicut patet per rationem suam, contrahitur per actum adoptandi. Adoptare autem est extraneam personam in filium, vel filiam, vel nepotem, vel deinceps legitime assumere. Legitima autem assumptio dicitur, quia non omnis persona potest omnem adoptare. Nam adoptare non potest mulier, nisi ex rescripto principis sibi concedatur in solatium filiorum, iste enim actus est proprie virorum. Item non omnium, quia adoptare non potest minor viginti annis, nisi forte justa causa interveniat: ille vero potest adoptare, qui paterfamilias est, et sui juris, et potest generare ... Quilibet autem potest adoptari, sive masculus sit, sive femina, dummodo sit minoris aetatis patre adoptivo, vel adoptante. Unde sive sit minor, sive sit major, sive habeat patrem, sive non, adoptari potest, differenter tamen. Qui enim sui juris est, dicitur arrogatus, et transit in potestatem arrogantis: qui autem est in potestate patris, non transit in potestatem adoptantis, et dicitur simpliciter adoptari ... Alia differentia est, quia adoptans filio arrogato tenetur relinquere quartam partem bonorum, filio adoptivo nihil, si non vult*). Tertio intelligendum est, quod cognatio legalis per modum descendentium et per modum affinitatis semper impedit matrimonium. Unde nunquam adoptans potest contrahere cum filia adoptiva, nec cum uxore filii adoptivi, et sic de aliis; sed in secunda specie non manet impedimentum nisi ad tempus, scilicet quamdiu est et durat adoptio, sed ea soluta emancipatione filii adoptivi, vel naturalis, postea non impedit" ... „Cognatio legalis, quae contrahitur per adoptionem filiorum, est vinculum." — „Impedit matrimonium; et ratio hujus est statutum Ecclesiae, quae legem confirmat, et approbat ... ratione honestatis, quoniam isti affectus, scilicet paternus et maritalis, circa eamdem personam, sunt incompossibiles, salva honestate." — „Transit in alterum per carnis commixtionem ad semper; sed per generationem tantum ad tempus." *4. dist. 42. a. 2. qq. 1—3.*

[38] „Cognatio spiritualis ita diffinitur: Cognatio spiritualis est propinquitas, aut proximitas, proveniens ex sacramenti donatione, vel ad illud tentione. Unde tam ille qui baptizat, quam ille qui tenet, proximus et cognatus spiritualiter judicatur ... Consanguinitatis spiritualis tres sunt species. Una dicitur compaternitas, quae attenditur inter patrem spiritualem et carnalem patrem. Alia dicitur paternitas; et haec attenditur inter eum, qui suscipitur, et eum qui suscipit, sive sit masculus, sive femina. Tertia dicitur fraternitas; haec attenditur inter filium spiritualem et filium carnalem praecise et universaliter, nam non se extendit nisi ad illum, qui suscipitur ... Spiritualis cognatio dupliciter contrahitur, scilicet directe et indirecte. Indirecte, ut quando uxor efficitur commater alicujus per actum viri, vel e contra vir efficitur compater per actum uxoris. Directe vero contrahitur per actum proprium, ut cum tenet aliquem vel aliquam ad sacramenti susceptio-

*) Ex his duabus adoptionis speciebus prior, seu adrogatio, est perfecta; altera, quae etiam adoptio simplex et in specie appellatur, est imperfecta. Num autem impedimentum ad matrimonia ineunda a sola inducatur adrogatione, an etiam ab adoptione simplici et imperfecta, disputant theologi et canonistae. Cfr. Benedictum XIV *de Syn. dioec. l. 9. cap. 10. n. 4—5.*

nem*) ... Propterea circa hoc quaeruntur tria. Primo quaeritur, utrum cognatio spiritualis contrahatur per aliquod sacramentum. Secundo quaeritur, utrum impediat matrimonium. Tertio quaeritur, utrum transeat ab uno in alterum." — „Cognatio spiritualis et est, et esse debet, propter conformitatem spiritualium ad carnalia." — „Cognatio spiritualis praecedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum, si baptismo et confirmatione sit causata; sequens autem, etsi non solvit, in aliquibus tamen casibus tollit jus petendi debitum." — „Consanguinitas spiritualis per alterius actum non transit in alterum, per actum etiam proprium ante carnalem copulam non transit, sed post carnalem copulam transit." *4. dist. 42. a. 1. exp. art. et qq. 1—3.*

[39] „Sponsalium effectus ... duplex. Unus obligationis ad matrimonium, ad quod astringuntur per promissionem, quae est in sponsalibus. Unde dicuntur a spondeo, spondes: unde compellendi sunt ad matrimonium contrahendum, nisi timeatur de uxoricidio, vel aliquis dictorum casuum interveniat. Alius effectus est publicae honestatis justitia**), quae est quod nullus consanguineorum pro-

*) Cfr. superius *cap. 7. not. 30. huj. part.* Non tamen contrahitur a patrinis, qui in supplendis baptismi solemnitatibus adhibentur. Ita declaravit *S. C. de Prop. Fide in Instruct.* diei 11. septembris 1779 ad Episc. Scodrensem.

**) Diu ac varie inter catholicos disputatum fuit de natura et effectibus illius actus, quem *matrimonium civile* vocant, ac praesertim an, in sensu Ecclesiae, vim haberet sponsalium, vel considerari posset uti matrimonium clandestinum nullum, ubi lex Concilii Tridentini viget; atque ideo, an et usque ad quem gradum induceret impedimentum justitiae publicae honestatis. Cum theologi et canonistae in diversas abirent sententias, dubium S. C. Concilii propositum fuit: „An actus, qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis." Cui dubio die 13. martii anni praeterlapsi 1879 respondit: „Negative, et consulendum Sanctissimo, ut id declarare ac statuere dignetur." Facta autem de praemissis relatione Sanctissimo Domino Nostro per R. P. D. Secretarium praedictae sacrae Congregationis in audientia diei 17. ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutionem approbare ac confirmare dignata est, ac jussit fieri decretum. Ex his, ut scite ajunt compilatores ephemeridis, *Acta sanctae Sedis, vol. XII. p. 176,* colligitur: „1° Actum illum, quem vulgo matrimonium appellant civile, ab Ecclesia semper detestari, quatenus per ipsum intendatur unio legitima et maritalis; tolerari tamen tamquam caeremoniam mere civilem, qua catholici, vel jam matrimonio religioso legitime conjuncti, vel mox conjungendi, propriae et prolis utilitati consulere student. 2° Hanc tamen caeremoniam, licet ab Ecclesia ita toleratam, prouti jacet et communiter accipitur, cuicumque effectui ecclesiastico gignendo imparem esse; tum ob defectum jurisdictionis in ferente legem, tum ob defectum intentionis in contrahentibus, quos, cum catholici sint, catholice agere praesumendum est. 3° Hinc dictam caeremoniam in se perspectam, nisi adjuncta in casibus particularibus contrarium suadeant, considerari non posse neque uti sponsalia, neque uti matrimonium clandestinum in sensu Ecclesiae; ideoque opinionem eorum, qui vel uti sponsalia, vel uti matrimonium clandestinum, nulla facta distinctione, valere contendunt, omnino esse explodendam. 4° Varias demum theologorum et canonistarum opiniones circa matrimonium clandestinum, quatenus inducat vel non impedimentum justitiae publicae honestatis, in eodem statu manere ac erant ante hujusmodi S. Congregationis resolutionem."

pinquorum sponsi potest contrahere cum sponsa, nec e converso." *4. dist. 36. a. 2. q. 3. ad quaest. 3 lat.* Ad illud quod quaeritur, quibus modis solvantur, dicendum quod in octo casibus. Primus est, voto solemni superveniente, puta si alter sponsorum intravit religionem. Secundus, superveniente matrimonio, puta si contrahat cum alia per verba de praesenti post sponsalia. Tertius, superveniente affinitate, puta si cognovit consanguineam sponsae, et hoc facto vel fama probari potest. Quartus, superveniente incurabili infirmitate, puta lepra, vel mutilatione membri alicujus. Quintus, altero se absentante, puta cum vadit in regionem longinquam sine licentia. Sextus, altero fornicante, puta cum alter cognoscit alteram, quam sponsam suam. Septimus, utroque volente, puta cum ambo consentiunt. Octavus est, minore petente, puta si contracta sunt sponsalia inter aliquos duos, quorum alter est in aetate debita, alter est minor. Primis duobus modis solvuntur sponsalia ipso facto, aliis per judicium Ecclesiae." *Ibid. ad q. 2 lat.*

[40] „Bonum naturae respicit cognatio carnalis, bonum gratiae cognatio spiritualis, bonum vero fortunae cognatio legalis." *4. dist. 42. a. 2. q. 1.*

[41] „Differt esse affinem, et esse consanguineum, nam consanguinitas venit ex carnis propagine, sed affinitas ex carnali commixtione, praesupposita tamen consanguinitate. Unde affinitas diffinitur sic: Affinitas est proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela. Intellige, quantum est de se; tamen praesupponit consanguinitatem. Unde si quis cognoscit mulierem, efficitur affinis omnibus consanguineis mulieris per illam commixtionem, et e converso in muliere ... Antiquitus tria genera affinitatis esse consueverunt ... Nunc autem non stat nisi primum, quod surgit ex consanguinitate et prima carnis commixtione ... His visis, quaedam regulae sunt notandae. Prima est, quod in primo genere affinitatis non licet contrahere usque ad quartum gradum inclusive, sicut et de consanguinitate ... Secunda regula est, quod ex quo contracta est affinitas, mortua persona, mediante qua contracta est, nihilominus manet affinitas, pro eo quod est vinculum perpetuum, sicut et consanguinitas ... Tertia regula est, quod affinitas contrahitur non solum per matrimonium, sed etiam per coitum fornicarium*)." *4. dist. 41. a. 1. in princ. art.* — „Affinitas non generat affinitatem, sed ipsa protenditur secundum protensionem consanguinitatis, secus de consanguinitate dicendum." — „Affinitas, quae praecedit matrimonium**), impedit contrahendum, et dirimit contractum; non autem superveniens." *Ibid. qq. 2. 3.* — „Incestuosus cognoscens sororem uxoris, etiam per sponsalia de futuro, non potest contrahere matrimonium,

*) Attamen sancta Synodus Tridentina, „gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere." *Sess. 24. de ref. matr. cap. 4.*

**) Affinitas, quamvis in infidelitate contracta, quoad baptizatos, est impedimentum dirimens, ex *Decl. S. C. de Prop. Fide,* diei 23. augusti an. 1852. Ratio est, quia supponit vinculum naturale.

quia contracta affinitas per cognitionem sororis impedit matrimonium; mulier tamen nubere potest, nisi fuerit conscia sceleris." *4. dist. 34. a. 3. q. 2.*

[42] „Justitia publicae honestatis contrahitur ex sponsalibus de praesenti*) . . . Propinquitas consanguinitatis est ex fructu matrimonii, sed affinitatis ex actu; justitia publicae honestatis tenet medium inter utrumque." *4. dist. 34. a. 1. q. 2. in concl.*

[43] „Status aetatis impedit matrimonium." — „Ad illud, quod quaeritur, quid impediat, dicendum quod defectus aetatis ratione instabilitatis puerilis, et impotentia coëundi naturalis. Quod objicit de sene et infirmo, non est simile, quia stabiles sunt in sensu et in affectu. Sed quod dicit quod impuberes non possunt, dicendum quod jura judicant et instituunt non secundum ea, quae semper, sed secundum ea, quae fiunt frequenter." — „Sponsalia de jure non possunt contrahi ante septennium, et si contrahantur de facto, nihil fit; permittitur tamen ipsum nihil in re, quod est aliquid in spe, propter bonum pacis. Ratio temporis haec est, quia sicut non possunt aliqui matrimonium contrahere nisi proprio consensu, et proprio signo exprimente consensum; sic non possunt ad matrimonium obligari, nisi placeat, et complacentiam verbo vel signo exprimant, quia ut frequenter ab illo tempore incipiunt intelligere quae dicunt, et loqui secundum proprium affectum; ideo ex tunc incipiunt valere. Ex his patent objecta, quia non est simile de obligatione matrimonii et sacramento baptismi, quia illa est necessaria ad salutem, ideo merito per alium subvenitur aegroto. Patet etiam ratio temporis, quia quamvis non sit plena discretio ad discernendum bonum a malo in eis, tamen est discretio ad intelligendum quod dicitur, et respondendum quod libeat." *4. dist. 36. a. 2. qq. 1—2.* Vide etiam *4. dist. 34. a. 2. per integrum.*

[44] „Secundum jus novum conditio servitutis non impedit matrimonium, etiam domino contradicente, vel dominis, quia sacramenta ecclesiastica omnibus sunt communia, et servus etiam conjugatus potest suo domino debita servitia exhibere. Unde per matrimonium non subtrahitur a domini potestate." — „Conditio servitutis cum errore matrimonium impedit, si liber cum ancilla contrahat*); si vero inter pares sit, vel servus cum libera, non impedit." *4. dist. 36. a. 1. qq. 1. 2.*

[45] „In veteri lege distinguendum erat inter infideles, quia quaedam mulieres erant infideles, et erant de terra Chanaan, quam Dominus promiserat filiis Israël propter illius gentis obstinationem in infidelitate, manderaveratque eas occidendas; et de talibus prohibitum erat. Unde si quis de populo Israël cum illis contraheret, cum esset contra Domini praeceptum, non erat matrimonium. Quaedam erant infideles de aliis nationibus; et de talibus non erat prohibitum, sed permissum et concessum, ubi non timebatur lapsus in idololatriam, sicut in Joseph et Moyse. Ratio autem, quare prohibuit gentes illas et non alias, fuit duplex, una quia judicaverat omnes reos mortis, alia quia obstinatae erant in malo. In novo Testamento alio modo est, quia infidelis est dupliciter, aut quia caret fide, aut quia fidei sacramento. Si quia fide tantum, sic talis disparitas, ubi nota est, impedit matrimonium, sed non dirimit jam contractum; ut si catholicus contrahat cum haeretica baptizata**). Si autem sit infidelis, quia caret

---

*) „Justitiae publicae honestatis impedimentum, ubi sponsalia, quacumque ratione valida non fuerunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant." *Conc. Trid. sess. 24. decr. de ref. matr. c. 3.* Cum autem multi dubitarent, an praefatum decretum „de sponsalibus per verba (ut ajunt) *de futuro* tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba *de praesenti* contracta, non tamen consummata, quae interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit;" S. Pius V die 1. julii 1568 declaravit et definivit „decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus, de jure veteri, ante praedictum decretum Concilii introductum erat." Matrimonium igitur ratum, sed non consummatum, impedimentum publicae honestates quidem inducit, sed usque ad quartum gradum inclusive. Cum autem Concilium circa impedimentum publicae honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, nihil innovaverit, sequitur nunc quoque impedimentum hujusmodi exurgere ex quolibet matrimonio rato, etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus, excepto matrimonio clandestino, ubi scilicet viget lex Tridentini, ex quo plures et non infimae notae theologi nominatum impedimentum induci negant. Quoad tamen sponsalia occulta, praedictum impedimentum publicae honestatis ex ipsis nullatenus oriri communis est theologorum sententia. Ratio est, quia hujusce impedimenti natura et indoles tota consistit in externa et apparenti decentia, juxta quam non videtur inter fideles convenire, ut illius uxor esse dicatur, quae fuit sponsa consanguinei, et e contra. Cum igitur non oriatur nisi propter actus externos et hominum scandalum, cumque et hoc et illi in sponsalibus occultis minime habeantur; videtur deesse in eisdem ratio, cur hujusmodi impedimentum inducatur.

*) Quum error, non disparitas conditionis, matrimonium dirimat, sequitur matrimonia, quae *ad morganaticam* dicunt, et valida et licita semper fuisse. Hujusmodi autem matrimonia ita describit Benedictus XIV *de Syn. dioec. l. 13. c. 23:* „Ea sunt, quibus vir nobilis, post susceptos ex prima uxore itidem nobili liberos, ea defuncta, cum continentiae leges sine uxore observare non possit, coram parocho et testibus, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione, alteram ex humiliori ordine ducit, addita conditione, ut tam mulier, quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi juris ex eo acquirere possint, praeterquam ad ea, quae ad victum sunt necessaria. Hujus conditionis vi et mulier a participanda mariti dignitate excluditur, et filii ab omnibus titulis, muneribus et paternorum avitorumque bonorum successione extranei censentur."

**) Hujusmodi matrimonia ea sunt, quae *mixta* vulgo appellari solent. „Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit ejusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem" (Gregor. XVI, *Instruct. et Archiep. et Episc. Austriae, 22. maji 1841).* Potestas autem dispensandi super hoc impedimentum ad Apostolicam Sedem unice spectat, quae „si de canonum severitate remittens, mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis aegreque admodum fecit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti

fidei sacramento, ut puta baptismo; quia sacramentorum ecclesiasticorum et fidelium janua et fundamentum est baptismus, fidelis, qui contrahere habet secundum sacramenta Ecclesiae, si cum tali contrahat, nihil facit, etiam si sit fidelis *), dum tamen non habet baptismum **); unde dirimit jam contractum ... Ad illud, quod objicitur, quod *sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem (1. Cor. 7, 14)* et e converso, dicendum quod loquitur Apostolus de matrimonio contracto ante cultus disparitatem, quod dicit manere, quia fideles viri plerumque salvant occasionaliter, sive sanctificant mulierem, sicut fides parturit filios. Ad illud, quod objicitur de disparitate morum, dicendum quod non est simile, quia disparitas fidei facit disparitatem sacramentorum; non sic disparitas morum, quia boni et mali conveniunt in sacramentis. Non tamen disparitas fidei semper facit disparitatem in sacramentis, sed eatenus, quatenus facit, periculosior est. Ad illud, quod objicitur, quod matrimonium est sacramentum commune fidelibus et infidelibus, dicendum quod eatenus est commune, quatenus est legis naturae, sed non in quantum Ecclesiae: et si fidelis contrahit, sacramentum ejus jam est Ecclesiae; ideo in hoc non communicat cum infideli, immo multum distat. Ad illud, quod objicitur, quod non est contra aliquod

---

non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce conjugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committat." *(Ibid.)*

*) Ex hoc enim impedimento matrimonium nullum est ac irritum, non modo si contrahatur a quolibet infideli cum baptizata, verum etiam si contrahatur a catechumeno; et eadem ratione si mulier baptizata infideli, vel etiam catechumeno, nupserit. An autem nullum sit matrimonium contractum a persona baptizata cum ea, quae baptismum ficte recepit, disputant doctores. Hoc porro impedimentum non a jure naturali vel divino profectum, sed a jure ecclesiastico tantum, imo nec scripto, sed consuetudinario, seu a consuetudine originem duxisse, communis est inter theologos et canonistas sententia. Omnibus siquidem notum est, matrimonia inita inter personas cultu dispares olim valida et licita habita fuisse, aliter, quemadmodum ostendit Benedictus XIV, *de Syn. dioec. l. 9. c. 3. n. 5,* „dicendum esset (quod hactenus a nemine affirmatum est) sanctas illas mulieres peccasse, quae nedum cum haereticis, sed cum infidelibus matrimonium contraxerunt: uti factum constat tum a S. Monica D. Augustini matre cum Patritio ethnico, a S. Anastasia cum Publio idololatra, a S. Caecilia cum Valeriano nondum ad christianam fidem converso, atque ab aliis pluribus." Quin imo „improvida etiam ratione (quod asserere temerarium esset) a magno Chalcedonensi Concilio, jam usque a quinto Ecclesiae saeculo, statutum fuisset, quod legitur in ejusdem Concilii canone decimoquarto, ne scilicet catholicus matrimonio jungatur cum parte haeretica, judaea, aut ethnica, *nisi forte persona orthodoxae copulanda promittat, se ad orthodoxam fidem transferre.*" Cum igitur hujusmodi impedimentum divini aut naturalis juris non sit, consequitur ab eo posse dispensari. Et reapse Romani Pontifices in locis infidelium, quamvis raro et gravibus tantum de causis, ac sub debitis conditionibus, pro matrimonio sive contracto, sive etiam contrahendo, quandoque tamen dispensant. Imo, etsi rarissime et solum pro contracto validando, urgentibus rerum adjunctis, in locis quoque christianis aliquando dispensarunt. Quum autem quaesitum fuerit „utrum per verba *gravibus tantum de causis,* intelligi possit, tamquam causa gravis et sufficiens, salus animae illorum, qui tali matrimonio jamdiu contracto, absque Creatoris contumelia vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel eosdem difficillimum sit ab insolenti conjuge separari?" Congregatio S. Officii an. 1786 respondit: „Casum expositum esse gravem, et sufficientem ad impetrandam dispensationem." Et S. Congregatio de Propag. Fide die 4. februarii an. 1804 declaravit „conditionem, *ubi sunt plures infideles quam fideles,* ita intelligendam esse, ut locum habeat ubi in tota regione, de qua habenda ratio est, plures sint infideles, etiamsi in uno aliove pago plures numerentur fideles quam infideles." Conditiones autem, quae in dispensationibus apponuntur, sunt: Ut cohabitatio cum infideli nullum perversionis periculum, nullamque Creatoris contumeliam adducat; ut proles in christiana religione instituatur, et ut de conversione infidelis spes adsit.

**) Quaestio hîc maximi profecto momenti occurrit, nempe de dubio baptismate quoad matrimonii validitatem. Duo circa hoc speciatim quaeri possunt: 1° An acatholici, de quorum baptismi validitate serio dubitatur, tamquam infideles habendi sint, ita ut eos inter ac catholicos dirimens impedimentum disparitatis cultus adesse censeatur. — 2° An impedimentum disparitatis cultus locum item obtineat in matrimoniis contractis inter ejusdem vel diversae confessionis acatholicos, quum alter ex conjugibus catholicam fidem amplexatus, exorto de baptismatis validitate dubio, illud sub conditione recipit, alter vero, de cujus baptismatis valore serio pariter dubitari potest, in haeresi perseverat. — Ad primam quaestionem, quod spectat Calvinistas ac Lutheranos in illis locis degentes, quorum baptisma dubium est ac suspectum, actum est in Congregatione S. Officii, quae die 17. novembris 1830 haec statuit: „Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, examinari debet casus peculiaris: quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum esse baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium." — Ad secundam vero quaestionem eadem S. O. Congregatio die 5. februarii 1851 rescripsit: „Generatim loquendo, qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tamquam valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari haereticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum; sed oratorem, quoties occurrunt casus particulares hujus generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum diei 17. novembris 1830 a s. m. Pii Papae VIII approbatum." — Ex quibus cl. Vecchiotti in *op. cit. lib. 5. cap. 13. § 97,* infert: 1° „Ubi constat de baptismo non suscepto, vel nulliter recepto ex utraque parte, matrimonium verum ac validum esse; irritum e contra dici, si ex una tantum parte constet, quo casu baptismus absolute conferri, et matrimonium convalescere debet. 2° Si de baptismi susceptione seu valore prudens dubium exurgat, baptismus sub conditione iteratur, sed nil novi pro matrimonio praestatur, siquidem dubium de validitate baptismi, vel baptismum sub conditione collatum, per se non sufficit, ut pariter dubitetur de validitate matrimonii. Baptismus enim, attenta omnimoda ejus necessitate, sub conditione, in casibus dubiis, conferri secreto debet, absque ullo matrimonii praejudicio, si id prius contractum fuit." Hoc expresse statuit S. Concilii Congregatio die 4. maji 1737.

bonum matrimonii, dicendum quod falsum est, immo contra bonum prolis, quia alter conjugum de facili potest impedire, ne proles Deo dedicetur. Est etiam contra bonum fidei, propter periculum fidei. Est etiam contra bonum sacramenti, quia ex parte fidelis matrimonium natum est esse ratum et insolubile, cum sit fundatum super fundamentum fidei; ex alia parte est contritum, quia non habet fundamentum." *4. dist. 39. a. 1. q. 1. concl. et ad 3—6.* — „Matrimonium apud infideles est in officium, et excusat a culpa; sed non est ratum, neque in remedium, cum non sit sacramentum ob defectum fidei." — „Matrimonium est institutum in officium et in remedium et in sacramentum, et ista tria complete habet, secundum quod est apud fideles. Apud infideles vero habet ista secundum rationem semiplenam, nam est in officium, quia est procreatio prolis legitimae, sed non ad cultum Dei. Apud fideles autem ad cultum Dei; est in remedium, quia excusat coitum a peccato mortali; et rursus datur ibi gratia remittens concupiscentiam, ratione benedictionis adjunctae. Apud infideles vero maritali affectu uxores cognoscentes est excusatio a culpa, sed non datur gratia; apud fideles utrumque est. Item est etiam in sacramentum apud fideles, quia signat unionem Dei et animae, sive unionem divinae naturae et humanae, non tantum aptitudine, sed actu; apud infideles vero aptitudine tantum. Et praeterea ratio sacramenti maxime consistit in ratificatione vinculi, apud infideles autem vinculum non habet ratificationem perfectam. Unde ... quoddam matrimonium ratum et legitimum, ut fidelium; quoddam legitimum, sed non ratum, ut infidelium; quoddam ratum, sed non legitimum, ut matrimonium contractum a fidelibus in occulto*). Si autem quaeratur, quare matrimonium infidelium non est ratum, dicendum quod hoc est propter defectum sacramenti fidei et propter statum, quia in tali junctus est uxori, in quo potest vinciri vinculo fortiori, scilicet suscipiendo sacramentum baptismi, et Christo alligari, a quo statu nemo potest prohibere; et ideo potest in casu istud vinculum infirmari, habet enim ratitudinem, ut illo statu in utroque manente, non possit solvi." *Ibid. q. 2.* — „Matrimonium infidelium excusat aliquo modo a culpa, quia est in remedium semiplenum, cum imperfecta sint ibi bona matrimonii." — „Matrimonium contractum ante baptismum cum una, et post cum alia, facit bigamum." *Ibid. q. 3—4.* — „Matrimonium infidelium, altero veniente ad fidem, et infideli nolente cohabitare sine contumelia nominis Christi, vel impulsu ad infidelitatem, potest frangi quoad vinculum apud infidelem." — Quae „solutionem matrimonii contracti in infidelitate faciunt, primum est ipsius imbecillitas, secundum est cultus disparitas, tertium Creatoris vel matrimonii injuria. Primum reddit possibile ad solutionem, secundum disponit, et tertium dissolvit. Matrimonii imbecillitas est ratione signationis imperfectae, quam habet apud infideles, et ratione defectus baptismi. Unde dicitur, quod illud matrimonium est legitimum, sed non ratum, quia dicit Innocentius: Sacramentum fidei, id est baptismi, quod semel admissum est, ratum efficit sacramentum conjugii, ex parte scilicet suscipientis est intelligendum. Et hoc est, quia infideles possunt ita ligari in individuam vitae consuetudinem, quin alter possit transire ad fidem: et si non vult commutari, potest simpliciter separari, cum perfecta fides adveniat, suscipiendo sacramentum fidei. Cultus disparitas est secunda ratio, quia tunc advenit alteri personae fortius vinculum. Injuria matrimonii, sive Dei, est, cum non vult cohabitare, aut non sine contumelia Creatoris; et tunc vinculum illud solvitur, quia repugnat vinculo, quo fidelis alligatur Deo." *Ibid. a. 2. q. 1.* — „Matrimonium solvitur secundum veritatem, si vir fuerit relictus a muliere remanente in infidelitate, ipsa tamen est alligata in poenam peccati: quod si reversa absolvatur, marito alteri uxori alligato, potest alteri nubere." — „Dicendum, quod quidam dicunt, quod hanc quaestionem non est nostrum determinare, quia nec spectat ad nos de his, quae foris sunt, judicare. Sed verum est, quod non spectat ad nos judicare puniendos spiritualiter; tamen spectat ad nos, cum *spiritualis* homo *omnia judicet (1. Cor. 2, 15)*, discernere quis recte, quis non recte vivat. Et ideo dicendum, quod statim post discessum solvitur vinculum a parte viri, quia potest alteri conjungi statim: non sic a parte mulieris. Unde notandum, quod vinculum manet dupliciter, aut secundum veritatem sacramenti, aut in poenam peccati. Quamdiu vir fidelis manet in statu, in quo potest mulier infidelis redire ad eum, mulier est alligata quantum ad veritatem sacramenti. Sed quando vir est in statu, in quo non potest ei conjungi, ut si alteram ducat, vel intret religionem, vel accipiat sacrum ordinem, mulier soluta est secundum veritatem sacramenti, quia amplius non est uxor, sed tamen alligata est in poenam peccati; unde non licet ei nubere, quousque solvatur a culpa, et hoc non est, quamdiu est infidelis. Si autem convertatur et baptizetur, cum tunc solvatur ab omni culpa et poena peccati, ex tunc licite poterit nubere, nisi aliud obsistat ... Ad illud, quod quaeritur, a quo solvitur, dico quod a Deo et ab Ecclesia, sed per accidens, quia ex quo ille desinit esse vir, per consequens ista desinit esse uxor. Et si tu objicias, quod commodum reportat de malitia, dicendum quod falsum est, quia quamdiu manet culpa, divino judicio est alligata. Et amplius, si ad fidem veniat, et vir eam repetat, si non contraxit cum alia, est ei reddenda. Unde satis rationabiliter potest dici, quod vinculum illud non omnino solvitur, statim cum mulier discedit, sed cum vir alligatur alii fideli vinculo inseparabiliter; tunc enim fortius vinculum solvit minus, et si prius aliquo modo esset solutum, ex tunc perfecte solutum est, illo ultimo persistente." *Ibid. q. 2. concl. et ad 3.* — „Matrimonium non solvitur, altero conjugum labente in infidelitatem." — „Ratio hujus triplex est. Una, ut praecludatur malis via simulationis et deceptionis. Alia est secundum veritatem, quia sacramentum conjugii infidelibus, propter hoc quod perfectam habet signationem, et significat unionem insolubilem, ipsum est insolubile. Rursus, quia fundatum super sacramentum baptismi, quod imprimit characterem indelebilem, ipsum est insolubile." *Ibid. q. 3.* — „Matrimonium propter illegitimitatem naturae et gradus a lege veteri prohibitos, cum conjuncti veniunt ad fidem dissolvitur, non autem ob illegitimitatem et gradus ab Ecclesia prohibitos." — „Dicendum quod illegitimitas personarum ad matrimonium est duplex. Una est secundum naturam et

*) Hoc postremum nunc veritatem non habet nisi ubi decreta Concilii Tridentini nondum fuerunt promulgata.

institutionem divinam, ut puta quod filius non contrahat cum matre, neque pater cum filia. Item quod alligatus uxori non ducat aliam, vel etiam in gradibus divina lege prohibitis, ut dicunt jurisperiti, ubi prohibetur secundus gradus: et haec illegitimitas astringit fideles et infideles. Et si in tali illegitimitate contrahitur matrimonium apud infideles, solvitur, cum veniunt ad fidem, quia, ut dicit Ambrosius *(in 1. Cor. 7)*: Quod extra Dei decretum factum est, non est putandum matrimonium, sed cum cognoscitur, emendandum. Unde si Judaeus contrahat cum sorore in secundo gradu, ad fidem veniens ab ea separatur. Si autem contraxit cum uxore fratris, quia hoc est in lege concessum, minime separatur. Alia est illegitimitas ex constitutione Ecclesiae, ut sunt personae infra quartum gradum; et haec non arctat infideles, nec impedit matrimonium, quin contrahatur: et quia non ad praeterita revocantur, non solvunt legitime jam contractum." *Ibid. q. 4.*

[46] „Secundum diversa tempora oportebat diversas personas et diversos gradus excipi. Quia ergo statuta divina non decet sic mutare sicut humana; hinc est, quod non ipse Christus debuit limitare, sed limitandos Petro et ejus successoribus committere. Et sic patet, quod potuit." *4. dist. 40. a. 1. q. 3.*

[47] „Ratio hujus est, quia illud sacramentum in contractu consistit, qui est personae ad personam. Et quoniam Dominus plenam jurisdictionem dedit Petro super spiritualia, et ampliorem quam reges terrae et Imperator habeant super temporalia; si ergo regis et principis potentia potest contractus limitare, ut malae fidei possessor judicetur, qui contra eorum interdicta veniat, quid mirum, si dederit Ecclesiae posse? Imo debuit dare, ut posset personarum legitimitatem et idoneitatem ad contrahendum determinare." *Ibid.*

[48] „Ex fornicationis causa divortium fieri potest, si culpabilis fuerit fornicatio et singularis, ita videlicet quod alter non sit particeps." — Dicendum, quod propter fornicationem licitum est fieri divortium inter conjuges, altero postulante. Et ratio hujus est, quia Dominus concessit *(Matth. 19, 9)*. Ratio autem, quare concessit, haec est, quia non servanti fidem, immo frangenti, non tenetur vir fidem servare; et quia directe peccavit contra actum matrimonialem, in eodem puniri debet. Concessit igitur Dominus divortium fieri, hoc exigente aequitate juris matrimonialis, quae surgit ex hoc, quod alter injuriatur altori culpabiliter subtrahendo jus, quod habebat in corpore sine injuria alterius. Unde non ex quacumque fornicatione fit divortium, sed ex ea, quae est culpabilis et singularis in altera personarum. Si ergo fornicetur sine culpa, ut puta per violentiam, vel per ignorantiam, cum credit alium, cum quo coit esse virum suum, aut credit virum mortuum, et contrahit cum alio, ex tali non fit divortium. Si vero fornicatio non est singularis, vel quia alter similiter fornicatur, et non potest de hoc alterum increpare; vel etiam quia alter fornicatur altero consentiente et prostituente, et tunc est particeps criminis; vel etiam altero occasionem praebente, ut puta cum repudiavit eam, et illa contraxit cum alio, si ambo veniant ad fidem, seu lucem, tenetur ipsam recipere; vel etiam altero tolerante et dissimulante, ut puta cum cognoscit eam voluntarie, postquam scit conjugem fornicari: omnibus his modis fit quasi criminis particeps, et ideo non fit ei injuria; et ideo ex causa tali non debet fieri divortium: quodsi fiat ex tali causa propter defectum probationis, peccat ille, qui procurat divortium, quia injuste subtrahit jus conjugi." — „Fornicariam uxorem publice et perseveranter peccantem tenetur vir dimittere ex praecepto; secus, si occulte et poeniteat." — „Fornicariam uxorem quoad torum potest vir propria auctoritate dimittere, sed quoad cohabitationem non potest sine judicio Ecclesiae." — „Divortio celebrato inter personas legitime conjunctas, non possunt separati alteri nubere." — „Quia cum essent personae legitimae, fuit inter eas sacramentum, quod est vinculum insolubile. Unde divortium non est separatio quantum ad vinculum sacramentale, sed quantum ad debitum et cohabitationem." — „Reconciliatio fieri potest de utriusque partis consensu inter eos, qui divortio sunt separati, dissentientibus tamen nequaquam: quod si nocens innocentem petat, non debet cogi; sed si innocens nocentem postulet, debet compelli." — „Divortium non potest fieri sine culpa praecedente inter conjugatos, si velint in eodem statu persistere: de consensu tamen utriusque partis volentium vovere religionem et castitatem, potest." *4. dist. 35. a. 1. qq. 1—6.*

[49] „Quaeritur hîc, si aliquis moriatur et resuscitetur, utrum uxor sua sibi reddenda sit . . . Dicendum quod vinculum matrimoniale non fundatur in anima, sed in conjuncto; unde cum aliquis moritur, statim perit altera pars relationis; et ideo vinculum statim solvitur, et si mulier alii esset matrimonialiter juncta, non esset separanda. Si tamen alii non esset juncta, et si ipse vult eam, ex quadam honestate est ei reddenda." *4. dist. 38. dub. 10.*

APPENDIX.

Quaestio adhuc inter theologos agitatur de ministro matrimonii. Porro quoad nostrum Seraphicum, quum is numquam in textu de sacerdote nuptias benedicente sermonem instituat, liquido inferri potest, ministros hujus sacramenti, in ejus sententia, esse ipsos contrahentes. Quod quidem satis aperte innuit *4. dist. 34. a. 1. q. 1* his verbis: „Quamvis omnia sacramenta sint a divina institutione et humana dispensatione, tamen hoc sacramentum maxime consistit in humana dispensatione, quia per consensum contrahentium oritur, nec habet dispensatorem determinatum." Et *4. dist. 28. a. 1. q. 5* expressius: „Ad esse matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet legitimitas in personis, et unitas in consensu. Ad solemnitatem vero et decorem, sive honestatem, requiritur et parentum traditio, et sacerdotum benedictio; haec autem ita sunt ad decorem sacramenti, ut tamen sint de necessitate praecepti."

Haec autem nostri Seraphici sententia, quae communior et probabilior in scholis jamdiu habebatur, nunc *certa,* imo etiam *fidei proxima* est dicenda, licet nondum ab Ecclesia sit expresse definita; id enim, ut a cl. Cretoni in *Adnot. ad Comp. Theol. Mor. Gury, Romae 1875, vol. II. pag. 644* rite demonstratur, ex principiis a S. Sede solemniter traditis proxima atque immediata illatione evidenter eruitur. Juvabit ejus verba referre. „Contrahentes ipsos esse sacramenti matrimonii ministros ita demonstratur. 1. Ex Brevi fel. mem. Gregorii XVI diei 30. aprilis an. 1841 ad Primatem et Archiepiscopos regni Hungariae circa matrimonia mixta, valida dicuntur, quamvis illicita, matrimonia illa inita cum adsistentia parochi mere passiva, quae in eo consistit, ut ipse „parochus catholicus, aliusve sacerdos ejus vices fungens, eisdem nuptiis materiali tantum praesentia adsit, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut ajunt, qualificati, seu auctorisabilis, ita scilicet ut, utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio *actum valide gestum* in matrimoniorum librum referre queat.“ Nec audiendus esset, qui diceret, hujusmodi matrimonia valida quidem esse in ratione contractus, non autem sacramenti dignitate insignita. 2. Nam, quando de christianorum matrimonio agitur, contractus a sacramento, ut summus Pontifex Pius IX in epistola ad Sardiniae Regem die 19. septembris 1852 data declaravit, distingui nequit. „Fidei enim dogma est (ait ibi Pontifex), matrimonium a Domino nostro Jesu Christo ad sacramenti dignitatem evectum esse; atque ex Ecclesiae doctrina sacramenti ratio non qualitatem aliquam accidentalem refert contractui superadditam, sed ad ipsius matrimonii essentiam pertinet ita, ut unio conjugalis inter christianos non sit legitima nisi in matrimonio, quod sit sacramentum, extra quod non habetur nisi concubinatus.“ Hinc in Instructione S. C. de Propaganda Fide ad Archiepiscopum Fogariansensem et Episcopos suffraganeos rumeni ritus uniti an. 1869 transmissa legitur: „Si quis mixta connubia cum passiva tantum parochi assistentia, quae S. Sedes pro validis habet, sacramenti ratione destituta esse pronuntiaverit, contractum in matrimonio christianorum a sacramento dividi posse supponeret, atque in hoc doctrinae Ecclesiae contradiceret.“ 3. Demum ex *Decreto Unionis* Concilii Florentini constat, praeter materiam et formam, requiri ad sacramentum perficiendum et *personam ministri conficientis sacramentum* cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Idque confirmatur a Trid. Synodo, *sess. VII. can. 11 et 12,* ubi pariter sermo est de ministro *conficiente* aut *conferente* sacramentum.

Quibus praemissis catholicae doctrinae principiis, en argumentum: Constat ex *primo* una cum *secundo* principio, matrimonii sacramentum valide fieri posse, quin sacerdos quidquam dicat aut agat, dummodo praesens adsit, seu passive matrimonio assistat. Atqui ex *tertio* principio sacramenti minister alius non est, nisi persona sacramentum ipsum conficiens aut conferens, id est active, imo principaliter in illud cooperans. Ergo sacerdos dici nequit absque contradictione hujus sacramenti minister. Quare si ejusmodi sententia, cum praefata S. Sedis oracula nondum prodierant, dicta tamen fuit a Bellarmino cum communi *nova* ac *falsa,* a Fagnano *periculosa in fide,* a Sanchesio cum aliis pluribus *temeraria* (uti refert S. Doctor *lib. VI. n. 897*), haud mirum videbitur, si eadem modo *haeresi proxima* dicatur.“

Pars sexta

in tabulas distributa.

C. I. DE SACRAMENTORUM ORIGINE.

Sacramenta, quia a Christo instituta, ut competant

- *occasioni culpae* . . . . . sunt signa sensibilia
  - ex similitudine naturali repraesentantia *(causa materialis)*
  - ex institutione significantia *(causa efficiens)*
  - ex benedictione sanctificantia *(causa formalis)*.
- *morbo*
  - *superbiae* in irascibili . . . . . susceptione humiliant
  - *ignorantiae* in rationali . . . . significatione erudiunt
  - *acidiae* in concupiscibili . . . diversificatione exercitant

  } *(usus, seu causa finalis proxima)*.
- *aegrotanti*, sunt gratiae (*vasa*, in quibus / *causae*, per quas) homo haurit gratiam curationis *(fructus, seu causa finalis ultima)*.

C. II. DE SACRAMENTORUM VARIATIONE.

Verbum Incarnatum

- quia *clementissimum* . . . non permisit quod morbus curreret sine remedio.
- quia *sapientissimum* . . . medicamenta aptavit tempori, dando
  - in lege naturae . . *umbram* gratiae in . . . . . oblationibus / sacrificiis / decimationibus
  - in lege scripta . . *figuram* gratiae in . . . . . circumcisione / expiatione / distinctione sacrificiorum
  - in lege gratiae . . *corpus* gratiae in sacramentis numero paucioribus / utilitate potioribus / virtute efficacioribus / praeeminentia dignioribus.

C. III. DE SACRAMENTORUM NUMERO ET DISTINCTIONE.

- Sacramenta ordinantur ad perfectam curationem nostram
  - *perfecte expellendo morbos*
    - culpae
      - originalis . . . . per *baptismum*
      - mortalis . . . . per *poenitentiam*
      - venialis . . . . . per *extremam unctionem*
    - poenae
      - ignorantiae . . . per *ordinem*
      - malitiae . . . . per *eucharistiam*
      - infirmitatis . . . per *confirmationem*
      - concupiscentiae per *matrimonium.*
  - *integram sanitatem animae restituendo,* in usu virtutum
    - *theologicarum*
      - fidei . . . . . per *baptismum*
      - spei . . . . . per *confirmationem*
      - caritatis . . . per *eucharistiam*
    - *cardinalium*
      - prudentiae . per *ordinem*
      - justitiae . . . per *poenitentiam*
      - fortitudinis . per *extremam unctionem*
      - temperantiae per *matrimonium.*
  - *conservando sanitatem,* dando gratiam
    - *munientem*
      - ingredientes . . . . . per *baptismum*
      - stantes . . . . . per *confirmationem*
      - exeuntes . . . . . per *extremam unctionem*
    - *relevantem*
      - a casu veniali. . . . per *eucharistiam*
      - a casu mortali . . . per *poenitentiam*
    - *renovantem*
      - in esse spirituali . . per *ordinem*
      - in esse naturali . . per *matrimonium.*

C. IV. DE SACRAMENTORUM INSTITUTIONE.

- Christus ut
  - *Verbum*
    - summae bonitatis . . proposuit promissa beatificantia . . . . . ut *vita*
    - summae veritatis . . . dedit praecepta dirigentia . . . . . ut *veritas*
    - summae virtutis . . . statuit sacramenta adminiculantia . . . . . ut *via*
  - *Incarnatum* . . sacramenta instituit in verbis et elementis
    - ad evidentiam significationis . . ut *veritatis*
    - ad efficaciam sanctificationis . . . ut *gratiae*

    } *plenum.*
  - *fons gratiae sacramentalis* . . . . . instituit
    - *poenitentiam* . . . . .
      matrimonium . . . .

      } confirmando, approbando et consummando
    - *confirmationem* . . .
      extremam unctionem

      } insinuando et initiando
    - *baptismum* . . . . . .
      eucharistiam . . . . .
      ordinem . . . . . .

      } initiando, consummando et in seipso suscipiendo.

C. V. DE SACRAMENTORUM DISPENSATIONE.

- Sacramenta dispensantur
  - per ministerium hominum, ob servandam conformitatem dispensatoris ad
    - Christum *salvatorem*
    - hominem *salvandum*.
  - secundum exigentiam
    - *rectitudinis juris*, scil. . . . . .
      - quia rationalis . . . . . cum intentione
      - quia minister Christi / quia minister salutis — saltem faciendi quod facit Ecclesia.
    - *dignitatis ordinis*, scil. commisit
      - episcopis . . *majora*, respicientia
        - virtutem, *confirmationem*
        - dignitatem, *ordinem*
      - sacerdotibus *media*, sc.
        - *eucharistiam*
        - *poenitentiam*
        - *extremam unctionem*
      - inferioribus *minora*, respicientia necessitatem
        - *baptismum (in art. necessitatis)*
        - *matrimonium*.
    - *securitatis salutis* . . commisit homini ratione auctoritatis
      - extra Ecclesiam secundum veritatem
      - intra Ecclesiam
        - secundum veritatem
        - secundum utilitatem.

C. VI. DE SACRAMENTORUM ITERATIONE.

- Sacramenta
  - omnia . . quia ordinantur ad reparationem hominis . . . non iterantur
    - super eandem
      - materiam
      - personam
    - ex eadem causa.
  - quaedam, quia
    - introducta ad remedia morborum iterabilium, scil. . .
      - *eucharistia* . .
      - *poenitentia* . .
      - *extrema unctio*
      - *matrimonium*

      — ratione novae causae iterantur.
    - respiciunt
      - gradus hierarchicos . . . . . scil. *ordo* . . . .
      - determinatos status fidei
        - genitae . . . scil. *baptismum*
        - roboratae . . scil. *confirmatio*
        - multiplicatae scil. *ordo* . . . .

        — imprimunt characterem, et non iterantur.

C. VII. DE INTEGRITATE BAPTISMI.

- **Baptismus integratur secundum exigentiam**
  - *virtutis principii reparativi*, quatenus ea est
    - virtus . . . . . :
      - Trinitatis . . per formam — *„Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.“*
      - passionis Christi . . per *trinam ablutionem*, ad expressionem
        - mortis Christi
        - sepulturae
        - resurrectionis.
    - in uno Christo
      - . . per *unitatem ministri*
      - . . per *simultaneitatem*
        - *applicationis materiae*
        - *prolationis formae.*
  - *humanae salutis*
    - omnibus necessariae . . per *elementum aquae communissimum.*
    - ad quam inchoandam opus est
      - ut abstergatur immunditia . . . . . per aquae *puritatem*
      - ut effugentur tenebrae . . . . . per aquae *pervietatem*
      - ut refrigeretur concupiscentia . . . per aquae *frigiditatem.*
  - *nostri morbi*, scilicet originalis peccati, quatenus
    - animam
      - privat
        - vitâ gratiae . . . . . per gratiam *regenerantem*
        - habitibus virtutum . . . per gratiam *rectificantem*
      - pronam reddit ad culpam . . . . per gratiam *purificantem.*
    - traducitur aliunde, et facit
      - parvulum concupiscibilem . . . per *fidem Ecclesiae*
      - adultum actu concupiscentem, per *fidem et poenitentiam propriam.*
    - utrumque redigit in diabolicam servitutem,
      - per *exorcismum*, ad expulsionem potestatis contrariae
      - per *catechismum*, ad informationem in fide.

C. VIII. DE INTEGRITATE CONFIRMATIONIS.

- **Confirmatio integratur, ut instituta a Christo ad confessionem**
  - *integram* . . Christi
    - veri hominis pro hominibus crucifixi . . . . . per verba *„Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis.“* — *(forma).*
    - veri Dei, Patri et Spiritui sancto coaequalis . . per cetera *„In nomine Patris etc.“* — *(forma).*
  - *placidam* . .
    - Deo
      - lumine intelligentiae . .
      - nitore conscientiae . . .
      - . . . . . per oleum olivarum . . . . . — *(materia remota).*
    - hominibus, odore
      - bonae famae .
      - vitae honestae
      - . . . . . per balsamum . . . . . — *(materia remota).*
  - *intrepidam* .
    - sine timore . . . . . per impositionem manus . . . . . — *(materia proxima).*
    - sine pudore . . . . . per impressionem crucis in fronte — *(materia proxima).*

C. IX. DE INTEGRITATE EUCHARISTIAE.

Primum Principium instituit Eucharistiam

- quia *sufficientissimum* . . ut ea hominem nutriret, conservando
  - *devotionem ad Deum* . . . . . per sacrificii oblationem
  - *dilectionem ad proximum* . . . per unius sacramenti communionem
  - *delectationem intra seipsum* . . per viatici refectionem.
- quia *sapientissimum* . . convenientem
  - *tempori gratiae* . . . . .
    - ut sacrificium *placativum* . . . per oblationem . . puram / placidam / plenariam
    - ut sacramentum *unitivum* . . . per amorem . . . diffusivum / unitivum / transformativum.
    - ut viaticum *refectivum* . . . . . per cibum . . . . spiritualem / communem / salutarem.
  - *statui viae*
    - propter *horrorem cruditatis* . . . . quia datur per cibum panis et per potum vini
    - propter *velamen aenigmatis* . . . . quia ejus effectus significatur per panem et vinum de pluribus granis et acinis in unum collectis.
    - propter *immortalitatem corporis*
      - quia utraque substantia transubstantiatur
      - quia in utraque specie datur Christus . . . unus / totus / indivisus / non circumscriptus / non occupans locum / non habens situm.
    - propter *meritum fidei* . . . . . quia in ea . . Christus non percipitur a sensu / remanent accidentia cum proprietatibus.
  - *capacitati nostrae,* quae est in mente . . . . . *cognitione* . . per illuminationem fidei / *amore* . . . . per devotionem amoris.

C. X. DE INTEGRITATE POENITENTIAE.

In poenitentia apparet, ut est a Verbo Incarnato

- fonte *clementiae* . . pontificis piissimi clementia . . quia peccator in hac vita ad poenitentiam potest confugere quantumcumque / quomodocumque / quotiescumque peccaverit.
- fonte *sapientiae* . . medici peritissimi prudentia . . quia remedium datur
  - *aptum* . . .
    - ad auferendum peccatum . . . delectationis in corde per compunctionem / consensus in ore . . . per confessionem / perpetrationis in opere per satisfactionem
    - ad praescindendam ipsius causam per dolorem poenitentiae, oppositum occultae complacentiae delectationis.
  - *integratum*
    - quantum ad praeteritum . . . . . per displicentiam de perpetratis
    - quantum ad praesens . . . . . per cessationem de perpetrandis
    - quantum ad futurum . . . . . per propositum nunquam recidivandi
- fonte *veritatis* . . . judicis rectissimi justitia . . . . . quia datur potestas judiciaria
  - quoad *ordinem* — omnibus et solis sacerdotibus . . per clavem scientiae / per clavem ligandi et solvendi.
  - quoad *jurisdictionem* — ordinate
    - in foro interno . . . . . *(potestas absolutionis)* . . summo Pontifici / episcopis / sacerdotibus curatis.
    - in foro externo . . . . . Ecclesiae sponso.
      - *(potestas* . . *excommunicationis)*
      - *absolutionis).*


Extrema unctio
est — a Verbo Incarnato, quod
ut Jesus, nos salvat
ut Christus, unctionem tribuit suis membris
intrantibus . . . . ad strenuitatem actionis, in confirmatione
praesidentibus . . ad suavitatem contemplationis, in ordine
exeuntibus . . . . ad felicitatem comprehensionis, in extrema unctione.
regulatur a fine
operationis — qui est salus felicitatis perpetuae, consequendae
a cunctis
facilius, per devotionem sursum levantem . . devotionem excitando
expeditius, per exonerationem
a venialibus venialia dimittendo
a sequelis . peccatorum scoriam abolendo.
ab aliquibus, etiam per sanitatem corporalem . . . . . alleviando a morbo.
integrationis, qui
est — acquisitio spiritualis salutis . . . .
respicientis conscientiae
sanctitatem . . . consecratum
nitorem . . . . . simplex
oleum adhibendo
excedentis humanas vires . . . . . formâ deprecativâ utendo.
obtinetur — per remissionem culparum contractarum secundum vim
sensitivam .
visus . . . . oculos
auditus . . aures
olfactus . . nares
tactus . . . manus
gustus . .
os
interpretativam . . . . .
generativam . . . . . lumbos
progressivam . . . . . pedes
ungendo.
susceptionis, qui
est — velociter transitus ad caelum . . . . . et ideo — in periculo constitutis
obtinetur — per
venialium depositionem . . . . . „ — . . . . . adultis
mentis conversionem ad Deum . . „ — . . . solis petentibus
tantummodo datur.
dispensationis, qui est pro periclitantibus . . et ideo committitur sacerdotibus
omnibus . . propter periculum vitandum
solis . . . . propter materiam sacram.
differt a confirmatione in
efficacia
materia
forma
suscipiente
dante
loco
tempore.

C. XII. DE INTEGRITATE ORDINIS.

- Verbum Incarnatum ad sacramenta dispensanda instituit ordinem juxta exigentiam suae
  - *sapientiae* . . signaculum *distinctivum*, praecedendum
    - a tonsura
    - a psalmistatu.
  - *bonitatis* . . signaculum *ordinativum* ad sacerdotium per ordines
    - remotiores . .
      - ostiariatus
      - lectoratus
    - propinquiores
      - exorcistatus
      - acolythatus
    - proximos . . .
      - subdiaconatus
      - diaconatus.
  - *virtutis* . . . signaculum *potestativum*, cui competunt
    - potestas *simplex*, quae est in ordine simplici, seu sacerdotali.
    - potestas *excellens*
      - tum *jurisdictionis*, quae est in
        - Episcopis
        - Archiepiscopis
        - Patriarchis
        - Papa
      - tum *ordinis*, cui reservantur
        - dispensatio ordinum
        - confirmatio
        - consecratio
          - monialium
          - abbatum
        - dedicatio ecclesiarum.

C. XIII. DE INTEGRITATE MATRIMONII.

- Matrimonium, quia institutum in signum
  - status hominis
  - remedii
- *in se* . . est conjunctio maris et feminae
  - legitima
  - individua
  - singularis
  - significans
    - ante peccatum . . conjunctionem Dei et animae
    - post peccatum . . conjunctionem Christi et Ecclesiae.
- *in suo processu*
  - introducitur per liberum animorum consensum
  - ratificatur per verba exterius expressa
  - consummatur per copulam carnalem.
- *in suis effectibus* habet bonum
  - sacramenti . . propter vinculi insolubilitatem
  - fidei . . . . . propter debiti solutionem
  - prolis . . . . . sicut effectus consequens ad utrumque.
- *ad sui validitatem* requirit
  - libertatem
    - in consensu, quam impediunt
      - error
      - violentia
    - in consentiente
      - cum Deo, quam impediunt . .
        - votum
        - ordo
      - cum homine, quam impediunt
        - ligamen
        - crimen.
  - idoneitatem ad conjunctionem, quam impediunt
    - nimia proximitas, procedens .
      - ex cognatione
        - naturali
        - spirituali
        - legali
      - ex affinitate
      - ex honestate
    - nimia distantia, ad ea quae sunt
      - naturae — per impotentiam
      - fortunae — per errorem conditionis
      - religionis — per disparitatem cultus
      - legis ecclesiasticae — per clandestinitatem *(post Concilium Tridentinum, ubi fuit promulgatum).*

TABULA I. GENERALIS

HUJUS VI. PARTIS

IN QUA DE MEDICINA SACRAMENTALI IN GENERE AGITUR.

Sacramenta sunt, quoad

- *originem* . . . instituta, ut competentia
  - occasioni culpae . . ratione causae { materialis / efficientis / formalis.
  - morbo . . . . . „ usus
  - aegrotanti . . . . . „ fructus.
- *variationem* . . aptata temporibus legis { naturae, . . in qua umbra / scriptae, . . „ figura / gratiae, . . „ corpus } gratiae datur.
- *numerum et distinctionem* . . ordinata ad perfectam hominum curationem
  - perfecte expellendo morbos { culpae / poenae
  - integram sanitatem animae restituendo in usu virtutum { theologicarum / cardinalium
  - sanitatem conservando per gratiam { munientem / relevantem / renovantem.
- *institutionem* . . instituta
  - in verbis et elementis . . . { ad evidentiam significationis / ad efficaciam sanctificationis
  - diversimode, scil. quaedam { per confirmationem, approbationem et consummationem / per insinuationem et initiationem / per initiationem, consummationem et susceptionem in Christo.
- *dispensationem* . . commissa homini
  - ob servandam conformitatem dispensatoris { ad Christum salvatorem / ad hominem salvandum.
  - juxta exigentiam { rectitudinis juris / dignitatis ordinis / securitatis salutis.
- *iterationem* . . si respiciunt { morbos . . . . . iterabilia / status hierarchicos, non iterabilia, propter characterem.

TABULA II. GENERALIS

HUJUS VI. PARTIS

IN QUA DE MEDICINA SACRAMENTALI IN SPECIE AGITUR.

Integratur sacramentum

- *baptismi* . . . ut institutum secundum exigentiam
  - virtutis principii reparativi
  - salutis humanae
  - nostri morbi.
- *confirmationis* . ut institutum ad confessionem
  - integram Christi
    - veri Dei
    - veri hominis.
  - placidam
    - Deo
    - hominibus
  - intrepidam
    - sine timore
    - sine pudore.
- *eucharistiae* . ut institutum a primo principio
  - sufficientissimo, ut homo nutriretur per
    - devotionem ad Deum
    - dilectionem ad proximum
    - delectationem ad seipsum.
  - sapientissimo, quatenus competit . . . . .
    - tempori gratiae
    - statui viae
    - capacitati nostrae.
- *poenitentiae* . ut institutum a fonte . .
  - clementiae — ad manifestandam clementiam pontificis piissimi
  - sapientiae — ad manifestandam prudentiam medici peritissimi
  - veritatis, — ad manifestandam justitiam judicis rectissimi.
- *extremae unctionis* . . ut regulatum a fine
  - operationis
    - in omnibus
      - devotionem excitando
      - venialia dimittendo
      - peccatorum scoriam abolendo
    - in aliquibus — alleviando a morbo.
  - integrationis
    - per olei adhibitionem
    - per formam deprecativam
    - per septem membrorum unctionem.
  - susceptionis — in solis
    - constitutis in periculo
    - adultis
    - petentibus.
  - dispensationis — a sacerdotibus.
- *ordinis* . . . . ut institutum veluti signaculum
  - distinctivum
  - ordinativum ad sacerdotium per ordines
    - remotiores
    - propinquiores
    - proximos.
  - potestativum, cui competit potestas
    - simplex
    - excellens.
- *matrimonii* . . ut institutum in signum
  - status hominis
  - remedii
    - in se . . . . . per maris et feminae conjunctionem
      - legitimam
      - individuam
      - singularem
    - in suo processu . per
      - liberum consensum
      - verba de praesenti
      - copulam carnalem
    - in suis effectibus per triplex bonum, scil.
      - sacramenti
      - fidei
      - prolis
    - in sua validitate per
      - libertatem
        - in consensu
        - in consentiente
      - idoneitatem ad conjunctionem.

VII. PARS,

IN QUA TRACTATUR DE STATU FINALIS JUDICII.

CAPUT I.

De judicio in communi.

(Judicium futurum est; — in quo fiet aperta declaratio meritorum, — irrevocabilis latio sententiarum, — justa retributio stipendiorum. — Christus judex in forma deitatis non videbitur nisi a bonis, — in forma humanitatis a bonis et a malis.)

Postquam aliqua breviter dicta sunt de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, et de medicina sacramentali; restat nunc septimo et ultimo aliqua breviter tangere de statu finalis judicii [1]. De quo in summa tenendum est, quod sine dubio judicium universorum futurum est [2], in quo Deus Pater per Dominum nostrum Jesum Christum judicabit vivos et mortuos, bonos et malos, reddendo [a] unicuique secundum exigentiam meritorum. In hoc autem judicio fiet apertio librorum, scilicet conscientiarum *(Apoc. 20, 12),* quibus merita et demerita universorum sibi ipsis et ceteris innotescent; faciente hoc virtute illius libri vitae *(ibid. 20, 15),* Verbi scilicet incarnati, qui in forma deitatis [b] non videbitur nisi a bonis, in forma vero humanitatis, in qua et sententiam promulgabit, videbitur tam a bonis quam a malis, licet terribilis in eadem forma appareat reprobis, et blandus justis.

a) Tradendo ed. 1484.

b) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Ven., divinitatis ed. Rom.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, cum hoc ipso quod primum sit a seipso, secundum seipsum et propter seipsum, hoc ipso ipsum est efficiens, forma et finis, universa producens, regens et perficiens; ita quod, sicut producit secundum altitudinem summae [c] virtutis, sic etiam regit secundum rectitudinem veritatis, et consummat secundum plenitudinem bonitatis. Quoniam ergo altitudo summae virtutis requirebat, ut non tantum esset productio creaturae ad vestigium, verum etiam ad imaginem; non solum creaturae irrationalis, verum etiam rationalis; non solum creaturae, quae movetur secundum impetum naturalem, verum etiam secundum libertatem voluntatis; et creatura, quae est ad imaginem, quia capax est Dei, est beatificabilis, creatura rationalis est disciplinabilis, creatura habens libertatem voluntatis est secundum legem justitiae ordinabilis et deordinabilis [d]; hinc est, quod rectitudo veritatis legem homini imponere debuit, in qua ad beatitudinem invitaret, et ad veritatem erudiret, et ad justitiam obligaret; ita tamen quod libertatem voluntatis non cogeret, quin pro suo libito voluntatis justitiam relinquere posset et sequi, cum sic res, quas condidit, administret [e], ut eas agere proprios motus sinat. Et quia plenitudo bonitatis in consummando operatur, secundum quod exigit altitudo virtutis et rectitudo veritatis; hinc est, quod consummatio beatitudinis non datur a bonitate summa nisi his, qui

c) Suae ibid.

d) Et deordinabilis om. ibid.

e) Administrat ibid.

servaverunt justitiam a rectitudine veritatis impositam, qui susceperunt disciplinam, et amaverunt illam summam [f] et perpetuam felicitatem plus quam bona transitoria.

f) Summam et om. ibid. ABCD et editt. Arg. Aug. Nor. Ven.

Et quoniam quidam hoc agunt, quidam autem oppositum, pro suarum varietate voluntatum, quae interius occultantur, et in statu viae secundum suum arbitrium currunt; hinc est, quod ad manifestationem altitudinis virtutis, rectitudinis veritatis et plenitudinis bonitatis necesse est universale judicium sequi [3], in quo fiant justae retributiones praemiorum, apertae declarationes meritorum et irrevocabiles lationes sententiarum, ut in [g] justis retributionibus stipendiorum summae bonitatis appareat plenitudo, in apertis declarationibus meritorum veritatis appareat rectitudo, et in irrevocabilibus lationibus sententiarum summae virtutis et potestatis appareat altitudo. Primum igitur, quoniam justa retributio respicit culpam, cui debetur poena, vel justitiam, cui debetur gloria, et universi filii Adae habent hanc vel illam; hinc est, quod necesse est judicio retributionis omnes [4] judicari, ut boni [h] glorificentur, et impii condemnentur [5].

g) In om. ibid.

h) Justi ibid. ABCD et editt. Arg. Aug. Nor. et Ven.

Rursus, quia aperta declaratio meritorum requirit, quod simul appareat quid agendum est, et quid actum est vel omissum a libertate voluntatis humanae, secundum varietatem circumstantiarum; hinc est, quod et libri conscientiarum aperientur, ut appareant merita [6], et liber vitae [7], ut appareat ipsa justitia, secundum quam approbanda, vel reprobanda sunt merita illa [8]. Et quoniam ille liber vitae est liber, in quo scripta sunt omnia simul et lucidissime, et in conscientiis scribuntur veraciter [9]; ideo ex concursu apertionis horum librorum fiet aperta declaratio omnium meritorum [10], ita quod occulta cordis cujuslibet et sibi et ceteris innotescant [11]. Unde, ut vult Augustinus *(De Civ. Dei, l. 20, c. 14)*, liber ille est vis, qua fiet, ut ad memoriam cujuslibet cuncta [i] mirabiliter revocentur [12], ut lucide appareat aequitas divinorum judiciorum in apertissimo lumine veritatis [13].

i) Cuncta secreta ed. 1484.

Postremo, quia irrevocabilis latio sententiarum debet fieri ab eo, qui possit audiri et videri, et a quo non possit appellari; et videri ab universis non potest summa lux, quam tenebrosi oculi videre non possunt, pro eo quod facie ad faciem videri non potest sine deiformitate mentis et jucunditate cordis; necesse est, quod judex appareat [14] in effigie creaturae. Quia vero pura creatura auctoritatem non habet summam [15], a qua appellari non possit; hinc oportet [j], quod judex noster et Deus sit, ut judicet per auctoritatem summam [16], et homo sit, ut videatur, et disceptet cum peccatoribus in effigie humana [17]. Et quia una vox disceptationis terret culpabiles, et assecurat innocentes; hinc est, quod una ejus effigies justos laetificabit, et e contrario impios deterrebit [18].

j) Hinc est, quod necesse est ibid.

Ad Caput I.

[1] „In duodecim mysteriis principalibus ostenditur Christus *), per oppositum ostenditur Antichristus; quod sic manifestatur. Primum mysterium est conditionis rerum: et ibi ostenditur per Lamech, qui primus introduxit bigamiam, et fuit transgressor legis naturae, et fuit luxuriosissimus; et inde *videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae etc. (Gen. 6, 2)*, propter quod inductum fuit diluvium. Et inde colligitur, qualis erit Antichristus, quia immundissimus; et inde ostenditur ejus significatio, quia interficiet illum, in quo positum est signum, scilicet inter Judaeos, qui per Cain significantur. Et ideo *de Lamech ultio dabitur septuagies septies, (Gen. 4, 24)*, quia majus erit peccatum ejus, quam Judaeorum. In secundo mysterio, scilicet punitionis scelerum, signatur in Nemrod, qui primum se fecit imperatorem; cujus auctoritate aedificata est turris, quae tangeret caelum *(Gen. 11, 4)*; per

*) Vide superius *part. 4. cap. 4. not. 3.*

quod intelligitur, quod Antichristus erit superbissimus, *ita quod extollatur super omne, quod dicitur Deus (2. Thess. 2, 4).* In tertio mysterio, scilicet vocationis vel electionis patrum, signatur per Dan. Et aliqui volunt dicere, quod ad literam erit de tribu Dan. Utrum autem ita sit, non auderem affirmare; attamen in Apocalypsi *(7)* non signatur tribus Dan. De isto Dan dicitur in Genesi *(49, 17): Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita,* qui abscondit se in sabulo, ut capiat aves circa volantes. Et in hoc ostendit, quod erit fraudulentissimus. Mordet autem ungulas equorum, ut cadat ascensor ejus retrorsum *(ibid.).* Certum est, quod per equum signatur praedicator veritatis; per ungulam, perfectio evangelica, quam Antichristus impugnabit. Equus enim, si non habet fixionem ungulae, non valet. Joseph enim erat cum filiis ancillarum, qui vendiderunt fratrem suum *(Gen. 37, 2),* Dan autem primogenitus fuit ancillarum. In quarto, scilicet mysterio lationis legis, signatur Balaam, qui dedit pessimum consilium, qui fuit idololatra; licet multa bona diceret, tamen aras aedificabat, et auguria quaerebat *(Num. 23, 1—4).* Et in hoc signatur, quod erit pessimus idololatra et invocator daemonum, nec Deum magnum adorabit in loco suo. In quinto mysterio, scilicet prostrationis hostium, signatur per Achan, qui furatus fuit de anathemate, et mortuus excommunicatus *(Jos. 7, 20—22);* et in hoc signatur, quod erit avarissimus. In sexto mysterio, scilicet constitutionis vel promotionis judicum, signatur per Abimelech, qui septuaginta fratres meliores se interfecit *(Judic. 9, 5);* et in hoc signatur, quod erit crudelissimus. In septimo mysterio, scilicet unctionis regum, signatur per Goliam armatum, qui exprobrabat agminibus filiorum Israël *(1. Reg. 17, 10).* Erit enim magnificus in exterioribus, loquetur blasphemiam contra populum Dei. In octavo mysterio, scilicet revelationis Prophetarum, per regem impudentem, quia sciet argumenta et rationes ultra humanum modum, et erit intelligens propositiones, et astutissimus. In nono mysterio, scilicet restaurationis principum, signatur per Antiochum, qui interpretatur silentium paupertatis, qui destruxit omnes leges, volens unam facere, qui illos septem fratres interfecit. Fecit enim, quod facere nullus ausus fuit, scilicet deponere legem Judaeorum *(2. Mach. 7. et seqq.).* Verum est, quod Aman attentavit Judaeos dispersdere, sed non praevaluit *(Esth. 3, 8 et seqq.);* in quo signatur, quod erit destructor legis evangelicae, et occisor christianorum. In decimo mysterio, scilicet redemptionis hominum, signatur per Judam proditorem, erit enim malignissimus. In mysterio undecimo, scilicet diffusionis charismatum, signatur per Simonem magum, qui voluit emere Spiritum sanctum, et in altum ascendit, et corruit, quia daemones invocavit *(Act. 8, 19);* erit enim mendacissimus, ut veniat *in signis et prodigiis mendacibus (2. Thess. 2, 9).* In mysterio duodecimo, scilicet reserationis Scripturarum, signatur per bestiam abyssalem, sive ascendentem de abysso, quae omnia conculcat *(Apoc. 11, 7).* Erit enim confirmatus in omni malitia, habebit enim septem capita *(ibid. 13, 1),* id est omnia genera tentandi et omnes modos, nunc per divitias, nunc per falsa miracula, nunc per metum. Unde in Job *(40, 12)* dicitur: *Strinxit caudam quasi cedrum,* quia in eo conflabuntur omnes malitiae. Et sicut Christus habuit omnia charismata, ut natura assumpta potuit accipere, sic ille omnes malitias." *Serm. 15. in Hexaëm. in princ.*

[2] „Dicendum quod absque dubio hora diei judicii est nota toti Trinitati et homini assumpto, sed ignota est omnibus in statu viatorum existentibus. Sed de hoc est contentio inter doctores, utrum nota sit angelis et animabus beatis. Quidam dicunt quod sic, quidam quod non. Sed certe quid sit super hoc tenendum, magis docebit experientia pro loco et tempore, quam nunc doceat scientia, utrumque enim est possibile. Cum enim Christo soli communicata sit omnis scientia, non video, quare angeli illud ignorare non possint, cum istud non sit de substantia gloriae ipsorum. Rursus, cum Deo sint familiares, et nihil in hujus rei scientia perdere possint, non video, quare istud non congruat revelari. Non tamen est facile hoc diffinire. Unde quia aliquae auctoritates Sanctorum videntur sonare, quod angeli hoc norunt, aliquae quod ignorent; sane dici potest, quod istud notum sit aliquibus angelis et beatis, aliquibus ignotum: et sicut dicitur circa incarnationis mysterium, sic et in illa parte standum est, quod alicui creaturae hora judicii nota sit." *4. dist. 48. a. 1. q. 4.*

[3] „Judicium dicitur tripliciter, scilicet communiter, proprie et appropriate. Judicium communiter dicitur collatio manifesta meriti ad praemium. Judicium proprie dicitur discussio meritorum, et prolatio cum quadam discussione et sententiae diffinitione. Judicium appropriate dicitur ipsa condemnatio, unde judicatus dicitur condemnatus. Primo igitur modo omnes judicabuntur, quia omnes convenient; et patebit quomodo de omnibus retribuet secundum merita; et hoc est, quod dicit Apostolus: *Omnes manifestari oportet (2. Cor. 5, 10).* Secundo modo, prout dicitur judicium discussionis, non omnes judicabuntur, sed erunt quatuor ordines, sicut distinguit beatus Gregorius, et Magister ponit in litera. Tertio modo, secundum quod dicitur judicium condemnationis, judicabuntur mali solum; et istud judicium incipit in praesenti per executionem in infidelibus, et per exspoliationem in daemonibus, et consummabitur in futuro." *4. dist. 47. a. 1. q. 3.*

[4] „Si quaeras de multitudine, dici potest quod multi erunt in terra, et in parva terra innumerabilia millia hominum esse poterunt, quoniam constringentur. Nec intelligendum est, quod ipsi omnes inter illam valliculam Josaphat *(Joël. 3, 2)* includantur, quia hoc est puerile, ut dicit Hieronymus, sed quod erunt ibi in locis circumjacentibus; et si necesse fuerit, electi erunt in aëre prae corporum agilitate, et damnati etiam esse poterunt, divina suspendente virtute." *4. dist. 48. dub. 1.*

[5] „Priori distinctione supposita, daemones judicabuntur judicio condemnationis, sed non discussionis. Ratio autem condemnationis venit tum ex parte justitiae Dei, tum ex parte gloriae Christi, tum ex parte meriti, tum ex parte confirmationis supplicii. Ex parte justitiae Dei, quia sicut judicium hominum universale fiet, ut justitia Dei hominibus innotescat et appareat, sic etiam judicium angelorum et condemnatio fieri debet. Ex parte gloriae Christi, quia Christus triumphavit de diabolo, et judicatus fuit a membro diaboli ad suggestionem ejus, ideo debet auctoritatem judiciariam super ipsum accipere. Ex parte meriti, quia enim participes fuerunt culpae humanae, debent et

participes esse contumeliae et poenae. Ex parte supplicii consummandi, sicut enim omnes homines exspectant judicium, vel ad consummationem gloriae, vel poenae; ita et daemones judicium non debent evadere, ut si quid poenarum eis deest, suppleatur plene. Unde simul involventur cum aliis damnatis, et simul incarcerabuntur, ac per hoc ad judicium deducentur, et judicabuntur." *4. dist. 47. a. 1. q. 4.*

[6] „Omnium meritorum erit ibi lectio et memoria, quia, sicut dicit Apostolus *(Rom. 2, 15)*, erunt cogitationes *accusantes et defendentes;* et ita bona et mala ibi patebunt, et per consequens affectiones et operationes. Omnia autem reducentur ad memoriam, quia revocatio actuum et cogitationum praecedentium ad memoriam erit ad ostensionem justitiae secundum statum illum, et misericordiae secundum statum praeteritum, sive transactum. Propter ostensionem justitiae divinae in retribuendo, rememorabuntur bona et mala, in quibus permanserunt finaliter; haec enim sola digna sunt retributione. Propter ostensionem misericordiae de praeterito, rememorabuntur mala bonorum, a quibus sunt misericorditer liberati, et bona malorum, quae in eis misericorditer operatus est Deus, qui *solem suum oriri facit super bonos et malos (Matth. 5, 45);* ideo bona et mala sua omnino erunt sibi in memoria." *4. dist. 43. a. 3. q. 1.*

[7] „Liber vitae dicitur Dei notitia, et virtus divina, qua in nobis est nostrorum oblitorum recordatio." — „Dicendum, quod libri duplex est proprietas; una in se, scilicet scientiae retentio in simultate et uniformitate; et ratione hujus proprietatis, nomen libri transfertur ad Dei notitiam. Alia proprietas est ad nos, quia per librum est in nobis oblitorum recordatio; et ratione hujus transfertur ad vim illam, qua fit recordatio praeteritorum. Humanitas autem, sive visio ejus, non dicitur liber: et quod dicit Gregorius et Glossa, intelligitur per quamdam concomitantiam. Concedendum igitur, quod liber dicitur Dei notitia, et quod dicitur illa virtus divina secundum duplicem proprietatem ... Ad illud quod objicitur, quod in libro illo non est scripturae impressio, dicendum quod quantum ad hanc proprietatem non transfertur; imo in hac differunt, quia liber ille repraesentat quod in eo fit, sed liber iste repraesentat quod facit. Ad illud quod objicitur, quod virtus illa reducit mala ad memoriam, quae sunt causa mortis, dicendum quod liber et vis Dei causa vitae in se est; et quod mortis sit, hoc est solum per occasionem, et ratione aliorum librorum, scilicet conscientiarum; et ideo ab eo denominatur, ad quod principaliter est. Vel dicendum, quod non dicitur liber vitae, quia det vitam; sed notitia Dei dicitur liber vitae, quia omnia sibi sunt vita. Similiter vis illa liber dicitur, quia recolit; sed vitae dicitur, quia hoc non facit per creaturae defectibilitatem et fallibilitatem, sed secundum divinae notitiae vivam veritatem." *4. dist. 43. a. 2. q. 1. et ad 1—3.* Vide etiam superius *part. I. cap. VIII. not. 6.*

[8] „Liber vitae in resurrectione aperietur, quia judicium erit secundum merita et demerita nostra." — „Dicendum quod, sicut dictum est, liber vitae est liber redeuntium, ars est exeuntium. Differunt autem exitus et regressus, quia exitus tantum a Deo dependet, sed regressus a Dei gratia et voluntate nostra, quia regressus est per merita bona, quae sunt a Dei gratia et a voluntate nostra. Quoniam igitur judicium erit secundum merita nostra et demerita, et merita sunt a nobis et a Deo; ideo ad dispensandum quantitatem et dignitatem meritorum necesse est aperire libros conscientiarum, et librum vitae, in quo apparet quantitas gratiae secundum mensuram liberalitatis divinae, secundum cujus mensuram est etiam gloria ... Ad illud quod quaeritur, quibus aperitur, dicendum, quod dupliciter est loqui de apertione, aut quantum ad ipsius libri intuitionem, aut quantum ad subsequentem cognitionem. Quantum ad intuitionem, aperitur tantum propter bonos, quia ipsi soli videbunt; quantum ad subsequentem cognitionem, omnibus, quia boni se ibi legentes, cognoscent se praedestinatos esse; mali vero, ex hoc ipso quod in libro aperte legere non poterunt, scient se non esse praedestinatos: et sic patet responsio ad objecta. Et est exemplum. Sicut si pauper non habens merellum regis, id est signaculum, quod pauperes portant ad eleemosynam percipiendam, scit bene quod recedit vacuus, non per positionem, sed per privationem cognoscens; sic damnati, cum non legent ibi nomina sua, scient se non esse scriptos ad gloriam; ac per hoc scient ex parte Dei, quod Deus ipsos damnabit; et ex parte suae conscientiae scient, quod sunt digni poena. Et ita ex comparatione utriusque libri hoc scient, non tamen sic in legendo, sicut legunt boni in libro vitae." *4. dist. 43. a. 2. q. 3.*

[9] „Ad illud, quod objicitur, quod in malis bona sunt deleta, dicendum quod deleta sunt quantum ad veritatem essentiae, manent tamen quantum ad notam et similitudinem, sicut patet in eo, qui amisit caritatem, et recordatur se habuisse. Unde super illud: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum judicabit Deus occulta hominum (Rom. 2, 15—16);* dicit Glossa: Sciendum est, quod in illa die cogitationes accusabunt animam, vel defendent, non illae, quae tunc erunt, sed istae, quae modo sunt in nobis, quarum notae et signacula relinquuntur in corde nostro velut viscera, quae in occulto nunc sunt reposita, in illo die revelari dicuntur, et ita secundum similitudinem remanent. Vel, esto quod similitudo penitus deleatur, quod vix est possibile, divina virtute tunc reparatur ad Dei gloriam et vindicationem malorum, laudem vero bonorum." *4. dist. 43. a. 3. q. 1 ad 3.*

[10] „Quamvis fas sit utramque partem opinari, rationabilius tamen est, quod omnium electorum peccata omnibus justis tunc patebunt. Et hoc propterea quia magna erit Dei gloria, dum manifestabitur ejus ad filios misericordia; et dum ostendetur ejus misericordia, nulla erit erubescentia. Et si tu quaeras, quo modo hoc possit esse, dicendum quod ratio est a parte ejus, cujus peccata manifestantur, quia erubescentia est timor in exspectatione convicii. Unde cum in beatis non cadat timor, non erit erubescentia. Quod non cadat timor, patet, quia *perfecta caritas foras mittit timorem (1. Joan. 4, 18).* Ratio autem est ex parte videntium, quia nullus ibi vituperat, nullus ibi aspernatur, sed potius Deum collaudat, dum attendit virtutem Dei in ipso. Et est exemplum in Magdalena, cujus peccata publice recitamus, nec tamen facimus ei contumeliam, quia non recitamus ad ejus ignominiam, sed

ad laudem divinam et suam; unde nec ipsa de hoc habet erubescentiam, nec cogitamus de ipsa tanquam de meretrice, sed tanquam de nobilissima domina, quae de multis malis est erepta. Exemplum est de bono confessore et poenitente; bonus enim confessor ferventius poenitentem diligit, quia verius et clarius et fidelius suas ignominias et peccata aperit, maxime dum attendit ipsum conteri, et vincula ejus resolvi per virtutem et misericordiam Dei. Et hoc ibi multo magis erit, ubi omnes cogitationes erunt ordinatissimae. Amplius, cum homo omnia secreta sine verecundia communicet amico, ubi omnes erimus amicissimi, ubi unus diliget alium sicut se, quomodo erubescet unus de alio aliter, quam de se? Nullo modo videtur." *4. dist. 43. dub. 4.*

[11] „Ad illud quod objicitur, quod manifestatio malorum est in poenam, dicendum quod verum est in malis, sed in eis qui egerunt poenitentiam, est in gloriam. Unde dicunt aliqui, quod sicut cicatrices corporales in martyribus remanent ad gloriam; sic cicatrices spirituales in poenitentibus, quia vicerunt culpam, sicut illi poenam. Sed tamen quidquid sit de hoc, non remanent in eorum contumeliam, sed in Dei gloriam, qui eos liberavit de tanta miseria." *4. dist. 43. a. 3. q. 2 ad 2 et 3.* — „Ibi erit memoria malorum sine tristitia; qualiter autem hoc possit esse, dicunt aliqui, quod divina virtute, quae sicut potens est in igne separare lucem a caliditate, sicut dicit Basilius super illud Psalmi *(28, 7): Vox Domini intercidentis flammam ignis;* sic separabit a mali cognitione et recordatione moestitiam. Aliter dicunt alii, quod hoc est propter dignitatem status. Sicut enim angeli gloriosi, etsi nos ament, tamen propter mala nostra non tristantur, pro eo quod sunt absorpti a gloria, sic in proposito est intelligendum. Melius tamen est dicere, quod hoc sit propter modum considerandi, quia nunquam recogitabunt mala absolute, sed semper in consideratione ad Deum liberantem; quoniam cogitare de malo praeterito sub intentione liberationis in praesenti non generat in nobis affectionem moestitiae, sed gaudii." *4. dist. 43. dub. 3.*

[12] „Omnes repente vel simul omnia peccata videbunt, et credendum est magis quod simul. Ad quod intelligendum, notandum est, quod simul videre multa, ut multa, hoc potest esse tripliciter. Aut ratione ejus, in quo videt, quia videt multa in uno; et sic in speculo aeterno est videre multa, quia per idem ibi homo videt diversa. Aut ratione sublimitatis intellectus, qui efficitur deiformis per gloriam; unde videt plura, sicut Deus, licet non omnimode, sicut angelus beatus simul cognoscit Deum in se, et creaturam in Deo et in proprio genere. Aut ratione divinae virtutis hoc facientis, quae tamen non efficit gloriam, ut ostendat ei exemplar aeternum, sed levat intellectum, ut possit aliquid supra se, vel ad gloriam, vel ad poenam. His tribus modis videbunt simul animae bonae in judicio, primis duobus modis in patria, sed tertio tantum modo animae malae in judicio. Utrum autem post sic videant in inferno, hoc non determino, quamvis non improbabiliter dici possit, ut poena vermis sit consummata et uniformis ... Ad illud quod objicitur, quod cognitiva in damnatis non debet sublimari, dicendum quod illa sublimatio potius est depressio, scilicet in ostensione omnium turpitudinum. Sicut enim recogitatio multorum bonorum amplificat laetitiam, ita recogitatio multorum malorum amplificat tristitiam. Ad illud quod objicitur, quod erit discussio, dicendum quod etsi singillatim fiat discussio de singulis, quia non possunt omnia simul dici; tamen ad confusionem erit simul memoria de multis. Nec mirum, quia potentior est virtus cognitiva, quam expressiva, sive interpretativa; intelligimus enim statim, quod non possumus exprimere tempore diuturno." *4. dist. 43. a. 3. q. 3. et ad 2 et 3.*

[13] „Sicut dupliciter contingit regnum obtinere, scilicet integre et perfecte, sive in toto, et alio modo secundum animam, sive in parte; sic dupliciter est judicium, sive etiam dupliciter sententia. Nam sicut homo glorificatur secundum partem, ita particulariter judicatur, et de eo sententia profertur, quando anima de corpore egreditur. Judicium autem universale et sententia erit, quando homo erit glorificandus totaliter, et tunc consummabitur curia caelestis. Et sic duplex judicium competit duobus, scilicet divinae magnificentiae et nostrae indigentiae. Propter nostram indigentiam tollendam, statim, quando anima est apta, sublimatur ad gloriam, quia frustra exspectaret, cum non possit amplius mereri. Propter divinam magnificentiam ostendendam, reservatur generalis et universalis resurrectio corporum in fine saeculorum." *4. dist. 21. p. 1. a. 3. q. 2 ad 3.*

[14] „Credendum est in judicio Dominum descensurum in eum locum, unde ascendit, sicut colligitur ex textu *(Act. Apost. 1, 11): Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.* Quod quaeritur, utrum descendat ad terram, credendum est ipsum in loco eminentiori esse futurum, unde ceteri poterunt videre ipsum." *4. dist. 48. dub. 1.*

[15] „*Fulgebunt justi ... judicabunt nationes (Sap. 3, 7).* Hoc specialiter dicitur de sanctis perfectis, qui judicabunt et non judicabuntur. Quatuor enim ordines in judicio erunt, ut dicit Glossa super illud: *Non resurgent impii in judicio (Ps. 1, 5).* Sed quomodo judicabunt sancti, cum scriptum sit: *Pater omne judicium dedit Filio (Jo. 5, 22)?* Dicendum, quod est judicium auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas; disceptationis, quo solus Christus homo; assessoriae dignitatis, quo soli sancti perfectiores; approbationis, quo omnes boni; comparationis, quo boni, id est minus mali: *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam (Matth. 12, 41)".* *Exposit. in Sap. c. 3.* — „Apostoli in die judicii quadam dignitate judicabunt; non tamen eo modo, quo Christus." — „Dicendum, quod judex de aliquo dicitur duplici ratione, aut quia ipsius est ferre sententiam, aut quia assistit ferenti, secundum quod aliqui judices assistunt, et quodam modo consulunt judici principali. Qui ergo fert sententiam, ille est judex principalis; et talis est solus Christus, sicut patet in Matthaeo *(25, 34. 41)*, ubi exprimitur, quomodo feret sententiam. Qui autem assistunt judici, etiam nomen et dignitatem judicantis sortiuntur; et tales sunt viri perfecti, qui ultra opera necessitatis praeceptorum supererogaverunt perfectionem consiliorum. Tales autem sunt Apostoli principaliter tanquam capita, et eorum perfecti imitatores. Assistentia autem illa non erit ad consulendum, quia Dominus consilio non indiget; sed erit tanquam ad quemdam honorem, et appropinquationem ad judicem, quam possumus appellare, juxta verbum Domini *(Matth.*

19, 28), honorabilem consessionem. Ratio autem hujus honorabilis consessionis meritoria est perfectio supererogationis; ratio autem finalis est ad condemnationem malorum ex vitae suae comparatione, et ad gloriam Christi per sententiae ejus judicii approbationem. Sententiam enim Domini ut justam approbabunt, et malorum vitam sua comparatione condemnabunt." *4. dist. 47. a. 1. q. 1.* — „Angeli in die judicii non judicabunt nisi approbando." — „Dicendum quod, sicut dictum est, judiciaria potestas triplici ex causa dicitur esse communicata Apostolis, scilicet ratione comparationis, approbationis sententiae, et honorabilis consessionis. Ratione comparationis, judicium erit hominum malorum et bonorum tantum; ratione approbationis, erit bonorum hominum et angelorum tantum; ratione consessionis honorabilis, perfectorum tantum. Unde dicendum quod, proprie loquendo, judiciaria potestas non erit in angelis. Si autem dicatur in eis esse, intelligendum est ratione approbationis." *Ibid. q. 2.*

[16] „Potestas judiciaria est Christi secundum divinitatem per naturam; secundum humanitatem collata per gratiam. Unde quoad lationem sententiae pertinet ad humanitatem, ejus tamen non est tanquam judicis delegati, sed tanquam principalis." — „Ad hoc quod judicium sit firmum, concurrit auctoritas et potestas, auctoritas in sententiando, et potestas in retribuendo praemium secundum meritum. Si alterum horum deficiat, non est judicium. Haec duo principaliter sunt in Deo. Nam in ipso est auctoritas ad sententiandum, quia Dominus omnium est, et nos omnes servi ejus. Est etiam potestas ad retribuendum, quia potentissimus, et non est qui contra eum se valeat erigere, vel ejus sententiam irritare. Haec duo communicavit Deus Trinitas homini Christo, auctoritatem dando et dominium, sicut dicitur: *Dominum fecit Deus hunc Jesum (Act. 2, 36).* Potestatem etiam dedit sibi cetera subjiciendo: *Data est mihi omnis potestas (Matth. 28, 18);* et ideo *ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum (Act. 10, 42)*, sicut dicitur. Quoniam ergo potestas judiciaria respicit illa duo jam dicta, et illa sunt in Deo per naturam, et in Christo homine per gratiam; ideo judiciaria potestas est Christi secundum divinitatem per naturam, secundum humanitatem collata per gratiam. Unde secundum utramque naturam habet auctoritatem; sed secundum divinitatem, principalem et naturalem, secundum humanitatem, commissam; unde *constitutus est.* Cum igitur sit potestas primaria in Deo, sed commissa in homine Christo, latio sententiae debet fieri a Christo homine secundum humanitatem, quia si fieret secundum potestatem primariam, cum secunda nihil det primae, non esset vere judex secundum humanitatem; sed quando secunda operatur, cum recipiat a prima, ratio judicandi residet penes utramque, secunda enim recipit a prima. Ideo latio sententiae fiet a Christo secundum humanitatem. Sed quia Christus est Deus et homo, sententia ejus non erit tanquam judicis delegati, sed tanquam principalis; et ideo ab ea propter utramque potestatem nullus poterit appellare. Concedendae sunt igitur rationes ad utramque partem; primae, quia verum concludunt, quod judiciaria potestas sit Christi secundum divinitatem. Similiter ad oppositum, quia verum concludunt, quod sit Christi secundum humanitatem, maxime quantum ad sententiae lationem. Robur tamen sententiae, ut dictum est, non principaliter est ex humanitate Christi, sed potius ex ejus divinitate." *4. dist. 48. a. 1. q. 1.*

[17] „Duplex est cognitio divinitatis, una per signa et effectus, alia in sua forma et essentia. Dico ergo, quod reprobi bene habebunt cognitionem de Christi divinitate per signa certissima, et per effectus manifestos cognoscent, quia ipse est Deus omnipotens. Cognitionem autem, quae est in propria forma, quae est per visionem apertam, hanc quidem non habebunt. Et prima ratio hujus est, quia talis forma omnino est improportionabilis oculis peccatoris, et improportionabilis oculis omnibus, qui non sunt sublimati per gloriam, vel per superabundantiam gratiae. Et quia reprobis non dabitur gratia, nec simpliciter, nec ad tempus; ideo non videbunt. Ratio autem, quare non dabitur eis virtus, quae faciat eorum aspectum habilem ad videndam illam lucem, est illa, quam tangit Isidorus et Augustinus, quia si haberent oculum aptum, haberent summam delectationem, quam impossibile est esse, et indecens in peccatoribus." *4. dist. 48. a. 1. q. 2.*

[18] „Christus apparebit in forma gloriosa non tantum bonis, sed etiam reprobis. Et non erit differentia ex parte apparentis, sed ex parte respicientium, boni enim respicient gloriosam formam cum gaudio et gloria, sed mali cum confusione et poena. Confundentur enim in aspectu ejus, et non poterunt ejus sustinere intuitum propter conscientiae remorsum, et propter exspectationem ferendae sententiae contra eos; e contra boni oblectabuntur. Ad illud quod objicitur, quod apparebit cum cruce et cicatricibus, dicendum quod, sicut cicatrices in martyribus non sunt signum infirmitatis praesentis, sed infirmitatis praeteritae, imo quantum ad gloriam et decentiam et pulcritudinem sunt signa victoriae et gloriae; sic in Christo intelligendum, quod illae cicatrices et crux signa erunt mortis vilissimae, quam sustinuit, sed tamen, quia apparebunt in excellentia gloriae, signum erunt gloriae tunc praesentis. Unde Chrysostomus dicit super Matthaeum, quod crux radiis solis erit lucentior, similiter et cicatrices. Ad illud quod objicitur, quod oculi eorum sunt improportionabiles, dicendum quod improportionabiles erunt per privationem sufficientis proportionis; ideo retundentur visus, et confundentur, sed tamen non erunt omnino improportionabiles per defectum omnis proportionis. Nec est simile de luce spirituali, quia illa excedit multo plus oculum peccatoris, quam lux corporis gloriosi oculum corporis passibilis. Ad illud quod objicitur, quod videbitur terribilis et blandus; ergo similiter gloriosus et ingloriosus; dicendum, quod non est simile, quia terribilis et blandus dicitur ad alterum; unde benignum hominem potest homo aspicere ut terribilem, quia eum timet; sed gloriosum et non gloriosum dicunt dispositionem a parte visibilis; unde nisi fiat per deceptionem, vel per miraculum et divinam virtutem, quae teneat oculos, sicut dicitur: *Oculi eorum tenebantur (Luc. 24, 26)*, res talis videtur, qualis est secundum veritatem." *4. dist. 48. a. 1. q. 3 et ad 1—5.*

CAPUT II.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi est poena purgatoria.

(Ignis purgatorius est temporalis, — quo spiritus justorum plus, vel minus puniuntur: — gravius quam in hoc mundo, — mitius quam in inferno; — sciunt tamen in inferno se non esse: — ab igne sufficienter expurgati, immediate evolant ad caelum.)

Deinde in speciali circa statum finalis judicii consideranda sunt quaedam sicut praeambula, quaedam sicut concomitantia, et quaedam sicut consequentia. Praeambula autem sunt duo, scilicet poena purgatorii et suffragia ecclesiastica. Primo igitur de poena purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus justorum, qui in hac vita non impleverunt poenitentiam et satisfactionem condignam, affliguntur secundum plus et minus, secundum quod plus vel minus [a] de cremabili secum ex hac vita traxerunt (I). Affliguntur autem minus graviter quam in inferno, et gravius [b] quam in hoc mundo; non tamen ita graviter, quin semper sperent, et sciant se in inferno non esse, licet forte pro poenarum magnitudine hoc aliquoties non advertant. Hac autem afflictione, ab igne corporali eis [c] inflicta, purgantur spiritus a reatibus et scoriis, et etiam reliquiis peccatorum, quibus sufficienter expurgatis, immediate evolant et introducuntur in gloriam paradisi (II).

a) Vel minus om. ed. 1484.

b) Magis graviter ibid.

c) Eis restit. ex ead. edit.

(I) Primus, qui purgatorii existentiam impugnaverit, quidam Aërius saec. IV ex Catholico Arianus fuisse videtur. Processu vero temporis idem dogma negatum fuit ab Albigensibus, a Waldensibus, a Petrobrusianis, ab Husitis, a Wicleffo, et tandem a Novatoribus saeculi XVI, et praesertim a Calvino. Nostris insuper temporibus a Rationalistis veluti figmentum ab Ecclesia catholica invectum traducitur. Cum autem nonnullae quaestiones adiaphorae hac super re agitari soleant; ideo praemonendum est purgatorii existentiam tantummodo hîc vindicari, minime vero rationem poenae, qua animae in eo detentae cruciantur, de ea enim in Appendice ad praesens caput disserendum occurret.

Igitur contra haereticos habetur fidei professio jussu Pii IV edita, juxta quam profiteri jubemur: „Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.“

(II) Quum S. D. praeterquam de purgatorii dogmate, etiam de immediata ad caelum evolatione animarum nulla peccati labe infectarum in praesenti capite sermonem instituat, idcirco et errores contra hanc veritatem exorti hîc indicandi sunt. Praecitatum itaque dogma diversa ratione a diversis haereticis impugnatum fuit. Quidam enim saec. III, Arabi vulgo dicti, quos Origenes ad meliorem sententiam adduxit, asserebant animas humanas una cum corpore interire, et in die extrema judicii ad promeritam retributionem recipiendam simul excitari. Alii e contra, quos S. Doctor stultos appellat (vide inferius *n. 12 huj. cap.),* autumarunt animas justorum post expiationem in quadam requie beata usque ad corporum resurrectionem permansuras, non tamen visione beatifica hoc temporis intervallo donari. Hanc haeresim, quae late propagata est inter Graecos schismaticos, Lutherus quoque atque Calvinus tuiti sunt. Sed contra est definitio Benedicti XII in Const. *Benedictus Deus,* 27. januarii 1336, quae ita est: „Diffinimus, quod secundum communem Dei ordinationem animae Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Jesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum et aliorum fidelium defunctorum, post sacrum ab eis Christi baptisma susceptum, in quibus nihil purgabile fuit, quando decesserunt, nec erit, quando decedent etiam in futurum, vel si tunc fuerit, aut erit aliquid purgabile in eisdem, cum post mortem suam fuerint purgatae; ac quod animae puerorum eodem Christi baptismate renatorum et baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante usum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam et purgationem praefatam in illis, qui purgatione hujusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum et judicium generale, post ascensionem Domini nostri Jesu Christi in caelum, fuerunt, sunt et erunt in caelo, caelorum regno et paradiso caelesti cum Christo, sanctorum angelorum consortio aggregatae, ac post Domini nostri Jesu Christi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in rationem objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente; quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur: necnon quod ex tali visione et fruitione

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium, eo ipso quod primum, sit optimum et perfectissimum, et eo ipso quod optimum, sit summe amativum boni et summe detestativum mali; sicut summa bonitas non patitur, quod bonum maneat irremuneratum, sic etiam non debet pati, quod malum remaneat impunitum. Quoniam ergo viri justi aliquando decedunt[1], qui in hac vita non totaliter poenitentiam impleverunt, cum meritum vitae aeternae in eis non possit remanere irremuneratum, et vitium culpae non possit remanere impunitum; ne[d] perturbetur pulcritudo ordinis universi, necesse est, quod ipsi finaliter praemientur, necesse est etiam, quod iidem[e] temporaliter puniantur[2] secundum suarum culparum exigentiam et reatum[3].

d) Ne vero ibid.

e) Iidem om. ibid.

Et quia culpa commissa[f] et offensiva fuit majestatis divinae, et damnificativa Ecclesiae, et deformativa imaginis divinae menti nostrae impressae, maxime si fuit culpa mortalis, et venialis etiam disponit ad hoc[4]; et de offensa requiritur punitio, de damno vero agenda est satisfactio, et de deformatione requirenda est expurgatio; hinc est, quod necesse est, quod poena illa sit juste punitiva, digne satisfactoria, et sufficienter expurgativa. Primum igitur, quoniam poena ista[g] debet esse juste punitiva, et[h] spiritus, qui, contempto bono aeterno et summo, se subjecit infimo, juste debet inferiori subjici, ut ab eis suscipiat poenam, ex quorum occasione perpetravit culpam, et ratione quorum et Deum contempsit, et seipsum vilem fecit; hinc est, quod ordo divinae justitiae exigit, ut spiritus ab igne materiali habeat puniri, ut sicut secundum ordinem naturae anima unitur corpori, ut influat vitam ipsi corpori, sic uniatur igni materiali secundum ordi-

f) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Ven.; commissiva ed. Rom. male.

g) Illa ed. 1484.

h) Et om. ibid.

eorum animae, qui jam decesserunt, sunt vere beatae, et habent vitam et requiem aeternam, et etiam illorum qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante judicium generale; ac quod visio hujusmodi divinae essentiae ejusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriae theologicae sunt virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione praedictae visionis et fruitionis continuata extitit et continuabitur usque ad finale judicium, et ex tunc usque in sempiternum." Concilium etiam Florentinum in *Decreto Unionis* definivit: „Credimus ... illorum animas, qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est."

Ne quid autem de hac re desiderari videatur, quaedam adjicienda hîc loci veniunt de Millenariis. Cerinthus igitur, primo Ecclesiae saeculo, contendit post finalem hominum resurrectionem dari in terris regnum Christi inter voluptates carnis ad mille annos protrahendum, praeceptis ac sacrificiis legis mosaicae instauratis. Hujus haeresis sectatores Millenarii seu Chiliastae dicti sunt. Hunc errorem, exceptis carnalibus voluptatibus, et legis mosaicae instauratione, nonnulli ex antiquioribus Patribus, praesertim vero S. Papias Ep. Hierapolitanus et S. Irenaeus Martyr, propugnarunt ex sequentibus verbis Apocalypsis 20, 1—6: „Et vidi angelum descendentem de caelo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille. Et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: et post haec oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis." Verum contra eos Concilium Constantinopolitanum I in symbolo de Christo expresse contra Apollinaristas millenarios addidit: „Qui venturus est judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis."

nem justitiae, ut punibile punienti, a quo suscipiat poenam [5]. Et quia viri justi, qui sunt in gratia, non sunt digni nisi poena transitoria, et tanto majori digni sunt poena, quanto majora commiserunt peccata, et minorem egerunt poenitentiam; hinc est, quod ab igne materiali puniuntur temporaliter, quidam tamen diutius, quidam vero brevius, quidam acerbius, quidam levius, secundum quod reatus exigit offensarum [i] [6]. Necesse enim est, ut dicit egregius doctor Augustinus *(De Civ. Dei l. 21. c. 26. § 4)*, quod tantum urat dolor quantum haeserat [j] amor. Tanto enim difficilius quis purgatur, quanto medullis cordis ejus intimius amor inhaeserat mundanorum.

i) Magnitudo add. ibid.

j) Inhaeserat ibid.

Amplius, quoniam poena illa debet esse satisfactoria, et satisfactio respicit libertatem voluntatis, et statum viae, potissime cum ibi jam non sit status merendi (III), et poenae illae minime teneant rationem voluntarii [7]; necesse est, quod illud, quod defecit ex parte libertatis in voluntate sustinente [k], suppleatur in acerbitate ex parte poenae. Quia vero gratiam habent, qui purgantur, quam quidem ultra perdere non possunt; hinc est, quod nec a tristitia penitus absorberi, nec in desperationem incidere, nec in blasphemiam possunt, nec volunt aliquatenus prosilire; ac per hoc, licet graviter puniantur [8], longe tamen aliter et mitius [l] quam in inferno; et statum etiam illum indubitanter sciunt alium esse quam istum [m], in quo sunt illi, qui in inferno irremediabiliter cruciantur (IV) [9].

k) Ita ed. Rom.; subsistente ed. Arg. Ven. subsistere ed. 1484.

l) Minus ed. 1484.

m) Illum ibid.

Postremo, quia poena illa debet esse expurgatoria, et purgatio illa est [n] spiritualis, necesse est, vel quod ignis ille spiritualem habeat virtutem divinitus sibi datam, vel, ut magis credo, ipsa virtus gratiae interius habitantis, adjuta a poena extrinseca [10], ipsam animam jam pro offensis punitam et a reatuum onere alleviatam purget purgatione sufficienti [o], ut jam nulla remaneat dissimilitudo ad gloriam [11]. Et quoniam tales spiritus dispositi sunt in summo ad deiformitatem gloriae suscipiendam in se, cum janua sit aperta et purgatio consummata, necesse est illos spiritus evolare, in quibus est [p] caritatis ignis sursum levans, et nihil retardans ex parte impuritatis animae, vel reatus. Nec enim decet divinam misericordiam seu justitiam, ut amplius differant [q] gloriam, cum inveniant receptaculum idoneum [12], et magna sit poena in dilatione praemiorum, nec amplius puniri debeat spiritus jam purgatus.

n) Est restit. ex cit. edit.

o) Sufficiente ibid.

p) Est add. ibid. et editt. Nor. Arg. Aug. Ven.

q) Ita ed 1484. In cet. Differat . . . inveniat.

(III) Inter errores Lutheri, quos Leo X in Bulla *Exsurge Domine* an. 1520 damnavit, hic etiam legitur: „Non est probatum ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipsas (animas in purgatorio detentas) esse extra statum merendi, aut augendae caritatis.“

(IV) In eadem Bulla sequentia quoque Lutheri figmenta damnata fuerunt: „Animae in purgatorio non sunt securae de earum salute, saltem non omnes.“ — „Animae in purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quaerunt requiem et horrent poenam.“

Ad Caput II.

[1] „Quaedam animae separantur a corpore separatione definitiva, sive finali; quaedam vero separantur a corpore ad tempus propter gloriae Dei manifestationem, sicut est in illis, qui resuscitantur ad statum vitae praeteritae, sicut fuit in Lazaro et in aliis mirabiliter suscitatis. Quae primo modo separantur, ingrediuntur novum statum; quae vero secundo modo separantur, secundum divinam dispositionem adhuc a statu suo retardantur. Unde primae, nisi obstet reatus peccati, statim efficiuntur impassibiles, nec unibiles sunt corpori passibili, quamvis secundae per divinum miraculum aliquando habeant conjungi.“ *3. dist. 21. a. 2. q. 1 ad 2.*

[2] „Purgatorium dicit transitum, non terminum, nec dicit statum, sed status supplementum; ut quia praeclusa est homini per mortem via merendi, et peccatum inultum transire nec poterat, nec debebat, constituit Dominus lo-

cum poenae, per quem anima transiret ad patriam, ut anima solvat separata, quod tamen fecit conjuncta." *4. dist. 43. a. 1. q. 2 ad 3.*

[3] *„Universae viae Domini misericordia et veritas (Ps. 24, 10).* Sic autem misericordia parcit Dominus, ut veritati, sive justitiae non fiat praejudicium; ideo dimittit culpam et poenam aeternam, ita tamen quod obligatum teneat ad poenam temporalem. Ab hac autem poena non absolvitur in morte, quoniam status post mortem non repugnat punitioni animae, quamvis non competat merito ejusdem, puniuntur enim animae et praemiantur. Et ideo cum non sint alicui taliter remissa peccata, quin obligetur ad aliquam poenam, nisi fiat per baptismalem gratiam, et ab ea obligatione non absolvitur, et debitor poenae non possit cum debito ingredi caelum, necessarium est esse purgatorium." *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 1.* — „Animae sanctorum, quando non habent aliquem reatum, statim efficiuntur impassibiles." *3. dist. 21. a. 2. q. 1. fund. 3.*

[4] „Aliqua peccata, utpote venialia, non solum in hoc saeculo, sed etiam in purgatorio remitti possunt, et remittuntur, quando quis transit cum venialibus, pro eo quod gratia non fuit adjuta finaliter ad illa delenda, et ideo indiget auxilio. Quoniam ergo voluntas potest gratiae post hanc vitam esse conformis, quamvis non possit esse adjutrix, pro eo quod cessavit tempus meriti; ideo indiget adjutorio exteriori. Et cum non sit locus sacramenti, habet adjutorium ignis punitivi, sive purgatorii, qui ideo dicitur purgatorius, quoniam anima purgatur a peccati scoria et a veniali culpa, si cum illa transeat. Et hoc possibile est, quia ad deletionem venialis peccati sufficit, quod liberum arbitrium se conformet gratiae, nec est necesse quod adjuvet." *4. dist. 21. p. 1. a. 2. q. 1.*

[5] „Probabile est, licet non temere asserendum, quod bonorum angelorum ministerio animae deducantur ad purgatorium, non tamen quod ab eis, vel daemonibus, poena purgatorii infligatur." — „Animae puniuntur in purgatorio ad hoc, ut purgentur et in caelum introducantur; sed daemones abhorrent animarum purgationem et liberationem; ergo talem purgationem, sive punitionem, non administrant, sed fugiunt." — „Item, sicut dicit Augustinus *(l. 12. de Gen. c. 17):* Si diabolus cognovisset patientiam Job, et quod ejus tentatione deberet proficere, nequaquam ipsum amplius vexasset; ergo, cum sciat certis signis, quod illae animae justae suae non sunt, et quod ex poena sunt meliorandae, videtur, quod eas amplius nullatenus vexet." — „Item alius est, qui punit filium, alius qui punit latrunculum, filium enim punit dominus vel doctor, sed latronem punit emissarius vel tortor; sed daemones sunt tortores, et justi sunt sicut filii; ergo nequaquam conveniens est illos ab illis puniri." — „Item injustum est, ut qui de altero triumphavit, eidem subjiciatur post triumphum; sed anima viri justi de daemonibus triumphavit in hac vita; ergo injustum est, ut diabolus super eam posse habeat post hanc vitam." — „Aliqui voluerunt dicere, quod poena purgatorii ministerio daemonum infligatur, pro eo quod in Scriptura aut vix aut nunquam legitur, quod bonus angelus bonos vexaverit; sed vexatio bonorum solum a malis fuit, sicut est exemplum de Job, exemplum etiam de Antonio; mali vero vexati sunt a bonis et a malis. Et ratio hujus videtur esse secundum eos, quia qui vexat alterum et affligit, quoddam odium habet; diabolus autem odit bonos et malos ob suam crudelitatem, ideo utrosque affligit, cum sibi permittitur, maxime cum affliguntur pro peccato, quod est ejus similitudo et quaedam characteristicatio. Boni vero non odiunt nisi malos, et ideo illos solos affligunt, sicut afflixerunt Sodomitas et Aegyptios. Sed licet videatur esse magis conveniens, ut fiat hoc ministerio daemonum, quam sanctorum spirituum, melius tamen videtur esse dicendum, et rationabilius etiam, quod sicut divina justitia jubente, et statu ignis succedente, mali adurentur in inferno post judicium, sic etiam et in purgatorio. Non enim videtur probabile, quod daemones illud ministerium exerceant, cum ibi purgetur peccati scoria, secundum quam ibi quodammodo anima similis erit diabolo; et diabolus suam similitudinem nolit delere, sed potius confirmare, nec unquam exercet hominem, nisi in quo sperat victoriam acquirere, nec vexat eum, a quo victus est et dejectus; et alia plura ad hoc faciunt, quae tacta sunt. Rursus, non videtur hoc probabile, ut ministerio fiat angelorum bonorum, ut tam graviter affligant et puniant concives suos; nec hoc de facili posset per Scripturam probari, non solum in se, verum etiam in simili, quamvis Jacob Patriarcha visus sit ab angelo laedi, cum emarcuit nervus femoris ejus *(Gen. 32, 25);* sed illud magis fuit ad concupiscentiae repressionem quam ad gravem afflictionem. Ideo concedendum, quod non fit ministerio daemonum, nec etiam supernorum spirituum, nisi fortassis quantum ad directionem. Credendum enim est, quod in egressu animae a corpore assistunt et spiritus bonus et spiritus malus, unus vel plures, et tunc secundum veritatem ferri sententiam: et, si bona est, per ministerium boni angeli vel adducitur in caelum, vel in purgatorium, quousque, postquam purgata fuerit, per ejus ministerium educatur, ita quod ipse solum sit deductor et non tortor: si vero sit mala, per ministerium daemonum deducitur ad infernum. Hoc, inquam, tanquam magis probabile concedendum, quamvis nihil sit in hac parte temere asserendum." *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 5. fund. et concl.*

[6] „Si tu objicias, quod caritas major debet facere citius evolare, dicendum quod caritas major auget gloriam intensive, secundum autem durationem non. Unde si duo innocentes inaequalis caritatis similiter morerentur, similiter evolarent, non tamen aequaliter beati essent." *4. dist. 21. p. 1. a. 3. q. 1 ad 3.*

[7] „Aliqua poena dicitur tripliciter voluntaria. Uno modo, quia assumitur a voluntate imperante, sicut est poena poenitentialis. Alio modo, quia sustinetur a voluntate acceptante, sicut est poena martyrii, quia adeo eis placet, quod ab ea liberari non vellent. Tertio modo est quaedam poena, quae sustinetur a voluntate tolerante, ut poena quae est in patientia, ita quod ejus oppositum est in desiderio. Sicut cum amans et desiderans sanitatem, infirmatur, sustinet quidem infirmitatem tanquam poenam divinitus inflictam, attamen ab ea liberari procurat. Et illud minime habet rationem voluntarii. Hoc modo voluntaria est poena purgatoria in viris justis, qui voluntarie eam sustinent, et desiderant vehementer ad patriam pervenire, et alios sibi auxilium praebere." *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 3.*

[8] „Oportet nos concedere, etiamsi non appareat nobis ratio, quod poena purgatoria gravior est omni temporali poena, quam modo sustinet anima carni conjuncta. In hujusmodi autem magis adhaerendum est auctoritati quam rationi, pro eo quod illud est magis supra naturam et rationem, quam secundum naturam et rationem. Sane tamen hoc intelligendum, ut generaliter poena illa sit major ista secundum regulam philosophi: Si optimum in uno genere, est melius optimo in alio genere, et hoc simpliciter illo melius. Similiter intelligendum est hîc, quod illa sit major, non quia minima sit major maximâ in hoc genere, sed quia maxima in illo genere major sit maximâ in hoc genere ... Ratio hujus sumitur ex divina justitia; et ista est ratio recta, quia quod ignis agat in animam, non est naturae, sed justitiae; et ideo quod magis agat, divinae justitiae est attribuendum. Quoniam ergo Deus justus poenam non acceptat secundum quod punitiva tantum, sed secundum quod plus est in ea ratio ordinis recti; secundum hoc intelligendum est, quod est poena assumpta, et poena inflicta. In poena assumpta non tantum placet Deo ordinatio poenae ad culpam, sed et ordo et rectitudo, quae est in voluntate assumente; sed in poena inflicta placet ordinatio poenae ad culpam. Quoniam igitur poena poenitentium in praesenti plus est assumpta, poena morientium est inflicta in purgatorio, pro eo quod jam non est tempus agendi, sed recipiendi; ideo modica poena in praesenti plus satisfacit, et magis est de ea contenta divina justitia, quam de magna in futuro. Et ideo quasi improportionabiliter majorem exigit, ut ei satisfiat.“ *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 2.*

[9] „Si venit de hoc titubatio, aut ex subreptione, aut ex scientia certa. Non ex subreptione, quia hoc competit animae ratione conjunctionis suae cum carne, a qua opprimitur, et non omnino est domina actuum suorum. Non ex certa scientia. Probatio. Anima, quae est in purgatorio, certa fide cognoscit, quod in inferno vermis est, qui non moritur; certa fide cognoscit, quod anima in inferno non melioratur; certa fide cognoscit, quod in inferno desperatione cruciatur. Sed constat, quod opposita videt in se; ergo ex deliberatione non potest de his dubitare, quin cadat a vera fide. Sed non potest fieri infidelis; ergo non potest ex certa scientia dubitare, nec ex subreptione dubitare; ergo nullo modo.“ *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 4. fund. 3.* — „Animae in purgatorio certae sunt, quod non possunt damnari ... Hoc non est propter assecutionem gloriae, sed propter confirmationem liberi arbitrii, quod est extra statum merendi et demerendi, et illa confirmatio non evacuat spem, quamvis ponat extra statum vertibilitatis ipsius liberi arbitrii.“ *3. dist. 26. dub. 6.*

[10] „Ille ignis per eamdem naturam et punit et purgat, quoniam puniendo juvat gratiam, et gratia habens adjutorium poenae et consonantiam voluntatis nostrae, quae quamvis non sit adjutrix, non tamen impedit, est potens purgare culpam et peccati scoriam, ita ut purgatio talis sit a gratia, libero arbitrio consonante, etiam exteriore poena adjuvante, secundum conformitatem ad remissionem venialium, quae fit in hac vita. Si tamen quaeras, quomodo poena adjuvet gratiam ad delendam, sive purgandam maculam, dicendum quod hoc facit divina justitia. Vel etiam per eum modum potest intelligi, per quem dicitur, quod *infirmitas gravis sobriam facit animam (Eccli. 31, 2)*, id est virtus hoc facit, quodam modo adjuta per poenam. Si autem quaeras, utrum statim cum gratia habeat illud adjutorium, culpam deleat et purget scoriam; dici potest, quod utrumque est satis probabile, vel quod statim vigoretur gratia, ut venialem culpam deleat, cum a poena est adjuta, et deinceps punitur pro obligatione; vel potest dici, quod poena magis et magis disponat, et postmodum, ex quo disposuit sufficienter, gratia ipsa in instanti delet culpam, si qua est. Quodcumque horum dicatur, non videtur de facili improbari posse.“ *4. dist. 21. p. 1. a. 2. q. 2.*

[11] S. D. in Breviloquio de purgatorii loco ne verbum quidem habet, quia „istud a Sanctis determinatum non est, nec rationes multum efficaces ad hanc materiam adduci valent de facili, pro eo quod licitum est hîc varie sentire, et secundum tres partes propositi problematis inventi sunt diversi diversa sentire ... Quidam enim dixerunt, quod locus est sursum, quidam quod deorsum sub terra, quidam quod ibi, ubi peccaverunt. Sed si dixerimus, quod omnino sursum sit, repugnabit ratio et auctoritas et revelatio, quia frequenter plures circa nos pati inventi sunt. Si dixerimus quod omnino deorsum, idem inconveniens sequitur. Si dixerimus quod ubi peccaverunt, illud omnino vel incredibile, vel improbabile est, quod omnes animae, quae Parisiis peccaverunt, Parisiis puniantur. Quid ergo dicendum? Sane potest dici, quod est determinare locum purgatorium dupliciter, vel secundum legem communem, vel secundum dispensationem divinam. Si secundum legem communem, sic limbus inferius fuisse credendus est, ut sit locus purgatorius: et talis locus competit punitioni, et similiter satisfacienti, sive ei, qui affligitur merito foeditatis culpabilis. Hic autem locus pars inferni creditur a quibusdam propter illud verbum Gregorii *(in 4. dialog.)*, quod sub eodem igne electus purgatur, et damnatus crematur. Si autem loquamur secundum dispensationem specialem, sic diversis diversa loca concessa sunt. Vel propter eorum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare ... Vel propter nostram instructionem, ut aliquando recogitemus magnam post hanc vitam poenam infligi peccantibus. Vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur, quod sanctus Patritius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra, ex quo fabulose ortum est, quod ibi est purgatorium; et sic sunt diversa loca. Concedendum igitur est, quod locus purgatorius est inferius secundum legem communem, est etiam medius secundum dispensationem divinam: superius in sphaera ignis non est aliquo istorum modorum, sed qui hoc cogitat, moveri videtur secundum phantasticam fictionem.“ *4. dist. 20. p. 1. a. 1. q. 6.* Idem legitur in *Centiloq. part. 2. sect. 4.*

[12] „Aliqui stulti circa hoc errant, dicentes animas non esse glorificandas ante diem judicii, sed potius exspectare usque ad extremum diem judicii. Hos stultos dixi, quoniam talis error nec fulcimentum habet ab auctoritate, nec ab efficaci ratione, nec habuit ista positio aliquem magnum auctorem, nec defensorem, sed imponitur quibusdam Graecis. Videtur tamen pro isto errore facere Glossa, quae est super Psalmum: *Noli aemulari*, super illo versu ejusdem Psalmi: *Et adhuc*

pusillum etc. (Ps. 36. v. 10), ubi dicit Augustinus: Post istam vitam nondum eris ubi erunt Sancti, quibus dicet etc. Sed in illa requie poteris esse, ubi erat Lazarus cum Abraham . . . Sed sicut patet, in ipsa Glossa ex consequentibus, istud dictum est quantum ad stolam corporis, non quantum ad gloriam vel locum. Certum est enim, quod Christus exspoliavit principatus et potestates tenebrarum, ac per hoc constat Sanctos, qui in limbo erant, ad caelum cum Christo sublimatos; ac per hoc et omnes justos, qui non habent reatum poenae." *4. dist. 21. p. 1. a. 3. q. 2.*

APPENDIX.

In Concilio Florentino quaestio agitata fuit inter Latinos et Graecos circa qualitatem poenae in purgatorio. Latini enim purgationem per ignem materialem fieri profitebantur, verbis Apostoli *1. Cor. 3, 15* innixi: *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Graeci e contra, juxta interpretationem Chrysostomi, obscurum quemdam locum doloribus et tristitia plenum per ea verba innui asserebant. Ne autem haec controversia, fini Concilii prorsus extranea, ipsis Graecis occasionem praeberet diutius perseverandi in schismate, Concilium prudentissime a quacumque definitione se abstinuit. Licet autem id nondum definitum sit, Latinorum sententia omnino est tenenda, utpote conformior modo loquendi S. Scripturae, et communissimae praxi Ecclesiae. Vide superius *n. 10 huj. cap.*

Quaestio quoque a quibusdam theologis movetur circa poenarum diuturnitatem, in qua tamen, cum nihil certi nobis constet, inutile prorsus est immorari. Nemini enim arridere poterit opinio Dominici Soto et Joannis Maldonati, qui nullam animam viginti annis, imo nec decem in purgatorio mansuram putant, post proscriptionem propos. 43, inter damnatas ab Alexandro VII: „Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos". Agnoscat unusquisque ignorantiam suam, et judicia Dei humano modulo metiri nunquam praesumat.

CAPUT III.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi sunt suffragia ecclesiastica [a].

a) De suffragiis ecclesiasticis ed. 1484.

(Suffragia ecclesiastica prosunt animabus in purgatorio detentis tantum: — fiunt per opera satisfactoria, — nempe per orationem, jejunium et eleemosynam; — et praecipue per altaris sacrificium: — non in omnibus aequaliter prosunt.)

De suffragiis autem ecclesiasticis hoc tenendum est, quod suffragia Ecclesiae prosunt mortuis, suffragia, dico, quae pro mortuis Ecclesia facit, sicut sunt sacrificia, jejunia, eleemosynae et aliae orationes et poenae voluntarie assumptae pro eorum culpis celerius et facilius expiandis. Prosunt autem mortuis, non quibuscumque, sed mediocriter bonis, utpote illis, qui sunt in purgatorio; non valde malis, scilicet illis, qui sunt in inferno; nec valde bonis, scilicet his, qui sunt [b] in caelo [1]; quin potius e converso eorum merita et orationes suffragantur Ecclesiae militanti, cujus membris multa beneficia impetrant beati. Prosunt autem secundum magis et minus, vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro caritate vivorum, quae magis sollicitatur pro aliquibus quam pro aliis, et hoc vel ad poenarum mitigationem, vel celeriorem liberationem, secundum quod supernae providentiae dispensatio melius eis viderit expedire (I).

b) Sicut his, qui scilicet sunt ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quoniam primum principium, cum sit optimum ac per hoc summae severitatis contra [c] malum, debet pariter summae suavitatis esse ad bonum [2]; et ideo cum, ratione severitatis justitiae [3], justi, in quibus est reatus culpae, debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari et expiare [d], debent

c) Circa ibid.

d) Et expiare restit. ex ead. edit.

(I) Quum utilitas suffragiorum pro defunctis, et purgatorii existentia correlativae sint, evidenter colligitur et suffragiorum utilitatem impugnari ab iis, qui purgatorium negare ausi sunt. Porro contra eos Concil. Trid. *sess. 22. cap. 3:* „Si quis dixerit, Missae sacrificium . . . neque pro defunctis . . . offerri debere; anathema sit."

etiam ratione suavitatis misericordiae [4] relevari, et habere auxilium et munimen, maxime quia in miseria sunt constituti, et suis operibus et meritis non possunt amplius se juvare. Disponere igitur debuit regimen divinae providentiae suffragia eis conferri ab eis, qui possunt, salva tamen rectitudine justitiae, a qua nec debet, nec potest dulcedo misericordiae dissentire, nec aliquatenus separari. Quoniam igitur rectitudo justitiae exigit conservationem honoris divini, regiminis universi et qualitatis meriti humani; ideo superni [e] et primi principii providentia summa disposuit [f], haec suffragia valere defunctis secundum dulcedinem misericordiae et [g] rectitudinem justitiae, servantis honoris divini dignitatem, universi [h] regimen et humani meriti qualitatem.

e) Ideo superni om. ibid.
f) Disponit ibid.
g) Et om. ibid.
h) Et universi ibid.

Primo igitur, quoniam in hujusmodi suffragiis servari debet justitia, quae divini praecipue est conservativa honoris; et honor divinus nihilominus exigit opera satisfactoria et poenalia sibi persolvi pro culpis; hinc est, quod per [i] illa opera habent suffragia fieri, per quae potissime fit satisfactio, et honor recompensatur Deo. Quoniam igitur hujusmodi [j] sunt tres partes satisfactionis, jejunium, oratio et eleemosyna [5], et altaris sacrificium [6], in quo maxime redditur honor debitus [7] propter placentiam illius, qui in sacrificio illo offertur; hinc est, quod suffragia Ecclesiae consistunt in hujusmodi [k] operibus satisfactoriis [l], et maxime in Missis celebrandis [8], secundum quod Gregorius in dialogis insinuat aliquos *(lib. 4 dialog. c. 55)* propter Missarum beneficia de poenis magnis [m] celerrime liberatos (II). Et per hoc pompa exequiarum, et accuratio [n] funeris, et hujusmodi non debent inter suffragia Ecclesiae computari. Propter quod et S. Augustinus dicit *(de cura pro mortuis agenda, c. 2. § 4)*, quod curatio funeris, conditio sepulturae et pompa exequiarum magis sunt solatia vivorum, quam subsidia mortuorum.

i) Per om. ibid.
j) Hujusmodi om. ibid.
k) His ibid.
l) Satisfactionis ibid.
m) Magis ibid.
n) Ed. Ven. curatio.

Amplius, quia debet ibi servari justitia conservativa ordinis et regiminis universi, et haec [o] exigit, ut in communicatione influentiarum salvetur [p] ordo, et symbolum inter ea, in quibus, et in quae influentiae illae manant, ac per hoc inferius non debeat influere in illud, quod est supra, neque in id [q], quod est per omnimodam distantiam elongatum; hinc est, quod suffragia Ecclesiae non possunt valere his, qui sunt in inferno [9], quia sunt a corpore Christi mystico penitus separati, unde nulla spiritualis influentia capitis [r] ad eos pervenit, nec eis prodest, sicut nec influentia capitis prodest membris a corpore [s] amputatis. Hinc est etiam, quod non prosunt [t] beatis, quia sunt omnino superiores secundum statum, et jam in termino existentes non possunt ad altiora conscendere, sed magis, e converso, ipsi prosunt nobis, et eorum orationes, nam et hoc meruerunt in carne; ideo disposuit ordo divinus, ut etiam ipsis Sanctis Dei orationes offerantur, ut et ipsi suffragentur nobis ad divina beneficia impetranda [10]. Non prosunt ergo eis ecclesiastica suffragia, sed magis nobis prosunt sua. Restat igitur, quod prosunt solis justis, qui sunt in poenis purgatorii [u]. Nam ipsi [v] ratione poenae, et impotentiae se juvandi, sunt vivis inferiores, ratione vero justitiae ceteris membris Ecclesiae sunt conjuncti [11]; ita ut merito eis Ecclesiae sanctae merita possint propter symbolum et ordinem suffragari [12].

o) Ita ed. Rom. et 1484, hoc editt. Arg. Aug. Ven.
p) Servetur ed. 1484.
q) Illud ibid.
r) Capitis om. ibid.
s) Capite ibid.
t) Prodest ibid.
u) Purgatoriis ibid.
v) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Ven.; in cet. ibi.

Postremo, quoniam debet in his servari justitia, quae pensat secundum [x] exigen-

x) Secundum restit. ex ed. 1484.

(II) Huc refertur Lutheri propositio a Leone X an. 1520 damnata: „Animae ex purgatorio liberatae suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent."

tiam meritorum; hinc est, quod suffragia illa, quae communiter fiunt pro defunctis, licet omnibus bonis valeant pro modulo suo, his tamen amplius valent, qui magis meruerunt, ut sibi valerent et prodessent, dum erant in statu viae. Illa vero, quae specialiter fiunt pro aliquibus, quia intentio facientis est recta, et secundum Deum procedit, et ecclesiastica institutio absque dubio non est cassa; ideo plus valent illis, pro quibus determinate fiunt, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Nec tamen possunt ita aliis subvenire, sicut illi principali personae, pro eo quod, licet sint spiritualia, tamen divina justitia pro majori culpa majorem exigit emendam, et pro pluribus culpis plures emendas. Unde exemplum de lumine, quod aequaliter illuminat ad unam mensam sedentes, non placet; quia hujusmodi suffragia potius [y] assimilari habent pretiis redemptivis, quam hujusmodi influentiis diffusivis[13]. Quantum autem cuilibet determinate valeant, ille certitudinaliter definire habet, cujus est in reatibus et poenis et suffragiis attendere pondus, numerum et mensuram.

[y] Magis ibid.

Ad Caput III.

[1] „Animarum mortuorum receptacula post adventum isti sunt paradisus, infernus, limbus et purgatorium.“ — „Quod mali habeant, videtur, quia dixit Dominus *(Luc. 16, 22): Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.* Et post subditur *(ibid. 28): Ne veniant in locum hunc tormentorum.* Item quod boni, videtur. *Si terrena nostra habitatio dissolvatur, domum habemus in caelis (2. Cor. 5, 1).* Et Gregorius *(l. 4 dial. c. 25):* Qui Christum in caelo esse non dubitat in corpore, nec Pauli animam esse negat. Item ratione videtur, quia loci congruitas confert ad operationem; ergo cum animae beatae sint excellentissimae virtutis contemplando Deum, et omnino immutabiles; ergo locus supremus eis debetur; ergo, ab oppositis, damnatis infimus. Item excellentia retributionis consistit in societate multa, quia nullius sine socio jucunda est possessio; ergo animae post hanc vitam sunt simul.“ — „Dicendum, quod triplicem statum contingit intelligere, scilicet remunerationis, quietis et exspectationis, et purgationis. Et ratio hujus est, quia anima exuta ex duplici causa potest impediri a remuneratione beata, aut propter hoc quod janua est clausa, aut propter hoc quod ipsa non est plene purgata. Statui retributionis respondet locus proprius et receptaculum determinatum in se et quoad nos, scilicet caelum empyreum quoad bonos, quoad malos locus infimus. Statui quietis et exspectationis respondet locus determinatus in se, sed non quoad nos, quia nescitur per Scripturas, ubi sit limbus. Statui vero purgationis respondet locus indeterminatus et quoad nos et quoad se, quia non omnes in eodem loco purgantur, licet forte in aliquo multi sint . . . Potest tamen aliter dici et melius, quod animae receptacula, aut sunt secundum merita bona, et sic est paradisus et locus caelestis; aut propter peccata, et sic distinguitur triplex locus secundum triplex peccati genus, scilicet purgatorius, et hic debetur veniali; limbus, et hic originali; et infernus, et hic mortali. Et bene potest esse, et satis probabile est, quod gradatim se habeant ista tria loca, sed tamen circa eamdem partem sunt, sicut potest colligi ex Sanctorum dictis . . . Unde possunt loca animarum distingui sic, ut reducantur ad bimembrem divisionem. Locus retributionis aut est gloriae, aut poenae; si gloriae, sic caelum; si poenae, sic infernus. Gloria non distinguitur, quia caritas, quae unius speciei est, meretur gloriam. Sed poenalis locus est duplex, aut secundum poenam damni, et sic limbus; aut secundum poenam sensus, et sic infernus. Et sic utrumque membrum dividitur, quia qui poena damni puniuntur, aut simpliciter et aeternaliter, et hi in inferiori parte illius partis, quae dicitur limbus; aut ad tempus, et hi in superiori, quae dicitur sinus Abrahae. Similiter illi, qui puniuntur poena sensus, aut simpliciter, et sic infernus proprie dictus; aut ad tempus, et sic purgatorius.“ *4. dist. 45. a. 1. q. 2. fund. et concl.* — „Bonorum animae aliquando ad tempus exeunt de suis receptaculis, licet damnati ligati sint ad omne tempus; in die tamen judicii omnes exibunt.“ — „Sancti multos visitant, et multis apparent, sicut patet in vitis Sanctorum; ergo si vera est apparitio, videtur quod sint, ubi apparent; sed non sunt simul in caelo et in terra; ergo recedunt a suis habitaculis. Item, daemones sunt circa nos, et nos exercent, qui tamen sunt digni majori poena quam animae; ergo, si illi, multo fortius et animae possunt circa nos esse. Item constat, quod resurrectio erit et judicium omnium simul; ergo necesse est, quod tam beatae quam damnatae veniant ad corpora et ad locum communem. Item, Deus ubique est aequaliter; ergo anima ubique potest aequaliter frui Deo; ergo si beatitudo est fruitio, potest beata anima ire quo vult; ergo pari ratione et damnata.“ — „Dicendum, quod hujusmodi receptacula aliquibus dantur secundum Dei consilium et causas superiores, aliquibus secundum sententiam et causas inferiores. Hi secundi possunt mutatione divinae sententiae ad preces Sanctorum de hujusmodi locis revocari; et sicut mutant statum, ita et locum. Primi vero, qui secundum causas immutabiles hujusmodi locis deputati sunt, non exibunt finaliter, possibile est tamen eos exire ad tempus. Sed exitus ad tempus aut

est ad recipiendam completam remunerationem, et sic boni et mali exibunt in die judicii; aut ad perficiendam aliquam operationem, et sic exeunt beati, nunquam tamen damnati. Et ratio hujus est, quia beati possunt juvare nos revocando, docendo, confortando, liberando; sed damnati sunt ligati ad omne opus. Rursus, poena dependet a loco, et gloria non, quia est a Deo, qui ubique est." *Ibid. q. 3. fund. et concl.*

[2] „Causa in Deo, quamvis non dicat veram habitudinem et dependentiam ex parte Dei, dicit tamen habitudinem ex parte creaturae. Et sicut ex parte creaturae est habitudinis severitas, ita et multiplicitas, et secundum aliorum habituum multiplicationem est divinam essentiam multipliciter intelligere et assignare. Quoniam igitur alium modum habet effectus, qui respicit meritum, alium, qui respicit misericordiae defectum, et justitia et misericordia istas habitudines connotant, quamvis principale significent; inde est, quod ille effectus, qui attribuitur justitiae, non potest attribui misericordiae." *4. dist. 46. dub. 5.*

[3] „Uno modo dicitur justitia ipsius divinae bonitatis condecentia; alio modo dicitur justitia, prout considerat meritorum exigentiam." *2. dist. 32. a. 3. q. 2.* — „Veritas est rectitudo intellectus, justitia rectitudo affectus." *1. dist. 48. a. 1. q. 2. fund. 4.*

[4] „Misericordia et veritas, sive justitia, quia veritas pro justitia accipitur, duo dicunt in creatura, scilicet effluxum bonitatis in alterum secundum merita, vel supra; et in eo, qui effluit, compassionem, vel debitum: et primum quidem nobilitatis est, alterum vero imperfectionis est. Et quia omne, quod nobilitatis est, Deo attribuendum est; quod vero imperfectionis est, non est ei attribuendum; ideo in ea est misericordia et justitia quantum ad primum, non quantum ad secundum." *4. dist. 46. a. 2. q. 1.*

[5] Cfr. superius *part. VI. cap. 10. not. 11 et 39.*

[6] „Aliter prodest sacramentum altaris vivis, aliter mortuis. Vivis enim prodest sub ratione sacramenti et cibi, mortuis autem prodest sub ratione sacrificii. In quantum enim sacramentum est, cibat, et dat gratiam et perfectionem manducanti. In quantum autem sacrificium, Deum placat, hostiae enim placant. Et quoniam Deus iratus est non affectione inflictionis, ideo Deum placando non sedat ipsius affectionem, sed remitti facit poenae acerbitatem. Quod quaeritur, quare alia sacramenta non prosint, dicendum quod aliorum sacramentorum dispensatio respicit actum in persona, vel circa personam, sicut patet in baptismo; et ideo non potest baptizari nisi qui praesto est in aquam mergi, sed sacrificium est actus pro persona. Et quoniam actus in personam requirit personam actu existentem, sed pro persona non, sicut Christus obtulit se Patri pro illis, qui fuerunt, et qui futuri sunt; sic sacrificium prodest his, qui finierunt vitam." *4. dist. 45. dub. 3.* Cfr. superius *part. VI. cap. 9.*

[7] „Dilectio refertur ad cultum interiorem, sacrificium ad exteriorem, reverentia ad utrumque. Vel aliter, dilectio refertur ad principium motivum, sacrificium refertur ad actum, reverentia ad formam et modum." *3. dist. 9. dub. 1.*

[8] „Attendendum est, quod pia mater Ecclesia non solum pro vivis, sed etiam pro defunctis, in persona sacerdotis fideliter intercedit, certissime credens, quod pretiosus sanguis Christi non solum pro vivis, sed etiam pro mortuis ad redemptionem prosit et liberationem a poenis illis dumtaxat, *qui nos praecesserunt cum signo fidei (Canon missae)*, id est caritate, in qua fideles ab infidelibus discernuntur. De hac liberatione dicit Propheta ad Christum *(Zach. 9, 11): Et tu in sanguine testamenti tui extraxisti vinctos tuos de lacu* inferiori, *in quo non erat aqua,* scilicet de inferno superiori. Non est autem orandum pro eis, qui sunt in inferno inferiori, quia ibi nulla est redemptio, et quos pro certo damnatos scimus, quia, ut dicit Augustinus *(l. 21 de Civ. Dei c. 24):* Si scirem patrem meum esse in inferno, ubi nulla est redemptio, non plus orarem pro eo, quam pro diabolo. Orandum est ergo pro defunctis, *qui dormiunt in somno pacis*, id est nulla haeresi, vel discordia, vel impoenitentia ab unitate Ecclesiae segregati, licet forte aliqua cremabilia, vel correctione digna detulerint de hoc mundo." *Exposit. Missae, cap. 4.*

[9] „Post mortem non solum difficile, sed impossibile est salvari decedentem in peccato, non quia hoc non possit divina potentia, sed juste et rationabiliter oppositum decrevit divina justitia; et si alicui unquam post mortem dedit gratiam, intelligendum est, quod ille non erat damnatus per sententiam." *4. dist. 20. p. 1. dub. 3.*

[10] „Sicut videmus in causis terrenis, quod qui nescit loqui coram praetore, conducit advocatum, ut loquatur et alleget pro ipso; sic in spiritualibus intelligendum est, quod cum nos perorare, imo nec balbutire sciamus coram Deo, angelus tanquam advocatus et allegator magnus in illa superna curia assumat verbum, ut orationem nostram proponat. Si autem quaeritur per quem modum habeat esse, dico quod loqui nostrum et oratio nostra est desiderium alicujus rei, vel petitio formata secundum desiderium; et quando desiderium nostrum ex mera et vera et ardenti dilectione est, tunc fortiter clamamus in auribus Dei, et tunc optime peroramus. Et quoniam affectiones nostrae sunt tepidae, et affectiones angelorum ferventissimae et magis elevatae ad ipsum, desiderando pro nobis quod nos desideramus, cum accedant ad Deum familiarius et proximius, dicuntur sibi offerre: et quod Deus vidit nos primo petere et approbare per os nostrum, secundo magis approbat per os et desiderium angelorum. Et quoniam istud dicitur noscere quod approbat; hinc est, quod petitiones nostrae dicuntur apud Deum innotescere non solum per nos, verum etiam per angelos. Angeli enim dicuntur loqui per affectiones voluntatis et per adminiculum rationis, sicut exponit Gregorius super principium Job." *4. dist. 45. dub. 7.* Cfr. superius *p. IV. c. 5.* et *p. V. c. 10.*

[11] Quia in omni opere Domini est misericordia et veritas, duo sunt quae faciunt suffragia Ecclesiae valere, scilicet dignitas et necessitas. Justitia enim considerat dignitatem; et digni sunt, qui in caritate decesserunt, et ab aliis membris Ecclesiae adjuvari meruerunt, maxime si ipsi alios adjuvarunt. Misericordia vero considerat necessitatem; et haec quidem magna est in his, qui sunt in purgatorio, quia graviter puniuntur, et se juvare non possunt." *4. dist. 45. a. 2. q. 1.*

[12] „Quidam dicunt generaliter, quod suffragia Ecclesiae prosunt, sive a bonis fiant, sive a malis. Et ratio hujus est, quia tam boni, quam mali faciunt secundum doctrinam Ecclesiae, et faciunt pro eo, qui est in caritate, et

ubi deficit caritas facientis, supplet caritas Ecclesiae dictantis, et mortui suscipientis. Sed non credo breviter, quod oratio peccatoris aliquid mereatur apud Deum nisi solum dispositive, quia disponit ad meritum. Opus enim formam recipit a proximo agente, sicut aqua formam a vase continente, non a fonte. Similiter corona valorem et pulcritudinem habet a gemmis et ab auro, et non a quatuor clementis. Et ideo distinguendum, quod suffragia aut sunt opera sacramentalia, ut celebratio Missae; et tunc, quia opera Dei sunt, ratione contenti prosunt, sive fiant a bonis, sive a malis. Aut sunt alia opera, et hoc dupliciter. Aut enim fiunt pure a malis, sicut si aliquis malus orat, et se affligit pro aliquo; et tunc non credo, quod valeant defunctis. Aut fiunt a malis ad imperium alicujus boni, ut ipsius defuncti vel amici ejus, de re, quae illius est in eleemosyna, vel ad consortium alterius, ut quando duo legunt psalterium, unus existens in caritate, alter non; et in aliis operibus, ut quando datur eleemosyna justo, ut oret pro mortuo; et tunc valent ratione doni caritatis homini conjunctae. Et sic solvuntur rationes ad utramque partem. Concedendum enim, quod non prosunt secundum quod fiunt a malis tantum. Concedendum nihilominus, quod prosunt, si concomitatur caritas viri justi" *). *4. dist. 45. a. 2. q. 2.*

[13] „Aliquorum opinio fuit . . . quod suffragia Ecclesiae, sive specialiter, sive generaliter facta, magis prosint ei, qui magis meruit. Et ponunt exemplum. Sicut si candela accenditur coram divite, non tantum praebet sibi lumen, sed etiam aliis; et eis, qui melius vident, majus lumen praebet. Exemplum etiam patet in lectione, quae tantum valet, si legatur omnibus in communi, quantum si cuilibet alii speciali; et plus valet assistenti, qui melius intelligit, etiam si pro alio legatur, qui minus intelligit, etsi pro ipso legatur specialiter. Si ergo ita est in lumine creato, magis in sacramento. Si ita est in lectione, quomodo non in oratione? Absque dubio ita videtur. Et si objiciatur communis mos Ecclesiae, respondent, quod hoc quod specialiter Ecclesia magis facit pro aliquo, non facit propter hoc, quod magis illi prosit, sed quia libentius facit homo pro eo, quem diligit specialius, et magis animatur ad faciendum. Unde si istud esset notum simplicibus, non ita libenter facerent suffragia. Sed istud non credo, quia (sicut dicit Augustinus de cura pro mortuis agenda) sepultura valet in loco sancto propter orationes Sanctorum, qui orant pro eo, ad cujus tumulum memorantur. Amplius, suffragia sunt ad solvendam poenam, sive reatum; sed plus est satisfacere pro debito multorum quam unius, et facilius satisfit pro debito unius quam plurium; ergo pluribus indigent suffragiis duo, quam unus solus; ergo si dividuntur inter eos, uterque habet minus; ergo non videtur, quod aequaliter se extendat ad omnes. Et ideo dicendum, quod illud non est simile, quia illuminatio totam speciem rei visae defert ad oculum, et similiter lectio totam similitudinem vocis; sed non sic est in solutione, sicut est in aspectu et consideratione. Quamvis enim duo creditores aequaliter possint et simul videre unum aureum, non tamen potest aequaliter solvi duobus. Sic intelligendum est in proposito, quod per suffragia fiat. Unde non refert, utrum fiant pro pluribus, an pro uno. Et ideo distinguendum est hîc, quia suffragia Ecclesiae aut fiunt in communi, aut in speciali. Si in communi, prosunt ei magis, qui magis meruit, ut sibi prodessent, aliis conditionibus paribus, quia non tantum dignitas, sed etiam necessitas consideratur; et sic probant primae rationes. Si autem fiant in speciali, ei magis, pro quo fiunt; et sic probant rationes sequentes." — „Ad illud tamen, quod primo objicitur, quod magis prosunt ei, qui magis meruit, dicendum quod verum est, quantum est de se, nisi aliud reformet pactum; et haec est intentio facientis. Et similiter ad sequens respondendum, quod Deus distribuit secundum intentionem illius, qui offert suffragium. Ad illud quod objicitur, quod citius meruit liberari, dicendum quod verum est, ceteris paribus. Et quia ille, qui minus meruit, majores et plures habuit adjutores; hinc est, quod citius liberatur ratione auxilii alieni. Et iterum, iste meruit citius liberari non quantum ad ea, quae sunt propria, sed ad ea, quae sunt communia, de quibus magis percipit, ceteris paribus. Ad illud, quod objicitur de sacrificio crucis et altaris, dicendum quod, quamvis idem sit, non tamen utrobique uniformiter cooperatur. Nam in cruce effusum est pretium in omnimoda plenitudine, sed in altari habet effectum determinatum, cum quotidie assumatur. Et propter hoc prima oblatio non iteratur, sed secunda iteratur; et ideo non valet illa ratio, quia procedit, ac si esset aequalis effectus. Et iterum, illa pro omnibus est oblata, haec autem specialiter potest fieri." *4. dist. 45. a. 2. q. 3. concl. et ad 1—4.*

*) S. Congregatio S. Rom. Univ. Inquisitionis sancti Officii die 10. maji 1753 sequenti dubio: „An liceat Catholicis Latinis concedere, vel permittere, ut in eorum ecclesiis Missam celebrent presbyteri graeci ritus, schismatici et haeretici, atque eos admittere in funeribus catholicorum defunctorum;" respondit: „Quoad primam partem: Non licere . . . Quoad secundam, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum *meram praesentiam materialem* exhibeant causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera efferre, et defunctos ad sepulchrum deducere; tolerari posse: quatenus vero in illa functione proprios ritus adhibeant, vel nostris se immisceant; non licere, nec esse permittendum."

CAPUT IV.

De concomitantibus judicium, sicut est conflagratio ignium a).

a) De conflagratione ignium ed. 1484.

(Ignis praecedet faciem judicis, — ex omni parte concurrens; — quo terrae facies exuretur, — animalia purgabuntur, — et innovabuntur elementa: — completo electorum numero, motus naturae caelestis et transmutationes elementares cessabunt.)

Deinde aliquid dicendum est de concomitantibus judicium, quae sunt duo, scilicet conflagratio ignium mundanorum, et resurrectio corporum. De conflagratione igitur hoc

tenendum est, quod ignis praecedet faciem judicis *(Ps. 96, 3)*, quo terrae facies exuretur [1], ita quod figura hujus mundi mundanorum ignium [b] conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione tempore [c] diluvii *(Gen. 7)*. Dicitur autem transire figura hujus mundi [2], non quantum ad destructionem totalem hujus mundi sensibilis; sed quia per actionem illius ignis omnia elementaria inflammantis [d] consumentur vegetabilia, et animalia [e] purgabuntur, et [f] innovabuntur elementa, maxime aër et terra, purgabuntur justi, et [g] adurentur reprobi; quibus factis, cessabit etiam motus caeli, ut sic, completo numero electorum, fiat quodam modo innovatio et praemiatio corporum mundanorum.

b) Et post ignium add. ed. Rom. male.
c) Aquarum . . . tempore om. ed. 1484.
d) Elementa flaminis ibid.
e) Alia ibid.
f) Et om ibid.
g) Et om. ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia principium rerum universale, cum sit sapientissimum, etsi [h] in omnibus, quae agit, attendat [i] ordinem sapientiae, potissime tamen [j] in his debet attendere, quae spectant ad consummationem; ut sic non discordet primum a medio, nec medium a postremo, sed [k] in cunctis congruentissime ordinatis appareat illius primi principii sapientia ordinans et bonitas et altitudo. Quoniam ergo Deus secundum sapientiam suam ordinatissimam cunctum [l] mundum istum sensibilem et majorem fecit propter mundum minorem, scilicet hominem [3], qui inter Deum et res istas inferiores in medio collocatus est; hinc est, quod ut omnia sibi invicem congruant, et habitatio cum habitatore habeat harmoniam, homine bene instituto, debuit mundus iste [m] in bono et quieto statu institui; homine [n] labente, debuit etiam mundus iste [o] deteriorari; homine perturbato, debuit perturbari; homine expurgato, debuit expurgari; homine innovato, debuit innovari; et homine consummato, debuit quietari.

h) Ita ibid. et edit. Rom.; sic editt. Arg. Ven.
i) Ita ed. 1484 in cet. attendit.
j) Autem ibid.
k) Sed ut ibid.
l) Cunctum om. ibid.
m) Ille ibid.
n) Homine etiam ibid.
o) Iste om. ibid.

Primo ergo, quoniam mundus ille perturbari debet homine perturbato, sicut stetit cum stante, et quodammodo cecidit cum labente, et in futuro judicio propter severitatem judicis ostendendam necesse est omnium [p] corda terreri, et peccatorum maxime, qui universorum Dominum contempserunt; ut sic omnis creatura divinum accipiat zelum *(Sap. 5, 18)*, et conformetur auctori, conformetur [q] etiam habitatori, necesse est totius orbis cardines horribilissime commoveri. Et quia nihil intensius et velocius et horribilius in agendo commovet alia elementa, quam ignis hinc inde ex omni parte concurrens; hinc est, quod necesse est, quod ipsius judicis faciem ignis praecedat [4], non ex una parte tantum [r], sed ex omni parte mundi [5], ut sit ibi concursus ignis elementaris et terrestris, ignis purgatorii, et etiam [s] infernalis; ut per infernalem reprobi adurantur, per purgatorium justi purgentur, per terrestrem haec terrae nascentia consumantur, per elementarem elementa subtilientur, et [t] ad innovationis faciem disponantur, et simul cum hoc cetera conturbentur, ut non solum homines et daemones, verum etiam angeli videntes terreantur.

p) Hominum ibid.
q) Et conformetur ibid.
r) Tantum om. ibid.
s) Etiam om. ibid.
t) Et om. ibid.

Rursus, quoniam mundus iste [u] purgari debet cum homine expurgato, et homo in statu finalis temporis indiget purgari a scoria avaritiae et malitiae sicut in primo tempore a faece luxuriae, indiget etiam purgari et velociter et intime et perfecte; hinc est, quod sicut mundus prius deletus est et quodam modo purgatus per elementum aquae *(Gen. 7)*, quod est frigidum contra ardorem et foetorem luxuriae, sic finalis mundus per ignem propter refrigerium caritatis et frigus malitiae et avaritiae, quae regnabunt in fine quasi in ipsius mundi senectute. Quae quia maximae sunt adhaerentiae,

u) Ille ibid.

necesse est, quod purgans sit actionis intimae, violentae et acceleratae, quod non contingit reperiri [v] in elemento alio, quam in igne. Et ideo [x] sicut factum est aquarum inundatione diluvium, sic per actionem ignis mundi hujus sensibilis facies exuretur [6].

v) Reperire ibid.

x) Et om. ibid.

Amplius, quoniam mundus ille innovari debet cum homine innovato, nec innovari potest aliquid in novam formam, nisi perdat vetustam, et quodam modo disponatur dispositione nova superinducta; hinc est, quod cum ignis maxime habeat virtutem expulsivam formae extraneae, habeat etiam vim subtiliativam, et caelesti naturae cognatam; ideo per ipsum debet fieri purgatio simul et innovatio [7], ita quod, cum geminam habeat efficaciam, quantum ad aliquam, judicis adventum praecedit, quantum autem ad reliquam, habet sequi. Et cum innovatio sit ad novitatem, quae amplius non redit ad vetustatem, ac per hoc ad novitatem incorruptibilem, quam dare non est in potentia alicujus creaturae; hinc est, quod licet in illa purgatione et innovatione ignis aliquid agat per naturalem virtutem, ut inflammare, purgare, rarefacere et subtiliare; tamen necesse est, quod cum illa virtute naturali sit virtus operans supra naturam [8], cujus imperio fiet conflagrationis initium, et cujus etiam virtute fiet [y] nihilominus complementum.

y) Fieret ibid.

Postremo, quoniam mundus ille debet consummari homine consummato, et tunc est homo consummatus, quando in gloria completus erit numerus electorum, ad quem quidem statum omnia tendunt, sicut ad finem ultimum et completum; necesse est terram [z], completione illius numeri, terminari, et conquietari [aa] motus naturae caelestis [9]; necesse est etiam terminare transmutationes elementares [bb], necesse est etiam per consequens [cc] terminari generationem, quae est in animalibus et in plantis. Cum enim omnia ista ordinentur ad formam nobilissimam, quae quidem est anima rationalis [10], posito statu in animalibus, necesse est et statum et complementum poni in ceteris praecedentibus [11]. Et ideo corpora caelestia, habita quiete et luminis plenitudine, dicuntur remunerari [12]. Elementa vero, quae amplius non habent vim multiplicandi per transmutationem mutuam, dicuntur interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem et passionem mutuam, et hoc maxime quantum ad qualitates activas [13]. Vegetabilia vero et sensibilia, quia non habent potestatem et vitam perpetuam et durationem sempiternam, qualis competit statui illius nobilitatis, necesse est in propria natura consumi [14]; ita tamen quod solventur in principiis, et quodam modo in simili, videlicet in homine, qui similitudinem habet cum omni genere creaturae; et ideo in ipsius innovatione et glorificatione possunt dici omnia innovari, et quodam modo praemiari.

z) Ita ibid., in cet. facta.

aa) Ita ibid., in cet. quietari.

bb) Elementales ibid.

cc) Per consequens om ibid.

Ad Caput IV.

[1] *„Caeli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in die judicii, et perditionis impiorum hominum ... Adveniet autem dies Domini ut fur; in quo caeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur; terra autem, et quae in ipsa sunt opera, exurentur ... Exspectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent. Novos vero caelos et novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat (2. Petr. 3, 7—13).* — Ad illud, quod dicit beatus Petrus, quod *caeli ardentes solventur*, dicendum quod hoc non est intelligendum de illis, qui sunt incorruptibiles, et non corrumpentur, sed intelligendum est de caelo aëreo et igneo, quos vocat Scriptura caelos, secundum illud: *Volucres caeli comederunt illud (Luc. 8, 5).* Si vero inveniatur, quod *stellae cadent de caelo (Matth. 24, 29)*, intelligitur de caelo aëreo; et stellae vocantur ibi a simili, quia habent similitudinem stellarum, et secundum vulgarem opinionem dicuntur stellae cadere, quoniam et superius descendunt, et Scriptura conformat se modo communi

loquendi. Tunc autem maxime fiet talis impressio, quia ignea qualitas abundabit; et hoc faciet Dominus ad terrorem peccatorum." *4. dist. 47. a. 2. q. 3 ad 1.*

[2] „Figura dicitur tripliciter. Uno modo dispositio ex clausione linearum; et haec praeterit quantum ad terram, quia non omnino est orbicularis. Secundo modo dicitur figura exterior rei facies, sive pulcritudo; et haec transibit, sicut dicitur in Glossa, non substantia, sed pulcritudo. Tertio modo figura dicitur fictio vel fragilitas, a fingo, fingis, ut vasa figuli; et sic etiam pertransibit non substantia, sed dispositio partium, quoad terram, et pulcritudo et fragilitas." *4. dist. 48. a. 2. q. 3.*

[3] „Aliquid, propter quod res est, dicitur dupliciter, scilicet aut ad supplendum indigentiam, sicut domus propter hominem, et calceus propter pedem; aut ad suscipiendum ejus influentiam, sic homo propter Deum. Quod ultimo modo habet rationem finis, nobilius est: quod primo modo, non. Quia enim homo omnibus indiget, angelus nullo, nisi Deo; ideo omnia propter hominem, non omnia propter angelum. In cujus rei signum angelus conditus est in principio, homo vero in die sexto." *2. dist. 1. p. 2. a. 2. q. 2 ad 3.* Cfr. superius *part. II. c. 4. n. 9.*

[4] „Potest dici sicut super illud Malachiae *(3, 3): Purgabit filios Levi,* dicit Glossa: Duos ignes legimus futuros; unum, qui purgabit electos, et praecedet judicium; alterum, qui reprobos cruciabit. Secundum hanc Glossam dicendum est, quod sive dicantur duo ignes quantum ad substantiam, sive duo ratione duorum effectuum, dicendus est futurus ignis in judicio ad electorum purgationem, quia debet uniuscujusque opus probari et purgari in igne, ut totaliter sistantur mundati in conspectu Dei; et hic praecedet faciem judicis, et purgando amicos *inflammabit in circuitu inimicos ejus (Ps. 96, 3).* Est etiam ignis futurus ad purgationem mundi et ejus innovationem, et iste, ut dicit, sequitur judicium, et exuret faciem mundi et purgabit, et deinde reprobos cruciabit." *4. dist. 47. a. 2. q. 4.*

[5] „Sanctorum auctoritati inniti oportet, quia etsi ipsi hoc non aperte determinent, quid sit ille ignis, tamen excellens doctor Augustinus *(de Civ. Dei lib. 20. c. 16)* dicit, quod fiet mundanorum ignium conflagratione, sicut factum est aquarum inundatione diluvium. Ideo huic auctoritati innitendo dico, quod sicut in diluvio non fuerunt novae aquae creatae, sed eaedem illae multiplicatae sunt, et hoc operante adjutorio superiorum corporum, per quae facta est elevatio vaporum; sic etiam credo, quod non solum ignis, qui est in sphaera sua, sed omnes ignes, et qui in terra, et qui super terram, et qui sub terra sunt, concurrent ad illam conflagrationem, sicut videtur velle Augustinus. Et bene concedo, quod virtus superiorum corporum concurret ad ignis multiplicationem et actionem." *4. dist. 47. a. 2. q. 1.*

[6] „Quaeritur, quare fiet purgatio per ignem tantum. Dicendum, quod ratio est ex parte purgationis hominum a peccato, et a parte purgationis mundi. A parte purgationis hominum; quia sicut in principio ardor regnavit concupiscentiae, sic in senectute mundi frigus avaritiae, *refrigescet* enim *caritas multorum (Matth. 24, 12).* Et ideo, quia purgatio fieri debet per contrarium, sicut purgatio ardoris concupiscentiae facta est per aquam, sic purgatio frigoris malitiae et avaritiae fiet per ignem. Alia ratio est ex parte purgationis mundi, quia illa est ad delendum hominem vetustum, et novos homines procreandos; haec autem erit ad totum meliorandum, et in meliorem faciem commutandum. Et quia ignis urit et subtiliat, et aqua non; ideo haec in igne erit, diluvium vero non in igne fuit, sed in aqua." *Ibid. ad 5.*

[7] „Duplex est innovatio, uno modo per abjectionem, alio modo per additionem et meliorationem. Primo modo est in corporibus elementaribus, in quibus purgabuntur qualitates corporales. Secundo modo in corporibus caelestibus, quibus augebitur lumen. Prima innovatio est per operationem ignis, qui abjicit et purgat; secunda sine." *4. dist. 47. a. 2. q. 3 ad 3.*

[8] Ponendum est, quod est loqui de ignium conflagratione quantum ad inchoationem, progressum et consummationem. Quantum ad inchoationem, dicendum quod a virtute supra naturam est. Quod enim ignis sic agat novo et insolito modo cetera consumendo, et sic se multiplicando, hoc non esset, nisi aliqua virtus nova assisteret; quae autem sit illa, Dominus novit. Quantum autem ad progressum, qui est purgare, urere, subtiliare, dicendum quod est a virtute naturali. Quantum autem ad consummationem, ut purgata sint incorruptibilia, sed eorum ipsorum qualitates mutare; hoc est supra naturam." *4. dist. 47. a. 2. q. 2.*

[9] „Corpora caelestia post judicium quiescent, et in eo ordine, in quo creata sunt, stabunt." — „Sicut dicit Isidorus, et habetur in litera, sol et luna post judicium non tendent ad occasum, sed stabunt in ordine suo *(Habac. 3, 11),* in quo creati sunt. Ad intelligentiam autem objectorum notandum, quod in motu est duplicem finem considerare, scilicet finem intra, et iste dicitur terminus, sive consummatio; et finem extra, et iste est terminus intra, sed quies in loco est finis, qui est terminus intentionis; ut, verbi gratia, cum lapis desursum ad terram descendit, locus terrae est finis, qui est terminus intentionis. Dico ergo quod quidam motus sunt, qui naturaliter habent utrumque finem, ut sunt motus recti; quidam vero motus sunt, qui habent alterum per naturam, ut puta finem intentionis, alterum vero habent solum ratione ipsius principii moventis, ut est motus circularis ipsius rotae, quae volvitur ad acuendum cultellum. Quod enim rota quiescat modo vel post, non est determinatum, quia semper posset moveri, si esset, qui posset et vellet movere; sed quando cultellus factus est acutus, cum motus ille ordinaretur ad hoc, necesse fuit quietari, vel frustra fieri. Quoniam igitur motus corporum supercaelestium ordinatur ad complendum numerum electorum, et illum necesse est compleri; ideo et motum terminari, quamvis per naturam non habeat terminum intra se." *4. dist. 48. a. 2. q. 2.*

[10] „Cum omnes creaturae factae sint propter Deum, juxta illud: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus (Prov. 16, 4),* sola creatura rationalis facta est ad fruendum Deo, et ut beatificetur in ipso, quae sola est ad imaginem. Aliae vero creaturae, quae solum tenent rationem vestigii, factae sunt vel ad manifestationem divinae bonitatis, vel ad obsequium creaturae rationalis. Manifestatio autem divini exemplaris et bonitatis Dei est in productione universi, quod est quoddam exemplatum complete repraesentans illud exemplar; et propter repraesentationis completionem, completam debet habere et perpetuam durationem. Universum autem dupliciter habet

esse, videlicet decurrens et permanens. Esse decurrens non potest esse perpetuum, quia necesse est quod aliquando sit quietum; esse vero permanens est perpetuum. Illae igitur partes, quae respiciunt universum quantum ad esse permanens, sicut sunt orbes caelorum et elementorum, perpetuitatem habent. Illae vero, quae respiciunt quantum ad esse decurrens, utpote quae consistunt in generatione et corruptione, qualia sunt mineralia, plantae et animalia bruta, non debent habere esse perpetuum, sed terminatum, quae quasi quodam transitu suo et quadam inveteratione et innovatione, morte et vivificatione, decorant universum ... Est et alia ratio sumpta a fine non principali, in quantum scilicet creaturae, in quibus est sola ratio vestigii, factae sunt propter creaturam rationalem, scilicet hominem. Quaedam enim factae sunt propter hominem, secundum omnem statum, sive viae, sive patriae, quaedam solum secundum statum viae, et quaedam solum secundum statum patriae. Et illa, quae facta sunt propter hominem secundum omnem statum, sive viae, sive patriae, cum status patriae sit perpetuus, debent esse perpetua: et talia sunt, quae integrant hominis habitaculum, sicut caelum et quatuor elementa. Illa vero, quae facta sunt propter hominem secundum statum viae, cum ille status sit pertransitorius, et habeat finem, debent esse corruptibilia: talia autem sunt animalia bruta, quae facta sunt ad supplendam corporis indigentiam secundum eum statum, in quo indiget cibis et alimoniis." *2. dist. 19. a. 1. q. 2.*

[11] Vide superius *part. II. cap. 4. n. 9.*

[12] „Tripliciter est aliquid remunerabile. Primo modo, quod est aptum natum mereri; et hoc est liberum arbitrium. Alio modo, quod est ipsi merenti conjunctum, ut corpus humanum. Tertio modo, quod est ad ipsum ordinatum sicut ad obsequium. Secundum hoc praemiatur homo aliquando in seipso, aliquando in corpore, aliquando in eis, quae sunt sibi utilia. Sic etiam praemiatur in seipso, in corpore suo, et etiam in ipso mundo, qui ejus est habitaculum. Unde dico, quod corpora supercaelestia praemiari non est aliud, quam hominem praemiari in illis, quia Dominus totum mundum hominis amore faciet pulchriorem. Et ideo quia propter hominem praemiantur corpora supercaelestia, secundum eam proprietatem praemiantur, secundum quam sunt consona corporibus gloriosis. Haec autem est lux, et ideo in luce et splendore augebuntur et crescent." *4. dist. 48. a. 2. q. 1.*

[13] „Ubi est innovatio, substantia remanet eadem, sed sub aliis proprietatibus. Ideo dicendum, quod omnia elementa secundum substantiam remanebunt, sed quantum ad qualitates innovabuntur ... Omnes res, quantum est de se, appetunt esse perpetuum et divinum; sed quaedam formae sunt, quae appetunt continuare esse per multiplicationem sui in altero, ut puta sunt formae accidentales, et substantiales activae. Quaedam autem appetunt continuare esse suum per continuam adhaerentiam cum materia, ut sunt formae et qualitates passivae. Quia igitur post judicium auferetur ab elementis omnis ratio multiplicandi se, et dabitur virtus continuandi se in se, quia erunt incorruptibilia; hinc est, quod elementa, quae habent qualitates activas, dicuntur totaliter absumi, quia omnino auferetur ab eis ratio agendi, et se multiplicandi. Alia vero dicuntur in meliorem faciem restitui, quia appetitus continuandi in se esse, qui modo est in eis secundum esse imperfectum, complebitur et perficietur. Manebunt ergo qualitates omnium elementorum quantum ad substantiam, sed quantum ad rationem corruptionis innovabuntur: similiter et formae substantiales. Et haec opinio est probabilior." *4. dist. 48. a. 2. q. 3.*

[14] „Plantae et animalia non innovabuntur, propterea quia ultima eorum perfectio est corruptibilis per naturam, et ortum et radicem habet a materia, unde non sunt idonea ad vivendum, sive durandum aeternaliter; formae autem corporum supercaelestium sunt incorruptibiles omnino. Similiter formae elementorum incorruptibiles sunt secundum totum, et secundum partem, quantum est in se, quia sunt corpora simplicia. Unde quod corrumpantur, hoc est per actionem venientem ab extrinseco; et ideo, remota illa actione, remanent incorruptibiles. Ex hoc patet, quod plantae et animalia non sunt ad ornatum terrae, sed ad hominis obsequium, nec ad Dei laudem, nec ad universi perfectionem, nisi secundum statum eum, qui est corruptibilis et variabilis; et ideo non oportet innovari. Unde terra non habebit illum ornatum, nec oportet quod multiformis sit, imo ipsa uniformitas erit ei in ornatum." *4. dist. 48. a. 2. q. 4.*

CAPUT V.

De concomitantibus judicium, sicut est resurrectio corporum [a].

a) De resurrectione corporum ed. 1484.

(Omnia corpora humana resurgent, — eadem numero, — tempore simul, — dissimili conditione. — In bonis resurgent, vitiis detractis: — in omnibus immortalia, — ex omnibus partibus constantia, — per divinam virtutem.)

De resurrectione autem corporum hoc tenendum est, quod omnium corpora hominum in generali resurrectione resurgent [1], nulla in eis existente distantia, quantum ad ordinationem temporis, sed magis quantum ad ordinationem dignitatis. Nam mali surgent cum suis deformitatibus et poenalitatibus, miseriis et defectibus, quos habuerant in statu viae. In bonis autem natura servabitur, et vitia detrahentur, et omnes resurgent integro corpore et plena aetate et debita mensura membrorum; ut sic omnes

Sancti occurrant *in virum. perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi (Ephes. 4, 13).* Surgent autem [b] tam in bonis quam in malis corpora eadem numero, quae prius, et ex eisdem partibus constituta, salva totius veritate naturae, non solum quantum ad membra principalia, et humiditatem radicalem, verum etiam salvis capillis et ceteris membris, quae faciunt ad decentiam corporis, ita quod in quascumque auras vel sinus naturae pulvis humani corporis cedat [2], ad eam animam redibit, quae ipsum primitus, ut viveret et cresceret, animavit (I).

b) Vero ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, eo ipso quod primum et summum, est universalissimum et sufficientissimum, ac per hoc principium est naturarum, gratiarum et praemiorum, principium etiam potentissimum, clementissimum et justissimum; et licet secundum quamdam appropriationem sit potentissimum in constitutione naturarum, et clementissimum in collatione gratiarum, et justissimum in retributione stipendiorum; tamen singillatim singula sunt in singulis, quia summa potentia, clementia et justitia nullatenus possunt ab invicem separari; et ideo in opere retributionis necesse est, quod ipsa fiat secundum quod exigit rectitudo justitiae et reformatio gratiae et completio naturae [3]. Quoniam ergo justitia necessario inquirit, ut homo, qui meruit vel demeruit non in anima solum, nec in corpore solum, sed in anima simul et corpore, puniatur vel praemietur in utroque; reformatio autem gratiae requirit, ut totum corpus assimiletur Christo capiti [4], cujus corpus mortuum necessarium fuit resurgere, cum unitum esset inseparabiliter deitati; completio vero naturae requirit, ut homo constet simul ex corpore et anima, tanquam ex materia et forma, quae mutuum habent appetitum et inclinationem mutuam [5]; necesse est resurrectionem esse futuram, exigente hoc [c] constitutione naturae, infusione gratiae et retributione justitiae [6], secundum quas [d] tota universitas habet regi. Et ideo ex his tribus omnia clamant hominem suscitandum [e], ut omnis tollatur excusatio illis, qui contra hanc veritatem fidei obsurdescunt, et merito contra tales universus *pugnet orbis terrarum (Sap. 5, 21).*

c) Ita ibid. et editt. Arg. Aug. Ven. hac ed. Rom.

d) Quod ed. 1484.

e) Resuscitandum ibid.

Primo igitur, quoniam resurrectio debet esse secundum exigentiam ordinis divinae justitiae, et divina justitia reddit unicuique quod suum est, pro loco et tempore [7], et omnis anima corpori semel et ad punctum temporis unita, vel habet in eo culpam, vel gratiam [8]; necesse est, quod omnes resurgant [9]. Et quia distinctus debet esse status retributionis a statu viae, et [f] resurrectio spectat ad statum retributionis, ut non confundatur ordo universi, et ut fides habeat meritum, quae credit quod non videt, et ut certius et clarius appareat aequitas divinae justitiae, et ut simul fiat consummatio et retributio finalis in angelis et hominibus; requirit hoc divina justitia, ut omnes resurgant simul [10], quantum est de lege communi. Quod dico propter Christum et ejus bea-

f) Et om. ibid.

(I) Duplici ex principio dogma resurrectionis impugnatum fuit. Nonnulli enim animae immortalitatem inficiantes, resurrectionem corporum rejicere coacti sunt. Inter eos veniunt Sadducaei, ut constat ex sacris litteris *Matth. 22, 23* et *Act. 23, 8;* et Apollinaristae, autumantes animas humanas una cum corpore et generari et interire. Quidam e contra statuentes animas a principio bono, corpora vero a malo produci, arbitrati sunt animam minime suam perfectionem posse adipisci, nisi a corpore sit separata. Ita Marcionitae, Manichaei, Priscillianistae et Albigenses. Sed contra in Symbolo Nicaeno-CPtano tenemur profiteri „carnis resurrectionem". Et Conc. Lateran. IV cap. 1 definivit: „Omnes, tam reprobi quam electi, cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant."

tissimam [g] Matrem gloriosam Virginem Mariam*). Quia vero malis debetur poena et miseria, et bonis gloria; ideo etsi simul resurgant in tempore, valde tamen dissimiles erunt in conditione *(1. Cor. 15, 51)*. Nam quia malis resurrectio non est ad vitam, sed ad supplicium, necesse est, quod ipsi cum infirmitatibus et deformitatibus et defectibus suscitentur [11].

g) Sanctissimam ibid.

Rursus, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam consummationis gratiae, et perfecta gratia facit nos conformes Christo capiti nostro, in quo nullus fuit defectus membrorum, sed perfecta aetas et statura debita et effigies formosa; opportunum est, quod boni suscitentur in optimis conditionibus, ac per hoc necesse est, quod in eis vitia detrahantur [12], et natura servetur [13]. Opportunum etiam est, ut si aliquod membrum deerat, suppleatur; si aliqua erat superfluitas, auferatur; si aliqua membrorum deordinatio, corrigatur; si parvulus erat, ad quantitatem aetatis Christi, quam habebat in resurrectione, licet non in [h] mole, divina virtute deducatur; si decrepitus, ad eamdem aetatem reducatur [14]; si gigas, si [i] nanus, ad mensuram congruam limitetur [15]; ut sic omnes integri et perfecti occurrant *in virum perfectum* [16], *in mensuram aetatis plenitudinis Christi (Ephes. 4, 13)*.

h) In om. ibid.

i) Vel ibid.

Postremo, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam perfectionis naturae, et [j] natura spiritus rationalis exigit, quod vivificet corpus proprium, quia proprius actus in propria materia habet fieri [17]; necesse est, quod idem corpus numero resurgat, alioquin non esset resurrectio vera [18]. Requirit etiam [k] natura animae rationalis et immortalis, quod sicut habet esse perpetuum, sic corpus habeat, cui perpetuo influat vitam; ac per hoc corpus, quod animae unitur, ex ipsa unione ordinationem habeat [l] ad incorruptionem perpetuam; ita tamen quod illud, in quo consistit substantia totius corporis, sicut sunt membra principalia [19], et etiam humiditas radicalis [20] et caro secundum speciem [21], habeat ordinationem necessariam [22], alia vero, scilicet caro secundum materiam et partes, quae sunt de bene esse corporis [23], habeant ordinationem de congruo [24]; et ideo primae partes sunt ordinatae ad resurrectionem secundum ordinem necessitatis [25], aliae vero omnes secundum ordinem congruitatis [26]. Quem quidem ordinem, quia Deus impressit naturae, et natura non potest perficere, quia non potest mortuum suscitare, et ipsa divina providentia nihil debuit facere frustra; necesse est, quod ipsius virtute reparetur corpus idem numero, et immortale [27], et ex omnibus partibus constitutum, et [m] salva tota veritate humanae naturae [28]. Cum autem haec [n] natura non habeat in potestate, sed solum in appetitu, quia nec idem corpus numero destructum reparare potest, cum non possit in totam rei substantiam, nec corpus immortale possit efficere, cum omne per naturam generabile sit corruptibile, nec dispersa colligere potest [o]; necesse

j) Et om. ibid.

k) Et ibid.

l) Ita ibid.; in cet. editt. habet.

m) Etiam ibid.

n) Hoc editt. Arg. Aug. haec ed. Rom. et 1484.

o) Potest om. ed. 1484.

*) Beatissimae Virginis assumptionem, seu gloriosam ejus animae et corporis e morte suscitati ad caelum translationem, hîc loci S. Doctor obiter quidem, at non minus clare innuit. Incertum est, quot diebus virgineum corpus in sepulchro jacuerit, quum nonnnulli opinentur post triduum, alii eodem die, quo decessit, ipsum revixisse; nec desint qui quindecim, imo etiam quadraginta dies in sepulchro jacuisse affirment. Verum quidquid de hoc sentire placuerit, quamquam Deiparae assumptio, ut ait Benedictus XIV *de Canoniz. Sanct. l. 1. c. 42. n. 15*, „nondum inter fidei articulos creditu necessarios relata est;“ qui eam negaverit, temeritatis summae esset notandus, et vehementem de haeresi suspicionem praeberet. Licet enim catholicae fidei directe non adversaretur, posset tamen saltem praesumi eum falso judicare Beatae Virginis venerationem per errorem ab universali Ecclesia proponi. Ceterum, quemadmodum citatus Pontifex ibidem animadvertit, B. Virginis dignitas, qua ut Dei Mater ceteris antecellit, excellens ejus virginitas ac insignis sanctitas, qua omnibus et angelis et hominibus praestat, intima cum Jesu Christo Filio suo conjunctio, summusque Filii sui in sanctissimam Matrem suam amor, haec omnia totidem sunt theologicae rationes, quibus satis ostenditur, singulari resurrectionis privilegio Mariam Virginem esse auctam, atque in caelum anima et corpore assumptam.

est, quod resurrectio non seminalibus, nec naturalibus causis[29], sed primordialibus attribuatur[30], ut fiat secundum cursum mirabilem[31] et supernaturalem, et secundum divinae imperium voluntatis[32].

Ad Caput V.

[1] „Nunc *jussus*, nunc *vox archangeli*, nunc *tuba* vocatur *(1. Thess. 4, 15)* illud, per quod fit resurrectio ... Vox Christi secundum diversas proprietates ista tria sortitur nomina. Vox enim Christi erit virtuosa; et ideo dicitur *jussus*, quia praeceptum; dicet enim, et fiet. Erit authentica; et ideo dicitur *vox archangeli*, id est, principis. Et erit nihilominus severa; et ideo *vox tubae* dicitur. Et sic idem multiplici vocabulo exprimitur ad insinuandam illius vocis proprietatem multiplicem, et dignitatem.“ *4. dist. 43. dub. 2.* — „Si mortui audiunt vocem, aut antequam resurgant, aut post. Si ante, ergo ante audiunt, quam vivant. Si post, ergo vox non erit causa resurrectionis.“ — „Dicendum quod simul tempore, tamen prius naturâ resurgunt, quam audiunt; unde vocis auditus non resuscitat; sed virtus vocem concomitans. In evigilatione autem corporali dicendum, quod auditus vocis excitat; sed in auditu sunt duo, scilicet receptio speciei et organi, et judicium de re recepta: quantum ad receptionem auditus vocis praecedit excitationem, sed quantum ad judicium sequitur.“ *Ibid. a. 1. q. 6 ad 5.*

[2] „Nota de pulveribus tres opiniones. Quidam enim dicunt, quod habent appetitum et naturalem operationem ad incorruptionem propter animam, et ratione illius habent, quod non possunt resolvi usque ad elementa; tamen possunt esse materia quorumlibet corporum aliorum. Sed istud non capio, quod in corpus vermis possit reverti homo, vel in corpus lupi, et non resolvi in elementa. Imo verba Glossae super illud Psalmi *(78, 2): Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae;* videtur dicere, quod resurrectio est ex occultissimis naturae sinibus. Verbum etiam Augustini *(Enchir. c. 88)* repugnat, quod innuit, quod in ipsa etiam elementa possunt resolvi. Alia opinio est, quod resolvuntur in elementa, et tamen manet appetitus propter hoc, quod elementa illa, ut fuerunt corporis humani materia, habuerunt multum de natura lucis, quae stat cum omnibus elementis; et ratione illius naturae habent appetitum et ordinationem. Sed nec hoc intelligo, quomodo lux maneat simul cum terra, et quod terra, quae est materia corporis humani, magis sit lucida, et quod vermis, qui generatur de humano corpore, plus habeat de natura lucis quam alius vermis. Tertia opinio est, quod pulveres resolvuntur, vel resolvi possunt in elementa, nec elementa illa habent aliquem appetitum, nec ordinationem ad corpus secundum naturam, sed solum secundum divinam providentiam, quae disponit illud idem corpus reformare vel reunire animae, ut in eo remuneretur: nec est distincta illa pars ab aliis partibus elementi in se, sed in comparatione ad divinam sapientiam, quam nihil latet, nihil subterfugit. Et haec opinio probabilior est, ut credo. Et tunc patet responsio ad illud, quod nunquam corpus ex unione ad animam aliquam recipit qualitatem creatam, vel dispositionem incorruptibilitatis secundum statum praesentem, nisi forte dicas meritum vel demeritum, sed illud manet in anima, non in corpore; aut si quam aliam des dispositionem, aut post corruptionem et resolutionem non manet, aut in potentia valde remota manet. Hoc tamen sine calumnia verum est, quod corpus, ex quo unitur animae rationali, ordinationem statim habet ad immortalitatem, secundum divinam providentiam. Et si tu quaeras, quomodo anima habet appetitum ad hanc partem elementi, cum sit omnino homogeneum et unius naturae cum aliis partibus elementi, nec etiam distinctionem habeat (quia potest omnino aliis commisceri) et iterum aeque bene possit ei corpus ex alia parte elementi reparari, et ejusdem complexionis et habitudinis et complementi; dicendum quod, quantumcumque fiat simile, et commisceatur aliis elementis, sive uni, sive pluribus, semper tamen manet substantia materiae cum ratione seminali, et pars substantiae illius materiae; et si non sit actu separata ab aliis partibus, quibus est commixta, est tamen separabilis; et quamvis non sit separabilis, nec distinguibilis secundum humanam potentiam, est tamen separabilis et distinguibilis secundum potentiam et sapientiam divinam, quae novit in quid redierit corpus humanum, quocumque et quibuscumque mutationibus et conversionibus sit mutatum; et sic per illius sapientiae discretionem et potentiae operationem illud per easdem formas, per quas disponebatur, ad formam animae postmodum disponitur. Et si tu quaeras, quare anima appetat magis illud quam aliud, cum nulla sit praeelectio propter uniformitatem, dicendum quod magis appetit propter colligantiam et conjunctionem, quam habuit ad illud. Et hoc patet sic. Anima enim rationalis, quia est anima, differt ab angelo, et convenit cum aliis animabus, et per hoc habet inclinationem ad corpus; quia rationalis, ad corpus humanum; quia nobilis, ad corpus organizatum; sed ad hoc magis quam ad aliud propter conjunctionem, quam habuit ad illud. Exemplum est, si quis velit contrahere cum duabus virginibus existentibus aeque pulchris et bonis, paribus conditionibus ceteris, hic erit indifferens respectu utriusque. Sed esto, quod conjungatur alteri, ipsa conjunctio eum alligavit adeo isti, si fuit ex amore, ut jam non consoletur habere aliam, nec daret hanc pro alia pulchriori et meliori. Sic anima tanto affectu unitur substantiae carnis, quam prius vivificabat, quod non complete ei satisfit, nisi illa eidem, ubicumque lateat, uniatur. Et sic patet, quod anima habet ordinationem et appetitum, per quem ordinatur ad illud corpus, quantumcumque aliis conformetur; sed corpus habet ordinationem ratione divinae providentiae. Quod autem habeat per aliud, quod sit in se, ex quo plene resolutum est, non audeo asserere, propter hoc quia nec ratio, nec auctoritas, nec fides compellit. Attamen quia potest esse, quod Deus dedit, non audeo pertinaciter negare; ideo

certum tenentes, incertum profundioribus relinquamus. Nam esto, quod non sit in pulveribus appetitus, et quod fiat resolutio usque ad ultima, non perit tamen aliquid, quod ad resurrectionem spectet, propter hoc, quia, sicut dicit Augustinus *(Ench. c. 88):* Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro. Sed in quemcumque pulverem cineremve vertatur, in quoslibet alitus aurasve diffugiat, vel in ipsa elementa vertatur, in quemcumque cibum etc., illi animae etiam in puncto temporis redditur, quod ipsa primitus animavit." *4. dist. 43. a. 1. q. 5 ad 6.*

[3] „Sicut per Verbum carnem factum fit judicium ad adorandam humanitatem Christi, in qua fuit judicatus; ita ad vocem ipsius fit resurrectio ad honorem illius humanitatis, in qua fuit mortuus. Et ideo dicit Augustinus *(in Jo. tr. 23),* quod per Verbum fit suscitatio animarum, per Verbum carnem factum fit suscitatio corporum." *4. dist. 43. dub. 1.*

[4] „In Christo est assignare nostrae resurrectionis duplicem causam, scilicet efficientem et exemplarem. Efficientem autem dupliciter est assignare, aut sicut primum principium, aut sicut instrumentum. Efficiens sicut primum principium est Christus secundum divinitatem, et tota Trinitas. Efficiens sicut instrumentum est vox Christi, ad cujus prolationem et vocationem mortui resurgent. Similiter causa exemplaris duplex est. Una, in qua res cognoscitur et disponitur; et sic est Dei Filius secundum divinam naturam, et tota Trinitas. Alio modo, in quo res inchoatur et exemplificatur; et sic est resurrectio Christi, quia, ut dicit Augustinus *(de Civ. Dei l. 10. c. 20):* Talia erunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione demonstravit. Unde est quasi exemplum, in quo nostra resurrectio est inchoata, tanquam membrorum in capite, sicut dicitur *(Ephes. 2, 5): Convivificavit nos Christo, et resuscitavit etc.*" *4. dist. 43. a. 1. q. 6.*

[5] „Est instrumentum, quod est separatum, et est instrumentum, sive organum, unitum non tantum ad aliquam operationem faciendam, sed ad unam formam constituendam: et hoc perficitur et convenit cum motore in unitate formae totius, et operationis per consequens; et sine tali nunquam habet motor perfecte compleri propter colligantiam ad illud." *4. dist. 43. a. 1. q. 1 ad 3.*

[6] „In resurrectione . . . per summam pietatem, qua *(Deus)* omnia creavit, omnia restaurabit; per summam veritatem omnia judicabit; per summam benignitatem omnia glorificabit." *Serm. 9. in Hexaëm. in fine.*

[7] „Veritas respicit unamquamque rem secundum se, sed justitia respicit unam rem comparatam ad alteram, secundum quod per leges debitas colligatur una alteri." *1. dist. 42. dub. 1.*

[8] „Ad illud, quod objicitur de parvulis, dicendum quod, etsi anima non exierit in actum, tamen originale traxit in corpore, et per corpus; et ideo illi uniri debet, ut sicut ex conjunctione ad corpus peccavit, ita simul cum illo mulctetur poena damni. Amplius, remuneratio non est tota ratio, quare fiat resurrectio, sed divinae ordinationis decretum, quae conjungendo animam immortalem corpori, per hoc decrevit illud corpus perpetuo vivificari. Si ergo divinum decretum non potest infringi, necesse est illud corpus animae rejungi, ut sicut corpus separatum est ab anima propter divinam sententiam, quae respiciebat culpam; ita rejungatur animae propter divinam dispositionem, quae sic decreverat constituere humanam substantiam. Ratione cujus decreti corpus humanum dicitur ordinari, et possibilitatem habere ad incorruptionem, quamvis in sui natura nihil habeat plus de incorruptibilitate, quam alia corpora mixta. Secundum statum praesentem loquor." *4. dist. 43. a. 1. q. 2 ad 5.*

[9] „Recta fides dicit resurrectionem corporum nostrorum esse futuram, et ad hoc credendum adjuvatur per fidem resurrectionis Christi jam factae. Si ergo Christus est caput, et membra debent conformari capiti, cum Christus resurrexit, consequens est, ut et nos resurgamus. Ut autem credat fidelis resurrectionem Christi, persuasum est sibi per multa testimonia Apostolorum, qui etiam per multa sunt argumenta certificati. Persuadet etiam ipsa pietas fidei, quae nullo modo corpus Christi incineratum potest excogitare. Super hoc fidei fundamentum superaedificatur persuasio rationis, quia quod resurrectio sit futura, exigit remuneratio divinae justitiae, quae homini retribuit, sicut et meruit. Secundo confirmatio gloriae, quae omnem animae appetitum complebit, vel quietabit. Tertio perfectio naturae, quae consistit in toto composito, non in altera ejus parte; et hae sunt rationes supra fidem fundatae." *4. dist. 43. a. 1. q. 1.*

[10] „Resurrectio corporum non erit successiva, sed simul; et hujus possunt esse rationes congruentes sex. Prima est severitas divini judicii, quod inflixit poenam incinerationis corpori usque ad adventum secundum Filii Dei, sicut poenam carentiae visionis usque ad adventum primum. Et ratio hujus est, quia omnes simul fuimus in uno principio peccante. Secunda ratio est meritum fidei, quae multum meretur in credendo nos remunerari, qui videmur similes bestiis in moriendo; quod si illud per experimentum homo videret, non haberet meritum, quia humana ratio sibi praeberet experimentum. Tertia ratio est unitas corporis mystici, quia enim omnes unum corpus sumus in Christo, ideo necesse est, quod quantum ad aliquam gloriam resurgamus simul. Sed non quantum ad gloriam animae, quia ibi esset maximum damnum, et quasi improportionabile; ergo quantum ad gloriam corporis. Quarta ratio est subsidium infirmitatis nostrae, quia Sancti, dum sua desiderant corpora, vehementius etiam desiderant salutem nostram; unde Apostolus dicit *(Hebr. 11, 40): Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur.* Quinta ratio est manifestatio divinae justitiae, quia enim omnibus debet esse notum quanta justitia damnet malos et salvet bonos; ideo ultimam distributionem, vel retributionem distulit usque ad novissimum, ut omnes compararent. Sexta et ultima ratio est consummatio gloriae, quia enim angeli adhuc sunt viatores quantum ad administrationem, quamdiu homines vivunt, et gaudium semper crescit secundum multitudinem electorum, non debuit perfecte gloria consummari in aliquo singulariter, donec consummaretur in omnibus simul." *4. dist. 43. a. 1. q. 3.*

[11] „Augustinus in Enchiridion istam quaestionem dimittit insolutam, quasi non sit magnae utilitatis, attamen cum assignat rationem, quare circa hoc non debeat laborari, determinationem quaestionis nobis innuit. Dum enim dicit, quod non debet nos molestare inquisitio circa pul-

critudinem, ubi est certitudo circa damnationem; si enim ad hoc resurgunt, ut damnentur, non ut melioris, sed pejoris sint conditionis, manifeste apparet, quod non dabitur eis pulcritudo, quam non habuerunt, nec auferetur deformitas, quam habuerunt. Unde Deus quantum ad eos est purus reformator, quia secundum eamdem formam reformat, quam eis natura dedit in generatione primaria. In qua reformatione apparet Dei sapientia et justitia. Sapientia, quia scit omnino eodem modo reparare, sicut ante fecit. Justitia, ut sicut qui meruit in corpore pulchro, remuneratur in ejus pulcritudine; sic qui in turpi peccavit, in ejus turpitudine cruciari debet, nec debet auferri, sed potius firmari ... Ad illud, quod objicitur, quod producens effectum deformem est deformator, dicendum quod effectus deformiter productus potest dupliciter considerari, aut absolute, aut in comparatione. Si absolute, verum est: si autem in comparatione ad meritum, aut ad praecedentem statum, non est verum. Et quoniam effectus competit meritis damnatorum, competit nihilominus statui praeterito; ideo talis reparatio non est deformatio, sed reformatio et confirmatio debet dici. Et est exemplum in artifice, qui picturam diaboli facit turpem. Ipse enim non dicitur reformator, sed conformator, quia conformem statui diabolicó picturam facit, quamvis in se pictura sit deformis. Sic etiam in proposito intelligendum." *4. dist. 44. p. 1. a. 3. q. 2. concl. et ad 2.*

[12] „Deformitates quaedam sunt qualitativae, sicut illae, quae veniunt ex malo et inordinato situ membrorum. Quaedam sunt quantitativae, sicut quando quis habet nimis magnum caput, vel nimis magna membra, ita quod aliis sunt improportionalia, vel habet gibbositates, vel talia, in quibus est aliquid de carnis substantia. Si de primis loquamur, quia non sunt de veritate humanae naturae, imo per errorem omnino contingunt, dicendum quod in electis nullo modo resurgent. Si de secundis loquamur, quia aliquid est ibi substantiae, aliquid vitiositatis, quod est substantiae, resurget, quod est vitiositatis, auferetur; hoc est dicere, quod illius membri materia per alia membra diffundetur quantum ad superfluitatem, ita quod non aliquid peribit, et tamen totum per omnia reducetur ad proportionem. Et sic patet, quod in electis nulla resurget deformitas; resurget tamen alicujus deformitatis materia ... Ad illud, quod objicitur de cicatricibus, dicendum quod cicatrices non resurgunt, aut si resurgunt, ita facient ad decorem et gloriam animae, quod non minuent pulcritudinem corporis, quia frequenter talia signa reddunt corpus magis decorum." *4. dist. 44. p. 1. a. 3. q. 1. concl. et ad 4.*

[13] „Nomine humanae naturae aliquando intelliguntur principia constituentia hominem; aliquando intelligitur forma hominis completiva, quae dat ipsi supposito complementum et operationem debitam illi speciei, secundum illud, quod dicit Boëtius *(de duab. nat. etc. c. 1):* Natura est unamquamque rem informans specifica differentia." *3. dist. 22. a. 1. q. 1. ad 3.* — „Non omne, quod inest homini a principio suae nativitatis, naturale est, nisi extendatur hoc nomen naturale, multa enim bona gratis data concreantur, et dantur cum natura." *2. dist. 19. a. 3. q. 1 ad 1.* — „Naturalia sunt illa, quae sunt eadem apud omnes; et naturalia comitantur naturam inseparabiliter." *2. dist. 39. a. 1. q. 2. obj. 6.*

[14] „Aetas resurgentium dupliciter potest intelligi, aut per comparationem ad principium durationis; sic assignatur nobis nunc secundum comparationem ab initio nostri esse; et sic non computatur aetas in resurgentibus, quia transierunt omnem aetatem, et extra statum talem sunt. Alio modo aetas attenditur secundum dispositionem et valetudinem corporis; et sic accipitur aetas juvenilis, omnes enim tales et tanti resurgent in corpore, quales fuissent in aetate juvenili: et ita aetas non nominat durationem, sed corporis dispositionem; sic enim Deus tunc creat hominem in eo habitu et statu in aetate virili, non ratione computationis temporis, sed habitudinis corporis." *4. dist. 44. p. 1. dub. 1.*

[15] „Statim ex quo corpus humanum generatum est, statutum est quantum debet esse mole, licet nos non percipiamus, quia jam est ibi totum esse: et hoc est esse in quantitate virtutis, quae distinguitur contra quantitatem molis, et hoc est esse secundum potentiam virtutis augmentativae. Quantum ergo natura potest istum augmentare, qui nunc parvulus est, tantus debet esse ratione, et tantus erit mole, nisi impediatur per occasionem ... Ideo oportet tunc detrahi, vel addi, non ad naturae mutationem, sed potius ad vitiositatis ablationem." *Ibid. dub. 3.*

[16] „Sicut dicit Augustinus *(de Civ. Dei l. 2. cap. 19).* aliqui voluerunt dicere, quod sexus femineus non resurget propter praedictam auctoritatem Apostoli, *donec occurramus omnes in virum perfectum.* Sed, sicut ipse dicit, ibi dicitur vir non a sexu, sed a virtute, non corporis, sed mentis, per quem modum mulier facta vir est, secundum quem modum dicitur in Psalmo *(1, 1): Beatus vir, qui non abiit in consilio etc.,* quod intelligi etiam potest de muliere. Et ideo auctoritas ista non negat resurrectionem mulierum, sicut manifesta ratio confirmat. Quoniam enim sexus femineus est a Deo formatus, qui formavit virilem, quod patet, quia sine ipso non esset perfectio speciei, et in corporibus nostris natura servabitur, et vitia detrahentur; sicut viri resurgent cum sexu virili, non propter generationem, sed propter perfectionem et decorem quantum ad electos, sic feminae in sexu femineo, quia tunc a membris illis dedecus et inhonestas per omnia auferetur, et quod excitabat ad libidinem, excitabit ad Dei laudem." *Ibid. dub. 2.*

[17] „Propria forma non est nata fieri nisi in propria materia; ergo cum anima sit propria forma corporis, quod perficit, non est nata uniri nisi illi; ergo si unitur in resurrectione, unitur eidem; et si hoc, cum ipsa sit eadem, totum erit idem." *4. dist. 43. a. 1. q. 4. fund. 4.*

[18] „Si quaeras a me, quo modo hoc esse possit, dico, quod hoc potest esse per virtutem divinam, quamvis non possit esse per naturam. Et istud intelligere possumus sic. Supponamus nunc, quod natura aliquid agat, et illud non agit ex nihilo; et cum agat in materiam, oportet, quod producat formam; et cum materia non sit pars formae, nec forma fiat pars materiae, necesse est aliquo modo formas naturales esse in materia, antequam producantur; et substantia materiae praegnans est omnibus; ergo rationes seminales omnium formarum sunt in ipsa. Sed ad illud stat resolutio, a quo incipit generatio; ergo nulla forma omnino corrumpitur, sed manet in materia post corruptionem, sicut manebat, antequam produceretur; et

sic dicit Augustinus *(l. 3. de Trin. c. 8)*. Unde formas in materia ante productionem dicit esse quantum ad rationes seminales. Dicit etiam resolvi ad materiam, sicut ad occultissimos sinus naturae, idem utroque nomine secundum alteram et alteram rationem intelligi volens. Quid autem haec sint, alibi melius patet ... Nunc autem haec dixisse sufficiat, quod omnes formae, cum corrumpuntur, non omnino corrumpuntur, sed manent aliquo modo: et huic concordat ratio, et auctoritas Philosophi, et auctoritas beati Augustini, et quod majus est, auctoritas sacrae Scripturae, quae est auctoritas Spiritus sancti. Hoc praesupposito, dicendum quod, quamvis forma sit ibi aliquo modo post corruptionem, tamen natura non potest producere ad idem esse, quod habuit prius. Et ratio hujus est, quia agens naturale influendo agit, et impertiendo aliquid sui, quo mediante perficit illud, quod erat in materia, et illud, quod influitur a parte agentis, fit aliquid de completo esse ipsius producti; et ideo necesse est, quod natura det aliquid novi quantum ad modum essendi substantialem, qui est esse in actu. Quamvis enim natura non det novam essentiam, dat tamen novum modum essendi, non tantum accidentalem, imo etiam substantialem, sicut esse in actu, secundum quem potest res substantialiter numerari et diversificari. Et propterea natura, cum reparat, non idem, sed novum producit; sed Deus, qui potest ipsas rationes seminales sine immissione alicujus novi ad perfectum esse deducere, potest facere, quod sit idem; et sic facit in proposito, quia ex illis solis, et per eundem ordinem in reformatione rem constituit, ex quibus erat ante. Unde si omnia elementa convertantur in ignem, Deus ex illo igne reformat eadem elementa, quae ibi erant in rationibus seminalibus, et ex illis formam carnis per eundem ordinem. Et sic patet, quod Deus potest reformare idem corpus secundum numerum: et sic potest dici ad praesens." *4. dist. 43. a. 1. q. 4 in concl.*

[19] „Membrum unumquodque reformabitur ex sua propria materia pertinente ad ejus substantiam; quae vero est de superfluitate, per totum corpus diffundetur." *4. dist. 44. p. 1. a. 2. q. 2.*

[20] „Humiditas radicalis est illa, in qua calor sustentificatur ... Est solum a generantibus, et mediante opere generativae, nam nutritiva in hanc humiditatem non potest, si enim posset, tunc homo juvenesceret, et vitam etiam suam in perpetuum continuaret, si illud humidum renovari possit." *2. dist. 30. a. 3. q. 3.*

[21] „Naturalis philosophus distinguit in homine duplicem carnem, carnem secundum speciem et carnem secundum materiam. Et vocat carnem secundum speciem, illam, quae habet vim activam, et potentiam convertendi alimentum in carnis naturam: carnem vero secundum materiam vocat illam, quae sic est caro, ut tamen non possit aliquid in carnem convertere propria virtute. Dicit etiam quod virtus nutritiva et augmentativa non convertit alimentum in carnem secundum speciem, sed secundum materiam, quia, si aliter esset, tunc nunquam staret augmentum, cum augmento enim carnis cresceret et virtus augmentandi. Hoc autem non sic est; et ita caro secundum speciem solum est a generantibus, sive mediante generativa, quamvis caro secundum materiam, scilicet quae fluit et refluit, possit esse mediante nutritiva." *Ibid.*

[22] „Aliquid ordinatur ad resurrectionem dupliciter, vel de necessitate, vel de congruo. Illud autem ordinatur in nobis ad resurrectionem de necessitate, in quo consistit fundamentum et fabrica corporis nostri: et hoc est illud, cui primo anima unitur. Et tale tractum est a generantibus, et in tale nihil potest transire opere nutritivae, secundum quod nutritiva operatur post animae unionem." *Ibid.*

[23] „Illud ordinatur in nobis ad resurrectionem de congruo, in quo consistit fabricae nostri corporis complementum; et hoc est, quod facit ad quantitatem corporis perfecti. Et sic aliquid de alimento potest converti in veritatem humanae naturae mediante vi nutritiva et augmentativa, quae ordinantur ad complendam corporis fabricam, quae inchoata fuit mediante vi generativa, cui competit operari, quousque anima infundatur; et tunc sequitur operatio nutritivae et augmentativae ad conservandum et complendum corpus." *Ibid.*

[24] „Anima est perfectio quantum ad substantiam, motor quantum ad potentiam; et etsi anima non sit composita, imo simplex quantum ad substantiam, habet tamen multitudinem potentiarum, ratione quarum ad diversa organa comparatur. Quoniam igitur corpus est ordinatum ad resurrectionem in utroque, et in quantum respicit animam ut perfectionem, et ut motorem, et quantum ad rationem motoris est distinctio; ideo distincte resurget materia membrorum in suis locis." *4. dist. 44. p. 1. a. 2. q. 2 ad 3.*

[25] „Caro, quae est in duobus, in uno sicut in principio, in alio sicut in individuo et in toto, resurget in isto, non in illo; et si in ambobus, secundum materiam resurget in primo; si in hoc secundum materiam, in alio secundum speciem resurget. Impossibile est autem, quod in pluribus sit secundum speciem." *4. dist. 44. p. 1. a. 2. q. 1.* — „Humiditas complexionalis, et humores in judicio resurgent, quia verus sanguis resurrexit in Christo in ejus resurrectione." *4. dist. 44. p. 1. a. 1. q. 1.*

[26] „Ea etiam, quae de superfluitate sunt corporis, resurgent, ut capilli, et cetera, quia sunt ad decentiam et ornamentum corporis." *Ibid. q. 2.*

[27] „Mortale tripliciter accipitur, uno modo dicit naturalem aptitudinem ad moriendum, alio modo possibilitatem ad moriendum, tertio modo necessitatem. Et primo quidem modo mortale inest homini ea ratione, qua est aliquid compositum ex partibus heterogeneis; unde Hilarius: Non ex compositis est Deus, quia vita est. Si ergo homo est ex compositis et heterogeneis et diversis naturis et dispositionibus, impossibile est, quod vitam habeat nisi cum aptitudine ad moriendum. Et sicut talis compositio est homini naturalis, ita et mortale. Et hoc modo accipiendo mortale contra immortale, nunquam concurrunt in idem, sic nec spirituale, aut simplex et compositum; et si aliquo modo est differentia, isto modo est non dividens animal, sed substantiam viventem, cujus una differentia est immortale, et per oppositum mortale. Secundo modo mortale inest homini eo modo, quo est quid compositum ex partibus heterogeneis habentibus defectibilitatem, sicut in primo homine, qui habet statum animalem; et hoc modo dicit statum medium inter miseriam et gloriam. Tertio modo mortale inest alicui viventi ea ratione, qua vivens

est compositum ex contrariis habentibus defectibilitatem et pugnam ad invicem; et sic inest homini lapso, et hoc modo dicit statum miseriae, et immortale his oppositum dicit alium statum. Et quoniam status mutari potest, unitate secundum numerum remanente; hinc est, quod ex mortali secundum hunc duplicem modum fit immortale sine diversitate substantiae: et hoc modo fit in homine glorificato, qui est mortalis primo modo, scilicet secundum naturalem aptitudinem, sed immortalis, prout dicit privationem potentiae et necessitatis." *4. dist. 43. a. 1. q. 4 ad 3.*

[28] „Non est aliud dicere veritatem humanae naturae, quam humanam naturam veram. Sic autem vocant eam loquentes de natura humana ex parte corporis, pro eo quod corpus humanum, praeter hoc quod habet formam et operationem sibi convenientem, sicut et alia corpora naturalia, habet ordinationem ad immortalitatem, et ita quamdam impermixtionem in hoc, quod non potest tantum transmutari, quin tandem reddatur animae, quae ipsum vivificavit; habet nihilominus quamdam fixionem, sive incorruptionem, pro eo quod necesse est ipsum aliquando fieri immortale. Ratione igitur ordinationis ad incorruptionem, ex qua inest corpori humano non tantum debita operatio, sed etiam impermixtio et quaedam incorruptio, dicitur corpus humanum verum." *2. dist. 30. a. 3. q. 2.*

[29] „Quod resurrectio non sit naturalis, ostenditur a parte initii, quia a privatione in habitum per naturam non fit regressus; sed in morte est summa privatio; ergo resurrectio, cum sit a morte, non est per naturam. Item hoc ipsum ostenditur a parte termini, quia omne, quod natura producit, est corruptibile et mortale; sed corpus glorificatum est immortale et incorruptibile; ergo etc. Item tertio ostenditur a parte modi operandi, quia natura operatur successive, non subito; sed resurrectio erit subito, *in ictu oculi (1. Cor. 15, 52);* ergo non est a natura. Item ostenditur etiam a parte principii effectivi, quia natura est vis insita rebus ex similibus similia procreans; sed in resurrectione non fit simile ex simili; ergo etc. Ultimo ostenditur a parte omnium horum, quia est articulus fidei, quae non est de his, quae fiunt per naturam, sed supra naturam; ergo etc." *4. dist. 43. a. 1. q. 5. fund. 1—4.*

[30] „Causa communis est ad principium intrinsecum et extrinsecum, similiter et ratio causalis, quantum est de vi nominis, semen vero dicit principium intrinsecum: et ita ratio causalis se extendit ad rationes creatas et increatas, ratio vero seminalis solum ad rationes creatas. Quantum ergo est de vi nominis, unum est commune respectu alterius; in quantum autem ad invicem distinguuntur et connumerantur, sic causa et causalis ratio accipitur quantum ad principium increatum, semen vero et seminalis ratio spectat ad principium creatum. Differunt autem causa et ratio causalis, quia causa dicit principium productivum, ratio vero causalis dicit regulam dirigentem illud principium in sua operatione. Similiter per hunc modum differt semen et ratio seminalis. Regula autem agentis increati est forma exemplaris, sive idealis, regula vero agentis creati est forma naturalis; et ita rationes causales sunt formae ideales, sive exemplares, rationes vero seminales sunt formae naturales. Et secundum hoc patet, quod rationes causales et primordiales idem sunt re, differentes sola ratione. Primordiales enim dicuntur per privationem prioris, sed causales per positionem posterioris: et primordiales in quantum respiciunt Deum, ut principium primum; causales in quantum respiciunt Deum, ut finem ultimum, quae est causa causarum. Similiter naturales rationes et seminales re idem sunt, ratione vero differunt; quia enim semen dicit ut ex quo, et natura dicit a quo, ratio seminalis attenditur, in quantum dirigit potentiam naturae, ut ex aliquo fiat aliquid, naturalis vero, ut ab aliquo fiat aliquid. Vel ratio seminalis respicit inchoationem et intrinsecam virtutem, quae movet et operatur ad effectus productionem; naturalis vero concernit producentis ad productum assimilationem et modi agendi assuetudinem." *2. dist. 18. a. 1. q. 2.*

[31] „Mirabile dicitur illud, quod est supra facultatem naturae. Hoc autem potest esse dupliciter, secundum quod est operatio naturae simpliciter, et naturae rationalis." *3. dist. 30. a. 1. q. 4 ad 3.*

[32] „In resurrectione tria sunt, primum est corporis ex pulveribus reformatio, secundum ipsi corpori reformato animae unio, tertium unitorum inseparabilis colligatio. Primum est contra naturam, id est, contra solitum cursum naturae, quae potest perfecta destruere, non destructa reparare. Secundum est secundum naturam, quod anima optime corpori sibi organizato, cui desiderabat uniri, uniatur. Tertium est supra naturam, scilicet quod ex corruptibili fiat incorruptibile, non separabile. Quoniam igitur primum et ultimum est non a natura, sed supra, vel contra; ideo non est dicendum resurrectionem naturalem esse, sed supra naturam." *4. dist. 43. a. 1. q. 5.*

CAPUT VI.

De consequentibus ad judicium, scilicet de igne infernali [a].

a) De igne infernali tantum ed. 1484.

(Ignis infernalis est in loco corporali deorsum; — ibi omnes reprobi affligentur, — aeternaliter, — igne corporali, — qui affliget spiritus et corpora, — quin tamen corpora consumat; — et plus vel minus, juxta meritorum exigentiam. — Poenae ignis adjicietur afflictio secundum omnes sensus, — et poena vermis, — et carentia visionis Dei.)

Consequenter de consequentibus ad judicium est dicendum, quae sunt duo, scilicet [b] poena infernalis et gloria caelestis. De poena igitur infernali hoc tenendum est, quod poena infernalis est in loco corporali deorsum, in quo aeternaliter affligentur

b) Scilicet om. ibid.

omnes reprobi, tam homines, quam spiritus mali (I). Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit [c] et affliget spiritus et etiam corpora; nec tamen corpora illa consumet, sed semper affliget, alios plus, alios [d] minus secundum exigentiam meritorum. Hujusmodi autem afflictioni ignis conjuncta erit afflictio secundum omnes sensus, conjuncta erit poena vermis, et carentia visionis Dei; ita quod in his poenis erit varietas, et cum varietate acerbitas, et cum acerbitate interminabilitas, ut ad reproborum supplicium *tormentorum fumus ascendat in saecula saeculorum (Apoc. 14, 11).*

c) Cremabit ibid.

d) Et alios ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia cum primum principium summum sit [e], quidquid habet, habet in summo; ideo necesse est ipsum esse rectissimum. Cum ergo in retribuendo agat secundum rectitudinem [1], sicut contra se facere non potest, nec se negare, nec suam justitiam impugnare; sic necessario, sua rectitudine exigente, oportet, quod peccatum puniatur secundum quantitatem culpae, in his maxime, qui legem misericordiae contemnentes, per impoenitentiam impegerunt in severitatem justitiae [2]. Quoniam ergo severitatis [f] justitiae est considerare culpam, non solum quantum ad radicem, verum etiam quantum ad circumstantias aggravantes; congruissimum est, ut judex justus poenas debitas [3] ab impiis exigat usque ad ultimum quadrantem, ut sic non remaneat dedecus peccati sine decore justitiae [4]; et sicut manifesta est potestas in creando, et sapientia in gubernando, et clementia in reparando, sic manifestetur summa justitia in puniendo. Quoniam ergo divina justitia peccatorem impium debet punire secundum exigentiam culpae, et culpa mortalis, ad quam succedit finalis impoenitentia, ipsa habet rationem deordinationis perpetuae, deordinationis libidinosae, deordinationis multimodae; necesse est, quod ipsa puniatur poenarum aeternitate, acerbitate et multiformitate.

e) Eo quod primum sit add. ibid. et ed. Ven.

f) Severitas ed. 1484.

Primo igitur deordinationis perpetuae poena debet esse perpetua, quia peccatum, quod quis committit, et de quo nunquam poenitet, perpetuo in animo durat, et a vita perpetua, scilicet Deo, separat, et [g] a voluntate procedit, quae in peccato vellet perpetuo delectari. Et licet delectatio illa transiens sit et [h] momentanea, quia tamen de-

g) Et om. ibid.

h) Et bene add. ibid. et ed. Ven.

(I) Praetermissis haereticis antiquioribus, ut Seleuciani et Hermiani tempore S. Damasi R. P., et quotquot praeterea ex negatione immortalitatis animae eandem haeresim propugnarunt, nostris temporibus inferni existentiam inter mythos recensent Rationalistae. Inferni autem aeternitatem inficiati sunt Origenistae, et quotquot cum ipsis asseruerunt per ignem etiam eos purgari, qui in mortali peccato post hanc vitam inveniuntur, sive id senserint de omnibus tam daemonibus quam pravis hominibus, sive de pravis hominibus tantum; sive nec etiam de omnibus hominibus, sed de baptizatis, licet postea in infidelitate vel haeresi decessis; sive de iis solis inter baptizatos, qui cum fide Christi etiam mortua decedunt; sive denique nec de his omnibus, sed de iis, qui cum fide habuerunt opera misericordiae, etiamsi alia habuerint peccata mortalia, in quibus mortui fuerunt. Contra hos errores, quos Sociniani et plerique ex Protestantibus amplexi sunt, in Symbolo Athanasiano profiteri tenemur: „Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum“. Et in Conc. Lateran. IV, cap. *Firmiter* definitur: Tam reprobi quam electi, „omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala; illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.“

Mox autem post mortem in originali vel actuali peccato mortali decedentes, secundum Dei ordinationem communem ad inferna descendere, Benedictus XII in Const. *Benedictus Deus* definivit his verbis: „Definimus, quod, secundum Dei ordinationem communem, animae decedentium in actuali mortali mox post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur; et quod nihilominus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.“

ordinatio tenet rationem perpetuitatis, poena deordinationi respondens debet habere carentiam finis; ut sicut homo in suo perpetuo [5] finem non apposuit a peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non desistat a puniendo; et sicut homo contra infinitum peccavit, sic poenam habeat infinitam [6]. Et quia non potest habere poenam infinitam intensive [i], habeat saltem duratione [7]. Et sicut voluntas ejus post mortem semper malo adhaeret [8] [j] sine susceptione poenitentiae [9], sic Deus semper affligat sine immutatione sententiae [10], requirente hoc perpetuitate deordinationis in impiis damnatis [11].

i) Intensione ed. 1484.

j) Semper malum malo adderet ibid.

Rursus, quoniam deordinationis libidinosae poena debet esse afflictiva, quia delectatio punitur per tristitiam contrariam, et spiritus rationalis in peccando convertit se ad bonum proprium et ut nunc [k] et partiale libidinose amandum, et ex hoc contemnit divinum imperium et dominium; hinc est, quod ad hoc, quod illa delectatio improba perfecte puniatur, in qua simul est delectatio cum contemptu, necesse est, quod ad punitionem illius contemptus et delectationis peccator, sive sit homo, sive spiritus, praecipitetur in locum infimum [12], et maxime a statu gloriae longinquum, hoc est in profundissimum infernum [13]. Necesse est etiam, quod ibi exponatur affligendus infimae naturae, ac per hoc non a substantia spirituali patiatur, sed a corporali et infima, hoc est a faecibus corporum mundanorum, ut in faecibus defigatur, et igne et sulphure concremetur [14]. Et quoniam spiritus, qui per naturam praeponitur corpori, et in corpus habet influere, et ipsum movere, dignitatem naturae per culpam pervertit, et se subjicit [l] quodam modo vilitati et nihilitati peccati; hinc est, quod secundum ordinem justitiae debet ordinari, ut tam peccator spiritus, quam homo, igni corporeo [15] alligetur, non ut in illum influat vitam [16], sed ut divino decreto suscipiat poenam. Cum enim rei, quam horret per timorem divinitus immissum, et quam sentit per vim naturalis sensus, sit inseparabiliter alligatus; necesse est, quod acriter tormentetur [17]. Et quia ille ignis non agit nisi per dispositionem peccati et reatus [18] et maculae [19], ex improbitate libidinis praecedentis [m], et haec non est aequaliter in omnibus; hinc est, quod ab eodem igne alii cremantur plus, alii vero minus; sicut ab [n] eodem igne aliter uritur palea, et aliter comburitur lignum. Quoniam autem illa peccati distinctio et reatus, secundum quam actio ignis moderatur, est in eodem uniformis, et nunquam [o] crescit, nec decrescit, nec mutatur; hinc est, quod divino imperio ordinante, ignis ille sic agit, quod semper urit et non consumit, semper affligit et non interimit [20], quia non agit ad suae formae multiplicationem, sed ad pacis animae in corpore perturbationem [p], sive ipsius spiritus in seipso [21]. Unde non fit nova ademptio, sed ademptae pacis continuatio [22]; ut sic in eadem poena nec acerbitas aeternitatem, nec aeternitas tollat acerbitatem [23].

k) Ita ibid. et ed. Rom. commutabile ed. Aug.

l) Subjecit ed. 1484.

m) Ita ibid. bene; in cet. procedentis.

n) Sub ibid.

o) Neque ibid.

p) Sed ad animae et corporis purgationem ibid.

Postremo, quoniam deordinationis multimodae poena debet esse multimoda, et in omni peccato actuali mortali est deordinata [q] aversio a summa luce et bonitate, et inordinata conversio ad bonum commutabile, et deordinatio voluntatis contra [r] dictamen rationis rectae; hinc est, quod omnes actualiter peccantes, qui erunt damnati, punientur poena triplici: propter aversionem, carentiâ visionis Dei [24]; propter conversionem [s], poenâ incendii materialis; propter pugnam voluntatis et rationis, poenâ vermis [25]; ut sic ex hac multiplicitate poenarum afflicti, et [t] varie et acerbe et aeternaliter crucientur [26], et *tormentorum fumus ascendat in saecula saeculorum (Apoc. 14, 11).* Amen.

q) Et deordinata est aversio ibid.

r) Circa ibid.

s) Ad bonum commutabile add. ibid.

t) Et om. ibid.

AD CAPUT VI.

[1] „In omni opere Dei simul est misericordia et veritas, tam in opere retributionis poenarum, quam praemiorum.“ — „Dicendum quod misericordia dicitur tripliciter, similiter et justitia. Uno modo misericordia largissime dicitur divinae bonitatis affluentia, communiter vero dicitur benignitas in supererogatione bonorum, stricte vero dicitur pietas in sublevatione malorum. Similiter et justitia dicitur communissime divinae bonitatis condecentia, communiter vero dicitur liberalitas in retributione praemiorum, stricte severitas in punitione malorum. Secundum igitur hos tres modos concurrunt in eodem opere. Nam primo modo misericordia divinae bonitatis affluentia, et justitia divinae bonitatis condecentia, sunt in eodem opere; ita quod in eodem opere, quia omnia facit ex affluenti bonitate, et nihil facit ex affluenti bonitate, nisi quod decet bonitatem suam. Similiter secundo modo misericordia, quae est benignitas in supererogatione bonorum, et justitia, quae est liberalitas in retributione praemiorum, simul concurrunt, quia, cum retribuit bona, non retribuit nisi merenti, et supra illud, quod meruit. Similiter tertio modo misericordia, quae est pietas in sublevatione malorum, et justitia, quae est severitas in retributione malorum, simul currunt, quia nunquam ita severe punit, quin aliquod debitum de poena dimittat. Sic igitur patet, quomodo misericordia et veritas communissime sint in eodem opere, quia in omni opere; sed communiter sunt in omni opere retributionis bonorum, proprie sunt in retributione poenarum et suppliciorum. Sunt tamen in eodem opere secundum aliam et aliam conditionem; in quantum enim retribuit, quod meruit, est justitia, in quantum infra vel supra est misericordia.“ *4. dist. 46. a. 2. q. 2.* — „In omni retributione Domini sic sunt conjuncta misericordia et justitia, quod impossibile est separari eas ab invicem. Et ratio hujus est, quia sicut in nobis quaedam sunt virtutes, quarum perfectio attenditur per accessum ad extremum, ut puta caritas, quaedam per accessum ad medium, ut justitia et misericordia. Unde non dicitur summe justus per excessum severitatis, nec summe misericors per omnimodam remissionem culpae; sed quia miseretur tantum, quantum est conveniens, et similiter tantum punit. Et hujus ratio haec est, quia justitia et misericordia dicuntur maxime respectu actuum et meritorum nostrorum.“ *Ibid. q. 4.*

[2] „Justitia in opere uno modo dicit severitatem, alio modo ordinem; sicut et benefacere uno modo qualitatem absolutam, alio modo ordinem. Si justitia in opere dicat severitatem, sive qualitatem absolutam, dico quod sic justius agit cum uno quam cum alio, quia severius; et sic melius facit unum quam aliud. Alio modo justitia dicit ordinem praemii ad meritum; et sic dico, quod justissime retribuit. Sicut enim quae producit, optime ordinat; sic in remunerando optime et aequissime ordinat praemia ad merita.“ *4. dist. 46. a. 1. q. 4.*

[3] „Poena de sui generali acceptione dicit nocumentum ordinatum, nocumentum autem comparationem habet et ad ipsum nocivum, et ad illud, quod patitur nocumentum, et ad illud, secundum cujus privationem nocumentum illud attenditur. Et secundum istam triplicem comparationem nomen poenae habet triplicem acceptionem. Unde dicitur poena aliquando actio rei laedentis, secundum quod adustio ignis infernalis dicitur esse poena reproborum. Dicitur etiam poena passio rei laesae, sive punitae, secundum quod dicitur, quod afflictio reproborum est eorum poena aeterna. Dicitur etiam defectus alicujus boni, in quem incurritur ex illa passione, sicut defectus quietis, salutis et pacis est poena reproborum.“ *2. dist. 36. a. 3. q. 2.* Vide etiam superius *part. III. c. 10. n. 2.*

[4] „Justum dupliciter dicitur, uno modo juste ordinatum per justitiam, quae est in ipso; et omne, quod sic justum est, bonum est, quoniam intra se habet justitiam: vel est declarativum justitiae; et sic potest malum ostendere, sicut enim malum potest ad retributionem justitiae disponere, ita et ostendere. Et hoc modo dicit ordinationem justitiae in altero; nec sequitur, quod sit bonum, quia justum plus importat rationem ordinis.“ *1. dist. 46. a. 1. q. 3 ad 4.*

[5] „Peccator . . . dum in peccato perseverat, peccat in suo aeterno, id est peccandi proposito aeterno.“ *4. dist. 44. p. 2. a. 1. q. 1.*

[6] „Est comparare delectationem ad poenam secundum duplicem comparationem. Aut secundum intensionem hujus in genere poenae, et illius in genere delectationis: et sic multo major est poena quam delectatio, nec est ibi proportio, sed excessus. Est iterum comparare hoc ad illud secundum rationem meriti vel demeriti; et sic dico, quod meritum delectationis inordinatae excedit poenam, quia dignus esset amplius puniri. Servatur igitur in punitione proportionalitas, quia magnae culpae magna infligitur poena, sed non proportio, quia quantum ad intensionem et durationem poena excedit culpam, sed quantum ad meritum culpa poenam. Et per hoc patet prima ratio, quia etsi delectatio sit momentanea, tamen quia cum ea offenditur bonum infinitum, meretur poena aeterna.“ *4. dist. 46. a. 1. q. 2 ad 1—4.*

[7] „Infinitas durationis est secundum potentiam, et haec non repugnat creaturae, quia non impedit durationem creaturae esse finitam actu et infinitam potentiâ.“ *1. dist. 37. p. 1. a. 2. q. 1 ad 3.* — „Infernum ponere et cruciatum aeternum pertinet ad complementum universi et ad justum judicium divinum.“ — „*Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur (Isa. 66, 24);* ergo aeternaliter cruciabuntur in infinitum; ergo est ponere infernum cruciatum aeternum. Item: *Ite maledicti in ignem aeternum (Matth. 25, 41);* ignem autem aeternum vocamus aeternum supplicium; ergo etc. . . . Item, qui peccat mortaliter, praeponit bonum commutabile bono aeterno et infinito; ergo contemnit et offendit bonum infinitum. Sed tanta est offensa, quantus est is, qui offenditur; ergo cum ipse sit infinitus, offensa debet judicari infinita. Cum igitur poena debeat proportionari offensae, necesse est, quod peccato mortali reddatur poena infinita; sed non potest reddi infinita intensione, sed solum duratione; ergo etc. Item, sicut Deus est summe misericors, ita est summe justus. Sicut ergo summe misericordis est misereri, et

misericordiam suam summe manifestare per effectum; sic et summe justi est summe punire, et suam justitiam manifestare per effectum. Si ergo infinita justitia non potest manifestari nisi per effectum infinitum, videtur quod aliquibus peccatoribus reddi debeat cruciatus infinitus; sed non potest esse cruciatus immensus; ergo necesse est esse cruciatum aeternum, hunc autem dicimus infernum; ergo etc." — „Cruciatum aeternum ponere facit ad complementum universi, et justum judicium Dei. Prima est ratio congruitatis, secunda necessitatis. Congruum enim est, ut pulcritudo universi decoretur quibusdam antithetis, ut sicut bonis redduntur bona aeterna, ita et malis aeterna supplicia. Necessarium est etiam ad servandum ordinem justitiae, ut unicuique reddatur secundum merita sua, cum ventum fuerit ad judicium. Peccator autem, cum peccat, peccat contra bonum aeternum et infinitum; et ex hoc dignus est cruciatu aeterno. Dum in peccato perseverat, peccat in suo aeterno, id est peccandi proposito aeterno. Et dum decesserit, non est amplius locus meriti, ac per hoc non remissionis peccati; ideo semper est culpa; et quia culpa ordinatur ad poenam, semper debet esse in poena. Quia igitur peccat in bonum aeternum, ideo cruciatu aeterno est dignus; sed quia in suo aeterno, ideo cruciatum aeternum assequitur ... Et quod istud sit justum, ostendit Gregorius *(4. Dialog. c. 11)* per hoc exemplum, in humanis judiciis et legibus, ubi dicitur, quod peccans contra rempublicam aliquo grandi crimine morte moritur, non quia mortem, vel horam, qua occiditur, ejus supplicium leges esse aestiment, cum sit hora perbrevis; sed quia eum in sempiternum auferunt a societate viventium ... Ad illud, quod objicitur, quod *misericordia superexaltat judicium (Jacob. 2, 13)*, dicendum quod illud est verum, quando est tempus misericordiae, ut puta in praesenti; in futuro autem erit tempus justitiae, juxta illud: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo (Ps. 74, 2).* Aliter potest dici, quod intelligitur de misericordiae merito, per quam quis meretur evadere severitatem divinae justitiae. Ad illud quod objicitur, quod justus animus non punit amore vindictae, dicendum quod Deus punit amore justitiae, non vindictae; et quamvis non puniat ad correctionem, punit tamen ad justitiae manifestationem, aliter enim sunt puniendi corrigibiles, aliter incorrigibiles. Si quando tamen legatur, quod Deus ulciscitur se de suis inimicis, et vindicat se de eis, non est in praejudicium justitiae. Quia cum ipse sit justitia, vindicare se non est aliud, quam servare justitiam; hoc autem in homine non contingit, qui non est justus; ideo non debet appetere vindicare se. Ad illud, quod objicitur ultimo, quod summe misericordis est summe misereri, dicendum quod sicut Deus est summe misericors, ita etiam decet ut sit summe justus; et ideo effectus misericordiae non excludit effectum justitiae. Et propter hoc Deus duo tempora sibi distinxit, vel constituit, unum, in quo ostenderet misericordiae suae infinitatem, tradendo unigenitum filium suum pro omnibus inimicis suis, et parcendo omnibus ad se redire volentibus; aliud, in quo ostenderet justitiae suae immensitatem, et hoc est tempus, quod deputatum est aeternis cruciatibus." *4. dist. 44. p. 2. a. 1. q. 1. concl. et ad 4—6.*

[8] „Ad illud quod objicitur, utrum habeant aliquam inordinationem actualem voluntatis, potest dici quod sic. Sed illa inordinatio est eis vere in poenam, sicut beatis bona voluntas in gloriam. Unde sicut isti non merentur amplius bona voluntate, ita nec illi demerentur mala." *4. dist. 50. p. 1. a. 1. q. 1 ad 6.*

[9] „Est necessitas, quae repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis, quae venit ab extrinseco. Et est necessitas, quae venit ex voluntatis immutabilitate." *3. dist. 12. a. 2. q. 1.* — „Mala voluntas dicitur dupliciter, scilicet uno modo actu, alio modo habitu. Dico ergo, quod timor servilis in viatoribus non aufert habitum malae voluntatis, sed aufert actum; iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri, et de ipsa voluntate tamen habitum non aufert, quod patet, quia si speraretur impunitas, vellet utique luxuriari. Sic intelligendum est in damnatis, quod dolor poenalis aufert ab ipsorum voluntate actum volendi peccare, quia revera damnati non appetunt luxuriari, nec dominari propter poenas, quas ex illis actibus sentiunt se incurrisse; habent tamen habitum voluntatis malae, per quam appeterent peccare, si non crederent se ex hoc puniri. Si ergo quaeras, utrum damnati nolint peccasse, dico quod nolunt, non propter hoc quod peccatum eis displiceat, quia injustum, sed quia eis displicet poena justa." *4. dist. 50. p. 1. a. 1. q. 1.*

[10] „Punitio gehennalis erit sine omni intermissione. Et hoc patet per illud, quod dicitur in Apocalypsi *(14, 11): Ascendet fumus tormentorum in saecula saeculorum, et non habebunt requiem die ac nocte.* Cum enim non sit interpellatio in culpa, debet esse continuatio in poena." *4. dist. 46. dub. 1.*

[11] „Malum punitur aeternaliter. Et quod sic debeat esse, patet, primo ratione divinae offensae, quae tanta est, quantus ille qui offenditur. Cum igitur Deus sit infinitus, offensa peccati est infinita. Justum est igitur, quod puniatur poena infinita; sed non potest puniri poena infinita secundum intensionem; oportet ergo, quod puniatur secundum durationem aeternam. Alia ratio est, quia peccans in collegium civitatis, juste potest per exilium ab ejus contubernio separari, quamdiu ipse vixerit, et civitas duraverit. Si igitur peccator proditor est civitatis Dei, cujus duratio est perpetua, justum est, quod et ipse exilio perpetuo puniatur. Tertia ratio est, quia peccator judicatur non secundum actum exteriorem principaliter, sed secundum interiorem voluntatem, quam principaliter considerat Deus. Sed omnis peccans, quandocumque derelinquit Deum pro momentanea delectatione, mallet illam perpetuari, ex quo de illa in perpetuo vitae suae poenitentiam non facit; ergo puniendus est ac si delectatio perpetuo durasset. Quarta ratio est, quia peccator in quolibet actu peccati mortalis abutitur omnibus illis rebus, a quibus debet juvari, et cum quibus habet ordinari. Sed ipse, cum sit pars universi, juvamentum recipit ab elementaribus, caelestibus, supercaelestibus, et ordinationem habet ad praeterita, praesentia et futura; abutitur ergo omnibus supradictis; nihil est ergo in universo, quod non sibi adversetur, et quantum ad consistentiam, et quantum ad durationem. Ergo necessarium est, quod ipse in universali et sempiterna adversitate puniatur, ac per hoc interminata poenae calamitate. Quinta ratio est, quia cum anima rationalis sit creata in orizonte aeviternitatis et temporis, nec sit in tempore nisi ratione unionis ad cor-

pus, sublata illa unione, necessario intrat anima statum aeviternitatis. Si igitur moritur in peccato mortali, sempiternaliter in peccati perversione perdurat. Sed non est dedecus peccati sine decore justitiae; igitur si sempiternaliter durat culpa, sempiternali est supplicio punienda." *Serm. de Seminante n. 46.* Supplem. vol. I.

[12] „Non est intelligendum, quod infernus sit sub terra, et in alia superficie terrae nobis opposita, cui nos sumus inferiores, sicut et ipsa nobis; verumtamen possibile est, quod infernus habeat aliquod amplum os, et si sol revolveret, possibile esset, quod aliquando eis *(damnatis)* beneficium lucis praeberet." *4. dist. 48. dub. 7.* — „Cum universum sit orbiculare, et circumferentia sit ejusdem naturae, pro eo quod extremum tenet rationem inferioris, ideo medium tenet rationem infimi. In homine autem non sic, quia una extremitas, ut caput, dicitur esse superius; alia, ut pedes, dicitur esse inferius; et ideo mediocritas nec inferius, nec superius est, sed habet influentiam ad utrumque. Ideo nobilis pars debet situari in homine in medio, non sic in universo, sed potius in extremo." *4. dist. 44. p. 2. a. 1. q. 2 ad 5.* — „Sicut enim status damnatorum perfecta distantia distat a statu beatorum, ita et locus a loco. Et sicut statui beatitudinis debetur locus supremus, ita et statui miseriae locus infimus, etiam secundum corpus." *4. dist. 44. p. 2. a. 1. q. 2.*

[13] „Cum dico infernum, sive locum poenalem, duo dico, et partem universi et vilitatem; in quantum locus est, debetur naturae substratae, sed in quantum vilis est, debetur deformitati culpae: et ita malum locum habet et vilem, sed locum ratione substrati, vilem vero ratione deformitatis." *1. dist. 46. dub. 2.*

[14] „Non modo ignis crucians est in inferno, sed omnia elementa, quae sunt ibi confusa, vindicantia Creatorem." — „Quod sit ibi ignis, patet ubi dicitur: *Ite maledicti in ignem aeternum (Matth. 25, 41).* Item, quod sit ibi aër, videtur per illud Psalmi *(10, 7): Ignis, sulphur, et spiritus procellarum etc.* Si ergo spiritus procellarum vere habet naturam aëris, sicut ibi vere est ignis, ita et aër. Item, quod sit ibi aqua, videtur: *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium (Job 24, 19).* Ergo si vere erunt in calore ignis, non secundum tropum, vere erunt in frigore aquarum. Item, quod terra sit ibi, videtur per illud, quod dicitur: *Terra miseriae et tenebrarum (Job 10, 22).* Et hoc patet, quia, ut probatum est, locus ille est sub terra. Item hoc videtur de omnibus simul, quia enim mali per corpus peccaverunt, ideo per totum corpus puniuntur; ergo pari ratione secundum omnes partes et qualitates corporis; ergo videtur, quod secundum quatuor elementa et eorum quatuor qualitates." — „Dicendum quod in inferno, sicut ex Scriptura colligitur, quatuor elementa esse creduntur ad perfectam damnatorum punitionem, ut omnis creatura exardescat in tormentum contra injustos, et armetur in ultionem Creatoris, et per ea puniantur, ex quibus constituuntur. Quia vero sunt ibi ad poenam, ideo illa ibi esse dicuntur, quae vigent in qualitatibus activis, ut ignis et aqua. Et rursus, quia ignis maxime activus est ille, qui maxime ibi viget; unde etiam per ignem in Scriptura omne acerbe puniens signari solet. Unde cum Dominus ignem infernalem comminatur, aut comminatur tanquam praecipuum tormentum, aut sub nomine ignis intelligit omne aliud afflictivum. Si autem quaeratur, per quem modum ibi elementa esse intelligantur, dicendum quod elementa ibi sunt confusa, non distincta, non ordinata. Nec tamen illa confusio poenam minuit, sed auget, pro eo quod actio elementorum mutua post resurrectionem cessabit, cum cesset generatio et corruptio; sed tamen manebit actio eorum in corpus damnandorum, quia ad hoc omnis eorum virtus dirigetur, non tanquam intendentium multiplicare speciem, sed secundum imperium Creatoris intendunt vindicare divinam injuriam, quod quidem fit affligendo humanam naturam." *4. dist. 44. p. 2. a. 2. q. 2.*

[15] „Ignem infernalem corporalem esse non ambigo, cum dicatur: *Ite maledicti in ignem aeternum (Matth. 25, 41).* Sed omnis aqua materialis, seu naturalis, omni aquae corporali est eadem specie et natura; ergo omnis ignis similiter omni igni. Item similiter Basilius dicit in Hexaëmeron, exponens illud Psalmi *(28, 7): Vox Domini intercidentis flammam ignis,* quod ignis materialis cedet ad punitionem damnatorum, quantum ad id, quod habet ardoris. Si ergo ignis species est, eatenus non mutabitur; ergo iste ignis aptus est ad puniendum reprobos; ergo videtur, quod iste et ille sint ejusdem naturae et speciei ... Item, iste ignis est calidissimum corpus, sicut dicitur, et verum est; ergo cum infernalis ignis sit calidissimus, et quod per superabundantiam dicitur, convenit uni soli speciei vel individuo; ergo ignis ille est ejusdem speciei cum isto. Item: *Per quae peccat quis, per haec et torquetur (Sap. 9, 17).* Si ergo per corpus, et per ea, quae sunt de compositione nostri corporis, peccamus; ergo per eadem in specie et natura debemus puniri; ergo videtur, quod ignis, qui est de compositione corporum, et qui est afflictivus in inferno, sit idem secundum speciem." — „Ignis inferni est corporeus, et forte ejusdem naturae substantialis cum igne elementari, licet diversae sit proprietatis." — „Quamvis ad hanc quaestionem videatur temerarium respondere, quia Scriptura eam non determinat, nec doctor praecipuus Augustinus eam explicat, sed magis relinquit insolutam, dicens *(de Gen. ad litt. lib. 12. c. 33—34),* quod nulli manifestum est, cujusmodi sit ille ignis, nisi ei, cui divinus Spiritus ostendit; et amplius opinari videtur, quod ille ignis sit spiritualis, non corporalis; tamen satis possumus pro certo habere per doctores posteriores, utpote per beatum Gregorium *(Dialog. lib. 4. c. 29),* cui multa divinus Spiritus revelavit, quod ignis infernalis sit corporalis. Sed utrum ille ignis sit elementaris, sive ejusdem speciei cum igne, qui apud nos est, hoc non ita potest pro constanti a quocumque determinari. Attamen si quis non adducat fortiores rationes, quam quae adductae sunt, non compellimur ponere ignem infernalem esse diversae naturae et speciei ab igne, qui apud nos est, si proprie velimus speciem appellare formam substantialem et specificativam, secundum quod dicitur, quod omnis aqua similis est omni aquae in specie. Et huic opinioni satis videtur consonare Augustinus *(de Civ. Dei lib. 22. c. 11),* ubi inquit, quomodo iste ignis vere habeat naturam ignis, et tamen non consumat corpus, in quo agit. Si tamen loquamur de proprietatibus accidentalibus, quae non variant speciem, sed operationem, ille ignis habet diversas proprietates ab isto ... Ad illud quod objicitur de proprietate extinguibili-

tatis, potest responderi dupliciter; primo, quod sicut corpora damnatorum eadem sunt cum nostris secundum speciem, et tamen sunt immortalia, ita ignis crucians corpora illa idem est cum igne nostro, quamvis non deficiat, quia hoc non habet per naturam, sed per vim superadditam . . . Ad illud quod objicitur de luciditate, dicendum quod ignis tres sunt species materiales, scilicet lux, flamma et carbo, et istae sunt species materiales; et quamvis in omnibus his salvetur natura lucis, tamen minime est in materia terrestri, et maxime terrestris parum habet de luce, et multum resolubilis est in fumositatem; et in tali materia, utpote in sulphure et pice, ignis potius est tenebrosus quam lucidus, quia magis visum impedit, quam adjuvet; et per hunc modum imaginari possumus ignem infernalem, et ad hoc adjuvari auctoritate Scripturae, dicitur enim: *Cruciabuntur* igne et sulphure *(Apoc. 14, 10)*; item: *Dies ultionis Domini etc.*; et post: *Convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur (Isa. 34, 8—9).*" *4. dist. 44. p. 2. a. 2. q. 1. fund. concl. et ad 2 et 3.*

[16] „Tripliciter dicitur aliquid agere in alterum. Uno modo per praedominantiam, sicut contrarium agit in suum contrarium. Alio modo per influentiam, sicut corpus superius agit in haec inferiora. Tertio modo per colligantiam, sicut quando duo sunt unita, quod unum trahit ad se alterum, et communicat alteri proprietates suas." *2. dist. 31. a. 2. q. 1 ad 1.*

[17] „Dolor est dissensus ab his rebus, quae nobis volentibus accidunt. Ad hoc ergo, quod dolor generetur in anima ab aliquo, duo concurrunt ex parte animae, scilicet perceptio ex parte cognitionis, et detestatio ex parte affectionis. Similiter duo requiruntur ex parte agentis. Unum est, quod immutet animae perceptionem. Aliud est, quod violenter et inseparabiliter adhaereat contra repugnantiam voluntatis. Ex his quatuor duo sunt secundum ordinem naturae, et alia duo secundum ordinem divinae justitiae. Quod enim ignis immutet cognitionem animae, et anima percipiat actionem et calorem ignis, hoc est de potentia naturali utriusque. Et hoc patet sic. Cum enim ignis agit in compositum ex anima et corpore, ibi duplex est passio. Una est naturalis, et haec est calefactio corporis; alia animalis, et haec est immutatio sensus. Prima passio est a natura, quia est passio vera ab igne ut vere agente. Secunda passio est ab anima seipsam movente, et ab igne occasionem praebente, secundum quod dicit Augustinus *(in Musica l. 6. c. 5)*. Sicut ergo postquam separatur anima, corpus potest pati ab igne passione naturali, quia potest calefieri et inflammari, et hoc per naturalem potentiam utriusque; sic spiritus pati potest passione animali, et ab igne praesenti immutari naturali potentia ignis et animae. Duo sunt igitur ibi per ordinem naturae, alia duo per ordinem divinae justitiae. Quod enim ignis animae indissolubiliter alligetur, et anima in eo recludatur ut in carcere, divinae justitiae est, ad quam spectat malefactorem in carcere recludere. Quod iterum anima refugiat ignis calorem, qui per naturam nocere non potest, et trepidat timore, ubi timor non est; hoc divinae justitiae est, quae facit trepidare peccatores, immittendo terrorem et horrorem ejus rei, qua per naturam sunt superiores. Et quamvis sit illud divinae justitiae, hoc tamen non est contra ordinem naturae, sive spiritum trepidare, ubi trepidandum non est, sive spiritum alligari corpori. Et hoc est, quod innuit Augustinus *(de Civ. Dei l. 21. c. 10)*, quod sicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale, et hoc corporale, et ex illa conjunctione vehementer concipit ad corpus amorem; sic spiritus ligatus igni, ut accipiens ab eo poenam, ex illa conjunctione vehementer concipit horrorem, ac per hoc et dolorem, qui verus est, et ex vero igne corporali, et ex vera applicatione corporalis ignis ad spiritum causatur secundum quatuor praehabitas conditiones." *4. dist. 44. p. 2. a. 3. q. 2.*

[18] „Reatus, sive obligatio ad poenam." *2. dist. 42. dub. 1.*

[19] „Deordinatio in anima ratione aversionis dicitur deformitas, ratione vero conversionis dicitur macula." *Ibid.*

[20] „Si de corporibus damnatorum quaeratur, utrum ab igne affligantur, simpliciter est concedendum. Si autem quaeratur, utrum consumantur, simpliciter est negandum. Sed si quaeratur, utrum corrumpantur, hoc est distinguendum; nam corruptio uno modo dicit defectionem, seu decisionem rei quantum ad esse substantiale, et hoc modo idem est quod consumptio; et tali modo non corrumpuntur, cum non moriantur. Alio modo corruptio idem est quod privatio bonae dispositionis; et hoc modo, quoniam a corporibus damnatorum auferetur quies et bona dispositio, quae generat in anima voluptatem; hinc est, quod continue corrumpitur. Est ergo corruptio afflictionis, non interemptionis, sive consumptionis; et haec fit per adustionem ignis. Si autem quaeratur, quo modo istud possit capi et intelligi, possumus ad hoc manuduci ratione . . . Quoniam hoc venit ex parte agentis, et ex parte patientis. Isti enim igni data est virtus ad inflammandum, non ad consumendum; et corpori data est natura passibilis ad patiendum, non ad deficiendum. Si autem quaeratur ratio hujus, dicendum quod est a parte naturae passibilitas ad suscipiendum, ex parte Dei est potestas ad dandum, ex parte finis est congruitas ad sic faciendum, quia in infinitum debet homo in corpore cruciari, ut manifestetur Dei justitia infinita. Nec sunt ista duo incompossibilia, quod aliquod corpus tangatur a calido, et non consumatur, cum videamus naturaliter aliquod corpus tangi a frigido, quod potius calefacit, quam infrigidet, sicut exemplum manifestum est in aqua et calce. Et sicut illa corpora uruntur, et non consumuntur; ita etiam compositum ex anima et corpore affligitur, et non moritur. Et tamen ad hoc similiter possumus manuduci exemplo, quia anima immortalis in corpore affligitur, quia dolor est animae, proprie tamen non occiditur. Quid ergo prohibet similiter intelligi in ipsis damnatis? Quodsi dicas hoc non esse simile, quia anima non sic composita est ex contrariis, secundum quod est natura humani corporis; respondere possumus, quod istud non obsistit, cum aliqua corruptibilia, utpote vermes, in aquis calidissimis reperiri queant, quarum fervorem nemo impune pertractat, sicut dicit Augustinus *(de Civ. Dei lib. 21. c. 2)*. Si igitur quae mortalia sunt et defectibilia, possunt in his calidissimis vivere sine afflictione, pari ratione immortalia et passibilia corpora affligi possunt sine interemptione. Si autem quaeratur ratio hujus, dici potest, quod hoc est propter conjunctionem animae ad carnem indissolubilem. Quod enim

homo moriatur dolore, hoc non est, quia dolor sit contrarius vitae, cum dolor non sit nisi in substantia vivente; unde sequitur: Hic si dolet, sentit; et si sentit, vivit; sed quia anima non est indissolubili vinculo corpori alligata, ideo intensus dolor eam expellit de praesenti habitaculo. Nunc enim est carcer temporalis, sed tunc erit perpetuus." *4. dist. 44. p. 2. a. 3. q. 1.*

[21] „Sicut beati continue reficiuntur, non quia semper novum aliquid recipiant, sed quia in suo praemio conservantur et continuantur; sic damnati continue affliguntur, et tamen non corrumpuntur, quia salutis et quietis eis privatio per continuam actionem ignis continuatur. Et hujus exemplum clarum est in generatione radii, qui dicitur semper oriri, et semper a sole egredi, non quia sol semper aliquid novum emittat, sed quia primum lumen mixtum continuat. Sic ignis dicitur semper damnatos affligere, non quia novam dispositionem de novo afferat, sed quia continue agendo a priori afflictione non cessat." *4. dist. 44. p. 2. a. 3. q. 1 ad 2.*

[22] „Etsi in damnatis aliquo modo remittantur affectiones libidinosae propter poenarum magnitudinem, illae, inquam, affectiones, quae habent annexam delectationem; aliae tamen affectiones, in quibus est poenalitas, vigorantur. Unde etsi cessat actualiter affectus luxuriandi et dominandi, tamen intenditur affectus sive furor impatientiae, et livor invidiae; unde tunc *dentibus suis frement, et tabescent (Ps. 111, 10).* Et quoniam vigebit in eis odium et invidia; ideo vehementer tristabuntur, et tabescent in gloria electorum Dei; ideo ad satiandum suam impiissimam aemulationem et odium vellent nullos esse beatos, imo omnes esse miseros. Et quia nec ipsi ad beatitudinem possunt pertingere, nec alios possunt a statu beatitudinis amovere; ideo in semetipsis vehementer tabescunt et confunduntur." *4. dist. 50. p. 1. a. 1. q. 3.*

[23] „Damnatorum poena post taxationem nullam habet mitigationem; ante vero, utique mitigationem recipit." — „Mitigatio poenae damnatorum dupliciter potest intelligi, aut quantum ad taxationem et inflictionem poenae; et sic absque dubio est ibi mitigatio, quia divina justitia non tantum vel totum exigit, pro eo quod, ejus pietate interveniente, aliquam partem poenae infligendo remittat: alio modo potest intelligi mitigatio post poenae taxationem et inflictionem, et hoc modo nulla cadit mitigatio a divina misericordia, quia ex tunc claudit eis Dominus viscera pietatis. Rationes igitur ostendentes, quod est ibi mitigatio, omnes procedunt secundum istam viam, scilicet quantum ad inflictionem. Unde ostendunt ibi mitigationem, quantum ad ea, in quibus homo punitur, quantum ad tempus, et quantum ad mensuram, quia non tantum infert Deus, quantum homo meruit: *Misericordiae Domini* est, *quod non sumus consumpti (Thren. 3, 22);* et iterum poenam differt, et postremo acerbitatem minuit." *4. dist. 46. a. 1. q. 2.*

[24] „Electi damnatorum poenas et nunc et post judicium considerant; damnati vero nunc tantum electorum gloriam, nam post judicium a poenis absorbebuntur." — „Consideratio sive cognitio gloriae beatorum est miseris et reprobis poenae; et consideratio sive cognitio poenae reproborum est electis gaudium, quia illi considerant gloriam sub ratione amissionis, isti poenam sub ratione divinae ultionis; unde *laetabitur justus, cum viderit vindictam (Ps. 57, 11).* Quoniam igitur gloria electorum semper manet, et post judicium erit copiosior; ideo electi et nunc et tunc vident poenam damnatorum, secundum quod dicitur in Isaia *(56, 24);* vident, inquam, in Deo, sicut in speculo aeterno, cum faciat ad eorum gloriam cumulandam. Reproborum poena similiter post judicium intendetur, et adeo intendetur, ut beatorum gloriam non liceat eis considerare, nec ab eis auxilium petere, ut dives petiit, quia tormentorum suorum magnitudinem non poterunt sustinere, ita quod liceat aliis vacare, imo absorbebuntur totaliter a poenis." *4. dist. 50. p. 2. a. 1. q. 3.* — „In inferno sunt tenebrae corporales luce permixtae, non ad illuminationem et consolationem, sed ad desolationem et horrorem." — „Ad hoc respondet Isidorus, inquiens ignem gehennae habere lucem ad aliquid, ad aliquid non habere. Et hoc quidem verum est. Lucebit, inquit, ad desolationem, ut habeant, unde doleant; sed non ad consolationem, ne habeant, unde gaudeant. Ad quod intelligendum, notandum quod ignis est in triplici differentia. Est enim ignis purus, ut est in propria materia; et est ignis incorporatus, ut est in materia aliena, ut in terra vel aëre; et est ignis non tantum incorporatus, sed etiam permixtus, ut ignis sulphureus et fumosus. Primus est lux, et pure lucet et abundanter. Secundus est ignis, carbo et flamma; hic autem lucet, et tenebras expellit. Tertius est ignis fumosus, et talis est tenebrosus; et iste erit in inferno. Rursus notandum, quod lux illuminat oculum ad videndum; potest ergo illuminare ad videndum delectabilia, vel ad videndum indifferentia, vel ad videndum tristia et horribilia. Primo et secundo modo non erit illuminatio, sed tertio modo tantum." *Ibid. p. 1. a. 2. q. 1.* — „Damnati ad cumulum poenarum adeo excaecati erunt tenebris spiritualibus, ut nihil penitus cognoscant, quod possit eos tum dirigere, tum delectari; sed id tantum, quod eos possit cruciare." — „Sicut est triplex actus lucis corporalis, scilicet manifestare, dirigere et delectari; sic et in luce spirituali. Si loquamur quantum ad primum actum, sic dico, quod non omnino extra lucem erunt, quia aliqua erunt eis manifesta, sed illa solum, quae faciunt ad cumulum poenae, alia non: et ideo ista lux est ad manifestandum tenebras, et ducens in tenebrositatem; ideo non consistent in lumine. Si loquamur quantum ad secundum actum, qui est dirigere, sic dico, quod omnino erunt extra lucem, quia non poterunt dirigi, erunt enim extra omnem viam et tempus et locum bene agendi, sicut dicitur in Ecclesiaste *(9, 10): Quia nec opus, nec ratio, nec scientia est apud inferos.* Si quantum ad tertium, qui est delectari, sic dico similiter, quod erunt extra lucem omnino, quia nihil cognoscent actu, in quo delectentur, erunt enim omnino absorpti a magnitudine poenarum, ita ut non liceat eis cogitare alia delectabilia. Quod ergo dicitur omnino excaecari et extra Deum esse, hoc intelligitur quantum ad directionem et delectationem. Ad illud quod objicitur, quod nullam habent cognitionem, quia nec affectus eorum habet boni amorem, dicendum quod sicut non habebunt amorem boni honesti, sed commodi, sic nec cogitabunt de bono honesto, sed tantum commodo. Vel dicendum, quod non est simile, quia plus corrumpitur per peccatum affectus, quam intellectus. Ad illud quod ob-

jicitur in contrarium, quod habent cognitionem naturalem, et cognitionem peccatorum, dicendum, quod cognitio peccatorum non abolebitur, sed tamen nulla in eis cognitio exibit in actum, quae ad ipsorum non faciat cruciatum, vel per se, vel per accidens. Ad illud quod objicitur, quod ampliorem habebunt illuminationem, dicendum, quod aliqua peccata cognoscent, quae modo non cognoscunt, non per novi luminis donationem, sed per poenae afflictionem; quia, ut dicit Gregorius *(Moral. lib. 25. c. 7)*, poena aperit oculos, quos culpa claudit. Ad illud quod objicitur, quod secundum intellectum speculativum non est demeritum, dicendum, quod voluntas demeretur sibi, et omnibus potentiis animae, et membris corporis; ideo non tantum punietur in seipsa, sed etiam in omnibus potentiis et membris, licet ipsa puniatur principalius." *Ibid. q. 2. et ad 1—4.* — „Sunt in damnatis tenebrae spirituales, ne recordentur Dei, ut in ipso possint consolari; erit tamen Dei memoria eis ad dolorem et desolationem." — „Ad hoc facile est respondere, si revocatur ad mentem distinctio praecedens. Quoniam est recordatio aliquorum ad moestitiam et dolorem et confusionem, aliquorum ad itineris directionem, aliquorum ad consolationem. Secundam et tertiam non habebunt damnati nec respectu Dei, nec respectu aliorum, quia non erit eis memoria Dei, vel ut convertantur, sive revertantur ad ipsum, aut ut delectentur in ipso. Vigebit tamen in eis actus memoriae quantum ad primam, scilicet desolationem; quia semper habebunt memoriam peccatorum, quae commiserunt, et Dei, quem offenderunt, ad suam confusionem. Nec ho. repugnabit poenis, quia poenae exteriores ducent ad cogitandum interius suum demeritum; et ita recordatio illa non est eis via lucis, sed tenebrarum; nec ponet hominem in statu bono coram Deo, sed potius elongabit a Deo et a vero lumine." *Ibid. q. 3.*

[25] „Ipsa translatio vermis ad dolorem spiritualem manifestat, in quibus et quomodo sit vermis, si attendatur ratio transferendi. In verme enim materiali consideratur origo et morsio. Oritur, inquam, ex putrefactione, et mordet illud, in quo oritur. Sic in spirituali dolore non quilibet dolor est vermis, sed qui nascitur ex putrefactione peccati; et tunc peccatum dicitur putrefactivum, quando anima in eo requiescit finaliter. Rursus oportet, quod sit in dolore morsio; haec autem est ex concursu duorum moventium sibi invicem obviantium et resistentium. Ista duo moventia sunt in homine, voluntas naturalis et deliberativa, quarum utraque movet. Ista concurrunt per conscientiam dictantem aliquid factum esse indebitum; et tunc obviant, quando naturalis detestatur indebitum et deliberativae placet; tunc autem resistunt, quando utraque in suo actu viget, et quod illa efficaciter detestatur, altera ei immutabiliter adhaeret. Secundum hoc ergo patet, in quibus est vermis et quando. Nam deficiente concursu, qui est per peccati conscientiam, non est vermis, sicut in haereticis et in his, qui credunt peccando bene fecisse. Deficiente obviatione non est vermis, ut puta in his, qui dolent de culpa secundum voluntatem non tantum naturalem, sed etiam deliberativam, ut sunt poenitentes. Deficiente resistentia non est vermis, ut puta quando voluntas tanta delectatione fertur in peccatum, quod absorbet motum voluntatis naturalis, ut non sentiat. Et sic patet, quare vermis deficiat, aut propter defectum putrefactionis in justis, aut concursus in caecis, aut obviationis in poenitentibus vere, aut resistentiae, ut in his, qui peccant ex magna libidine. Et ex his patet, quod in damnatis vigebit vermis, quia ibi erit peccati putrefactio ex hoc, quod peccatum finaliter remansit in anima eorum. Ibi erit etiam concursus, propter peccatorum apertissimam visionem. Ibi erit etiam obviatio, propter voluntatis deliberativae obstinationem et synderesis remurmurationem. Ibi erit etiam resistentia, quia delectatio peccati erit ablata per poenae acerbitatem; et ex hoc ipsius synderesis actio fortificata, et ex hoc vermis mirabiliter rodens et puniens. Ad illud vero quod objicitur, quod synderesis est extincta in damnatis, dicendum quod synderesis triplex est actus. Primus quidem est instigare ad bonum; et iste quidem ablatus est a damnatis, quia non est amplius locus bene faciendi. Secundus, qui est retrahere a malo faciendo; et iste exstinctus est in daemonibus propter improbam malitiam voluntatis eorum. Tertius, qui est remurmuratio contra malum factum; et iste manet in eis justo Dei judicio, tamen secundum istum actum in damnatis non remurmurat malo, quia culpa, vel quia inhonestum, sed quia ex hoc puniuntur; unde iste aliquo modo est extinctus. Et quia daemones nondum sentiunt acerbitatem poenarum intense, ut damnati; ideo non habent ita remorsum. Sane tamen posset dici, quod synderesis remurmurat malo facto, quia indebitum; ipsa enim non confert culpam ad poenam, et praeterea respicit honestum, non commodum; et iterum ipsa voluntas deliberativa detestatur malum culpae propter poenam, nollet enim impius peccasse, vel fecisse, unde tot mala habet necesse pati; vel saltem mallet nunquam habuisse delectationem, quam esse in tanta miseria et dolore. Unde solvendum est, quod quantum ad istum actum, quia poenalis synderesis est ut Dei instrumentum ad flagellandum iniquos, non extinguetur; et quod remorsus modo non sic in daemonibus intensus est propter defectum resistentiae, quoniam modo delectantur in culpis." *4. dist. 50. p. 2. a. 2. q. 2. et ad object.*

[26] „Dicunt aliqui, quod damnati mallent non esse, quam sic esse. Sed appetitus eorum est inordinatus et indiscretus et phantasticus, quia sibi nocivum appetit, sicut et appetitus febricitantis, qui non venit ex natura, sed ex phantastica imaginatione, quia existimat sibi prodesse, quod nocet sibi. Sic damnati, quia existimant se habere requiem, si omnino non essent, appetunt magis non esse, quam esse in poenis: et hoc videtur dicere Augustinus *(l. 3. de lib. arb. c. 7)*. Sed tamen Sapiens dicit *(Eccle. 4, 3): Feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est.* Et ipsa Sapientia *(Matth. 26, 24): Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Et Hieronymus dicit, quod melius est non vivere, quam male vivere. Ideo dicendum aliter, quod non esse nullo modo est appetendum appetitu ordinato et recto; similiter nec esse damnatum, vel esse infelicem. Et si horum aliquid appetatur, phantasticus est appetitus, non ordinatio naturae. Sed utrumque horum fugiendum, et cum se habeant sicut excedentia et excessa, utrumque altero magis ultero est fugiendum diversis considerationibus. Quia enim non esse adimit totum bonum, poena partem; ideo hoc magis est fugiendum. Simpliciter tamen loquendo, quia corruptio in non esse in infinitum

excedit poenam intensive, in infinitum, inquam, secundum proportionem, poena vero extensive in infinitum secundum veritatem; ideo credo, quod magis appetendum esset, si poneretur in optione, omnino non esse, quam aeternaliter torqueri; loquor de appetitu, qui refugit incommodum, hoc enim judicat mens mea magis portabile, sicut decollationem magis quam diuturnam adustionem. Verumtamen secundum appetitum honesti, quia cruciatus iniqui spiritus est ad gloriam Dei, utique magis deberet ignibus subjacere ad continuam Dei laudem, quam per omnimodam corruptionem manum Dei effugere. Concedo ergo, quod damnati mallent non esse, et omnis homo recte debet illud appetere, considerata gravitate utriusque poenae; non tamen dico, quod sit magis appetendum simpliciter; tamen ipsi simpliciter magis appetunt." *4. dist. 50. p. 1. a. 1. q. 2.*

CAPUT VII.

De consequentibus ad judicium, scilicet gloria paradisi [a].

a) De gloria paradisi ed. 1484.

(In gloria est praemium substantiale, consistens in gloria animae: — consubstantiale, consistens in gloria corporis: — accidentale, consistens in aureola.)

De gloria autem caelesti hoc in summa tenendum est, quod in ipsa est praemium substantiale, consubstantiale et accidentale (I). Praemium, inquam, substantiale [1] consistit in visione [2], fruitione [3] et tentione unius summi boni, scilicet Dei; quem beati videbunt *facie ad faciem (1. Cor. 13, 12),* hoc est nude et sine velamine, quo [b] fruentur

b) Quo restit. ex ead. edit.

(I) Beatitudo, prout S. D. distinguit in textu, triplex praemium complectitur, nempe praemium substantiale, quod datur animae, praemium consubstantiale, quod refertur ad corpus, et praemium accidentale, seu aureolam.

Duo autem priora praemia diversimode ab haereticis impugnata fuerunt. Et quidem de praemio substantiali, quod totum est in beatifica visione Dei, per excessum peccarunt saec. IV Eunomiani, et saec. XIV Beguardi ac Beguinae, obscuri nominis haeretici, qui Deum non modo intuitive, verum etiam comprehensive ab humana mente, absque subsidio luminis gloriae, cognosci posse contenderunt. Beguardos anathematizavit Concil. Oecum. Viennense an. 1307 sub Clemente V indictum. Beguardorum erroribus proxime accedunt Ontologi; si enim, juxta eorum placita, immediata Dei visio est naturalis intellectui creato, huic opus non erit lumine gloriae, ut ad illam visionem perveniat. Ad Ontologismum autem deflectere (et idcirco erroribus etiam Beguardorum quoad lumen gloriae accedere) Rosminianorum doctrinam, qui dogmati de anima rationali ex nihilo condita adversantes, eam autumant non ex se atque intrinsecus rationalem esse, sed ab extrinseco lumine divinitus demisso, quo ens possibile seu commune, scilicet idealitatem Dei, quam vocant, valeat intueri, prout Episcopi Provinciae Bononiensis in nuperrimis litteris ad S. P. Leonem XIII testati sunt, aequissimi judicii homines pro comperto habuerunt. Sed contra eos Concil. Lateran. IV, cap. *Firmiter:* „Credimus, quod Deus sit incomprehensibilis". Et Conc. Viennense: „Nos, sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum praemissis erroribus de lumine gloriae damnamus et reprobamus."

Haeresibus praedictis affinia sunt deliramenta quorundam monachorum Graecorum in monte Atho prope Thessalonicam degentium, qui ab eorum duce Gregorio Palama Palamitae vulgo nuncupantur. Hi nimirum effutierunt per oculorum contorsionem et capitis inclinationem ad pectus, suppresso spiritu, a quolibet videri quamdam lucem increatam, eo modo quo Christus se conspiciendum exhibuit tribus Apostolis in monte Thabor. Haec haeresis a quodam Barlaamo monacho Calabro confutata, proscripta solemniter fuit in Concil. Oecum. Florentino an. 1439.

Per defectum vero peccarunt Graeci et Armeni schismatici, qui Deum a beatis nonnisi abstractive videri arbitrati sunt. Sed contra eos Concil. Florent. *Act. 22* in *Decreto Unionis* statuit, animas perfecte puras „in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est."

Contra praemium autem consubstantiale est haeresis Joviniani, quam deinde Lutherus est amplexus. Uterque enim praemii inaequalitatem inficiatus est; ille quidem omnem meriti differentiam, iste omnem meriti rationem, ex negatione liberi arbitrii in homine, rejiciens. Itaque adversus utrosque Concil. Flor. *l. c.* statuit: „Sanctorum animas in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, pro meritorum diversitate, alium alio perfectius."

Perpetuitas quoque beatitudinis in dubium revocata fuit ab Origene, vel ab iis qui ejus scripta erroribus interpolarunt. Sed contra est Concil. Nicaeno-Cpolitanum: „Credo . . . vitam aeternam."

avide et delectabiliter, quem etiam tenebunt sempiternaliter, ut sic verificetur illud Bernardi *(in Cant. serm. 11. § 5)*, quod Deus futurus est rationi plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, et memoriae continuatio aeternitatis [4]. Praemium vero consubstantiale consistit in gloria corporis [5], quae secunda stola dicitur; qua resumpta, perfectius anima beata tendit in summum caelum [c]. Et haec stola consistit in quadruplici dote corporis [6], scilicet in dote claritatis, subtilitatis, agilitatis et impassibilitatis; quae erunt secundum plus et minus in diversis [7], secundum majoritatem et minoritatem prius habitae caritatis [8]. Praemium autem accidentale [9] consistit in quodam decore speciali superadjecto [d], qui quidem aureola nuncupatur, et secundum Doctorum sententiam debetur triplici generi operum, scilicet martyrio, praedicationi et continentiae virginali. Et in omnibus praedictis servabitur gradus et distinctio, secundum exigentiam meritorum.

c) Bonum ibid.

d) Superaddito ibid.

Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est: quia primum principium, hoc ipso quod primum, habet summam unitatem, veritatem et bonitatem; et hoc ipso in eo etiam est ponere summam potentiam [e], sapientiam, clementiam et justitiam. Quoniam autem [f] haec *invisibilia Dei (Rom. 1, 20)* manifestari decet per opera, ideo Deus mundum istum sensibilem principians, sic produxit, sic gubernat, sic reparat, sic remunerat et consummat, quod in productione manifestetur summa potentia, in gubernatione summa [g] sapientia, in reparatione summa clementia, et in remuneratione [h] justitia consummata. Ut ergo manifestaretur potentia ad sui ipsius laudem et gloriam et honorem, omnia produxit de nihilo, faciens aliquid prope nihil, scilicet materiam corporalem, et aliquid prope se, scilicet substantiam spiritualem, et simul haec jungens in uno homine, in unitate naturae et personae, scilicet rationalem animam et materiam corporalem. Ut manifestaretur sapientia, ipse quidem providentissime omnia [i] gubernat et ordinate. Nam ipse supremum hominis regit per seipsum, mentem scilicet, quam illustrat, et infimum, scilicet corpus, per liberum arbitrium voluntatis; ut sic corpus et corporalia quoad regimen subjaceant spiritui, spiritus vero Deo. Ut manifestaretur clementia, lapsum hominem reparavit, assumendo hominis naturam, suscipiendo poenalitates, et tandem perferendo poenam: ut [j] sic summa misericordia misero misericordem faceret esse conformem ad relevationem [k] miseriae, non solum in dignitate naturae conditae, verum etiam in defectibus naturae in miseria constitutae. Ut tandem manifestaretur justitia, retribuet unicuique secundum exigentiam meritorum [10], non solum malis poenam, verum etiam justis gloriam sempiternam. Sic enim exigit retributio aequa, et reparatio gratuita, et gubernatio ordinata, et productio virtuosa, nam omnium horum consummatio est in fine [11].

e) Et add. hîc et infra ibid.

f) Igitur ibid.

g) Summa om. hîc et infra ibid.

h) Retributione ibid.

i) Omnia om. ibid.

j) Et ibid.

k) Ita ibid., in cet. revelationem male.

Primum igitur, quoniam omnium justorum praemiatio fieri debet, secundum quod exigit retributio justa et etiam productio virtuosa; et productio Dei fecit rationalem spiritum prope Deum, capacem [l] Dei, capacem scilicet secundum vim inditae imaginis ipsius beatissimae Trinitatis [12], cui in justis totus hominis spiritus secundum integritatem imaginis deservivit; hinc est, quod a nullo [m] minus Deo potest rationalis spiritus praemiari, nec impleri, nec ejus capacitas terminari [13]; ideo in praemium datur ei [14] deiformitas gloriae [15], per quam Deo effectus conformis *(2. Petr. 1, 4)*, et ratione ipsum videat [16] clare [17], et voluntate diligat [18] plene [19], et memoria retineat in aeternum [20]; ut sic anima tota vivat [21], tota [n] dotetur in tribus animae viribus [22], tota Deo configuretur [23],

l) Capacem om. ed. 1484.

m) Quod nullo modo ibid.

n) Et tota ibid.

tota illi uniatur[24], tota in illo requiescat[25], in ipso sicut in omni bono[26] inveniens pacem[27], lucem[28] et o) sufficientiam sempiternam[29], per quam in statu omnium bonorum congregatione perfecto p)[30] constituta *(Boëth. l. 3. de cons. philos. pros. 2)* et aeterna vitâ vivens, dicatur beata et etiam gloriosa.

o) Et om. ibid.

p) Perfecte ibid.

Rursus, quoniam retributio illa debet fieri, secundum quod exigit non solum retributio justa et productio virtuosa, verum etiam gubernatio ordinata; et Deus in productione corpus animae alligavit, et naturali et mutuo appetitu invicem copulavit, ad gubernationem vero subjecit, et in statu meriti fecit, ut spiritus condescenderet et intenderet corpori gubernando q) propter r) exercitium in merendo; nec naturalis appetitus patitur, quod anima sit plene beata[31], nisi restituatur ei corpus[32], ad quod resumendum habet inclinationem naturaliter insertam; nec regiminis ordo sustinet, quod restituatur corpus spiritui beato, nisi per omnia illi conforme et subjectum, quantum potest corpus spiritui conformari[33]: quoniam ergo spiritus est visione lucis aeternae clarificatus, ideo debet in ejus corpore claritas lucis permaxime s) resultare[34]. Quia vero dilectione illius summi spiritus est summe spiritualis effectus, ideo in corpore habere debet correspondentem subtilitatem[35] et spiritualitatem[36]. Et quia t) tentione aeternitatis factus est omnino impassibilis; ideo in corpore ejus debet esse impassibilitas omnimoda, tam intra[37], quam extra[38]. Quia vero ex his omnibus spiritus promptissimus est ad tendendum in Deum, ideo in corpore glorioso debet summa agilitas reperiri[39]. Quoniam igitur per has quatuor proprietates fit corpus spiritui conforme et etiam subjectum; hinc est, quod in his quatuor praecipue dotari dicitur[40], ratione quorum idoneitatem habet sequi spiritum, et locari in regione caelesti, quae est regio beatorum[41]. In istis enim proprietatibus caelestibus corporibus assimilatur[42], per quas quasi gradatim distat corpus caeleste a quatuor elementis[43]; et sic dos corporum quadruplicata et corpus in se perfectum reddit[44], et conforme habitationi caelesti et spiritui beato[45], per quem a summo capite Deo usque *in oram vestimenti (Psalm. 132, 2)*, scilicet corporis[46], plenitudo dulcedinis et beatitudinis ebrietas redundat[47], et quantum est possibile derivatur[48].

q) Et gubernando ibid.

r) Per ibid.

s) Claritas permaxima ibid.

t) Ita ibid.; in cet. quia.

Postremo, quoniam illa praemiatio debet fieri, secundum quod exigit retributio justa et productio virtuosa et gubernatio ordinata et etiam reparatio gloriosa, et in diversis Christi membris diversa sunt charismata gratiarum, non solum quantum ad interiora dona, verum etiam quantum ad exercitia exteriora, non solum quoad u) habitus, verum etiam quoad status, non solum quoad perfectionem caritatis in mente, verum etiam quoad perfectionis decorem et pulcritudinem in opere corporali; hinc est, quod aliquibus membris non solum stola animae cum tribus ejus dotibus, et stola corporis cum quatuor, verum etiam excellentia quaedam decoris et gaudii debetur propter excellentiam perfectionis et decoris habiti in corpore virtuoso. Quoniam igitur triplex est genus operis praecellenter v) perfectum et pulchrum et spirituali formositate formosum, secundum triplicem vim animae: secundum rationalem, praedicatio veritatis perducens alios ad salutem[49]; secundum concupiscibilem, perfecta declinatio concupiscentiarum per integritatem perpetuam continentiae virginalis[50]; secundum irascibilem, perpessio mortis ad honorem Christi[51]; hinc est, quod his tribus generibus justorum, scilicet praedicatoribus, virginibus[52] et martyribus[53], debetur illa excellentia praemii accidentalis, quod aureola nuncupatur[54], quod ad decorem facit non solum animae, verum etiam

u) Ad ibid.

v) Ita ibid., in cet. praecellentis.

corporis[55]; quia non redditur voluntati tantum, sed operi extrinseco[56], substernens sibi meritum et praemium caritatis, quod consistit in septiformi dote, triplici animae et quadruplici corporis, in quibus clauditur consummatio, integritas et plenitudo omnium bonorum[57] spectantium ad gloriae complementum[58]. Qualia autem et quanta sint illa, non verba mea[59], sed B. Anselmi ponantur. Ait enim in fine Proslogii *(cap. 24—26):* „Excitare nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum, et cogita, quantum potes, quale et quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt creator a creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus, quae fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quae omnia condit ex nihilo? Denique si multae et magnae delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta delectatio est in illo, qui fecit ipsa delectabilia? Qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit; et quod nolet esse, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animae, qualia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit (1. Cor. 2, 9).* Cur ergo per multa vagaris homuncio, quaerendo bona animae tuae et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit[60]. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo: *Fulgebunt justi, sicut sol (Matth. 13, 43).* Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit: *Erunt similes angelis Dei (ibid. 22, 30), quia seminatur corpus animale, et resurget corpus spiritale (1. Cor. 15, 44),* potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita, ibi erit sana aeternitas, et aeterna sanitas, quia *justi in perpetuum vivent (Sap. 5, 16),* et *salus justorum a Domino (Ps. 36, 39).* Si satietas: *Satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei (Ps. 16, 15).* Si ebrietas: *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei (Ps. 35, 9).* Si melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deum laudantes[61]. Si quaelibet non immunda, sed munda voluptas: *Torrente voluptatis tuae potabis eos Deus (ibid.).* Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plus quam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus illos plus quam seipsos, quia illi illum, et se invicem per illum, et ille se et illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suae voluntatis, ut Deus suae. Nam sicut poterit Deus, quod volet per seipsum; ita poterunt illi per illum, quod volent, quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille, ita ille volet quidquid illi volent[62], et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiae, Deus suos *servos bonos et fideles supra multa constituet (Matth. 25, 21);* imo *filii Dei,* et Dii *vocabuntur (ibid. 5, 9)* et erunt; et ubi erit Filius Dei, ibi erunt et illi[63], *haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi (Rom. 8, 17).* Si vera securitas, certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros; nec delectorem Deum illud delectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est?

Cor humanum, cor indigens, cor expertum aerumnas, imo obrutum aerumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro te ipso. Si vero duo, vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis, quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum amares. Ergo in illa perfecta civitate innumerabilium angelorum et hominum beatorum, ubi nullus minus diliget alium quam seipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet suum gaudium, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Et utique quia quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet, sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum, quam se et omnes alios secum; ita gaudebit plus absque aestimatione de felicitate Dei, quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis; profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

Nondum ergo, Domine, dixi, aut cognovi, quantum gaudebunt illi beati tui; utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent te. Quantum cognoscent te, et quantum amabunt te? Certe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9)* in hac vita, quantum te cognoscent, et amabunt in illa vita. Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te; et si non possum ad plenum in hac vita, ut proficiam in dies, usque tum veniat illud ad plenum; proficiat hîc in me notitia tui, et ibi fiat plena; crescat hîc amor tuus, et ibi fiat plenus; ut hîc gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum. Domine, per filium tuum jubes, imo consulis, petere, et promittis accipere, ut gaudium nostrum plenum sit. Deus verax, peto, accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Peto, Domine, quod per admirabilem consiliarium nostrum consulis; accipiam, quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim inde mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus et unus Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen“ [64].

Ad Caput VII.

[1] „Ideo dicitur praemium substantiale, quia fundamentum et substantia totius nostrae beatitudinis est Deus; et, illo perfecte habito, perfecta est in nobis beatitudo.“ *2. dist. 40. a. 2. q. 3.*

[2] „Amor, sicut vult Bernardus *(de nat. amor. div. c. 7)*, multo plus se extendit quam visio, ex sola enim aestimatione sequitur aliquando dilectio. Et ipse etiam dicit *(ibid. c. 8)*, quod ubi deficit intellectus, ibi proficit affectus. Et ratio hujus est, quia visio est solummodo rei praesentis, sed dilectio non solummodo est rei praesentis, sed etiam absentis. Praeterea visio non dicit qualemcumque modum cognoscendi, sed modum cognoscendi completum, dilectio vero et perfecta potest esse et imperfecta; ideo quamvis immediata Dei dilectio sit in via, non tamen oportet, quod visio, sive cognitio, sit immediata.“ *2. dist. 23. a. 2. q. 3 ad 4.*

[3] „Frui est uti cum gaudio, gaudium autem ad voluntatem proprie pertinet.“ *1. dist. 1. a. 2. q. 1. fund. 1.* —

„Fruitio de sui generali ratione dicit amoris unionem, scilicet fruibilis cum fruente. Quoniam ergo contingit aliquid uniri sibi et alii, convenit non tantum frui alio, sed etiam seipso. Sed ubi est unio ad alterum, ibi est dependentia, inhaerentia et indigentia; ubi vero ad seipsum, si ipsum est summum bonum, non est inhaerentia, nec dependentia, vel indigentia, sed omnimoda sufficientia. Si vero ipsum bonum deficiens est, indiget; et inde est, quod solus Deus seipso perfecte fruitur. Nihil autem aliud ab ipso potest perfecte seipso frui, solus enim Deus est summum bonum, et diligit se fruendo se, diligit etiam alia fruendo se; et ita nec fruitio Dei, nec usus est cum indigentia, sicut nostra fruitio et usus.“ *1. dist. 1. dub. 12.*

[4] „Aurea est merces incorruptibilis et aeterna, veritate et bonitate. Comparatur autem talis merces aureae propter tria, aurea enim est corona de auro, corona autem debetur filio regis. In qua etiam, quantum est in se, non est reperire principium, neque finem. Et materia, de qua est, scilicet aurum, est inter cetera metalla maxime incorruptibilis. Praemio ergo, quod dicitur aurea, praemiantur, qui transeunt ad regni haereditatem, ad Dei aeternitatem, ad sui soliditatem, sive incorruptibilitatem. Hoc autem praemium debetur cuilibet virtuti, et praecipue redditur caritati, et aliis virtutibus gratia caritatis, nam si finalis caritas amittatur, illud praemium nulli datur. Et quia est bonum increatum, de quo percipitur ista merces, dicitur etiam nunc aurea, nunc praemium substantiale, nunc bonum essentiale.“ *Centiloq. part. 4. sect. 1.*

[5] „Beatitudo est in sola anima, ut in subjecto per inhaerentiam; in corpore vero per redundantiam.“ *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 3.*

[6] „Dotes corporis dicuntur non omnes qualitates, sed qualitates nobiles et principales, de novo superadditae naturae.“ *4. dist. 49. p. 2. a. 2. q. 1. in concl.*

[7] „Dotes in corporibus beatorum sunt secundum plus et minus, et perfectius et minus perfectum in diversis. Ad cujus intelligentiam notandum, quod quaedam recipiunt magis et minus per contrarii permixtionem, ut puta quando eorum utrumque contrariorum est aliqua natura, ut album et nigrum. Quaedam recipiunt magis et minus per accessum ad complementum, ut sunt illa, quorum opposita sunt privationes, ut bonum et lucidum. Dico ergo, quod dotes corporis recipiunt magis et minus per accessum ad terminum, non per immixtionem contrarii... Rursus notandum est, quod in recipientibus magis et minus, quaedam sunt, quae dicunt privationem simul et positionem, sicut impassibile, quod dicit virtutem ad non patiendum, et dicit privationem passionis; similiter subtile et agile. Et dico, quod quantum ad privationem, quia totum et universaliter privat, non recipit magis et minus. Sed quantum ad positionem, quae non est in summo, recipit magis et minus.“ *Ibid. p. 2. a. 2. q. 2.*

[8] „Diversitas et distinctio est in praemiis secundum majus et minus, sicut fuit in meritis. Ad intelligentiam autem objectorum notandum, quod sicut beatitudo dicitur dupliciter, vel satians effective, sicut objectum, vel satians informative, sicut perfectio; sic et praemium, sive donum. Nam si dicatur sicut objectum, omnino una est merces, unus Deus, una beatitudo, unum praemium. Si autem formaliter, sic dicitur beatitudo una unitate conformitatis, una unitate connexionis; sed tamen differens est quantitate gaudii et remunerationis, unus enim alio clarius videt Deum, et magis de illo gaudet, et strictius tenet.“ *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 6.* — „Divina Scriptura insinuat nobis differentias praemiorum secundum diversitates meritorum. Unde invenitur merces salva, merces magna, digna, plena, temporanea, festina, fidelis, copiosa, perpetua. Merces salva est, angelis ministrantibus nobis; magna datur praelatis, sive praesidentibus; digna obedientibus, plena contemplantibus, temporanea datur operantibus, festina proficientibus, fidelis perficientibus, multa sive copiosa patientibus, sed perpetua perseverantibus. Unde de salva mercede angelorum, quia ob ministerium, quod habent erga nos, a suo praemio non fraudantur, dicitur: *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, salva mercede sua (Tob. 5, 4).* De mercede magna praesidentium a Domino dicitur ad Abraham, qui typum gerit praelatorum: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis (Gen. 15, 1).* De mercede digna obedientium dicitur: *In posterum cognoscatur omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem (Esth. 16, 23).* De mercede plena contemplantium dicitur ad Ruth, quae typum gerit contemplativorum, quae cuncta reliquit propter Deum, et interpretatur ovis, vel videns, ut ovis dicatur propter mititatem affectus anima contemplativa, sed videns propter illuminationem intellectus. Unde dicit ei Booz: *Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israël, ad quem venisti, et sub cujus confugisti alas (Ruth 2, 12).* De mercede temporanea operantium dicitur: *Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo (Eccli. 51, 38).* De mercede festina proficientium dicitur: *Benedictio Dei in mercedem justi festinat (ibid. 9, 24).* De mercede fideli perfectorum, ut praedicantium, vel talium, dicitur: *Seminanti justitiam merces fidelis (Prov. 6, 18).* De mercede patientium copiosa sive multa, dicitur hic et apud Matthaeum *(5, 12): Ecce enim merces vestra copiosa est in caelis.* De mercede vero perpetua, quae congruit perseverantibus: *Non verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in aeternum (Eccli. 18, 22).* Sic ergo secundum diversitates meritorum appropriantur differentiae praemiorum, et sic *reddet Deus justis mercedem laborum suorum (Sap. 10, 17).*“ *Expos. in Luc. cap. 6. v. 20—23.*

[9] „Praemium accidentale consistit in gaudio, quod habetur de bono creato, vel de liberatione ab aliquo malo.“ *2. dist. 40. a. 2. q. 3.*

[10] „Quod objicitur, quod quidquid Deo convenit, summe dicitur, verum est de eo, quod absolute dicitur, et quod nominat per modum habitus, secundum quod dicit effectum in non summe, sicut Deus non summe punit, nec summe perficit, sed quatenus convenit.“ *Expos. in Ecclen. c. 7. v. 17.*

[11] Dionysius *(l. 4. de div. nom.)* „dicit, quod bonitatem ut principium et ut continentiam et ut finem omnia appetunt; ut principium, a quo sunt; ut continentiam, per quam salvantur; ut finem, in quem tendunt. Unde divinus amor est quidam actus aeternus, ex optimo, per optimum et in optimum. Ex quo colligitur, quod dicit conjunctionem principii cum fine.“ *1. dist. 45. a. 2. q. 1.*

[12] „Rationalis creatura immediate in Deum ordinatur, et expressissime inter creaturas Deum imitatur; et ratione

hujus assimilationis et convenientiae habet rationem imaginis et congruitatem respectu divinae unionis." *3. dist. 2. a. 1. q. 1 ad 2.*

[13] „Duo sunt, quae faciunt appetitum, scilicet convenientia et indigentia. Quoniam igitur anima rationalis creata est ad Dei imaginem et similitudinem, et facta est capax boni sufficientissimi, et ipsa sibi non sufficit, cum sit vana et deficiens; ideo dico, quod veram beatitudinem appetit naturaliter." *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 2.*

[14] Beatitudo est in anima primo secundum potentiam, in quantum ipsa tenet rationem substantiae, veluti etiam gratia." — „Opinio quorumdam est sicut de gratia, ita de gloria, quod sicut differt gratia et virtus, ita beatitudo et dos. Et sicut gratia respicit animae substantiam, et ideo est una, virtus vero potentiam, et ideo plures; sic et gloria, quae animae substantiam respicit, ideo est una; sed dotes potentias, ideo plures. Et exemplum naturale est in anima humana perficiente corpus, quae in quantum vivificans respicit complexionem, quae est una in toto corpore, in quantum motor respicit organa diversa. Sed credo hoc esse magis per appropriationem, quam proprietatem et veritatem. Corpus enim nunquam dispositum est ad vitam, qualemcumque habeat complexionem, nisi etiam habeat organizationem; unde nec influentia vitae, nec motus est ab anima in corpus, nisi naturaliter praeexistat dispositio organizationis. Similiter credo in gratia et gloria, quod anima non est capax gratiae nec gloriae, nisi per mentem. Unde credo, quod tam gratia, quam gloria primo est in potentia. Sed esse aliquid in potentia hoc est dupliciter. Aut secundum dispositionem et habilitationem ejus ad actum proprium, quia sic potentiae distinguuntur; et quod sic est in potentia, multiplicatur, et est in potentia secundum rationem potentiae. Aliquid vero est in potentia secundum conformationem ipsius ad aliquod unum, et unionem ad illud; et quod sic est in potentia, non multiplicatur in potentiis, imo esse in potentia dicitur, secundum quod habet rationem substantiae; et sic gratia et gloria, quarum unaquaeque est deiformitas et conformitas ad Deum. Et quia uni et eidem conformatur et reformatur ipsa anima; ideo una est gratia et gloria in pluribus potentiis, sicut una anima in pluribus organis, et una sanitas in pluribus membris." *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 4.* Vide superius *part. V. cap. 1. n. 5.*

[15] „Quoniam certitudinalis cognitio competit spiritui rationali, in quantum est imago Dei; ideo in hac cognitione aeternas rationes attingit. Sed quia in statu viae non est adhuc plene deiformis, ideo non attingit eas clare et distincte, sed secundum quod magis et minus; et cum deiformitatem attingit vel accedit, secundum hoc magis et minus eas attingit, semper tamen aliquo modo, quia nunquam potest ab eo ratio imaginis separari. Unde quia in statu innocentiae erat imago sine deformitate culpae, nondum tamen habens plenam deiformitatem gloriae; ideo attingebat ex parte, sed non in aenigmate. In statu vero naturae lapsae caret deiformitate, et habet deformitatem; ideo attingit eas ex parte et in aenigmate. In statu vero gloriae caret omni deformitate, et habet plenam deiformitatem; ideo attingit eas plene et perspicue." *Quaest. anecd. etc. in concl.*

[16] „Quaeritur, utrum Deus in patria videatur per medium, an sine medio. Respondendum est, quod videre per medium hoc potest intelligi tripliciter, aut per medium disponens, aut per medium deferens, aut per medium deducens. Per medium disponens recte et catholice ponitur Deum in patria esse videndum. Quia anima in patria, mediante deiformitate et influentia gloriae, disponetur ad hoc, quod clarissime possit Deum in seipso videre. Deiformitas enim gloriae sufficiens est dispositio ad hoc, quod anima Deum in se possit videre. Ad hoc enim quod videat, non oportet, quod anima potens sit in Deum agere, videre enim potius est in suscipiendo quam in agendo, maxime cum videtur lumen. Nec oportet eam proportionari quantitative, scilicet quantum ad infinitatem, ut sit tanta, quanta Deus in virtute est: scilicet sufficit qualitative quantum ad similitudinem expressam, secundum cujus majorem et minorem participationem erit ordo in gradibus praemiorum in futura gloria ... Per medium autem deferens nullus posuit Deum videri, cum ipse sit immediatus rationali creaturae. Sed per medium deducens, sive contemperans, posuerunt aliqui Deum videri, ne per excellentiam lucis obtunderetur acies intellectus, et potius dejiceretur, quam laetificaretur. Sed hoc ponere non est sanum, nec habet rationem, quia lumen illud potius est salvativum, quam corruptivum, unde excellentia illius in nullo obest, sed potius confert: et quia pax et gaudium et lux illa *superat omnem sensum (Phil. 4, 7),* homo totus ideo undique completur, ut nihil aliud quaerat, sed potius absorbeatur ipsa nostra intelligentia ab eminentia lucis, sicut et ipsa nostra affectio a torrente voluptatis." *2. dist. 23. a. 2. q. 3 ad 7.* — „Impossibile est me cognoscere lucem aeternam, quin fiam ei conformis per influentiam luminis ... Hoc verum est. Sed quia Deus per idem ipsum, quod est lux in se, est exemplar aliarum rerum; ideo non oportet, quod per aliud et aliud fiam conformis ipsi, ut est lux, et ut est exemplar, sed per idem alio modo se habens. Idem enim lumen gloriae habilitat ipsam animam ad cognoscendum ipsum Verbum aeternum, in quantum lumen comparatur ad ipsum Verbum sub ratione lucis: idem etiam habilitat ipsam animam ad cognoscendum alia a Verbo in ipso Verbo, in quantum comparatur ad ipsum Verbum, ut est exemplar aliorum. Et quia Verbum est exemplar voluntarie repraesentans, ideo lumen illud non comparatur nisi ad illa, quae ipsum divinum exemplar repraesentant voluntarie. Hinc est, quod per illud lumen, etsi cognoscat Verbum, non oportet, quod cognoscat omnia alia a Verbo, quorum ipsum Verbum est exemplar ... Ad hoc quod aliquis intellectus creatus cognoscat res in Verbo, sive Christus, sive alius, sufficit quod habeat deiformitatem gloriae, per quam fit similis ipsi Verbo; nec oportet ei dari rerum similitudines aut habitus particulares, quia magis sibi sufficit ipsa summa veritas ad cognoscendum omnia, quam omnes rerum similitudines speciales. Unde limpidius cognoscit angelus, et etiam anima Christi, res in Verbo, quam cognoscat in se vel in proprio genere." *3. dist. 14. a. 2. q. 1 ad 4. 5.* — „Quamvis secundum processum naturae deliberatio indigeat successione et tempore, tamen secundum plenitudinem divinae gratiae et gloriae possibile est ipsi animae in instanti discernere quod aliâs non possit facere sine continuo et tempore. Et sic per deiformitatem gloriae

intellectus potest simul plura intelligere, quamvis per naturam non intelligat nisi unum solum simul et semel.“ *3. dist. 18. a. 1. q. 1 ad 3.* — „Quadruplex est genus cognoscendi Deum, videlicet per fidem, per contemplationem, per apparitionem et per apertam visionem. Et primum est gratiae communis, secundum est gratiae excellentis, tertium gratiae specialis, et quartum gloriae consummantis. Et sufficientia istorum modorum ita colligitur. Omne enim quod cognoscitur, cognoscitur per aliquid praesens; si igitur Deus cognoscitur, necesse est, quod per aliquid praesens intellectui cognoscatur. Praesens autem voco hoc, secundum quod Augustinus *(in Jo. tract. 1. in fine)* vocat, quod praesens est intellectui ad videndum. Aut igitur cognosco Deum per hoc, quod est praesens mihi; aut per hoc, quod est praesens alii. Si per hoc, quod est praesens alii, sic est cognitio fidei. Quod enim Deus sit trinus et unus, hoc ego credo Dei Filio, qui hoc enarravit et praedicavit, et Spiritui sancto, qui hoc inspiravit. Quod enim credimus, debemus auctoritati, sicut dicit Augustinus *(de util. credendi c. 11)*. Si autem cognosco Deum per hoc, quod est praesens mihi, hoc potest esse tripliciter. Aut per hoc, quod est praesens mihi in effectu proprio; et tunc est contemplatio, quae tanto est eminentior, quanto effectum divinae gratiae magis sentit in se homo, vel quanto etiam melius scit considerare Deum in exterioribus creaturis. Aut est praesens mihi in signo proprio; et sic est apparitio, sicut apparuit Deus Abrahae in subjecta creatura, quae ipsum Deum figuravit, et sicut Spiritus sanctus apparuit in columba. Aut est praesens Deus in lumine suo, et in seipso; et sic est cognitio, qua videtur Deus in vultu suo, sive facie ad faciem; et sic est aperta visio, quae tota dicitur merces omnium meritorum.“ *2. dist. 23. a. 2. q. 3.* — „Gloria est habitus in actu ... sed ex hoc non sequitur, quod omnis cognitio, quae est in gloria, sit in actu continuo, sed de illa solum, quae est de essentia gloriae.“ *3. dist. 14. a. 2. q. 2 ad 2.* Cfr. quoque *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1.*

[17] „Fidei habitus per claram gloriae Dei visionem omnino, non tantum quoad actum, sed quoad habitum, tollitur in patria“ *). — „Quod sic, videtur; quia, secundum quod dicit Apostolus *(Hebr. 11, 1): Fides est argumentum rerum non apparentium.* Super quo dicit Gregorius, quod quae apparent, non fidem habent, sed agnitionem. Si ergo in patria secreta, quae nunc credimus, erunt manifesta; videtur, quod fides simpliciter erit evacuanda.“ — „Ratio evacuationis, quam assignat Apostolus *(1. Cor. 13, 10)*, est imperfectio, ait enim: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sed constans est, quod cognitio fidei est ex parte, cum sit *per speculum* et *in aenigmate (ib. 13, 12);* ergo necesse est ipsam evacuari, superveniente visione speciei.“ — „Item, credere manifestum non spectat ad habitum alicujus virtutis, cum simpliciter sit necessitatis; sed in patria secreta, quae credimus, manifestabuntur; ergo credere ibi non erit ab aliquo virtutis habitu. Sed habitus ipsius fidei, essentialiter loquendo, virtus est; si ergo ibi auferetur ratio virtutis, necesse est ipsum, quantum ad essentiam suam, evacuari et tolli.“ — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hîc est duplex modus dicendi. Aliquibus enim videtur esse dicendum, quod cum quaeritur, utrum fides evacuetur, non est simpliciter respondendum affirmando vel negando, quantum enim ad aliquid evacuatur, et quantum ad aliquid non. In ipsa enim fide duo est reperire, videlicet illuminationis habilitatem, et aenigmatis obscuritatem. Quantum ad luminis habitum fides non evacuatur, sed perficitur et consummatur; quantum vero ad aenigmatis obscuritatem, cum sit ex parte, simpliciter tollitur. Et iste modus dicendi confirmari posse videtur per illud, quod dicitur in Glossa super illud: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, etc.* Glossa: Destruetur imperfectio, non id, quod verum est, evacuabitur; desitio imperfectionis est, quando illud, quod imperfectionis est, impletur. Et secundum istum modum dicendi facile est declinare rationes ad utrumque partem. Nam primae, quae probant, quod habitus fidei evacuatur, concludunt ratione aenigmatis et imperfectionis; rationes vero ad oppositum concludunt de ipsa fide quantum ad perfectionis habitum et complementum luminis. Licet autem hic modus dicendi satis videatur probabilis, non tamen consonat verbis Augustini. Augustinus enim dicit *(lib. 14. de Trin. c. 3):* Fides, quae nunc in animo nostro est, velut corpus in loco, dum tenetur, aspicitur, amatur, quamdam efficit Trinitatem. Sed ipsa non erit, quando fides hîc in animo non erit; quae vero tunc erit, quando jam recordabimur in nobis fuisse et non esse, alia perfectio erit. In quibus verbis vult dicere, sicut per exemplum, quod praemittitur paulo ante, patet, quod sicut corrumpitur aliquod corpus, quod homo sensibiliter intuetur, et, ipso corrupto, memoratur ipsius corporis non per ipsius corporis veritatem, sed per similitudinem in anima remanentem; sic et in ipsa fide. Unde vult, quod habitum fidei nostrae, quem interius intuemur, inter temporalia computemus. Et quia aliquando deficit, non potest quantum ad ipsius intuitum ratio imaginis, quae perpetua est in anima, attendi. Constat autem, quod de ipso habitu fidei loquitur secundum illud, quod habet positionis et perfectionis, quia secundum illud intra seipsam anima illum habitum intuetur: aliter non valet tota ratiocinatio illa, quam ibidem satis facit prolixe. Non etiam videtur consonare verbis Glossae et Apostoli. Quia si fides evacuaretur solummodo secundum illud, quod habet imperfectionis, et maneret secundum illud, quod est in ea complementi et perfectionis, sicut non dicuntur evacuari virtutes cardinales, nec habitus caritatis, sic nec diceretur evacuari habitus fidei, quin potius perfici et compleri. Et propterea est alius modus dicendi magis communis et usitatus, quod si loquamur de habitu fidei, secundum quod fides est virtus specialis, sic per gloriam habet simpliciter evacuari, pro eo quod fides est habitus virtutis, in quantum intellectus inclinatur ab affectu; hoc autem non potest esse, nisi quamdiu intellectus de se incertus est de his, quae credere debet. Et quoniam in patria illuminatio et claritas visionis praecedet motum affectionis, nec ab ipsa inclinatur intellectus propter ipsius summi luminis

*) In patria tolli actus fidei et spei Benedictus XII in Const. *Benedictus Deus,* an. 1336, his verbis definivit: „Definimus ... quod visio divinae essentiae ejusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes proprie theologicae sunt virtutes.“

claritatem, a qua intellectus nullo modo poterit dissentire; hinc est, quod habitus fidei simpliciter per visionem gloriae habet tolli, secundum quod auctoritates Sanctorum et Glossa dicunt satis expresse ... Ad illud vero, quod objicitur primo in contrarium ex parte generis, quia est virtus theologica, quae perficit potentiam animae secundum digniorem ejus partem, dicendum quod fides est perfectio potentiae non qualiscumque, sed secundum statum imperfectionis et viae, in quo intellectus potest aberrare a veritate, et in via captivari. Unde non evacuatur quia perfectio simpliciter, sed quia perfectio secundum talem statum. Nec est simile de virtutibus cardinalibus, quia actus earum principaliores non solum perficiunt ipsas potentias secundum statum viae, sed etiam secundum statum patriae. Ad illud, quod objicitur ex parte diffinitionis, dicendum quod fides non est *substantia,* sive fundamentum, simpliciter *rerum sperandarum,* sed solum secundum illum statum, in quo aeterna bona exspectantur. Similiter non est illuminatio ad videndum Deum simpliciter, sed ad videndum Deum per speculum. Et quoniam huic statui succedet alius status, in quo erit stabilius fundamentum et perfectior illuminatio; hinc est, quod fides evacuatur non propter fundamenti destructionem, sed propter stabilioris constructionem; non propter luminis privationem, sed propter luminis perfectionem, quae excludit specularem et imperfectam cognitionem. Ad illud, quod objicitur de actu fidei, qui est assentire primae veritati, et velle credere, sive credidisse, dicendum quod neutrum est actus fidei, nisi in quantum homo assentit veritati non visae, in quo quidem assensu et credulitate intellectus inclinatur a voluntate; quod quia non est in patria reperire, non sunt illi actus in patria ab habitu fidei, sed a virtute excellentiori. Ad illud quod objicitur, quod magis repugnat ipsi fidei tenebra peccati, quam excellentia praemii, dicendum quod de habitu fidei est dupliciter loqui. Aut in quantum est habitus ab aliis virtutibus distinctus, aut in quantum est gratia informatus. Si in quantum est gratia informatus, sic veritatem habet verbum propositum, gratia enim ipsius habitus informati tollitur per culpam, non autem per gloriam. Si autem loquamur de ipsa fide, secundum quod est habitus distinctus habilitans ad credendum non visum, sic propter suam imperfectionem majorem oppositionem habet ad statum gloriae, quam ad statum peccati; et ideo per gloriam habet evacuari, quamvis non habeat per peccatum tolli. Ad illud quod objicitur, quod cognitio matutina non excludit vespertinam, nec visio in specie excludit visionem in speculo, dicendum quod differt dicere, videre rem in speculo, et per speculum. Per speculum enim dicitur videre Deum, qui ascendit a cognitione creaturae ad cognitionem Creatoris. In speculo autem videt, qui Deum in ipsa creatura clare intuetur. Prima visio non erit in gloria, quia non erit ibi necessaria scala. Secunda vero erit, quia Deus videbitur aperte in omnibus creaturis, ut dicit Augustinus *(de civ. Dei l. 22. c. 29).* Et illa visio, quae est per speculum, spectat ad ipsam fidem; illa vero, quae est in speculo creaturae, spectat ad cognitionem vespertinam, quae bene poterit servari in patria; et ideo non est simile de fide et cognitione illa. Et attendendum est hîc, quod plus differt visio per speciem a visione per speculum, quantum ad cognitionem ipsius Dei, quam quantum ad cognitionem alicujus creaturae sensibilis. Si enim aliqua creatura sensibilis videatur in propria natura, et videatur per aliquod speculum, in quo resultat, non est differentia inter visionem istam et illam nisi in hoc, quod una est per speciem secundum directionem simplicem, alia est per speciem secundum directionem reflexam; et ideo ab uno et eodem oculo, et secundum omnem statum, de eadem re visa haberi potest visio. In visione autem ipsius Dei, quae est per speciem et per speculum, major est differentia tum a parte videntis, quia in una illarum est cognitiva potentia obumbrata, in altera illuminata; tum a parte medii, quia in una videtur Deus per sui essentiam, in altera vero per effectum creatum. Et ideo una istarum cognitionum est in quiete et in statu, altera vero in progressu, secundum quod dicit Apostolus *(2. Cor. 5, 7): Per fidem ambulamus;* et ideo una per alteram tollitur. Ad illud quod objicitur, quod lumen lumini non repugnat, dicendum quod verum est, quantum est de luminis natura. Verumtamen bene contingit unum lumen per alterum evacuari ratione alicujus annexi inseparabilis, vel dispositionis praecedentis, vel effectus consequentis. Et sic est in lumine fidei, quod habet aenigma annexum: et ex hoc oritur, quod intellectus inclinatur ab affectu, et dirigit hominem ad cognoscendum non visum. Et quoniam tollitur illius aenigmatis interpositio, tollitur etiam et illa inclinatio, tollitur nihilominus habilitatio ad cognoscendum non visa, quoniam impossibile erit ab illa superna luce absentari; hinc est, quod lumen fidei, quod est proprium illius habitus, licet non ratione sui, ratione tamen annexorum, superveniente gloria, habet evacuari. Hoc autem dico de lumine, quod est proprium fidei; nam de lumine gratiae gratum facientis tenendum est, quod non habet per gloriam evacuari, sed potius consummari." *3. dist. 31. a. 2. q. 1. fund. concl. et ad 1—6.* — „Scientia in patria quoad habitum non perditur, sed completur; quo vero ad usum mutatur, et quoad modum omnino tollitur." — „Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod hîc est triplex modus dicendi. Quibusdam enim videtur, quod habitus harum scientiarum acquisitarum liberalium sive aliarum, omnino evacuentur, et simpliciter destruantur. Hic enim habitus habet imperfectionem sibi junctam inseparabiliter; et ideo ei alius habitus longe perfectior succedet, non solum ille, quo quis cognoscet omnia in Verbo limpide et aperte, sed etiam habitus, qui erit per species et similitudines universi ordinis causarum mundi, qui datus fuit ipsis spiritibus angelicis, et dabitur omnibus glorificandis, per quem cetera cognoscent, etiam eadem ipsa, quae modo cognoscunt, multo excellentius atque nobilius. Alioquin, si non daretur eis alius habitus novus ab isto, non esset in beatis rerum creatarum secundum proprium genus perfecta cognitio, quod contra veritatem est, et contra Anselmum *(de casu diab. c. 59).* Et sic concedunt in patria tolli istum habitum scientiae propter nobiliorem habitum supervenientem. Et licet haec scientia destruatur, non tamen frustra laborat, qui eam acquirit, quoniam per ipsam manuducitur homo ad cognitionem Dei et promotionem fidei, et ita ad augmentum meriti, et per consequens ad complementum praemii. Et propterea, sicut non frustra credit aliquis, licet fides evacuetur in patria; sic etiam

non frustra addiscit, licet ibi, ut dicunt, simpliciter evacuetur ista scientia. Aliis autem videtur aliter dicendum esse, videlicet quod scientia non omnino evacuetur. Est enim ibi considerare habitum et usum. In patria autem tollitur quantum ad usum, qui imperfectionis est, et manet quantum ad habitum, qui facit ad ipsius animae decorem et pulcritudinem. Si enim manebunt ibi cicatrices vulnerum, et notae operationum ad commendationem meriti et decorationem merentium, magis rationabile videtur, quod maneant ibi habitus scientiarum, quae faciunt ad ipsius animae decorem et ornatum. Tertiis autem aliter videtur esse dicendum, quod cum tria sit considerare in ipsa scientia, videlicet habitum et usum et modum; scientia quantum ad habitum manet et completur, quantum vero ad usum mutatur, sed non tollitur, quantum autem ad modum simpliciter evacuatur et destruitur. Habitus enim non tollitur, quia perfectioni non repugnat; non enim repugnant ista duo, Deum videre, et scire propositiones et conclusiones, et principia geometriae et alicujus alterius scientiae. Usus vero non tollitur omnino, quia si esset habitus absque usu et actu, esset incompletus, sive minus completus, quod nequaquam competit secundum statum illum perfectissimum et completissimum; mutatur tamen propter annexam imperfectionem. Modus vero, qui attenditur in discursu et inquisitione, et quadam successiva ratiocinatione et collatione, simpliciter destruitur, pro eo quod in patria modus cognoscendi erit per simplicem aspectum, cum ibi habeatur deiformis intellectus per gloriae complementum. Et sic, secundum istam opinionem, scientia quodam modo salvatur, et quodam modo mutatur, et quodam modo destruitur et evacuatur. Hic autem tertius modus dicendi magis consonat ipsi Glossae et auctoritati Magistri, magis etiam consonat rectae rationi; ideo magis debet et potest rationabilius sustineri." *Ibid. q. 3.*

[18] „Quaedam dilectio est a voluntate naturali, qua desideratur Deus ut beatificans; quaedam a voluntate electiva, qua quis optat Deo honorem et gloriam; quaedam a gratuita, qua in obsequium divinum captivatur ipsa voluntas tota." *2. dist. 5. a. 3. q. 1 ad 4.*

[19] „Caritatis habitus in patria non evacuatur, sed potius consummatur per gloriam, cum non habeat oppositionem ad illam, et conjungat firmissime primo bono, et sit dispositio, qua gustetur dulcedo perfectionis aeternae." — — „Absque dubio caritas in patria non evacuatur, sed consummatur, secundum quod expresse dicit Apostolus *(1. Cor. 13, 8).* Ad cujus intelligentiam est notandum, quod quaedam est dispositio, quae respectu ejus, ad quod disponit, habet oppositionem; quaedam vero est, quae simpliciter disponit. Et prima quidem per adventum ejus, ad quod disponit, evacuatur; secunda vero perficitur et consummatur. Et hujusmodi est evidens exemplum. Nam primo modo disponit medius color ad extremos, et tepiditas ad frigiditatem; et superveniente extremo, medius color tollitur propter hoc, quod medium non tantum ad extremum disponebat, sed etiam repugnabat. Secundo modo disponit transparentia ad lumen, nam, superveniente lumine, transparentia et pervietas non tollitur, sed magis perficitur et decoratur. Per hunc etiam modum intelligendum est in ipsarum virtutum habitibus, quae disponunt ad gloriae complementum. Nam quaedam disponunt sic, quod habent aliquo modo oppositionem ei, ad quod disponunt, sicut fides et spes, quae dicunt ipsius crediti et sperati absentiam et carentiam, quorum opposita sunt in gloria, scilicet visio aperta et tentio firma; ideo necesse est hos habitus tolli et evacuari per adventum gloriae. Et est alia dispositio, quae non habet rationem oppositionis, sed tantum dispositionis; et talis dispositio est caritas, quae ad gloriam disponit sicut imperfectum ad perfectum. Non tamen habet repugnantiam ad ipsam, imo conformitatem expressam; ideo quantum ad habitum non evacuatur, sed dum tollitur imperfectio, ipse habitus perficitur et consummatur. Si autem quaeratur ratio hujus, quare caritas magis consummatur complemento gloriae, quam alius habitus virtutis theologicae, hujus potest triplex ratio assignari. Prima attenditur penes qualitatem ipsorum habituum, altera vero penes dignitatem potentiarum, tertia vero penes largitatem divinorum munerum. Quantum ad differentem qualitatem habituum ratio sumitur talis, quia dilectio est respectu absentis et praesentis, visio vero et tentio non est nisi respectu habiti et praesentis, exspectatio vero et credulitas est tantummodo respectu non habiti et absentis; et ideo tam actus quam habitus ipsius caritatis statui patriae et viae est communis, et per hoc magis conformis est caritas viae caritati patriae, quam habitus credendi habitui videndi, vel quam exspectatio tentioni. Penes dignitatem ipsarum potentiarum attenditur ratio sic, quia sicut vult Bernardus *(de amore Dei c. 8):* Ubi deficit intellectus, ibi proficit affectus. Et Dionysius *(de div. nomin. c. 7. de sap.)* dicit, quod multo altius ascendit affectus noster et vis affectiva, quam vis cognitiva. Ait enim sic: Oportet cognoscere intellectum nostrum quamdam habere potentiam ad intelligendum, per quam videt intelligibilia, unitionem vero excedentem intellectus naturam, per quam conjungitur ad ea, quae sunt ultra se. Et quoniam altius elevatur ipsa vis unitiva in homine, ideo habet quamdam praecipuam excellentiam dignitatis; et habitus ipsam perficiens est aliis habitibus major et excellentior, ac per hoc statui gloriae conformior. Penes largitatem etiam divinorum munerum ratio sumitur. Quia viris sanctis Dominus largitatem suae benignitatis quodam modo communicat, et praegustare facit dulcedinem aeternae refectionis, ut in tribulationibus non succumbant, et in vastitate eremi prae ariditate et inopia refectionis non deficiant. Cum ergo sapere caelestia non possit nisi gustus dispositus secundum dispositionem illi statui convenientem, divinae largitatis munus hoc requisivit, ut gustui nostro daretur habitus et dispositio, secundum quam statui gloriae esset conformis. Haec autem dispositio est habitus caritatis, per quam dispositi sumus ad spiritualia degustanda, secundum quod vult magister Hugo. Ideo caritatis habitus non evacuatur, sed magis consummatur in patria." *3. dist. 31. a. 3. q. 1.* — „Caritas in patria dilatabitur quoad liberalitatis magnitudinem, cum ampliori affectu diligetur Deus in se et in suis creaturis." — „Latitudo caritatis dupliciter habet attendi, videlicet in liberalitatis magnitudine et diligendorum multitudine. Prima latitudo est caritati essentialis, sed secunda est eidem accidentalis. Quantum ad primam latitudinem, concedendum est caritatem in patria dilatari, quia crescit ejus bonitas, et communicationis liberalitas, et virtuositatis lau-

dabilitas. Quantum autem ad secundam latitudinem, caritas in patria non dilatabitur, quin potius restringetur, non ratione ipsius caritatis secundum se, sed ex parte diligibilium, pauciora enim erunt diligibilia. Nunc enim ex caritate diligendi sunt, sive qui sunt in statu patriae, sive qui sunt in statu viae, qui ordinati sunt, ut possint ad illum statum pervenire. Sed post consummationem numeri electorum solum illi ex caritate diligendi erunt, qui erunt in statu patriae, quia alii non erunt potentes pervenire ad illius summi boni participationem. Concedendum est ergo, quod caritas in patria dilatabitur quantum ad liberalitatis magnitudinem. Ampliori enim affectu diligetur Deus in se et in creaturis suis; adeo ut ille, qui modo videtur esse remotus, in patria sit amantissimus, et amplius inviscerabit sibi tunc caritas omnes beatos, quam modo possit homo etiam unum amicissimum sibi affectuose diligere." *Ibid. q. 2.* — „Caritatis ordo essentialis, qui attenditur secundum gradus et differentias boni et mali, remanebit in patria; licet ille, qui attenditur ratione substratae naturae, non remaneat." — „Circa hanc quaestionem est duplex modus dicendi. Unus est, quod in patria salvatur ordo caritatis, qui est in via, non tantum per comparationem nostri ad Deum, sed etiam per comparationem nostri ad proximum. Unde in omni statu, sive gloriae, sive viae, plus homo diligit seipsum quam proximum suum, et plus circa seipsum afficitur; deinde plus circa illos, qui ei conjuncti sunt, quam circa eos, qui sunt minus conjuncti. Ratio autem, quae movet hoc ponere, est, quia hujusmodi ordo consonare videtur dictamini naturae, perfectioni gloriae, rectitudini divinae justitiae. Natura enim dictat, quod homo plus se, quam alterum diligat. Gloria etiam essentialis magis respicit illum, in quo est, quam alium ei consimilem et propinquum. Divina etiam justitia ordinat, quod plus de suis meritis gaudeat homo, quae fecit, quam de alienis. Et sic per omnem modum videtur conveniens, ut ordo caritatis, quae est in via, salvetur in patria. Alius autem modus dicendi est hic, quod, cum duplex sit ordo caritatis, unus, qui respicit caritatem secundum se, qui quidem attenditur secundum gradum et differentias boni, alter, qui attenditur ratione naturae substratae, utpote ille, qui est secundum differentias proprii et alieni, propinqui et remoti; unus istorum ordinum, scilicet ille, qui est caritatis secundum se, manet in patria, ille enim est caritatis essentialis. Unde magis diligit homo in patria Deum quam spiritum creatum, spiritum magis quam corpus. Alius vero ordo, qui attenditur ratione naturae substratae, non manebit, pro eo quod non competit illi statui. In statu namque beatitudinis perfecta erit obedientia naturae respectu gloriae, perfecta conformitas voluntatis nostrae respectu divinae, perfecta etiam redundantia laetitiae communis. Quia perfecta erit obedientia naturae respectu gloriae, conformabitur tunc omnino natura gloriae, ut sicut corpus efficietur spirituale, et per omnia spiritui obtemperabit, quamvis secundum statum viae oporteat spiritum corpori condescendere; sic natura per omnia conformabitur ordini gloriae et gratiae, quae attenditur secundum differentias boni, quamvis nunc gratia condescendat ipsi affectui naturali. Rursus, quia perfecta erit conformitas voluntatis nostrae respectu divinae, non magis dilegemus illud, quod magis erit nobis propinquum, sed illud, quod plus erit Deo placitum et acceptum. Praeterea, quia erit ibi perfecta affluentia communis laetitiae, multiplicabitur gaudium hominis multiplicatione perfecta, ut tantum gaudeat de bono uniuscujusque proximi, quantum de suo, quod non posset esse, nisi diligeret proximum quantum semetipsum. Et hoc est, quod dicit Anselmus in Proslogio *(cap. ult.)*: In illa perfecta caritate innumerabilium angelorum et hominum beatorum, ubi nullus minus alium, quam seipsum diliget, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso. Quis autem istorum modorum sit rationabilior, difficile est diffinire, quamdiu sumus in statu praesentis miseriae. Si enim velimus judicare secundum ea, quae in nobis sentimus, vix videbitur alicui credibile, nec rationabile, quod aliquis omnino diligat alterum, quantum seipsum, unde judicabit primum modum dicendi esse magis verum. Si quis vero velit mentem suam altius elevare ad illud bonum incomprehensibile, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9)*, et ad illam maximam civium unionem, magis rationabilem judicabit sequentem modum dicendi, secundum quod manifeste dicit auctoritas Anselmi et Augustini *(lib. de vera relig.)*; et idipsum videtur sentire Dionysius *(lib. de div. nomin.)*. Unde, si velimus loqui ut plures, sustinebimus primum modum; si vero velimus loqui et sentire ut sapientiores, sustinebimus sequentem." *Ibid. q. 3.*

[20] „Spes, quam virtutem theologicam nominamus, per gloriam omnino evacuatur"*). — „Sicut est duplex modus dicendi circa evacuationem fidei, similiter et circa evacuationem spei. Nam et in ipso habitu spei est reperire aliquid imperfectionis, et aliquid perfectionis et complementi. Ad imperfectionem enim spei spectat illud, quod est exspectatio quaedam et protensio ad ea, quae realiter non habentur. Ad complementum autem ejus spectat confidentia et certitudo, quae facit confidere, et inniti ipsi summae largitati. Et quantum ad primum, tollitur ipsa spes et evacuatur; quantum vero ad secundum, perficitur et salvatur. Sed quoniam, sicut in praecedentibus dictum est, spes non diceretur evacuari, si solum quod est imperfectionis, tolleretur ab ipsa, illo salvo, quod est in ea perfectionis et complementi, sicut patet, quia liberum arbitrium in patria non dicitur evacuari in gloria, quamvis tollatur sibi vertibilitas, et hoc quia vertibilitas potius spectat ad liberi arbitrii defectum, quam ad complementum; si sic igitur possibile esset in proposito reperiri, nunquam deberet dici evacuari propter adventum gloriae. Et propterea communis modus dicendi est, et hunc innuit ipsa Glossa, quod habitus ipsius spei simpliciter evacuatur in gloria, et ei succedit habitus novus. Et ratio hujus est, quia habitus spei habilitat ad confidendum et innitendum Deo cum quadam protensione et erectione et exspectatione. Et quoniam statui gloriae repugnat exspectatio substantialis praemii, et protensio, et illa erectio et inhiatio, cum ibi affectus omnino quietetur; hinc est, quod habitus ipsius spei simpliciter evacuari dicitur, secundum quod spes nominat habitum virtutis theologicae, qui habilitat ipsam animam ad exspectandum substantiale praemium." *3. dist. 31. a. 2. q. 2.*

*) Vide paulo superius *ad n. 17. not. *.*

[21] „Uno modo dicitur vita actus continuus et internus, qui est a forma spirituali; et sic dicitur proprie ... Alio modo dicitur vita actus completus potentiae, quae est secundum rei naturam, sicut dicitur aqua viva, quae habet operationem aquae convenientem.“ *1. dist. 8. p. 1. dub. 9.*

[22] „Gaudium sufficiens perficitur et completur in tribus dotibus animae, quae sunt aperta visio summi veri, certa tentio summi ardui, perfecta dilectio summi boni. In primo perficitur rationalis, in secundo irascibilis, in tertio concupiscibilis. Primum est praemium fidei, secundum praemium spei, tertium praemium caritatis. Sunt autem quidam ternarii in superiori facie animae, quibus ab imo sui usque ad summum Dei pervenit, et quiescit. Sunt tria subjecta, scilicet tres potentiae naturales, rationalis, irascibilis et concupiscibilis, quae tanquam fundamenta bonis spiritualibus substituuntur. Sunt tres habitus virtutum theologicarum, scilicet fidei, spei et caritatis, quae a Deo gratis ad informationem trium virium praedictarum infunduntur, et quibus ipsae potentiae diriguntur. Sunt tres actus, quia a praedictis potentiis, mediantibus tribus habitibus supradictis, scilicet tribus virtutibus theologicis, eliciuntur, scilicet credere, assentiendo summae veritati propter se et super omnia, sperare, intendendo summae largitati propter se et super omnia, diligere, complectendo summam bonitatem propter se et super omnia. Sunt tria objecta, ad quae tres actus egredientes a tribus potentiis virtute trium habituum terminantur. Ista autem objecta sunt veritas increata, majestas increata et bonitas, ita quod summum verum est objectum fidei, summum arduum est objectum spei, summum bonum est objectum caritatis. Verum, inquam, sub ratione veri, arduum sub ratione ardui, bonum sub ratione boni. Et respiciunt haec omnia statum et meritum viatorum. Sunt etiam tria praemia, scilicet cognitio, sive intelligentia veritatis infallibilis; possessio, sive permanentia dignitatis inamissibilis; dilectio, sive complacentia bonitatis infatigabilis.“ *Centil. p. 4. sect. 3.* — „Isti tres actus sunt omnino conjuncti et connexi, unde qui perfecte videt, perfecte amat et habet; et ideo in Sanctorum verbis per connexionem, quod est omnium, attribuitur uni, magis autem visioni attribuitur propter hoc, quod in visione distinguitur status patriae a statu viae; non sic in dilectione, quia utrobique est dilectio, sed in patria est visio, non in via, sed credulitas de non viso.“ *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 5 ad 1.*

[23] „Non oportet cognitum adaequari cognoscenti adaequatione rei ad rem, sed sub ratione cognoscibilis. Unde tantum est cognitum in intelligentia, quantum repraesentatur a memoria. Quod autem simpliciter adaequetur, non oportet; adaequatur tamen, secundum quod anima convertitur supra se. Unde ratio imaginis quoad quid est plus in conversione ad Deum, quoad quid est plus in conversione animae supra se. In conversione ad Deum est plus, quia plus habet de ratione venustatis et conformitatis; in conversione ad se plus habet de ratione substantialitatis et aequalitatis.“ *1. dist. 3. p. 2. a. 1. q. 2 ad 5.*

[24] „Intellectus animae beatae ... in Verbo per unum et idem cognoscit distincte multa, et idem intellectus glorificatus cognoscendo multa in Verbo non dividitur, sed unitur, quia non applicatur ad hoc vel ad illud primo et immediate, sed mediante Verbo aeterno, quod, cum sit unum, ducit in multa cognoscibilia.“ *3. dist. 14. a. 2. q. 2.* — „Ad hoc, quod aliqua sint unum, non sufficit conformitas voluntatis, sed necesse est praesupponi convenientiam in natura. Cum ergo Deus et creaturae summe differant in natura, ideo non debent dici unum ... Quia vero vir justus conformatur per caritatem voluntati divinae, et ei adhaeret magis quam alicui alii, recte dicitur unum cum determinatione, ut puta, unus spiritus. Spiritus enim voluntas dicitur et amor, unde *qui adhaeret Deo, unus spiritus est (1. Cor. 6, 17)*, quia unius et conformis voluntatis est“ *). *1. dist. 31. p. 2. a. 2. q. 1.* — „Duplex est unitas, scilicet indivisionis et conformitatis. Unitas indivisionis attenditur in uno numero, et haec unitas est simpliciter. Unitas vero conformitatis non est in uno numero, sed in his, quibus contingit aliis conformari.“ *Ibid. q. 2. ad arg. fund.*

[25] „Solo Deo est fruendum, proprie accepto frui, prout dicit modum cum delectatione et quietatione. Sed communiter accepto frui, prout dicit modum cum delectatione tantum, omnibus, quae spiritualiter delectant, et conjuncta sunt fini, cujusmodi sunt fructus, dona et beatitudines, potest frui homo non indebite, sed primo modo, solo Deo. Et ratio hujus est, quia nihil potest animam sufficienter finire, nisi bonum, ad quod est creata. Hoc autem est bonum summum, quod superius est animâ, et bonum infinitum, quod excedit animae vires. Cognitio enim animae rationalis est cognitio non arctata, unde nata est quodam modo omnia cognoscere; unde non impletur cognitio ejus aliquo cognoscibili, nisi quod habet in se omnia cognoscibilia, et, quo cognito, omnia cognoscuntur. Similiter affectio ejus nata est diligere omne bonum; ergo nullo bono sufficienter finitur affectus, nisi quod est bonum omnis boni, et quod est omnia in omnibus, de quo bono in Exodo *(33, 19): Ostendam tibi omne bonum;* hoc autem est summum bonum; ergo etc. Similiter nihil sufficienter finit animam nisi bonum infinitum, quia ad hoc ut finiatur, necesse est ipsam finiri secundum existimationem, alioquin non esset beata, nisi se existimaret beatam. Existimatio autem supergreditur omne finitum, quia omni finito potest majus cogitari aliquid; ergo cum affectio posset se extendere eo, ubi est existimatio, necessario affectio animae supergreditur omne finitum: et si haec nullo bono finito sufficienter finitur, fruendum est ergo solo Deo, quia summum bonum et infinitum. Et non solum Deo fruendum propter perfectam finitionem, sed etiam propter perfectam delectationem. Ad delectationem enim concernitur delectabile et conjunctio ejus cum eo, quod delectat. Omne autem, quod delectat animam, delectat in ratione boni et pulchri; et quoniam solus Deus est bonitas et pulcritudo, ideo in Deo solo est perfecta delectatio. Item, quia ibi est conjunctio; solus autem Deus est, qui perfectissime conjungitur, nam conjungitur secundum veritatem et in-

*) Joannes XXII an. 1329 cujusdam magistri Ekkardi doctrinam uti haereticam damnavit, ex qua in Deum transformaremur, ita ut unum essemus cum ipso. „Nos, ita ajebat Ekkardus, transformamur totaliter in Deum, et convertimur in eum, sicut in sacramento eucharistiae panis convertitur in corpus Christi, sic ego convertor in eum, quod ipse operatur me suum esse; unum, non simile.“

finitatem. Solus enim Deus propter summam simplicitatem et spiritualitatem illabitur animae, ita quod secundum veritatem est in anima, et interior animae quam ipsa sibi. Omnes enim hae quatuor rationes ad unam reducuntur, scilicet ad hanc, quia nata est anima ad percipiendum bonum infinitum, quod Deus est; ideo in eo solo debet quiescere, et eo frui." *1. dist. 1. a. 3. q. 2.*

[26] „Beatitudo est finis satians nostrum appetitum. Satians autem nostrum appetitum est dupliciter, vel sicut objectum, vel sicut informans. Satians nostrum appetitum sicut objectum solus Deus est, ad quem capiendum humana anima ordinatur. Satians autem sicut informans est ipsa influentia Dei in animam, quae est ipsa deiformitas et satietas." *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 1.*

[27] „Deo fruor, quando in Deo conquiesco per amorem, delector per gaudium, unior per pacem. Et haec tria ordinata sunt, quia ubi est pax, necesse est, ut sit gaudium; et ubi gaudium, necesse est, ut sit quies." *Serm. 18 in Hexaëm. in fine.*

[28] „Triplex est causa, quare aliquis non videt visibile; aut enim non videt, quia non vult respicere; aut, si vult, impeditur propter defectum organi; aut propter absentiam lucis: hoc manifestum est. Similiter in spiritualibus, intellectus frequenter aliqua non intelligit, quia non vult considerare; aliquando vero non intelligit propter impedimentum ex parte corporis, ut patet in phreneticis et stultis; aliquando propter absentiam lucis. Licet enim lux increata non se subtrahat quantum ad essentiam, vel quantum ad qualemcumque influentiam, subtraxit tamen se homini, cum peccavit, quantum ad influentiam perfectam, unde dicitur inflixisse ei ignorantiam; unde sicut oculus in tenebris errat, sic hodie miser humanus intellectus. Cum autem plene restituetur in lucem, sicut oculus videre poterit omne visibile, sic intelliget omne intelligibile." *1. in Prolog. dub. 5.* — „Bonum dupliciter potest considerari, scilicet in se, et sic dicitur lux . . . et in comparatione ad vim cognitivam, et sic dicitur pulcritudo animae." *4. dist. 18. p. 2. dub. 4.*

[29] „Nihil sufficienter finit animam, nisi bonum infinitum, quia ad hoc ut finiatur, necesse est ipsam finiri secundum existimationem, alioquin non esset beata, nisi se existimaret beatam. Existimatio autem supergreditur omne finitum, quia omni finito potest majus cogitari aliquid; ergo cum affectio posset se extendere eo, ubi est existimatio, necessario affectio animae supergreditur omne finitum." *1. dist. 1. a. 3. q. 2.*

[30] „Perfectum dicit complementum, sive completionem, in qua est status. Status autem ponitur in aliquo dupliciter, aut simpliciter, aut in genere. Si simpliciter, sic est tertium membrum; si in genere creaturae, hoc potest esse dupliciter. Aut in quantum exit a Deo, et sic habet rationem vestigii: et reperitur haec perfectio in omni creatura, quando perducta est ad modum, speciem et ordinem sibi competentem. Alio modo, in quantum creatura redit in Deum; et sic est perfectio gloriae . . . Unde ponendum est, quod est perfectio secundum essentiam et secundum participationem; et hoc dupliciter, vel secundum egressum, vel secundum regressum." *2. dist. 4. dub. 3.* — „Quod dicitur, quod beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, hoc non dicitur propter bonorum multitudinem et varietatem, sed hoc dicitur per aequivalentiam, quia tantum erit illud unicum bonum, quod exspectatur, quod aequivalebit omni bono; per quem modum dixit Dominus Moysi, cum peteret, ut ostenderet ei faciem suam *(Exod. 33, 19): Ego*, inquit, *ostendam tibi omne bonum.*" *3. dist. 26. a. 1. q. 2 ad 2.*

[31] „Perfecta beatitudo est quies omnium desideriorum; si ergo anima appetit naturaliter corpori uniri, et iste appetitus, cum sit naturalis, non possit terminari nisi per unionem; impossibile est animam perfecte beatificari, quousque resumat corpus." *4. dist. 49. p. 2. a. 1. q. 1. fund. 4.*

[32] „Gaudium augeri est dupliciter, vel numerositate, vel intensione, sive qualitative. Augmentum gaudii quantum ad numerositatem non ponit augmentum in praemio essentiali, quia illud est in uno solo: sed in praemio accidentali, quod consistit in gaudio de bono creato: et illud potest augeri, maxime quantum ad objectum, ut de pluribus gaudeat tunc, quam prius. Si loquamur intensive, sic non augetur nisi per accidens, quia inclinatio animae ad corpus, quae ipsam retardat, ne intensius feratur in summum caelum, quam in illam, aufertur." *4. dist. 45. dub. 1.*

[33] „Sicut in praesenti anima in corpus influit, et per illam influentiam corpus est coloratius, corpus est durabilius, corpus est virtuosius et agilius, quam cum anima separatur; sic similiter dico in proposito suo modo, quod anima gloriosa influens in corpus omnes dotes istas, ad quas dispositiones habebat, per sui reformationem perficit et consummat. Unde credo, quod si corpus separetur, etsi esset clarum, subtile, agile et impassibile, non tamen ita ut tunc, quando anima beata erit sibi conjuncta." *4. dist. 49. p. 2. a. 1. q. 2.* — „Glorificatio corporis non facit ad beatitudinis substantiam, sed facit ad augmentum gaudii extensive, et etiam intensive removendo impedimentum." — „Dicendum, quod beatitudo dicitur gaudium per essentiam; gaudium autem potest dici majus quadrupliciter, aut quia de majori objecto, aut quia ex majori habitu, aut quia de pluribus, aut quia ex eodem habitu extensius. Primo modo majus gaudium, quia de majori, non reperitur nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum, quia quilibet gaudet de bono infinito. Secundo modo majus invenitur respectu diversorum, quia majori habitu gaudet Petrus quam Linus; sed non reperitur respectu ejusdem quantum ad diversa tempora, quia non habebit majorem habitum Petrus post judicium, quam habet nunc. Tertio modo majus, quia latius et de pluribus reperitur in eodem secundum diversa tempora, quia Petrus de pluribus gaudebit post judicium quam nunc, quia de gloria animae et corporis, et de gloria omnium salvatorum. Sed non est majus hoc modo respectu diversorum, quia de tot et eisdem gaudebit unus sanctus parvus, sicut et maximus sanctus. Quarto modo majus, quia intensius reperitur et respectu ejusdem et respectu diversorum; respectu diversorum, quia unus intensius movetur quam alter; respectu ejusdem, quia ex eodem habitu intensius movebitur anima resumpto corpore, quia nullum habebit retardans. Concedendum est igitur, quod glorificatio corporis facit ad majus gaudium quantum ad extensionem, facit etiam quantum ad intensionem, non augendo habitum, sed removendo impedimentum. Unde non facit ad augmentum praemii essentialis principaliter, sed ex

consequenti ... Corpus nunquam fiet spiritus, quamvis fiat spirituale; ergo liberior est spiritus a corpore absolutus, quam alligatus; ergo melius dispositus ad suscipiendam beatitudinem perfectam. — Dicendum, quod est spiritus a corpore absolutus substantia et affectu, et iste est liberrimus. Et est spiritus alligatus affectu, et solutus substantia; et iste non est liber, quia aliquid vult, quod non habet: et est spiritus alligatus substantia et affectu; et tunc, aut corpus est inobediens, et talis non est liber, quia non potest habere, quod vult; aut per omnia obediens, et talis est liber libertate sibi conveniente, quia nihil vult habere, nisi quod potest; et ideo habet omne, quod vult." *Ibid. q. 1. concl. et ad 6.*

[34] „Oportet omnes concedere, quod corpora illa sint luminosa; sed volunt aliqui, quod simul sint luminosa et pervia, secundum aliam et aliam rationem, pervia propter subtilitatem, luminosa vero ratione claritatis et fulgoris superadditi. Sed ista positio non est conveniens, quia si pervia essent, non terminarent visum, nec haberent distinctionem in partibus, et ita oculi non possent discerni a naso. Et iterum, magnitudo luminis non patitur corpus esse transparens, ut patet in sole, in quo est luminis aggregatio, et in candela. Alii voluerunt dicere, quod erunt simul luminosa et colorata. Colorata, per naturam quatuor elementorum, et eorum qualitatem, ex quibus constat corpus humanum; sed luminosa, ratione luminis superadditi. Nec hoc est inconveniens, ut dicunt, sicut patet in noctiluca, quae est corpus coloratum, ut patet in die; sed lucens, ut patet in nocte. Et haec positio est convenientior, quia constat, quod homines recognoscentur in patria; unde habebunt effigies, quas habuerunt, et aspectus oculorum gloriosorum pervenient usque ad superficiem corporis illius splendentis. Sicut ensis per multam tersionem non amittit colorem, sed ejus colori additur splendor; sic in proposito. Sicut etiam carbo per sui naturam alicujus coloris est, adveniente autem igne, efficitur luminosus, et tamen est coloratus, quia est ibi lux materiae terrestri incorporata; sic in proposito intelligendum, quod corpus resurgens per naturam suam habebit colorem, et claritas luminis superinduet ipsum sicut ignis carbonem. Concedendae igitur sunt rationes, quod corpora gloriosa sunt colorata et luminosa, secundum duplicem naturam." *4. dist. 49. p. 2. a. 2. princip. a. 2. q. 1.* — „Corpora gloriosa possunt claritatem suam, secundum imperium animae, oculis nostris occultare, et etiam ostendere." — „Ad hoc dicunt aliqui, quod claritas corporis gloriosi visui glorioso est manifesta, et ei occultari non potest; oculo non glorificato est occulta, et ei non potest manifestari, quia est ei improportionabilis. Unde quia occultare est de manifesto occultum facere, ideo dicunt simpliciter, quod non potest. Nec est trahendum ad consequentiam de Christo, quia Deus erat. Sed istud est mirum dicere, quod claritas corporalis omnino sit improportionabilis et occulta; et quia, si non in se, saltem possit videri in irradiatione. Et praeterea videtur Christus non miracula fecisse, sed argumenta resurrectionis ostendisse. Et ideo aliter dicendum, quod corporis qualitas secundum exigentiam ejus, in quo est, agit. Corpus autem gloriosum est subtile, et per subtilitatem suam potest omne non gloriosum penetrare, ut infra patebit, potest etiam resistere. Et ideo dico, quod quia corpus gloriosum per effectum spiritualis potentiae potest omne corpus penetrare, potest et penetrare oculum, et tunc non erit objectum ejus; et ideo potest latere. Rursus, quia potest corpori se objicere, potest et claritatem suam omnino ostendere, licet oculus obtundatur, et non comprehendat. Et quia potest omnino latere penetrando subtiliter, et omnino patere se objiciendo visibiliter; potest et medio modo plus et minus se ostendere. Unde si hîc esset anima gloriosa cum corpore glorificato, plus et minus posset de sui corporis claritate oculis nostris claudere et ostendere; et hoc per naturam illam, quia non tantum clarum est, sed penetrativum et spirituale, id est agile." *Ibid. q. 2.*

[35] „Omnes concedunt, quod corpora gloriosa habent dotem penetrabilitatis, id est subtilitatis. Sed quidam dicunt, quod hanc habent, quoniam omnia corpora eis subjacent et obediunt, et ipsa virtutem habent super omnia. Unde dicunt, quod sicut aër cedit sagittae, sic omne corpus cedit corpori glorioso. Sed illud improbatum est, quia qua virtute rejungeretur lapis, si per ipsum transiret, et caelum similiter et corpus hominis non gloriosi. Alii dicunt, quod non cedit, sed quia omnia corpora quodammodo sunt porosa, et corpus glorificatum habet rationem et naturam lucis, quae tota per essentiam salvatur in puncto, et dilabitur, quando non habet resistentiam; volunt, quod corpus gloriosum pertranseat, et non per poros multos, sed potest per unum. Sed illud adhuc videtur inconveniens, ponamus enim corpus aliquod non esse porosum, tunc per illud non posset transire. Item, quomodo est intelligendum, quod gloriosum efficiatur ita modicum sicut porus, quin deperdatur ejus figura, ejus quantitas et mensura? Ideo non est conveniens haec positio. Alii ponunt, quod quia corpus est in perfecta obedientia respectu intellectus, et intellectus potest abstrahere a quantitate naturam secundum intelligentiam, etiam abstrahere poterit secundum veritatem; et tunc corpus, abstracta quantitate, habet corporis substantiam et spiritualitatem. Unde sicut spiritus est simul cum corpore, et a corpore non impeditur, sic glorificatum corpus cum non glorificato. Sed hoc est impossibile et non intelligibile, quod sit corpus vivens et organicum, et non sit corpus quantum; ideo hoc non est ponendum. Qualiter enim salvetur organizatio et membrorum distinctio in corpore a quantitate abstracto, hoc non video. Alii vero dicunt, quod corpus gloriosum potest esse in eodem loco cum non glorioso, unde penetrat subintrando per totum, non per poros. Et hoc potest sic intelligi. Quod enim duo corpora naturalia non possint esse simul in eodem loco, non est eo quod sint duo, ante enim per naturam sunt duo, quam sint in uno loco vel duobus, quia per suas formas. Et hoc patet, quia duo puncta et duae lineae et duae superficies simul sunt in contactu physico, quia contigua sunt, quorum termini simul sunt, quandocumque in eodem loco primo sunt. Quod ergo non sunt simul, hoc est propter corpulentiam ipsorum, quia unum non est alteri pervium. Si ergo ita sit, quod alterum habeat subtilem corporeitatem et penetrativam virtutem respectu alterius, tunc quidem poterunt esse simul. Et quoniam in dote penetrabilitatis, id est subtilitatis, datur corpori subtilitas et virtus activa ad penetrandum non glorificatum; ideo penetrat, illo non cedente. Corpora vero mathematica et lineae et puncta

ideo plura sunt, quia distantia; et ideo impossibile est duo corpora mathematica, vel duas lineas vel puncta, esse simul, vel etiam mathematicum cum naturali, sicut vult Philosophus . . . Ad illud, quod objicitur de corpore glorificato, utrum possit esse simul, cum alio, aliqui dixerunt quod sic, sicut duo radii et lumina simul sunt, secundum Dionysium. Sed tamen hoc non credo, quia unum non est materiale respectu alterius, nec pertransibile alio; et ideo, quamvis sit ibi subtilitas, deficit tamen penetrabilitas. Nec est simile de luminibus, quia formae sunt habentes multiplicationem non a subjecto, in quo sunt, sed a principio effectivo, sicut dicit Dionysius; et ideo plura corpora gloriosa non possunt esse simul, sicut gloriosum cum non glorioso." *4. dist. 49. a. 2. princ. a. 3. q. 1. concl. et ad 9.*

[36] „Corpus gloriosum tangi potest, quia potest impellenti resistere, cum sit corpus verum, non vanum, vel phantasticum. Latere potest, quia potest penetrare organum tactus. Primum habet per virtutem naturae, secundum per effectum spiritualis potentiae. Et haec duo contraria sunt in nobis, sed non in illo corpore." *Ibid. a. 2. princ. a. 3. q. 2.*

[37] „Si interius pateretur; ergo aliquando corrumperetur; sed anima gaudet de unione sui ad corpus, et gaudium beatitudinis est perpetuum et securum, hoc autem non esset, si esset dissolubile; ergo etc." *Ibid. a. 2. princip. a. 1. q. 1. fund. 3.*

[38] „Corpus gloriosum est impassibile ab extrinseco omni genere actionis corrumpentis. Haec autem est duplex, scilicet per influentiam, sicut ignis comburit corpus, et per violentiam, sicut cultellus dividit. Prima non est in corpore glorioso, quia talis influentia, aut est secundum ordinem justitiae, et haec est in daemonibus et peccatricibus animabus secundum ordinem justitiae, sed in corpore glorioso non est talis passio, quia non meruit puniri; aut est secundum ordinem naturae, et ista est solum, quando patiens est talis naturae, quod materia illa appetit esse sub alio actu, privatio enim est principium patiendi. Quoniam autem in corpore glorificato jam terminati sunt appetitus; ideo si gloriosum corpus poneretur in igne inferni, non laederetur. Et per hoc patet solutio ad duo prima, quia daemon patitur secundum ordinem justitiae, licet sit superior per naturam. Patet etiam illud, scilicet secundum quod objicitur de terra, quia terra patitur, quia materia est rationem habens privationis. Alia est actio per violentiam, et de hac dicunt aliqui, quod non patitur, quia nemo est qui inferat, et si esset aliquis, qui vellet inferre, corpus posset actionem illam declinare. Sed tunc secundum istam viam corpus Adam ante lapsum habuisset dotem impassibilitatis. Ponatur etiam per impossibile, quod cultellus applicetur ventri; aut venter resistit, aut non. Si non; ergo patitur, et cultellus subintrat; et ita est passibile. Si resistit, quaero per quam naturam. Et dicunt aliqui, quod habet naturam quintae essentiae, quae non est secabilis, nec divisibilis. Unde si juxta solem esset, et impingeret cultellum, non pertransiret, et non resisteret per naturam duri et mollis, sed quia caret duritia et mollitie et passibilitate. Sed quia hoc difficile est intelligere, ideo dicendum, quod corpus gloriosum non potest pati per violentiam corporis obviantis, quia omne corpus est pervium ei, et illud pertransit, sicut videbitur. Unde, sicut si aliquis haberet cultellum crystallinum, non expelleret radium per ejus ictum, imo radius penetraret, unde non pateretur ab ipso; sic in proposito intelligendum corpus gloriosum penetrare cultellum." *4. dist. 49. p. 2. a. 2. princip. a. 1. q. 2.*

[39] „De agilitate certum est, quod ista proprietas est de perfectione et nobilitate corporis, et faciens ad expeditionem animae in corpore." — „Corporis gloriosi agilitas non inclinat ad aliquem locum determinatum, quia sequitur inclinationem animae." — „Dicendum, quod habilitas ad motum sequitur inclinationem, et inclinatio appetitus est respectu perfectionis, quia propter illam est. Quoniam igitur corpus gloriosum totam suae existentiae et nobilitatis et stabilitatis rationem trahit ab anima; ideo inclinatio ejus est ad animam, non ad aliquid extra. Et quoniam agilitas sequitur inclinationem, et anima potest movere in omnem differentiam positionis; ideo et corpus habile ad omnem situm. Unde agilitas non inclinat ad aliquem locum determinatum, sed est promptitudo, ut corpus moveatur in omnem locum, ad quem vult movere anima." *Ibid. art. 2. princip. a. 4. qq. 1. 2.*

[40] „Numerus istarum dotium, sive qualitatum perficientium corpus, accipitur ex Sapientia *(3, 7): Fulgebunt justi, et tamquam scintillae in arundineto discurrent.* In fulgore claritas, in justitia impassibilitas, quia justitia est perpetua et immortalis, in scintillae nomine subtilitas, in discursu agilitas." *4. dist. 49. p. 2. a. 2. q. 1.*

[41] „Sicut enim in statu viae et meriti anima sequitur locum corporis, et in terra habitat, cum sit nata esse sursum; sic e contra in statu patriae et praemii corpus sequitur locum spiritus, et ibidem erit, ubi natus est esse ipse spiritus; non propter se, sed propter eum, cui conjungitur: et ideo in eisdem sedibus locatur cum angelicis spiritibus, ad quorum dignitatem per gratiam est humanus spiritus sublimatus." *2. dist. 9. a. 1. q. 5 ad 3.*

[42] „Quia lux habet quatuor istas proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat; impassibilitatem, quia nihil ipsum corrumpit; agilitatem, quia subito vadit; penetrabilitatem, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit: sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes." *4. dist. 49. p. 2. a. 2. q. 1.*

[43] „Corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis, et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem. Ab aqua, quae est elementum humidum et passibile, habet passibilitatem et corruptionem; unde humidum et aqueum corpus corrumpit. A terra vero habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne animalitatem, quia calor consumit continue; ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab aëre vero habet infirmitatem, aër enim facillime immutatur, et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri, ad hoc quod corpus sit perfectum perfectione completa, ideo quatuor sunt dotes. Contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas, id est agilitas, contra infirmitatem virtus, sive penetrabilitas, id est subtilitas. Et haec sumptio convenientior est inter omnes, quoniam correspondet auctoritati et rationi. Auctoritati Apostoli, ita enim sumit Apostolus *(1. Cor. 15, 43—44): Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione;* ecce

impassibilitas: *seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* ecce claritas: *seminatur in infirmitate, surget in virtute;* ecce penetrabilitas, id est subtilitas: *seminatur animale, surget spiritale;* ecce agilitas. Unde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos removent. Similiter Augustinus *(de Civ. Dei l. 22. c. 9):* Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio; omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem vel penetrabilitatem, omnis corruptio per impassibilitatem. Concordat etiam haec positio rationi. Dotes enim corporis dicuntur non omnes qualitates, sed qualitates nobiles et principales, de novo superadditae creaturae. Et quia de novo additae naturae, dicuntur accipi secundum naturales defectus, et hi secundum causas principales, quae sunt quatuor elementa." *4. dist. 49. p. 2. a. 2. q. 1.*

[44] „Corpus resurgit, disponitur et dotatur propter gloriam animae, quae consistit in perfecta cognitione cognitiva, et unione affectiva. Ad cognitionem autem duo requiruntur, scilicet spiritualitas et luminositas, quia cognoscens debet esse spirituale, et debet habere lumen; et ideo propter cognitionem animae est in corpore subtilitas et claritas. Unio autem amoris est liberalis et fortis, *fortis* enim *est ut mors dilectio (Cant. 8, 6).* Propter libertatem debet esse corpus agile, propter fortitudinem et indissolubilitatem debet esse impassibile." *Ibid.*

[45] „Dotes hujusmodi in corpore consummatum et perfectum habent esse ab influentia animae in corpus. Anima autem in corpus influit dupliciter, scilicet ut perfectio et ut motor. Ut perfectio anima gloriosa influit vivificando vita immortali, ut motor movendo motu infatigabili, alioquin non esset gloriosa, nisi excluderet mortem et poenam. Quia ergo vivificat vitâ, ideo necesse est in corpore esse dispositionem ad vitam; et haec est lucis abundantia et claritas. Quia vero vita immortali, necesse est corpus habere dispositionem ad immortalitatem; et ita est impassibilitas. Quia vero motu infatigabili movet, ideo oportet, quod nihil resistat; et ideo subtilitas est in corpore. Oportet etiam, quod nihil retardet; et sic agilitas." *Ibid.*

[46] „Sensus visus et tactus in corporibus glorificatis erunt in suo actu, alii vero minime, licet sit dubium de auditu." — „Posse sentire est ex conjunctione potentiae cum organo bene disposito, sentire vero est ex conjunctione ipsius cum objecto. Quoniam igitur ibi erunt potentiae conjunctae organis bene dispositis, ibi erunt omnes potentiae sentiendi. Quoniam vero objecta omnium sensuum non erunt in gloria, sed quorundam; ideo quidam erunt in actu suo, quidam vero non. Objecta enim quorundam sensuum sunt proprietates absolutae, quae reperiuntur in corpore glorificando, utpote color, visus et levitas ipsius tactus. Et quia corpus gloriosum resurget cum luminositate et levitate, erunt ibi objecta duorum sensuum; ideo isti sensus erunt in suis actibus. Objecta vero aliorum sensuum non sunt proprietates corporis glorificandi, nec proprietates absolutae, sed emanationes a corporibus, ut odor et sonus et sapor; et quia non erunt in patria, ideo etc. Alia etiam ratio sumitur ex parte medii, quia medium in visu potest esse omne, quod habet rationem pervii; medium in tactu est caro sibi conjuncta. Et ideo, quia ista duo media erunt in patria, et isti duo sensus in suis actibus erunt; alii vero minime, deficientibus sibi mediis, nisi forte quis instet in auditu, de quo relinquitur in dubio, sicut de laude vocali in patria, quam ibi ponere nec videtur necessarium, nec aperte falsum; et ideo hîc opinari est licitum. Ad illud ergo quod objicitur, quod omnes erunt in actibus propter nobilitatem potentiarum majorem, dicendum, quod est actus perfectionis, et actus, qui habet imperfectionem conjunctam. Et quoniam actus gustandi habet imperfectionem conjunctam, ratione status, et similiter olfactus, ratione objecti, quod non glorificatur, et habet fieri per medium receptivum peregrinae impressionis; ergo etc. Ad illud quod objicitur, quod appetit sensus uniri objecto, dicendum, quod alius est modus appetendi, ille enim animae appetitus est ratione perfectionis esse naturalis, sed iste solum est quantum ad bene esse; et ille non potest terminari, nisi corpus uniatur; iste potest, si in tali statu ponatur, quod illo objecto non egeat ... Ad illud vero quod objicitur, quod nullus sit sensus, quia unus actus impedit alium, dicendum quod verum est, quando unus non ordinatur ad alium; non sic in proposito, sed actus rationis redundat in sensum, et actus sensus ordinatur, et subservit actui rationis; et ideo unus vigoratur ex alio. Ad illud quod objicitur, quod, ubi delectatio, ibi tristitia; dicendum, quod quidam sensus delectatur in objecto, quia est ei conveniens, perficiens et conservans, utpote est objectum respectu sensus corporis; quidam quia est conveniens et perficiens, ut intellectus in intelligibili veritate; quidam quia tantum est conveniens, ut sensus gloriosus non perficiens, quia interius perficitur, non conservans, quia incorruptibilis est; et talis non tristatur in contrario, quia non laeditur in absentia, quia non efficitur imperfectus. Quod primo modo delectatur, tristatur dupliciter; quod secundo, uno modo. Ultima ratio concedenda est, quod illi sensus, qui sunt per indigentiam, non manebunt in suis actibus." *4. dist. 49. p. 2. a. 3. q. 1. et ad 2 et 3.* — „Sensus glorificati exercentes suos actus, cognoscent per receptionem speciei sensibilis." — „Ad hoc dixerunt aliqui, quod non est receptio ab extrinseco; sed anima omnium, quae vult videre, species, facit in oculo et videt, quia tunc ordo erit commutatus, quia non erit receptio veniens ab inferiori, sed a superiori. Sed haec solutio non potest stare. Primum quidem, quia perverteretur ordo, cum species spiritualis fieret corporalis, perfectum fieret imperfectum. Secundo, quia ita videret absentia ut praesentia, ita oculis clausis sicut apertis. Secunda positio est, quod est sensus, sed non est intus suscipiendo, sed extra mittendo virtutem, quia non recipiet, sed influet. Sed ista positio adhuc non potest stare, tum cum cognitio sit in unione, tum cum organa sint maxime habilia ad recipiendum. Tertia positio est, quod sensus glorificati cognoscunt recipiendo speciem ab ipso sensibili: et concedendae sunt rationes ad hoc. Ad illud quod objicitur, quod minus nobile non agit in magis nobile, dici potest, quod non oportet, quod objectum sit nobilius organo, in quod agit simpliciter, sed secundum quid, in hoc scilicet quod habet speciem, et illud est in videndo, et hoc sufficit ad agendum. Vel aliter dicendum, quod minus nobile non agit virtute propria, sed aliena; et in sensu glorificato est natura duplex in oculo, perspicui et luminis. Quando igitur videt cor-

pus se luminosius, illud corpus sua virtute propria in se facit speciem in oculo; quando vero minus luminosum, tunc virtute propria in se facit. Ad illud quod objicitur de aliena impressione, quod non est in orbe, dicendum quod ibi vocatur aliena impressio, quae est via ad corruptionem; sed de hac non intelligitur hîc. Ad illud quod objicitur, quod cogitationes volvuntur, dicendum quod cogitationes volvi est dupliciter. Uno modo, quia intellectus non habet defixum aspectum in uno; et hoc modo est in via, et non erit in patria. Alio modo est, quod principaliter et continue intelligatur unum, et alia multa propter illud, et inter illa multa, modo unum, modo aliud; et hoc bene erit in patria: et talis est in proposito. Ad illud quod objicitur, quod immutatio naturalis praecedit, dicendum quod immutatio naturalis est duplex, quaedam est per receptionem et abjectionem, ut calidi a frigido, et haec non erit; quaedam per receptionem tantum, ut perspicui a luminoso, et haec erit." *Ibid. q. 2.*

[47] „Corpus necesse est resurgere, ut fiat beatum per quamdam comparticipationem et redundantiam. Et est simile in gratia, quia si gratia existens in anima secundum potentiam rationalem redundat in sensibilem; et quando abundans est, et ipsam tranquillat; et quando delectatio magna est, similiter, sicut dicitur in Psalmo *(41, 3): Sitivit in te anima mea;* cum in gloria sit perfecta abundantia et delectatio, non est mirum, si redundat in corpus; et de hoc nemo dubitat nisi inexpertus." *4. dist. 49. p. 1. a. 1. q. 3 ad 6.*

[48] „Delectatio est in sensu dupliciter, una per redundantiam, alia per objecti praesentiam. Per redundantiam, sicut quando anima est interius plena delectatione, ita inebriantur potentiae sentiendi, quod nullo modo quaerunt, nec egent exterius delectari; et haec delectatio erit praemium omnium sensuum, et omnibus. Hanc autem delectationem non habent a se, nec ab actu suo, sed ab actu animae; et ideo non oportet, quod propter istam sint sensus in suo actu. Alia est delectatio per objecti convenientis praesentiam. Et quia solum duo sunt sensus, qui habent objecta gloriosa; ideo solum in duobus est. Et hoc non est praemium nisi valde accidentale, quia non magis est gloriosus sensus in illius praesentia, quam absentia." *4. dist. 49. p. 2. a. 3. q. 1 ad 1.*

[49] „Officium lectoris est non tantum prophetiam legere nudam, sed etiam exponere; et tunc bene patet officium, quoniam non solum legit corticem literae, sed etiam explicat arcanum prophetiae: et tunc est praedicator et doctor, et meretur aureolam. Quod si tantum officium accipiat, et non impleat, non habebit ex hoc aureolam, quia aureola non redditur voluntati, vel officio per se, sed voluntati junctae cum actu praerogativae alicujus." *4. dist. 24. p. 2. dub. 1.*

[50] „Duplex bonum in virginibus, quod in aliis Sanctis non virginibus simplex est. Cum enim tota Ecclesia virgo sit in anima, nullam habens maculam neque rugam *(Ephes. 5, 27),* in fide et spe et caritate incorrupta, propter quod et virgo appellatur, meretur a Sponso laudari; quanta laude putas esse digna lilia nostra, quae hîc habent tam in corpore quam in anima, quod tota Ecclesia habet tantum in anima? Quasi enim quaedam adeps et medulla Ecclesiae sunt virgines Christi, et quadam singulari excellentia aliorum florum Sponsi amplexibus familiarius inhaerentes. Hoc autem est virginibus summopere considerandum, quae lilii pulcritudine delectantur, quod flos lilii tam interius quam exterius albus est. Quid enim per exteriorem partem floris albam nisi munditia corporis, aut quid per interiorem nisi mentis originalis puritas figuratur? Turpe esset, imo non esset lilium, quod vel interioris vel exterioris candoris sui puritate careret; ita quoque turpis est virgo, imo non est virgo, quae non habet utramque, scilicet mentis et corporis castitatem. Ubi non dubito multos utriusque sexus virgines in corpore defunctos esse et salvandos, qui nequaquam virginale praemium merebuntur. Mortui enim sunt, qui corpore quidem incorrupti, sed mente corrupti erant; ipsa tamen mentis corruptione non exigente eos ad mortem aeternam, quia legitimas nuptias exspectabant, sine quibus nulla illicita connubia voluerunt perpetrare. *Si* enim, sicut ait Apostolus *(1. Cor. 7, 28), nupserit virgo, non peccavit,* quae sola tantum voluntate nupsit, quamvis jam in mente florem virginitatis corrupit. Consentit huic sententiae beatus Augustinus *(lib. de sanc. virg. c. 11),* dicens, quod nequaquam virgo adspirans ad nuptias melior est muliere nuptias adepta; cum ea, quae jam nupsit, uno sit viro contenta, nuptura vero, quaerens per omnem populum cui adhaereat, cum pluribus necesse est fornicetur animo. Placet enim illi hodie unus, cras alter, deinde tertius et quartus, et fortassis plures; et quomodo, si talis moritur, meritum obtinebit virginitatis incorruptae?" *Tract. de Vite myst. cap. 28. nn. 94—95;* Supplem. vol. III.

[51] „Et si objicitur de haeretico, qui sustinet ignem pro suo errore, ad hoc est respondendum, quod non est simile; quia ille errore et tumore superbiae et obstinatione sententiae suae mavult poenam sustinere, quam ab errore resilire, et ex suo peccato cadit. Sed ut homo sustineat mortem propter Deum, indiget spiritu elevante in amorem Dei." *Comm. in Joan. cap. 13.* Supplem. vol. I.

[52] „In virginitate tria considerantur, scilicet habitus, status et decor; habitui respondet aurea, statui fructus, sed decori integritatis aureola. Et quod habitui aurea, hoc non est dubium. Quod vero statui fructus, hoc patet sic. Quia sicut fructus major et minor, quem ponit Dominus in Evangelio, attenditur secundum nobilitatem terrae, sic fructus major et minor secundum statum. Esto enim quod tres in tribus statibus contineant, secundum quod melius possunt, adhuc excedit continentia vidualis conjugalem, et virginalis vidualem. Unde quia in continentia maxime status diversi considerantur, et secundum illam distinguuntur; ideo soli continentiae praemium fructus aptatur, non quin et aliis possit aptari, si est diversos status assignare. Quod autem aureola respondeat alicui decori exteriori, patet. Quia aureolae assignantur his actibus, qui considerant aliquid extrinsecum, ut puta quod est infra, ut corpus, vel quod est juxta, ut proximus, quem convertit, et ad patriam per bonam doctrinam ducit. Unde decor quidam erit doctoribus de conversis per ipsos; et quidam etiam decor et gaudium erit martyribus in corpore, qui se pro Christo passionibus exposuerunt; quidam decor virginibus in corpore, quod pro Christo incorruptum servaverunt: et ille decor, vel gaudium de illo decore, aureola recte dicitur. Credo tamen, quod me-

lius ille decor aureola dicatur quam gaudium, quia omnes gaudebunt de decore, non tamen omnes habebunt aureolam. Sed ut totum unum dicant, melius est dicere, quod utrumque, scilicet decor cum gaudio, et gaudium cum decore." *4. dist. 33. a. 2. q. 3.*

[53] „Ad martyrium completum duo concurrunt, scilicet justa voluntas, et justa causa. Primum defecit in Innocentibus, secundum vero in latrone; et ita de se neutrum fuit completum martyrium. Sed Dominus Innocentibus, quia simul cum ipso nati sunt, et propter hoc quod erat coaetaneus illis, supplevit quod deerat ex parte voluntatis; sic in latrone, quod deerat ex parte causae." *4. dist. 4. p. 2. dub. 1.* — „Baptismus martyrii efficaciam habet a passione Christi, nullum enim martyrium efficax est nisi per illam. Unde scribitur de martyribus: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (Apoc. 7, 14)*, non tantum in suo, sed etiam Agni. Ratio autem, quare efficaciam habeat majorem, est, quia in baptismo sanguinis amplior et plenior est imitatio et professio passionis Christi, quam in baptismo aquae; nam ibi est professio verbo et signo sine actu, hîc autem non solo signo et actione, sed et passione. Unde in baptismo aquae mors significatur, hîc autem suscipitur; unde quia expressior est ibi professio fidei, ideo efficacior. Unde Augustinus, loquens ad Fortunatum de comparatione horum baptismatum, dicit: Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, martyr coram persecutore. Ille post professionem aspergitur aqua, hîc aspergitur sanguine. Ille manus impositione pontificis accipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti." *4. dist. 4. p. 2. a. 1. q. 2 ad 2.*

[54] *„Justi autem . . . accipient regnum decoris (Sap. 5, 17);* id est regnum decorum, quantum ad auream, sive essentiale praemium . . . *et diadema speciei,* id est speciosum . . . et hoc quantum ad aureolam, sive quantum ad praemium accidentale, *reposita est mihi corona justitiae (2. Tim. 4, 8); de manu* Dei, vel *Domini,* id est a Christo, qui dicitur manus et brachium et dextera Dei Patris. Est enim manus operando, *omnia* namque *per ipsum facta sunt (Jo. 1, 3);* brachium protegendo, secundum illud Psalmi *(88, 22): Brachium meum confortabit eum;* dextera praemiando: *Statuet oves a dextris (Matth. 25, 33)." Expos. in Sap. c. 5. v. 17.* — „Aureola est gloria incorruptionis secundum profectum trium virium animae, vel in carne operantium. Tres quippe naturales potentiae, scilicet rationalis, irascibilis, concupiscibilis, in actus perfectissimos egrediuntur respectu carnis tribus virtutibus informatae, scilicet prudentia, temperantia et fortitudine. Temperantia habet suum perfectissimum actum et difficillimum, qui est semper servare carnem suam integram, absque omni contagione venereae actionis, quod faciunt virgines, ratione cujus debetur eis aureola virginum. Fortitudo habet suum actum difficillimum, quem in carne transfigit, et exercet mediante carne; uti est sustinere mortem pro justitia et veritate, quod faciunt martyres, ratione cujus debetur eis aureola martyrum. Prudentia quoque habet actum suum difficillimum, quem transfigit et exercet in carne, quae aggravat animam; et hic est docere alios in fide et moribus, quod faciunt doctores, ratione cujus debetur eis aureola praedicatorum. Aureola igitur virginum est gloria de incorruptione carnis, attestante incorruptione mentis. Aureola martyrum est gloria de invicta sustinentia mortis, usquequo aliquis perseveraverit usque ad mortem pro fide et justitia patienter. Aureola praedicatorum est gloria de incorruptione doctrinae ad alterum prolatae verbo et mente et exemplo. De hac aureola praedicatorum dicitur: *Quae est mea spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Deum (1. Thessal. 2, 19)?* . . . Et nota, quod pro quatuor datis maximis, quae dat homo justus Deo, ab eo recipit quatuor dona maxima. Nam pro bona voluntate informata caritate recipit auream, pro bona doctrina fidei et morum recipiunt praedicatores aureolam, pro sustinentia mortis recipiunt martyres suam, pro incorruptione carnis virgines habent suam aureolam . . . Aureola praesupponit auream. Voluntati enim continendi propter Deum debetur aurea; sed cum additur in carne incorrupta, superadditur ei aureola, quia sic est continentia in suo summo." *Centil. p. 4. sect. 1.*

[55] Nam „aureola est gloria incorruptionis secundum profectum trium virium animae in carne operantium." *Decl. Termin. Theol.*

[56] „Quia meritum accidentale, quod est aureola, non debetur voluntati secundum se, sed voluntati in opere." *2. dist. 40. a. 2. q. 1.* — „Ratione cujus incorruptionis debeatur aureola, triplex est ad hoc opinio. Quidam enim dicunt, quod cum meritum consistat in anima, incorruptioni mentis debeatur aureola; similiter perfectae voluntati sustinendi mortem pro Christo. Et hoc confirmant per illud, quod dicitur de beato Martino: O beata anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit. Sed ista positio non videtur conveniens, quia quantumcumque velit aliquis praedicare, nisi exeat in opus, non credo, quod habeat aureolam. Unde illud beati Martini de praemio essentiali intelligendum est, quia aequalis fuit martyribus propter magnitudinem caritatis. Alia opinio est, quod debetur actui exteriori. Unde si aliquis non martyrizetur actu, non habebit aureolam. Similiter si auferatur virginitas violenter, perditur aureola. Leo Papa dicit, quod corruptae per violentiam se non audeant sacris virginibus comparare, nec etiam annulo desponsentur. Et secundum hos quantumcumque homo praedicet, reportat praemium, sed non aureolam, nisi aliquem convertat. Sed durum est dicere, quod si violetur omnino per violentiam, aliquid ibi perdat, dum nullus consensus interveniat, nulla culpa. Et ideo tertio modo dicendum, quod aureola debetur actui interiori per comparationem ad decorem exteriorem, et exteriori relato ad interius. Unde si virgo velit corrumpi, et non corrumpatur, et post poeniteat; quia salvata est incorruptio in carne, ideo aureolam habebit. Item si nolit corrumpi, et corrumpatur, corruptio illa non est judicanda corruptio decoris virtutis; et ideo manet decor integer, quia decoratio virtutis ab interiori procedit . . . Unde quod dicitur, quod se non audeant sacris virginibus comparare, hoc est propter periculum, quia fortassis in actu illo consenserunt; unde semper est eis timendum. Ex his potest patere, quando virginitas amittatur. Cum enim ad perfectam virginitatem duo concurrant, scilicet incorruptio mentis et incorruptio carnis, incorruptio mentis est sicut formale et complementum, incorruptio carnis est sicut materiale. Si ergo utrumque pereat, to-

tum perditum est, et nunquam recuperari potest. Si autem amittatur incorruptio carnis, salva incorruptione mentis, manet quod formale et completivum est virginitatis; ideo meritum et praemium, quamvis etiam illud, quod materiale erat, sit perditum. Unde perdita est secundum quid, tamen manet simpliciter; perdita est in conspectu hominum, non tamen in conspectu Dei ... Si autem perdatur incorruptio mentis, salva incorruptione carnis, tunc perditur quod formale est, et manet quod est materiale. Et quia illa redit ad suum propositum, et habet materiale substratum, redeunte virginitate, virgo judicanda est, licet non in tanta gloria, in quanta esset, si nunquam consensisset. Et hoc sentire videtur esse magis pium." *4. dist. 33. a. 2. q. 3 ad 4.*

[57] „Sicut perfectum dicitur multipliciter, et quantum ad perfectionem sufficientiae, et quantum ad perfectionem superabundantiae; sic etiam et integrum bonum potest dici multipliciter, et quantum ad integritatem sufficientiae, et sic dicitur integrum bonum, quod caret omni malo culpae et poenae; et quantum ad integritatem superabundantiae, et sic dicitur integrum bonum, in quo est omne bonum. Et primo modo bonum non dicitur esse summum bonum, sed bonum purum, quia nihil habet de malo admixtum. Secundo vero modo dicitur esse summum bonum, et est in solo Deo per essentiam, in creatura autem per participationem, quae bona dicitur in hoc, quod participat summum bonum, ex cujus participatione habere dicitur omne bonum." *2. dist. 34. dub. 3.*

[58] „Tam gratia gratum faciens, quam gloria, nominat divinam influentiam, per quam anima habet Deum, et Deus habitat in anima. Habere autem contingit dupliciter; vel perfecte, et sic habet homo Deum in ratione quiescentis; vel semiplene, et sic habet homo Deum in ratione tendentis. Primum, scilicet quies, competit statui patriae; secundum, scilicet tendentia, competit statui viae: et ideo primum est gloriae, secundum est gratiae. Et quia primum est praemii, secundum est meriti; ideo gratiae attribuitur actus merendi, gloriae vero actus regnandi. Quoniam igitur idem potest esse per essentiam magis perfectum et minus perfectum; hinc est, quod gratia et gloria, secundum quod distinguuntur secundum modum habendi Deum, differunt solum secundum statum. Et quoniam nos habere Deum non est aliud quam Deum habitare in nobis; ideo gratia et gloria non solummodo distinguuntur secundum modum habendi Deum, sed etiam secundum rationem habitandi Deum in nobis. Cum tamen dico Deum habitare in homine, duo ex hoc dico, scilicet divinam dignationem, qua hominem acceptat, et sibi confoederat, et per consequens humanam exaltationem, ex qua homo ea, quae Dei sunt, excellenter participat. Et ideo illa influentia, per quam Deus in nobis habitat, dicitur esse gratia secundum primam comparationem, videlicet in quantum Deus homini condescendit: et dicitur esse gloria quantum ad secundam comparationem, secundum hoc videlicet, quod homo per illam inhabitationem sublimatur, et ad magna conscendit. Secundum istam considerationem et secundum istum modum gratia et gloria non differunt nisi sola comparatione. Unde vita aeterna nominatur gloria, et nominatur etiam gratia: *Gratia autem Dei vita aeterna (Rom. 6, 23)*." *2. dist. 27. a. 1. q. 3.*

[59] „Ad contemplandum de caelesti Jerusalem aliquid balbutiendo promam. Nam locus est altissimus, splendidissimus, latissimus et firmissimus. Societas est nobilissima, speciosissima, benignissima, purissima, incessabilissima, id est, nunquam cessabit, nec remittetur. Ibi habebimus Dominum potentissimum, excellentissimum, justissimum et liberalissimum; patrem nobilissimum, ditissimum, providentissimum et piissimum; fratrem simillimum, cordialissimum, sapientissimum et optimum; sponsum pulcherrimum, singulariter summum, suavissimum et amore ferventissimum. Quantum ad nos, erit ibi aperta visio, firma attentio, consummata dilectio, continua laudatio, reverentia profundissima, admiratio altissima, exultatio sanctissima et devotio intima: et in corpore erit agilitas, claritas, subtilitas et impassibilitas. Ex praedictis omnibus consurget fruitio perfectissima, satietas sufficientissima, sobrietas sobriissima, voluptas pudicissima, cordialis diffusio, jucundissima complexio, medullaris transformatio, centralis quietatio, omnis amoenitas, omnis suavitas, omnis securitas et omnis libertas, quia liberi erimus ab omni injuria, violentia, culpa et miseria. *Et* sic *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis* Sanctorum suorum, *et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima transierunt,* ut Veritas in Apocalypsi *(21, 4)* testatur. Felices lacrymae, quas manus Conditoris absterget. Et ideo Veritas per Isaiam *(66, 12—13)* dicit: *Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis: quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini.* Et quoniam tantum gaudebimus de bono alterius, quantum diligimus eum; et ibi vere diligimus omnes alios sicut et nos, et Deum perfectissime plus quam nosmetipsos; ideo multiplicabitur gaudium nostrum secundum inaestimabilem numerum angelorum et Sanctorum, de quorum gaudio gaudebimus sicut de nostro. Et plus sine comparatione gaudebimus de immensitate divinae potentiae, sapientiae et bonitatis, quam de felicitate nostra. Et quia istud est excessivum, sic absorbebimur gaudio de felicitate divina, et intrabimus in gaudium Domini intus et foris undique absorpti, et circumdati gaudio excessivo. Nec mirum, quia plus sine comparatione nos diligit Deus, quam nos ipsi nos; et ideo sine comparatione plus dabit nobis gaudii et laetitiae, quam quod sciremus aut possemus petere, vel appetere. Sic ergo abundabimus et superabundabimus gaudio, quia diligentes et quia dilecti, quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (1. Cor. 2, 9),* quae praeparasti diligentibus Te. Imo non solum non cor hominis viatoris, sed nec etiam comprehensoris, aut alicujus angeli potest aut poterit illud bonum infinitum, et gaudium nobis paratum et oblatum comprehendere. Sic ergo intrabimus in gaudium Domini nostri. *Gaudens* ergo *gaudebo in Domino (Isa. 61, 10)* semper, et ei de tantis beneficiis gratias exhibebo. Gaudebunt labia mea, cum cantavero sibi *(Ps. 70, 23)*, et anima mea, quam sic nobiliter seipso redemit. *Lauda* ergo *Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion (Ps. 147, 12);* imo laudent eum caeli et terra, *mare et omnia, quae in eis sunt (Ps. 145, 6).* Jam super omnes vicos Jerusalem alleluja dicamus. *Lauda* ergo, *anima mea, Dominum, laudabo Deum meum in vita mea (ibid. 1)* et illum mecum laudet omnis creatura. Amen." *Stimul. div. amor. p. 3. c. 20.*

[60] „Sicut amor secundum imperfectionem status est omnium affectionum principium, sic secundum suam perfectionem est omnium affectionum terminus finalis et complementum. Unde omnes affectiones animae ad id ordinantur, ut Deus ametur perfecte.“ *3. dist. 26. a. 2. q. 3. ad 2.*

[61] „Super hoc non habetur certitudo nec per auctoritates, nec per cogentes rationes. Cum enim utraque pars sit probabilis, utraque tenetur a diversis. Quidam namque dicunt, quod in caelo empyreo non erit nisi laus mentalis, tam ab angelis, quam ab hominibus beatis, tum quia non competit loco, tum quia non competit locatis, maxime angelis; et si angeli sunt monstrati laudare vocaliter, hoc fuit per visionem imaginativam, non corporalem: nec oportet hujusmodi corporalem laudem esse, quia tanta erit mentalis, quod haec locum non habebit. Aliis magis placet, quod laus vocalis erit in patria quantum ad homines, qui habebunt organa, ut sic non solum animus laudet Deum, verum etiam et lingua, et totus homo feratur in laudem divinam. Et si quaeratur, quomodo hoc possit esse, dicunt quod vel illa vocis formatio non erit per spirationem et respirationem, sed per aërem, qui quasi naturaliter erit beatis complantatus, sicut patet in quibusdam animalibus, ut in apibus; vel certe ita deserviet empyreum glorificatis, sicut aër corporibus non glorificatis. De angelis vero dicunt, quod quia incorporei sunt per naturam propriam, non competit eis nisi laus mentalis. Unde Gregorius *(2. Mor. c. 4):* Laus angelorum est in ipsa admiratione contemplationis. Sed quia angeli, dum ministrant nobis, corpora assumunt ad nostrum solatium, et in illis loquuntur, et voces formant ad nostram instructionem aliquando; ita etiam in illis vocaliter Deum laudant ad nostram consolationem.“ *2. dist. 2. p. 2. dub. 1.*

[62] Quomodo necessitas amandi Deum, quae est in beatis, simul stet cum libertate arbitrii, ostensum fuit superius, *part. I. cap. 2. n. 22.*

[63] „Finem namque omnium desideriorum constat esse beatitudinem, quae est status omnium bonorum congregatione perfectus. Ad quem quidem statum nullus pervenit, nisi per ultimam resolutionem in eum, qui est fons et origo bonorum omnium, tam naturalium quam gratuitorum, tam corporalium quam spiritualium, tam temporalium quam aeternorum. Et hic est, qui de se ipso dicit: *Ego sum alpha et omega, principium et finis (Apoc. 1, 8).* Quia sicut per Verbum aeternaliter dictum omnia producuntur; sic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur et finiuntur. Ac per hoc vere et proprie dictus est Jesus, quia non est aliud nomen sub caelo datum hominibus, in quo quis possit obtinere salutem. In Te igitur, ut finem omnium, credens, sperans et amans, ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima et ex omni virtute ferar, desiderate Jesu, quia tu solus sufficis, tu solus salvas, tu solus bonus et suavis es requirentibus et diligentibus nomen suum. Tu enim, mi bone Jesu, Redemptor es perditorum, Salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, auxiliator oppressorum, anxiatorum spirituum dulce solatium, triumphantium corona et imperiale fastigium, unica merces et laetitia omnium civium supernorum, inclyta proles summi Dei, et fructus sublimis uteri virginalis, uberrimus quoque fons gratiarum omnium, de cujus plenitudine nos omnes accepimus. Oramus igitur clementissimum Patrem, per Te Unigenitum ejus pro nobis hominem factum, crucifixum et glorificatum, ut de thesauris suis mittat in nos spiritum gratiae septiformis, qui super te in omni plenitudine requievit. Spiritum, inquam, sapientiae, quo fructum ligni vitae, quod vere tu es, videlicet sapores vivificos degustemus. Donum etiam intellectus, quo mentis nostrae contuitus illustrentur. Donum consilii, quo post tuorum vestigia gressuum, rectarum semitarum itineribus incedamus. Donum fortitudinis, quo impugnantium hostium violentias enervare possimus. Donum scientiae, quo sacrae doctrinae tuae repleamur fulgoribus, ad discretionem boni et mali. Donum pietatis, quo induamur misericordiae viscera. Donum timoris, quo recedentes ab omni malo, aeternae majestatis tuae reverentiali pondere tranquillemur. Haec enim nos in illa sacra tua, quam nos docuisti, oratione petere voluisti. Haec et nunc per crucem tuam petimus obtinere ad laudem sanctissimi nominis tui, cui cum Patre et Spiritu sancto omnis sit honor et gloria, gratiarum actio, decus et imperium, per infinita saecula saeculorum. Amen.“ *Lign. Vitae,* titulo: *Jesus finis optatus.* — „Visio Christi corporalis spectat non ad essentialem completionem beatitudinis, sed ad quoddam accidentale gaudium. Et hoc patet, quod alii sensus beatificantur, ut visus; et tamen objecta sibi correspondentia non habebunt, ut tactus et gustus. Praeterea aspectus Christi non erit minus beatus conversus ad alia corpora videnda, quam aspectus aliorum conversi ad videndum corpus ipsius. Gloria enim sensuum exteriorum erit per redundantiam delectationis venientis a parte superiori ex visione Dei, cujus visio adeo reficit, cum perfecte apparet, ut nihil ultra sit necessarium animae ad ejus beatitudinem, quoniam omne aliud bonum et pulchrum ad illud comparatum quasi nihil est, nec intendere potest essentiale gaudium.“ *3. dist. 1. a. 2. q. 2 ad 1.*

[64] Perbelle S. D. in sex Dei operibus ad extra omnium ejus operum consummationem sive perfectionem reponit; nec minus eleganter eadem sex opera cum sex dierum creationis operibus confert. En Seraphici verba, quae plurimum ad rem hîc faciunt, quia cum in iis universa theologia summatim perstringatur, pro totius *Breviloquii* epilogo haberi possunt. — „Sancti omnes creaturas, non solum rationales, sed irrationales et insensibiles, ad Dei laudem invitant, quia omnia opera ejus ostendunt eum laudabilem in se, et in omnibus agnoscitur laudabilis ejus virtutis potentia, et provida sapientia, et clemens misericordia, benigna patientia et tolerantia, justa meritorum retributio, larga remuneratio et incomprehensibilis super omnia ejus dignitatis exaltatio. Secundum ista septem intelligimus septuplicem Dei laudis materiam, cui omnia, quae laudem Dei sonant, possunt includi. Sex enim sunt principalia Dei opera, ad quae omnia alia reducuntur. Septimum vero non est opus, sed ipse operans Deus, in se quiescens, et ab omnibus operibus suis superelevatus. Horum figura sunt opera primorum sex dierum, in quibus Deus omnia fecit et complevit, quae fecerat Deus in sex diebus. Sed cum omnia fecisset Deus in sex diebus, et nihil in septimo legatur addidisse, quo facta perficeret, sed potius ab omni opere cessasse et requievisse; quomodo ea perfecit, si nihil addendo fecit, nisi quia per hoc

nobis datur intelligi, quod omnis creatura de se imperfecta est, et ipse Deus est omnium operum suorum perfectio, et in ipsum reflectitur omnis creatura, a quo fluit sicut in primam causam, ex quo omnia per causam formalem, per quem omnia per causam efficientem, in quo omnia per causam finalem? Et hoc fit per glorificationem rationalis creaturae, in qua clauduntur omnes aliae creaturae, cum propter rationalem creaturam omnia reliqua sint creata, et ipsa sit omnium capax per intellectum et naturae similitudinem; et hoc maxime apparet in homine, cui ad serviendum omnia ista visibilia sunt creata. Primum opus Dei potest dici creatio, in quo laudabilis apparet ejus mira virtutis potentia, quod tam multa, tam magna, tam varia, tam solida, tam nobilia, virtute plena potuit sic facile, sic subito, sic decenter ex nihilo producere, et sic naturaliter collocare, cum extra mundum nihil sit, supra quod mundi moles quasi super basim collocetur . . . Secundum opus Dei est universorum gubernatio, in quo evidenter apparet laudabilis sapientia providentiae Dei; quia nihil omnium, quae sunt, a maximo usque ad minimum, latet ejus scientiam, sed omnium novit proprietates, virtutes, operationes, et singulorum multiplices rationes naturales et causales, quare singula sint sicut sunt, et non aliter. Et haec omnia praeordinavit sic, ut quasi naturaliter vel causaliter videantur fieri; tamen ita librata sunt in ejus providentia, ut nunquam excedant dispositionis ejus limites, et omnia bonis cedunt in bonum per ejus providentiam, et malis in malum per ejus aequitatis justitiam . . . Tertium opus Dei est humani generis redemptio, in quo specialiter apparet laudabilis clementiae ejus misericordia, qua nostrae miseriae compatiens decrevit nostram naturam assumere, et debitum satisfactionis nostrae pro peccato nostro moriens exsolvere, et sic nos de mortis debito eripere, et in pristinam restituere dignitatem . . . Quartum opus Dei est opus justificationis nostrae, in quo laudabilis apparet ejus patientiae sustinentia, qua peccatores non solum patienter tolerat, sed et benigne a peccato justificat, et a peccato defendit, et gratiam merendi donat, et occasiones merendi providet; et sacramenta quasi gratiae vasa instituit, ut per ea infundatur gratia justificationis a peccato; et Spiritum sanctum dat fidelibus ad compunctionem et consolationem, et ad varias virtutes et gratiarum operationes, et faciens de inimicis amicos Dei et filios et haeredes, liberum arbitrium ad bonum promovens, nec tamen libertatem auferens; involuntarios faciens voluntarios, non cogendo, sed inspirando, et occasiones procurando. Quintum opus Dei est justa meritorum retributio quoad reprobos, in qua laudatur ejus munditia, qua detestatur omne vitium et peccatum, et omne bonum diligit, et congaudet quasi sibi condecenti. Laudabilis est ejus justitia, qua malum impunitum non patitur, et secundum meritum suum locat in peccato perseverantem; et quo fructu se spoliavit peccator, privat eum et fructum operum suorum facit eum in tormentis gustare. Et laudatur ejus sapientia, qua scit etiam de malis eligere bona, et cogere sibi servire in poena, qui nolebant ei subesse in culpa; et ordinat omnia malis cedere in poenam, quae hîc converterunt ad peccatum . . . Laudatur et bonitas Dei, qui hanc malorum poenam ordinat ad beatorum laetitiam, qui talia per Dei gratiam evaserunt. Ita autem ordinatur per Dei justitiam reproborum damnatio, sicut per ejus bonitatem beatorum salvatio. Sextum opus Dei est gloria beatorum, in qua laudatur ejus larga et mirifica remuneratio, qua pro parvo et brevi merito aeternam et ineffabilem Sanctis dat in caelo gloriam et laetitiam et felicitatem; et omnia eis ordinat in bonum, tam bona quam mala, et propria et aliena; et non solum mala poenae, sed etiam mala culpae, ut de bonis propriis glorientur, et de alienis congaudendo delectentur . . . Posset, qui vellet, ista sex opera Dei, in quibus est omnium operum ejus consummatio, referre ad primorum sex dierum significationem; ut opus creationis assignetur primae diei, in qua post omnium materialium creationem facta est lux, distinguens noctem et diem, quia spiritualis creatura a corporea est distincta luce intelligentiae rationalis. Opus gubernationis significatur per opus secundae diei, in qua aquae superiores interpositione firmamenti distinguuntur ab inferioribus; quia caelestia quantum situ distant a terrenis, tantum et qualitate, et tanto nobiliori modo divinas influentias recipiunt, quibus juxta modum sibi congruum ordinantur. Opus redemptionis significatur opere tertiae diei, in qua, aquis inferioribus segregatis a terra, terra apparuit arida et fructifera; quia peccatis totum genus humanum occupantibus semotis ab Ecclesia, et apud infideles remanentibus, Ecclesia diversis gratiarum germinibus foecundatur. Opus justificationis significatur opere quartae diei, in qua luminaria caeli facta sunt; quia per solem caritatis, et lunam fidei, et stellas aliarum virtutum, corda fidelium illuminantur, et vitam et ordinem et meritorum vigorem quasi per lucem et calorem siderum consequuntur. Opus judicationis et condemnationis reproborum significatur opere quintae diei, in qua ex aquis natantia et volatilia facta sunt; quia ex eodem genere hominum alii elevantur sursum ad caelestia per gratiam, alii relinquuntur in reatu damnationis, in qua nati sunt per meritum culpae originalis et actualis. Opus glorificationis significatur per opus sextae diei, in qua homo ad imaginem Dei factus omnibus mundanis praeficitur; quia per gloriam fit homo deiformis, et illi unitur sicut membrum capiti, quia omnibus sicut verus Dominus principatur Jesus Christus Dominus noster. Septimum Dei non est opus, sed operis Dei impletio per quietem in Deo, qua Deus quiescit in se, et nos in Deo. Unde sabbatum appellatur, id est requies, quia per quietem in Deo perficitur rationalis creatura, quae est causa et forma omnis irrationabilis creaturae.“ *De profectu Religios. lib. 2. cap. 64—65.*

APPENDIX.

Duas quaestiones praesens caput complectitur; prima est de actu, in quo beatitudo formalis consistit, altera de lumine gloriae.

Ut igitur a prima exordiamur, praemissa distinctione, alibi indicata, beatitudinis objectivae et formalis, quaestio ad beatitudinem formalem tantummodo refertur, in quonam scilicet actu ipsa beatitudo consistat. Porro, praetermissis quorundam placitis, qui eam beatitudinem reponebant vel in aliquo increato, videlicet in ipsa visione, qua Deus se videt, beatis communicata et unita, vel in quodam illapsu Dei in animae essentiam, vel etiam in aliquo habitu; apud plerosque Theologos nunc receptum est eam in aliqua animae operatione esse reponendam. In hac autem operatione assignanda triplex est sententia; prima est S. Thomae *1. 2. q. 3. a. 4,* qui beatitudinem formalem in actu intellectus reponit; secunda, opposita priori, est Scoti, qui ipsam in actu voluntatis collocat; tertia demum, quae inter utrasque media via procedit, est Seraphici, qui *4. dist. 49. p. 1. a. unic. qq. 4 et 5* eam in utroque actu intellectus et voluntatis sitam esse affirmat, Deus enim, quemadmodum superius *cap. 1. hujus partis* ipse scripserat, „facie ad faciem videri non potest sine deiformitate mentis et jucunditate cordis." Quae quidem postrema sententia duas priores quadamtenus conciliat. Triplex enim est actus, ut superius innuimus, qui in beatitudine distinguitur, scilicet cognitio, amor et fruitio. Porro etsi concedendum omnino sit ex cognitione Dei amorem procedere, verum est etiam ipsam cognitionem, secluso amore, nullam Dei fruitionem producere posse; ac proinde actus intellectus et voluntatis agnoscendi sunt veluti causae partiales gaudii, quod ex concursu utriusque actus exurgit.

Quoad vero alteram quaestionem, intellectum creatum absque supernaturali aliquo auxilio, quo confortetur et elevetur, non posse intuitive Deum videre, post definitionem Concilii Viennensis, certitudine fidei constat. Verum in quo hujus auxilii supernaturalis, quod lumen gloriae solet appellari, ratio sita sit, disputant Theologi. Non desunt enim, qui adhuc putent lumen gloriae esse auxilium actuale, quo mens in actu secundo tantum per actualem Dei concursum cum intellectu creato elevatur in substantiam supernaturalem; attamen magis menti Concilii consonat opinio ceterorum, qui ipsum lumen gloriae non per modum actus, sed per modum habitus dari asseverant, a quo intellectus per potentiam obedientialem ad objectum suae naturali potentiae minime proportionatum in actu primo elevetur. Neque hîc sistitur Theologorum inquisitio. Quidam enim arbitrantur lumen gloriae idem esse ac hypostasim Spiritus sancti beatorum mentes intime collustrantem, imo Deum ipsum animabus beatis conjunctum. Quidam vero, nempe Scotistae, asserunt lumen gloriae ex caritate constitui; plerique tamen, ducibus Seraphico *1. dist. 3. p. 1. a. 1. q. 1,* et *2. dist. 23. a. 2. q. 3 ad 7* (vide superius *n. 16 huj. cap.);* et Angelico *1. p. q. 12. a. 5,* tenent idem lumen esse „alicujus radii, ut ait Seraphicus, *2. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 2,* gratuitam immissionem, per quam anima clare cognoscit;" seu aliquam qualitatem ad modum habitus animae beatae inhaerentem, qua potentia visiva ad Deum videndum habilitatur. Siquidem, „cum intelligit Deum, non agit anima in Deum, sed Deus influit in animam, in qua influentia Deus condescendit per gratiam, et anima elevatur et efficitur deiformis. Et ipsa deiformitas est dispositio reddens oculum animae aptum ad videndum Deum, non quia facit proportionabilem quantitatem, quia semper illud lumen excedit in infinitum, sed quia facit proportionabilem qualitatem, quia datur ipsi animae aliquid, utpote similitudo, quod cum ipsam animam et intellectum animae cum Deo facit similem, reddit et intelligentem." Ita idem Seraphicus *3. dist. 14. a. 1. q. 3 ad 6.* In hac igitur postrema sententia lumen gloriae dici potest quaedam dispositio et affectio a divina virtute in anima beata producta, qua acies ejus mentis acutior redditur ad Deum intuitive videndum. Qua expositione patefit etiam ratio diversitatis gloriae accidentalis in beatis, „nam in quantum una potentia magis erit perfecta lumine gloriae quam altera, tanto perfectius operabitur circa unum et idem objectum, sicut idem sol diversimode a diversis aspicitur, vel eadem litera a diversis legentibus, secundum quod oculus est magis vel minus dispositus." Ita in *Compend. theol. verit. lib. 7. c. 26,* quod Seraphico Doctori a nonnullis aliquando attributum fuerat.

Quidquid autem sit de lumine gloriae, certum omnino est, ait S. D. in *epilogo libror. sentent.,* quod „Deus ita erit conspicuus, ut videatur a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in semetipso, videatur in creaturis omnibus; videatur etiam per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi, acie perveniente directi. Tunc videbimus, amabimus, laudabimus; tunc apparebit Christus vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria *(Coloss. 3, 4);* ad quam nos perducat pontifex et praecursor noster, Jesus Christus Filius Dei et beatae Mariae dominae et adjutricis nostrae, sua pia misericordia, cui est *benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo (Apoc. 7, 12)* per infinita saecula saeculorum. Amen."

Pars septima

in tabulas distributa.

C. I. DE JUDICIO IN COMMUNI.

In finali judicio ad manifestationem

- *altitudinis virtutis*, quae produxit creaturam . . .
  - ad imaginem Dei, . . ideo beatificabilem
  - rationalem . . . . . „ disciplinabilem
  - liberam . . . . . „ ordinabilem / deordinabilem

  → fiet *irrevocabilis latio sententiarum* a judice: homine — ut possit videri et audiri / Deo — ut ab eo non possit appellari.
- *rectitudinis veritatis*, quae per legem creaturam . .
  - beatificabilem . . ad beatitudinem invitavit
  - disciplinabilem . ad veritatem erudivit
  - ordinabilem . . . ad justitiam obligavit

  → fiet *aperta declaratio meritorum* per apertionem: librorum conscientiarum / libri vitae.
- *plenitudinis bonitatis*, quae dat beatitudinem iis, qui
  - servaverunt justitiam . . . . . .
  - susceperunt disciplinam . . . . . .
  - amaverunt summam felicitatem . . . . . .

  → fiet *justa retributio stipendiorum*: culpae — per impiorum condemnationem / justitiae — per bonorum glorificationem.

C. II. DE ANTECEDENTIBUS AD JUDICIUM, CUJUSMODI EST POENA PURGATIVA.

Poena purgatorii, quia ordinata contra eam culpam, quae

- et est
  - offensiva Dei
    - propter contemptum boni aeterni . . . per dilationem praemii . . .
    - propter subjectionem infimo . . . . . per subjectionem igni . . .

    → est *juste punitiva*
  - damnificativa Ecclesiae . . . . . per acerbitatem poenarum . est *digne satisfactiva*
  - deformativa imaginis divinae . . . . . per virtutem ignis . . . . . est *sufficienter expurgativa.*
- et invenitur in justis, quibus
  - non debetur nisi poena transitoria . . . . . est *temporalis*
  - diversus est reatus . . . . . est *inaequalis*
  - impossibile est perdere gratiam . . . . . est *mitior poena infernali*
  - est dispositio ad gloriam . . . . *purgationem consummat, ut spiritus immediate evolet ad gloriam.*

C. III. DE ANTECEDENTIBUS AD JUDICIUM, CUJUSMODI SUNT SUFFRAGIA ECCLESIASTICA.

- Ecclesiastica suffragia valent defunctis
  - secundum *dulcedinem misericordiae*, quae disposuit eos aliorum operibus et meritis relevari.
  - secundum *rectitudinem justitiae*, quae servat
    - *honoris divini dignitatem* — quia fiunt per opera, quibus Deo
      - satisfit, scil. per
        - jejunium
        - orationem
        - eleemosynam
      - honor redditur, scil. per Missam.
    - *regimen universi* — quia
      - non prosunt
        - valde bonis, scil. beatis . . . . superioribus
        - valde malis, scil. damnatis . . disjunctis
      - prosunt mediocriter bonis, qui sunt in purgatorio,
        - inferioribus, ratione
          - poenae
          - impotentiae
        - conjunctis, ratione justitiae.
    - *qualitatem meritorum* — quia valent
      - *communia*
        - omnibus bonis pro modulo suo
        - amplius pro iis, qui magis in hac vita meruerunt, ut sibi prodessent.
      - *specialia*
        - omnibus aliquo modo
        - amplius pro iis, pro quibus determinate fiunt.

C. IV. DE CONCOMITANTIBUS JUDICIUM, SICUT EST CONFLAGRATIO IGNIUM.

- Ut mundus, homine
  - perturbato, *perturbetur* . . . . ignis concurret ex omni parte, scil.
    - elementaris, ut elementa subtilientur
    - terrestris, ut vegetabilia consumantur
    - purgatorius, ut justi purgentur
    - infernalis, ut reprobi adurantur.
  - purgato, *purgetur* . . a scoria
    - avaritiae
    - malitiae
    - — ignis mundum exuret per actionem
      - intimam
      - violentam
      - acceleratam.
  - innovato, *innovetur* . . in igne erit
    - naturaliter — virtus
      - expulsiva formae extraneae
        - inflammando
        - purgando
      - introductiva novae formae
        - rarefaciendo
        - subtiliando
    - ex imperio Dei — conflagrationis
      - initium
      - complementum.
  - consummato, *consummetur* . . post conflagrationem erit
    - motus caeli cessatio
    - elementorum innovatio
    - vegetabilium et sensibilium
      - consummatio in propria natura
      - salvatio
        - in principiis
        - quodam modo in homine glorificato.

C. V. DE CONCOMITANTIBUS JUDICIUM, SICUT EST RESURRECTIO CORPORUM.

- **Resurrectio corporum**
  - futura est
    - propter *retributionem justitiae* . . ut corpus atque anima puniantur vel praemientur
    - propter *reformationem gratiae* . . ut totum corpus assimiletur Christo capiti
    - propter *constitutionem naturae* . . ut homo sit in suo statu naturali.
  - et erit — secundum exigentiam
    - *ordinis divinae justitiae*
      - universalis — quia omnis anima corpori unita habet in eo culpam vel gratiam.
      - simultanea . . .
        - ut non confundatur ordo universi
        - ut fides habeat meritum
        - ut certius et clarius appareat aequitas divinae justitiae
        - ut simul fiat consummatio et retributio finalis
          - in angelis
          - in hominibus.
      - inaequalis . . .
        - in resurgentibus ad supplicium
        - in resurgentibus ad vitam.
    - *consummationis gratiae*, per conformitatem cum Christo, quoad bonos — in optimis conditionibus
      - vitiis detractis
      - naturâ servatâ.
    - *perfectionis naturae humanae* in corpore
      - eodem numerice
      - cum partibus, quae faciunt ad ejus
        - substantiam . . necessario
        - decentiam . . . de congruo
      - cum ordinatione ad incorruptionem perpetuam.

C. VI. DE CONSEQUENTIBUS AD JUDICIUM, SCILICET DE IGNE INFERNALI.

- **Divina justitia punit culpam, ut habet rationem deordinationis**
  - *perpetuae* . . . . poenarum *aeternitate*
    - non desistendo a punitione
    - infligendo poenam durationem infinitam
    - nunquam immutando sententiam.
  - *libidinosae* . . poenarum *acerbitate* . . damnatum
    - praecipitando in locum a gloria maxime longinquum
    - puniendo per substantiam corporalem et infimam.
    - alligando igni corporeo, qui
      - affliget
        - animam, per timorem divinitus immissum
        - corpus, per vim naturalis sensus.
      - inaequaliter cremabit
      - uret, quin consumat.
  - *multimodae* . . poenarum *multiformitate*, scil.
    - propter aversionem . . . . . carentiâ visionis Dei
    - propter conversionem . . . poenâ incendii materialis
    - propter deordinationem . . poenâ vermis.

C. VII. DE CONSEQUENTIBUS AD JUDICIUM, SCILICET DE GLORIA PARADISI.

Beatis datur secundum *retributionem justam*

- et *productionem virtuosam* . . . praemium *substantiale*, scil. *anima*
  - deiformatur per *gloriam*
  - dotatur
    - in memoria . . per *tentionem aeternam*
    - in ratione . . . per *visionem claram*
    - in voluntate . . per *fruitionem plenam*

    } summi boni.
- et *gubernationem ordinatam* . . praemium *consubstantiale*, sc. restituitur *corpus* conforme et subjectum
  - per *claritatem* — animae clarificatae ex visione Dei
  - per *subtilitatem* — animae summe spirituali effectae ex fruitione Dei
  - per *impassibilitatem* — animae factae impassibili ex tentione Dei
  - per *agilitatem* — animae ex omnibus tribus dotibus promptissimae ad tendendum in Deum.
- et *reparationem gratuitam* . . . praemium *accidentale*, sc. *aliquibus* datur propter praecellens et formosum opus
  - secundum rationalem . . . . . aureola *doctrinae*
  - secundum concupiscibilem . . aureola *virginitatis*
  - secundum irascibilem . . . . . aureola *martyrii*.

TABULA GENERALIS

HUJUS VII. PARTIS

DE STATU FINALIS JUDICII.



GRADUS SCALARES PERFECTIONIS

IN SPIRITU RATIONALI

EX BREVILOQUIO DEPROMPTI.

- **Spiritus rationalis in suis potentiis spectatus**
  - absolute, scil.
    - in *rationali*
      - rectificatur
        - *secundum faciem inferiorem* . . per prudentiam — *(virtutes)*
        - *secundum faciem superiorem* . . per fidem — *(virtutes)*
      - expeditur in
        - *speculatione* . . . . . per intellectum — *(dona Spiritus sancti)*
        - *electione* . . . . . per consilium — *(dona Spiritus sancti)*
        - *executione* . . . . . per scientiam — *(dona Spiritus sancti)*
      - perficitur
        - *remotione falsae beatitudinis* . . per paupertatem spiritus — *(beatitudines)*
        - *collatione verae beatitudinis* . . . per munditiam cordis — *(beatitudines)*
      - glorificatur
        - *in anima* . . . . . per visionem Dei — *(dotes gloriosae)*
        - *in corpore* . . . . . per claritatem — *(dotes gloriosae)*
    - in *irascibili*
      - rectificatur
        - *secundum faciem inferiorem* . . per fortitudinem — *(virtutes)*
        - *secundum faciem superiorem* . . per spem — *(virtutes)*
      - expeditur
        - *in prosperis* . . . . . per timorem — *(dona Spiritus sancti)*
        - *in adversis* . . . . . per fortitudinem — *(dona Spiritus sancti)*
      - perficitur
        - *remotione falsae beatitudinis* . . per mansuetudinem — *(beatitudines)*
        - *collatione verae beatitudinis* . . per misericordiam — *(beatitudines)*
      - glorificatur
        - *in anima* . . . . . per tentionem Dei — *(dotes gloriosae)*
        - *in corpore* . . . . . per impassibilitatem — *(dotes gloriosae)*
    - in *concupiscibili*
      - rectificatur
        - *secundum faciem inferiorem* . . per temperantiam — *(virtutes)*
        - *secundum faciem superiorem* . . per caritatem — *(virtutes)*
      - expeditur . . . . *in amore*
        - *proximi* . . . . . per pietatem — *(dona Spiritus sancti)*
        - *Dei* . . . . . per sapientiam — *(dona Spiritus sancti)*
      - perficitur
        - *remotione falsae beatitudinis* . . per luctum — *(beatitudines)*
        - *collatione verae beatitudinis* . . per pacem — *(beatitudines)*
      - glorificatur
        - *in anima* . . . . . per fruitionem Dei — *(dotes gloriosae)*
        - *in corpore* . . . . . per subtilitatem — *(dotes gloriosae)*
  - cum relatione — in *omnibus potentiis*
    - rectificatur . . . . . per justitiam . . . . . *(virtus)*
    - expeditur . . . . . per pietatem . . . . . *(donum Spiritus sancti)*
    - perficitur . . . . . per zelum justitiae . . . . . *(beatitudo)*
    - glorificatur . . . . . per agilitatem . . . . . *(dos gloriosa).*

TABULA GENERALISSIMA

TOTIUS THEOLOGIAE

EX BREVILOQUIO DEPROMPTA.



INDEX II.

Locorum sacrae Scripturae,

quae in hoc Opere citantur.

Genesis.

Cap. I, v. 1, p. 3. 114. 124. 157. 267.
v. 2, p. 77. 124.
v. 3, p. 176.
v. 6—9, p. 121.
v. 14, p. 121.
v. 16, p. 17.
v. 23—24, p. 575. 590.
v. 26, p. 123. 170. 172. 177. 311. 377.
v. 27, p. 311. 421.
v. 28, p. 166. 170.
Cap. II, v. 1, p. 375.
v. 3, p. 118.
v. 6, p. 51.
v. 7, p. 587.
v. 8—10, p. 479.
v. 9, p. 10. 51. 290.
v. 10, p. 51. 290. 296.
v. 15, p. 162.
v. 16—17, p. 370.
v. 17, p. 166. 206. 472.
v. 24, p. 163.
Cap. III, v. 1—3, p. 195. 203.
v. 9, p. 472.
v. 17, p. 200.
v. 19, p. 202.
Cap. IV, v. 4, p. 173.
v. 14, p. 236.
v. 24, p. 615.
Cap. VI, v. 2, p. 615.
v. 9, p. 431.
v. 16, p. 290.
Cap. VII, v. 1, p. 630.
Cap. VIII, v. 21, p. 206. 328.
Cap. IX, v. 3, p. 427.
v. 25, p. 419.
Cap. XI, v. 4, p. 615.
Cap. XV, v. 1, p. 322. 347. 401. 402. 654.
v. 5, p. 15. 397.
Cap. XVI, v. 3, p. 587.
Cap. XVII, v. 10, p. 463.
Cap. XVIII, v. 2, p. 15. 146.
v. 17, p. 146.
Cap. XXI, v. 10, p. 587.
v. 12, p. 428.
Cap. XXII, v. 9, p. 290.
Cap. XXVI, v. 7, p. 428.
Cap. XXVII, v. 27, p. 466.
v. 29, p. 419.
Cap. XXVIII, v. 12, p. 374. 379. 438.
Cap. XXX, v. 3, p. 587.
Cap. XXXII, v. 24—25, p. 147.
v. 25, p. 623.
Cap. XXXVII, v. 2, p. 112. 616.
v. 9, p. 51.
v. 24, p. 296.
Cap. XXXIX, v. 12, p. 296.
Cap. XLI, v. 1—7, p. 377.
Cap. XLII, v. 9, p. 428.
Cap. XLIV, v. 5, p. 428.
Cap. XLIX, v. 8, p. 243.
v. 9, p. 266.
v. 17, p. 616.
v. 20, p. 512.
v. 27, p. 267.

Exodus.

Cap. I, v. 12, v. 231.
Cap. III, v. 1—2, p. 382.
v. 3, p. 51. 246.
v. 14, p. 382. 397.
v. 15, p. 397.
v. 18, p. 179.
v. 22, p. 588.
Cap. IV, v. 11, p. 397.
Cap. VII, v. 1, p. 265. 396.
Cap. VIII, v. 18—19, p. 396.
Cap. XII, v. 8, p. 516.
v. 29, p. 146.
Cap. XIII, v. 9, p. 512.
Cap. XIV, v. 18—19, p. 512.
Cap. XV, v. 25, p. 290.
Cap. XVII, v. 12, p. 423.
Cap. XVIII, v. 25—26, p. 547.
Cap. XIX, v. 3, p. 380.
v. 5—6, p. 552. 567.
v. 10, p. 118.
v. 16, p. 422.
Cap. XX, v. 5, p. 21.
v. 8, p. 118.
Cap. XXII, v. 18, p. 420. 427.
Cap. XXIII, v. 26, p. 206.
Cap. XXIV, v. 8, p. 513.
v. 16, p. 382.
Cap. XXV, v. 20, p. 368.
v. 40, p. 247. 281. 366.
Cap. XXVI, v. 18—25, p. 267.
Cap. XXVIII, v. 17, p. 266.
Cap. XXX, v. 7—8, p. 466.
v. 18, p. 15.
v. 35, p. 466.
Cap. XXXI, v. 18, p. 413. 415.
Cap. XXXIII, v. 1, p. 146.
v. 11, p. 438.
v. 19, p. 48. 660. 661.
v. 20, p. 277.
Cap. XXXIV, v. 28, p. 396.

Leviticus.

Cap. VI, v. 12—13, p. 290. 439.
v. 15, p. 466.
Cap. VIII, v. 11, p. 568
Cap. XXIII, v. 34, p. 118.

Numeri.

Cap. XI, v. 9, p. 515.
Cap. XII, v. 7—8, p. 396.
Cap. XIII, v. 24, p. 269. 395.
Cap. XVI, v. 1—2, p. 548.
Cap. XIX, v. 2, p. 474.
Cap. XX, v. 11, p. 290.
Cap. XXI, v. 9, p. 290.
Cap. XXIII, v. 1—4, p. 616.
Cap. XXIV, v. 5—6, p. 10.

Deuteronomium.

Cap. VI, v. 4, p. 48.
v. 5, p. 322.
Cap. VII, v. 14, p. 206.
Cap. IX, v. 4, p. 401.
Cap. XVI, v. 8, p. 516.
Cap. XVII, v. 8—9, p. 541. 572.
Cap. XVIII, v. 1, p. 566.
v. 13, p. 433.
Cap. XIX, v. 21, p. 290.
Cap. XXII, v. 10, p 8.
Cap. XXIV, v. 4, p. 587.
v. 6, p. 544.
Cap. XXV, v. 13, p. 376.
Cap. XXXII, v. 4, p. 49.
v. 27, p. 327. 401.
v. 28, p. 365.
v. 33, p. 544.
Cap. XXXIII, v. 5, p. 170.
v. 13—16, p. 379.
v. 19, p. 378.

Josue.

Cap. I, v. 3, p. 143.
v. 7, p. 364.
Cap. IV, v. 2, p. 385.
v. 8, p. 386.
v. 22—23, p. 36.
Cap. V, v. 6, p. 459.
Cap. VI, v. 25, p. 356.
Cap. VII, v. 19, p. 541.
v. 20—22, p. 616.
Cap. X, v. 12, p. 17.
v. 13, p. 396.

Judicum.

Cap. II, v. 1—2, p. 146.
Cap. III, v. 1, p. 394.
Cap. IX, v. 5, p. 616.
Cap. XV, v. 14, p. 588.
Cap. XVI, v. 19, p. 326.

Ruth.

Cap. II, v. 12, p. 654.
Cap. IV, v. 5, p. 550.

I. Regum.

Cap. II, v. 3, p. 24. 368.
Cap. VI, v. 19, p. 528.
Cap. XVI, v. 13, p. 474. 505.
v. 23, p. 290.
Cap. XVII, v. 10, p. 616.
Cap. XVIII, v. 11, p. 296.
Cap. XXI, v. 4, p. 597.
v. 13, p. 428.

II. Regum.

Cap. II, v. 4, p. 505.
v. 7, p. 474.
Cap. V, v. 3, p. 474. 505.
Cap. VI, v. 7, p. 528.
Cap. XII, v. 13, p. 541.

III. Regum.

Cap. II, v. 27, p. 552.
Cap. IV, v. 25, p. 10.
v. 33, p. 369.
Cap. VIII, v. 12, p. 382.
Cap. X, v. 18, p. 374.
v. 19, p. 437.
Cap. XVII, v. 12, p. 290.
Cap. XVIII, v. 44, p. 301.
v. 45, p. 396.
Cap. XIX, v. 7, p. 146.
Cap. XXI, v. 20, p. 391.
v. 29, p. 356.
Cap. XXII. v. 17, p. 566.

IV. Regum.

Cap. I, v. 10, p. 512.
Cap. II, v. 11, p. 301. 439.
Cap. III, v. 31—34, p. 267.
Cap. IV, v. 35—36, p. 396.
Cap. V, v. 14, p. 455.
Cap. VI, v. 6, p. 290.
Cap. X, v. 18, p. 428.
Cap. XX, v. 11, p. 300.

I. Paralipomenon.

Cap. XXV, v. 1, p. 439.

II. Paralipomenon.

Cap. IX, v. 18, p. 437.

Tobias.

Cap. III, v. 17, p. 438.
Cap. V, v. 4, p. 654.
v. 13, p. 146.
v. 15, p. 146.
Cap. VI, v. 8, p. 438.
Cap. XII, v. 3, p. 146.
v. 8, p. 542.
v. 9, p. 327.
v. 12, p. 147. 438.

Judith.

Cap. XII, p. 7, p. 496.

Esther.

Cap. I, v. 4, p. 550.
Cap. III, v. 8, p. 616.
Cap. VII, v. 10, p. 443.
Cap. X, v. 6, p. 35.

Cap. XI, v. 11, p. 17.
Cap. XVI, v. 23, p. 654.

Job.

Cap. I, v. 19, p. 371.
Cap. III, v. 3, p. 206.
Cap. IV, v. 14, p. 443.
Cap. V, v. 24, p. 118.
Cap. VI, v. 4, p. 494.
v. 10, p. 231.
Cap. VII, v. 1, p. 503.
v. 15, p. 382. 437.
Cap. IX, v. 28, p. 25.
Cap. X, v. 22, p. 645.
Cap. XI, v. 7, p. 277.
v. 8, p. 48.
Cap. XIII, v. 15, p. 382.
Cap. XXIV, v. 19, p. 645.
Cap. XXVI, v. 12, p. 248.
v. 14, p. 36.
Cap. XXVIII, v. 11—12, p. 35. 36.
v. 18, p. 36.
v. 21, p. 36.
v. 28, p. 37. 364.
Cap. XXXIV, v. 14, p. 438.
v. 30, p. 420.
Cap. XXXVIII, v. 7, p. 131.
v. 31, p. 359.
v. 33, p. 15. 368.
v. 34, p. 368.
v. 37, p. 396.
Cap. XXXIX, v. 27, p. 377. 441.
v. 30, p. 377. 513.
Cap. XL, v. 12, p. 616.
v. 20, p. 248.
Cap. XLI, v. 25, p. 194.

Psalmi.

Psalm. I, v. 1, p. 638.
v. 4, p. 544.
v. 5, p. 618.
Ps. II, v. 7, p. 51.
Ps. IV, v. 5, p. 370. 485.
v. 7, p. 112. 158. 168. 170. 377.
Ps. V, v. 5, p. 10. 465.
v. 13. p. 22.
Ps. VI, v. 1, p. 118.
Ps. VIII, v. 4, p. 396.
v. 8, p. 170.
Ps. X, v. 2, p. 382.
v. 7, p. 645.
Ps. XIII, v. 3, p. 265.
Ps. XV, v. 2, p. 116. 173. 412.
v. 4, p. 231. 265.
v. 5, p. 563.
v. 7, p. 368.
v. 8, p. 279. 379.
v. 10, p. 293, 299.
Ps. XVI, v. 15, p. 652.
Ps. XVII, v. 12, p. 382.
v. 13, p. 336.
v. 17, p. 118.
Ps. XVIII, v. 5, p. 303. 416.
v. 6, p. 17.
v. 7, p. 35.
v. 10, p. 284.
Ps. XIX, v. 4, p. 438.
Ps. XX, v. 3, p. 515.
Ps. XXI, v. 17, p. 512.
v. 26, p. 573.
Ps. XXII, v. 4, p. 296.
v. 5, p. 3. 514.
Ps. XXIII, v. 2, p. 127. 370.
Ps. XXIV, v. 10, p. 204. 234. 291. 373. 544. 622.
Ps. XXVI, v. 1, p. 438.
Ps. XXVII, v. 7, p. 555.
Ps. XXVIII, v. 7, p. 618. 645.
Ps. XXX, v. 2, p. 382.
Psalm. XXX, v. 20, p. 36. 382.
Ps. XXXI, v. 5, p. 541.
v. 8, p. 364.
v. 9, p. 364.
Ps. XXXII, v. 1, p. 169.
v. 6, p. 392.
v. 9, p. 112. 368.
v. 10, p. 368.
Ps. XXXIII, v. 14, p. 51.
Ps. XXXIV, v. 2, p. 22.
Ps. XXXV, v. 7, p. 35. 544.
v. 9—10, p. 365. 652.
Ps. XXXVI, v. 10, p. 624.
v. 39, p. 652.
Ps. XXXVII, v. 10, p. 381.
Ps. XXXVIII, v. 7, p. 207.
Ps. XXXIX, v. 7, p. 466.
Ps. XLI, v. 2, p. 374. 382. 437.
v. 3, p. 665.
v. 5, p. 436.
Ps. XLIV, v. 1, p. 3. 51.
v. 2, p. 5. 302.
v. 3, p. 51. 296.
v. 17, p. 143.
Ps. XLVI, v. 6, p. 301.
Ps. XLVIII, v. 21, p. 114. 169. 207. 364.
Ps. XLIX, v. 1, p. 441.
Ps. L, v. 19, p. 460. 544.
Ps. LIII, v. 1, p. 439.
Ps. LVII, v. 3, p. 490.
v. 11, p. 647.
Ps. LIX, v. 4, p. 334.
Ps. LXII, v. 2, p. 381. 555.
Ps. LXIV, v. 10, p. 515.
Ps. LXV, v. 15, p. 433.
Ps. LXVII, v. 5, p. 301.
v. 26, p. 438. 440.
v. 27, p. 573.
Ps. LXVIII, v. 1, p. 118.
v. 2, p. 35. 296.
v. 16, p. 35.
Ps. LXX, v. 23, p. 667.
Ps. LXXII, v. 1, p. 169.
v. 28, p. 382.
Ps. LXXIII, v. 12, p. 281. 292.
v. 20, p. 267.
Ps. LXXIV, v. 2, p. 644.
Ps. LXXV, v. 1, p. 67.
v. 3, p. 437.
v. 5, p. 85. 379.
v. 11, p. 437.
Ps. LXXVI, v. 7, p. 440.
Ps. LXXVII, v. 25, p. 391. 512.
v. 29— 30, p. 515.
v. 49, p. 324.
Ps. LXXVIII, v. 2, p. 636.
Ps. LXXXI, v. 5, p. 370.
Ps. LXXXIII, v. 2, p. 382.
v. 4, p. 296.
v. 5, p. 289. 439.
v. 8, p. 265.
Ps. LXXXIV, v. 13, p. 379.
v. 22, p. 666.
Ps. LXXXVIII, v. 27, p. 441.
v. 38, p. 17.
Ps. XC, v. 5, p. 22. 378.
Ps. XCI, v. 5, p. 51. 127.
v. 6, p. 127.
Ps. XCIII, v. 11, p. 368.
v. 19, p. 382.
Ps. XCV, v. 4, p. 135.
v. 6, p. 566.
Ps. XCVI, v. 3, p. 630. 632.
v. 9, p. 49.
Ps. C, v. 6, p. 566.
Ps. CI, v. 26, p. 127.
Ps. CII, v. 3, p. 467.
v. 17, p. 36.
Ps. CIII, v. 5, p. 127. 370.
v. 12, p. 396.
Psalm. CIII, v. 15, p. 312. 504. 511. 512. 516.
v. 24, p. 115. 127.
v. 25, p. 35. 297. 538.
Ps. CIX, v. 3, p. 51.
v. 4, p. 475. 512.
Ps. CX, v. 4, p. 512.
v. 9—10, p. 364.
Ps. CXI, v. 10, p. 647.
Ps. CXIII, v. 3, p. 99.
Ps. CXVII, v. 19, p. 397.
Ps. CXVIII, v. 18, p. 266.
v. 20, p. 357.
v. 73, p. 366.
v. 89, p. 51. 392.
v. 96, p. 407.
v. 103, p. 3.
v. 105, p. 499.
v. 112, p. 399.
v. 120, p. 359. 544.
v. 125, p. 370.
v. 163, p. 438.
v. 164, p. 435.
Ps. CXX, v. 1, p. 379.
Ps. CXXIX, v. 7, p. 296.
Ps. CXXXII, v. 2, p. 651.
v. 2—3, p. 378, 380, 557. 570.
Ps. CXXXIV, v. 13, p. 512.
Ps. CXXXVIII, v. 6, p. 11. 49. 368.
v. 8, p. 69.
v. 11, p. 296, 374.
v. 16, p. 85.
Ps. CXLIV, v. 9, p. 49.
v. 13, p. 442.
v. 18, p. 99.
Ps. CXLV, v. 1, p. 667.
v. 6, p. 667.
Ps. CXLVI, v. 3, p. 467.
v. 5, p. 86.
v. 11, p. 36.
Ps. CXLVII, v. 3, p. 379.
v. 12, p. 667.
Ps. CXLVIII, v. 5, p. 112. 587.
v. 8, p. 59.

Proverbia.

Cap. II, v. 3—5, p. 364.
v. 14—15, p. 540.
v. 17—18, p. 585.
Cap. III, v. 14, p. 379.
v. 16, p. 365.
v. 18, p. 51.
Cap. IV, v. 18, p. 118. 433.
Cap. V, v. 5, p. 436.
Cap. VI, v. 18, p. 654.
v. 27—28, p. 597.
Cap. VIII, v. 23, p. 36.
v. 24, p. 51.
v. 27, p. 18.
v. 30, p. 366.
v. 31, p. 70.
Cap. IX, v. 1, p. 481.
Cap. XI, v. 28, p. 118.
Cap. XIII, v. 4, p. 223.
v. 8, p. 327.
Cap. XVI, v. 4, p. 48. 116. 123. 178. 632.
Cap. XVII, v. 8, p. 365.
v. 22, p. 555.
Cap. XX, v. 10, p. 376.
v. 28, p. 373.
Cap. XXI, v. 1, p. 334.
Cap. XXII, v. 20, p. 15. 368.
v. 21, p. 368.
Cap. XXIV, v. 17, p. 407.
v. 27, p. 24.
v. 31, p. 24.
Cap. XXV, v. 16, p. 25.
v. 27, p. 328.
Cap. XXVII, v. 7, p. 437.
Cap. XXVIII, v. 13, p. 336.
Cap. XXIX, v. 21, p. 542.

Ecclesiastes.

Cap. I, v. 4, p. 127.
v. 5—6, p. 393.
v. 7, p. 35, 326.
v. 10, p. 116.
v. 14, p. 438.
v. 18, p. 370.
Cap. III, v. 7, p. 302.
v. 21, p. 59.
Cap. IV, v. 3, p. 648.
v. 8, p. 566.
Cap. V, v. 5, p. 93.
Cap. VII, v. 1, p. 39.
v. 14, p. 98.
v. 16, p. 93.
v. 17, p. 654.
v. 25, p. 35. 48.
v. 26, p. 369.
v. 27, p. 198.
v. 30, p. 169.
Cap. VIII, v. 4—5, p. 365.
Cap. IX, v. 1, p. 478.
v. 2, p. 330.
v. 3, p. 93.
v. 10, p. 647.
v. 11, p. 85.
Cap. X, v. 5—6, p. 420.
v. 7, p. 93.
Cap. XI, v. 7, p. 296.

Canticum Canticorum.

Cap. I, v. 3, p. 169. 301. 374. 382.
v. 8, p. 3.
v. 9, p. 15.
v. 12—13, p. 292.
Cap. II, v. 3, p. 379. 382.
v. 4, p. 438.
v. 5, p. 378.
v. 6, p. 381.
v. 12, p. 10.
v. 14, p. 296.
v. 16, p. 381. 382.
Cap. III, v. 1, p. 439.
v. 4, p. 438.
v. 6, p. 14, 376.
v. 10, p. 437.
v. 11, p. 292.
Cap. IV, v. 2, p. 22. 497.
v. 10, p. 466.
v. 11, p. 3.
Cap. V, v. 1, p. 513.
v. 2, p. 381, 436.
v. 10, p. 382. 401.
Cap. VI, v. 3, p. 379.
v. 7, p. 266.
v. 9, p. 14. 17. 464. 547.
Cap. VII, v. 8, p. 290.
Cap. VIII, v. 5, p. 14. 377.
v. 6, p. 299. 349. 382. 512.
v. 7, p. 302.

Sapientia.

Cap. I, v. 1, p. 16. 566.
v. 5, p. 364.
Cap. III, v. 7, p. 618. 663.
Cap. IV, v. 11, p. 93.
Cap. V, v. 16, p. 652.
v. 17, p. 666.
v. 18, p. 630.
v. 21, p. 127. 634.
Cap. VI, v. 5, p. 21.
v. 17, p. 168.
Cap. VII, v. 11, p. 357.
v. 15—16, p. 369.
v. 17—21, p. 170. 369.

Cap. VII, v. 22—23, p. 438.
v. 24, p. 215.
v. 25—26, p. 262.
v. 26, p. 3. 19. 51. 82. 247. 442.
v. 29, p. 17.
Cap. VIII, v. 2, p. 53.
v. 6, p. 438.
v. 16, p. 438.
v. 21, p. 322. 323.
Cap. IX, v. 2—3, p. 552.
v. 4, p. 369.
v. 10, p. 36.
v. 12, p. 369.
v. 15, p. 411. 555.
v. 17, p. 645.
Cap. X, v. 10, p. 370.
v. 17, p. 654.
Cap. XI, v. 21, p. 109. 113.
Cap. XIII, v. 9, p. 370.
Cap. XIV, v. 5, p. 538.
Cap. XV, v. 3, p. 371.
Cap. XVI, v. 20, p. 511. 512.
Cap. XVIII, v. 14, p. 268.
v. 24, p. 266.
Cap. XIX, v. 24, p. 572.

Ecclesiasticus.

Cap. I, v. 2, p. 35. 48.
v. 5—6, p. 12. 17.
v. 8, p. 36.
v. 10, p. 10. 36.
v. 26, p. 365.
v. 36, p. 223.
Cap. II, v. 14, p. 223.
Cap. III, v. 1, p. 573.
v. 15, p. 10.
v. 20, p. 326, 379.
v. 27, p. 544.
v. 33, p. 356.
Cap. IV, v. 25, p. 540, 541.
Cap. V, v. 13—14, p. 364.
Cap. VI, v. 23, p. 38. 364. 438.
Cap. VIII, v. 8, p. 407.
Cap. IX, v. 24, p. 654.
Cap. X, v. 2, p. 369.
v. 15, p. 225.
Cap. XII, v. 1, p. 118.
Cap. XIII, v. 19—20, p. 587.
Cap. XV, v. 3, p. 367.
Cap. XVII, v. 1—2, p. 169. 366.
v. 1—5, p. 156.
v. 5—6, p. 366.
Cap. XVIII, v. 1, p. 112. 125.
v. 19, p. 19, 302.
v. 22, p. 654.
v. 30, p. 430.
Cap. XIX, v. 4, p. 138.
Cap. XX, v. 12, p. 542.
v. 27, p. 429.
Cap. XXIII, v. 29, p. 112.
Cap. XXIV, v. 6, p. 395. 396.
v. 7, p. 48.
v. 13, p. 10.
v. 16, p. 10.
v. 24—25, p. 444.
v. 27, p. 441.
v. 29, p. 438.
v. 33, p. 21.
v. 40, p. 8.
v. 41, p. 35. 311.
Cap. XXV, v. 7, p. 458.
Cap. XXVI, v. 21, p. 17.
Cap. XXVII, v. 3, p. 544.
v. 6, p. 231.
v. 12, p. 17.
Cap. XXVIII, v. 3, p. 407.
v. 28, p. 25.
Cap. XXX, v. 24, p. 541.
Cap. XXXI, v. 2, p. 624.
Cap. XXXIV, v. 9, p. 157, 366.
Cap. XXXIV, v. 30, p. 443.
Cap. XXXVII, v. 1, p. 587.
Cap. XXXVIII, v. 7, p. 465.
v. 11, p. 438.
Cap. XXXIX, v. 27, p. 14.
v. 41, p. 439.
Cap. XL, v. 20, p. 516.
Cap. XLII, v. 16, p. 17.
Cap. XLIII, v. 4, p. 17.
v. 12, p. 246.
Cap. XLIV, v. 1, p. 396.
v. 20, p. 144.
Cap. XLV, v. 6, p. 21.
v. 19, p. 438.
Cap. XLVII, v. 12, p. 440.
v. 16, p. 8.
Cap. XLIX, v. 1, p. 466. 512.
Cap. LI, v. 38, p. 654.

Isaias.

Cap. I, v. 5—6, p. 466.
v. 9, p. 203.
v. 11, p. 265.
v. 13—15, p. 466.
v. 17, p. 585.
v. 19, p. 356.
v. 24, p. 95.
Cap. III, v. 9, p. 540.
Cap. IV, v. 2, p. 10. 51.
Cap. V, v. 13, p. 370.
Cap. VI, v. 1, p. 267.
v. 3, p. 49.
Cap. VII, v. 14, p. 396.
Cap. IX, v. 3, p. 302.
v. 4, p. 266.
v. 6, p. 290.
Cap. XI, v. 1, p. 10.
v. 2, p. 357. 376.
v. 3, p. 284.
v. 9, p. 370.
v. 12, p. 7.
Cap. XII, v. 3, p. 291. 296. 311.
Cap. XIX, v. 1, p. 396.
v. 18, p. 571.
Cap. XXVI, v. 8, p. 512.
v. 9, p. 381.
v. 12, p. 279. 323.
Cap. XXVIII, v. 16, p. 392.
v. 19, p. 231. 494.
v. 20, p. 223.
Cap. XXIX, v. 11—12, p. 370.
Cap. XXXI, v. 1, p. 3.
v. 5, p. 318.
v. 6, p. 410.
Cap. XXXII, v. 8, p. 246.
Cap. XXXIV, v. 8—9, p. 646.
Cap. XXXVII, v. 36, p. 147.
Cap. XXXVIII, v. 10, p. 266.
Cap. XL, v. 8, p. 51.
v. 12, p. 127.
Cap. XLII, v. 4, p. 284.
Cap. XLIII, v. 25, p. 336.
v. 26, p. 336.
Cap. XLV, v. 8, p. 10.
v. 15, p. 36.
Cap. XLVI, v. 8, p. 472.
Cap. XLVIII, v. 13, p. 18.
Cap. XLIX, v. 16, p. 299.
Cap. LI, v. 10, p. 36.
Cap. LII, v. 11, p. 569. 596.
Cap. LIII, v. 2—3, p. 36.
v. 2—4, p. 370.
v. 4, p. 35. 311. 530.
v. 11, p. 370. 375.
v. 12, p. 288. 292.
Cap. LV, v. 10, p. 51.
Cap. LVIII, v. 6, p. 541.
Cap. LX, v. 1, p. 381.
v. 5, p. 377. 381.
Cap. LXI, v. 1, p. 466.
v. 10, p. 667.
Cap. LXIII, v. 1, p. 301.
v. 2, p. 296.
v. 7, p. 439.
v. 17, p. 359.
Cap. LXIV, v. 1, p. 267.
Cap. LXVI, v. 2, p. 438.
v. 12—13, p 667.
v. 23, p. 515.
v. 24, p. 643.

Jeremias.

Cap. I, v. 11, p. 267.
v. 13, p. 267.
Cap. II, v. 13, p. 207.
v. 18, p. 25.
Cap. III, v. 3, p. 540.
Cap. VI, v. 8, p. 231.
v. 26, p. 544.
Cap. VII, v. 28, p. 343.
Cap. X, v. 6, p. 67.
v. 14, p. 369.
Cap. XI, v. 19, p. 290. 292.
Cap. XX, v. 14, p. 206.
Cap. XXIII, v. 21, p. 548.
Cap. XXXI, v. 22, p. 116.
v. 33, p. 85.
Cap. XLVIII, v. 10, p. 439.

Threni.

Cap. I, v. 1, p. 10. 203. 267.
v. 8, p. 324.
Cap. II, v. 5, p. 340.
v. 18, p. 544.
v. 19, p. 381. 436.
Cap. III, v. 19—20, p. 512.
v. 22, p. 324. 647.
v. 27, p. 356.
Cap. IV, v. 8, p. 441.
Cap. V, v. 16—17, p. 207.

Baruch.

Cap. III, v. 14, p. 365.
v. 23, p. 25.
v. 28, p. 25.
v. 38, p. 299.
Cap. IV, v. 28, p. 410.

Ezechiel.

Cap. I, v. 15, p. 6.
v. 16, p. 474.
Cap. II, v. 9, p. 167.
Cap. III, v. 1, p. 21.
Cap. IV, v. 6, p. 542.
Cap. IX, v. 2, p. 267.
Cap. X, v. 1, p. 3.
v. 10, p. 474.
Cap. XVIII, v. 2, p. 20.
v. 22—24, p. 545.
Cap. XXXIII, v. 12, p. 490.
v. 15, p. 490.

Daniel.

Cap. II, v. 21—22, p. 25. 157. 366.
Cap. III, v. 39, p. 301.
Cap. IV, v. 6, p. 370.
v. 14, p. 370.
v. 19, p. 303.
v. 24, p. 327. 541.
Cap. V, v. 5, p. 377.
Cap. VII, v. 9—10, p. 35.
Cap. VIII, v. 15—16, p. 366.
Cap. IX, v. 22, p. 146.
v. 23, p. 16.
v. 24, p. 243.
Cap. X, v. 1, p. 368.
Cap. X, v. 11, p. 3.
Cap. XII, v. 4, p. 370.

Oseas.

Cap. I, v. 2, p. 588.
Cap. II, v. 20, p. 587.
Cap. VI, v. 6, p. 370.
Cap. VIII, v. 4, p. 420.
Cap. X, v. 1, p. 10.
v. 2, p. 223.
Cap. XIII, v. 11, p. 420.
v. 14, p. 289. 300. 311.

Joël.

Cap. III, v. 2, p. 616.

Amos.

Cap. VIII, v. 9, p. 17.

Jonas.

Cap. I, v. 12, p. 256.
Cap. II, v. 4, p. 36.

Michaeas.

Cap. II, v. 10, p. 494.
Cap. VII, v. 2, p. 343.

Habacuc.

Cap. III, v. 4, p. 36.
v. 11, p. 17. 301. 632.

Aggaeus.

Cap. II, v. 4, p. 243.

Zacharias.

Cap. I, v. 3, p. 336. 337.
Cap. IX, v. 11, p. 303. 628.
Cap. XII, v. 10, p. 296.
Cap. XIII, v. 5, p. 494.

Malachias.

Cap. II, v. 7, p. 515.
Cap. III, v. 1, p. 243.
v. 3, p. 632.
Cap. IV, v. 2, p. 17.

I. Machabaeorum.

Cap. VI, v. 34, p. 513.
v. 39, p. 382.

II. Machabaeorum.

Cap. II, v. 27, p. 5.
Cap. VI, v. 28, p. 21.
v. 30, p. 370.
Cap. VII, v. 1, p. 616.
v. 28, p. 157.

Matthaeus.

Cap, III, v. 6, p. 474.
v. 11, p. 472.
v. 13, p. 471.
v. 14, p. 530.
v. 16, p. 497.
v. 17, p. 146, 497.
Cap. IV, v. 4, p. 442.
v. 17, p. 469.
Cap. V, v. 3, p. 372. 375. 422.
v. 6, p. 350.
v. 9, p. 652.

Cap. V, v. 10, p. 231.
v. 11, p. 375.
v. 12, p. 654.
v. 16, p. 500.
v. 17, p. 264. 269. 413. 458. 516.
v. 18—19, p. 18. 20.
v. 22, p. 427.
v. 33—34, p. 424.
v. 43, p. 290. 407.
v. 45, p. 549. 617.
v. 48, p. 303. 422. 431.
Cap. VI, v. 9, p. 440. 441.
v. 12, p. 219. 407. 527.
v. 22, p. 222.
v. 24, p. 223. 422. 537.
Cap. VII, v. 6, p. 528.
v. 7, p. 302.
Cap. VIII, v. 4, p. 540.
v. 8, p. 530.
v. 9, p. 381.
Cap. IX, v. 15, p. 586.
v. 20, p. 530.
Cap. X, v. 8, p. 326. 380. 512.
Cap. XI, v. 11, p. 333.
v. 25, p. 23.
v. 27, p. 3.
v. 29, p. 285.
Cap. XII, v. 22, p. 530.
v. 36, p. 221.
v. 40, p. 294.
v. 41, p. 618.
Cap. XIII, v. 43, p. 652.
v. 46, p. 417.
Cap. XV, v. 26, p. 528.
v. 38, p. 350. 530.
Cap. XVI, v. 16, p. 391. 564.
v. 17—19, p. 564.
v. 18, p. 479. 572.
v. 19, p. 481. 535. 546.
v. 24, p. 365. 373. 433.
v. 26, p. 369.
v. 29, p. 541.
Cap. XVII, v. 1, p. 382.
v. 3, p. 381.
v. 4, p. 436.
v. 5, p. 382.
Cap. XVIII, v. 12, p. 245.
v. 17, p. 536.
v. 18, p. 471. 533.
Cap. XIX, v. 4, p. 469.
v. 5—6, p. 469. 587. 591.
v. 8, p. 469.
v. 9, p. 470. 603.
v. 12, p. 434.
v. 17, p. 101.
v. 21, p. 373. 413. 431. 433.
v. 28, p. 619.
v. 29, p. 322.
Cap. XX, v. 14, p. 322.
v. 22, p. 512. 514.
Cap. XXI, v. 9, p. 270.
v. 23, p. 596.
v. 43, p. 4.
Cap. XXII, v. 2, p. 588.
v. 12, p. 207.
v. 21, p. 421.
v. 23, p. 634.
v. 30, p. 652.
v. 37, p. 419. 502.
v. 39, p. 405.
v. 40, p. 3. 127. 398. 573.
Cap. XXIII, v. 4, p. 597.
Cap. XXIV, v. 5, p. 138.
v. 12, p. 632.
v. 29, p. 17. 631.
v. 35, p. 18.
v. 36, p. 277.
Cap. XXV, v. 6, p. 382.
v. 15, p. 321.
v. 21, p. 652.
v. 33, p. 666.
Cap. XXV, v. 34, p. 618.
v. 41, p. 618. 643. 645.
Cap. XXVI, v. 17, p. 516.
v. 24, p. 648.
v. 26—27, p. 471.
v. 28, p. 512.
v. 29, p. 301.
v. 39, p. 282. 283.
v. 41, p. 286.
Cap. XXVII, v. 46, p. 291.
v. 51—52, p. 296.
Cap. XXVIII, v. 17, p. 473.
v. 18, p. 255. 619.
v. 19, p. 52. 471. 486. 495.
v. 20, p. 439. 498. 511. 515.

Marcus.

Cap. I, v. 4, p. 474.
v. 9, p. 471.
v. 40, p. 530.
Cap. II, v. 11, p. 530.
Cap. IV, v. 20, p. 322.
Cap. V, v. 9, p. 129.
Cap. VI, v. 12, p. 469. 471.
v. 13, p. 471.
Cap. VII, v. 8, p. 497.
v. 34, p. 499.
Cap. IX, v. 28, p. 542.
Cap. X, v. 6, p. 469.
Cap. XII, v. 43, p. 327.
Cap XIII, v. 6, p. 138.
Cap. XIV, v. 12, p. 516.
v. 22—24, p. 471.
v. 24, p. 512.
Cap. XVI, v. 16, p. 100, 462. 463, 471.

Lucas.

Cap. I, v. 5, p. 267.
v. 10, p. 439.
v. 26, p. 257.
v. 28, p. 273.
v. 28—30, p. 311.
v. 31, p. 396.
v. 35, p. 259.
v. 42, p. 10.
v. 79, p. 358.
Cap. II, v. 7, p. 268.
v. 10, p. 568.
v. 21, p. 118.
Cap. III, v. 16, p. 474.
v. 21, p. 471.
Cap. IV, v. 21, p. 466.
Cap. V, v. 8, p. 530.
v. 32, p. 469.
Cap. VI, v. 12, p. 440. 469.
v. 13, p. 574.
v. 19, p. 530.
v. 20—23, p. 654.
v. 37, p. 443.
v. 40, p. 375. 431.
Cap. VII, v. 38, p. 530.
v. 43, p. 169.
v. 47, p. 438.
v. 48, p. 542.
Cap. VIII, v. 5, p. 631.
v. 10, p. 4.
Cap. IX, v. 15, p. 322.
v. 20, p. 572.
v. 50, p. 546.
Cap. X, v. 1, p. 473.
v. 23—24, p. 392.
v. 30, p. 207.
v. 33, p. 466.
v. 34, p. 375.
v. 35, p. 542.
v. 41, p. 17.
v. 50, p. 171.
Cap. XI, v. 2, p. 441.
Cap. XI, v. 17, p. 138.
v. 41, p. 327. 541.
Cap. XII, v. 15, p. 568.
v. 36, p. 302.
v. 47, p. 370.
v. 50, p. 491.
Cap. XIII, v. 3—5, p. 469.
Cap. XIV, p. 23, p. 334.
Cap. XV, v. 4, p. 245.
v. 7, p. 469.
v. 8, p. 300.
v. 8—9, p. 459.
v. 17, p. 401.
Cap. XVI, v. 8, p. 138.
v. 22, p. 301. 627.
v. 28, p. 627.
Cap. XIX, v. 6, p. 527. 530.
v. 10, p. 245.
v. 26, p. 207.
Cap. XXI, v. 19, p. 378.
v. 23, p. 395.
v. 52, p. 370.
Cap. XXII, v. 7, p. 516.
v. 19, p. 471. 512.
v. 32, p. 572.
v. 42, p. 283. 442.
Cap. XXIII, v. 34, p. 375.
v. 43, p. 377.
v. 48, p. 296.
Cap. XXIV, v. 26, p. 619.
v. 28, p. 428.
v. 38, p. 299.
v. 44—45, p. 368.
v. 47, p. 469.
v. 49, p. 302.
v. 52, p. 302.

Joannes.

Cap. I, v. 1—3, p. 3. 13. 83. 666.
v. 3—5, p. 85, 112.
v. 4, p. 299.
v. 9, p. 35. 157. 366.
v. 12, p. 313.
v. 14, p. 244. 269. 271. 273. 311. 468. 512.
v. 16, p. 211. 247. 466. 512.
v. 17, p. 23.
v. 26, p. 474.
v. 29, p. 204.
v. 31, p. 472.
v. 32, p. 486.
v. 34, p. 68. 70.
v. 42, p. 564.
Cap. II, v. 1, p. 25. 469.
v. 11, p. 25. 470.
v. 19, p. 294.
Cap. III, v. 3, p. 473.
v. 5, p. 487. 492.
v. 8, p. 59.
v. 12, p. 495.
v. 13, p. 380.
v. 20, p. 540.
v. 22, p. 473.
v. 26, p. 473.
v. 29, p. 497.
v. 34, p. 272. 412.
Cap. IV, v. 2, p. 473.
v. 14, p. 296, 367.
v. 23, p. 440.
v. 24, p. 59.
Cap. V, v. 17, p. 37.
v. 19, p. 112.
v. 22, p. 618.
v. 26, p. 299, 466.
v. 27, p. 280.
v. 39, p. 4.
v. 40, p. 4.
Cap. VI, v. 41, p. 515.
v. 44, p. 328, 334.
v. 48, p. 509.
Cap. VI, v. 51, p. 512.
v. 52, p. 324. 512.
v. 54, p. 507.
v. 55, p. 453.
v. 56, p. 512.
v. 57, p. 511.
v. 58, p. 512.
v. 59, p. 292, 512.
Cap. VII, v. 16, p. 45.
v. 38, p. 313.
v. 39, p. 302. 303. 334. 471. 473.
Cap. VIII, v. 2, p. 571.
v. 12, p. 12.
v. 34, p. 421.
v. 42, p. 548.
Cap. IX, v. 1, p. 231.
Cap. X, v. 13, p. 402.
Cap. XI, v. 26, p. 490.
v. 33, p. 284.
v. 41—42, p. 286.
Cap. XII, v. 3, p. 466.
v. 24, p. 471. 516.
v. 25, p. 365.
v. 26, p. 293.
v. 31, p. 280. 441.
v. 32, p. 248. 280. 300.
Cap. XIII, v. 10, p. 497.
v. 15, p. 512.
v. 35, p. 573.
Cap. XIV, v. 6, p. 12. 468.
v. 8, p. 3.
v. 23, p. 14. 313.
v. 24, p. 72.
v. 26, p. 437.
v. 30, p. 381.
Cap. XV, v. 1, p. 516.
v. 5, p. 112. 323. 326. 516.
v. 11, p. 518.
v. 12, p. 379.
v. 13, p. 411.
v. 21, p. 502.
v. 26, p. 45.
Cap. XVI, v. 11, p. 302.
v. 13, p. 7. 70.
v. 15, p. 45.
v. 28, p. 35.
Cap. XVII, v. 3, p. 379.
v. 11, p. 563.
v. 18, p. 563.
v. 22, p. 293. 400.
v. 23, p. 325. 400.
v. 24, p. 293.
Cap. XVIII, v. 28, p. 516.
Cap. XIX, v. 6, p. 515.
v. 28, p. 375.
v. 34, p. 473. 513. 517.
v. 35, p. 396.
v. 37, p. 296.
Cap. XX, v. 6, p. 70.
v. 22, p. 499.
v. 23, p. 302. 453. 471.
v. 28, p. 391.
v. 29, p. 390. 396.
Cap. XXI, v. 15—17, p. 564.
v. 17, p. 547.

Acta Apostolorum.

Cap. I, v. 3, p. 300.
v. 5, p. 471. 491.
v. 11, p. 618.
Cap. II, v. 2, p. 303.
v. 3, p. 297.
v. 11, p. 302.
v. 17, p. 302.
v. 36, p. 619.
v. 38, p. 453.
Cap. IV, v. 12, p. 204. 246.
Cap. V, v. 41, p. 302. 437.
Cap. VI, v. 5, p. 301.
v. 8, p. 273.

Cap. VII, v. 30, p. 396.
v. 49, p. 441.
v. 52, p. 396.
v. 55, p. 379.
Cap. VIII, v. 12, p. 503.
v. 16—17, p. 472.
v. 17, p. 453.
v. 18, p. 326.
v. 19, p. 482. 616.
v. 32, p. 375.
Cap. IX, v. 15, p. 544.
Cap. X, v. 38, p. 466.
v. 42, p. 280. 396. 619.
Cap. XII, v. 7, p. 146.
Cap. XV, v. 1, p. 416.
v. 9, p. 335. 336.
v. 10, p. 457.
v. 29, p. 580.
Cap. XVII, v. 28, p. 157. 366.
Cap. XIX, v. 3—5, p. 472.
v. 7, p. 267.
Cap. XX, v. 28, p. 570.
Cap. XXII, v. 3, p. 25.
Cap. XXIII, v. 8, p. 128. 634.
Cap. XXVII, v. 13, p. 538.

Ad Romanos.

Cap. I, v. 11, p. 503.
v. 17, p. 343. 397.
v. 19, p. 277.
v. 20, p. 1. 23. 82. 367. 650.
v. 21—22, p. 370.
v. 28, p. 137. 229. 377.
Cap. II, v. 12, p. 3.
v. 15—16, p. 617.
Cap. III, v. 8, p. 222.
v. 11, p. 265.
Cap. IV, v. 25, p. 295. 301.
Cap. V. v. 1, p. 335. 443.
v. 2, p. 443.
v. 3, p. 347. 438.
v. 4, p. 345. 347.
v. 6, p. 249.
v. 10, p. 284.
v. 12, p. 203. 204. 498.
v. 15, p. 494.
v. 18, p. 498.
v. 19, p. 314.
v. 20—21, p. 415.
Cap. VI, v. 3—5, p. 488.
v. 4, p. 295. 462.
v. 5, p. 295.
v. 6—7, p. 205.
v. 12, p. 314. 421.
v. 23, p. 444. 667.
Cap. VII, v. 8, p. 265.
v. 11, p. 422.
v. 12, p. 21. 458.
v. 17, p. 324.
v. 23—25, p. 210.
v. 24, p. 212.
Cap. VIII. v. 2, p. 458.
v. 14, p. 314.
v. 15, p. 422.
v. 16, p. 438.
v. 17, p. 652.
v. 20, p. 156, 194.
v. 21—22, p. 422.
v. 26, p. 434. 436.
v. 28, p. 409.
v. 29, p. 88. 113. 300. 313.
v. 30, p. 318.
v. 32, p. 288.
v. 34, p. 334.
v. 35, p. 361. 382. 437. 438.
v. 35—38, p. 293.
v. 38, p. 196.
Cap. IX, v. 3, p. 406.
v. 5, p. 271.
v. 16, p. 331.
v. 18, p. 410.
Cap. X, v. 4, p. 368.
v. 15, p. 548.
Cap. XI, v. 6, p. 319.
v. 33, p. 35. 49.
v. 33—36, p. 92. 99.
v. 36, p. 10. 48. 75. 503.
Cap. XII, v. 1, p. 460.
v. 3, p. 2. 15. 25.
v. 14, p. 549.
v. 16, p. 376.
Cap. XIII, v. 1—2, p. 400. 414. 419. 421.
v. 5, p. 419.
v. 8, p. 419. 573.
v. 10, p. 38. 127. 419.
Cap. XIV, v. 23, p. 343.

I. ad Corinthios.

Cap. I, v. 20, p. 390.
v. 22, p. 20.
v. 23, p. 376. 502.
v. 24, p. 259. 376.
Cap. II, v. 2, p. 12.
v. 7—8, p. 23.
v. 9, p. 2. 652. 653. 659. 667.
v. 10, p. 23.
v. 12, p. 36. 370.
v. 15, p. 552. 572. 602.
Cap. III, v. 9, p. 96. 98. 310.
v. 11, p. 392. 572.
v. 15, p. 625.
v. 16, p. 313.
v. 17, p. 2.
v. 22, p. 170.
Cap. IV, v. 1, p. 477.
Cap. V, v. 5, p. 580.
v. 7, p. 516.
v. 8, p. 516.
Cap. VI, v. 17, p. 378. 381. 587. 660.
v. 18, p. 588.
v. 19, p. 271.
Cap. VII, v. 10—11, p. 470.
v. 14, p. 601.
v. 15, p. 577.
v. 21, p. 421.
v. 25, p. 413.
v. 28, p. 665.
v. 33, p. 591.
v. 38, p. 591.
v. 39, p. 470.
Cap. VIII, v. 2, p. 370.
Cap. IX, v. 20, p. 416.
v. 22, p. 416.
v. 27, p. 541.
Cap. X, v. 1, p. 14.
v. 2, p. 14. 474.
v. 3, p. 14. 527.
v. 4, p. 14.
v. 10, p. 264.
v. 13, p. 198.
v. 16, p. 513.
v. 42, p. 361.
Cap. XI, v. 3, p. 274. 421.
v. 5, p. 574.
v. 24—25, p. 511, 512.
v. 26, p. 512.
v. 27, p. 528.
v. 28, p. 527.
v. 29, p. 505. 511. 527. 530.
v. 30, p. 527.
v. 34, p. 477.
Cap. XII, v. 6, p. 571.
v. 7, p. 312.
v. 8, p. 37. 332. 389.
v. 8—11, p. 299. 364.
v. 9, p. 2. 323.
v. 10, p. 303.
v. 11, p. 2.
v. 29, p. 400.
Cap. XIII, v. 5, p. 405.
Cap. XIII, v. 8, p. 658.
v. 10, p. 656.
v. 12, p. 82. 126. 176. 515. 649. 656.
Cap. XIV, v. 33, p. 573.
v. 38, p. 207.
v. 40, p. 439.
Cap. XV, v. 8, p. 396.
v. 9, p. 376.
v. 10, p. 326. 401.
v. 17—18, p. 297.
v. 20, p. 301.
v. 22, p. 301.
v. 24, p. 145.
v. 28, p. 400. 439.
v. 41, p. 397.
v. 42—44, p. 663.
v. 44, p. 651.
v. 45—47, p. 264.
v. 46, p. 12. 265.
v. 51, p. 635.
v. 52, p. 640.
v. 54, p. 289.

II. ad Corinthios.

Cap. I, v. 12, p. 541.
v. 30, p. 204.
Cap. II, v. 6, p. 536.
v. 15, p. 438.
Cap. III, v. 6, p. 415.
v. 8, p. 15.
v. 18, p. 51. 397.
Cap. IV, v. 6, p. 366.
v. 16, p. 169. 332.
v. 17, p. 231. 542.
Cap. V, v. 1, p. 122. 627.
v. 6, p. 24.
v. 7, p. 24. 126. 657.
v. 10, p. 616.
Cap. VI, v. 1, p. 380.
v. 11, p. 566.
Cap. VII, v. 4, p. 382.
Cap. X, v. 5, p. 16. 100. 173. 343. 384.
Cap. XI, v. 2, p. 574.
Cap. XII, v. 2, p. 377. 395. 497.
v. 7, p. 377.
v. 10, p. 437.
v. 15, p. 437.
Cap. XIII, v. 13, p. 311. 312.

Ad Galatas.

Cap. I, v. 15—16, p. 326.
Cap. II, v. 13—14, p. 416.
v. 19—20, p. 291.
v. 20, p. 314.
v. 21, p. 311.
Cap. III, v. 17, p. 204.
v. 19, p. 396.
v. 22, p. 265.
v. 24—25, p. 413.
v. 27, p. 493.
Cap. IV, v. 4, p. 263. 269.
v. 22—24, p. 14.
v. 26, p. 176. 439.
v. 31, p. 415.
Cap. V, v. 6, p. 344. 422.
v. 21, p. 365.
v. 22—23, p. 374. 378.
Cap. VI, v. 8, p. 322.
v. 10, p. 407.
v. 14, p. 365.

Ad Ephesios.

Cap. I, v. 4, p. 410.
v. 9—10, p. 468.
v. 19, p. 408.
v. 20—22, p. 299.
Cap, I, v. 22, p. 211.
Cap. II, v. 3, p. 204.
v. 4, p. 247. 249. 311. 411. 412.
v. 5—6, p. 299. 314. 411. 637.
v. 14, p. 16. 375.
v. 19, p. 470.
Cap. III, v. 8—9, p. 36.
v. 10, p. 173.
v. 14—19, p. 1. 438.
v. 15, p. 2. 400.
v. 17—18, p. 10. 441.
Cap. IV, v. 3, p. 479.
v. 8—10, p. 273. 298. 301. 334.
v. 13, p. 634. 635.
Cap. V, v. 2, p. 248. 466.
v. 8, p. 112. 115. 314.
v. 13, p. 540.
v. 23—24, p. 470.
v. 25—26, p. 468. 470. 497.
v. 27, p. 665.
v. 28, p. 591.
v. 32, p. 453. 467. 470.
Cap. VI, v. 4, p. 470.
v. 5, p. 419.
v. 12, p. 138. 302.

Ad Philippenses.

Cap. I, v. 23, p. 402. 405. 438.
Cap. II, v. 6, p. 289.
v. 7, p. 243. 300.
v. 8, p. 248. 289. 300. 302.
v. 8—11, p. 278. 280. 300.
v. 9, p. 255. 300. 302. 412.
v. 13, p. 438.
v. 15, p. 118. 357.
v. 15—16, p. 568.
Cap. III, v. 14, p. 265.
v. 20, p. 441. 566.
Cap. IV, v. 7, p. 373. 655.
v. 13, p. 314. 326.

Ad Colossenses.

Cap. I, v. 12, p. 7.
v. 15, p. 51.
v. 16, p. 130.
v. 18, p. 274.
v. 20, p. 375. 513.
Cap. II, v. 3, p. 3. 12. 267.
v. 9, p. 82. 269.
v. 14, p. 204. 295.
v. 15, p. 302.
Cap. III, v. 4, p. 670.
v. 5, p. 205.
v. 14, p. 38. 405.

I. ad Thessalonicenses.

Cap. II, v. 19, p. 666.
Cap. IV, v. 3, p. 92.
v. 15, p. 636.
Cap. V, v. 3, p. 268.
v. 23, p. 59.

II. ad Thessalonicenses.

Cap. II, v. 4, p. 616.
v. 9, p. 616.
v. 14, p. 8.

I. ad Timotheum.

Cap. I, v. 5, p. 3. 127. 382. 401. 419. 433. 502. 573.
v. 15, p. 245.
Cap. II, v. 4, p. 7. 99.
v. 5, p. 204. 331. 553.
v. 7, p. 15.
v. 14, p. 199.
Cap. III, v. 1, p. 570.

Cap. III, v. 6, p. 512.
v. 14—15, p. 370. 573.
Cap. IV, v. 8, p. 426. 454.
v. 14, p. 453.
Cap. V, v. 12, p. 343.
v. 22, p. 574.
Cap. VI, v. 1, p. 421.
v. 3—4, p. 421.
v. 7, p. 417.
v. 8, p. 566.
v. 10, p. 373. 414.
v. 16, p. 173. 277. 382.

II. ad Timotheum.

Cap. I, v. 2, p. 401. 437.
Cap. II, v. 6, p. 378.
v. 12, p. 292.
v. 24, p. 544.
Cap. III, v. 15—17, p. 5.
Cap. IV, v. 8, p. 666.

Ad Titum.

Cap. I, v. 1, p. 40.
v. 9, p. 5. 572.
Cap. II, v. 11—12, p. 311. 443. 541.
v. 13, p. 345.
Cap. III, v. 4, p. 267. 423.
v. 5—6, p. 494. 497.
v. 5—7, p. 311.
v. 7, p. 379.

Ad Hebraeos.

Cap. I, v. 1—2, p. 1. 392.
v. 3, p. 51. 177. 246. 247. 255.
v. 4, p. 392.
v. 9, p. 553.
v. 14, p. 141. 421.
Cap. II, v. 14, p. 203.
v. 16, p. 246. 411.
Cap. IV, v. 16, p. 311.
Cap. V, v. 1, p. 286. 546. 557.
v. 4, p. 548.
v. 7, p. 287. 296. 334. 375.
v. 8, p. 275.
v. 10, p. 475.
Cap. VI, v. 6, p. 538.
v. 19, p. 118.
Cap. VII, v. 1, p. 566.
v. 19, p. 303. 422.
v. 22, p. 475.
v 25, p. 334.
Cap. VII, v. 26, p. 284. 286.
Cap. VIII, v. 13, p. 413.
Cap. IX, v. 9, p. 466.
v. 11—12, p. 513.
v. 13, p. 474.
v. 15, p. 513.
v. 17, p. 517.
v. 18, p. 513.
v. 22, p. 513.
Cap X, v. 1, p. 10. 415. 466.
v. 2, p. 7.
v. 4, p. 466. 513.
v. 5—7, p. 466.
v. 14, p. 255.
v. 16, p. 85.
v. 23, p. 7.
v. 26, p. 539.
v. 31, p. 203.
Cap. XI, v. 1, p. 34. 343. 345. 391. 656.
v. 3, p. 367.
v 6, p. 7. 459.
v. 18, p. 428.
v. 19, p. 428.
v. 26, p. 399.
v. 40, p. 637.
Cap. XII, v. 2, p. 281. 296.
v. 4, p. 513.
v. 8, p. 494.
Cap. XIII, v. 4, p. 470.
v. 9, p. 326. 379
v. 13, p. 292.
v. 14, p. 417.

Jacobus.

Cap. I, v. 2, p. 231. 375.
v. 2—4, p. 378.
v. 4, p. 375.
v. 11, p. 17.
v. 14, p. 218.
v. 17, p. 1. 84. 112. 126. 194. 309. 310. 311. 439.
v. 18, p. 311.
v. 21, p. 254.
v. 26, p. 25.
Cap. II, v. 10, p. 542. 545.
v. 13, p. 644.
v. 19, p. 353.
v. 20, p. 343.
Cap. III, v. 2, p. 221.
Cap. IV, v. 1, p. 421.
v. 6, p. 326.
v. 17, p. 370.
Cap. V, v. 11, p. 379.
v. 14, p. 453. 471.
Cap.V, v. 15, p. 471. 554. 555. 556.
v. 16, p. 541.

I. Petri.

Cap. I, v. 3, p. 379.
v. 12, p. 374.
v. 13, p. 379.
v. 18, p. 285.
Cap. II, v. 5, p. 512.
v. 6, p. 392.
v. 9, p. 7. 550. 566. 567.
v. 21, p. 281. 295. 436.
Cap. III, v. 15, p. 36. 392.
v. 18, p. 255. 299.
v. 21, p. 268. 474.
Cap. IV, v. 8, p. 546.

II. Petri.

Cap. I, v. 4, p. 650.
v, 19—21, p. 5. 396.
Cap. II, v. 4, p. 203.
Cap. III, v. 7—13, p. 631.

I. Joannis.

Cap. I, v. 1, p. 299. 390. 396.
v. 2, p. 299.
v. 3, p. 392.
v. 5, p. 112.
v. 7, p. 314.
Cap. II, v. 16, p. 196. 225. 415. 541.
v. 27, p. 437.
Cap. III, v. 2, p. 515.
v. 17, p. 326. 408.
v. 18, p. 223. 284.
v. 21—22, p. 438.
Cap. IV, v. 1, p. 138.
v. 8, p. 38.
v. 18, p. 361. 375. 417. 431. 617.
Cap. V, v. 7, p. 392.
v. 8, p. 462.

Judas.

Cap. I, v. 8, p. 414.
v. 9—10, p. 549.
v. 19, p. 538.

Apocalypsis.

Cap. I, v. 5, p. 513.
v. 7, p. 299.
Cap. I, v. 8, p. 38. 668.
v. 11, p. 267.
v. 12, p. 385.
v. 13, p. 385. 387.
Cap. III, v. 7, p. 290. 377.
v. 11, p. 99.
v. 17, p. 326.
Cap. IV, v. 5, p. 3. 572.
v. 6, p. 8.
Cap. V, v. 1, p. 4.
v. 2, p. 167.
v. 9, p. 513.
Cap. VI, v. 12, p. 17.
Cap. VII, v. 2, p. 268. 616.
v. 4, p. 266.
v. 12, p. 670.
v. 14, p. 490. 666.
Cap. VIII, v. 10, p. 8.
Cap. X, v. 5, p. 268.
v. 8, p. 25.
v. 9, p. 438.
Cap. XI, v. 7, p. 616.
v. 19, p. 381.
Cap. XII, v. 1, p. 381.
v. 9, p. 267.
v. 11, p. 513.
Cap. XIII, v. 1, p. 616.
v. 18, p. 157.
Cap. XIV, v. 1, p. 266.
v. 10, p. 646.
v. 11, p. 641. 642. 644.
v. 14, p. 267. 515.
Cap. XVII, v. 8, p. 268.
v. 15, p. 507.
Cap. XIX, v. 4, p. 396.
v. 9, p. 588.
v. 16, p. 15. 441.
Cap. XX, v. 1—6, p. 621.
v. 12, p. 3. 85. 614.
v. 15, p. 614.
Cap. XXI, v. 1, p. 267.
v. 2, p. 381. 395. 588.
v. 11, p. 397.
v. 13, p. 393.
v. 17, p. 266.
v. 27, p. 16. 377.
Cap. XXII, v. 1, p. 8. 11. 35. 309. 379.
v. 2, p. 378.
v. 4, p. 667.
v. 11, p. 232.
v. 13, p. 48. 170.
v. 15, p. 380.
v. 17, p. 588.
v. 18, p. 491.

INDEX III.

Locorum ex diversis libris S. Doctoris depromptorum,

quae in hoc Opere referuntur,

juxta ordinem Editionis Vaticanae, et Supplementa a P. Benedicto Bonelli a Cavalesio, Min. Reform., Tridenti an. 1772—74 in tria volumina editi.

I.

Principium sacrae Scripturae.

Prooem. § 1 append.
Prooem. § 2 nn. 2. 7.
Prooem. § 4 nn. 1. 3. 4.
Prooem. § 5 nn. 1. 8.
Prooem. § 6 nn. 1. 4. 6.

II.

Sermones in Hexaëmeron.

Serm. 1 — prooem. § 1 n. 1.
p. I c. 1 n. 3; c. 6 n. 13.
p. IV c. 5 n. 9.
p. V c. 9 n. 13.
p. VI c. 12 n. 37.
Serm. 2 — prooem. § 5 nn. 2. 3. 4.
p. V c. 1 n. 2; c. 2 n. 17.
Serm. 3 — p. II c. 9 n. 31.
p. IV c. 1 n. 5; c. 10. n. 20.
p. V c. 6 nn. 7. 9.
Serm. 4 — p. VI c. 8 n. 5.
Serm. 5 — p. I c. 8 n. 10.
p. II c. 9 n. 30; c. 12 n. 11.
Serm. 6 — p. V c. 4 n. 11.
Serm. 8 — p. I c. 1. n. 6; c. 2 n. 32.
Serm. 9 — p. I c. 1 n. 11.
p. V c. 7 nn. 11. 13. 21.
p. VII c. 5 n. 6.
Serm. 10 — p. V c. 7 n. 22.
Serm. 11 — p. I c. 2 nn. 40. 44.
Serm. 12 — prooem. § 1 n. 2.
p. I c. 8 nn. 21. 25.
p. II c. 11 n. 4.
Serm. 13 — prooem. § 5 n. 15.
p. II c. 11 n. 2.
Serm. 14 — prooem. § 3 n. 6.
p IV c. 4 nn. 2. 3.
Serm. 15 — prooem. § 3 nn. 3. 4.
p. VI c. 3. n. 1.
p. VII c. 1. n. 1.
Serm. 16 — prooem. § 3 nn. 1. 2.
p. IV c. 4 n. 6.
Serm. 18 — p. V c. 6 nn. 11. 14.
p. VII c. 7 n. 27.
Serm. 19 — prooem. § 7 nn. 1. 2. 3.
Serm. 20 — p. V c. 6 n. 20.
Serm. 21 — p. I c. 2 n. 6; c. 6. nn. 9. 16.
p. VI c. 2 n. 1.
Serm. 22 — p. V c. 6 n. 15.
p. VI c. 12 nn. 9. 21.
Serm. 23 — p. V c. 7 n. 15.

III.

Expositio in Ecclesiasten.

Prooem. — p. II c. 9 n. 29.
Cap. 1 — p. II c. 1 n. 1; c. 12. n. 10.
Cap. 3 — prooem. § 3 n. 7.
Cap. 3 — p. II c. 1 n. 10.
Cap. 5 — p. I c. 9 n. 3.
Cap. 7 — p. I c. 1 n. 11; c. 9 n. 20.
p. II c. 9 n. 22.
p. VII c. 7 n. 10.
Cap. 8 — p. V c. 9 n. 9.
Cap. 9 — p. 1 c. 8 n. 22.
p. III c. 7 n. 1.
p. V c. 3 not. I.

IV.

Expositio in Sapientiam.

Cap. 1 — prooem. § 5 n. 11.
Cap. 2 — p. II c 9 n. 7.
Cap. 3 — p. VII c. 1 n. 15.
Cap. 5 — p. VII c. 7 n 54.
Cap. 7 — p. I c. 8 n. 8.
Cap. 16 — p. VI c. 9 n. 8.

V.

Expositio in Lamentationes Jeremiae.

Cap. 1 — p. III c. 4 n. 9.

VI.

Expositio in Lucam.

Prooem. — prooem. § 5 n. 11.
Cap. 2 — p. II c. 2 n. 23.
Cap. 5 — p. VI c. 5 n. 5.
Cap. 6 — p. V c. 6 n. 6.
p. VII c. 7 n. 8.
Cap. 8 — prooem. § 1 n. 5.
Cap. 9 — p. VI c. 12 n. 23.
Cap. 10 — p. III c. 5 n. 7.
Cap. 22 — p. VI c. 9 n. 3.
Cap. 24 — prooem. § 1 n. 1.
p. IV c. 10 nn. 1. 11. 13. 17.

VII.

Sermo II de Beata Virgine.

Part. III c. 7 not. *.

Sermo I de Ss. Apostolis.

Part. VI c. 12 n. 36.

VIII.

In primum Sententiarum.

Prooem. — p. I c. 1 n. 1.
p. VI c. 2 n. 2.
q. 1 — p. I c. 1 nn. 9. 11.
q. 2 — p. I c. 1 nn. 2. 11.
q. 3 — p. I c. 1 n. 7.
Prolog. dub. 5 — p. III c. 5 n. 6.
p. VII c. 7 n. 28.
Dist. 1 dub. 12 — p. VII c. 7 n. 3.
dub. 16 — p. II c. 9 not. III.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 7 n. 3.
a. 3 q. 1 — p. II c. 11 n. 3.
q. 2 — p. II c. 9 n. 4.
p. VII c. 7 nn. 25. 29.
Dist. 2 dub. 1 — p. II c. 12 n. 15.
dub. 2 — p. II c. 9 not. III.
a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 3.
q. 2 — p. I c. 2 n. 5; c. 3 n. 11.
q. 4 — p. I c. 2 n. 36.
p. IV c. 12 n. 15.
q. 5 — p. IV c. 4 n. 8.
Dist. 3 p. 1 dub. 6 — p. II c. 1 n. 15.
dub. 7 — p. II c. 1 n. 13.
p. VI c. 8 n. 4.
a. 1 q. 1 — p. II c. 11 n. 16.
q. 2 — p. II c. 5 n. 2; c. 12 n. 5.
q. 3 — p. II c. 5 n. 2.
p. 2 dub. 9 — p. II c. 9 n. 1.
a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 10.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 23.
q. 3 — p. II c. 9 n. 11.
Dist. 4 a. 1 q. 2 — p. I c. 4 n. 26.
Dist. 5 dub. 8 — p. I c. 3 n. 34.
a. 2 q. 1 — p. I c. 2 n 38.
Dist. 6 a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 9.
q. 2 — p. I c. 2 n. 35.
q. 3 — p. I c. 6 n. 12.
Dist. 7 a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 9.
q. 2 — p. I c. 2 n. 39.
Dist. 8 p. 1 dub. 9 — p. VII c. 7 n. 21.
a. 1 q. 1 — p. I c. 6 n. 5.
q. 2 — p. I c. 2 n. 42.
a. 2 qq. 1. 2 — p. I c. 2 n. 21.
q. 2 — p. III c. 1 n. 4.
p. 2 dub. 6 — p. I c. 2 n. 18.
a. 1 q. 3 — p. II c. 9 n. 16.
Dist. 9 dub. 2 — p. I c. 4 n. 9.
dub. 7 — p. II c. 8 n. 16.
a. 1. q. 1 — p. I c. 2 n. 10; c. 3 n. 4.
q. 2 — p. I c. 3 n. 10.
q. 3 — p. I c. 3 n. 6.
Dist. 10 dub. 1 — p. V c. 8 n. 1.
dub. 2 — p. V c. 8 n. 12.
a. 1 q. 1 — p. I c. 2 nn. 26. 36.
q. 2 — p. I c. 3 n. 5.
a. 2 q. 1 — p. I c. 3 n. 30.
q. 2 — p. I c. 3 n. 34.
q. 3 — p. I c. 3 n. 31.
Dist. 11 a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 13.
p. VI c. 12 n. 29.
q. 2 — p. I c. 2 n. 14.
Dist. 12 a. 1 qq. 1—3 — p. I c. 2 n. I2
q. 3 — p. I c. 9 n. 6.
q. 4 — p. I c. 2 n. 11.
Dist. 13 a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 15.
q. 2 — p. I c. 2 n. 15; c. 3 nn. 7. 9.
q. 3 — p. I c. 3 n. 8.
Dist. 14 dub. 6 — p. V c. 1 n. 13.

Dist. 34 a. 1 q. 1 — p. I c. 5 n. 11.
a. 2 q. 1 — p. V c. 1 n. 9.
Dist. 15 p. 1 a. 1 q. 1 — p. I c. 5 n. 9.
q. 2 — p. I c. 5 n. 11.
q. 4 — p. II c. 2 n. 26.
p. 2 dub. 3. — p. IV c. 10 n 19.
a. 1 q. 1 — p. I c. 5 nn. 10. 13.
qq. 2—3 — p. I c. 5 n. 12.
Dist. 16 a. 1 q. 1 — p. I c. 5 n. 5.
q. 2 — p. I c. 5 n. 7.
q. 3 — p. I c. 5 nn. 6. 8.
p. IV c. 10 n. 18.
Dist. 17 p. 1 dub. 5 — p. I c. 2 n. 43.
dub. 6 — p. V c. 4 n. 19.
a. 1 q. 1 — p. V c. 1 n. 1.
q. 3 — p. V c. 2 n. 15.
q. 4 — p. II c. 11 n. 8.
p. 2 dub. 4 — p. IV c. 10 n. 22.
a. 1 qq. 1—4 — p. V c. 2 n. 6.
Dist. 18 dub. 4 — p. II c. 1 n. 3.
a. 1 qq. 1—3 — p. I c. 3 n. 32.
q. 4 — p. I c. 3 n. 29.
q. 5 — p. I c. 3 n. 35.
Dist. 19 p. 1 a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 27.
q. 4 — p. I c. 2 n. 30.
p. 2 dub. 3 — p. I c. 2 n. 37.
a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 12.
q. 2 — p. I c. 4 nn. 15. 24.
q. 3 — p. II c. 1 n. 11.
Dist. 20 a. 2 q. 1 — p. I c. 2 n. 7.
p. II c. 1 n. 9.
q. 2 — p. I c. 2 n. 8.
Dist. 21 dub. 2 — p. I c. 5 n. 3.
Dist. 22 a. 1 q. 2 — p. I c. 4 n. 29.
q. 3 — p. I c. 4 n. 6.
q. 4 — p. I c. 4 n. 25.
Dist. 23 a. 1 q. 1 — p. I c. 4. n 3.
q 2 — p. I c. 4 n. 2.
q. 3 — p. I c. 4 n. 18.
a. 2 q. 1 — p. I c. 4 n. 22.
q. 2 — p. I c. 4 n. 14.
Dist. 24 in expos. text. — p. I c. 2 n. 2.
a. 1 q. 1 — p. I c. 2 n. 1.
q. 2 — p. I c. 4 n. 11.
a. 2 q. 1 — p. I c. 2 n 4.
q. 2 — p. I c. 3 n. 15; c. 4 n. 5.
a. 3 q. 2 — p. I c. 4 n. 10.
Dist. 25 dub. 1 — p. I c. 4 n. 18.
dub. 4 — p. I c. 5 n. 14.
a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 20.
Dist. 26 a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 27.
q. 2 — p. I c. 4 n. 8.
q. 3 — p. I c. 3 n 16.
q. 4 — p. I c. 4 n. 21.
Dist. 27 p. 1 dub. 2 — p. I c. 6 n. 8.
a. 1 qq. 1—2 — p. I c. 3 n. 13.
q. 2 — p. I c. 3 n. 12.
q. 3 — p. I c. 4 n. 16.
q. 4 — p. V c. 7 n. 9.
p. 2 dub. 2 — p. I c. 3 n. 28.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 18.
q. 2 — p. I c. 3 n. 26.
q. 3 — p. I c. 3 n. 25.
q. 4 — p. I c. 3 n. 23.
Dist. 28 a. 1 q. 1 — p. I c. 3 n. 17.
q. 2 — p. I c. 3 n. 19.
q. 3 — p. I c. 3 n. 21.
q. 4 — p. I c. 3 n. 19.
Dist 29 dub. 1—2 — p. I c. 3 n. 20.
a. 1 q. 1 — p. I c. 3 n. 18.
q. 2 — p. I c. 4 n. 13.
a. 2 qq. 1—2 — p. I c. 2 n. 15.
Dist. 30 dub. 1 — p. II c. 1 n. 7.
a. 1 qq. 1—3 — p. I c. 4 n. 28.
Dist. 31 p. 2 dub. 4 — p. II c. 2 n. 1.
a. 1 q. 1 — p. I c. 3 n. 22.
q. 2 — p. I c. 3 n. 24.
q. 3 — p. I c. 2 n. 20; c. 6 n. 3.
a. 2 qq. 1—2 — p. VII c. 7 n. 24.
q. 3 — p. I c. 6 n. 10.
Dist. 33 a. 1 q. 1 — p. I c. 3 n. 14.
q. 2 — p. I c. 3 n. 16.
Dist. 34 dub. 6 — p. I c. 6 n. 14.
a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 17.
q. 2 — p. I c. 4 n. 7.
q. 3 — p. I c. 6 n. 2.
q. 4 — p. I c. 4 n. 6.
Dist. 35 dub. 2 — p. I c. 8 append.
dub. 3 — p. I c. 8 n. 4.
dub. 6 — p. I c. 8 n. 1.
a. 1 q. 1 — p. I c. 8 n. 31.
q. 2 — p. I c. 8 n. 23. 30. 33.
q. 3 — p. I c. 8. nn. 12. 26.
q. 4 — p. I c. 8 n. 29.
q. 5 — p. I c. 8 n. 28.
Dist. 36 dub. 4 — p. I c. 5 n. 1; c. 6 n. 15.
a. 1 q. 1 — p. I c. 8 nn. 7. 27.
q. 2 — p. I c. 6 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. 12.
a. 3 qq. 1—2 — p. I c. 8 n. 24.
Dist. 37 p. 1 a. 1 q. 1 — p. I c. 5 n. 1.
q. 2 — p. I c. 2 n. 19.
a. 2 q. 1 — p. I c. 2 n. 19.
p. II c. 9 n. 17.
p. VII c. 6 n. 7.
q. 2 — p. I c. 2 n. 19.
a. 3 q. 1 — p. I c. 5 n. 1.
q. 2 — p. I c. 8 n. 9.
Dist. 38 dub. 2 — p. I c. 8 n. 3.
a. 1 qq. 1—2 — p. I c. 8 append.
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. n. 22.
p. III c. 2 n. 2.
q. 2 — p. I c. 8 n. 20.
Dist. 39 dub. 3 — p. I c. 8 n. 2.
dub. 5 — p. I c. 7 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. I c. 8 n. 15.
q. 2 — p. I c. 8 n. 11.
q. 3 — p. I c. 8 n. 3.
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. 14.
q. 2 — p. I c. 8 n. 19.
q. 3 — p. I c. 8 n. 18.
Dist. 40 dub. 1 — p. I c. 9 n. 19.
dub. 7 — p. I c. 9 n. 16.
a. 1 q. 2 — p. I c. 9 n. 19.
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. 17; c. 9 n. 18.
q. 2 — p. I c. 9 nn. 18. 24. 25.
a. 3 q. 2 — p. I c. 9 n. 20.
a. 4 q. 1 — p. III c. 11 n. 13.
q. 2 — p. I c. 9 n. 17.
Dist. 41 dub. 1 — p. I c. 9 n. 21.
a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n 15.
p. V c. 2 n. 6*.
q. 2 — p. I c. 9 n 22
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. 16.
Dist. 42 dub. 1 — p. VII c. 5 n. 7.
a. 1 q. 1 — p. I c. 7 n. 5.
q. 2 — p. I c. 7 n. 3.
q. 3 — p. IV c. 2 n. 6.
Dist. 43 dub. 3 — p. V c. 2 n. 8.
a. 1 q. 1 — p. I c. 7 n. 4.
q. 3 — p. I c. 7 n. 10.
Dist. 44 dub. 3 — p. III c. 7 n. 8.
p. IV c. 5 n. 3.
a. 1 qq. 1—2 — p. II c. 2 n. 16.
Dist. 45 dub. 4 — p. I c. 9 n. 7.
dub. 6 — p. II c. 4 n. 3.
dub. 9 — p. I c. 8 n. 19.
a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n. 1.
q. 2 — p. I c. 9 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. I c. 2 n. 16; c. 9 n. 13.
p. VII c. 7 n. 11.
q. 2 — p. I c. 9 n. 5.
p. III c. 6 n. 3.
a. 3 q. 1 — p. I c. 9 n. 2.
Dist. 46 a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n. 23.
q. 3 — p. VII c. 6 n. 4.
q. 6 — p. III c. 4 n. 2.
Dist. 47 dub. 1 — p. I c. 9 n. 17.
a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n. 8.
q. 3 — p. I c. 9 n. 14.
Dist. 48 a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n. 9.
q. 2 — p. VII c. 3 n. 3.
a. 2 q. 1 — p. I c. 9 nn. 10. 17.
p. V c. 3 n. 20.
Dist. 48 a. 2 q. 2 — p. I c. 9 n. 11.
p. IV c. 8 n. 20.

IX.

In secundum Sententiarum.

Prooem. — p. II c. 11 n. 8.
Dist. 1 p. 1 dub. 2 — p. II c. 1 not. I.
II. III n. 1; c. 2 n. 2.
a. 1. q. 2 — p. II c. 1 n. 2.
a. 2 q. 2 — p. II c. 1 n. 6.
p. 2 dub. 1 — p. I c. 8 append.
a. 1 q. 1 — p. II c. 1 n. 16; c. 3 n. 1.
q. 2 — p. II c. 1 nn. 6. 9. 14; c. 10 n. 7.
a. 2 q. 1 — p. II c. 1 n. 14; c. 2 n. 15.
q. 2 — p. VII c. 4 n. 3.
a. 3 q. 2 — p. II c 9. n. 18.
Dist. 2 p. 1 dub. 1 — p. II c. 5 n. 4.
dub. 2 — p. II c. 1 n. 1.
a. 1 q. 3 — p. II c. 9 n. 15.
a. 2 q. 3 — p. I c. 7 n. 7; c. 8 n. 32.
p. II c. 6 n. 2.
p. 2 dub. 1 — p. VII c. 7 n. 61.
a. 1 q. 1 — p. II c. 3 n. 2; c. 6 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. II c. 7 n. 11.
Dist. 3 p. 1 dub. 1 — p. II c. 6 n. 3.
dub. 2 — p. II c. 6 n. 5.
a. 2 q. 1 — p. II c. 6 n. 6.
q. 2 — p. II c. 6 n. 8.
q. 3 — p. II c. 6 n. 7; c. 9 n. 17.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 4.
q. 2 — p. II c. 7 n. 9.
a. 2 qq. 1—2 — p. II c. 6 n. 9.
q. 1 — p. II c. 6 append.
q. 2 — p. II c. 5 n. 2; c. 9 not. III;
c. 12 nn. 1. 16.
p. VII c. 7 append.
a. 3 q. 1 — p. II c. 11 n. 18.
Dist. 4 dub. 3 — p. VII c. 7 n. 30.
a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 1.
q. 2 — p. II c. 8 n. 6.
a. 2 q. 1 — p. II c. 6 n. 9.
q. 2 — p. II c. 7 n. 5.
a. 3 q. 2 — p. II c. 8 n. 8.
Dist. 5 a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 6.
q. 2 — p. II c. 7 n. 7.
a. 2 q. 1 — p. II c. 7 n. 8.
q. 2 — p. II c. 7 n. 10.
a. 3 q. 1 — p. II c. 8 n. 7.
p. VII c. 7 n. 18.
q. 2 — p. II c. 8 n. 7.
Dist. 6 a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 3.
p. III c. 4 n. 10.
a. 2 q. 1 — p. II c. 7 n. 13.
a. 3 qq. 1—2 — p. II c. 7 n. 18.
Dist. 7 p. 1 a. 1 q. 1 — p. II c. 7 nn. 9.
16; c. 9 n. 25.
q. 2 — p. II c. 7 n. 16.
p. 2 dub. 2 — p. II c. 7 n. 24.
a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 17; c. 9 n. 25.
p. V c. 2 n. 2.
q. 2 — p. II c. 7 n. 17; c. 9 n. 7.
q. 3 — p. II c. 7 n. 19.
a. 2 q. 2. — p. I c. 7 n. 8.
p. II c. 7 n. 21.
q. 3 — p. II c. 7 n. 19.
Dist. 8 p. 1 a. 1 q. 1 — p. II c. 6 n. 4.
q. 2 — p. II c. 8 n. 10.
a. 2 qq. 1—2 — p. II c. 8 n. 10.
a. 3 q. 1 — p. II c. 8 n. 10.
q. 2 — p. II c. 8 n. 10; c. 9 n. 19.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. II c. 7 n. 22.
qq. 2—5 — p. II c. 7 n. 20.
q. 3 — p. II c. 9 n. 23.
q. 6 — p. I c. 8 n. 8.
p. II c. 7 n. 17.
Dist. 9 in expos. text. — p. II c. 8 nn. 1. 2.
a. unic. q. 1 — p. II c. 8 n. 11.
q. 2 — p. II c. 8 n. 12.
q. 3 — p. V c. 2 n. 16.
q. 4 — p. II c. 8 n. 3.

Dist. 9 q. 5 — p. II c. 8 n. 13.
p. VII c. 7 n. 41.
q. 6 — q. II c. 8 n. 15.
q. 7 — p. II c. 8 n. 20.
p. IV c. 10 n. 5.
q. 8 — p. II c. 8 nn. 14. 19.
q. 9 — p. II c. 8 n. 20.
Dist. 10 a. 1 q. 1 — p. II c. 8 n. 4; c. 9 not. III; c. 12 n. 16.
q. 2 — p. II c. 8 n. 4.
a. 2 qq. 1—2 — p. II c. 8 n. 17.
a. 3 qq. 1—2 — p. II c. 8 n. 16.
Dist. 11 dub. 2 — p. II c. 8 n. 9.
a. 1 q. 1 — p. II c. 4 n. 4.
qq. 1—3 — p. II c. 8 nn. 5. 17.
a. 2 q. 1 — p. II c. 8 n. 18.
qq. 1—3 — p. II c. 8 n. 5.
Dist. 12 dub. 1 — p. II c. 2 n. 4.
dub. 2 — p. II c. 2 n. 20.
a. 1 q. 1 — p. II c. 2 n 18.
qq. 2—3 — p. II c. 2 n. 25.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 12.
a. 2 q. 2 — p. II c. 2 n. 18.
Dist. 13 dub. 1 — p. II c. 2 n. 3.
dub. 4 — p. II c. 2 n. 2.
a. 1 q. 1 — p. II c. 5 n. 7.
q. 2 — p. II c. 2 n 19.
Dist. 14 p. 1 a. 1 q. 1 — p. II c. 3 n. 4.
q. 2 — p. II c. 3 n. 3.
a. 3 q. 1 — p. I c. 7 n. 8; c. 9 n. 7.
p. 2 dub. 2 — p. III c. 4 n. 1.
a. 2 q. 2 — p. II c. 4 n 6.
q. 3 — p. II c. 4 nn. 1. 8.
Dist. 15 dub. 4 — p. II c. 2 n. 13.
dub. 5 — p. II c. 2 n. 24.
a. 1 q. 2 — p. II c. 9 n. 23.
a. 2 q. 1 — p. II c. 4 n. 9.
q. 2 — p. II c. 2 nn. 10. 21.
q. 3 — p. II c. 2 nn. 11. 14.
Dist. 16 a. 1 q. 1 — p. II c. 12 n. 9.
p. III c. 1 a. 1.
q. 2 — p. I c. 3 n. 27.
aa. 1—2 — p. II c. 12 n. 9.
a. 2 q. 3 — p. II c. 12 n. 8.
Dist. 17 dub. 2—3 — p. II c. 10 n. 1*.
dub. 4 — p. II c. 10 n. 10.
dub. 5 — p. II c. 11 n. 7.
a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 14.
q. 2 — p. II c. 9 n. 27.
q. 3 — p. II c. 9 n. 2.
a. 2 q. 1 — p. II c. 10 n. 4.
q. 3 — p. II c. 10 n. 5.
Dist. 18 dub. 1 — p. II c. 10 n. 3.
a. 1 q. 1 — p. II c. 10 n. 2.
q. 2 — p. I c. 7 n. 8; c 8 n. 5.
p. VII c. 5 n. 30.
q. 3 — p. II c. 2 n. 14.
a. 2 q. 1 — p. II c. 9 n. 27.
p. III c. 6 n. 6.
q. 2 — p. III c. 6 n. 6.
q. 3 — p. III c. 6 n. 4 et not. I.
Dist. 19 dub. 4 — p. II c. 10 n. 12.
a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 12.
q. 2 — p. VII c. 4 n. 10.
a. 2 q. 1 — p. II c. 10 n. 8.
q. 2 — p. III c. 4 n. 8.
a. 3 q. 1 — p. II c. 4 n. 9; c. 10 n. 9.
p. VII c. 5 n. 13.
q. 2 — p. II c. 10 n. 9.
Dist. 21 dub. 1 — p. III c. 2 n. 5.
a. 1 q. 1 — p. III c. 2 n. 4.
q. 2 — p. III c. 2 n. 6.
q. 3 — p. III c. 2 n. 7.
a. 2 qq. 1—3 — p. III c. 8 n. 10.
a. 3 q. 1 — p. III c. 8 n. 12.
q. 2 — p. III c. 3 n. 5.
q. 3 — p. III c. 3 n. 4.
Dist. 22 dub. 1 — p. III c. 6 n. 5.
a. 1 q. 2 — p. III c. 3 n. 3.
q. 3 — p. III c. 3 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. III c. 3 n. 6.
q. 2 — p. III c. 11 n 2.
Dist. 22 a. 2 q. 3 — p. III c. 11 nn. 4. 5.
p. VI c. 13 n. 30.
Dist. 23 dub. 3 — p. I c. 1 n. 3.
a. 1 q. 1 — p. III c. 2 n. 1.
q. 2 — p. III c. 2 nn. 3. 8.
a. 2 q. 1 — p. II c. 11 n. 17.
q. 3 — p. II c. 9 not. III; c. 11 n. 16.
p. VII c. 7 nn. 2. 16.
Dist. 24 p. 1 a. 1 q. 1 — p. II c. 11 n. 21.
p. III c. 1 n. 12.
q. 2 — p. II c. 11 n. 22.
p. III c. 5 n. 7.
a. 2 q. 1 — p. II c. 9 nn. 28. 33.
q. 2 — p. II c. 9 n. 34.
q. 3 — p. II c. 9 nn. 33. 36.
q. 4 — p. II c. 9 n. 32.
p. 2 dub. 1 — p. III c. 8 n. 18.
dub. 3 — p. II c. 11 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 34.
a. 2 q. 2 — p. III c. 8 nn. 15. 17.
a. 3 p. 2 — p. III c. 5 n. 4; c. 8 n. 11.
Dist. 25 p. 1 a. 1 q. 2 — p. II c. 9 n. 37.
q. 3 — p. II c. 9 n. 38.
p. 2 dub. 2 — p. II c 9 n. 5.
a. 1 q. 2 — p. I c. 2 n. 22.
q. 4 — p. III c. 3 n. 1.
q. 5 — p. V c. 3 n 7.
q. 6 — p. II c. 9 n. 25; c. 10 n. 6.
Dist. 26 dub. 2 — p. V c. 1 n. 4.
a. 1 q. 2 — p. V c. 1 nn. 4. 8; c. 2 append.
q. 4 — p. III c. 1 n. 15.
q. 5 — p. II c. 9 n. 21.
p. V c. 1 n. 5.
q. 6 — p. V c. 2 append.; c. 3 n. 21.
Dist. 27 dub. 1 — p. V c. 2 n. 1.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 10 n. 21.
p. V c. 2 n. 3.
q. 2 — p. V c. 4 n 24.
q. 3 — p. VII c. 7 n. 58.
a. 2 q. 1 — p. V c. 2 n. 4.
q. 2 — p. V c. 2 nn. 6 * 6.
q. 3 — p. V c. 2 nn. 6* 7.
Dist. 28 dub. 2 — p. V c. 2 nn. 5. 6*.
a. 1 q. 1 — p. III c. 5 n 5.
q. 2 — p. V c. 2 n. 10.
q. 3 — p. V c. 9 n. 8.
a. 2 q. 1 — p. V c. 3 nn. 1. 15. 19.
q. 2 — p. V c. 2 n. 10.
q. 3 — p. V c. 2 n. 9.
Dist. 29 dub. 3 — p. II c. 10 n. 1*.
p. III c. 4 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. II c. 11 append.
p. V c. 1 n. 14.
q. 2 — p. II c. 1 n. 9; c. 11 n. 20.
a. 2 q. 1 — p. II c. 11 n. 21.
q. 2 — p. II c. 11 n. 12 et append.
a 3 q. 1 — p. II c. 11 n. 13.
p. V c. 3 nn. 5. 17.
q. 2 — p. II c. 11 nn. 13. 14.
p. V c. 3 n. 5.
Dist. 30 a. 1 q. 1 — p. I c. 1 n. 5.
p. III c. 4 n. 4; c. 5 n. 1.
q. 2 — p. III c. 6 nn. 1. 2.
a. 2 q. 1 — p. III c. 5 n. 4.
a. 3 q. 2 — p. II c. 10 n. 11.
p. VII c. 5 n. 28.
q. 3 — p. VII c. 5 nn. 20. 21. 22. 23.
Dist. 31 a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 21.
q. 2 — p. III c. 6 n. 9.
q. 3 — p. III c. 4 n. 5.
a. 2 q. 1 — p. III c. 6 n. 11.
p. VII c. 6 n. 16.
q. 2 — p. III c. 6 n. 10.
q. 3 — p. III c. 6 n. 14.
Dist. 32 dub. 1—3 — p. III c. 7 n. 6.
dub. 4 — p. III c. 7 n. 4.
a. 1 q. 1 — p. III c. 5 not. II; c. 7 n. 3.
q. 2 — p. III c. 7 n. 2.
a. 2 qq. 1—2 — p. III c. 7 n. 5.
a. 3 q. 1 — p. III c. 5 n. 8.
q. 2 — p. III c. 6 nn. 8. 13.
Dist. 32 a. 3 q. 2 — p. VII c. 3 n. 3.
Dist. 33 dub. 2 — p. III c. 8 n. 16.
dub. 4 — p. III c. 4 n. 8.
a. 1 q. 1 — p. III c. 8 n. 19.
q. 2 — p. III c. 6 n. 7.
a. 2 qq. 1—2 — p. III c. 5 n. 3.
a. 3 q. 1 — p. III c. 5 n. 9.
q. 2 — p. III c. 5 n. 10.
Dist. 34 dub. 3 — p. VII c. 7 n. 57.
a. 1 q. 1 — p. III c. 1 n. 10.
q. 2 — p. III c. 1 n. 5.
q. 3 — p. III c. 1 n. 13.
a. 2 q. 1 — p. I c. 3 n. 36.
p. III c. 1 nn. 7. 16.
q. 2 — p. I c. 3 n. 36.
p. III c. 1 n. 7.
q. 3 — p. III c. 1 n. 3.
Dist. 35 dub. 4 — p. III c. 8 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. III c. 1 n. 6.
q. 2 — p. III c. 1 n. 11.
q. 3 — p. I c. 9 n. 2.
p. III c. 1 n. 9.
a. 2 qq. 1—2 — p. III c. 1 n. 2.
q. 3 — p. III c. 1 nn. 8. 9; c. 7 n. 7.
Dist. 36 a. 1 q. 1 — p. III c. 10. nn. 3. 9.
q. 2 — p. III c. 10 n. 10.
a. 2 q. 1. — p. III c. 10 n. 4.
p. V c. 6 n. 12.
q. 2 — p. III c. 10 n. 5.
a. 3 q. 1 — p. I c. 7 n. 8.
p. III c. 10 n. 7.
q. 2 — p. III c. 10 n. 8.
p. VII c. 6 n. 3.
Dist. 37 dub. 5 — p. III c. 10 n. 7.
a. 1 q. 1 — p. I c. 8 append.; c. nn. 12. 13.
p. V c. 3 n. 21.
q. 2 — p. II c. 1 n. 12.
a. 2 q. 2 — p. I c. 7 n. 8; c. 8 n. 22.
q. 3 — p. I c. 7 n. 9.
Dist. 38 dub. 2 — p. V c. 8 n. 3.
a. 1 q. 1 — p. III c. 8 n. 1.
q. 2 — p. I c. 1 n. 10; c. 2 n. 25.
q. 3 — p. III c. 8 n. 9.
p. V c. 9 n. 8.
q. 4 — p. III c. 9 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. II c. 4 n. 7.
q. 2 — p. II c. 9 n. 40.
Dist. 39 dub. 1 — p. II c. 9 n. 29.
dub. 2 — p. I c. 8 append.
a. 1 q. 1 — p. II c. 9 n. 33; c. 11 n. 10.
q. 2 — p. II c. 9 n 30; c. 11 nn. 9. 15.
p. VII c. 5 n. 13.
q. 3 — p. II c. 11 n. 10.
a. 2 qq. 1—3 — p. II c. 11 n. 11.
Dist. 40 a. 1 q. 1 — p. III c. 8 n. 4.
q. 2 — p. III c. 8 n. 9.
q. 3 — p. III c. 8 n. 7.
a. 2 q. 1 — p. V c. 2 n. 20.
p. VII c. 7 n. 56.
q. 2 — p. V c. 2 n. 18.
q. 3 — p. V c. 3 n. 22.
p. VII c. 7 nn. 1. 9.
Dist. 41 dub. 2 — p. V c. 2 not. I.
dub. 3 — p. III c. 8 n. 2.
a. 1 q. 2 — p. I c. 8 append.
q. 3 — p. III c. 8 n. 3.
p. V c. 2 n. 19.
a. 2 q. 1 — p. III c. 8 nn. 2. 13.
q. 2 — p. III c. 3 n. 6; c. 8 n. 2.
q. 3 — p. III c. 10 n. 2.
Dist. 42 dub. 1 — p. 3 c. 7 n. 1.
p. VII c. 6 nn. 18. 19.
a. 1 qq. 1—2 — p. III c. 8 n. 14.
a. 2 q. 1 — p. III c. 8 n. 4.
q. 2 — p. III c. 8 n. 5.
a. 3 q. 1 — p. III c. 9 n. 1.
q. 2 — p. III c. 8 n. 2.
Dist. 43 a. 1 q. 1 — p. III c. 11 n. 8.
a. 2 q. 1 — p. III c. 11 n. 6.
q. 2 — p. III c. 11 n. 14.
a. 3 q. 1 — p. III c. 11 n. 7.

Dist. 43 a. 3 q. 2 — p. III c. 11 nn. 9—14.
Dist. 44 a. 1 qq. 1—2 — p. III c. 11 n. 1.
a. 2 qq. 1—2 — p. V c. 9 n. 9.
q. 2 — p. VI c. 12 n. 20.
a. 3 p. 1 — p. V c. 9 n. 9.
q. 2 — praef. sec. edit.
p. V c. 9 n. 3.

X.

In tertium Sententiarum.

Prooem. — p. IV c. 10 n. 4.
Dist. 1 dub. 1 — p. IV c. 4 n. 10.
dub. 4 — p. I c. 5 n. 4.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 16.
q. 2 — p. IV c. 1 n. 1; c. 2 n. 12.
q. 4 — p. I c. 7 n. 1.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 1 n. 8.
q. 2 — p. 1 c. 7 n. 8.
p. II c. 12 n. 10.
p. IV c. 1 nn. 2. 14.
p. V c. 8 n. 17.
p. VII c. 7 n. 63.
q. 3 — p. IV c. 2 n. 21.
q. 4 — p. IV c. 4 n. 1.
Dist. 2 dub. 4 — p. IV c. 3 n. 3.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 5.
p. VII c. 7 n. 12.
q 2 — p. IV c. 1 n. 6; c. 2 n. 5.
q. 3 — p. IV c. 2 nn. 5. 13.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 2 n. 4.
qq. 2—3 — p. IV c. 2 n. 5.
a. 3 q. 1 — p. IV c. 3 n. 11.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 9.
p. V c. 1 n. 3.
q. 3 — p. I c. 3 n. 34.
p. IV c. 3 n. 11.
Dist. 3 p. 1 dub. 1 — p. III c. 5 not. II.
dub. 2 — p. IV c. 3 n. 2.
a. 1 q. 2 — p. III c. 7 not. *.
p. 2 a. 3 q. 1 — p. II c. 11 n. 19.
p. IV c. 3 n. 15.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 14.
Dist. 4 a. 1 q. 1 — p. IV c. 3 n. 6.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 8.
q. 3 — p. IV c. 3 n. 7.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 4 n. 4.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 17.
p. V c. 2 n. 6*.
q. 3 — p. IV c. 5 n. 4.
a. 3 q. 1 — p. IV c. 3 n. 13.
q. 2 — p. I c. 7 n. 8.
p. IV c. 3 n. 18.
q. 3 — p. IV c. 3 n. 1.
Dist. 5 a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 1.
qq. 2—3 — p. IV c. 2 n. 3.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 2 n. 2.
q. 2 — p. I c. 4 n. 19.
p. IV c. 2 nn. 9. 10.
q. 3 — p. I c. 4 n. 19.
p. IV c. 9 n. 15.
Dist. 6 a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 nn. 4. 14.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 2 n. 7.
q. 2 — p. IV c. 2 n. 11.
q. 3 — p. IV c. 2 n. 15.
Dist. 7 a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 22.
q. 3 — p. IV c. 2 n. 4.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 2 n. 4.
q. 2 — p. I c. 9 n. 19.
Dist. 8 a. 1 q. 1 — p. I c. 4 n. 1.
p. IV c. 2 n. 23.
a. 2 q. 2 — p. IV c. 2 n. 19.
q. 3 — p. IV c. 2 n. 20.
Dist. 9 dub. 1 — p. VII c. 3 n. 7.
dub. 2—3 — p. IV c. 5 n. 5.
a. 1 qq. 1—5 p. IV c. 5 n. 6.
q. 2 — prooem. § 2 n. 8.
q. 6 — p. II c. 7 n. 23.
a. 2 qq. 2—4 — p. IV c. 5 n. 5.
Dist. 10 a. 2 q. 1 — p. IV c. 2 n. 8.
q. 2 — p. IV c. 5 n. 11.
Dist. 10 a. 2 q. 2 — p. V c. 1 n. 12.
Dist. 11 a. 1 q. 1 — p. I c. 9 n. 19.
q. 2 — p. I c. 8 n 7.
p IV c. 7 n. 11.
q. 3 — p. IV c. 7 n. 11.
Dist. 12 a. 1 q. 1 — p. IV c. 1 n. 12.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 5 n. 2.
p. VII c. 6 n. 9.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 10.
a. 3 q. 1 — p. IV c. 3 n. 5.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 4.
Dist. 13 dub. 1 — p. V c. 6 n 13.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 3 n. 10; c. 5 n. 3.
q. 2 — p. IV c. 5 n. 3.
q. 3 — p. IV c. 5 n. 7; c. 7 n. 10.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 5 n. 9.
q. 2 — p. IV c. 5 nn. 4. 8.
q. 3 — p. IV c. 4 n. 7; c. 5 nn. 10. 12.
Dist. 14 a. 1 q. 1 — p. 4 c. 6 nn. 4. 6.
q. 2 — p. IV c. 6 n. 7.
q. 3 — p. II c. 12 n. 13.
p. VII c. 7 append.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 6 n. 3.
p. VII c. 7 n. 16.
q. 2 — p. IV c. 6 n. 5.
p. VII c. 7 nn. 16. 24.
q. 3 — p. IV c. 6 n. 2.
a. 3 q. 2 — p. IV c. 6 n. 8.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 9.
Dist. 15 dub. 3 — p. IV c. 8 n. 5.
dub. 4 — p. IV c. 8 n. 10.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 8 n. 6.
q. 2 — p. IV c. 8 n. 3.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 7.
a. 2 q. 2 — p. IV c. 8 n. 4.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 3.
Dist. 16 a. 1 q. 2 — p. IV c. 9 n. 10.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 8.
a. 2 q. 1 — p. II c. 9 n. 20.
q. 2 — p. IV c. 9 n. 8.
q. 3 — p. IV c. 9 n. 9.
Dist. 17 a. 1 qq. 1—2 — p. IV c. 8 n 18.
q. 3 — p. IV c. 8 nn. 15. 16.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 8 n. 11.
q. 2 — p. IV c. 8 n. 17.
q. 3 — p. IV c. 8 n. 14.
Dist. 18 dub. 1 — p. IV c. 9 n. 7.
dub. 2 — p. IV c. 7 n. 4.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 7 n. 9.
p. V c. 2 n. 6*.
p. VII c. 7 n. 16.
q 2 — p. IV c. 7 nn. 1. 2.
q. 3 — p. IV c. 7 n. 3.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 7 n. 7.
q. 2 — p. IV c. 7 n. 8.
p. V c. 2 n. 4.
q. 3 — p. IV c. 10 n. 9.
Dist. 19 dub. 5 — p. IV c. 10 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 9 n. 21.
q. 2 — p. IV c. 9 n. 20.
q. 3 — p. IV c. 9 n. 19.
q. 4 — p. IV c. 9 n. 21.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 3 n. 7.
q. 2 — p. IV c. 8 n. 1.
Dist. 20 a. 1 q. 1 — p. IV c. 1 n. 4.
q. 2 — p. IV c. 9 n. 6.
qq. 3—4 — p. IV c. 1 n. 11.
q. 5 — p. IV c. 1 n. 10; c. 9 n. 2.
q. 6 — p. IV c. 1 n. 3.
Dist. 21 dub. 3 — p. IV c. 2 n. 23.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 2 n. 4; c. 9 nn. 7. 14.
q. 2 — p. IV c. 9 n. 13.
q. 3 — p. IV c. 9 n. 18.
a. 2 q. 1 — p. III c. 4 n. 7.
p. VII c. 2 nn. 1. 3.
q. 2 — p. IV c. 9 nn. 12. 13.
Dist. 22 dub. 4 — p. IV c. 10 n. 2.
dub. 5 — p. IV c. 1 n. 13.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 9 n. 16.
p. VII c. 5 n. 13.
q. 3 — p. IV c. 9 n. 17.
q. 4 — p. IV c. 10 n. 3.
Dist. 22 a. 1 q. 5 — p. IV c. 10 n. 7.
q. 6 — p. IV c. 10 n. 8.
Dist. 23 dub. 3 — p. V c. 7 n. 4.
a. 1 q. 1 — p. I c. 1 n. 5.
p. II c. 9 n. 34.
p. V c. 4 n. 5.
q. 2 — p. V c. 4 n. 5.
q. 3 — p. V c. 7 n. 5.
q. 4 — p. V c. 7 n. 7.
q. 5 — p. V c. 7 n. 12.
a. 2 qq. 1—3 — p. V c. 4 n. 18.
q. 4 — p. V c. 1 n. 26; c. 4 n. 22.
q. 5 — p. V c. 4 n. 23.
Dist. 24 dub. 3 — p. I c. 1 n. 12.
a. 1 q. 1 — prooem. § 6 n. 3.
p. V c. 7 n. 6.
q. 2 — prooem. § 5 n. 16; § 6 nn. 5. 7.
a. 2 q. 1 — p. V c. 7 n. 10.
q. 2 — p. V c. 7 n. 14.
q. 3 — p. V c. 7 n. 8.
a. 3 q. 1 — p. V c. 7 n. 1.
Dist. 25 dub. 1 — p. V c. 7 n. 17.
dub. 2 — p. V c. 7 n. 15.
a. 1 q. 1 — p. V c. 7 nn. 2. 3. 16.
q. 2 — p. V c. 7 n. 19.
q. 3 — p. V c. 7 n. 18.
a. 2 q. 1 — prooem. § 2 n. 3.
p. V c. 7 n. 20.
qq. 2—3 — p. V c. 7 n. 20.
Dist. 26 dub. 6 — p. VII c. 2 n. 9.
a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 7; c. 8 n. 2.
q. 2 — p. V c. 4 n. 7.
p. VII c. 7 n. 30.
q. 3 — p. V c. 4 n. 7.
q. 4 — p. V c. 4 n. 18.
q. 5 — p. V c. 4 n. 7.
a. 2 qq. 1—5 — p. V c. 4 n. 7.
q. 2 — p. V c. 8 n. 2.
q. 3 — p. VII c. 7 n. 60.
Dist. 27 dub. 1 — p. V c. 8 n. 3.
dub. 3 — p. VI c. 8 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 21.
q. 2 — p. V c. 4 n. 24; c. 8 n. 19.
q. 3 — p. V c. 1 n. 25.
a. 2 q. 1 — p. V c. 2 n. 14.
q. 2 — p. V c. 8 n. 4.
q. 6 — p. V c. 8 n. 8.
Dist. 28 dub. 1 — p. V c. 8 n. 10.
dub. 3—5 — p. V c. 8 n. 9.
a. 1 qq. 1—3 — p. V c. 8 n. 6.
q. 4 — p. V c. 8 n. 5.
q. 5 — p. V c. 8 n. 6.
q. 6 — p. V c. 8 n. 7.
Dist. 29 dub. 6 — p. V c. 6 n. 16.
a. 1 q. 1 — p. V c. 8 n. 13.
q. 2 — p. II c. 1 n. 12.
p. V c. 8 n. 14.
qq. 3—5 — p. V c. 8 n. 14.
q. 6 — p. V c. 8 nn. 15. 16.
Dist. 30 a. 1 q. 1 — p. V c. 2 n. 12.
q. 2 — p. V c. 5 n. 12.
q 3 — p. V c. 9 n. 29.
q. 4 — p. IV c. 10 n. 21.
p. VII c. 5 n. 31.
qq. 4—6 — p. V c. 8 n. 18.
Dist. 31 a. 1 qq. 1—3 — p. V c. 8 n. 20.
a. 2 q. 1 — p. II c. 5 n. 2.
qq. 1—3 — p. VII c. 7 n. 17.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 20.
a. 3 qq. 1—3 — p. VII c. 7 n. 19.
Dist. 32 in expos. text. — p. V c. 8 n. 21.
a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 9; c. 8 n. 21.
q. 2 — p. V c. 8 nn. 1. 21.
qq. 3—5 — p. V c. 8 n. 21.
Dist. 33 a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 9.
q. 3 — p. V c. 4 n. 10.
q. 5 — p. V c. 4 n. 9.
q. 6 — p. V c. 4 n. 11.
Dist. 34 p. 1 a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 3; c. 5 n. 3; c. 6 nn. 2. 10. 13.

Dist. 34 p. 1 a. 1 q. 2 — p. V c. 4 n. 1.
q. 3 — p. V c. 4 n. 2.
a. 2 q. 1 — p. V c. 5 n. 23.
q. 2 — p. V c. 5 n. 1.
p. 2 a. 1 qq. 1—3 — p. V c. 5 n. 4.
a. 2 qq. 1—3 — p. V c. 5 n. 4.
Dist. 35 dub. 2 — p. V c. 5 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. I c. 1 n. 4.
p. V c. 5 n. 10.
q. 2 — p. V c. 5 n. 6.
q. 3 — p. V c. 5 n. 9.
q. 5 — p. V c. 5 n. 13.
Dist. 36 dub. 3 — p. V c. 8 n. 12.
dub. 5 — p. V c. 8 n. 11.
a. 1 q. 1 — p. V c. 4 n. 16.
q. 2 — p. V c. 5 n. 2.
q. 5 — p. V c. 4 n. 17.
q. 6 — p. V c. 4 n. 20.
Dist. 37 dub. 1 — p. V c. 9 n. 17.
dub. 2 — p. V c. 9 n. 18.
dub. 3 — p. V c. 9 n. 19.
dub. 4 — p. V c. 9 n. 20.
dub. 5 — p. V c. 9 n. 21.
dub. 6 — p. V c. 9 n. 24.
dub. 7 — p. V c. 9 n. 26.
dub. 8 — p. V c. 9 n. 23.
a. 1 q. 1 — p. V c. 9 nn. 6. 7.
q. 3 — p. V c. 9 n. 5.
a. 2 q. 1 — p. V c. 9 n. 30.
q. 2 — p. V c. 9 n. 28.
Dist. 38 a. 1 q. 1 — p. V c. 9 nn. 18. 22.
q. 2 — p. I c. 4 n. 4.
p. V c. 9 nn. 18. 23.
qq. 3—6 — p. V c. 9 n. 23.
Dist. 39 dub. 1 — p. V c. 9 n. 18.
a. 1 qq. 1—3 — p. V c. 9 n. 18.
a. 2 qq. 1—3 — p. V c. 9 n. 18.
a. 3 qq. 1—3 — p. V c. 9 n. 18.
Dist. 40 dub. 1 — p. V c. 9 n. 25.
dub. 2 — p. V c. 9 n. 27.
dub. 3 — p. VI c. 2 n. 9.
a. 1 q. 1 — p. V c. 9 n. 12.
q. 2 — p. V c. 9 n. 11.
q. 3 — p. I c. 8 append.
p. V c. 9 n. 14.

XI.

In quartum Sententiarum.

Prooem. — p. III c. 5 n. 7.
p. VI c. 3 n. 4.
Dist. 1 p. 1 dub. 3 — p. VI c. 1 n. 3.
dub. 7 — p. V c. 1 n. 7.
dub. 8 — p. VI c. 1 n. 5.
dub. 10 — p. VI c 1 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 1 n. 8.
q. 2 — p. VI c. 1 n. 2; c. 2 n. 10.
q. 3 — p. VI c. 1 n. 9.
q. 4 q. 2 lat. — p. VI c. 1 n. 10.
q. 5 — p. VI c. 2 n. 8 et append.
q. 6 — p. VI c. 3 n. 3.
p. 2 dub. 1 — p. VI c. 2 n. 5.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 2 nn. 4. 5.
q. 2 — p. VI c. 2 n. 4.
q. 3 — p. VI c. 2 n. 6.
a. 2 q. 1 — p. III c. 10 n. 6.
q. 3 — p. VI c. 2 n. 7.
Dist. 2 dub. 1 — p. VI c. 3 nn. 5. 6.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 2 n. 3.
q. 2 — p. VI c. 2 nn. 3. 11.
q. 3 — p. VI c. 3 n. 2.
a. 2 qq. 1—3 — p. VI c. 4 n. 7.
Dist. 3 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 7 nn. 2. 19.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 12.
q. 3 — p. VI c. 2 n. 12; c. 7 n. 24.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 7 n. 14.
q. 2 — p. VI c. 7 nn. 11. 13.
q. 3 — p. VI c. 7 n. 3.
p. 2 dub. 2 — p. VI c. 7 n. 20.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 4 n. 8; c. 7 n. 18.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 18.
Dist. 3 p. 2 a. 2 q. 1 — p. VI c. 7 n. 15.
q. 2 — p. VI c. 7 not. I et n. 4.
a. 5 q. 2 — p. V c. 9 n. 1.
Dist. 4 p. 1 dub. 2 — p. VI c. 7 n. 26.
a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 7 n. 9.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 7 n. 7.
qq. 2—3 — p. VI c. 7 n. 6.
p. 2 dub. 1 — p. VII c. 7 n. 53.
dub. 4 — p. VI c. 7 n. 27.
dub. 7 — p. VI c. 7 n. 22.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 7 n. 1.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 1.
p. VII c. 7 n. 53.
q. 3 — p. VI c. 4 n. 10; c. 7 n. 1.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 7 n. 26.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 31.
q. 3 — p. VI c. 5 not. *; c. 7 n. 31.
Dist. 5 a. 1 q. 1 — p. VI c. 5 n. 8.
q. 1 lat. — p. VI c. 5 n. 1.
q. 2 lat. — p. VI c. 5 n. 8.
q. 4 lat. — p. VI c. 7 n. 17.
q. 2 — p. VI c. 5 n. 12.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 5 n. 9.
q. 2 — p. VI c. 5 n. 11.
a. 3 q. 1 — p. VI c. 5 n. 2.
q. 2 — p. IV c. 8 n. 19.
Dist. 6 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 6 n. 4.
q. 2 — p. VI c. 6 nn. 2. 7. 8.
q. 3 — p. VI c. 6 n. 1.
q. 4 — p. VI c. 6 n. 5.
q. 5 — p. VI c. 6 n. 3.
p. 2 dub. 2 — p. VI c. 5 not. I.
dub. 3 — p. VI c. 7 n. 24.
dub. 4 — p. VI c. 5 n. 3.
dub. 6 — p. VI c. 7 n. 30.
dub. 7 — p. VI c. 7 n. 29.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 7 n. 5.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 8.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 5 n. 4.
q. 2 — p. VI c. 5 n. 3.
a. 3 q. 1 — p. VI c. 7 n. 29.
q. 2 — p. VI c. 7 n. 28.
Dist. 7 dub. 1 — p. VI c. 5 not. **; c. 8 n. 2.
dub. 2 — p. VI c. 8 n. 8.
dub. 4 — p. VI c. 8 n. 11.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 8 n. 1.
q. 3 — p. IV c. 10 n. 21; c. 8 n. 2.
a. 2 q. 2 — p. VI c. 4 n. 3; c. 8. n. 7.
q. 3 — p. VI c. 8 n. 7.
a. 3 qq. 1—2 — p. VI c. 8 n. 3.
q. 3 — p. VI c. 8 n. 9.
Dist. 8 p. 1 dub. 2 — p. VI c. 9 n. 1.
dub. 3 — p. VI c. 9 n. 12.
dub. 4 — p. VI c. 4 n. 6.
a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 4 n. 10.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. VI c. 9 n. 4.
q. 2 — p. VI c. 9 n. 5.
a. 2 q. 2 — p. VI c. 9 n. 2.
Dist. 9 a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 9 n. 37.
q. 4 — p. VI c. 4 n. 9.
a. 2 qq. 1—4 — p. VI c. 9 n. 38.
Dist. 10 p. 1 a. 1 q. 2 — p. VI c. 9 n. 28.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 33.
q. 4 — p. VI c. 9 n. 32.
q. 5 — p. VI c. 9 n. 31.
p. 2 a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 9 n. 21.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 19.
a. 2 qq. 1—2 — p. VI c. 9 n. 25.
Dist. 11 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 9 nn. 18. 20.
q. 2 — p. VI c. 9 n. 20.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 20.
qq. 4—6 — p. VI c. 9 n. 20.
p. 2 dub. 5 — p. VI c. 9 n. 15.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 9 n. 13.
q. 2 — p. VI c. 9 n. 17.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 15.
q. 4 — p. VI c. 9 n. 13.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 9 n. 14.
q. 2 — p. VI c. 9 nn. 26. 27.
Dist. 12 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 9 n. 35.
Dist. 12 p. 1 a. 1 q. 2 — p. VI c. 9 n. 23
q. 3 — p. VI c. 9 n. 24.
a. 2 q. 2 — p. VI c. 9 n. 22.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 34.
a. 3 qq. 1—2 — p. VI c. 9 n. 29.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 30.
p. 2 dub. 3 — p. VI c. 9 n. 43.
a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 9 n. 36.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 11.
a. 2 q. 2 — p. VI c. 9 n. 39.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 40.
Dist. 13 dub. 4 — p. V c. 7 n. 9.
a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 9 n. 7.
q. 3 — p. VI c. 9 n. 6.
q. 4 — p. VI c. 9 n. 38.
q. lat. — p. VI c. 9 n. 38.
Dist. 14 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 10 n. 1.
a. 2 q. 2 — p. V c. 3 n. 18.
q. 3 — p. V c. 3 n. 11.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. I c. 6 nn. 6. 7.
p. VI c. 10 n. 5.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 4.
q. 3 — p. VI c. 10 n. 6.
a. 2 qq. 1—3 — p. VI c. 10 n. 20.
Dist. 15 p. 1 dub. 2 — p. III c. 10 n. 5.
dub. 4 — p. III c. 10 n. 7.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 7 n. 12.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 13.
q. 3 — p. VI c. 10 n. 11.
q. 5 — p. V c. 2 n. 13.
q. 6 — p. V c. 4 n. 25.
p. 2 a. 1 qq. 1—4 — p. V c. 10 n. 11.
a. 2 qq. 1—2 — p. VI c. 10 n. 11.
q. 3 — p. V c. 10 n. 7.
p. VI c. 10 n. 11.
q. 4 — p. VI c. 10 n. 11.
Dist. 16 p. 1 dub. 1 — p. VI c. 10 n. 3.
dub. 3 — p. VI c. 10 n. 9.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 10 nn. 8. 16. 17.
a. 2 q. 1 — p. 6 c. 10 n. 15.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 16.
a. 3 q. 1 — p. VI c. 10 n. 7.
q. 2 — p. VI c. 10 nn. 7. 12.
a. 4 qq. 1—2 — p. VI c. 10 n. 19.
p. 2 a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 7 n. 25.
Dist. 17 p. 1 dub. 3 — p. V c. 1 n. 24; c. 3 n. 4.
dub. 4 — p. V c. 3 n. 2.
a. 1 q. 1 — p. V c. 3 nn. 2. 3. 6.
q. 2 — p. V c. 3 n. 11.
q. 3 — p. V c. 3 n. 8.
q. 4 — p. V c. 3 n. 12.
a. 2 q. 1 — p. V c. 3 n. 16.
q. 2 — p. V c. 3 n. 13.
q. 3 — p. V c. 3 nn. 11. 14.
p. 2 a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 10 n. 10.
q. 4 — p. VI c. 10 n. 9.
p. 3 a. 1 q. 3 — p. VI c. 10 n. 21,
a. 2 qq. 1—3 — p. VI c. 10 n. 14.
Dist. 18 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VI c. 10 n. 24.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 10 n. 26.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 20.
a. 3 q. 1 — p. VI c 20 n. 25.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 27.
p. 2 dub. 3 — p. V c. 1 n. 19.
dub. 4 — p. VII c. 7 n. 28.
a 1 q. 1 — p. VI c. 10 n. 36.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 35.
q. 3 — p. VI c. 10 n. 34.
q. 4. — p. VI c. 10 n. 36.
q. 6. — p. VI. c. 10 not V.
Dist. 19 dub. 6 — p. VI c. 10 n. 39; c. 12 n. 24.
a. 1 q. 2 — p. VI c. 10 n. 22.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 10 n. 23.
q. 2 — p. VI c. 10 nn. 29. 32.
a. 3 q. 1 — p. VI c. 10 n. 30.
Dist. 20 p. 1 dub. 1 — p. VI c. 10 n. 20.
dub. 3 — p. VI c. 10 n. 20.
p. VII c. 3 n. 9.
a. 1 q. 1 — p. VII c. 2 n. 3.
q. 2 — p. VII p. 2 n. 8.

Dist. 20 a. 1. q. 3 — p. VII c. 2 n. 7.
q. 4. — p. VII c. 2 n. 9.
q. 5 — p. VII c. 2 n. 5.
q. 6 — p. VII c. 2 n. 11.
p. 2 dub. 6 — p. VI c. 12 n. 43.
a. 1. q. 1 — p. VI c. 10 n. 39.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 39; c. 12 n. 30.
q. 3 — p. VI c. 10 nn. 38. 39; c. 12 n. 35.
qq. 4—5 — p. VI c. 10 n. 37.
q. 6 — p. VI c. 5 not. **; c. 10 n. 39; c. 12 n. 31.
Dist. 21 p. 1 dub. 1 — prooem. § 5 n. 5
a. 1 q. 1 — p. V c. 3 n. 10.
q. 2 — p. V c. 3 n. 9.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 2 n. 4.
q. 2 — p. VII c. 2 n. 10.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 2 n. 6.
q. 2 — p. VII c. 1 n. 13; c. 2 n. 12.
Dist. 22 a. 1 qq. 1—2 — p VI c. 10 n. 20.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 4 n. 5.
q. 2 — p. VI c. 10 n. 3.
a. 3 q. 2 — p. 6 c. 10 n. 2.
Dist. 23 a. 1 q. 1 — p. VI c. 11 nn. 1. 2.
q. 2 — p. VI c. 4 n. 4.
q. 3 — p. VI c. 11 nn. 3. 4.
q. 4 — p. VI c. 11 nn. 5. 6. 7.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 4 n. 2; c. 11 n. 11.
q. 2 — p. VI c. 11 n. 9.
q. 3 — p. VI c. 11 n. 8.
q. 4 — p. VI c. 11 n. 10.
Dist. 24 p. 1 dub. 2 — p. VI c. 12 n. 10.
dub. 3 — p. VI c 12 n. 6.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 12 n. 2.
q. 2 — p. VI c. 12 n. 4.
q. 3 — p. VI c. 12 n. 3.
a. 2 q. 1 — p. IV c. 10 n. 21.
p. VI c. 12 n.1.
q. 2 — p. VI c. 12 n. 19.
q. 3 — p. VI c. 4 n. 10.
q. 4 — p. VI c. 12 n. 18.
p. 2 dub. 1 — p VII c. 7 u. 49.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 12 n. 5.
q. 2 — p. VI c. 12 n. 14.
q. 3 — p. VI c. 12 n. 12.
q. 4 — p. VI c. 12 n. 8
a. 2 q. 1 — p. VI c. 12 n. 11.
q. 2 — p. VI c. 12 n. 7.
q. 3 — p. VI c. 12 n. 13.
q. 4 — p. VI c. 12 n. 17.
Dist. 25 a. 1 q. 1 — p. VI c. 10 n. 40; c. 12 n. 44.
qq. 2—4 — p. VI c. 5 n. 10.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 12 n. 38.
q. 2 — p. VI c. 12 nn. 39. 40.
q. 3 — p. VI c. 12 n. 42.
q. 4 — p. VI c. 12 n. 41.
Dist. 26 a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 4.
q. 2 — p. VI c. 13 n. 6.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 13 n. 10.
q. 2 — p. VI c. 13 nn. 11. 13.
q. 3 — p. VI c. 13 n. 18.
Dist. 27 dub. 1 — p. VI c. 13 n. 3.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 2.
q. 2 — p. VI c. 13 n. 1.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 13 n. 14.
q. 2 — p. VI c. 13 n. 15.
a. 3 q. 2 — p. VI c. 13 n. 21.
Dist. 28 a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 16.
q. 2 — p. VI c. 13 n. 14.
q. 3 — p. VI c. 13 n. 17.
q. 4 — p. VI c. 13 n. 15.
q. 5 — p. VI c. 5 n. 7; c. 13 n. 5 * et append.
q. 6 — p. VI c. 13 n. 25.
Dist. 29 dub. 2—3 — p. VI c. 13 n. 27.
a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 13 n. 30.
Dist. 30 dub. 3 — p. VI c. 13 n. 29.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 29.
q. 2 — p. IV c. 3 n. 16.
Dist. 31 dub. 1 — p. VI c. 13 n. 23.
a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 24.
Dist. 31 a. 1 qq. 2—3 — p. VI c. 13 n. 19.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 13 n. 12.
Dist. 32 a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 13 n. 31.
a. 4 qq. 1—2 — p. VI c. 13 n. 5.
Dist. 33 a. 1 q. 3 — p. VI c. 13 n. 8.
a. 2 qq. 1—2 — p. V c. 9 n. 4.
q. 3 — p. VII c. 7 nn. 52. 56.
a. 3 qq. 1—3 — p. VI c. 13 n. 7.
Dist. 34 a. 1 q. 1 — p. VI c. 13 n. 26 et append.
q. 2 — p. VI c. 13 nn. 5. 28. 42.
a. 3 q. 1 — p. VI c. 13 n. 30.
q. 2 — p. VI c. 13 n. 41.
Dist. 35 a. 1 qq. 1—6 — p. VI c. 13 n. 48.
Dist. 36 a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 13 n. 44.
a. 2 qq. 1—2 — p. VI c. 13 n. 43.
q. 3 ad 2 lat. — p. VI c. 13 n. 39.
ad 3 lat. — p. VI c. 13 n. 39.
Dist. 37 a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 13 n. 32.
a. 2 q. 3 — p. VI c. 13 n 34.
Dist. 38 dub. 10 — p. VI c. 13 n. 49.
a. 1 qq. 1- 3 — p. VI c. 13 n. 32.
a. 2 qq. 1—3 — p VI c. 13 n. 32.
Dist. 39 a. 1 qq. 1—4 — p. VI c. 13 n. 45.
a. 2 qq. 1—4 — p. VI c. 13 n. 45.
Dist. 40 dub. 3 — prooem. § 3 n. 5.
a. 1 qq. 1—2 — p. VI c. 13 n. 36.
q. 3 — p. VI c. 13 nn. 36. 46. 47.
Dist. 41 a. 1 in princ. artic. — p. VI c. 13. n. 41.
qq. 2—3 — p. VI c. 13 n. 41.
Dist. 42 in expos. text. — p. VI c. 13 n. 38.
a. 1 qq. 1—3 — p. VI c. 13 n. 38.
a. 2 q. 1 — p. VI c. 13 nn. 37. 40.
qq. 2—3 — p. VI c. 13 n. 37.
a. 3 qq. 1—3 p. VI c. 13 n. 20.
Dist. 43 dub. 1 — p. VII c. 5 n. 3.
dub. 2 — p. VII c. 5 n. 1.
dub. 3 — p. VII c. 1 n. 11.
dub. 4 — p. VII c. 1 n. 10.
a. 1 q. 1 — p. VII c. 5 nn. 5. 9.
q. 2 — p. VII c. 2 nn. 2. 8.
q. 3 — p. VII c. 5 n. 10.
q. 4 — p. VII c. 5 nn. 17. 18. 27.
q. 5 — p. VII c. 5 nn. 2. 29. 32.
q. 6 — p. VII c. 5 nn. 1. 4.
a. 2 q. 1 — p. I c. 8 n. 6.
p. VI c. 1 n. 7.
q. 2 — p. I c. 8 n. 6.
q. 3 — p. VII c. 1 n. 8.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 1 nn. 5. 9.
q. 2 — p. VII c. 1 n. 11.
q. 3 — p. VII c. 1 n. 12.
Dist. 44 p. 1 dub. 1 — p. VII c. 5 n. 14.
dub. 2 — p. VII c. 5 n. 16.
dub. 3 — p. VII c. 5 n. 15.
a. 1 q. 1 — p. VII c. 5 n. 25.
q. 2 — p. VII c. 5 n. 26.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 5 n. 25.
q. 2 — p. VII c. 5 nn. 19. 24.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 5 n. 12.
q. 2 — p. VII c. 5 n. 11.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. VII c. 6 nn. 5. 7.
q. 2 — p. VII c. 6 nn. 6. 12.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 6 n. 15.
q. 2 — p. VII c. 6 n. 14.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 6 nn. 20. 21.
q. 2 — p. VII c 6 n. 17.
Dist. 45 dub. 1 — p. VII c. 7 n. 32.
dub. 3 — p. VII c. 3 n. 6.
dub. 7 — p. VII c. 3 n. 10.
a. 1 q. 1 — p. IV c. 10 n. 8.
qq. 2—3 — p. VII c. 3 n. 1.
a. 2. q. 1 — p. VII. c. 3 n. 11.
q. 2 — p. VII c. 3 n. 12.
q. 3 — p. VII c. 3 n 13.
a. 3 q. 1 — p. V c. 10 n. 8.
q. 2 — p. V c 10 n. 9.
q. 3 — p. V c. 10 n. 10.
Dist. 46 dub. 1 — p. VII c. 6 n. 10.
dub. 2 — p. VII c. 6 n. 13.
Dist. 46 dub. 5 — p. VII c. 3 n. 2.
a. 1 q. 2 — p. VII c. 6 n. 23.
q. 4 — p. VII c. 6 n 2.
a. 2 q. 1 — p VII c. 3 n. 4.
qq. 2—4 — p. VII c. 6 n. 1.
Dist. 47 dub. 1 — p. VI c. 10 n. 41.
a. 1 qq. 1—2 — p. VII c. 1 n. 15.
q. 3 — p. VII c. 1 n. 3.
q. 4 — p. VII c. 1 n. 5.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 4 nn. 5. 6.
q. 2 — p. VII c. 4 n. 8.
q. 3 — p. VII c. 4 nn. 1. 7.
q. 4 — p. VII c. 4 n. 4
Dist. 48 dub. 1 — p. VII c. 1 nn. 4. 14.
dub. 7 — p. VII c. 6 n. 12.
a. 1 q. 1 — p. VII c 1 n. 16.
q. 2 — p. VII c. 1 n. 17.
q. 3 — p. VII c. 1 n. 18.
q 4 — p. VII c 1 n. 2.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 4 n. 12.
q. 2 — p. VII c. 4 n. 9.
q. 3 — p. VII c. 4 nn. 2. 13.
q. 4 — p. VII c. 4 n. 14.
Dist. 49 p. 1 a 1 q. 1 — p. VII c. 7 n. 26.
q. 2 — p. II c. 9 n. 35.
p. VII c. 7 n. 13.
q. 3 — p. VII c. 7 nn. 5. 47.
q. 4 — p. VII c. 7 n. 14.
q. 5 — p. VII c. 7 n. 22.
q. 6 — p. VII c. 7 n. 8.
p. 2 a. 1 q. 1 — p. VII c. 7 nn. 31. 33.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 33.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 7 nn. 40. 43.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 7.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 7 nn. 46. 48.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 46.
a. 2 princ. a. 1 q. 1 — p. VII c. 7 n. 37.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 38.
a. 2 q. 1 — p. VII c. 7 nn. 6. 34.
q. 2 — p. VII c. 7 nn. 7. 34.
a. 3 q. 1 — p. VII c. 7 n. 35.
q. 2 — p. VII c. 7 n. 36.
a. 4 qq. 1—2 — p. VII c. 7 n. 39.
Dist. 50 p. 1 a. 1 q. 1 — p. VII c. 6 nn. 8. 9.
q. 2 — p. VII c. 6 n. 26.
q. 3 — p. VII c. 6 n. 22.
a. 2 qq. 1—3 — p. VII c. 6 n. 24.
p. 2 a. 1 qq. 1—2 — p. II c. 9 n. 13.
q. 3 — p. VII c. 6 n. 24.
a. 2 q. 2 — p. VII c. 6 n. 25.
Epilog. — p. VII c. 7 append.

XII.

De Reductione Artium ad Theologiam.

Part. II c. 5 n. 3.

XIII.

Centiloquium.

Part. I sect. 7 — p. III c. 8 n. 8.
s. 11 — p. II c. 11 n. 10.
s. 15 — p. III c. 9 n. 3.
s. 16 — p. III c. 9 n. 2.
s. 17 — p. III c. 9 n. 5.
s. 19 — p. III c. 9 n. 9.
s. 20 — p. III c. 9 n. 10.
s. 21 — p. III c. 9 n. 11.
s. 22 — p. III c. 9 n. 6.
s. 23 — p. III c. 9 n. 7.
s. 24 — p. III c. 9 n. 8.
s. 25 — p. III c. 11 n. 3.
Part. III s. 3 — p. I c. 5 n. 2
s. 9 — p. II c. 2 n. 22.
s. 16 — p. II c. 6 n. 1; c. 8 n. 1.
s. 22 — p. II c. 9 nn. 9. 33.
s. 23 — p. II c. 9 n. 39.
s. 28 — p. IV c. 5 n. 1.
s. 32 — prooem. § 2 nn. 4. 5. 6.

Part. III s. 33 — p. V c. 9 n. 16.
s. 35 — p. IV c. 10 n. 21.
s. 37 — p. V c. 4 n. 4.
s. 38 — p. V c. 7 n. 2.
s. 39 — p. V c. 4 n. 6.
s. 41 — p. V c. 4 n. 12.
s. 42 — p. V c. 4 n. 14.
s. 43 — p. V c. 4 n. 13.
s. 44 — p. V c. 4 n. 15.
s. 45 — p. V c. 5 nn. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
s. 46 — p. II c. 12 n. 12.
p. V c. 5 nn. 19. 21; c. 10 n. 1.
s. 48 — p. VI c. 7 n. 1.
s. 50 — p. VI c. 9 nn. 9. 30.
s. 52 — p. VI c. 12 n. 8.
s. 53 — p. VI c. 12 n. 16.
Part. IV sect. 1 — p. VII c. 7 nn. 4. 54.
s. 3 p. VII c. 7 n. 22.

XIV.

Declaratio Terminorum Theologiae.

Part. I c. 2 nn. 6. 10. 14. 15. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 33. 34.
c. 3 nn. 1. 2; c. 5 n. 3; c. 6 n. 1; c. 7 n. 2.
Part. II c. 9 nn. 3. 5. 7. 8. 22. 25.
Part. III c. 10 n. 1.
Part. V c. 1 n. 7.
Part. VI c. 1 n. 1.
Part. VII c. 7 n. 55.

XV.

Meditationes Vitae Christi.

Prooem. — prooem. § 7 n. 5.

XVI.

Lignum Vitae.

Jesus liber signatus — p. II c. 11 n. 5.
Praefiguratus — p. IV c. 4 n. 5.
Sol morte pallidus etc. — p. IV c. 9 n. 22.
Jesus finis optatus — p. VII c. 7 n. 63.
Conclusio — p. V c. 5 n. 24.

XVII.

De Regimine animae.

Part. II c. 2 n. 33.
Part. VI c. 10 n. 18.

XVIII.

Expositio Missae.

Cap. 4 — p. IV c. 9 n. 1.
p. VII c. 3 n. 8.

XIX.

De sex alis Seraphim.

Cap. 8 — p. V c. 6 n. 4.
p. V c. 10 nn. 3. 6.

XX.

Fascicularium.

Part. VI c. 9 n. 44.

XXI.

Soliloquium.

Prolog. — part. V c. 10 n. 5.

XXII.

Itinerarium mentis in Deum.

Prolog. — prooem. § 5 nn. 9. 12.
p. II c. 12 n. 15.
Cap. 1 — p. II c. 1 n. 8; c. 5 n. 5; c. 12 n. 10.
Cap. 2 — p. I c. 6 n. 11.
p. II c. 9 n. 24; c. 12 n. 6.
Cap. 3 — p. II c. 12 nn. 3. 7.
p. V c. 1 n. 15.
Cap. 4 — prooem. § 5 n. 10.
p. II c. 5 n. 6; c. 12 n. 4.
p. IV c. 1 n. *.
p. V c. 6 n. 8.
p. VI c. 4 n. 1.
Cap. 5 — p. I c. 2 n. 31.
p. V c. 6 n. 18.
Cap. 6 — p. I c. 3 n. 3.

XXIII.

Incendium amoris.

Cap. 1 — prooem § 5 n. 7.
p. II c. 11 n. 10.
Cap. 2 — p. V c. 10 n. 2.
Cap. 3 — p. I c. 2 n. 34.
p. V c. 5 nn. 15. 16. 17. 18; c. 6 n. 17.

XXIV.

Stimulus divini amoris.

Part. I c. 1 — p. IV c. 1 n. 7; c. 9 n. 4.
c. 4 — p. IV c. 9 n. 3.
c. 7 — p. V c. 5 n. 12.
c. 8 — p. V c. 6 n. 1.
Part. III c. 20 — p. VII c. 7 n. 59.

XXV.

De Ecclesiastica Hierarchia.

Part. I c. 1 — prooem. § 5 n. 14.
Part. II c. 1 — p. VI c. 10 n. 42; c. 12 n. 34.
Part. IV c. 6 — p. IV c. 2 n. 14.

XXVI.

Expositio in Regulam Fratrum Minorum.

Prolog. — p. VI c. 12 nn. 27. 28.
Cap. 9 — p. VI c. 12 n. 26.

XXVII.

Determinationes quaestionum circa Regulam S. Francisci.

Quaest. III — prooem. § 1 n. 7.
p. VI c. 12 n. 25.

XXVIII.

Quare Fratres Minores praedicent, et confessiones audiant.

Part. VI c. 10 n. 28.

XXIX.

Libellus Apologeticus in eos, qui Ordini Fratrum Minorum adversantur.

Resp. ad 4 — p. VI c. 10 n. 31.

XXX.

De tribus quaestionibus ad Magistrum innominatum.

Part. I c. 1 n. 5.

XXXI.

De paupertate Christi.

Quaest. I a. 1 — p. V c. 9 n. 2.
a. 2 — p. VI c. 10 n. 33.

XXXII.

Apologia pauperum.

Resp. 1 c. 1 — p. VI c. 12 n. 33.
c. 2 — p. IV c. 1 n. 9.
c. 3 — p. V c. 6 n. 3; c. 9 nn. 31. 32.
Resp. 3 c. 3 — p. V c. 9 n. 2.
Resp. 4 c. 2—3 — p. V c. 9 n. 2.

XXXIII.

De profectu Religiosorum.

Lib. I c. 8 — p. II c. 9 n. 26.
Lib. II c. 38—41 — p. V. c. 9 n. 3.
c. 42—45 — p. V c. 9 n. 2.
c. 52—56 — p. V c. 9 n. 4.
c. 64—65 — p. VII c. 7 n. 64.
c. 72 — prooem. § 6 n. 2.
p. I c. 1 n. 4.

XXXIV.

De perfectione vitae ad Sorores.

Cap. 6 — p. IV c. 9 n. 5.

Ex Supplemento P. Benedicti Bonelli.

XXXV.

De plantatione paradisi.

§ 1 — p. VI c. 1 n. 4.
n. IX — p. II c. 10 n 13.

XXXVI.

De S. Scripturae mysterio.

§§ 6—8 — p. V. c. 6 n. 19.
§ 11 — prooem. § 2 n. 2.
§ 51 — prooem. § 7 n. 7.
§ 54 — p. I c. 8 n. 8.

XXXVII.

De S. Scripturae materia.

§§ 1—5 — prooem. § 1 n. 3.
§ 6 — prooem. § 4 n. 3.
§ 8 — prooem. § 7 n. 4.
§ 21 — prooem. § 5 n. 9.

XXXVIII.

Sermo de Seminante.

Num. 19 — p. VI c. 7 n. 23.
Num. 42 — p. III c. 1 n. 14.
Num. 46 — p. VII c. 6 n. 11.

XXXIX.

Comm. in Evang. S. Joannis.

Cap. 1 — p. I c. 5 n. 4.
p. II c. 1 n. 4.
Cap. 3 — p. VI c. 4 nn. 7. 8; c. 7 nn. 10. 21.
Cap. 4 — p. V c. 10 n. 7.
Cap. 5 — p. II c. 2 n. 12.
Cap. 6 — p. V c. 2 n. 11 et append. p. VI c. 9 n. 37.
Cap. 11 — p. IV c. 8 n. 4.
Cap. 12 — p. IV c. 8 n. 14.
Cap. 13 — p. VII c. 7 n. 51.
Cap. 14 — p. I c. 5 n. 15.
Cap. 15 — p. VI c. 9 n. 16.
Cap. 16 — p. IV c. 10 nn. 15. 16.

XL.

Comment. in Apocalypsim.

Cap. 4 — prooem. § 2 n. 2.
p. VI c. 12 n. 32.
Cap. 8 — prooem. § 2 n. 7.
Cap. 10 — prooem. § 1 n. 1; § 7 n. 6.
Cap. 22 — prooem. § 2 n. 7.

XLI.

Commentariolum de Doctrina Evangelica.

Num. 11 — p. IV c. 4 n. 9.
Num. 14 — p. I c. 1 n. 8.

XLII.

De Scripturarum sanctarum dignitate et excellentia.

§§ 1—6 — prooem. § 1 n. 4.
§ 7 — prooem. § 5 n. 17.

XLIII.

De Vite mystica.

Num. 16—18 — p. IV c. 9 n. 11.
Num. 45 — p. IV c. 8 n. 13.
Num. 53—54 — p. V c. 6 n. 5.
Num. 94—95 — p. VII c. 7 n. 50.
Num. 170—171 — p. IV c. 10 n. 10.
Num. 172 — p. IV c. 10 n. 12.
Num. 173 — p. IV c. 10 n. 14.

XLIV.

Paraphrasis ascetica Dominicae Orationis.

Part. V c. 10 n. 11.

XLV.

Expositio brevior ejusdem Dominicae Orationis.

Part. V c. 10 n. 11.

XLVI.

Meditatio super Salutationem Angelicam.

Num. 13—18 — p. IV c. 9 n. 22.

XLVII.

Ordinarium vitae religiosae.

Num. 8 — p. V c. 10 n. 4.

XLVIII.

De decem praeceptis divinae legis.

Cap. 2 — p. V c. 9 n. 15.

XLIX.

Ars concionandi.

Num. 12 — p. IV c. 10 n. 23.
Num. 18 — p. IV c. 10 n. 14.

L.

Collationes de septem Donis Spiritus sancti.

Prooem. — p. V c. 1 n. 2.
Num. 8—11 — p. V c. 10 n. 12.
Num. 37—43 — p. V c. 5 n. 22.
Num. 69—74 — p. V c. 5 n. 11.
Num. 74—78 — p. V c. 5 n. 14.
Num. 84—86 — p. V c. 5 n. 20.

LI.

Epistola de Imitatione Jesu Christi.

Num. 16—18 — p. V c. 10 n. 4.

LII.

Quaestio anecdota de ratione cognoscendi *a P. Fideli a Fanna Min. Reform. ex parte an. 1874 Augustae Taurinorum edita.*

Num. 25 — p. I c. 8 n. 10.
Concl. — p. I c. 8 not. *.
In concl. — p. II c. 9 n. 34; c. 11 n. 16.
p. VII c. 7 n. 15.

LIII.

Symbolica Theologia.

Part. VI c. 13 n. 9.

INDEX IV.

praecipuarum rerum ac sententiarum,

quae in hoc opere continentur.

A.

Abbates regulares possunt conferre suis subditis tonsuram, quatuor ordines minores et confirmationem, 478 not. **; aliquando ex apostolico privilegio ecclesias consecrarunt, 565 not. ***.

Abstractio est duplex, 64 n. 16; cur anima nihil cognoscat nisi per abstractionem, 80 not. *; 155 nn. 22. 25. 27.

Acaciani haeretici, 40 not. III.

Accidens dicitur tripliciter, 67 n. 28.

Accidentia miraculo possunt esse sine subjecto, 526 n. 35.

Acidia, ejus definitio, differentiae et filiae, 229 n. 11.

Actio quaelibet, quamvis peccato substrata, a Deo est, cum ipsa sit ens, et a causa bona procedat, 89, *append.;* 95 n. 13.

Actus, an dentur actus indifferentes, 220 n. 3; actus ex qualibet virtute potest esse sicut a movente et imperante, et sicut ab eliciente et informante, 402 n. 6.

Adam, cur ex eo omnes homines propagari Deus voluerit, 163 n. 3; eo non peccante, ejus corpus actu non poterat dissolvi, *ibi* n. 5; cur Deus esum ligni scientiae illi prohibuerit, 169 n. 7; in quanam rectitudine a Deo creatus, *ibi* n. 8; quonam genere cognitionis noverit Deum ante lapsum, 172 n. 16; an, si stetisset, in cognitione rerum profecisset, *ibi* n. 17; quam gratiam gratum facientem habuerit, 173 n. 20; cur ejus peccatum fuerit remissibile, 200 n. 5; cur totam humanam naturam corrumpere potuerit, 210 n. 2; an potuisset satisfacere pro posteritate sua, 211 n. 7; an primo peccato peccare venialiter, 224 n. 12.

Adoptianismi haeresis, 250 not. I.

Aequalitas divina quid, 47 n. 27; in creaturis aequalitas repugnat, 112 n. 9.

Aetates sunt septem, quae decursui vitae hominis correspondent, 9; aetas octava quid sit, 10 n. 4.

Aeternitas divina quid, 46 n. 20; 82 n. 10.

Aeternitas poenarum debetur peccato, etsi delectatio in hoc sit momentanea, 643 n. 6; 644 n. 11; facit ad complementum universi, et ad justum judicium Dei, 644 n. 7.

Affectio naturalis et gratuita qua ratione differant inter se, 173 n. 19.

Affectus est quadripartitus, 160 n. 39; multipliciter accipitur, 406 n. 15.

Affinitas quid sit, 599 n. 41.

Albanenses haeretici, 297 not. I.

Albigensium errores, 110 not. II; 213 not. I; 476 n. I; 620 not. I.

Allegoria duplex in sacra Scriptura, 14 n. 2.

Amicitia qua ratione differat a concupiscentia, 402 n. 4; 403 n. 6.

Amicorum et inimicorum dilectio ita se habet, ut ista sit perfectior quia difficilior, illa quia ferventior et frequentior, 408 n. 18.

Amor differt a caritate et a dilectione, 401 n. 1; plus dicit quam visio, 652 n. 2.

Amor divinus dupliciter dicitur possidere totum cor nostrum, 404 n. 8; dicit conjunctionem principii cum fine, 654 n. 11.

Anabaptistae haeretici, 213 not. I; 250 not. I; 486 not. I.

Anagogia duplex in sacra Scriptura, 15 n. 4.

Angeli, eorum conditio et lapsus cur in sacra Scriptura explicite non legantur, 128 n. 7; an Deus debuerit eos creare, *ibi;* a primordio suae conditionis quatuor eis sunt attributa, et cum his alia quatuor concomitantia, *ibi* et 129 n. 3; eorum definitio, 129 n. 1; non habent corpora naturaliter sibi unita, *ibi* n. 4; qua ratione sit in eis gradus simplicitatis, *ibi* n. 5; et differant inter se, *ibi* n. 6; quomodo et quid intelligant, 130 n. 9 et *append.;* quando fuerint creati, 130 *append.;* et in quonam statu, 131 *append.;* 135 n. 1; 142 n. 6; omnes creati sunt boni et liberi, 131; certam praescientiam sui casus habere non potuerunt, 135 n. 5; sunt in loco corporeo, 136 n. 11; secreta conscientiae humanae nosse nequeunt nisi per conjecturas, 137 n. 17; an corpora humana assumant, et quas in eis operationes exerceant, 143 n. 10; an sint ejusdem speciei, *ibi* n. 11; quae sit eorum locutio, 145 n. 16; an fuerint magis dilecti a Deo quam homines, 411 n. 21.

Angeli boni per gratiam et gloriam in quadruplici facultate confirmati fuerunt, 139; et secundum triplicem hierarchiam perfecte ordinati, *ibi* et 140 n. 2; 143 nn. 11—12; 144 nn. 14. 20; cur aliqua daemonibus revelent, 139 n. 24; an omnibus competat mitti, 140 n. 4; cur ipsis fuerit assignata hominis custodia, 141 n. 5; 146 n. 17; non omnino relinquunt obstinatos, quamdiu sunt viatores, 141 n. 5; ex beatificatione custoditi non augetur eorum gloria essentialis, *ibi;* neque incurrunt aliquod gloriae detrimentum ex ejusdem damnatione, *ibi;* quid sit eorum cognitio matutina et vespertina, 142 n. 8; eorum cognitio a natura et a gratia duplicatur, 143 n. 9; singuli eorum ordines per homines restaurantur, *ibi* n. 13; eorum praelatio qua ratione post judicium evacuabitur, 144 n. 15; 420 n. 9; divinae custodiae perfectio non excludit utilitatem custodiae angelicae, 146 n. 17; angelicae custodiae duodecim effectus assignantur, 146 n. 18; an supra novem eorum ordines decimus adjiciatur, 300 n. 5.

Angelus qua ratione confortaverit Christum in horto, 286 n. 12.

Anima Christi. Vide *Christus.*

Anima humana potest ad aequalitatem cum angelis ascendere, 144 n. 13; est forma beatificabilis, 150; libera, *ibi;* intelligens, *ibi;* immortalis, *ibi* et 152 n. 12; creata, 150; hoc aliquid, seu forma a se subsistens, *ibi;* unitur corpori ut perfectio per essentiam, *ibi* et 154 n. 16; 312 n. 5; et ut motor per triplicem potentiam, 150. 156 n. 19; ejus definitio, 151 n. 3; separata a corpore, quomodo res cognoscat, 153 n. 13; est tota in toto corpore, et tota in qualibet ejus parte, 154 n. 16; est forma substantialis corporis humani, *ibi* n. 18; differenti modo exercet in corpore operationes, quae sequuntur ipsam ut motorem et ut perfectionem, *ibi* n. 19; naturaliter veram appetit beatitudinem, 155 n. 26; 655 n. 13; qua ratione dicatur tabula rasa, 159 n. 35; 164 n. 7; quamdiu est in corpore, non omnino intelligit praeter corpus, 164 n. 6; est speculum, 179 nn. 11. 15; non semper per separationem a corpore novum statum ingreditur, 202 n. 7; cur Deus sibi soli animarum creationem reservaverit, 210 n. 4; cur divinam justitiam deceat animas infundere corporibus ab Ada propagatis, 211 n. 8; separata a corpore non est plene persona, 293 n. 15; in quantum est imago Dei, attingit aeternas rationes, sed diversimode in statu innocentiae, culpae et gloriae, 655 n. 15; eam non finit nisi bonum infinitum, 661 n. 29.

Animae eorum, qui per miraculum resuscitantur, adhuc a suo statu retardantur, 622 n. 1; animarum mortuorum receptaculum quadruplex, 627 n. 1.

Animalia aliter ordinantur ad hominem innocentem, aliter ad lapsum, 123 n. 9; cur in fine mundi non innovabuntur, 632 n. 10; 633 n. 14.

Anomaei haeretici, 39 not. III.

Anthropomorphitae haeretici, 40 not. VII.

Antichristus, sicut in duodecim mysteriis principalibus ostenditur Christus, ita per oppositum ostenditur Antichristus, 615 n. 1; in eo omnes malitiae conflabuntur, *ibi.*

Antidiricomariani haeretici, 269 not. I.

Apostolici haeretici, 413 not. II.

Apparere Deum quid sit, 68. 70 nn. 4. 5. 6.

Apparitiones Sanctorum supponunt recessionem eorumdem a suis receptaculis, 627 n. 1.

Appellitae haeretici, 109 not. II.
Appetitus est triplex, 123 n. 7; naturalis et deliberativus qua ratione differant inter se, 162 n. 35.
Appollinaris errores, 147 not. I; 250 not. I; 269 not. I; 621 not. II.
Appropriata in divinis quid sint, 72. 73 nn. 1. 2; 74 n. 4; cur singulis personis attribuantur, 72. 73 n. 3; 74 nn. 10. 12; 75 nn. 13. 16; 458 n. 1.
Archontici haeretici, 453 not. I.
Arianorum haeresis, 39 not. III; 269 not. I; 278 not. I; in tres sectas est divisa, 39 not. III.
Armenorum error circa baptismum, 488 not. I; quoad aquam cum vino consecrando admiscendam, 517 not. *.
Arrogantia quid, 227 n. 5.
Ars differt ab idea, verbo et exemplari, 80. 83 n. 12; 85 n. 21; 156 n. 29.
Articulus ab arctando dicitur, et accipitur dupliciter, 386 n. 1; articuli fidei quid sint, *ibi;* ratio duodenarii numeri articulorum in Symbolo ostenditur, *ibi* n. 3.
Ascensio Jesu Christi varie fuit praefigurata, 301 n. 11; devota ejusdem contemplatio, *ibi* n. 12.
Assumere et unire differunt inter se, 252 n. 1; assumptio quid dicat, *ibi* n. 3.
Attributa divina ad sapientiam reducuntur, 53 n. 44.
Attritio quid sit, 532 not. I; 539 n. 9.
Auctoritates Sanctorum non sunt trahendae ad nostram rationem, sed magis e converso, 119 n. 26.
Augmentum habet statum a virtute agente, a potentia suscipiente et a forma perficiente, 321 n. 6.
Aurea quid sit, 654 n. 4.
Aureola quid sit, 651. 665 n. 52; 666 nn. 54. 55; quibus doctoribus competat, 665 n. 49; quibus virginibus, *ibi* n. 50; quibus martyribus, 666 n. 53; non debetur voluntati secundum se, sed voluntati in opere, *ibi* n. 56.
Avaritia, ejus definitio, actus, differentiae et filiae, 227 n 6.
Averroistarum figmenta, 148 not. II.
Azyma, Christus consecravit in pane azymo, non in fermentato, ut dicunt Graecorum quidam, 516 n. 14; cur Ecclesia Romana, quae prius eucharistiam conficiebat in azymis, postmodum confecit in fermentato, et tandem ad pristinum ritum rediit, *ibi*.

B.

Baji error quoad statum primi hominis, 166 not. I; quoad opera infidelium, 317 n. I; quoad confessionem, 532 not. I.
Baltzerii error quoad animam humanam, 148 not. II.
Baptismus Christi cur non deleat originale peccatum quantum ad radicem, 216 n. 2; quando fuerit institutus, 473 n. 8; 495 n. 10; an ab ipso Christo collatus, 473 n. 8; quatuor figuris praesignatus fuit, 474 n. 10; ministris baptizantibus non dedit Deus potestatem auctoritatis, cooperationis, excellentiae, invocationis et institutionis, sed tantum ministerii, quamvis praeter primam ceteras dare potuisset, 480 n. 2; quae intentio necessaria sit ad substantiam baptismi, *ibi* n. 3; ficte baptizare nunquam licet, 481 n. 4. not. *; collatus ab haereticis in forma Ecclesiae est baptismus, 482 n. 11; an sub conditione conferendus sit haereticis, qui ad catholicam fidem se convertunt, 483 n. 12 not. *; ad ejus integritatem quid requiratur, 486; errores contra ejus essentiam, *ibi* not. I; necessitatem, *ibi;* materiam, tum proximam, tum remotam, 487 not. I; formam, *ibi;* ministrum, *ibi;* subjectum, *ibi;* effectus, *ibi* not. I; et 489 not. II; triplex distinguitur baptismus, scilicet flaminis, fluminis et sanguinis, 489 n. 1; baptismus flaminis sine baptismo fluminis sufficit, dummodo sit impeditus, et voluntatem habeat recipiendi baptismum fluminis, 490 n. 1; baptismus fluminis excedit extensive baptismum sanguinis, *ibi;* in baptismo tria sunt, quoddam sacramentum tantum, quoddam tantum res, et quoddam sacramentum et res sacramenti, 491 n. 2; ejus definitio, *ibi;* in forma mutatio nominis et numeri, additio distrahens, corruptio auferens sensum, et interpositio actum discontinuans, impediunt baptismum; aliter hi modi non impediunt, neque transmutatio errorem non induens, *ibi* n. 3; an possit dari existentibus in utero, 492 n. 5; fictus accedens ad baptismum recipit sacramentum, sed non rem sacramenti, 493 n. 6; recedente fictione, consequitur effectum suum, *ibi;* quando coactus recipiat vel non baptismum, *ibi* n. 7; sanctificatus in utero debet baptizari tum propter bonum obedientiae, tum propter humilitatem, tum propter unitatem, *ibi* n. 8; per baptismum omnis culpa deletur, et homo in pristinam innocentiam restituitur quantum ad animam; et id triplici congruitate ostenditur 494 n. 9; non tamen omnis poena contracta deletur, licet omnis poena aeterna, atque assumpta, sive satisfactoria, deleatur, ad manifestandam aequitatem divini judicii, ad demonstrandum fructum passionis Christi, ad promovendum meritum liberi arbitrii, *ibi;* quoad characterem et peccatorum deletionem per gratiam, in omnibus aequalem habet effectum, licet quoad habilitationem ad gratiae bonum plus recipiat magis dispositus, *ibi;* Apostolis licuit baptizare in nomine Christi, sed non licet modo nobis, 495 n. 13; cur verbum *baptizandi* sit de necessitate formae, *ibi* n. 14; unitas vel multitudo immersionum non est de substantia baptismi, *ibi* n. 15; unus potest simul plures baptizare, non plures unum, *ibi* n. 17; convenienter in aqua institutus fuit, *ibi* n. 18; 496 n. 19; quae non de novo aliquam proprietatem absolutam recepit, sed solum novam ordinationem, *ibi;* requiritur aqua naturalis, 497 n. 20; cur voluerit Deus, ut per baptismum immortalitas carnis non restitueretur, *ibi* n. 22; tres sunt effectus baptismi, *ibi* n. 23; ad baptismum necessaria est fides alicujus articuli, et efficaciam habet a fide Ecclesiae, *ibi* n. 24; an dormiens et furiosus valide baptizentur, 498 n. 24; an in baptizando adulto necessaria sit contritio, *ibi* n. 25; prodest parvulis merito fidei Ecclesiae militantis, *ibi* nn. 26. 27; ordo eorum, quae fiunt ad solemnitatem baptismi, et mystica eorumdem significatio, 499 n. 28; triplici ex causa iterari non potest, 538 n. 4; an, dubio baptismate, validum sit matrimonium, 601 n. 45 not. **.
Baptismus Joannis, ejus primus institutor fuit Deus, sed Joannes fuit administrator plenarius et praecipuus, 472 n. 7; fuit institutus ad praefigurandum baptisma Christi, ad assuefaciendum ad ipsum, et ad ipsum annuntiandum, sed non ad efficiendum, *ibi;* cur baptizati baptismo Joannis rebaptizandi erant, *ibi;* cum esset praeparatorius ad baptismum Christi, cur non statim Joannes baptizare cessaverit, ex quo Christus incepit, 473 n. 7; an potior fuerit baptismo Christi, *ibi* et 486 not. I; an daret gratiam, 473 n. 7.
Baptismus sanguinis. Vide *Martyrium.*
Basilidis haeresis, 110 not. III.
Beati vident ipsum luminis fontem, et quodammodo ab illius claritate absorbentur, 277 n. 6; eorum scientia superat fidem, 388 n. 7; visione Dei fruuntur, 656 n. 16; an laudent Deum vocaliter, 668 n. 61.
Beatitudines dicuntur habitus animam perficientes, 342 n. 3; 375 n. 2; licet dona et beatitudines aliquo modo sint connexa, non tamen tantam habent connexionem, quantam retinent virtutes, 359 n. 2; sunt septem, et quare, 372; clarissime refulgent in Jesu Christi passione, 375 n. 1; cur Lucas quatuor tantum posuerit, octo vero Matthaeus, 376 n. 6.
Beatitudo triplex praemium complectitur, 650; dicitur dupliciter, 654 n. 8; completur in tribus animae dotibus, 660 n. 22; non tamen erit perfecta, quousque anima resumat corpus, 661 nn. 31. 32. 33; non omnes sensus in corporibus glorificatis erunt in suo actu, 664 n. 46; 665 n. 48; in quo actu consistat, 670 *append.*
Beatum aliquid potest esse tripliciter, 402 n. 5.
Beguardorum sive Beguinorum errores, 110 not. II; 400 not. IV; 415 not. IV.
Beneficia ecclesiastica, in iis conferendis attendenda est meriti dignitas, 406 n. 15.
Berengarius omnium primus eucharistiam impugnavit, 506 not. I.
Bigami quinam sint, et cur irregulares censeantur, 574 n. 42.
Blasphemia quid sit, 228 n. 10.
Bona gratuita sunt diligenda ex caritate, 403 n. 5; qua ratione sint deleta in malis, 617 n. 9.
Bonitas operis triplex esse potest, 322 n. 9.
Bonum quid dicat, 74 n. 6; 155 n. 29; 192 n. 7; 539 n. 5; triplex in bonis reperitur, 192 n. 7; majus dicitur dupliciter, 327 n. 20.

C.

Caelestia influunt in terrestria quantum ad effectivam productionem, in terrestria et elementaria quantum ad distinctivam significationem, 121; non tamen certe signant futura contingentia, neque influunt in liberum arbitrium, *ibi;* post judicium quiescent, et in eo ordine, quo creata sunt, stabunt, 632 n. 9; qua ratione dicantur in fine mundi remunerari, *ibi* n. 10.
Caligo, in quam anima rapitur, quid sit, 382 nn. 18. 19. 20.
Calixtini haeretici, 506 not. I.
Calvini haeresis contra praedestinationem, 92 not. IV; quoad statum protoparentis, 166 not. I; et ejus tentationem, 195 not. II; quoad cultum erga Crucem, 270 not. I; contra merita Christi, 278 not. I; contra ejus descensionem ad inferos, 297

not. I; quoad baptismum, 486 not. I; quoad confirmationem, 501 not. I; quoad eucharistiam, 506 not. I; quoad poenitentiam, 531 not. I; quoad ecclesiasticas censuras, 536 not. IV; quoad indulgentias, *ibi;* quoad ordinem, 558 not. I; quoad purgatorium, 620 not. I.

Caritas divinae essentiae quid, 47 n. 25.

Caritas est finis totius sacrae Scripturae, 38 n. 10; habitus informans est habitus creatus, 310 n. 1; comparatur humori, 313 n. 13; an differat essentialiter a gratia, 314 n. 25; opera extra caritatem facta non sunt totidem peccata, imo aliquando valent ad multa, 317 not. I; 325 n. 13; 356 n. 25; augetur per appositionem, 320 n. 5; secundum substantiam non minuitur, 321 n. 5; habet terminum in augmento, tum ex parte agentis a proposito operantis, tum ex parte suscipientis, *ibi;* caritas quantulacumque potest resistere quantaecumque tentationi, tum propter Dei auxilium, tum propter voluntatis libertatem; sed non attento vitio difficultatis ad bonum et pronitatis ad malum, 324 n. 12; est radix merendi, 325 n. 14.; non potest esse informis, 354 n. 19; ad ejus dulcorem septem gradibus anima pervenit, 381 n. 17; differt ab amore et dilectione, 401 n. 1; ejus definitionis explicatio, *ibi* n. 3; aliquid diligi ex caritate tripliciter esse potest, 403 n. 5; quinam a dilectione caritatis excludantur, *ibi;* quatuor sunt diligenda ex caritate, 404 n. 6; Dei dilectio non excludit penitus quemcumque affectum extraneum, *ibi* n. 7; caritas est principium sive caput, et forma sive vinculum, et finis omnium virtutum, 405 n. 12; est vinculum ligans, *ibi* n. 13; in diligendo ordinate procedit, *ibi* n. 14; duplex ordo in ea attenditur, 406 n. 14; nec omnem affectum, nec omnem effectum ordo caritatis uniformiter respicit, *ibi* n. 15; semel habita, amitti valet in statu viae, 409 n. 20; caritatem amittens, atque iterum resurgens a peccato, aequalem priori acquirere potest, *ibi;* et potest etiam in majori vel minori resurgere, *ibi;* caritatis status non semper obligat ad ea, quae perfectionis sunt, 431 n. 29; triplicem statum habet, 433 n. 32; status perfectae caritatis in quo consistat, 437 n. 2; ad eum sex sunt gradus: suavitas, aviditas, saturitas, ebrietas, securitas et tranquillitas, *ibi;* in patria non evacuatur, sed potius consummatur per gloriam, 658 n. 19; imo dilatabitur quoad liberalitatis magnitudinem, *ibi;* ejus ordo essentialis remanebit, licet ille, qui attenditur ratione substratae naturae, non remaneat, 659 n. 19.

Castitas, media ad eam acquirendam, 418 n. 4; 597 n. 33; triplex est ejus gradus, 418 n. 4.

Casus quomodo detur, 85 n. 22; 93 n. 7.

Catechismus propter duo in adultis praecedit baptismum, 500 n. 29.

Catholici-Liberales vide *Liberalismus.*

Causa differt a ratione causae, 82 n. 5.

Censurae ecclesiasticae a quibus impugnatae, 536 not. IV; cur in Ecclesia sit potestas eas ferendi, 548 nn. 34. 36.

Cerdonis haeresis, 109 not. II.

Cerinthi haeresis, 257 not. I; 297 not. I; 413 not. I; 621 not. II.

Certitudine scientiae nemo scit, nisi per revelationem, se vere poenituisse; bene tamen certitudine conjecturae, 546 n. 20.

Certitudo, ad certitudinalem cognitionem requiritur immutabilitas ex parte scibilis, et infallibilitas ex parte scientis, 79 not. *; duplex est, speculationis et adhaesionis, 346 n. 7; 388 n. 7.

Character est in anima, 484 n. 1; assimilat principaliter Christo, 485 n. 2; ejus perpetuitas unde sumatur, *ibi* n. 3; est habitus, *ibi* n. 4; est signum interius distinctivum, *ibi* nn. 5. 6; 486 n. 7; in omnibus ordinibus imprimitur, 567 n. 5; in quo signo imprimatur, *ibi* n. 8; diversi characteres ordinum non sunt essentialiter ordinati, 569 n. 12; in diversis ordinibus diversi imprimuntur, 570 n. 14.

Chirographum culpae et decreti quid, 295 n. 17; Christus post passionem suam ipsum delevit, *ibi.*

Christus est via ad intelligentiam Scripturarum, 2. 3 n. 1; 11. 12 n. 3; 25 n. 4; 367 n. 20; 377 n. 9: 379 n. 14; est centrum in medio Scripturarum, 8 n. 2; 127 n. 6; est circulus perfectissimus, 255 n. 14; quia omnes considerationes a Christo sunt, et ad Christum reducuntur, 379 n. 14; fuit medium septiforme, 12 n. 4; in veteri testamento praesagiebatur figuris, praemonstrabatur exemplis, promittebatur patribus, praedocebatur sapientialibus documentis, prophetabatur oraculis, 15 n. 8; 266 n. 3; est doctor internus, et habet clarissimas species apud se, et leges justissimas, et normas directissimas, 85 n. 21; est liber scriptus intus et foris, 167. 168 n. 5; hierarcha praecelsus et admirabilis, 246 n. 5; 379 n. 14; in eo est duplex ratio exemplaritatis, aeternae et temporalis, 247 n. 9; actus multiformes ab eo refulgent, *ibi;* cur non possit dici duo supposita, 255 n. 14; est filius naturalis secundum utramque nativitatem, 256 n. 20; licet conceptus de Spiritu sancto, non tamen dicendus filius Spiritus sancti, 260 n. 8; cur ejus corpus ad quantitatem molis perfectam per successionem temporis fuerit deductum, 262 n. 15; in duodecim mysteriis principaliter ostenditur, 266 n. 3; ostenditur etiam per visum, per signum et per factum, 267 n. 3; in eo fuit plenitudo omnis gratiae, scilicet personalis, unionis et capitis, 269. 274 n. 9; est adorandus latriae cultu, 272 n. 6; cur dicatur caput Ecclesiae, 274 n. 9; 407 n. 17; per ipsum Deus adoptavit nos in filios, 274 n. 11; cognovit res in arte aeterna, in mente sua et in proprio genere, 275; an ejus anima tot cognoscat, quot ipsum Verbum cognoscit, 276 n. 2; eodem habitu, quo cognoscit ipsum Verbum, cognoscit res in Verbo, 277 n. 3; cognoscit Verbum per sapientiam creatam, *ibi* n. 4; plura cognoscit in habitu, quam consideret in actu, *ibi* n. 5; videt ipsum luminis fontem, et quodammodo ab ejus claritate absorbetur, *ibi* n. 6; immensitatem Verbi increati comprehendere non potest; et tamen ipsum totum cognoscit, *ibi* n. 7; ejus cognitio experimentalis differebat in duobus a profectu cognitionis nostrae, 278 n. 8; in eo fuit omnis meriti perfectio et plenitudo, 278; ejus nominis clarificatio in quo consistat, 280 n. 4; an meruerit sibi substantiale praemium, *ibi* n. 7; ut esset Dei et hominum mediator, simul debuit esse comprehensor et viator, *ibi* n. 8; qua ratione meruerit ab instanti conceptionis suae, *ibi* n. 9, qua ratione ejus praedestinatio sit causa exemplaris et efficiens nostrae praedestinationis, 281 n. 11; debuit assumere humanam naturam, et etiam defectus circa eam, sed non omnes, 282. 284 n. 3; nec qualitercumque, 282. 285 n. 7; in qua natura fuerit mediator, 283 n. 1; congruum fuit Christum assumere naturam nostram cum defectibus et passibilitatibus, propter pretium nostrae salutis, propter exemplum virtutis et propter fulcimentum nostrae fragilitatis, 285 n. 6; passiones in Christo fiebant secundum legem naturae, non tamen coacte, sed voluntarie, *ibi* n. 8; ejus animae non potuit communicari omnipotentia, *ibi* n. 9; decuit ipsum orare, propter meritum, virtutis exemplum, veritatis argumentum et officium explendum, 286 n. 11; cur oraverit ad Patrem in horto, *ibi* n. 13; ejus oratio in horto quantum ad materiam fuit sensualitatis, sed quantum ad formam et discretionem fuit voluntatis rationalis, *ibi* n. 14; et triplex, 287 n. 17; ejus voluntates fuerunt conformes in volendi ratione, licet non in volito, *ibi* n. 15; in eo plures sunt voluntates, *ibi* n. 18; delectatio divinitatis quo modo fuerit remota in morte ab anima Christi, 291 n. 7; duplex dolor fuit, passionis et compassionis, 292 n. 9; ejus dolor fuit acerbissimus ex modo patiendi, ex causa passionis, et ex conditione patientis, *ibi* n. 10; ejus vincula quomodo imitanda, *ibi* n. 11; ejus caro, post animae separationem, mortua fuit, 293 n. 12; non tamen divinitas fuit separata a carne, triplici ex ratione, scilicet ratione liberalitatis a parte assumentis, dignitatis a parte assumptibilis, utilitatis a parte assumptionis, *ibi* n. 13; neque anima fuit separata a Verbo, quia nec Deum decebat, nec nobis expediebat, nec illi animae congruebat, *ibi* n. 14; in triduo secundum esse actuale non fuit homo, *ibi* n. 16; ejus corpus per triduum requievit in sepulchro, 294 n. 17; Christi morientis et translanceati devotissima contemplatio, 296 n. 22; quatuor de causis cicatrices servare voluit post suam resurrectionem, 299 n. 1; descendit ad inferos propter vinctorum consolationem et adversariorum confusionem, *ibi* n. 3; in eo, cum eo, per eum et secundum eum convivificavit nos Deus, *ibi* n. 4; cur nonnisi animas electorum suorum liberaverit, 300 n. 7; januam caeli aperuit, *ibi* n. 9; ascendit in caelum, ut dona sua mitteret, 303 n. 20; per missionem Spiritus sancti fuit hierarcha purgans, illuminans et consummans, *ibi;* est principium recreativum, 331; ab eo triplex fructus oritur, nempe gratiae, justitiae et sapientiae, 379 n. 14; et fructus gratiae quadruplicis, *ibi;* et triplex fidei firmitas, 392 n. 13; magis fuit dilectus a Deo, quam genus humanum universum, 412 n. 21; fuit perfectus pigmentarius, qui attulit unctionem spiritualem et virtutem vitalem, 465 n. 4; omnia per ipsum instaurata sunt, 468 not. II; an in propria persona baptizaret, 473 n. 8; eucharistiae sacramentum tantum sacramentaliter sumpsit, non sumendo rem sacramenti, quod in exemplum fecit, *ibi* n. 9; tradidit discipulis corpus suum mortale et passibile in coena, licet ibi non poterat passio illi inferri, quia in sacramento erat impassibiliter, 524 n. 27; in finali judicio non videbitur in forma deitatis nisi a bonis, 615; ejus potestas judiciaria secundum divinitatem est per naturam, secundum humanitatem per gratiam, 619 n. 16; apparebit in forma gloriosa non tantum bonis, sed etiam reprobis, *ibi* n. 18; est causa efficiens et exemplar nostrae resurrectionis, 637 n. 4; cur dicatur manus, brachium et dextera Patris, 666 n. 54; est finis optatus, 668 n. 63.

Circumcisio cur inter omnia sacramenta legis fuerit efficacius sacramentum, 459 n. 5; cur data fuerit ante legem, *ibi;* data fuit in remedium et in signum, *ibi;* ob duplicem rationem, literalem et spiritualem, confirmata fuit sub Josue, magis quam sub Moyse, *ibi;* conferebat gratiam habilitantem ad bonum, licet parvulam respectu ejus, quae datur in baptismo, 460 n. 7.
Circumincessio quid, 47 n. 30.
Clandestinitas tempore Seraphici matrimonium non dirimebat, 576 not. *; 585 n. 5, not. *; decisiones sanctae Sedis ad eam spectantes, 585 n. 5, not. *.
Clavis spiritualis est triplex, 546 n. 24.
Coactio est duplex, 493 n. 7; 592 n. 30.
Cognatio legalis, quid et quotuplex sit, 598 nn. 37. 40.
Cognatio spiritualis, quid et quotuplex sit, 598 nn. 38. 40.
Cognitio, duplex est ordo cognitionis, 23 not. I; ejus prima principia, 79 not. *; 156 n. 30; cognitio Dei in creatura et per creaturas quomodo differat, 126 n. 1; 179 nn. 13. 16; fit per abstractionem, 155 n. 27: duo ad eam concurrunt, 156 n. 30; an habitus cognitivi sint innati vel acquisiti, *ibi* et 170 n. 9; incipit a sensibus, 156 n. 30; 172 n. 16; non tamen omnis est a sensu, 172 n. 15; quomodo cognitio humana differat a gratuita, 173 n. 19; cognitio per imaginem quid sit, 176 n. 3; est multiplex, 275; 655 n. 15; cognitio Dei sub ratione veri tripliciter haberi potest, 363 n. 9.
Cognitum, qua ratione adaequari porteat cognoscibili, 660 n. 23.
Collyridiani haeretici, 270 not. I.
Communio quotidiana non est de jure divino, 508 not. I; quid de ea sentiat Ecclesia, *ibi.*
Communismus quid sit, 219 not. II; 414 not. III; 580 not. IV.
Conceptio Immaculata B. M. V., quid de ea senserit Seraphicus, 214 not. *; dogmatica Pii IX definitio, 215 not. *; an B. Virgo constituta specialiter fuerit sub Christo capite ante vel post praevisionem lapsus Adae, Ecclesia nihil definivit, *ibi.*
Concordia inter auctoritatem sacram et civilem in quo reponenda, 535 not. III; utique maximae est utilitatis, *ibi.*
Concupiscentia, quae remanet post baptismum, in quo ponenda sit, 217 n. 5; cur remaneat, *ibi* n. 6; duo dicit, *ibi;* 430 n. 27; augetur per illicitum consensum, 217 n. 6.
Concupiscibilitas quid, I. 155 n. 26; 160 n. 39.
Confessarii munus non temere est suscipiendum, 548 n. 31.
Confessio non est necessaria ad justificationem impii, si haec dicatur gratiae infusio, 335 n. 12; an spectet ad legem naturae, 540 n. n. 10; confessio vocalis, ut sacramentum, est solius legis evangelicae, nec praecessit in lege veteri, nisi in figura, quia illi legi non competebat, *ibi;* non est contra naturam, *ibi;* ejus multiplex utilitas, *ibi;* cur debeat esse occulta, 546 n. 21.
Confirmatio, ad ejus integritatem quid requiratur, 501; in Ecclesia Graeca confertur etiam a presbyteris, *ibi;* quam gratiam conferat, 502 n. 1; 504 n. 8; a solis episcopis est conferenda, quia sunt praelati in Ecclesia principales, 503 n. 2; pro causa tamen necessaria summus Pontifex potest alii quam Episcopo committere munus confirmandi, 478 not. **; 503 n. 2; est necessaria necessitate conditionata, 503 n. 3; gratia baptismi et confirmationis respectu effectus est diversa, 504 n. 7.
Conformitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 29.
Consanguinitas quid sit, 597 n. 36; distinguitur ab affinitate, 599 n. 41.
Conscientia quid sit, 170 n. 10; differt a synderesi, *ibi* n. 11.
Consensus verus vel interpretativus, quis, 225 n. 18; consensus praesumptus quando secundum faciem Ecclesiae faciat matrimonium, 591 n. 27; quid si consensus fuerit in absentem, et consentiens postea poenituerit, *ibi;* consensus coactus non facit matrimonium, 592 n. 30.
Conservatio creaturae duplici ex ratione necesse est, ut a Deo sit, 113 n. 12.
Consilia evangelica, vide *Obedientia, Paupertas, Virginitas.*
Consilium plura dicit, 363 n. 8.
Contemplatio, vita contemplativa in quibus differat ab activa, 179 n. 12; ad hoc quod mens Deum perfecte contempletur, indiget purgari quoad intellectum et affectum, *ibi* n. 15; contemplando ad veram sapientiam pervenitur, 366 n. 15; quia purgamur, illuminamur, perficimur, *ibi;* ejus definitio, 367 n. 19; tres sunt ejus species, 377 n. 9; contemplativus cadit per errorem et per praesumptionem, 381 n. 15. Vide etiam *Gradus.*
Continentia clericorum valde rationabiliter ab Ecclesia fuit statuta, 596 n. 33.
Contingentia cognitorum simul stat cum infallibilitate divinae praescientiae, 80. 85 n. 21; 367 n. 20.
Contritio praecedit remissionem culpae, 336 n. 13; dupliciter potest dici, 539 n. 7; an sit successiva, vel in instanti, *ibi;* est dolor per essentiam, *ibi* n. 8; differt a compunctione, *ibi* n. 9; an semper sit necessaria, 542 n. 12; quoad sensum non oportet, ut sit maxima, 543 n. 15; an possit esse nimia, *ibi* n. 16; ratio ejus nominis, *ibi;* quid ad eam sufficiat, 544 n. 17; cum timore divini judicii et ardore interni desiderii associanda, *ibi* n. 18; qua ratione intendatur et augmentum sumat, *ibi* n. 19; contritio ad indulgentias consequendas praescripta, quomodo intelligenda, 552 n. 39 not. *.
Contumax quis dicatur, 549 n. 35.
Copula carnalis an sit de integritate matrimonii, 590 n. 18; 594 n. 31.
Cor SS. Jesu latreutico cultu est dignum, 270 not. I.
Corona clericalis quid significet, 566 n. 2; 567 n. 6; in ejus susceptione renuntiatur temporalibus tantum quoad affectionem, 566 n. 3; est dispositio ad sacramentum, *ibi* n. 4.
Corpora nostra, quare ex eorum ineptitudine ligetur liberum arbitrium, 164 n. 6; ex caritate sunt diligenda, 402 n. 5; triplex est ratio, cur non oportuit dari speciale mandatum de dilectione proprii corporis, 404 n. 10; eorum pulveres an in elementa resolvantur, 636 n. 2; eorum glorificatio qua ratione faciat ad augmentum gaudii, 661 n. 33; cur in statu praemii sequantur locum spiritus, 663 n. 41.
Corpus primi hominis fuit creatum animae proportionabile quoad complexionem aequalem, organizationem pulcherrimam et multiformem, et staturae rectitudinem, 162; subjectum, obtemperans sine rebellione, propagans sine libidine, vegetabile sine defectione, 163; immutabile ad omnimodam incorruptionem, *ibi* et 164 nn. 5. 8. 9; ordo hominis, sive in se, sive ad creaturam inferiorem, sive ad creaturam superiorem, sive ad Deum, requirebat, ut ejus corpus de limo terrae formaretur, 165 n. 4.
Creatio, cur Deus maluerit per successionem temporum res creare, 114. 118 n. 25; finis principalis creationis est Dei gloria, 116 n. 14.
Creatura omnis producta est in esse per artem, 86 n. 25; ex tempore, de nihilo, ab uno principio, solo et summo, in certo pondere, numero et mensura, 110. 113 n. 15; est bona, 113 n. 14; multiplex *ibi* n. 16; in triplici differentia, 118 n. 22; et in septiformi conditione, 127 n. 5; quaelibet habet in se successionem sine aliqua innovatione circa esse, 154 n. 15; ducit in divinam cognitionem per modum umbrae, vestigii et imaginis, 176 n. 5; 177 n. 6; 178 n. 9; comparari habet ad Deum secundum causam efficientem, formalem et finalem, 191 n. 2.
Creatura rationalis cur nata sit ordinari in Deum immediate, 191 n. 1.
Creaturae irrationales non sunt diligendae proprie ex caritate eliciente, licet possint diligi ex caritate imperante, 402 n. 6; ad quid factae sint, 632 n. 10.
Credere Deum, credere Deo et credere in Deum inter se differunt, 387 n. 4.
Credibile est duplex, 38 n. 11; 397 n. 22.
Crux, qua ratione Cruci competat cultus latriae, 272 n. 6; multipliciter fuit praefigurata in veteri testamento, 290 n. 1.
Cultus quotuplex sit, et quibus debeatur, 269 not. I; 272 n. 6.
Curiositas quid, 227 n. 5.

D.

Daemones Lucifero consentientes, quid appetierint, 136 nn. 7. 8; cur ita modicum tempus merendi iis praefixum fuerit, ut non haberent spatium redeundi, *ibi* n. 9; locus eorum usque ad diem judicii est aër caliginosus, 137 n. 13; sunt obstinati in malo, *ibi* n. 16; excaecati a vero, *ibi* n. 17; 138 n. 19; deordinati in se, 137 n. 18; et in operatione contra homines, 138 n. 19; eorum opera quomodo discernantur a veris miraculis, *ibi* n. 21; cur Deus permittat eos corpora humana obsidere et vexare, *ibi* n. 22; aliqua praesciunt ab angelis sanctis, *ibi* n. 24; in eis non est fides informis, prout est habitus virtuosus, infusus et voluntarius, 353 n. 18; non sunt diligendi ex caritate, quia eorum culpa inseparabiliter eis adhaeret, 403 n. 6; ex parte justitiae Dei, gloriae Christi, meriti, et confirmationis supplicii judicabuntur in die judicii judicio condemnationis, 616 n. 5.
Damnati non sunt diligendi ex caritate, 403 n. 6; damnati propter peccatum originale vel actuale mox ad inferos descendunt, 641 not. I; utrum nolint peccasse, 644 n. 9; an eorum affectiones remittantur, 647 n. 22; nunc tantum electorum gloriam considerant, nam post judicium a poenis absorbebuntur, *ibi* n. 24; adeo excaecati erunt tenebris spiritualibus, ut non

cognoscant nisi quod eos possit cruciare, *ibi;* poena etiam vermis affligentur, 648 n. 25; an mallent non esse, quam sic esse, *ibi* n. 25.
Darwinismus quid sit, 114 not. I.
Debitum, qua ratione in Deum cadat, 322 n. 9.
Decimationes in lege naturae cur institutae, 459 n. 6.
Definitiones dogmaticae non sunt novorum credibilium additiones, sed implicitorum explanationes, 394 n. 20; et fiunt propter veritatis exhibitionem, majorem gratiae diffusionem atque planiorem institutionem, *ibi.*
Deformitas in anima quid, 216 n. 1.
Deiformitas gloriae in quo consistat, 654 n. 15.
Descendere Deum quid significet, 69.
Desiderium quiescendi cum Christo non semper est signum perfectionis, 381 n. 16.
Desperatio quando sit peccatum in Spiritum sanctum, 236 n. 11.
Detestatio culpae dupliciter fieri contingit, 332 n. 1.
Deus habet rationem triformis causae, scilicet originantis, exemplantis et finientis, 10 n. 1; sentiendum est de eo altissime, piissime et sanctissime, 41. 49 n. 33; ipsum esse adeo est verum, ut non possit cogitari ipsum non esse, 52 n. 42; est in eo praedicatio per identitatem et per inhaerentiam, 62 n. 7; multiplici modo est praesens cuilibet rei, 69 n. 1; 82 n. 9; 84 n. 16; omnia dicuntur esse ex Deo, per Deum et in Deo, 69 n. 1; est ratio intelligendi, 82 n. 10; in eo res tripliciter sunt, 75 n. 15; 83 n. 13; in eo res sunt vita, 83 n. 12; alia a se cognoscit in se, *ibi* n. 14; et per se, *ibi* n. 15; increate, *ibi* n. 16; aeternaliter, 84 n. 17; immutabiliter, *ibi* n. 19; infallibiliter, *ibi* n. 20; est causa una et summe simplex, *ibi* n. 21; cur sit in omnibus rebus, 85 n. 1; et quot modis, 86 n. 4; 100 n. 18; cognoscit omnia distinctissime, *ibi* n. 23; etiam mala, licet in eo ipsa non sint, *ibi* n. 24; ideae in eo non sunt in numero finito, *ibi* n. 28; qua ratione dicatur causa, *ibi* n. 30; in statu innocentiae videbatur in speculo claro, in statu miseriae videtur in speculo obscurato, in statu gloriae perspicue, 126 n. 2; 172 n. 16; 655 n. 15; cognoscitur per creaturas, 126 n. 2; licet sit causa immediata omnium, quorundam tamen est tota causa, quorundam vero est causa cum alia causa, 210 n. 3; ex magnis malis elicit majora bona, 212 n. 13; aliquo modo ita est vita animae, sicut anima est corporis, 314 n. 24; ejus nomen primum est esse, 397 n. 22; omnis creatura et ratio proclamant ipsum esse, *ibi;* idipsum probatur etiam ratione ordinis, originis et completionis, *ibi;* ei debemus reverentiam, benevolentiam et complacentiam, 436 n. 2; ipse solus seipso perfecte fruitur, 654 n. 3; utrum in patria videatur per medium, an sine medio, 655 n. 16; 670 *append.;* quadruplici genere cognitionis cognoscitur, nempe per fidem, per contemplationem, per apparitionem et per apertam visionem, 656 n. 16; tripliciter ab homine diligitur, 658 n. 18.
Devotio quid sit, 437 n. 3; ejus fructus, *ibi;* in omni oratione est quaerenda, 438 n. 4.
Dicere in Deo dupliciter accipitur, 256 n. 18.
Dies creationis praefigurant tempora futura, 9. 114. 267 n. 6; dupliciter computatur dies in sacra Scriptura, 115 n. 3; cur oportuit fieri dies ac noctes, 117 n. 19; tropologice et allegorice per eos intelligitur virtus septiformis Spiritus, 118 n. 23; Augustini opinio circa eos, *ibi* n. 25; iis respondent sex, quae requiruntur ad hominis perfectionem, 375 n. 3; et ad ejus intellectus illustrationem, 377 n. 9; respondent perfectioni omnium divinorum operum ad extra, 668 n. 64.
Differre ratione est tripliciter, 66 n. 27.
Dilectio qua ratione in divinis accipiatur, 59 n. 30; differt a caritate et ab amore, 401 n. 1.
Dilectio Dei ad creaturam est affectus communicatio, 151 n. 4; est exemplar nostrae dilectionis, 410 n. 21; creaturae non solum temporaliter, sed et aeternaliter a Deo diliguntur, *ibi;* Deus omnes creaturas generali quadam dilectione diligit, cum naturalia dona unicuique communicet, licet non omnibus det dona gratuita, *ibi;* omnes diligit aequali dilectione quantum ad actum essentialem, sed non quantum ad efficaciam, *ibi;* dilectio Dei in se est fruitio, relate ad creaturas potest dici usus, 411 n. 21; Deus quantum ad effectum reparationis magis hominem quam angelum dilexit; sed quoad conditionis effectum plus dilexit angelum, *ibi*; plus dilexit Christum, quam genus humanum universum, 412 n. 21.
Discretio personalis principaliter dicit quid substantiale, 130 n. 8.
Disparitas cultus, an ab hujusmodi impedimento dispensari possit, 601 n. 45 not. *.
Dispensatio quid sit, 595 n. 32.
Distinctio a discretione et a diversitate differt, 42 n. 2; est duplex, 64 n. 17; quomodo in Deo sit distinctio suppositorum, 65 n. 24; 66 n. 26.
Diversitas quid significet, 42 n. 2.
Divisio quid sit, 42 n. 2.
Divortia quas ob causas fiant licita, 582. 603 n. 48; a quibus indiscriminatim permissa, 582 not. VI; quanti materiam mali contineant, *ibi.*
Dolor contritionis, quoad sensum, non est necesse ut sit maximus, 543 n. 15.
Domestici caritatis ordine in dilectione extraneis sunt praeferendi, 406 n. 14.
Domini terreni, Christiani in quibus teneantur ipsis obedire, 421 n. 9. Vide *Potestas.*
Dominium non opponitur libertati et aequalitati hominum, 419 n. 9.
Dominus non idem significat ac Deus, 38 n. 8.
Dona gratis data in homine ante et post lapsum se habent sicut excedentia et excessa; gratum facientia vero aequalia sunt, si perfectionem dicant, 383 n. 5; nunc sunt efficaciora quam in statu innocentiae, ratione difficultatis, et ratione gratiae et caritatis, non tamen ratione promptitudinis voluntatis, *ibi.*
Dona Spiritus sancti quoad status consequentes sunt virtutibus excellentiora, licet in comparatione ad gratiam informantem sint aequalia virtutibus, 341 n. 2; dona et virtutes differunt ab invicem, et quare, *ibi* n. 3; quadruplex est modus assignandi differentiam inter virtutes et dona, *ibi;* dicuntur habitus expedientes, 342 n. 3; ex septiformi ratione necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia, 357. 371 n. 23; in donis est ordo secundum gradum excellentiae et dignitatis, 358 n. 1; et cum ordine etiam combinatio, *ibi;* dona et beatitudines aliquo modo sunt connexa, 359 n. 2; devotissima oratio ad ea postulanda, 372 n. 24; disponunt ad perfectionem, 373.
Donatistae schismatici, 476 not. I; 486 not. I.
Donum in divinis proprie dicitur de Spiritu sancto, 58 n. 29; dupliciter accipitur, 319 n. 2.
Dotes corporis gloriosi quid sint, 654 n. 5; sunt secundum plus et minus, *ibi* n. 6; quot sint, et quae, 662—664 nn. 34—43.
Duliae cultus quid, 272 n. 5.

E.

Ebionitae haeretici, 257 not. I; 413 not. I; 507 not. I.
Ecclesia multis modis humanarum artium culturam promovet, 24 not. I; Ecclesiae sensus in dogmatibus perpetuo retinendus, *ibi;* ejus definitio, 423 n. 13; 573 n. 37; habet potestatem ferendi censuras, 535 not. IV; 548 nn. 34. 36; et largiendi indulgentias, 550 nn. 38. 39; non judicat nisi de baptizatis, 552 n. 41; infallibilitate gaudet, 559 not. I; 572 nn. 23. 28; errores contra ejus jura damnati in *Syllabo,* 560 not. I; duplici ratione necessarius est ordo in ea, 565 n. 1; cur Spiritus sanctus disposuerit, ut Ecclesia temporalibus abundaret, 566 n. 3; ab ea procedunt admonitiones et comminationes, 572 n. 32; ad eam spectant causae matrimoniales, 579 not. IV; 603 nn. 46. 47. Vide *Infallibilitas, Papa, Petrus, Potestas spiritualis* et *Primatus.*
Ekkardi doctrina haeretica, 660 n. 24 not. *.
Electio tripliciter dicitur, 98 n. 20; attenditur in consilio, judicio et desiderio, 313 n. 15.
Eleemosyna est pars satisfactionis, 541 n. 12; an ad hoc sufficiat eleemosyna de superfluo, 542 n. 11.
Elementa qua ratione innovari dicantur in fine mundi, 633 n. 13.
Emanationes, Verbi emanatio intelligitur prior emanatione Spiritus sancti, 43 n. 11; in divinis duae sunt, per modum naturae et per modum voluntatis, 53; differunt ab iis, quae sunt in inferioribus, 55 n. 9.
Encratitae haeretici, 507 not. I.
Episcopatus an sit ordo a presbyteratu specie distinctus, 569 n. 13.
Episcopi cur chrismate, et in capite ungantur, 505 n. 11; 568 n. 8; episcopi consecratio ab uno tantum episcopo expleta, an sit nulla, 570 n. 13 not. **.
Erasmi Roterodami error quoad infantium baptismum, 487 not. I; quoad matrimonia filiorumfamilias, 577 not. I.
Error, qua ratione differat ab haeresi, 390 n. 9; non omnis error impedit matrimonium, 592 n. 29.
Essentia quid dicat, 64 n. 18; differt a natura et a specie, 115 n. 1.
Eucharistia, Christus eucharistiae sacramentum tantum sacramentaliter sumpsit, non sumendo rei sacramentum, quod in exemplum fecit, 261 n. 9; fuit praefigurata ratione tum difficultatis, tum dignitatis suae, 474 n. 10; in lege naturae praesignata fuit per sacrificium Melchisedech, in lege Moysi per agnum et manna, in lege nova per sanguinem effusum de

latere Christi, *ibi;* quare expressior eucharistiae praefiguratio, quantum ad ritum, praecesserit in lege naturae, 475 n. 10; ad ejus integritatem quid requiratur, 505; errores contra eucharistiam, prout est sacramentum, nempe quoad ejus naturam et institutionem, 506 not. I; materiam, 507 not. I; formam, *ibi;* ministrum, *ibi;* necessitatem, *ibi;* dispositiones, *ibi;* et effectus, 508 not. I; errores contra ipsam prout est sacrificium, *ibi;* ratio ejus nominis, 511 n. 1; cur sit unum sacramentum tantum, *ibi* n. 2; ejusdem institutionis descriptio, *ibi* n. 3; forma consecrationis panis illustratur, 513 n. 4; forma consecrationis calicis est recta, et certa, et congrua, *ibi* n. 5; una est potestas conficiendi hoc sacramentum, consistens in ministro et in verbo, 514 n. 6; ubi fuerit ordo, intentio, verbi prolatio et debitum elementum, est verum sacramentum, quamvis sacerdos malus vel haereticus fuerit, 515 n. 7; significabatur per manna, *ibi* n. 8; repraesentat dominicam passionem, *ibi* n. 9; qui sint ejus effectus, *ibi* n. 11; triplici ex causa dicitur viaticum, 516 n. 12; cur conficiendum in speciebus panis et vini, *ibi* n. 13; Christus consecravit in pane azymo, *ibi* n. 14; aqua non est de integritate sacramenti, sed est quid annexum materiae, et de congruitate, 517 n. 15; ob plures rationes rejecta fuit Armenorum petitio, ut cum solo vino sacrificium Missae conficerent, *ibi* not. *; species panis et vini ambae sunt de integritate sacramenti eucharistiae quoad significantiam, sed non quoad efficaciam, 518 n. 17; virtus verbi consecrationis quid sit, 519 n. 19; conversio panis in verum Christi corpus non est in partem, sed in totum, solis accidentibus remanentibus, *ibi* n. 20; quae conversio non annihilatio, sed transsubstantiatio est dicenda, 520 n. 20; panis convertitur in corpus Christi, non in divinitatem, neque in animam, nec in sanguinem, licet haec omnia sint ibi, *ibi;* quae conversio fit in instanti, et non successive, *ibi;* et est singularis, 521 n. 20; an sit majus creare quam transsubstantiare, *ibi* n. 21; an sit praestantior virtus concipiendi Christum, quam virtus conficiendi sacramentum, *ibi;* an aqua convertatur in vinum, 522 n. 22; congruit ibi accidentia remanere, in solatium sensus et in fidei meritum, *ibi* n. 23; vere sunt ibi accidentia sine subjecto, 523 n. 24; existentia corporis Christi in eucharistia est supra captum intellectus humani, non tamen supra captum intellectus fidelis, *ibi* n. 25; si in triduo vel fuisset reservatum, vel aliquis confecisset, non fuisset ibi nisi corpus mortuum, 524 n. 26; fractio specierum quid significet, 525 n. 30; quomodo corpus Christi sit totum in toto, et totum in qualibet parte hostiae, *ibi* n. 31; et non sit circumscriptum, *ibi* n. 32; nec occupans locum, *ibi* n. 33; operationes eucharistiae quoad principium sunt supra naturam, quoad objectum sunt naturales, 526 n. 34; habet efficaciam in digne accedente tantum et debite praeparato, 527 n. 36; duplex est hujus sacramenti manducatio, sacramentalis et spiritualis, *ibi* n. 37; quare peccet indigne manducans, *ibi;* mali sumunt rem sacramenti, scilicet corpus Christi verum, *ibi* n. 38; sed ad damnationem, 528 n. 38; minus sufficienter praeparatus an recipiat gratiam, *ibi;* peccatori occulto publice petenti dari debet sacramentum, *ibi;* haeretici, schismatici, simoniaci et fornicarii notorii directe repugnant huic sacramento, 529 n. 38; quid requiratur ad frequentem eucharistiae sumptionem, *ibi* n. 39; 530 n. 44; quae immunditia ipsam sumptionem impediat, 529 n. 40.

Eutychetis haeresis, 250 not. I; 254 n. 10; 269 not. I.

Ex tempore, in tempore, cum tempore qua ratione inter se differant, 111 n. 1.

Ex tempore dici est dupliciter, 66 n. 28; aliqua dicuntur de Deo ex tempore, *ibi.*

Excommunicatio est duplex, praeservativa et curativa, 549 n. 35; inferri licet pro damno vel injuria Ecclesiae illata, *ibi;* excommunicatus potest iterum excommunicari, *ibi* n. 36.

Exemplar differt ab imagine, 57 n. 22; ab idea, verbo et ratione, 80. 83 n. 12; 85 n. 21; est duplex, 82 n. 7.

Exorcismus fit ad solemnitatem baptismi, et ad deprimendam diaboli vexationem erga baptizandum, 499 n. 28; an praecedere debeat catechismum, 500 n. 29.

Experientia, duplex est modus cognoscendi per eam, 278 n. 8.

F.

Facere quod in se est dupliciter accipitur, 336 n. 15.

Falsitas circa sermonem est duplex, 427 n. 22.

Fatum dupliciter accipitur, 122 n. 1.

Fenelonii doctrina de puro Dei amore damnata, 399 not. II.

Festum quomodo sit sanctificandum, 426 n. 19.

Fides, qua ratione differat a prophetia, 17 n. 16; ejus proprium objectum est verum increatum, 21 n. 7; nulla inter eam et rationem vera dissensio esse potest, 24 not. I; imo opem sibi mutuam ferunt, *ibi;* fidei doctrina non veluti philosophicum inventum proponitur, sed tamquam divinum depositum, *ibi;* quid sit, 34 not. *; ejus altitudo in duobus consistit, 48 n. 32; multipliciter definitur, 343 n. 4; non tantum est virtus gratuita, sed gratuitarum virtutum regula et auriga, *ibi* n. 5; in quantum est virtus meritoria, est in libero arbitrio, sed in quantum est habitus reddens potentiam facilem, pertinet ad intellectum et voluntatem, *ibi;* fides informis est in genere virtutis, secundum quod virtus dicit habitum rectificantem ac vigorantem potentiam, non ut accipitur pro virtute meritoria gratuita, 352 n. 18; fides informis, ut est virtus, donum divinitus collatum est censendum, 353 n. 18; et per gratiae adventum non expellitur quantum ad habitum et usum, sed remanet, licet excludatur quoad defectum, 355 n. 22; per gratiae adventum formata redditur, *ibi* n. 23; fides differt in modo speculandi a dono intellectus, 364 n. 9; non discordat a scientia, 377 n. 9; praestat rationi beneficia praeclara, 384 n. I; fidei doctrina quaedam habet antecedentia, quaedam consequentia, quaedam principia, sive objecta, 386 n. 3; est una virtus, quia una est ratio credendi in omnibus, 387 n. 5; fidei non potest subesse falsum, 388 n. 6; fides in certitudine superatur a scientia, quae est visio Dei aperta; superat vero scientiam, quae est cognitio secundum statum viae, respectu credibilium; cum illa vero, quae est aliorum cognoscibilium, superatur in certitudine spectionis; contra vero est de certitudine adhaesionis, *ibi* n. 7; fides et scientia, quae non sit comprehensionis, sed per manuductionem ratiocinii, possunt simul stare, licet non sint secundum idem fides et scientia, 389 n. 8; fides potest esse de his, de quibus habetur visio sensibilis, 390 n. 10; per fidem nascitur in anima triplex influxus, scilicet robur virtutis, zelus veritatis et excessus amoris, 391 n. 11; completissime fuit definita ab Apostolo, *ibi* n. 12; ejus firmitas est ex testimonio veritatis expressae per Verbum increatum, per Verbum incarnatum et per Verbum inspiratum, 392 n. 13; potest esse de his, de quibus habetur opinio probabilis, *ibi* n. 14; duplicem habet magnitudinem, quoad objectum et subjectum, 393 n. 17; post Christi adventum necessarium est credere non modo implicite omnes articulos, sed etiam aliquos explicite, licet explicite eos omnes credere non sit omnibus, maxime simplicibus, necessarium, *ibi* n. 18; post lapsum Adae nemo potest salvari absque fide Mediatoris, 394 n. 19; fides quantum ad credendorum multiplicationem additam non potuit proficere, licet quoad implicitorum explanationem profecerit, *ibi* n. 20; secundum temporum diversitatem crevit quoad luminis plenitudinem, secundum statum munem, propter veritatis exhibitionem, majorem gratificam fusionem atque planiorem instructionem, *ibi;* fidei cer[illegible]do quoad veritatem dictantem non crevit, licet quoad ipsum credentem crescat, 395 n. 20; modus proficiendi in fide est duplex, *ibi;* gradus autem triplex, *ibi;* firmitas fidei per Verbum inspiratum consurgit primo, ex testificantium notitia certa, quae invenitur in mentibus angelicis, propheticis [illegible] apostolicis, *ibi* n. 21; secundo, ex testificantium fama [illegible]; ejus clara, quae consistit in praeclaritate meritorum, mira[illegible] et martyriorum, 396 n. 21; tertio, ex testificantium concordia plena, quae est in eloquiis Scripturarum, in decretis Conciliorum et in documentis Sanctorum, *ibi;* quarto, ex testificantium sententia firma, quia ratio non potest contradicere fidei, *ibi;* ejus speciositas per quae designetur, 397 n. 22; fidei speculationes comparantur sideribus et duodecim margaritis, *ibi;* cur sint duodecim fidei speculationes, *ibi;* claritas fidei speculanda est ut veritatis praeexistentis quantum vel ad essentiam, vel ad excellentiam, vel ad refulgentiam, *ibi;* ut veritatis efficientis, in quantum inchoat naturam, illustrat industriam, inspirat gratiam, *ibi;* ut veritatis reficientis, quantum ad humanae et angelicae reparationis principium, quantum ad pretium et quantum ad affectum, *ibi;* ut veritatis perficientis, ut vitale pabulum, ut ultorem scelerum, ut finale praemium, *ibi;* tres sunt status fidei, scilicet genitae, roboratae et jam multiplicatae, 485 n. 5; fides Ecclesiae sufficit ad salutem parvulorum in baptismo, 489 not. *; 498 n. 26; est necessaria omnibus sacramentis, 497 n. 24; per claram Dei visionem omnino tollitur in patria non tantum quoad actum, sed etiam quoad habitum, 656 n. 17.

Filius qua ratione differat a Verbo et ab imagine, 58 n. 28.

Finis rerum duplex, 38 n. 10; 123 n. 9; fines plures statuere est tripliciter, 223 n. 9.

Flagellantes haeretici, 487 not. I.

Flagelli multiplex utilitas, 231 n. 5.

Foecunditas divinae essentiae quid, 47 n. 24; cur insit in Patre incommunicabiliter, 50 n. 39.
Formae, cum corrumpuntur, non omnino corrumpuntur, 639 n. 18.
Fortitudo *(donum)*, ejus definitio et actus, 362 n. 7; ejus actus consistit in tolerantia passionum tantummodo in imitatione Christi perfecta, 365 n. 13.
Fortitudo *(virtus)*, ejus definitio, partes et actus, 350 n. 13; quomodo differat a dono fortitudinis, 365 n. 13.
Fortuna, cur multa eveniant casu et fortuna, 85 n. 22; 93 n. 7.
Fraticelli haeretici, vide *Beguardi*. Perperam eorum origo fratribus Minoribus a quibusdam tribuitur, 452 not. I.
Froschammer, ejus errores circa animam humanam, 209 not. I.
Fructus Spiritus sancti quid sint, 342 n. 3; 372. 378 n. 10; sunt duodecim, et quare, 374; sunt inter se ordinati, 378 n. 11.
Fruitio quid sit, 653 n. 3; solo Deo proprie est fruendum, 660 n. 25; quando Deo fruamur, 661 n. 27.
Funera, an in funeribus catholicorum admitti possint schismatici et haeretici, 629 n. 12 not. *.
Furtum quid sit, et quotuplex, 430 n. 26.
Futurum est in triplici differentia, 88 *append.*; an sit causa divinae praescientiae, *ibi*.

G.

Gallicanorum doctrina de Romano Pontifice, 559 not. I.
Gaudium in beatis an et qua ratione augeatur, 661 n. 32.
Gerbatianismus quid sit, 209 not. I.
Generatio quid sit, 43 n. 10; est triplex, *ibi*; diversimode est in Deo et in creaturis, *ibi*; generatio Filii est secundum voluntatem complacentiae, et non secundum voluntatem, quae sit principium cum communicante naturam, 49 n. 35; cur in divinis, generatâ personâ, substantia non generetur, sicut in creaturis, 50 n. 38; omnis creatura clamat generationem aeternam, *ibi* n. 40; et hanc exprimunt et repraesentant duodecim generationes, quas reperimus in creaturis, 51 n. 40; cur ponenda in divinis, 54 n. 4; est aeterna tum ratione generantis, tum ratione geniti, *ibi* n. 6; generatio et spiratio differunt secundum originem et habitudinem, 55 n. 8; generatio in divinis facit realem distinctionem inter generantem et generatum, *ibi* n. 10; in quo differat a paternitate, 56 n. 16.
Germanitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 28.
Gilberti Porretani errores, 40 not. VII.
Gioberti errores, 109 not. I.
Gloria merito condigni potest promereri, 322 n. 7; una est gloria in pluribus potentiis, sicut una anima in pluribus organis, 655 n. 14; an differat a gratia, 667 n. 58.
Gnosticorum figmenta, 109 not. II; 147 not. II; 257 not. I; 487 not. I; 575 not. I.
Gradus in anima disponuntur tripliciter: secundum ascensum in Deum, in quo novem sunt gradus, nempe tres industriae cum natura, 379 n. 15; tres industriae cum gratia, *ibi*; et tres gratiae super naturam et industriam, *ibi*; secundum descensum: per virtutem susceptivam, ut copiose suscipiat, *ibi*; cultivam, ut studiose custodiat, *ibi*; distributivam, ut liberaliter refundat, *ibi*; secundum regressum in Deum, secundum vires animae exteriores, *ibi*; interiores, *ibi*; et superiores, *ibi*. Vide etiam *Contemplatio*.
Graeci catholici, quoad matrimonia eorum presbyterorum, 596 n. 33 not. *.
Graeci schismatici, eorum haeresis contra processionem Spiritus sancti, 40 not. V; unde ea ortum habuerit, 44 n. 13; eorum accusationes adversus Latinos, *ibi*; baptismum per ablutionem collatum invalidum esse contendunt, 487 not. I; Ecclesiam Latinam accusant, eo quod panem azymum in eucharistia adhibeat, 507 not. I; 516 n. 14; quoad Missam praesanctificatorum, 518 n. 17 not. *; quoad matrimonium, 576 n. I.
Gratia capitis, qua ratione distinguatur a gratia singularis personae et a gratia unionis, 274 n. 8; influit in omnes, tam in angelos, quam in homines, et qui praecesserunt Christum, et qui eum secuti sunt, licet secundum magis et minus, *ibi* n. 12.
Gratia gratum faciens fuit necessaria etiam in natura instituta, 173 n. 20; est accidens corruptibile, 194 n. 15; in quo differat a gratia gratis data, 303 n. 21; est donum a Deo immediate donatum, 309; et infusum, *ibi*; cum ea et in ea datur Spiritus sanctus, 310; ejus effectus in anima enumerantur, 310. 313 n. 14; descendit a Patre luminum per Verbum incarnatum, crucifixum et inspiratum, 310 n. 2; dicitur et est influentia, 312 n. 3; ejus definitio, *ibi* n. 4; inest animae per potentias, *ibi* n. 5; est aliquid creatum, 313 n. 8; dicitur lux magis quam calor, 314 n. 19; an differat essentialiter a caritate, *ibi* n. 25; ut est adjutorium ad merendum, dicitur generaliter, specialiter et proprie, 315; multipliciter distinguitur, 318 n. 1; in una anima est una tantum gratia, quod ostenditur ex parte principii effectivi, subjecti et finis primi, ultimi et intermedii, 319 n. 3; per usum gratiae consequentem non contingit mereri habitum gratiae praecedentis, *ibi* n. 4; primam gratiam non contingit mereri, *ibi* n. 5; meretur augeri, sed modum augendi difficile est assignare, *ibi* n. 6; ejus complementum et praemium aeternum merito condigni possumus promereri, 322 n. 7; soli gratiae omne bonum propositum est tribuendum, 323 n. 9; nemo, quamdiu vivit, potest scire certitudinaliter, sive de seipso, sive de alio, quod sit in gratia, 325 n. 15; non semper datur gratia secundum capacitatem naturalium, 326 n. 16; gratiae usus, ut promoveat profectum meritorium operationum, debet esse fidelis respectu Domini, virilis in se, et liberalis in proximum, *ibi* n. 17; ejus efficacia in quo sit reponenda, controvertitur a theologis, 328 *append.*; revocat liberum arbitrium a malo, et excitat ad bonum, 329. 337 n. 19; gratiae habitualis natura, 329; proprietates, 330; dispositiones ad ipsam assequendam, 331. 337 n. 18; ejus ordo cum libero arbitrio, 332 n. 1; triplicem habet comparationem, 333 n. 3; 336 n. 16; majora munera gratiae Deus elargitus est homini lapso, quam dedisset homini, si in statu innocentiae permansisset, 333 n. 5; gratia comparatur ad liberum arbitrium tamquam motor, quia voluntas est ipsius gratiae pedissequa, a qua elevatur; 338 n. 21; comparatur ad habitus virtutum substratos, sicut lux ad colores, 355 n. 23; ejus infusio cum virtutibus in animam simile habet in pluvia et terra seminata, 356 n. 23; una est gratia, a qua omnes virtutes animae dicuntur esse gratuitae, *ibi* n. 24; gratia dirigit mentem in credendis, in diligendis, in exequendis et in postulandis, 383; triplex est ejus fructus, remissio culpae, plenitudo justitiae et assecutio vitae aeternae, 443 n. 12; et secundum hos fructus distinguitur in curantem, corroborantem et consummantem, *ibi*; qua ratione dicatur contineri in sacramentis, 455 n. 9; et ab ipsis causari, *ibi* n. 10; qua ratione differat a gloria, 667 n. 58.
Gratia necessitans omnino est respuenda, 316 not. I.
Gratia personalis quid sit, 271; est ponenda in Christo, 272 n. 3.
Gratia sacramentalis est eadem per essentiam cum gratia virtutum, licet plures connotet effectus, 465 n. 3; ut gratum faciens est una, sed ratione effectuum est multiplex, 471 n. 3.
Gratia sufficiens, constat eam dari, 317 not. I; in ea definienda scholae non conveniunt, 328 *append.*
Gratia unionis tripliciter dicitur, 272 n. 4; aliquo modo habet proprietatem rei naturalis, *ibi*.
Gratiae gratis datae quaenam sint, 303 n. 21; cur multiplicentur, *ibi*; multipliciter accipiuntur, 332 n. 1; complentur et perficiuntur a gratia gratum faciente, 355 n. 22; non repugnant iniquitati, 546 n. 22.
Guillielmi a s. Amore errores, 413 not. I.
Gula, ejus definitio, differentiae et filiae, 228 n. 7.
Guntherii error circa animam humanam, 148 not. II.

H.

Habitare Deum quid dicat, 69 n. 2; 70 n. 3.
Habitus nonnulli sunt in Deo per causam, nonnulli per essentiam, 53 n. 43; habitus gratuiti quasi materialiter originem habent in natura, completive et formaliter in gratia, 359 n. 2; alii sunt innati, alii infusi, alii acquisiti, 501 n. 31.
Haeresis qua ratione distinguatur a secta, superstitione et schismate, 390 n. 9.
Haereticus quis dicendus, 390 n. 9; si in forma Ecclesiae baptizat, vere baptizat, 482 n. 11; 483 n. 12; sub conditione baptizatus, collato baptismo, debet confiteri peccata anteactae vitae, et ab eis absolvi, 500 n. 29 not. *; directe repugnat sacramento eucharistiae, 529 n. 38; sustinens mortem, cur non sit martyr, 665 n. 51.
Helcesitae haeretici, 257 not. I.
Hermesii figmenta, 33 not. II; 384 not. V.
Hierarchia, ejus definitio, 140 n. 1; in suprema hierarchia caelesti triplex ordo distinguitur secundum triplicem dotem, quae est in gloria, 366 n. 15; ipsi respondent gradus in anima, 379 n. 15.
Homicidium ex propria auctoritate, non autem ex auctoritate legis, in quinto praecepto decalogi prohibetur, 487 n. 21.
Homo propter tria post omnia fuit productus, 116 n. 10; est quodammodo finis omnium eorum, quae sunt, 123 n. 9; dati sunt ei sensus interior et exterior, motus imperativus et executivus, bonum visibile et invisibile, praeceptum naturae et disciplinae, adjutorium naturae et gratiae, 165; Deus fecit

illum rectum, 169 n. 8; an fuerit prius naturalibus donis praeditus, et posterius gratuitis, 171 n. 12; 174 *append.*; quaenam dona et quas gratias habuerit ante lapsum, 172 n. 13; 174 n. 21; quaenam fuisset ejus cognitio, si stetisset, 172 n. 17; an potuisset absque omni gratia superaddita mereri, 173 n. 20; et cuicumque tentationi resistere, 174 n. 22; est imago Dei, 178 n. 9; quadruplici ratione Deus talem hominem fecit, ut possit ab adversario impugnari et expugnari, 196 n 1.

Honor ad aliquem dupliciter refertur, 273 n 6.

Humiditas radicalis et nutrimentalis quid sit, 165 n. 11; 639 nn. 20. 21.

Humilitas gratiam conservat, 326 n. 17; ejus proprietates manifestantur in flore violaceo, 375 n. 5.

Husitae haeretici, 317 not. I; 420 n. 9 not. *; 476 not. I; 501 not. I; 620 not. I.

Hyperduliae cultus debetur B. Mariae Virgini, 273 n. 6.

Hypostases in divinis tres sunt, 53; quid sub nomine hypostasis veniat, 64 n. 18.

I.

Iconoclastae haeretici, 270 not. I.

Idea differt a verbo, arte et ratione, 80. 83 n. 12; quid sit in Deo, 86 nn. 24. 26; 87 nn. 29. 31. 33; quotuplex, 86 n. 28; 87 n. 30.

Idiomatum communicatio cur detur in Christo, 252. 256 n. 22; et quae regulae in ea sint attendendae, 253 n. 4; 256 n. 23.

Ignis praecedet ultimum judicium, et terrae faciem exuret, 629.

Ignorantia, quomodo homo per peccatum originale in eam incurrat, n. 207 n. 6; quotuplex sit 234 nn. 2. 4; aliud est peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiae, *ibi* n. 3.

Imaginatio quid sit, 160 n. 39.

Imagines triplici ex causa introductae fuerunt ab Ecclesia, 273 n. 6.

Imago differt ab exemplari, 57 n. 22; dupliciter accipitur, *ibi*; in divinis non tantum dicit expressionem personae, sed etiam expressionem in summo, 58 n. 24; imago naturalis a connaturali differt, *ibi* n. 27; qua ratione differat a verbo et a filio, *ibi* n. 28; imago Trinitatis attenditur in tribus animae humanae potentiis, 152 n. 10; differt ab umbra et a vestigio, 176 n. 5; 363 n. 9; et a similitudine, 177 n. 8; imago divina an plus reperiatur in homine quam in angelo, in mare quam in femina, in virtute cognitiva quam in affectiva, 179 n. 9; imago recreationis in quo consistat, 313 n. 7.

Immensitas divina quid sit, 46 n. 19; anima Christi eam comprehendere nequit, licet totum Deum cognoscat, 277 n. 7.

Immersionis ritus quandonam in Ecclesia Latina exoleverit, 487 not. I; 492 n. 4.

Imperfecta qua ratione sint in Deo, 86 n. 24.

Impossibile quadruplici ex causa dicitur, 253 n. 6.

Incarnatio Verbi, ad salutem humani generis nullus alius modus ita conveniens erat reparatori, 243. 246 n. 5; et reparabili, 244. 246 nn 3. 4; et reparationi, 244; ejus definitio, 244 n. 1; ejus praecipua ratio fuit humani generis redemptio, quamvis huic rationi aliae sint annexae, *ibi* n 2; major fuit congruentia ad unionem in creatura humana quam in angelica, tum secundum humanae naturae institutionem, tum secundum ejusdem reparationem, 246 n. 6; congruum etiam fuit et decuit Deum incarnari, propter divinorum operum excellentem consummationem, et superabundantem pretii solutionem, et supereffluentem hominis glorificationem, 247 n. 8; modus nostrae satisfactionis a Christo factae fuit acceptissimus ad placandum Deum, congruissimus ad curandum morbum, efficacissimus ad attrahendum genus humanum, et prudentissimus ad expugnandum generis humani inimicum, *ibi* n. 10; quadruplici de causa magis congruebat, ut Christus de genere Adae carnem assumeret, 249 n. 12; est opus totius Trinitatis, 250; ratio ejus nominis, 251; est assumptio carnis et animae in unitate personae divinae, 251. 253 n. 7; convenit Filio, 252; unio facta in Incarnatione superexcellit omnem naturalem rationem, 254 n. 11; 255 n. 15; potuit una persona sine altera incarnari, 255 n. 12; congruit Filio Dei assumere naturam in singulari, ratione ipsius unionis in se, reparationis nostrae et exaltationis naturae assumptae, *ibi* n. 13; quid proprie sit unio facta in Incarnatione, *ibi* n. 16; modus Incarnationis opponitur modo, quo lapsus est homo, 257; in ea fuit concursus ex triplici hierarchia, divina, angelica et humana, 258; appropriatur Spiritui sancto, 258. 259 n. 6; cur facta fuit in instanti, 258. 261 n. 14; per virtutem summi operatoris, 258; fieri debuit post legem naturae et figurae, 263. 265 n. 1; 267 n. 5; post Patriarchas et Prophetas, 263. 265 nn. 2. 3; in sexta mundi aetate, 264; in plenitudine temporum, *ibi*; an fuerit ex mera gratia, 267 n. 4.

Incommutabilitas divina quid sit, 46 n. 21.

Indifferentismus damnatus in *Syllabo*, 166 not. I.

Individuum quid sit et ex quo consurgat, 65 n. 19; 130 n. 7.

Indulgentiae ab Ecclesia conferuntur, 535; errores contra eas, *ibi*; caelesti thesauro ex meritis Christi et omnium Sanctorum constituto nituntur, 537 not. IV; 550 n. 38; super eos, qui sunt de Ecclesia militante, fiunt tam adjuvando quam judicando; super eos, qui sunt de Ecclesia purgante, tantum adjuvando, 550 n. 37; cur soli Episcopi, et maxime summus Pontifex, possint eas conferre, *ibi* n. 38; quid relaxetur per eas; 551 n 39; non in foro Ecclesiae tantum, sed etiam in foro Dei fit relaxatio, *ibi*; conditiones, ut valeant, *ibi*; contritio ad eas consequendas praescripta, quomodo intelligenda, 552 n. 39 not. *.

Infallibilitas Rom. Pontificis definita in Concilio Vaticano, 559 not. I; a quibus impugnata, 562 not. I. Vide *Ecclesia, Papa* et *Petrus*.

Infernus dupliciter denominatur, 301 n. 8; ad reproborum punitionem est ordinatus, 640; ejus aeternitas multiplici ratione ostenditur, 644 nn. 7. 11; ubi sit, 645 n. 12; in eo omnis creatura erit in tormentum damnatorum, *ibi* n. 14; ignis inferni an sit corporeus, et ejusdem naturae substantialis cum igne elementari, *ibi* n. 15; qua ratione ignis, praeter corpora, etiam spiritus possit affligere, 646 n. 17; et licet semper urat, non tamen corpora interimat, *ibi* n. 20; ibi sunt tenebrae corporales luce permixtae ad damnatorum desolationem, 647 n. 24.

Infideles, non omnia infidelium opera sunt peccata, 317 not. I; 356 n. 25; cur eorum infantes, invitis parentibus, non sint baptizandi, 489 not. *; eorum matrimonium non est sacramentum, 577 not. I; 600 n. 45.

Infinitas divinae essentiae in quo manifestetur, 77 n. 4; 78 n. 10; an repugnet simplicitati, 277 n. 7.

Ingenitus quid dicat in divinis, 57 n. 17.

Inimici, caritatis affectu elicito tenemur etiam inimicos diligere, optando illis bona aeterna; non tamen omnes tenemur affectu imperato, desiderando eis bona temporalia, sed sufficit non odisse, 407 n. 18; omnes tenemur diligere inimicos, non modo quoad affectum, verum etiam quoad effectum, in casu necessitatis, 408 n. 18; dilectio amicorum et inimicorum sic se habent, quod haec est perfectior, quia difficilior, illa quia fervention et frequentior, *ibi*.

Innascibilitas cur Patri attribuatur, 56 nn. 11. 21; in divinis quid sit, 57 n. 19.

Inseparabilitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 30.

Inspiratio, quoad ejus naturam, modum et extensionem theologi diversimode sentiunt, 5 *append.*

Instauratio divina per Christum facta, a Leone XIII mirifice exposita, 468 not. II.

Institutiones divinae tanto plus utiliores et salutariores, quanto magis statu nativo manent integra et incommutabilia, 578 not. II.

Intellectus tripliciter a scientia perficitur, 37 n. 7; intellectus speculativus qua ratione differat a practico, 137 n. 17; 158 n. 32; 343 n. 5; quid sit, 152 n. 8; 160 n. 39; 164 n. 6; ejus operatio dependet a certitudine rei extra, et intra a sensu, 155 n. 22, ad actum intelligendi requiritur, quod ex intellecto et intelligente fiat unum, *ibi* n. 27; partim est a dictamine naturae, partim ex certitudine scientiae, et partim ex illustratione lucis aeternae, 156 n 31; 366 n. 14; distinguitur in agentem et possibilem, 157 n. 32; cur dicatur vis non alligata materiae, 164 n. 6; per triplicem gradum ascendit in Deum, 175. 179 n. 10; intellectus speculativus respicit verum sub ratione veri, 343 n. 5; extensione fit practicus, *ibi*; tripliciter extendi contingit, *ibi*; tripliciter ascendere in Deum dicitur, 440 n. 8; intellectus gloriosus intelliget omne intelligibile, 661 n. 28.

Intellectus *(donum Spiritus sancti)*, ejus actus et objectum, 363 n. 9; est infra sapientiam et supra scientiam, *ibi*; differt a fide in modo speculandi, 364 n. 9; est regula circumspectionum moralium, *ibi* n. 11; janua speculationum scientialium, 365 n. 15; et clavis contemplationum caelestium, 367 n. 20; triplex autem est clavis, scilicet intellectus Verbi increati, Verbi incarnati et Verbi inspirati, *ibi*.

Intelligentia quid sit, 156 n. 29; 160 n. 39; 179 n. 11.

Intelligere aliquando praecedit, aliquando sequitur fidem, 39 n. 12; intelligere et sentire tripliciter inter se differunt, 168 n. 3.

Intentio, quid sit, 160 n. 40; 480 n. 3; quae intentio sufficiat, ut actio sit bona, 222 n. 4; quae ad meritum absque opere exteriori, 223 n. 7; ut actio sit meritoria, 327 n. 19; bonum,

intentione mala factum, est peccatum illi, qui facit, 427 n. 22; intentionis objectum in ministro sacramenti quale requiratur, 476 not. I; est necessaria in omni sacramento, 480 n. 4.
Invidia, ejus definitio, differentiae et filiae, 228 n. 9.
Ira, ejus definitio, differentiae et filiae, 228 n. 10; prohibetur in quinto praecepto decalogi, 427 n. 21.
Irascibilitas quid sit, 155 n. 26; 162 n. 39.

J.

Jactantia quid sit, 227 n. 5.
Jansenianorum errores quoad divinam voluntatem, 90 not. I; quoad statum primi hominis, 162 not. I; 166 not. I; quoad essentiam peccati originalis, 204 not. II; quoad ejus effectus, 205 not. III; 264 not. I; quoad limbum, *ibi* not. IV; quoad cultum erga Ss. Cor Jesu, 270 not. I; quoad gratiam actualem, 316 not. I; et gratiam sufficientem, *ibi;* quoad timorem servilem, 360 n. 4 not. *; quoad juramentum, 415 not. IV; quoad dispositiones ad ss. eucharistiam sumendam, 507 not. I; quoad missam, 508—9 not. I; quoad confessionem, 531 et seqq. not. I; quoad censuras, 536 not. IV; quoad indulgentias, *ibi;* quoad ecclesiasticam hierarchiam, 559 et seqq. not. I; quoad causas matrimoniales, 579 not. IV; quoad sponsalia, 589 n. 16 not. *. Vide etiam *Pistoriensis Synodus.*
Jansenii quinque propositiones damnatae, 316 not. I.
Jejunium est pars satisfactionis, 541 n. 11.
Joachimi Abbatis errores, 40 not. VII.
Joviniani haeresis, 413 not. I; 649 not. I.
Judicium est duplex in ratiocinante, 137 n. 17; ad ejus firmitatem duo concurrunt, 619 n. 16.
Judicium finale cur fiet, 614; in eo fiet aperta declaratio meritorum, irrevocabilis latio sententiarum et justa retributio stipendiorum, *ibi;* ejus hora an nota sit angelis, 616 n. 2; an omnes judicabuntur, *ibi* n. 3; electorum peccata tunc omnibus justis patebunt, 617 n. 10; sed non in eorum contumeliam, 618 n. 11; quomodo videbunt simul omnium peccata, *ibi* n. 12; quatuor ordines erunt in judicio, *ibi* n. 15; apostoli, angeli et viri perfecti qua ratione judicabunt in illa die, *ibi.*
Jura omnia pullulant a praeceptis Decalogi, 423 n. 15.
Juramentum, juratio frequens nominis Dei, ubi nulla est necessitas vel utilitas, non caret culpa, 424 n. 18; cur juramento debeantur judicium, veritas et justitia, *ibi;* est quidem licitum in se, non sic tamen quin aliquo modo illicitum esse possit, *ibi;* an sit indifferens, vel sit bonum in genere, theologi non conveniunt, *ibi;* jurare per creaturam est licitum, si advocatur in testimonium, ut est vestigium divinae veritatis, 425 n. 18; cur frequentius per Sanctos, et maxime per Evangelia, quam per creaturas juretur, *ibi;* quamquam sit illicitum jurare per idola, ubi tamen necessitas vel communis utilitas affuerit, licet tale juramentum recipere, *ibi;* juramentum dolosum in foro Dei non obligat, licet in foro Ecclesiae obligare non sit dubium, *ibi;* juramentum coactum in foro Dei obligat, sed non in foro Ecclesiae, *ibi;* juramentum incautum, vergens in salutis detrimentum, vel in impedimentum perfectionis, directe non est obligatorium, *ibi.*
Justificatio nostra attribuitur passioni Christi per modum meriti, sed per modum quietantis attribuitur resurrectioni, utrique autem per modum excitantis et regulantis, 295 n. 21; 299 n. 4; ad justificationem impii quatuor concurrunt, 331; magis dicitur actus gratiae vel status, quam dicatur ipse habitus, 332 n. 2; non cadit sub merito condigni, sed sub merito congrui, *ibi;* dicitur animae reparatio, *ibi;* ejus nomen est a justitia originali, 333 n. 2; in ea maxime divina misericordia et veritas relucent, 334 n. 6; tripliciter dicitur, 334 n. 8; in ea duo sunt, *ibi;* non datur nisi volenti, 335 n. 11; ad eam, prout dicitur justitiae infusio, non est necessaria confessio, *ibi* n. 12; ejus processus, 336 n. 13; secundum legem communem non fit sine praeparatione, *ibi* n. 14; naturaliter gratiae infusio praecedit expulsionem peccati, 336 n. 16; justificatus potest resurgere in majori et minori et in aequali gratia, secundum quod praeparat se melius, n. 544 n. 20.
Justitia, ejus definitio, partes et actus, 350 n. 15; in omni opere Dei sunt conjuncta misericordia et justitia, 643 n. 1.
Justitia originalis an idem sit cum gratia sanctificante, 174 *append.;* dupliciter sumitur, 206 n. 4.
Justitia publicae honestatis quando contrahatur, 600 n 42 not. *.

L.

Latini an concedere possint, ut in suis ecclesiis celebretur Missa a presbyteris graeci ritus, schismaticis et haereticis, 629 n. 12 not. *.
Latitudinarismus damnatus in *Syllabo,* 166 not. I.
Latriae cultus quid, 272 n. 5; competit Christo, et ejus imagini, scilicet Cruci, *ibi* n. 6.
Legalia non cessaverunt ante promulgationem Evangelii quantum ad observantiam, nec quantum ad efficaciam universaliter, 416 n. 1; diversa circa hoc Hieronymi et Augustini opinio, *ibi.*
Legislatio omnis debet esse pia, vera, sancta, 458 n. 1.
Lex evangelica est lex perfectae libertatis, 422 n. 9; dicitur vivificans, quia triplici modo justificat, scilicet ratione gratiae sacramentalis, amoris spiritualis et multiplicis boni operis, ad quod per consilia et praecepta dirigit, 422 n. 11; cur dicatur et sit lex amoris, *ibi* n. 12; quoad arduitatem praeceptorum est quidem gravior lege veteri, non tamen quoad numerum; sed ratione moventis amoris et sacramentorum adjuvantium est levior, 423 n. 14; est lex sanctitatis, 458 n. 1.
Lex mosaica dicitur occidens per occasionem, 422 n. 11; cur dicatur et fuerit lex timoris, *ibi* n. 12; fuit lex veritatis, 458 n. 1.
Lex naturae fuit lex pietatis, 458 n. 1; tria habuit sacramentorum genera, decimationes, oblationes et sacrificia, 459 n. 6.
Liber duplex est, unus scriptus intus, alius scriptus foris, 167; liber scriptus intus est Dei sapientia, *ibi* et 168 n. 5.
Liber vitae quid sit, 82 n. 6; 85 n. 21; 617 n. 7; appropriatur Filio, 82 n. 6; quinam in ipso scribantur, *ibi;* in resurrectione aperietur, 617 n. 8.
Liberalismus damnatus in *Syllabo,* 166 not. I; liberalismus catholicus inter praecipuos errores hodiernos est habendus, 537 not. V; catholico-liberales periculosiores sunt apertis Ecclesiae hostibus, *ibi;* quo studio ab insidiis eorum sit cavendum, *ibi;* an catholico-liberales inter schismaticos sint enumerandi, 538 not. V.
Liberalitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 26.
Libertas, infallibilitas praedestinationis aeternae simul stat cum libertate voluntatis creatae, 80. 85 n. 22; 96 n. 18; est triplex, a coactione, a culpa et a miseria, 158 n. 5; 422 n. 9; resultat ex concursu rationis et voluntatis, 160 n. 38; non repugnat obligationi ad bonum, 419 n. 6; libertas legis evangelicae quomodo intelligenda, 422 n. 9.
Liberum arbitrium diversimode consideratum varie definitur, 151 n. 5; non dicit potentiam a ratione et voluntate distinctam secundum rem et essentiam, 159 n. 37; 344 n. 5; comprehendit simul rationem atque voluntatem, 159 n. 38; impossibile fuit dare homini liberum arbitrium inflexibile ad malum, 193 n. 12; quoad interiorem actum cogi non potest, 199 n. 1; 334 n. 7; quo modo cooperetur gratiae, 317. 323 n. 9. 329; in puris naturalibus constitutum, cum generali Dei influxu, tametsi difficulter, potest tamen facere opus bonum morale, quod non disponit ad gratiam, nec ad gloriam, 322 n. 9; omni gratia destitutum, non potest cuilibet tentationi resistere, licet necesse non sit, ut cuilibet succumbat, 323 n. 10; de viribus liberi arbitrii a gratia adjuti est loqui dupliciter, 324 n. 12; excitatum per gratiam gratis datam potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere, sed sine dono nequaquam, 332 n. 1; a gratia moveri dupliciter intelligitur, 338 n. 21.
Libido tripliciter dicitur, 213 n. 14; quomodo in omni peccato reperiatur, 232 n. 10.
Lignum vitae, qua ratione immortalitatem praestare potuisset corpori humano, 162. 164 n. 10; 165 n. 12; Christus est lignum vitae, *ibi* n. 13.
Locutio, locutio Dei, angeli et hominis qua ratione differat, 145 n. 16; tria ad eam formandam concurrunt, 197 n. 5.
Longaevitas vitae cur specialiter promittatur iis, qui parentes honorant, 426 n. 20.
Lucifer quid appetierit, 131. 135 nn. 3. 7; processus ejus peccati, 135 n 6; quando peccaverit, 136 n. 9.
Lumen gloriae, per ejus subsidium beati Deum vident, 649 not. I; quid sit, 655 n. 16; 670 *append.* Vide etiam *Visio Dei.*
Lutheranorum haeresis de statu primi hominis, 166 not. I; de essentia peccati originalis, 204 not. II; et de ejus effectibus, 205 not. III; 213 not. I; quoad cultum erga Crucem, 270 not. I; quoad gratiam actualem, 316 not. I; quoad gratiam habitualem, 329 not. I; quoad meritum, 330 not. I; quoad consilia evangelica, 413 not. II; quoad sacramenta in genere, 453 not. I; 456 not. I; quoad eorum numerum et distinctionem, 463 not. I; 467 not. I; et dispensationem, 476 not. I; quoad sacramentalem characterem, 483 not. I; quoad baptismum, 487 not. I; quoad confirmationem, 501 not. I; quoad eucharistiam, 506 et seqq. not. I; quoad poenitentiam, 531 et seqq. not. I; quoad ecclesiasticas censuras, 536 not. IV; quoad indulgentias, *ibi;* quoad extremam unctionem, 553 not. I;

quoad ordinem, 558 not. I. et seqq.; quoad matrimonium, 575 not. I et seqq.; quoad purgatorium, 620 not. I et seqq.; 625 not. I; quoad gloriam, 649 not. I.
Luxuria, ejus definitio, differentiae et filiae, 228 n. 8.

M.

Macedonii haeresis, 40 not IV.
Macula in anima quid sit, 216 n. 1.
Magnetismus quid sit, 132 not. III; ejus effectus, *ibi;* responsa s. Sedis quoad ejus licitudinem, 133 not. III; non potest esse absque peccato, 138 n. 19.
Mali homines qua ratione diligendi sint, vel detestandi, 403 n. 5.
Malum a Deo cognoscitur, licet in eo non sit, 86 n. 24; ordinatissime ab eo permittitur, 96 n. 14; dupliciter accipitur, abstractive et concretive, 191 n. 3; qua ratione dicatur esse a voluntate deficiente, 192 n. 5; habet esse in bono, 192 n. 7; ipsum contrariari alicui bono dupliciter intelligi potest, 193 n. 9; malum culpae tripliciter circa rationalem creaturam potest consistere, aut quantum ad exteriorem effectum, aut quantum ad interiorem, aut quantum ad habitum, *ibi* n. 10; non est natura aliqua, sed boni privatio, 194 n. 14; facit ad decorem universi, 201 n. 2; est duplex, culpae et poenae, 229. 230 n 1; aliquid est malum dupliciter, aut ex genere actus, aut ex malitia intentionis, 428 n. 23. Vide *Peccatum.*
Manichaeorum errores, 39 not. I; 109 not. I. II; 112 n. 4; 131 not. I; 147 not. II; 191; 250 not. I; 452 not. I; 487 not. I; 507 not. I; 575 not. I.
Marcionis haeresis, 109 not. II; 250 not. I.
Maria Virgo in patria constituet ordinem per se, 147 n. 20; in ea capacitatem gratiae Deus complevit et implevit, secundum quod capit pura creatura rationalis, 217 n. 8; dicenda est Dei genitrix, 259 n. 1; fuit foecundata a Spiritu sancto, *ibi* nn. 2. 6; vere cooperata est Spiritui sancto in Filii conceptione, 261 n. 13; ejus cooperatio non fuit simpliciter naturalis, 263 n. 18; veriori modo fuit mater Christi, quam aliqua mater sit filii sui, *ibi;* triplici ratione decuit ipsam vovere Deo virginitatem, 262 n. 16; et etiam nubere, *ibi;* et nubere beato Josepho, *ibi;* merito condigni non potuit mereri concipere Christum, licet merito congrui et ex dignitate meruerit, *ibi* n. 17; est honoranda cultu hyperduliae, 273 n. 6; cultus specialis erga ejus sanguinem prohibetur, *ibi* not. *; ejus constans animus in passione Filii, 287 n. 20; est stella maris, 296 n. 22; et mare compunctionis, compassionis et passionis, *ibi;* ejus dilectio in dilectione proximi continetur, 404 n. 9; an fuerit capax et particeps extremae unctionis, 556 not. **; ejus assumptio in caelum, etsi nondum definita, non sine vehementi suspicione haeresis negari potest, 635 not. *.
Martyrium, an aliquando quilibet christianus teneatur vitam ponere pro Christo, 365 n. 13; dicitur baptismus sanguinis, et excedit intensive baptismum fluminis, 489 n. 1; efficaciam majorem habet a passione Christi, quam baptismus fluminis, 490 n. 1; 666 n. 53; non est sacramentum, quia deficiunt ei omnia, quae sunt de ratione sacramenti, scilicet repraesentatio ex similitudine, significatio ex institutione, sanctificatio ex prolatione, 491 n. 1; cur dicatur magis baptismus sanguinis, quam ignis, vel alterius elementi, *ibi;* ad ipsum duo concurrunt, 666 n. 53; cur in innocentibus et in latrone non fuerit completum, *ibi.*
Materia prima potest considerari informis, non tamen existere, 117 n. 18; 119 n. 25.
Matrimonium, ejus origo, 469 not. III; dejectio, in quam devenerat apud omnes gentes, antequam Christus ad nobilissimam excellentiam ipsum renovaret, *ibi;* ad ejus integritatem quid requiratur, 575; errores contra ejus honestatem, *ibi* not. I; essentiam, *ibi;* et proprietates, 576 not. I; in matrimonio christiano contractus a sacramento non est dissociabilis, 575 not. I; 582 not. IV, 604 *append.;* ejus impedimenta, 576. 579. 582 not. IV; 585 n. 5; 591 n. 26; 592 n. 28; matrimonium filiorumfamilias, insciis vel invitis parentibus, an sit invalidum, 577 not. I; matrimonium infidelium potest dissolvi quoad vinculum, quia non est sacramentum, *ibi,* et 602 n. 45; ejus multiplices et praeclari fructus, 578 not. III; errores quoad forum, cui est subjiciendum, 579 not. IV; cur sit sacramentum, 582 not. IV; ratio ejus nominis, 584 n. 1; ejus definitio, 585 n. 3; cur aliquibus temporibus interdicatur celebratio nuptiarum, *ibi* n. 5; ejus inseparabilitatem miro modo, licet occulto, etiam lex mosaica asserebat, 586 n. 7; multipliciter figuratur, 587 n. 9; 590 n. 18; quomodo detur in remedium suscipientibus, 588 nn. 11. 12; quando accipiat rationem gratiae, 589 n. 13; an consensus sit tota ejus causa, *ibi* n. 14; 590 n. 19; an debeat consensus esse exterior, *ibi* n. 15; 591 n. 25; matrimonium ratum inter fideles an sit fortius matrimonio consummato inter infideles, 590 n. 18 not. *; tria ejus bona signant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, *ibi* n. 19; matrimonium tantum ratum solvitur per votum solemne castitatis, 591 n. 21; consensus praesumptus an faciat matrimonium, *ibi* n. 27; an consensus in absentem, *ibi;* an sit validum, si contrahatur a catechumeno, 601 n. 45 not. *; vel a ficte baptizato, *ibi;* quid, si dubio baptismate, *ibi* not. **; matrimonium infidelium non est ratum, 602 n. 45; excusat tamen aliquo modo a culpa, *ibi;* an altero conjugum ad fidem veniente, solvatur, *ibi;* an altero labente in infidelitatem, *ibi;* quando solvatur propter illegitimitatem personarum venientium ad fidem, *ibi;* ad Ecclesiam spectat personarum legitimitatem et idoneitatem ad contrahendum determinare, 603 nn. 46. 47; quis sit ejus minister, *ibi, append.*
Matrimonium ad morganaticam quid sit, 600 n. 44 not. *.
Matrimonium civile quid sit, 575 not. I; 581 not. IV; non est sacramentum, 584 not. VII; nec parit impedimentum publicae honestatis, 599 n. 38 not. **; ab Ecclesia non toleratur nisi ut caeremonia mere civilis, *ibi.*
Matrimonium conscientiae quid sit, 586 n. 5 not. *.
Matrimonium mixtum quid sit, 600 n. 45; 604 *append.;* quid de eo sentiat Ecclesia, 600 n. 45 not. **.
Mediatio est triplex, 94 n. 6; cur conveniat Dei Filio, 252, 283 n. 1.
Meditatio, ejus ortus, objectum et fructus ex verbis Apostoli ostenditur, 438 n. 5.
Memoria non ponitur in Deo, 81 n. 1; quid sit, 152 n. 7.
Menandri haeresis, 110 not. III.
Mendacium, cum sit completum, duplicem in se falsitatem includit, 427 n. 22; est malum secundum se, 428 n. 23; nec Abraham, nec Isaac, nec Joseph mentiti sunt, *ibi;* locutiones figurativae non sunt mendacia, *ibi;* nec omnes simulationes, *ibi;* fieri non potest ex caritate, nec meritorie, 429 n. 23; non semper est mortale, *ibi;* in viris tamen perfectis, quantumcumque parvum, imputatur in mortale ratione scandali et conscientiae, *ibi;* distinguitur in varias differentias, *ibi.*
Mens quid sit, 151 n. 1.
Mercenarius quis dicatur, 402 n. 4; an affectus mercenarius possit esse a caritate, *ibi.*
Merces multiplex in sacra Scriptura insinuatur, 654 n. 8.
Meritum congrui, digni et condigni quomodo inter se differant, 96 n. 15; 262 n. 17; 320 n. 6; mereri tripliciter dicitur, 279 n. 1; meritum condigni a S. D. strictissime et differenter a communi theologorum accipitur, 320 n. 6 not. *; opus meritorium triplicem habet comparationem, 322 n. 6; radicatur in caritate, 325 n. 14; efficacia meriti principaliter venit ex difficultate operis, ex promptitudine voluntatis et ex magnitudine caritatis, 333 n. 5; proficere in merito est dupliciter, 338 n. 22; et ex triplici merito obtinetur, scilicet ex merito proprio, ex merito capitis et ex merito ecclesiasticae unitatis, 551 n. 39.
Mesmerismus, vide *Magnetismus.*
Messias, epocha et officia promissi Messiae in veteri testamento ita indicantur, ut nonnisi Jesu Nazareno convenire queant, 243 not. I.
Metus est duplex, 592 n. 30.
Millenarii haeretici, 621 not. II.
Mirabile est dupliciter, 303 n. 21.
Miraculum quid sit, 77 n. 8; quomodo verum a falso discernatur, 138 n. 21; miracula facta sunt post hominis lapsum, 179 n. 10; ejus definitio, 343 n. 4.
Missio in divinis quid sit, 68. 70 n. 5, 71 n. 12; cur missio visibilis non fuerit tempore legis scriptae, neque detur modo, 70 n. 7; Filii missio visibilis fuit in forma rationali, quia apparuit ut mediator; Spiritus sancti in igne, et columbae specie, ut manifestaretur instructor, *ibi* n. 8; tam de Filio quam de Spiritu sancto est duplex, 71 n. 9; non dicitur ex tempore, *ibi* n. 11; missio Filii et Spiritus sancti quoad radicem gratiae eadem est, quoad habitus aliqua est indistinctio, quoad actus est alia et alia, semper tamen sunt indivisae, *ibi* n. 12; Spiritus sanctus mitti dicitur non in profectu gratiae prius habitae solum, sed etiam in collatione novi doni et novi usus, *ibi.*
Moniales a solis episcopis consecrantur, 574 n. 43 not. *.
Monothelitarum haeresis, 251 not. I.
Monstra an sint a Deo, 122 n. 1.
Montanistae haeretici, 507 not. I; 532 not. I; 536 not. IV; 576 not. I.
Mores hominum a sideribus dispositive tantum causantur, 123 n. 8.
Mormonum figmenta, 580 not. IV.

Mors, cur nulla justitia absolvat hominem a debito mortis, 202 n. 8; poena mortis maleficis juste infligitur, 420 n. 9.
Mortale tripliciter accipitur, 639 n. 27.
Motus et sensus in spiritualibus quid significent, 274 n. 10.
Mulier cur formata de latere viri, 163 n. 2; an divina imago minus reperiatur in muliere quam in viro, 179 n. 9; cur diabolica tentatio a muliere inchoaverit, 197 n. 7; an gravius peccaverit mulier quam vir, 200 n. 4; cur ejus poena fuerit duplicata, 201; cur sit incapax sacramenti ordinis, 573 n. 38; an in suo sexu resurget, 638 n 16.
Mundus comparatur pulcherrimo carmini, 10 n 7; non fuit productus ab aeterno, 111 n. 2; fieri potuit melior quoad augmentum substantiae, non tamen quoad specificam gradus nobilitatem, 117 n. 16; consistit in natura caelesti et elementari, 120; quomodo imitetur archetypum, 121 n. 1; servit ad sapientiam, 168 n. 1; ejus dispositio respondet virtutibus cardinalibus, 349 n. 11; ejus figura per conflagrationem ignium peribit, 630.

N.

Natura dupliciter dicitur, 77 n. 8; differt ab essentia et a specie, 115 n. 1.
Natura corporea creata fuit ex nihilo ante omnem diem, 114; distincta per triduum, *ibi;* ornata et consummata per alterum triduum, 115.
Natura humana, eam a peccato corruptam fuisse evincitur ex ordine tum divinae justitiae, tum divinae sapientiae, tum etiam divinae bonitatis, 206 nn. 1. 2; in omnibus hominibus non modo poenaliter, sed culpabiliter quoque fuisse merito primae transgressionis corruptam, carentia visionis Dei, rationalis erubescentia et concupiscentiae praedominantia manifestant, 210 n. 1.
Natura pura, an possibilis fuerit status naturae purae, 174 *append.*
Naturalismus damnatus, 91 not. III; 384 not II; 579 not. IV; 581 not. IV.
Necessitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 22; non tollit in Deo libertatem, *ibi;* est duplex, 644 n 9.
Nestorii haeresis, 250 not. I; 254 n. 10; 257 not. I; 269 not. I; 278 not. I.
Nihilistae, eorum doctrinae, 414 not. III.
Nomina qua ratione de Deo dicantur, 62. n. 5; 63 n. 9; 112 n. 7; in Deo accipiuntur tripliciter, quantum ad suppositum, ad significatum et ad connotatum, 63 n. 13; 67 n. 29.
Notiones in divinis sunt quinque, 53; quid sint, 54 n. 1; 65 n. 21.
Novatiani haeresis, 532 not. I; 576 not. 1.
Novum dupliciter dicitur, 116 n. 13.
Numerus qua ratione sit in divinis, 42 n. 4; 56 n. 15; in creaturis est quantitas, sed in Deo dicit relationem, 62 n. 5.
Nuptiae secundae et tertiae, etsi licitae, cur minus honorabiles, 590 n. 20.

O.

Obduratio quid sit, 96 n. 17; 236 n. 13.
Obedientia, votum obedientiae in quo consistat, 418 n. 3; triplex est obedientiae ratio et gradus, *ibi;* religiosi obedientia mensuratur a voto emisso, *ibi.*
Oblationes in lege naturae cur institutae, 459 n. 6.
Obligatio ad bonum non repugnat libertati, 419 n. 6; quintuplicis generis esse potest, 431 n. 29; obligatio ex voto non minuit perfectionem actus, sed perficit, 433 n. 31.
Obstinatio duplex, 236 n. 13.
Octava quid significet, 10 n. 4; 118 n. 23; 377 n. 9.
Officia divina sunt perficienda ordinate, strenue ac devote, 439 n. 6; quinque de causis fuerunt instituta, scilicet propter imitationem caelestis concentus, ad gratias Deo agendas pro beneficiis, ad ignem amoris Dei assidue nutriendum, ad fideles certis temporibus in ecclesia coadunandos, et propter decorem religionis christianae, *ibi.*
Omnipotentia divina cur excludat culpabilia, poenalia et materialia, 75; non est communicabilis creaturae, 285 n. 9.
Ontologi, eorum figmenta a Seraphici doctrina toto caelo distant, 86 n. 27; 126 n. 2; 148 not. III; 277 n. 6; propositiones Ontologorum a Congregatione S. R. U. Inquisitionis reprobatae, 149 not. III; erroribus Beguardorum proxime accedunt, 649 not. I; ad ea Rosminiani deflectunt, *ibi.*
Opera Dei ad extra ad sex reducuntur, respondentia sex diebus creationis, 668 n. 64.
Opera misericordiae tam corporalia quam spiritualia cur ad septem reducantur, 368 n. 21.
Ophitarum haeresis, 195 not. I.
Opinio, contrarie opinari potest esse circa ea, quae spectant ad doctrinam vel christianam, vel humanae inquisitionis, 390 n. 9; in quibus contrarie opinari licitum vel prohibitum sit, *ibi;* opinio probabilis dupliciter accipitur, 392 n. 14; qua ratione opinio probabilis et fides possint esse de eodem, *ibi.*
Opus bonum quid et qua ratione addat ad meritum bonae intentionis, 326 n. 18; 327 n. 20; 338 n. 22; extra caritatem factum cum bona intentione valet ad multa, 356 n. 25.
Opus Dei qua ratione sit perfectum, 112 n. 9; eo ipso quod opus Dei, est laudabile, ordinabile, acceptabile, et perfectum, vel perfectibile, 135 n. 4.
Oraculum quid sit, 160 n. 39.
Oratio est necessaria ad scientiam acquirendam, 16 n. 9; Deus vult a nobis orari corde et ore, per nos ipsos et per Sanctos, 434; ejus definitio, 436 n. 1; tres sunt partes, quae eam perficiunt, *ibi* n. 2; orando purgamur per deplorationem miseriae, illuminamur per implorationem misericordiae, perficimur per exhibitionem latriae, *ibi;* adhortatio ad eam frequentandam, 438 n. 4; alia est pure mentalis, alia vocalis, alia media, 447 n. 7; conditiones orationis quaedam sunt essentiales, quaedam accidentales, *ibi;* est pars satisfactionis, 541 n. 11.
Oratio dominica universitatem comprehendit petendorum, 435; devotissima ejusdem Orationis paraphrasis, 441 n. 11; alia paraphrasis brevior, 443 n. 11.
Ordines minores a quibus, praeter episcopos, de jure extraordinario conferri possint, 478 not. **; quot sint in Ecclesia graeca, 558 n. *; an omnes participent rationem sacramenti, 571 n. 17 not. *.
Ordo est triplex, 43 n. 7; 113 n. 13; 202 n. 4; in creaturis importat dependentiam, 112 n. 9; in se tria requirit, 128 n. 17; ordo justitiae in quo consistat, 202 n. 3; 218. 219; errores contra ordinem justitiae, 219 not. II; 414 not. III.
Ordo *(sacramentum)*, quid ad ejus integritatem requiratur, 557; errores contra ejus institutionem et naturam, et contra ecclesiasticam hierarchiam, quae ex ipso constituitur, 558 not. I; necessarius est in Ecclesia propter pulcritudinem et propter rectitudinem, 565 n. 1; ordines respondent gradibus triplicis viae, purgativae, illuminativae et unitivae, 568 n. 9; cur hoc sacramentum habeat gradus, 569 n. 11; 570 n. 16; sufficientia horum graduum demonstratur, *ibi* n. 17; etsi quilibet gradus ordo dicatur, unum tamen est sacramentum, 571 n. 18; ordo est sacramentum, prout dicit ordinatam potestatem ad ministerium, vel ad opus, vel ad alterum, *ibi* n. 19; determinatio temporis non est ad sacramenti necessitatem, 573 n. 39; sacramentum ordinis abundat ab aliis secundum rationem tum signi, tum remedii, *ibi* n. 41; quinam inhabiles sint ad ipsum suscipiendum, 574 n. 39; solus episcopus eos dispensat, quod statutum ortum habet ex sacra Scriptura et ex Spiritus sancti ordinatione, *ibi* n. 44; ordines minores non impediunt matrimonium, 596 n. 33; sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, et dirimit contractum, ratione statuti ecclesiastici et voti, *ibi;* Ecclesia potuit, et ei licuit, quia et decens erat, et expedire videbatur, statuere, ut sacer ordo impediret matrimonium contrahendum, et dirimeret contractum, *ibi.*
Origenis errores, 128 not. II; 132 not. II; 140 not. I; 147 not. I; 297 not. II; 641 not. I; 649 not. I.

P.

Palamitae haeretici, 649 not. I.
Pantheismus damnatus 109 not. I; 110 not. III. IV; 128 not. I; 147 not. II.
Papa potest alii quam episcopo committere munus confirmandi, 503 n. 2; in eo residet plenitudo potestatis ecclesiasticae, 547 n. 28; quae plenitudo triplex est, *ibi;* in eo est status omnis praelationis ecclesiasticae, *ibi* n 30; cur in eo sit potestatis plenitudo, *ibi* nn. 31. 33; solius Dei judicio reservatur, 552 n. 42; 572 n. 24; cum ex cathedra loquitur, infallibilitate pollet, 559; ejus suprema magisterii potestas, 563; cur urgatur chrismate in capite, 568 n. 8; est Pater Patrum, 571 n. 22; a Sede Apostolica manant omnes leges, 572 n. 25; plus potest quam omnes episcopi, *ibi* n. 31; ejus sententiae adversari quam grave malum, *ibi* n. 33; an possit dispensare

a votis, 595 n. 32. Vide *Ecclesia, Infallibilitas, Petrus, Potestas spiritualis, Primatus* et *Principatus civilis Rom. Pontificis.*

Paradisus terrestris cur datus primo homini, 136 n. 9; cur decuit hominem produci extra ipsum, et dein in ipso collocari, 162 n. 1; an adhuc existat, *ibi;* misericorditer et juste homo ex eo fuit ejectus, 202 n. 7.

Parentes secundum ordinem caritatis praeponendi sunt filiis, 406 n. 14; 426 n. 20; non possunt praecipere filiis, ut contrahant matrimonium, nisi caritas aut rationabilis quaedam causa eos liget, 593 n. 30.

Parochiae triplici de causa institutae fuerunt, 547 n. 28.

Parvuli cum originali culpa decedentes qua poena puniantur, 208 nn. 9. 10; parvuli in lege naturae per fidem informem parentum poterant justificari a culpa originali, 458 n. 4; ad hoc sufficiebat fidei professio, qualitercumque fieret, sive re, sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus, et haberetur respectus ad parvulum, *ibi;* in baptismo recipiunt rem sacramenti, id est remissionem peccati originalis, et gratiam cum virtutibus sicut adulti, quamvis per eam non operentur, 489 not. II; 500 n. 30; et hoc merito passionis Christi, fidei alienae et virtute sacramenti, 498 n. 26; cur ad eorum salutem in lege sufficiebat sola fides, modo vero non, *ibi* n. 27; cur obligentur ad promissiones baptismi, 500 n. 29.

Passio, in ea duo est considerare, causam et sustinentiam, 280 n. 3.

Passio Christi, per passionem Christus meruit sui nominis clarificationem, 280 n. 4; fuit generalissima, acerbissima, ignominiosissima, interemptoria, sed vivificativa, 288; est exemplar nostrae perfectionis, 290 n. 3; ejus frequens memoria devotionis fervorem nutrit, *ibi* nn 4. 5; non solum stetit in sensualitate, nec pervenit tantum ad rationem inferiorem, sed se extendit usque ad superiorem portionem, 291 n. 8; per passionem Christi omnes quidem, quantum ad sufficientiam, a potestate diaboli sunt liberati, sed illi soli, qui sunt de ejus corpore, hoc est Ecclesia, quantum ad efficaciam, 294 n. 19; passioni nostra justificatio attribuitur per modum meriti, 295 n. 21; pleniori gratia redundat in sacramentis legis novae, 462 n. 11.

Passiones sunt ab extrinseco et ab intrinseco, 232 n. 10; multae sunt passiones animae, quae non solum sunt poenales, sed etiam culpabiles, *ibi.*

Pater in divinis necessario Filium generat, 43 n. 9; uno modo ei appropriatur caritas, 60 n. 34.

Paternitas cur sit notio personalis Patris, 56 nn. 13. 21; in quo differat a generatione, *ibi* n. 16.

Patientia in adversitatibus est consummatio perfectionis et caritatis, 375 n. 3.

Patrini, qui suscipiunt parvulum de baptismo, ad quid obligentur, 500 n. 29; cur ita vocentur, *ibi* n. 30; unus vel duo tantum esse debent, et hi cognationem spiritualem contrahunt, *ibi* not. *.

Paupertas evangelica, ejus utilitas, gradus et laudes, 417 n. 2.

Peccator, non omnia ejus opera sunt peccata, 317 not. I; potest mereri de congruo, 325 n. 13; 356 n. 25.

Peccatum est defectus, 190; non habens causam efficientem, sed deficientem, 190. 191 nn. 3. 4; corrumpit modum, speciem et ordinem, 191 n. 2; corrumpit bonum, 192 n. 6; 194 n. 15; est a voluntate, 190. 192 n. 5; 193 n. 10; et in voluntate, 190. 193 n. 11; quomodo unum altero gravius esse intelligatur, 224 n. 16; qua ratione dividatur per differentias, 226 n. 1; peccatum sequens est poena peccati praecedentis, 232 n. 9; multiplices ejus effectus, 330; duo mala facit, 341 n. 3; dimissum per poenitentiam, nullo modo redit quoad culpam, 545 n. 20. Vide *Malum.*

Peccatum actuale, ejus processus, 218; duo in se essentialiter claudit, 220 n. 2; novem modis est voluntarium, *ibi.*

Peccatum capitale, peccata capitalia unum habent initium, duplicem radicem, triplex fomentum, septiforme caput, 225; cur capitalia dicantur, 227 n. 2; ordinantur inter se, *ibi* n. 3.

Peccatum finale, seu in **Spiritum sanctum,** cur peccata finalia dicantur peccata in Spiritum sanctum, 233. 235 n. 7; cur dicantur irremissibilia, 233; sunt sex et quare, *ibi;* sunt gravissima, 235 n. 6; et distincta a ceteris generibus peccatorum, 235 n. 8.

Peccatum mortale avertit a Deo, 222 n. 4; non est in sensualitate, 224 n. 11.

Peccatum originale quam graviter punitum, 200; quomodo hominem corrumpat in anima et in corpore, in hac vita et in altera, 203; ipsum poenaliter et culpabiliter corrupisse naturam evincitur ex ordine divinae justitiae, sapientiae et bonitatis, 206 n. 1; et confirmatur a veritate fidei, ab auctoritate sacrae Scripturae et a probabilitate rationis, *ibi* n. 2; in quo essentialiter consistat, *ibi* n. 4; 213 *append.;* duo facit, exspoliat gratiâ, et vulnerat naturalia, 207 nn. 5. 7; 217 n. 4; cur a Deo etiam parvulis imputetur, 207 n. 8; quomodo ad animas posterorum transfundatur, 208. 212 nn. 11. 13; quid si mulier tantum et non vir peccasset, 211 n. 5; ejus processus in hominis corruptione, 212 n. 9; est contractum, *ibi* n. 10; quomodo curetur, 213; cur dicatur transire reatu et remanere actu, 216 n. 3; 217 n. 4.

Peccatum philosophicum damnatum, 218 not. I.

Peccatum poenale quid sit, et unde oriatur, 229; peccatum sequens est poena peccati praecedentis, 232 n. 9.

Peccatum veniale non potest semper vitari, 219; 385 n. 9; elongat a Deo, 222 n. 4; per se non punitur aeternaliter, *ibi* n. 5; est semper quodam modo voluntarium, 224 n. 11; 335 n. 9; potest deleri sine contritione, 335 n. 9; non tamen sine gratia gratum faciente, *ibi* n. 10; unum potest deleri sine alio, *ibi.*

Pelagii haeresis circa praedestinationem, 91 not. IV; de statu hominis innocentis, 166 not. I; quoad existentiam peccati originalis, 203 not. I; quoad necessitatem baptismi, 213 not. I; 486 not. I; quoad gratiam actualem, 315 not. I; 319 n. 5; 322 n. 7; quoad liberum arbitrium, 332 n. 1.

Perfectio est multiplex, 113 n. 9; non consistit in imitatione omnium actuum Christi, sed tantum illorum, qui vitae perfectae imitationem respiciunt, 247 n. 9; ad ejus integritatem tria requiruntur, 373; tres sunt modi perfectionum, *ibi;* et quinque genera, 431 n. 29; caritatis status, quantum est de se, non obligat ad ea, quae perfectionis sunt, nisi adveniat mandatum, votum, officium, scandali evitatio, vel conscientiae judicium, *ibi;* triplex est ejus differentia, 433 n. 32; perfectio evangelica quid sit, *ibi;* est duplex, 661 n. 30.

Perfectiones divinae qua ratione ex divina essentia deducantur, 47 n. 31.

Permissio divina quoad mala est ordinatissima, 96 n. 14.

Perseverantia sine speciali Dei gratia haberi nequit, 316 not. I; dupliciter accipitur, 337 n. 17.

Persona, inter personas divinas ordo originis est ponendus, 43 n. 7; quid significet persona, 64 nn. 14. 15. 16; 293 n. 15; in divinis personis non reperitur realis abstractio, 64 n. 16; est distincta secundum rem, non essentiâ, *ibi* n. 17; dicitur secundum substantiam et secundum relationem, 65 n. 20.

Petrobrusiani haeretici, 270 not. I; 487 not. I; 506 not. I; 620 not. I.

Petrus curam pastoralem de universo grege fidelium a Christo accepit, 547 n. 28; duplicem potestatem accepit a Christo, nempe ordinis et jurisdictionis, 548 n. 34; est unus primus, 563 not. III; et fundamentum totius fidei, 572 n. 23. Vide *Ecclesia, Infallibilitas, Papa* et *Primatus.*

Phalansterianorum figmenta, 580 not. IV.

Phantasia quid, 155 n. 25; 160 n. 39.

Phantasma quid, 160 n. 39.

Philosophia, philosophorum verba theologis sunt utilia, 37 n. 5; ejus definitio et divisio, 368 n. 22; cum obsequio fidei christianae est conjungenda, 383 not. I.

Philosophus amplectens conclusionem repugnantem doctrinae revelatae, fidei simul et rationis jura violat, 384 not. III.

Pietas, ejus definitio, partes et actus, 361 n. 5.

Pistoriensis Synodi propositiones damnatae quoad lectionem sacrae Scripturae, 13 not. I; quoad Trinitatem, 40 not. VI; quoad statum primi hominis, 162 not. I; quoad effectus peccati originalis, 264 not. I; quoad cultum erga Ss. Cor Jesu, 270 n. I; quoad timorem, 360 n. 4 not. *; quoad juramentum, 415 not. IV; quoad missam privatam, 508 not. I; 509 not. I; quoad confessionem, 532 not. I; quoad censuras, 536 not. IV; quoad indulgentias, *ibi;* quoad ecclesiasticam hierarchiam, 559 not. I; quoad causas matrimoniales, 580 not. IV; quoad sponsalia, 589 n. 16 not. *.

Plenitudo est multiplex, 273 n. 7; 302 n. 18; plenitudo alicujus in aliquo dupliciter continetur, 405 n. 11.

Plenitudo temporis multiplici de causa dicitur, 269 n. 10.

Pluralitas est in divinis personis ratione distinctionis, 63 n. 12.

Poena, ratione poenae, duo nominat, nocumentum naturae et instrumentum divinae justitiae, 230 n. 2; ex perfectione divinae aequitatis, ex pulcritudine universitatis, ex inordinatione culpae et ex conditione peccantis naturae inseparabiliter se-

quitur culpam, 231 n. 4; dupliciter ordinatur, ad culpam puniendam et ad bonum ordinandum, 231 n. 5; 232 n. 9; qua ratione placeat Deo, 231 n. 6; plus dicit quam malum, *ibi* n. 7; dicit nocumentum ordinatum, et qua talis tripliciter accipitur, 232 n. 8; quae poena per absolutionem remittatur, 544 n. 20.

Poenalitates multipliciter promovent ad bonum, 494 n. 9.

Poenitentia *(sacramentum)* quando instituta, 472 n. 5; quid ad ejus integritatem requiratur, 531; errores contra ejus existentiam, materiam, formam et ministrum, *ibi;* diversimode nominatur, 538 n. 1; cur secunda tabula dicatur, *ibi* n. 2; triplici ex causa iterari potest et debet, *ibi* n. 4; quaenam sit poenitentia, quae veniam invenit, 539 n. 6; per poenitentiam opera bona prius facta reviviscunt, et manent viva, 544 n. 20; in ejus foro duo sunt actus, sicut in foro judiciali, 547 n. 27.

Polygamia tempore legis fuit permissa, concurrente necessitate, congruitate, utilitate et honestate, 587 n. 8.

Pomponatii error quoad animam humanam, 148 not. II.

Portio superior et inferior qua ratione inter se differant, 158 n. 34; non est possibile, quod portio inferior mortaliter peccet sine superiore, 224 n. 15.

Potentia simpliciter quid sit, 75. 76 n. 3; potentia ordinata tripliciter dicitur, 76. 77 n. 6.

Potentiae animae sunt substantiales, et in eodem genere per reductionem, in quo est anima; non sunt tamen omnino idem per essentiam, 152 n. 11.

Potestas, omnis potestas praesidendi, secundum id, quod est, et etiam respectu illius, super quem est, justa est, et a Deo est, 420 n. 9; potestas dominandi quaedam est ex justitia, quaedam ex astutia, quaedam ex violentia, *ibi;* semper est ordinata, *ibi;* eadem potestas potest esse usurpata, et a Deo collata, secundum diversos respectus, *ibi;* potestas dominandi in homine est solum secundum naturae lapsae statum, licet potestas praesidendi secundum rationem excellentiae fuerit in statu naturae institutae, *ibi;* christiani terrenis dominis sunt obligati obedire in iis tantum, quae non sunt contra Deum, vel contra rectam rationem et rectam consuetudinem, 421 n. 9; potestas regalis subjacet spirituali, 552 n. 42; 567 n. 6; tripliciter dicitur, 571 n. 20.

Potestas spiritualis in Ecclesia, an se extendat supra culpam, 547 n. 26; est ordinata, *ibi* n. 30; duplex est, ordinis et jurisdictionis, 548 n. 34; 559 not. I; prior non potest auferri, bene tamen secunda, 547 n. 29; 552 n. 40; ordinaria potestas manet hierarchae, licet ipse eam aliis tradat, 572 n. 28. Vide *Ecclesia, Papa* et *Petrus.*

Praecepta in Scriptura sunt quadruplicis generis, 8 n. 6; praecepta Decalogi instruunt et obligant hominem; et hoc tum Deum decebat, tum nobis expediebat, 419 n. 7; an sine gratia possint impleri, *ibi* n. 8; eorum sufficientia in duabus tabulis, 423 n. 16; bene ordinata sunt, sive attendatur regula fidei dictantis, sive regula justitiae exequentis, 431 n. 28; sufficientia et numerus eorum sumi potest ex parte objecti, subjecti et actus medii, 432 n. 30.

Praedestinatiani haeretici, 91 not. IV.

Praedestinatio aeternum propositum, temporalem gratificationem et aeternam glorificationem includit, 96 n. 15; rationem praescientiae et rationem causae includit, *ibi* n. 18; principalius tamen est in genere voluntatis, 98 n. 19; ejus definitio, *ibi;* et causa, *ibi* n. 22; 100 n. 25; ejus diversus processus juxta Scholarum placita, 100 *append.;* monita pro iis, qui de hoc mysterio disserunt, *ibi;* qua ratione praedestinatio Christi sit causa exemplaris et efficiens praedestinationis nostrae, 281 n. 11.

Praedestinatus, utrum possit damnari, 97 n. 18; cur etiam pro praedestinatis sit orandum, 441 n. 9.

Praedeterminatio physica quid sit, 89 *append.;* an eam Seraphicus admittat, *ibi.*

Praedicamenta qua ratione Deo attribuantur, 60.

Praelati, ad perfectionem praelationis duo exiguntur, 373; comparantur Dominationibus, 552 n. 42.

Praemium substantiale et accidentale in quo consistant, 338 n. 22; praemia multiplicia insinuantur in Scriptura, 654 n. 8.

Praescientia divina quomodo sit futurorum causa, 81 n. 3; 88 *append.;* et tamen non imponat necessitatem rebus, 85 n. 22; 196 n. 2.

Praesens esse alicui est dupliciter, 180 n. 16; omne quod cognoscitur, cognoscitur per aliquod praesens, 656 n. 16.

Praesentialitas divinae cognitionis quid importet, 81 n. 1; 84 nn. 17. 18.

Praesumptio quid, 227 n. 5; qua ratione sit peccatum in Spiritum sanctum, 236 n. 12.

Primatus Apostolicus, ejus institutio in beato Petro, perpetuitas in Romanis Pontificibus, et vis et ratio, 563—565 not. II—X.

Primitas divinae essentiae quid sit, 47 n. 23.

Principatus civilis Rom. Pontificis, errores contra ipsum damnati in *Syllabo,* 561 not. I; quo tendat in consiliis impiorum ejusdem abrogatio, *ibi;* cur Romanae Ecclesiae adjectus fuerit, *ibi;* quamvis Christus honorem regalem recusaverit, tamen ad hoc alios non arctavit, 566 n. 3.

Principium in divinis recipitur absque ulla imperfectione, 57 n. 18.

Priscilliani haeresis, 110 not. II; 147 not. II.

Prius dicitur multipliciter, 44 n. 12.

Probabilitas an possit esse simul cum fide, 392 n. 14.

Processio in quo complete consistat, 45 n. 15; differt a generatione secundum originem et habitudinem, 55 n. 8.

Propassio quid sit, 284 n. 4; 286 n. 10.

Prophetia differt a fide, 17 n. 17; prophetica cognitio a ceteris cognitionibus qua ratione differat, 80 not. *.

Proprietas naturalis dupliciter ad aliquid comparatur, 272 n. 4.

Proprietates personales in divinis sunt quatuor, 53; quid sint, 54 n. 2; 65 n. 21; in divinis nulla proprietas acquiritur, 56 n. 12; an differant a personis, *ibi* n. 14.

Protoparentes, cur eis concessum tempus meriti diuturnius quam angelis, 136 n. 9; an potuissent virtute propria tentationi cuicumque resistere, 174 n. 22; cur debuit Deus permittere eos tentari, 195; 196 nn. 1. 3; eorum transgressio incepit a muliere, 198; et utrique fuit communis, sed alia ex causa, 199 n. 3; eorum punitio fuit multiplex, 200; sed in muliere duplicata, *ibi.*

Providentia demonstratur, 93 n. 3.

Proximi nomine quinam intelligantur, 404 n. 9.

Prudentia, ejus definitio, partes et actus, 349 n. 12.

Psalmistatus non est ordo, 567 n. 7.

Pulcritudo quid sit, 74 nn. 3. 11; 144 n. 14.

Purgatorium, qua ratione indulgentiae valeant pro iis, qui sunt in purgatorio, 549 n. 37; ibi spiritus justorum per ignem ad tempus puniuntur, 620; errores contra ipsum, 620 not. I, 622 not. III. IV; an ab angelis bonis vel a daemonibus animabus in purgatorio poena infligatur, 623 n. 5; qua ratione poena purgatoria sit voluntaria in viris justis, *ibi* n. 7; poena purgatoria est gravior omni poena temporali, 624 n. 8; sciunt illae animae se in inferno non esse, *ibi* n. 9; quomodo poena adjuvet gratiam ad delendam maculam, *ibi* n. 10; ubi sit, est incertum, *ibi* n. 11; post sufficientem expurgationem animae immediate evolant ad caelum, 620 not. II; 624 n 12; an sit ibi ignis materialis, 625 *append.*

Q.

Quackerorum haeresis, 250 not. I.

Quesnelli propositiones damnatae quoad lectionem sacrae Scripturae quibusvis fidelibus praecipiendam, 13 not. I; quoad missam, 509 not. I; quoad ecclesiasticas censuras, 536 not. IV.

Quies Dei quid significet, 116 nn. 11. 12.

Quietistarum haeresis, 398 not. I.

R.

Raptus est novum impedimentum a Synodo Tridentina inductum, 593 n. 30 not. *; ex alia, quam ex matrimonii ineundi causa commissus, non inducit impedimentum, *ibi.*

Ratio humana, fide illustrata, aliquam mysteriorum intelligentiam assequitur, 23 not. I; nulla inter eam et fidem vera dissensio esse potest, 24 not I; 396 n. 21; imo opem sibi mutuam ferunt, 24 not. I; 381 not. I; errores circa ipsam, 33—34 not. I—IV; in inquirendo dupliciter procedere potest, vel adjuta radio fidei, vel proprio judicio relicta, 37 n. 5; 206 n 2; quid sit, 158 n. 34; 162 n. 39; 179 n. 11; distinguitur in superiorem et inferiorem, 158 n. 34.

Rationalis quid sit, 155 n. 26; 160 n. 39.

Rationalistarum figmenta, 7 not. II; 33 not. I—IV; 40 not. VIII; 76 not. I; 166 not. I; 176 not. I; 243 not. I; 250 not. I; 278 not. I; 383 not. I; 384 not. II—IV; 463 not. I.

Rationes aeternae an sint rationes cognoscendi in omni certitudinali cognitione, seu utrum quidquid certitudinaliter cognoscitur a nobis, cognoscatur in rationibus aeternis, 79 not. *.

Rationes causales quomodo differant a primordialibus, naturalibus et seminalibus, 640 n. 30.

Rectitudo hominis tunc habetur, quando intelligentia adaequatur summae veritati in cognoscendo, voluntas conformatur summae bonitati in diligendo, et virtus continuatur summae potestati in operando, 169 n. 8; rectitudo mentis in amore radicaliter consistit, 173 n. 19.

Redemptionis opus dupliciter competit Christo, 260 n. 7.

Regalistarum doctrina, 535 not. III; errores quoad matrimonium, 579 not. IV.

Reges cur inungantur, 570 n. 13.

Regularium exemptio a quibus impugnata, 413 not. II; ejus origo, *ibi.*

Relatio, in divinis relationes quatuor sunt, 53; qua ratione relatio maneat in divinis, 63 n. 8; quid sit, 65 n. 21; est triplex, 67 n. 28.

Religio, seu status religiosus, ad ejus perfectionem tria requiruntur, 373. 413.

Reprobatio tria includit, 96 n. 15; ejus causa, 98 n. 22.

Reprobi quam cognitionem habebunt de divinitate, 619 nn. 17. 18.

Repudium uxoris qua ratione aliquando licuit, 586 n. 7.

Res tripliciter sunt in Deo, 83 n. 13; cur dicantur esse in Deo vita, *ibi;* sunt in Deo ab aeterno secundum similitudinis praesentiam et secundum causativam potentiam, licet non secundum realem praesentiam, 86 n. 27.

Reservatio casuum a Jansenistis impugnata, 533 not. I.

Restitutio an sit opus satisfactorium, 542 n. 11.

Resurrectio Christi, ipsi attribuitur justificatio nostra per modum quietantis, 295 n. 21; devota ejusdem resurrectionis contemplatio, 301 n. 10.

Resurrectio corporum fiet in fine mundi, 633; duplicem causam est ei assignare in Christo, 637 nn. 4. 9; duplex est ratio hujus resurrectionis, *ibi* n. 8; non erit successiva, sed simul, quod ex rationibus ostenditur, *ibi* n. 10; in bonis corpora resurgent, vitiis detractis, *ibi* n. 11; 638 n. 12; in aetate et mensura perfecta, *ibi* nn. 14. 15; quaelibet in proprio sexu, *ibi* n. 16; et hoc per divinam virtutem, *ibi* n. 18; 640 n. 32.

Revelatio divina est infallibilis, 1 not. I; 19 n. 3; et perfecta, 33. 34 not. *; potest fieri credibilis externis argumentis, *ibi;* est stella rectrix in scientiis naturalibus investigandis, *ibi;* cur data sit in cognitione fidei, magis quam in cognitione rerum naturalium, 37 n. 4; duplici fit modo, 139 n. 24.

Rosminiani ad Ontologismum deflectunt, 649 not. I.

S.

Sabbatum, praeceptum de sabbati sanctificatione et caeremoniale erat et morale, 426 n. 19; quibus de causis in lege nova sabbato substituta fuerit dies dominica, *ibi.*

Sacerdotes comparantur Dominationibus, 552 n. 42; cur ungantur in manibus oleo sancto, 568 n 8; 570 n. 13.

Sacerdotium novae legis praefiguratum fuit in veteri, 474 n. 10; cur in novo testamento dicatur *regale sacerdotium*, et in veteri *regnum sacerdotale*, 567 n. 6.

Sacramenta alia fuerunt in lege naturae, alia sub lege scripta, alia sub lege gratiae, 456. 458 n. 3; quae posteriora sunt, significatione sunt evidentiora et effectu gratiae digniora, 456; omnia efficaciam habent a passione Christi, 458 n. 2; sunt in documentum, in medicamentum et in ornamentum, *ibi* n. 3; sacramenta legis naturae tria fuerunt, decimationes, oblationes et sacrificia, 459 n. 6; ratio eorum institutionis triplex fuit, Dei honorificatio, fidei Redemptoris professio, et vitae agendae instructio, *ibi;* utrum sacramenta veteris legis gratiam conferrent *ex opere operantis* tantum, vel etiam *ex opere operato*, licet per accidens, controvertitur a theologis, 458 n. 2; 460 n. 8; 463 n. 12 et *append.*

Sacramenta novae legis, eorum origo, usus, fructus, causae et ratio nominalis, 452; definitio, 454 n. 1; cur de sua integritate debeant habere significationem, *ibi* nn. 2. 4; eorum institutio Deum decuit, et nobis fuit expediens, 455 n. 8; qua ratione dicantur vasa gratiae, *ibi* n. 9; et causa gratiae, *ibi* n. 10; gratiam conferunt *ex opere operato* per se, 460 n. 8; juxta nonnullos theologos prius sanctificantur per verbum, et postmodum sanctificant; sed hoc difficile est et intelligere et explicare, 461 n. 9; secundum alios respectu justificationis habent virtutem influentem, promerentem, disponentem et efficaciter ordinantem, 462 n. 9; duplicem habent significationem, *ibi* n. 10; cur sint septem, 464. 465 n. 2; 467 n. 6; sunt pigmenta odorifera et unguenta salutifera, 465 n. 4; et memoralia passionis Christi, 466 n. 4; profluxerunt de latere Christi jam mortui, 467 n. 4; quaedam respiciunt omnes, quaedam aliquos specialiter, *ibi* n. 5; instituta fuerunt a Christo in verbis et elementis, sed diversimode, 467. 471 n. 4; qua ratione S. D. et alii theologi doceant quaedam a Christo insinuata tantum fuisse, 471 n. 4 not *; de jure communi a solis hominibus viatoribus dispensantur, 475; an aliquando angelus vel anima beata ea dispensaverit, *ibi* not. *; non tamen omnia dispensari possunt ab omnibus, 476; quaedam non sunt iterabilia, 483.

Sacramentalia qua ratione deleant venialia, 335 n. 9.

Sacramentarii haeretici, 506 not. I.

Sacrificia antiqua nullam de se efficaciam habebant in adultis ad remissionem peccati originalis, sed tantum ratione fidei aliquid conferebant, 459 n. 6; nec Deum placabant, 466 n. 4.

Salus propria saluti proximi est praeferenda, 405 n. 14.

Samosateni haeresis, 250 not. I.

Sancti honorandi sunt cultu duliae, 272 n. 5; et invocandi, 434; orant pro nobis propter nostram necessitatem, et propter divinam voluntatem, 440 n. 8; multa bona nobis impetrant merito et affectu, *ibi* n. 9; 628 n. 10; rogandi sunt propter nostram inopiam, eorum gloriam et Dei reverentiam, 441 n. 10.

Sanctitas, ad perfectionem internae sanctitatis duo requiruntur, 373.

Sansimonianorum figmenta, 580 not. IV.

Sapientia est sapida scientia, 37 n. 4; 156 n. 29; quadrupliciter accipitur, 37 n. 4; 364 n. 10.

Sapientia divina est cognoscitiva rerum, 78; et ratio cognoscendi, *ibi;* cur varia sortiatur nomina, scil. lucis, speculi, exemplaris, libri vitae, *ibi*; 81 n. 4; non tamen in se diversificatur, 80; sapientiae divinae unitas simul stat cum multiformitate idearum vel rationum, 80; 367 n. 20.

Sapientia *(donum Spiritus sancti)*, quis sit ejus praecipuus actus, 364 n. 10.

Satisfactio est duplex, 248 n. 11; nulla pura creatura potuit satisfacere pro toto genere humano, sed neque pro seipsa, quantumvis gratiâ fulcita, pro culpa actuali, satisfactione plena, imo neque semiplena pro originali, *ibi;* omnis satisfactio fundatur super satisfactionem mediatoris, 281 n. 12; modus reparandi humanam naturam per satisfactionem fuit congruentissimus, sive ex parte Dei, sive ex parte nostra, 291 n. 6; duo includit, 541 n. 11; fit ipsi Deo, sed in Ecclesia et per Ecclesiam, *ibi;* ob quatuor fit per opera poenalia, *ibi;* fit jejunio, oratione et eleemosyna, *ibi.*

Saturnini haeresis, 110 not. III.

Schisma qua ratione differat ab haeresi, secta et superstitione, 390 n. 9; an catholico-liberales inter schismaticos sint recensendi, 538 not. V.

Scientia tripliciter dicitur, 362 n. 6; quadruplex est ejus differentia, *ibi;* scientia, quae est cum ratiocinatione, potest simul stare cum fide, licet non sit secundum idem scientia et fides, 389 n. 8; qua ratione vocetur clavis, 546 n. 25; in patria quoad habitum non perditur, sed completur; quo vero ad usum mutatur, et quoad modum omnino tollitur, 657 n. 17.

Scientia divina, visionis et intelligentiae, 81 nn. 2. 3; qua ratione sit immutabilis, 84 n. 19; qua ratione, juxta diversas Scholarum opiniones, sit efficax et causa rerum, 88 *append.;* quo medio futuribilia cognoscat, 89 *append.*

Scientia *(donum Spiritus sancti)*, ejus definitio et actus, 362 n. 6.

Scientia gratuita, ejus definitio, 368 n. 22; cur dicatur scientia Sanctorum, 370 n. 22.

Scriptura sacra oritur ex divina revelatione secundum influentiam Trinitatis, 1. 2. 16 n. 15; ejus notitia non habetur nisi mediante fide in Christum, 3 n. 1; 11. 12 n. 3; 16 n. 9; 25 n. 4; ejus progressus non est coarctatus ad leges aliarum scientiarum, 2; dat homini viatori notitiam rerum sufficientem ad salutem, licet ad speciales entium naturas describendas non

descendat, *ibi;* 37 n. 3; 124. 125; ejus fructus est aeterna felicitas, 2; quo fine sit perscrutanda, *ibi;* est proprie sapientia, 3 n. 1; est cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei, liber scriptus intus et foris, *ibi* n. 2; in ea traduntur veritatis documenta, caritatis praecepta, aequitatis judicia, *ibi* n. 3; ejus dignitas et excellentia quadruplici ex causa commendatur, 4 n. 4; ejus causa efficiens, materialis, formalis et finalis, *ibi;* dicitur regnum Dei, *ibi* n. 5; ejus studium est necessarium concionatoribus et confessariis et praelatis, *ibi* n. 7; 370 n. 22; est similis fluvio latissimo, qui quo longius decurrit, magis dilatatur, 7; quare, 8 n. 7; 14 n. 1; describit mundum a principio usque ad finem, 8; ejus ordo consimilis est ordini naturae in germinatione terrae, 10 n. 6; est sublimis, 11 n. 1; 124; ejus sublimitas demonstratur ex consideratione septem conditionum creaturarum, 127 n. 5; philosophicam cognitionem sibi substernit, 11; est venustissima, *ibi;* habet triplicem sensum praeter literalem, 12. 14 n. 2; 126 n. 3; qui est unus, 15 n. 5; et quare, 16 n. 15; ejus subjectum quid sit, 12. 25 n. 7; ejus finis quis, 13; ejus auditor debet esse humilis, 13. 16 n. 9; mundus, 13. 16 n. 10; fidelis 13. 16 n. 11; studiosus, 13. 16 n. 12; subserviunt ei omnia artificia, et ad sui manifestationem assumit omnia artificiorum genera, 17 n. 17; ejus modus procedendi unus est, sub quo multi reponuntur, 18; nihil in ea est falsum, superfluum vel diminutum, *ibi;* eam ad suos sensus contorquere contra sensum Ecclesiae Concilium Tridentinum prohibuit, 19 not. I; stulte ab indoctis reprehenditur, 19 n. 1; in ea reperitur omne genus veritatis et sapientiae, *ibi;* perperam nonnulli eam de insipientia arguunt, 20 n. 4; de simplicitate, *ibi;* de superfluitate, *ibi;* de injustitia, *ibi* n. 6; de inhonestate, 21 n. 6; quomodo sit exponenda, 21; triplex regula S. Augustini, 22. 25 n. 5; ejus studium est exercitatio spiritus ad pietatem, 24 n. 1; ad eam addiscendam requiritur ordo, assiduitas, complacentia et commensuratio, *ibi* n. 2; 25 n. 3; ad proficiendum autem in ejus studio requiritur sanctitas, 25 n. 2; adhortatio ad eam addiscendam, *ibi* n. 6; ordinate narrat rerum conditiones, 124; ordinate etiam tacet secundum literam de angelorum conditione et lapsu, 125. 128 n. 7; principaliter est de operibus reparationis, 128 n. 6; est fundamentum Ecclesiae, 370 n. 22.

Secta qua ratione differat a schismate, haeresi et superstitione, 390 n. 9.

Semiarianorum haeresis, 39 not. III.

Semipelagianorum haeresis de praedestinatione, 91 not. IV; de gratia actuali, 316 not. I.

Semirationalistarum figmenta, 33 not. I—III; 166 not. I; 384 not. V; 385 not. VI.

Sensualitas quid sit, 155 n. 22; 169 n. 6.

Sensus quid sit, 155 n. 22; 160 n. 39; sensus non errat circa proprium objectum, 155 n. 23; sensus duplex datus est homini, interior et exterior, 165; non omnes sensus in corporibus glorificatis erunt in suo actu, 664 n. 46.

Sensus communis quid sit, 155 n. 22.

Sensus et motus in spiritualibus quid significent, 274 n. 10.

Sensus spirituales sunt usus spiritualium delectationum, 342 n. 3; 374; cur sint quinque, 378 n. 13.

Sentire de Deo altissime, piissime et sanctissime quid sibi velit, 41. 49 n. 33.

Sentire et intelligere triplici ratione differunt inter se, 168 n. 3.

Septenarius numerus magnum mysterium habet, 10 n. 1; septem septenarii, qui faciunt annum jubilaeum in patria, 444 n. 12.

Sermo ad quid institutus, 369 n. 22; 427 n. 22.

Servitus est triplex, scilicet culpae, poenae et conditionis, 421 n. 9; cur post regenerationem in Christo liberatur quis a servitute peccati, sed non a servitute poenae et conditionis, *ibi;* qua ratione servitus conditionis impediat matrimonium, 600 n. 44.

Similitudo Dei alia est aequalitatis, alia imitationis, 135 n. 7; 178 n. 9; similitudo duobus modis attenditur, 87 n. 33; 454 n. 3.

Simon magus, ejus haeresis, 110 not. III; 326 n. 17.

Simonia quid sit, 227 n. 6; episcopus simoniacus simoniace potest vere ordines dare, 482 n. 10; nec semper per hoc constituitur haereticus, *ibi;* simoniaci directe repugnant sacramento eucharistiae, 529 n. 38.

Simplicitas divinae essentiae quatuor rationibus demonstratur, 45 n. 18.

Simulatio non semper est mendacium, 428 n. 23.

Socialistae, eorum doctrinae, 400 not. II; 414 not. III.

Societas civilis, errores circa eam damnati in *Syllabo,* 560 not. I.

Societas Londinensis ad unitatem christianitatis procurandam non est toleranda, 478 not. II.

Societates biblicae ab Ecclesia damnatae, 14 not. II.

Socinianorum haeresis, 128 not. I; 166 not. I; 250 not. I; 278 not. I; 486 not. I.

Species, natura et essentia qua ratione differant inter se, 115 n. 1; species innata est duplex, 170 n. 8; species quid sit, 177 n. 6.

Speculum multipliciter accipitur, 82 n. 8; differt videre rem in speculo et per speculum, 126 n. 2; 657 n. 17.

Spes multipliciter definitur, 345 n. 6; habet excellentem actum, *ibi;* qua ratione differat a fide, *ibi;* non modo inter virtutes gratuitas est ponenda, sed omnium gratuitarum virtutum anchora et fundamentum est censenda, *ibi* n. 7; est virtus una unitate speciei specialissima, cum habeat unitatem rationis, objecti et finis, 346 n. 7; inter theologicas virtutes est collocanda ratione subjecti et objecti, *ibi;* in suo actu certitudinem habet aliam a certitudine fidei, *ibi;* qua ratione differat a timore, *ibi;* quodam modo est accipienda ex meritis, quodam modo principium merendi dicitur, *ibi;* ratione actus caritatem praecedit, 347 n. 7; ejus objectum est bonum sub ratione magni et ardui, et quodam modo sub ratione gloriosi et aeterni, *ibi;* est in potentia animae affectiva, cum sit in ipsa irascibili, *ibi;* dupliciter accipitur, *ibi;* aliquando potest esse informis, 354 n. 18; an spes procedat ex gratia et meritis, *ibi;* spes aeterni boni non impedit in suo actu meriti perfectionem, 401 n. 2; per gloriam omnino evacuatur, 659 n. 20.

Spiratio quid sit et quotuplex in divinis, 45 nn. 14. 15; 59 n. 31.

Spiritismus quid sit, 132 not. III; non potest esse absque peccato, 138 n. 19.

Spiritus dupliciter accipitur in divinis, 59 n. 31.

Spiritus sanctus auctoritate prius procedit a Patre, quam a Filio, 44 n. 12; non plenius procedit a Patre quam a Filio, neque immediatius, *ibi;* Graecorum controversia quoad Spiritus sancti processionem unde ortum habuerit, *ibi* n. 13; procedit a Patre et Filio, in quantum sunt unum in foecunditate voluntatis, 45 n. 14; ejus processio cur non sit generatio, *ibi* n. 15; 54 n. 7; procedit per modum liberalitatis, 54 n. 5; est essentialiter donum, 58 n. 29; in quo omnia alia donantur, 59 n. 32; cur dicatur donum ab aeterno et ex tempore, *ibi;* et dicatur donum potius quam datum, *ibi;* et nexus; 60 n. 34; cur tribus modis apparuerit, 68. 70 nn. 4. 6; 302 n. 18; ejus septiformis virtus per septem dies creationis innuitur, 118 n. 23; per ejus adventum auctus est ignis caritatis, 302 n. 14; et tria manifestata sunt mundo, peccatum, justitia et judicium, *ibi* n. 15; triplici ex causa datus non fuit ante Christi ascensum, *ibi* n. 16; neque diutius retardatus, *ibi* n. 17; an post incarnationem plenius datus fuerit quam antea, *ibi* n. 19; in se unus, in effectibus est multiplex, *ibi* n. 22.

Sponsalia cur obligent, 589 n. 16; non omnis consensus facit sponsalia, *ibi* n. 17; eorum effectus, 599 n. 39; quibus modis solvantur, *ibi;* non possunt contrahi ante septennium, 600 n. 43.

Sponsalia clandestina etiam post Concilium Tridentinum sunt valida, 585 n. 5 not. *; an inducant impedimentum publicae honestatis, 600 n. 42 not. *.

Status est in completione, 378 n. 10; 661 n. 30.

Stauromachi haeretici, 270 not. I.

Subjectum in aliqua scientia tripliciter accipitur, 38 n. 9.

Subsistentia quid dicat, 64 n. 18; 65 n. 22.

Substantia quid dicat, 62 n. 2; 63 n. 9; 64 nn. 14. 18; 65 n. 22.

Suffragia prosunt animabus in purgatorio detentis tantum, 625. 628 n. 4: fiunt per opera satisfactoria, nempe per jejunium, orationem et eleemosynam, 626; et praecipue per altaris sacrificium, *ibi;* 628 n. 6; non in omnibus aequaliter prosunt, 627. 629 n. 13; an aequaliter prosint, sive a bonis fiant, sive a malis, 628 n. 12.

Superbia, ejus definitio, differentiae et gradus, 227 n. 5.

Superstitio qua ratione differat a secta, schismate et haeresi, 390 n. 9.

Symbolum, ejus definitio, 386 n. 2; tria sunt symbola fidei chri-

stianae, et cur diversis temporibus in divino officio recitentur, *ibi;* in symbolo Apostolico sufficienter continentur omnia ea, quae principaliter sunt credenda, *ibi* n. 3.

Symptomata quid sint, 359 n. 3.

Synagoga cum honore adducenda erat ad tumulum, 416 n. 1; ejus definitio, 423 n. 13.

Synderesis quid sit, 170 nn. 10. 11; exstingui non potest 171 n. 11; an possit depravari, *ibi;* ejus actus est triplex, 648 n. 25.

T.

Tabulae rotantes quid sint, 133 not. III.

Tatiani haeresis, 250 not. I.

Temperantia, ejus definitio, partes et actus, 350 n. 14.

Tempora in sacra Scriptura distinguuntur in originalia, figuralia et gratiosa, 10 n. 1; quomodo inter se respondeant, 267 n. 6.

Temporale dicitur tripliciter, 71 n. 11.

Tempus tripliciter dicitur, 113 n. 10.

Tentatio protoparentum cur a Deo permissa, 195. 196 nn. 1. 3; congruentia ordinis respectu tum operis, tum finis, tum divini judicii exigebat, ut homo tentaretur a diabolo in effigie serpentis, 197 n. 6; ratio processus tentationis sumitur ex parte sapientiae Dei, et astutiae diaboli, *ibi* n. 7; an et quomodo sit a carne, 223 n. 10; tentationi cuilibet resistere non potest homo omni gratia destitutus, licet necesse non sit, quod cuilibet succumbat, 323 n. 10; potest tamen quantulacumque caritate, 324 n. 12.

Testamenta duo sunt, vetus et novum, quare, 6; inter ea est mira conformitas, 8 nn. 2. 3; eorum differentia est timor et amor, 6. 8 n. 4; cur vetus testamentum sit quadripartitum, 15 n. 8.

Theologia gerit insigne Trinitatis, 15 n. 7; quid sit, 23. 33; 370 n. 22; agit de Deo principio primo, ut effectivo, refectivo et perfectivo, 33. 35 n. 1; est scientia perfecta, 33; sapientia perfecta, *ibi;* eminenter speculativa et practica, 34. 37 nn. 3. 7; una, 34. 38 n. 9; ipsi convenit modus inquisitivus, qui tripliciter valet secundum tria hominum genera, 36 n. 2; ejus finis quis, 58 nn. 8. 10; totius theologiae elegantissimus epilogus, 668 n. 64.

Timor est triplex, gratuitus, naturalis et libidinosus, 284 n. 5; timor gratuitus distinguitur in servilem, initialem et filialem, 359 n. 4; timor servilis est donum Spiritus sancti, quamquam non sit donum cum Spiritu sancto, *ibi;* licet non sit bonus bonitate meriti, est tamen bonus bonitate praeparante ad meritum, 360 n. 4; quoad materiale remanet cum gratia, licet quantum ad intuitum principalem poenae aeternae, et ad voluntatem malam expellatur, *ibi;* timor initialis et filialis non differunt specie, nec tantum secundum perfectum et imperfectum, sed secundum diversum timendi modum, *ibi;* timor gratuitus per augmentum gratiae decrescit quoad usum sollicitationis poenae, licet crescat quoad usum, secundum quod est perfectae caritati consonus; 361 n. 4; timoris donum, quoad reverentiam supremae majestatis, remanebit in patria, licet quoad intuitum poenae et offensae Dei evacuetur, *ibi.*

Traditio est altera remota regula fidei, 7 not. II; 8 n. 8; nihil recipiendum quod a traditione dissonet, 19 n. 2.

Traditionalistae quinam sint, 41 not. IX.

Traducianismus corporeus quid sit, 147 not. I; quid traducianismus spiritualis, 209 not. I.

Translationes ad divina fiunt ad laudem Dei et ad manuductionem humani intellectus, 62 n. 6.

Transsubstantiationis doctrina quaedam novissima reprobatur, 510 not. II.

Trinitarii haeretici, 39 not. II.

Trinitas, tria in ea consideranda sunt, 39; Trinitas personarum pluralitatem attributorum non excludit, 40; et ostenditur supponendo quatuor de Deo, 42 n. 5; adumbratur in sole, 43 n. 6; eruitur ex divina essentia, quia lux, mens et pax, 49 n. 34; eadem ratio, quae ponit personarum pluralitatem, aufert infinitatem et ponit Trinitatem, *ibi* n. 36; eruitur etiam ex ratione necessitatis et congruitatis, *ibi;* et ex ratione summi boni, 54 n. 3; ejus definitio etymologica, 63 n. 10; in omni creatura relucet per vestigium, 175. 177 n. 6; in omni intellectu repraesentatur per imaginem, 175. 177 nn. 7. 8; 179 n. 9; in omni justo legitur per similitudinem, 175. 179 n. 10; tres personae unica et simplici adoratione sunt adorandae, 272 n. 5.

Tritheistae haeretici, 39 not. I.

Tropologia est duplex in sacra Scriptura, 14 n. 3.

U.

Ubiquitas, qua ratione sit in Deo, 46 n. 19; 82 n. 9.

Umbra differt a vestigio et ab imagine, 176 n. 5.

Unctio extrema, quid ad ejus integritatem requiratur, 553; errores contra ejus institutionem et naturam, *ibi* not. II; principaliter est ad venialia delenda, 555 n. 1; 556 n. 9; frequenter etiam alleviat a morbo, *ibi* n. 2; ejus materia est oleum consecratum, 555 n. 3; 556 n. 4; cur ejus forma sit oratio deprecativa, 556 nn. 5. 6; est unum sacramentum, licet plures fiant unctiones, *ibi* n. 7; an omnes sensuum unctiones pertineant ad integritatem sacramenti, *ibi* not. *; potest iterari, 557 n. 10; dispensatur a sacerdotibus, *ibi* n. 11.

Unio quomodo referatur ad distinctionem, 66 n. 26; est multiplex 253 n. 7; et tripliciter dicitur, 294 n. 18.

Unire et assumere inter se differunt, 252 n. 1.

Unitas dicitur positive de Deo, de creaturis aliquando positive et aliquando privative, 42 n. 1; quae vocabula in divinis excludat, *ibi* n. 2; est ponenda in divinis unitas essentialis et personalis, 63 n. 11; est duplex, 660 n. 24.

Unum quid dicat, 74 n. 6; 539 n. 5; ut aliqua sint unum, praesupponitur convenientia in natura, 660 n. 24.

Usura quid sit, 227 n. 6; omni tempore fuit prohibita, 430 n. 26; responsa Apostolicae Sedis circa lucrum ex mutuo, *ibi* n. *.

Uxoricidium qua ratione impediat matrimonium, 597 n. 34.

V.

Valentini haeresis, 110 not. III; 250 not. I; 487 not. I.

Verbum, verbi creati interioris nomen convenienter ad divina transfertur, 58 n. 23; qua ratione differat a filio et ab imagine, *ibi* n. 28; differt ab idea, arte et exemplari, 80. 83 n. 12.

Verbum increatum, etsi coaequale Patri, cur non habeat potentiam generandi, 50 n. 39; est similitudo intellectualis Patris, 58 n. 26; quatuor sunt ejus conditiones, principium scilicet sufficiens, indeficiens, praecognoscens, et aliis cognitionem praebens, 112 n. 4; est ars plena omnium rationum viventium, *ibi;* totam humanam naturam assumpsit, 252 n. 2; veram scilicet carnem et corpus et animam rationalem, 253 n. 5; non personam, 254 n. 9; hoc tripliciter potest intelligi, *ibi* n. 10; Verbi persona prae ceteris personis fuit magis idonea ad incarnationem, sive loquamur de ipsa incarnatione in se, sive prout est ordinata ad humani generis redemptionem, 256 n. 21; cur decuerit assumi ab eo carnem a sola muliere, 259 n. 4; et sexum virilem, *ibi* n. 5; non assumpsit animam humanam, mediante habitu gratuito se habente ut causa cooperans, 260 n. 9; nec est unitum animae mediante Spiritu sancto, tamquam vinculo talis unionis, licet Spiritus sanctus effective ad hujusmodi unionem concurrerit, 261 n. 11; qua ratione potest dici ipsum assumpsisse carnem humanam mediante spiritu creato, *ibi* n. 12; unica unione, quae est relatio, fuit unitum animae et carni, unica vero actu, sed pluribus in potentia, quae fiunt actu in separatione animae a corpore, 294 n. 18.

Veritas tripliciter comparatur, 74 n. 5; est triplex, 82 n. 10; 369 n. 22; 427 n. 22; 503 n. 4; tripliciter potest impugnari, 236 n. 10; ejus definitio, 503 n. 5; est lux intelligibilis, 661 n. 28.

Verum quid dicat, 74 n. 6; 539 n. 5; dicitur tripliciter, 156 n. 29.

Vestigium Creatoris in qualibet creatura reperitur, 110. 112 n. 8; 113 n. 15; 177 n. 6; 363 n. 9; differt ab umbra et ab imagine, 176 n. 5.

Veteres-catholici haeretici novissimi, 562 not. I.

Via animae est triplex, nempe purgativa, illuminativa et unitiva, 366 n. 15; in quo quaelibet istarum consistat, *ibi;* unaquaeque harum septem continet gradus, *ibi;* gradus viae purgativae, 367 n. 16; viae illuminativae, *ibi* n. 17; viae unitivae, *ibi* n. 18.

Viatores cognoscunt Deum per creaturas, in creaturis autem

non nisi semiplene, 126 n. 2; eorum scientia respectu eorum, quae non sunt de fide, non superatur a fide in certitudine speculationis, 388 n. 7. Vide *Deus, Ontologi* et *Visio Dei.*

Vigilantii haeresis, 413 not. II.

Virgines, non omnes aureola decorabuntur, 665 n. 50; 666 n. 56.

Virginitas tria dicit, 418 n. 4; secundum diversitatem temporum praefertur vel non continentiae conjugali, *ibi;* in ea tria considerantur, habitus, status et decor, 665 n. 52.

Virtutes, quoad usum praecedunt dona, licet quantum ad originem omnes sint simul, 340 n. 1; virtutes et dona differunt ab invicem, 341 n. 3; quadruplex est modus assignandi differentiam inter virtutes et dona, *ibi;* dicuntur habitus rectificantes, 342 n. 3; sunt principia laudis et meriti, 344 n. 5; subjectum cujuslibet virtutis quid sit, 345 n. 5; virtutes cardinales est ponere, praeter theologicas, ad vigorandas potentias animae contra difficultatem, et rectificandas contra obliquitatem, 348 n. 9; virtutes cardinales, prout politicae sunt considerationis, sunt habitus assuefactione acquisiti, sed si considerantur ut gratuitae, sunt habitus infusi, *ibi;* secundum theologos sunt in parte animae intellectiva et rationali, licet secundum philosophos possit dici, quod aliquae sint in parte sensitiva, *ibi* n. 10; correspondent dispositioni mundi, 349 n. 11; perfectiori modo remanebunt in patria, quam sint modo in via, *ibi;* virtutes gratuitae sunt simul connexae, 351 n. 16; eorum causa materialis, efficiens, formalis et finalis, 352 n. 16; habent omnes in eodem aequalitatem respectu praemii, tametsi respectu objecti, fervoris et radicationis disparitatem habeant ad invicem, *ibi* n. 17; virtus dupliciter dicitur, *ibi* n. 18; omnes virtutes possunt esse informes, caritate excepta, 354 n. 19; et informantur a caritate, *ibi* n. 20; referri possunt tripliciter, nempe ad objectum, ad subjectum et ad finem ultimum, *ibi;* virtus gratuita per caritatem est definienda, *ibi* n. 21; per virtutes theologicas anima ad mentales excessus disponitur, quibus adeptis, spiritus noster efficitur hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus et perfectus. 376 n. 8.

Vis quando sit impedimentum dirimens matrimonium, 592 n. 30.

Visio quid sit, 160 n. 39; est triplex, 377 n. 9; fit sex modis, qui respondent operibus sex dierum creationis, *ibi;* visio sensibilis et fides possunt esse simul circa unum et idem, 390 n. 10.

Visio Dei, Deum in sua substantia videri non posse, quinque modis ostenditur, 277 n. 6. Vide etiam *Lumen gloriae* et *Ontologi.*

Vita dupliciter accipitur, 660 n. 21.

Voluntarium novem modis dicitur, 220 n. 2; duo sunt de ratione voluntarii, 235 n. 5.

Voluntas dupliciter potest considerari, 49 n. 35; est in Deo completiori modo quam in nobis propter quatuor conditiones, 92 n. 1; quando voluntas humana conformanda sit voluntati divinae, 94 n. 10; et an in quocumque volito, 95 n. 11; in nobis est triplex voluntas, rationis, pietatis et carnis, *ibi;* ejus definitio et actus, 152 n. 9; quando sit bona, 191 n. 2; differt dicere voluntatem induci, mutari et cogi, 334 n. 7.

Voluntas divina qua ratione possit velle, quae nunquam voluit, 77 n. 6; est regula rectitudinis et totius efficaciae, 90; significatur per quinque differentias, et distinguitur in voluntatem signi et beneplaciti, 92 n. 2; ac in antecedentem et consequentem, 93 n. 8; antecedens potest cassari, consequens autem atque absoluta, nequaquam, 94 n. 8; cur dicatur esse rerum causa, 95 n. 13; Deus vult omnes homines salvos fieri, 99 n. 32.

Votum, obligatio ex voto non minuit perfectionem actus, sed perficit, 433 n. 31; a conjugatis emissum quam obligationem inducat, 594 n. 31; quid sit, et a quibus emitti possit, 594 n. 32; qua ratione votum simplex a solemni distinguatur, *ibi;* votum simplex continentiae non dirimit matrimonium jam contractum, licet generaliter impediat contrahendum, *ibi;* vota simplicia religiosorum nequeunt aequiparari cum ceteris votis simplicibus, *ibi* not. *; cur votum solemne dirimat matrimonium, *ibi;* potest mutari et propter necessitatem supervenientem, et propter periculum imminens ex observatione, 595 n. 32; potest dispensari a Papa, prout dispensatio dicit juris declarationem, non prout dicit juris relaxationem, *ibi.*

W.

Waldensium haeresis, 415 not. IV; 476 not. I; 486 not. I; 501 not. I; 507 not. I; 536 not. IV; 620 not. I.

Wicleffi haeresis, 269 not. I; 270 not. I; 317 not. I; 420 n. 9 not. *; 476 not. I; 501 not. I; 532 not. I; 536 not. IV; 566 n. 3 not. *; 620 not. I.

Z.

Zwinglii errores de statu primi hominis, 166 not. I; de ejusdem tentatione, 195 not. II; contra baptismum, 487 not. I; contra eucharistiam, 506 not. I.

Errata.

Pag. 195 lin. 16 promittente, corrige permittente.

4687
217.33
B69b-2 Bonaventura, St.
Breviloquium
DATE | ISSUED TO
NOV 17 | Timothy
217.33
B69b-2
4687